IN IESAIAE PROphetæ oracula, Meſsiæ ſeruatoris mundi, & Eccleſiæ ſponſæ, atque Aduerſarij eorum, myſtica deſcriptione referta:

MARTINI BORRHAI STVGgardiani Commentarij.

EIVSDEM IN

APOCALYPSIM IOANNIS; FIDELEM PROPHETARVM INTERpretem, Explicatio.

Acceſsit rerum & uerborum in his præcipuè memorabilium INDEX.



BASILEAE, PER IOANnem Oporinum. 1561.

IN IESAIAM PROPHETAM
MARTINI BORRHAI
PRAEFATIO.



VT certo Dei consilio duo hominum genera post contractã à primis parẽtibus culpam, orta sunt: unũ eorum qui Satanam, cuius inuidia peccatum & mors in humanum genus peruaserũt, referebant: alterum eorum, qui Deum lucis & uitæ parentem exprimebant: ita ab his diuersa religio suscepta est. nam alteri ueram, alteri falsam secuti sunt. Vera erat, qua ea ratione quæ ab illo præscripta fuit in filio Messia colebatur. Falsa, huic contraria iudicatur. Hanc draco tenebrarum princeps, quam per falsos suos doctores & mendaces uates confirmaret, excogitauit: illam Deus, perennis lux, per ueros prophetas & doctores in electorum cœtu conseruandam instituit. Promissionem nempe de Christo mundi seruatore, ab initio statim Adamo factam, hæc in libro de Origine mundi exposita uerba indicant: Ipsum conteret caput tuum. & præscriptã à Deo rationem qua coleretur, sacrificandi ritus quem Abel à parente Adamo acceperat, documento est. Qui ritus rectè seruabatur, cum sacrificãtes unicè salutaris sacrificij Christi IESV, in quo pręsumpto spe, patrẽ adorarent, admonebantur. Falsò uerò exercebatur ab ijs, qui extra fidem & spem rem diuinam faciebant: ut Cain, & qui ex eo nati sunt, faciebant: & omnes in terra impij homines, qui Christum exemplo parentis sui Satanæ, Christiq; cultores odio persequuntur, faciunt. Itaq; uera religio ab Adamo primo scriptorũ in libro uitæ homine, & Abele, & hoc à Cain prima serpentis sobole interfecto, à Sethina familia seruata est: falsa à Cainis. Atqui Deus pro sua iusticia impiorum genus, cum eorum peruersa religione diluuio non sine arcana consiliorũ suorum ratione deleuit, pios uerò in sancta Sethi stirpe cum recto cultu conseruauit. Porrò per Noæ qui cũ paucis qui instau-

randi mundi ſeminarium eſſent, liberatus fuit, poſteros, uera religio ad Meſsiæ uſq; patefacti tempora propagata eſt, & huius promiſsio in Paradiſo ad Adamum delata, per patriarchas uſq; ad diluuium retenta, & poſt id in Abrahami familia à benedicto Noę filio Semo prognata, ſubinde repetita eſt. Nam in hac gente Deus uerum ſuum cultum eum oraculari, quæ illa ſacra Cabala eſt, diſciplina tueri, & ex ea reparatorem mundi Chriſtũ IESVM naſci uoluit. Quæ huius populi præ omnibus orbis terrarum nationibus, præclara laus eſt & dignitas: hanc uidelicet regno & ſacerdotio & diuinis reſponſis ornatam, tanta cura & ſtudio uſque ad repræſentatũ mundo Meſsiã duraſſe: cæteris interim gentibus in magna rerum cœleſtium & diuinarum ignoratione uerſantibus. Ex qua nõ prius eos eripere Deus decreuit, quàm ante condita ſecula prouiſus in diuina mente Chriſtus, & ſuo tẽpore ex promiſsione exhibitus eſſet, qui tanquã perẽnis lux profanarũ gentiũ profundas illas craſſasq; ignorantię Dei tenebras per cœleſtem Euangelij lucem, rupta macerie, diſcuteret, qua illæ ab Iſraelitarum religione & republica ſeiunctæ fuerant. ut impleretur illud quod à diluuio Iaphetho Deus pro bonitate ſua pollicitus fuerat: In tabernaculis Semi Iaphetus habitabit. In recto autem Dei cultu ante patefactum Chriſtum duo uigebant: unum erat lex à Moſe tradita, quæ antè in literas nondum relata, apud patriarchas cõſuetudine quę ἄγραφος lex eſt, obſeruabatur: alterum prophetarũ oracula & reſponſa. Lex decalogum, naturalis legis in omnium animis ſcriptæ interpretem, & ceremonias forenſiaq; iura continebat, oracula & reſponſa partim ſcelerum, quæ in Iſraelitico populo aduerſus Moſæam legem committebantur: partim hortationes, quibus ad ſeruandam legem cultumq; diuinum inuitabantur, qui ſe illam profiteri gloriabantur: partim de futuro illorum ſtatu, qui uel neglectam legem & religionem, uel obſeruatam conſecuturus eſſet, prædictiones comprehendebant. Præcipuum autem munus prophetarum erat, de Meſsia redemptore uaticinari, & abdita occultaq;, quæ in Moſæa

lege

lege repoſita ſunt de Chriſto myſteria interpretari, qui uitioſæ naturæ morbum à primis parentibus in nos poſteros quaſi hæreditaria quadam contagione tranſmiſſum, ſanaturus eſſet. quẽ morbum quidẽ legalis diſciplina cum quãtus eſſet indicaret,& eum nõ curaret: Chriſtus IESVS à patre nobis datus eſt medicus, qui tanta lue ſanata,deleto peccato ſanctitatem, abolita morte uitam tribueret: fractisq; inferni portis, cœlum pleno diuinitatis ſplendore claritateq; nobis aperiret. Hoc longè ſaluberrimum munus eſt, quo Prophetæ non humano,ſed diuino afflati ſpiritu funguntur: qui medij inter Moſem & Apoſtolos abditorũ Dei conſiliorum interpretes ſunt. Nam quæ ſub inuolucris rerum & perſonarum de Chriſti regno tectius & occultius Moſes conſignauit, Prophetæ de eo clarius in Moſæas tenebras & umbras illata luce monent: ſed quæ lux ita illata intelligatur,quam lumẽ quod noui fœderis legati afferunt, claritate longè ſuperet:qui nimirum ſpiritus,non literæ,lucis,non umbrarũ,uitæ, non mortis,retecti uultus,non uelati (qualis Moſaicus uultus fuit) miniſtri habeãtur. Siquidẽ quæ Moſes & Prophetæ obſcurius de Meſsia & eius regno uaticinantur,Apoſtoli per Euangelij diſpenſationẽ perſpicuè lucideq;, ut repreſentati exhibitiq; Chriſti lucis mundi teſtes ac doctores, interpretãtur. Qua in re admirabilẽ Dei tum ſapiẽtiam tum benignitatẽ cernere licet. Sapientiam quidem, qui ut in creatione mundi non prius ſuauiſsimam lucem quæ cuncta colluſtraret, & colluſtrata diſtingueret, è theſauris ſupracœleſtis lucis eduxit, quàm tenebræ abyſſum, confuſamq; illam qualis initio fuit cœli & terræ molem obſediſſent: ſic in uniuerſitatis huius inſtauratione nõ antea Meſsias lux qui cuncta illuminando repararet, mundo,in quarto millenario,ut ſolis aſpectabilis quarto creationis opificij mundani die, cœpit affulgere, quàm Moſaicæ tenebræ & adumbrationes,quib.Chriſti IESV regnũ & ſacerdotiũ adumbraretur, in ueteris fœderis adminiſtratione præceſsiſſent. Diuina aũt benignitas in eo elucet, quòd hæc pro captu noſtro per eas res ſe patefacit,quę in noſtrã

intelligentiam cadunt: ut ſunt in mundo hoc res aſpectabiles, in quibus rerum cœleſtium & diuinarum umbræ ac figuræ apparent. Nam cum in uno homine duo homines cernantur, alter qui foris eſt ſenſibus præditus, alter qui intus mente proxima diuinæ naturæ, in qua per filium Meſsiam habitet, ſede ornatus: mens autem in fungendo ſuo munere ſenſibus rerum quę ſentiendo capiuntur, nuncijs utatur: placuit Deo, ſeſe ad noſtrum intelligendi modulū & rationem attemperanti, multiplici figura & imagine Meſsiæ regnum pręfigurare, & pictoris more uarijs lineis id prius adumbrare, quàm lumen & lucem eius oſtenderet. Quæ eius præſtans & excellens ſapientia & bonitas eſt, cum ſumma efficiendi id quod uelit, ui coniuncta. Itaque poſt Moſem, quoniam prophetæ in deſcribendo Meſsiæ regno, modò inuolutam, modò euolutam rationem uſurpant: uiſum eſt nobis, poſt Commentarios in Moſem editos, in quibus pręcipuè ex Moſææ legis tenebris adumbratum in eis Chriſtū pro gratia Dei nobis cōceſſa, pro uirili eruere ſtudemus, ſacrorum uatum explicationem parare. Quorum interpretes arcana Dei conſilia, quæ is in ſelecta Iſraelitarum gente ab Abrahami temporibus uſque ad exhibitum mundo Meſsiam, & ab hoc uſque ad noſtra tempora, & in finem uſq; mundi per ſacram unctionem cōſiderata habere conueniet. Etenim ut Iſraelitarum populum Deus ſelegerit, in quo omnes quæ Eccleſiæ electorum accidunt caſus præſignificaret, docti ſpiritu homines tum ex uetere tum nouo Teſtamento, & euentu ac exitu ipſo, prophetarum fido interprete, intelligunt. Cur autem Ieſaias propheta potiſsimum à nobis enarrandus poſt alios pios & eruditos uiros ſuſceptus ſit, tria in cauſa ſunt. unum, uaria eius doctrina eſt: alterum, autoritas, qua is propheta ualet: poſtremum, noſtrorum temporum ratio, quæ limes & terminus ſunt impletionis omnium prophetarum. Doctrinæ ſancti prophetæ pars quædam, Decalogum ad pœnitentiam agendam accuratè diligenterq; docet, atque eum identidem rebelli contumaciq́ue populo inculcat: quædam uerò

legis,

legis, quæ in mysticis ceremonijs uersatur, σκιαγραφίαν, hoc est umbrarum rationem explicat: quædam demum oracula continet, quorum alia casus qui Iudæis & Hierosolymæ externisq; gentibus euenturi erant, exponunt: ut sunt prophetiæ quæ de Assyrijs, Babylonijs, Persis, Græcis & Romanis editę leguntur. Postremò prædictiones multò saluberrimæ de Messia sospitatore occurrunt, quibus eius ortus, natura, munus, regnum atque sacerdotium explicantur. Siquidē omnium uatū mos is perpetuus fuit, ut sub narrationem earum rerum quę Israelitis contingerēt, ad euoluendos mysticæ historiæ typos atq; figuras de CHRISTO IESV Domino nostro, & de eo statu quem his nouissimis temporibus in patefactione Euangelij Israelitæ & gentes essent habituri, concionē componerent. Hoc autem cum facerent, nec de Antichristo, quis & qualis futurus, & quam originem, & ubi qualemque sedem habiturus esset, sermonem prætermiserunt. Atque hunc partim tectius sub Babyloniorum, Assyriorum, Græcorum & Romanorum nominibus: partim clarius, sine umbris describunt. Nullus tamen prophetarum copiosius & maiore cum uarietate de utriusque Christi & Antichristi regno, ut suis locis indicabitur, quàm Iesaias uaticinatur, & uaticinando explicat & enarrat. At uerò nemo existimare debet, nos cùm ex prophetarum sententia ad illustrandam gloriam CHRISTI, ex altera parte aduersarij regnum describimus, eorum qui in illo continentur, personas odiosius uelle perstringere. Absit enim hoc à nobis, quibus non cum personis in quas inuehamur, sed cum doctrina Euangelio contraria quam refellamus, res agitur: personis Dei iudicio relictis. Nam non dubitamus, in regno isto tenebrarum semper repertos, & etiam nunc reperiri, qui pietatis quodam zelo ac studio per ignorantiam, errores secuti sint, & infestos ijs se ostenderint & ostendant, qui contrariam doctrinam amplexantur: quorum animos ut clemens pater Domini nostri IESV CHRISTI, sacrosancti Euangelij sui lumine collustret, ex animo cupimus. Hactenus de

doctrina prophetæ Ieſaiæ: de authoritate deinceps loquemur. Hanc quantam ei cœleſtis doctrinę conciliarit, tum eius ſeculum in quo uixit, tum ſequentia tempora quibus regnum Meſsiæ patefieri cœpit, declarant. Si prophetæ tempora ſpectemus, pietate & rerum geſtarum gloria clariſsimus rex Ezechias occurrit: apud quem, ob diuinum ſpiritum, quo uates inſpirati Dei oracula nobis expoſuerunt, quanta huiusinſignis uatis exiſtimatio fuerit, ex ipſa ſacra hiſtoria patet. Huius enim cõſilio, hortatione, aſsidua ad Deũ precatione, frequentib. de paranda pœnitẽtia, de amplexanda uera religione & relinquenda falſa concionibus, ut Hierosolyma grauiſsima Aſſyriorum obſidione liberata ſit, ex Regum hiſtoria liquet. Qua de Ieſaiæ fide, probitate, & conſtantia, hoc apud Ieſum Syrachum teſtimonium extat: Nam fecit Ezechias rex quod placuit Deo, fortiter uerſatus eſt in uia Dauidis patris ſui, quam præceperat Ieſaias propheta ille magnus, & in conſpectu Dei fidelis. Quod ſi res aduerſæ & uarię uexationes ob ueri cultus Dei profeſsionẽ toleratæ, ſanctos prophetas commendant, & eis excellentem fidei, fortitudinis & conſtantiæ opinionem pariunt: in quanta autoritate meritò Ieſaias haberi debeat, non eſt obſcurum: qui improbitatem improborum regum, perfidiã ſacerdotum, uanitatem falſorum prophetarum, atque pertinacis populi rebellionem ſummo ſtudio animiq; ardore, ſuo etiam uitæ periculo, minimè ueritus ſit acriter reprehendere, atq; caſtigare. Ob quẽ conſtãtẽ in uero Dei cultu & religione tuenda, & falſa confutanda animum, eum à Manaſſe ſanguinario tyranno ſerra ſectum, literis proditum eſt. Hinc accidit, ut ob præclaras animi uirtutes, etiam poſteris patefactionis Meſsiæ tẽporibus in magna exiſtimatione propheticæ ſapiẽtię habitus ſit: ut inſignes animi dotes & cœleſtia Dei munera, quibus ſancti ornantur, non ſecus atq; umbra corpus, laus, & ea uera atq; æterna comitari ſolet. Nullius enim prophetæ dicta ſæpius, & à pluribus in noui fœderis adminiſtratione citari, Euangeliſtę, Apoli, & Chriſtus ipſe documento ſunt. CHRISTVS ſiquidem,

dem quantopere huius prophetę oraculis oblectatus sit, argumento sunt non uno in loco ab eo ex illius libro adducta testimonia, qui intelligeret nullum uatem de sua origine, natiuitate, cruce, resurrectione, regno, uberius clariusq; uaticinari. Itaque is cum quodam die Nazarethum, ubi fuerat educatus, uenisset, Sabbathorũ die in synagogam pro more docendi gratia ingressus, traditum sibi Iesaiæ librum aperuisse apud Lucam legitur, & in eo oblatam prophetiam illam, Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, explicauit, & de se esse editam his uerbis indicauit: Hodie impleta est scriptura hæc in auribus uestris. Et pater etiam ipse dignatus est filium IESVM CHRISTVM, Iesaiæ prophetæ uerbis commendare, & de eo testimonium suũ confirmare, ubi dicit: Is est filius meus dilectus, cui ego faueo. sic enim apud Iesaiã legitur: חן עברי אתמך בו בחירי רצתה נפשי id est, Ecce seruus meus cui innitor, electus meus cui fauet anima mea. Similiter patri cœlesti per angelum Marię uirgini, ex ea Christũ IESVM nasciturũ esse, denunciare placuit, usurpatis uerbis quæ Iesaiæ uaticinium ea de re habet. Sic enim apud eum legimus: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium. Angelus autem his uerbis uirginem allocutus est: Ecce concipies, & paries filium. Iesaias habet, Et uocabis nomẽ eius Immanuel: Angelus uerò, Et uocabis nomen eius IESVM. is enim liberabit populum suum à peccatis suis. Sed quid hoc aliud erat, quàm quod Iesaias prædixerat, eum Immanuelem appellandum, uitia enim & delicta delere, proboſq; ex improbis, remissis peccatis & donato spiritu sancto efficere diuinitatis opus esse, testati etiam scribę sunt, cum sentirent contumelijs affectũ Deum à Christo, quòd dixisset: Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Prętera Iesaias dicit natum ex uirgine filium, principatum & pacem in solio Dauidis in omnem æternitatem habiturum. angelus uerò ex sententia Iesaiæ his uerbis: Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauidis patris eius, regnabitq; super domum Iacob in æternum. At hoc regnum in omnia infera, terrestria & supera, cùm Deus pater non

prius

prius illi tradere ſtatuiſſet, quàm confecto crucis curſu è morte ad uitam excitatus eſſet, & nemo de hoc clarius Ieſaia meminiſſet, apoſtolus Paulus ex illo de Chriſto, ut culpam noſtram tanquam piacularis uictima lueret, teſtimonium citare uoluit, ubi ait: Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnib. tradidit illum, quî fieri poſsit ut cum eodem nõ omnia nobis donet? Quippe quantum ad Chriſti pro nobis factam immolationem pertinet, ſic ait Ieſaias: Et infirmitates noſtras ipſe tulit. item: Si poſuerit animam ſuam אשם, hoc eſt pro hoſtia delicta expiante. Quantum uerò ad iuſticiæ & uitæ dona attinet, idem Propheta de his in hunc modum docet: Scientia ſui iuſtificabit ſeruus meus multos. Item de gloria cœleſtis regni, qua ſint illuſtrandi filij Dei, idem Apoſtolus ex eodẽ propheta ſic monet: Quemadmodum ſcriptum eſt, quæ oculus nõ uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Dominus diligẽtibus ſe. Ex his igitur cognoſcimus, quanta autoritas Ieſaiæ ſit, ſemperq; fuerit: ex cuius libro teſtimonia Angeli, Euangeliſtæ, Apoſtoli, Chriſtus ipſe, & eius Pater expromere, & cœleſtes de regno cœleſti ſermones contexere dignati ſunt. Verùm enimuero non ſolum de Meſsia, ſed etiam de corpore eius Eccleſia, ex hoc uate afferuntur teſtimonia. Paulus in Epiſtola quam ad Galatas ſcripſit, confirmaturus cœleſtem eſſe Hieroſolymam, quę cum ſterilis fuiſſet, liberos non ex carne, ſed è ſpiritu Meſsiæ longe maiore numero pariat, quàm peperiſſet habens maritũ, citat magna noſtri conſolatione ex Ieſaia locũ, ubi ait: Lætare ſterilis quæ nõ paris, quoniã plures liberi deſertæ, quàm eius quę habet maritũ. Similiter facit ſanctus Ioannes in ſua ſacra Apocalypſi, in qua oſtenſurus quàm claritatem eccleſia habitura ſit, de ea ſic loquitur ex Ieſaiæ ſententia: Ciuitas non eget ſole, neque luna ut in ea luceant. nam claritas Dei illuminant eam, & lucerna eius eſt Agnus. Equidem ſic ait Ieſaias: Non amplius tibi ſol interdiu lucebit, neque lunæ ſplendor tibi illucebit, ſed erit tibi Dominus lux æterna. Prætermitto alia quæ multa ſunt teſtimonia, quæ de

regno

regno Meſsię & eius ſponſa Eccleſia ex hoc uate producun tur. Atque hoc in cauſa fuit, cur Ioannis Apocalypſim expli care, & eius explicationem cum enarratione Ieſaiæ coniun gere inſtituerim, quam nimirum animaduerterem Moſæ & Prophetarum abdita oracula tanquam de cœlo da tam clauem aperire. Præterea non ſolum de Chriſto & eius ſponſa Eccleſia, uerùm etiam de aduerſario eorum ex Ieſaiæ autoritate proferuntur. Porrò apoſtolus Paulus in altera quam ad Theſſalonicenſes ſcripſit epiſtola, docet, filium perditum ſe ſupra omne id quod Dei numen eſt ef ferentem, ſpiritu oris Dei per claritatem aduentus Meſsiæ deletum iri. atque ad id confirmandum Ieſaiæ oraculo uti tur, ubi ait: Spiritu oris ſui interficiet impium. Idem, ubi in epiſtola ad Romanos altiſsimi de reiectione & reconcilia tione Iſraelitarum myſterij meminit, per quem & qualem Chriſti aduentum Iſraelitæ cum Deo maiorum ſuorum re dituri in gratiam, & gẽtes ex Antichriſti regno liberatæ ple niore numero ſaluãdæ ſint, ex Ieſaia oſtendit, ubi ait: Ad ueniet ex Sion ille qui liberat, & auertet impietatẽ à Iacob. Nouit enim ſanctus Apoſtolus, in Chriſti & Antichriſti per lumen cœleſtis Euangelij occulta abditaq; Prophetarum oracula patefieri. ad quam patefactionem ſpectãs Ioannes dicit, in his nouiſsimis temporibus conſummandũ eſſe my ſterium Dei, quod ſuperioribus temporibus occultatum & obſignatum fuerat. Quod demum ad rationem noſtro rum temporum attinet, ut hæc nos ad Ieſaiam & Ioannis Apocalypſin explicandam mouerit, in ipſa Explicatione cauſſa conſtabit. Hunc aũt noſtrũ conatum & laborẽ oro qui noſtros Cõmentarios legent, boni conſulãt, liberumq; ab affectionib. animum adhibeãt: & nõ nos, qui in Eccleſia ſcriptorum in libro uitæ loquimur parui & exigui, ſed pa trem Domini noſtri IESV Chriſti reſpiciant, quẽ hoc ſcri pto celebrare, & ſponſam eius Eccleſiã in hac redemptio ne eius ex ſpirituali Babylone extruere, eamq; uarijs affli ctionibus affectam conſolari laboramus. Quam Chriſtus ut ſponſam ſuam dilectã his poſtremis temporibus, quibus

Deus

Deus terram anathemate ob incolarum improbitatem feriet, ex omni miseria, ut Rex regum & Dominus dominantium liberare, & eam ex opprobrio crucis tandem ereptam in splendorem cœlestis sui regni transferre uelit, ut impleatur illud: Astitit regina à dextra tua in uestitu deaurato. Cui regi Messiæ, quem cœlestia, terrestria & infera ut Deum fortem, Dominum exercituũ, & huius Vniuersitatis Imperatorem, flexis genibus adorant, sit gloria & honor in omnem æternitatem: Amen.

IN IESAIAM PROPHETAM,
MARTINI BORRHAI COMmentarius.



ISIO Iesaiæ.) Titulus est, argumentum Oracularium concionum Iesaiæ continens: in quo populus, cui exponuntur oracula, & tempus, quo illa edita sunt, indicantur. Populus Iudæi sunt, & Hierosolymæ ciues: tempus in eo ostenditur, quòd noster Propheta dicit se Ozia, Iothamo, Achazo & Ezechia regnantibus prophetasse. Atq; is statim ab initio autoritatem concionibus suis conciliat, & attentos eos quibus loquitur reddit, cum se de suo nihil quod rationis humanæ oculis uiderit, sed quæ diuina illustratus luce contemplatus sit, afferre dicit. At uerò non unum uisorum, quæ sanctis uatibus præsentata sunt, genus est. Nam quædam inuolutiora & perplexo spectro implicata illis monstrata sunt: quale, Ezechielis de legatorum Dei quadriga, & Danielis de quatuor bestijs è mari ascendentibus, & Zachariæ de uolumine uolante, atq; Esdræ de aquila, uisum fuit: quale etiam uatis nostri Iesaiæ oraculum est, in quo ei Dominus seraphim stipatus cum fumante templo apparuit. Quędam uerò simpliciora & explicatiora sunt: qualia in prioribus Prophetæ nostri sermonibus proponuntur. Qua in re diuinam sapientiam & bonitatem cognoscere licet: sapientiam quidem, qui tanta uarietate Prophetis ad eos illuminandos se repręsentet: bonitatem uerò, qui non pro maiestate sua, quam infirmitas nostra minimè ferret, sed pro captu eorum quibus cum loquitur, sese insinuet. Et ut uisa quæ nobis exhibet, ex rebus in nostrum aspectũ & intelligentiam cadentibus conformantur: ita etiam diuinus sermo ad nostri sermonis rationem attemperatur. in quo humana Deo tribuũtur, ut diuina & cœlestia ad nos transferantur. Augusta uox est Visum, qua existimatio sanctorum Vatũ declaratur, qui in diuinitatis consortium admissi, diuina & cœlestia cernant, quæ ijs qui sacro Dei fœdere continentur, tanquam interpretes exponant atque enarrẽt. ut est apud Amos uatem: Quoniam non faciet Deus quicquam, nisi patefecerit arcana sua seruis suis Prophetis. Quæ arcanorum Dei patefactio in חזון indicatur. in qua uoce primò lux Dei nobis cõsideranda proponitur, uatũ oculos illuminãs in uerbo Messia. de quo lumine Dauid canit: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Deinde in eadẽ illa uoce uis ipsa uidendi, qua Prophetæ præditi sunt, expenditur: quę in mente illorum sacri spiritus uis est, quo afflati hi ipsi consilia Dei intelligunt, & ea in usum Ecclesię exponunt. De qua facultate & ui Petrus in hunc modum loquitur: Non enim uoluntate humana allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti homines. Postremò res offeruntur, quæ in hanc lucem & uidendi facultatẽ incidunt, & per eam patefiunt ad salutem electis procurandam. ut sunt, uerus Dei cultus, & reprobatio falsi, pœnitentia, de casibus tum prosperis tum aduersis populi electi, & de Messiæ regno longè lateq; in orbe terrarũ per Euangelij prædicationem constituendo prædictiones. Cæterùm, quoniam Propheta noster in suis concionibus tum de futuris rebus oracula exponit, tum eorum interpretationem ad terrendum & consolandum, ad admonendum & castigandum adhibet, eaq; docet quæ intersit ad salutem explorata habere: Paraphrastes Chaldęus pro חזון, hoc est uisum, נבואה, hoc est prophetia, uocem quæ totum oraculorum Dei genus exprimit, nobis reddit. Hoc uniuersum genus Apostolus his uerbis explicat: Cæterùm qui prophetat, hominibus loquitur

quitur ædificationem, exhortationem & consolationem. Quas aũt subiectas formas ac species habeat genus prophetia, ea de re in Mose mentio facta est.

Filij Amos.) Non quidem Amos uatis, qui tertius inter duodecim memoratur, qui nõ אמרי, sed עמוס dicitur. Cæterum incertum est, ex qua tribu & quo genere natus sit Iesaias. Vetus Hebræorum Cabala est, Amoz & Amasiam regem Iudæorum fratres fuisse. Quod si ita est, regium genus non parum splendoris Iesaiæ uati attulit: ut mirum non sit, eum etiam liberiorem fuisse in reprehendendo, & cæteris eloquentiorem: cuius genus dicendi uehemens, amplũ & splendidum habeatur. At quoniã hæc de Iesaiæ uatis stirpe sententia ex historia sacra non probatur, de ea non contenditur in præsentia, Iesaiam diuino spiritu non à genere & origine terrena, sed à diuinis oraculis comprobante, quæ in Messia nouos & cœlestes homines generant, ueteres abolent.

Super Iudam & Hierusalem.) Quæ Iudæis, iam funestam & luctuosam euersionem ob defectionem à fœderis diuini fide sentiente Samaria, euentura erant, denunciat Iesaias. Dicat aliquis, etiam de alijs gentibus, ut de Assyrijs, Babylonijs, Moabitis, Aegyptijs, Idumæis, & cæteris finitimis Iudææ populis: item de Messia, & eius regno, deq; gentium ad Euangelium uocatione, de Antichristo, de Ecclesiæ quem nouissimis temporibus erat habitura statu, & de innouando mundo, oracula à Iesaia uate edita. Fatemur quidem hæc quoque in Iesaiæ oraculis tractari: at quoniam ea ad Hierosolymam, & Iudæam tribũ, in qua Beniamensis comprehenditur, referuntur, in mentione Iudæ & Hierosolymorum, quæ iam memorata sunt, complecti Propheta uoluit. Referuntur autem ad Hierosolymam reliquæ gentes, quatenus eam uel hostium ritu uexant, uel ad eius fidem ac religionem Messiam profitentes confluunt. In altero genere Assyrij, Babylonij, Aegyptij, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, Palæstini, Græci & Romani continentur. in altero, ij de quibus uates noster meminit, ubi ait: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini, & fluent ad eum omnes gentes. in quibus, qui Abrahami ex promissione soboles sunt, ad mysticam Hierosolymam pertinent, tanquam oleaster ad oleam, & quadã ratione ut res ipsa figurata ad figuram, & corpus ad umbram. Dico quadam ratione, ne quis putet Iudæos secundum carnem, figuram solum eorum Iudæorum qui spiritu Iudæi sunt, præferre: non etiam in eis qui uerè Iudæi sint, ex promissionis spiritu reperiri: cum nihil impediat, ex carne & spiritu Iudæum esse, ut in illa gente sancti homines, Reges, Sacerdotes, Prophetæ, Apostoli, & CHRISTVS ipse natus Iudæus, documento sunt. Quomodo autem de Messiæ imperio uaticinia à Iesaia exposita, ad Hierosolymę ciuitatis Dauidæ gnum referantur, id nobis Apostolus indicat, ubi ait: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Eiusmodi umbra, ut in Hebræa gente, eiusq; terra, regno, sacerdotio, templo & eius ceremonijs consideranda sit, alio loco monstratum est. Similiter iudicandum est de spirituali Babylone, quæ per illam Babylonẽ qua Hierosolyma, in Chananea sita, uexata fuit, adumbratur. Quapropter cauendũ fuerit, ne herẽtes in litera, omnia quę hic dicunt de Iuda & Hierosolyma, de terrena solũ Hierosolyma & Iudęis ex carne, accipiamus: sed subducto uelo, spiritualia spiritualiter, & corporata corporatè, typicaq; typicè dijudicantes, pleraq; etiam alteri Hierosolymę, quę electorũ in Christo Ecclesia est, euenisse, euenire, & euentura, intelligere debemus, quæ sub figura Hierosolymę mysticę, à suis Regibus & externis populis euenerunt. Nam scriptura diuinitùs inspirata, pariter omnibus scriptis in libro uitæ, qui in cœlestis Hierosolymę nomẽ transeunt, cõgruit, siue diuinã clementiam, siue iram, siue res prosperas, siue aduersas, siue consolationẽ, siue seueriorẽ durioremq; castigationẽ spectemus. Ex contrario idem iudiciũ de Assyrijs & Babylonijs, de Græcis & Romanis, quorũ nomina Hebræę genti infesta cũ legũtur fuisse,

in rebus

in rebus ab eis gestis hæreſcendū minimè fuerit. Nam prophetæ, ſub nominibus illorū generatim ſceleratis omnib. Eccleſiæ hoſtibus Dei iudiciū, quo obterantur, minari ſolent. Etenim quemadmodū in Iudæis & Hieroſolyma ſtatus Eccleſiæ, quem in finem uſq; mundi habitura ſit, typi præformantur: ita & in hoſtibus Aſſyrijs, Babylonijs, & reliquis pleraq; adumbrantur, quæ in Antichriſti regno aperte & ſine figura deſignantur. Omnino enim reducto myſtici populi & eius regni uelamine, in ſacris literis duo, quorū admoneant, propoſita ſunt, in quæ tanq; in ſcopum collimant. alterū CHRISTVS eſt, & eius ſponſa Eccleſia: alterū Antichriſtus, & eius corpus impiorū colluuies. De utroq; genere in Moſe & Prophetis uaria exhibentur teſtimonia, ſed non pari claritate: alia tectioria, ſub ceremoniarū perſonarū et rerum geſtarū inuolucris: alia apertiora. Sed longè clariſſima in Noui fœderis monumentis ſuppeditantur. Vnde accidit, ut meritò Noui teſtamenti doctrina per Apoſtolos diuulgata. Moſę & prophetarū interpres habeatur: quæ nimirum ſpiritus, non literæ, lucis, non umbræ, faciei, non ueli adminiſtrationē continere iudicetur. In prophetis igitur explicandis iudiciū diuini ſpiritus adhibendū fuerit, ut hiſtorijs accuratè expenſis, tum rerum geſtarū, tum perſonarum myſtica ratio, ad Eccleſiæ uſum adhibita fidei norma accōmodetur. Nam in his duobus, myſteriorū diuinæ ſapientiæ uerſatur materia: in rebus ſcilicet, & perſonis. In rebus quidē ceremoniæ, & ea è quib. ceremoniæ petuntur, ut ſunt elemēta mundi, & res ex eis cōflatæ, atq; res geſtæ, continentur: in perſonis aūt, Iſraelitæ reges, & ſacerdotes cōprehenduntur. De ſingulis, & eorum uſu, ad formandos animos ſalutari cognitione Domini noſtri IESV CHRISTI, qui finis Moſæ & prophetarum eſt, ſuis locis meminerimus, quantū pro clementia ſua cœleſtis pater, per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum nobis conceſſerit.

In diebus Oziæ.) Duplex huius nomen eſt. nam & Azarus nominatur. Huius res geſtas, ut ex Paralipomenis patet, Ieſaias conſcripſit. Regnauit autem is quinquaginta duos in Iudæis annos.

Ioatan.) Filius Oziæ, ſub quo ſexdecim annos Ieſaias prophetæ munere functus eſt. nam totidem annos ille regnum adminiſtrauit.

Achaz.) non peſsimi parentis, peſsima ſoboles. Similiter patri quoq; ſedecim annos regnauit. Sub utriſq; igitur Ieſaias triginta duos annos, non ſine uexatione & periculis, conſtanter prophetam egit.

Ezechiæ.) qui improbi parētis probus filius fuit. Ex quo intelligimus, probitatem nō hæreditario iure, in liberos à parentib. dimanare: ſed hanc clemētiæ diuinæ in Meſsiæ ſanguine ab origine mundi fuſo, liberale & gratuitū munus eſſe. Hoc Rege imperāte, Ieſaias uates oſtēdit quid propheticū munus docendo, hortando, caſtigando, precandoq; præſtet. Etenim uate noſtro prophetante, ante Hieroſolymā maximus Aſſyriorū exercitus cœleſti angelo pro electis reliquijs pugnante, miſerrimè periit. Habuit cōtemporaneos uates Ieſaias, Ioelem, Amoſum, Oſeā, Michęā. Et quia Ezechias XXIX annos regnauit, ex annorū quos iam memorati reges ad reipublicæ gubernacula ſederunt, numero colligitur, Ieſaiā ſatis iuſto tēpore uatis munus obijſſe: de tēporis tamē modo nō conſtat. Nam incertū eſt, quot annos prophetarit ſub Ozia. Aeque è dubiū, Ezechia ne regnāte, an Manaſſe, defunctus ſit. Qui enim Eſaiā ſerra diſſectū à Manaſſe tradūt, Hebræorū cabalā, nō hiſtoriā. quæ quidē literis ſacris prodita extet, ſequunt. Quò referunt illud in epiſt. ad Hebræos: Alij inſuper lapidati, alij diſſecti ſunt. Neq; multo certius eſt, quo tēpore cœperit Ieſaias prophetę officio fungi. Siquidē ſunt, qui mortuo Ozia illum prophetare cœpiſſe uolūt, quòd infrà legatur: Quo anno mortuus eſt rex Ozias, uidi Dominū ſedētem ſuper ſolium excelſum. Alij uerò ſentiunt, regnante illo, Ieſaiam uaticinatū. ex quo hic ſcriptū eſt, Temporibus Oziæ. Qui huius ſentētiæ ſunt, dicunt, uiſum

de quo infrà fit mentio, non ut omnino primum memorari, quod Iesaias uiderit: sed solum tempus indicari, quod tam amplum & diuinum uisum ei præsentatum sit, cui antea etiam alia potuerint præsentari.

Audi cœlũ.) Attentionẽ in exordio hoc per inexpectatã prosopopœiã excitat, in qua cœlo & terrę, mutis mundi elemẽtis, auditũ, Mosem imitatus, tribuit: qui similẽ reprehensionẽ in Israelitarũ scelera instituit, eadem figura orationis coloratã: Audite cœli quæ loquor, audiat terra uerba oris mei. Neq; uerò mirum est, cœlũ & terrã pro testib. inclamari: quòd hæc benedictionẽ obedientibus Deo afferant, & maledictionẽ inobedientibus. Sic enim apud Mosem legimus: Cœlũ uestrum instar ferri, & terrã uestrã instar æris. Horũ elementorũ alterũ lumen, spiritũ, motum, rorem et pluuiã, terram ad germinandũ fœcũdantem, præbet: alterũ stirpes parit & animantiũ uaria genera, cœli spirabilem cũ fœtifico calore et humore uim sinu suo excipiẽs producit: ut meritò cœlum & terra in iuratis testibus & obedientiæ & inobedientiæ eorũ qui cœlo & terra fruuntur, habeãtur. Itaq; de his sic loquitur alio loco Moses: Testor in uos hodie cœlũ & terrã, uos breui subla tũ iri de terra, si Deum uestrũ crimini b. imitaueritis. Eódem spectans uates noster Iesaias, cœlũ & terrã certos diuinę equitatis & perfidię rebelliũ liberorũ testes appellat: Audi cœlũ, & ausculta terra. Accedit ad hunc testificãdi usum, cœli & terrę firmitas, & stabilis natura, quæ cæteris nascentib. & intereuntib. permanet. Quapropter hic uocãtur cœlũ & terra, ut fidi gloriæ diuinæ aduersos cõtumaces liberos uindices & testes: O uos cœli & terra, Deũ audite, quẽ Israelitæ rebelles filij audire nolunt: & nisi resipiscant, uos in eos rebellionẽ tantã ulciscamini: tu cœlũ quidẽ, negata pluuia & rore, & immisso grãdine, & uredine: terra uerò, negãs prouentũ tuũ. Sic cœlum audiuit rectorẽ suũ Deum, cum apertis feneſtris, 40 dies in sceleratos pluere t, ut diluuio perirẽt inobediẽtes Deo, qui per obedientiã seruari noluissent. Sic auscultauit Deũ suum idem cœlũ, cum ignem & sulphur supernè demitteret ad Sodomorũ & Gomorręorum flagitiosam gentem disperdendã. Sic sub testimonio diuinæ iusticiæ terra creatorẽ suum audiens, absorpsit Dathanem & Abironem, rebellantes uerbo Dei homines. Præterea Moses & propheta cœlum & terrã in reprehensione Israelitarũ appellant: quòd ex altero Deus locutus est, cum legẽ per Mosem, cuius hic Iudæi transgressores redarguuntur, promulgaret: alterum elementũ contremuisse dicitur. Sic enim de cœlo legimus in Deuteronomio: De cœlo ut audiretis uocẽ, fecit Dominus uestri erudiendi gratia: de terra uerò, & plurimum tremuit. Scitè igitur Paraphrastes: שמעי שמיא, ורעי כר יחבית אוריתי לעמי ואציתי, ארעא דאתרגשת, מן קדם פי יהגמיו. Postremò appellantur cœlum & terra, propter eos qui in eis uersantur, nota loquendi forma. Cæterùm multitudinis numero שמים uox usurpatur, quòd plures cœli sint: de quorum ratione & numero, alio loco mentio facta est. Solet hic quæstio moueri de cœlis, an animati sint, nec ne, ex eo quòd eis tribuitur audiendi sensus: Audite cœli. quæ quæstio, quoniã in explicatione Historiæ regum exposita est, ea hic supersedebimus.

Quia Dominus locutus est.) Cõmendat primò Dei uerbũ, cui auscultare cõueniat: deinde suã auctoritatẽ confirmat, qui nõ humana somnia & cõsilia, sed diuina oracula exponat: demũ, ad declarandã prophetarum dignitatẽ, ostendit perinde esse prophetã loqui atq; Dominũ, quòd is per illos ipsos loquatur. Siquidẽ & prophetæ, & Dominus ipse, pectus & os prophetarum sacro spiritu regens, loqui dicuntur. Quare Dominus noster Christus sic ait: Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Quod est hic, Quia Dominus loquitur: per me uidelicet, suorum oraculorum ministrum & interpretem. Officina igitur cùm sint oraculorum Dei sancti uates, qua fide audiri hi debeant, intelligunt ij, de quibus caput prophetarum

Messias

Messias benedictus sic loquitur: Qui ex Deo sunt, uerbum Dei audiunt.

Filios genui.) Narrantur uitia rebellium liberorum, initio facto à defectione à parentis Dei fide: quod crimẽ in tabulam Mosææ legis primam commissum, quoniam fons est cæterorum criminum, primò id reprehenditur. Graue uitiũ est, malefacere ei à quo læsus non sis: sed grauius, de benemerito male mereri: longè uerò grauissimum, si parentem, à quo uitam, animi cultum, uictum & hæreditatem cum honoribus accepisti, dehonestaris. Parentem se hic fatetur Deus, & Israelitas filios suos, quos magna cura educarit & euexerit: quod Hebræa uerba significant. Augetur igitur scelus ingratitudinis ex locis personarum. Quò pertinet querela illa: Si ego sum pater, ubi est honor meus? Si Dominus, ubi est metus mei? Terreni parentes, ex uitioso semine liberos suos ad terrenam uitam generant. Cœlestis pater Deus, è semine uerbi sui immortalis, quod Messias est, generat filios ad uitam cœlestem, suæ diuinæ naturæ, quæ spiritus eius sacer est, consortes: Tanto maiore ueneratione habẽdus fuerit is pater, de cuius educandi liberos suos cura sequitur. *Malach. i.*

Genui.) In Hebræo uerbo educationis cura exprimitur, quam his uerbis Moses in Deuteronomio exponit: Inuenit eum in terra deserta, in uasta & ferali solitudine, circumduxit, docuit, quasi pupillam oculi sui custodiuit: ut aquila nidum suum excitans, sese supra pullos suos leuat, alisq; passis exceptos pennis suis tollit. Hæc mystica sunt: de corpore ipso, & re, mox explicabitur diuini spiritus sententia. *Deut. 32.*

Et exaltaui.) ex depressa & humili Aegypto, in sublimem & in edito loco sitam terram, per Arabum solitudinem eos transtuli, regio sacerdotio exornatos. Hanc dignitatem & splendorem regiæ libertatis, absterso abiectæ seruitutis sordibus, significari in extollendi euehendiq; uerbo וירוממיהו Moses indicat, ubi in Deuteronomio post mentionem de solitudine factam, monet Israelitas in fastigia terræ subuectos, cum ait: Et subuexit eum in excelsa terræ. Itaq; Paraphrastes pro euehendi uerbo reddit, Gloria & honore auxit eum: regni uidelicet & sacerdotij gloria, cum sapientiæ diuinæ muneribus. De qua excellentia Israeliticæ gentis, uideris in Deuteronomio. Sed hæc omnia superant oracula de Messia, saluatore mundi, qui ex illorum stirpe erat procreandus. Cæterùm si historiam mysticam spectes, quanta potentia floruerint Iudæi Oziæ tempore, documento sunt ad orientem Amonitæ tributarij facti, & ad occidentem Palæstini satis afflicti, nomine Oziæ regis usq; ad Aegypti fines celebri. *Deut. 4.*

Ipsi autem spreuerunt me.) Obijcit rebellionis & defectionis crimen, quod in Hebræo uerbo significatur. Quare Paraphrastes reddit: Rebellarunt uerbo meo, quod est Messias. Quem ut reprobarint, mox indicabitur: & submota figura Israelitarum ex carne, quam latè pateat hæc reprehensio, suo loco ostendetur.

Cognouit bos possessorem suum.) Amplificatur ingratitudo per contentionem, adhibita comparatione maiorum & minorum. Bos animal brutum, aratris carpentisq; trahendis natum: & asinus, stolidum animal, atque contumax, præsepe domini sui etiam uerberatus agnoscit: Israelitæ homines, & diuinis oraculis exornati, & in meos filios adoptati, me & creatorem & genitorem suum non agnoscunt: filio etiam meo Messia, toties ipsis promisso, repudiato. Quem de hac ingratitudine sic cum Hierosolymis expostulantem legimus: Quoties uolui congregare filios tuos, sicut gallina pullos sub alas suas, & noluisti? Apud Hieremiam, Israelitarum contumacia in neglecto salutis tempore, simili comparatione per contentionem augetur: Miluus, turtur hirundo & ciconia, obseruant tempus aduentus sui: populus autem meus tempus diuini iudicij nescit, amissa laude intelligentiæ atque sapientiæ, à *Hier. 8.*

qua his uerbis in Deuteronomio laudatur: En populus sapiens & intelligens, gens magna.

Væ genti peccatrici.) Ad amplificandam rebellium liberorum in malo pertinaciam, incrementum adhibet, lugentis patris tam degenerem naturam, uoce assumpta: Heu gens improba, uitijs grauata, stirps malefica, nati perditi. In hac obiurgatione non prorsus abijciētis Dei, ut iudicis, sed dolentis atque lamētantis, ut patris, affectio ostenditur. Non enim Deus uult perire improbos suos filios, sed redire ad pœnitentiam, ut seruētur: Veluti is ipse apud Ezechielem testatur, & mox in uate nostro patebit.

Populo graui iniquitate.) Vt pondere eius in terrā depressi, planè terreni reddantur, quos probitatis diuinę spiritu cœlestes reddi oportebat. Scelera grauiponderi comparat, quæ sceleratos ad orcum usque deprimunt. Itaque apud Zachariam uatem legimus, improbitatem super talentum plumbi sedere. & Dauid onus delictorum deplorans, sic lugubriter canit: Nam delicta mea quasi onus graue me opprimunt. Contraria ratio probitatis est, quæ per uim igneam & cœlestem non oneri est, sed suos cultores è terra in cœlum transfert. Cernitur enim uera probitas in amore, qui fidei probitas est, ut quem in sanctorum cordibus fidei lumen accendit, de quo illud: Deus amor est, & qui manet in amore, in Deo manet.

Semini nequam.) Amplificat uitia degenerum liberorum ab ortu, qui à maleficis geniti sint, quos genitorem Deum referre conueniebat. Huc referendum, quod apud Ezechielem eis exprobratur: Pater tuus Amorræus est, & mater tua Cethæa. Hebræus habet, semen maleficorum: quod contrarium est illi apud uatem nostrum, capite quadragesimoquinto, Semen benedictorum Iehoua.

Filijs sceleratis.) A studio corrumpendi omnia, redarguuntur. Paraphrastes interpretatur, eos uiam suam corrumpere. Sed quæ est illa uia? Legis diuinæ uia est, & ordinis mundi: qui seruatur, seruata innocentia. Generatim eis exprobratur, quòd corrumpant omnia, animos, mores, uitam, religionem, & doctrinam ueram: & malo exemplo uitæ & doctrinæ etiam alios, quod longè grauissimum uitium est, perdant. Quàm latè extendatur hęc seuera reprehensio, Antichristi tempora declarant.

Dereliquerunt Dominum.) Dei cultu, qui in fide agente per charitatem cernitur, deserto, & suscepto contrario. Si Israelitas consideras, occurrit neglectus legis diuinæ cultus, pędagogiæ consentaneus, ante præsentatum mundo Christum. Sin statum Ecclesiæ, quem hæc cœpit habere Antichristo occupante locum sanctū. Vt in ea tempora hæc redargutio competat, Deseruerunt Dominum, Apostolus in altera ad Thessalonicenses epistola declarat.

Sanctum Israelis.) Sed quis est ille sanctus Israelis? Si eum spectes, à quo, ut origine, sanctitas omnis proficiscitur, Deus pater occurrit: sin eum, in quo, & per quem Deus pater sanctitatem suis elargitur, Messias filius occurrit, in quo plenitudo sanctificatoris spiritus uersatur: è qua plenitudine omnes Israelitæ ueri, hoc est scripti in libro uitæ, quisque suum sanctitatis modum accipiunt. Vt autem is sanctus Israelis conuicijs lacessitus sit, declarant illæ uoces, Dæmonium habes, &, Samaritanus es. Hunc sanctum Israelis, despectui ab Israele habitum, Moses petram salutis uocat, ubi illum redarguens suæ rebellionis, sic in Deuteronomio ait: Et despexerunt petram salutis suę. Hæc petra Messias est, petra ipsa interprete: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Abalienati sunt retrorsum.) tergum mihi perfidè obuertentes, uultum Dijs alienis. Similis reprehensio apud Hieremiam legitur: Quoniam uerterunt mihi tergum, non uultum. Locutio sumpta ab ijs est, qui per desertionem, ducem & signa deserunt ac produnt. Vates obiurgationem crebris uocum allusioni-

sionibus colorat, & similiter cadentibus, usurpatis etiam ad uehementem reprehendendi celeritatem asyndetis.

In quo percutiam.) Conuertit se ad rebelles liberos, conquerens se omnem operam & laborem in emendandis illis perdere, qui neque beneficijs neque pœnis meliores reddantur. Similis querela instituitur apud Hieremiam: Frustra percussi filios uestros, disciplinam non recepistis. Item apud Oseam: Non uisitabo filias uestras cùm fuerint fornicatæ, & nurus uestras cùm adulteraue-rint. Obijcitur illis contumacia, & obfirmatus in malo animus, qui neq; prosperis, neque aduersis rebus emolliantur, ut sequaces ad parendum oraculis diuinis euadant. Vnde infrà à uate nostro frons ærea, & propter impudentiam, qui posito pudore omnia scelera committant, à Hieremia frons meretricis illis tribuitur. Querelam suam diuinus spiritus hic desperabunda interrogatione figurat: In quo feriemini, qui delinquere pergitis? In uoce שרה indicatur à recta uia declinatio. Quæ recta uia in administratione ueteris fœderis pędagogię legalis uia fuit: in noui uerò dispēsatione, Euāgelij uia est. de qua ut temporibus filij perditi recedatur, superiora & nostra secula documēto sunt.

Omne caput languidum.) Explicat uerbera quibus percussi sint, figuratè ostendens omnia in regno Iudææ esse debilitata, à principibus & sacerdotibus usq; ad plebeios: à Hierosolyma regni capite, usque ad reliquas regni partes: ita ut nihil ferè superfuerit, in quo ferirentur amplius. Meminit capitis & cordis, quod in his corporis partibus uita, sensus, & mens sedem suam habeant.

A' planta pedis usque ad uerticem.) Manet in cœpta loquendi figura, qua ostendit, omnia in Reipub. corpore membra languere, quæ aut uerberibus liueant, aut plagis tumeant, aut hient uulneribus. Atq; hoc ipsum est quod dixit: In quo feriemini? In summo autem genere uulnerum, omnia tum interna animorum & corporum, tum externa comprehendit mala: ut sunt, cęcitas, ignorātia Dei, induratio animorum, uaria morborum genera, inclemētia cœli & terræ, bella, uastitas terræ, direptiones, raptus uirginum, exilia. Quæ calamitates ut accidetint Israelitis partim uerè, partim in figura: & nouissimis Antichristi temporibus Ecclesiæ miseræ, à planta pedis usq; ad uerticem profanatæ, sine figura accidant, palàm est.

Non est circumligata.) Medicinam frustra tanto uulneri fieri, quòd neque pressionem ad exprimendā saniem, neq; obligationē, neq; unguentū quo mitigetur, admittat. Hæc enim in uulneribus curandis adhibentur. At uerò quē habitū induat Deus in deplorandis uulnerib. ut incurabilib. suorū Israelitarū, indicat uox illa apud Hieremiā edita: A' uulnerib. tuis sanabo te, dicit Dominus. Sed per quem sanabit? Per eum, qui propter uulnera suorū Israelitarū uulneratus est. de quo infrà capite LIII: Propter iniquitates nostras uulneratus est.

Terra uestra deserta.) Distributione amplificat calamitates populi sui, enumeratis malorum partibus. quæ antea ut à Mose prædicta sint, ex Leuitico & Deuteronomio patet. Significanter dicit, Terra uestra: significans, terram oraculis & diuino cultui consecratam, & ab ipsis Israelitis idololatria profanatā, miserè uastatam esse. Vt hoc aūt acciderit Achazi & Hezechiæ temporibus, ex historia Regum manifestum est. Postrema autem terrę Chananæę, magnis mysterijs destinatæ, uastatio per Romanos facta, satis cognita est: & quę eius mystica ratio sit, suis locis indicabitur. XXVI. XXVIII.

In conspectu uestro.) Quod calamitatē augebat. Similiter Moses: Filij tui & filiæ tuæ tradentur alteri populo, uidentibus oculis tuis.

Et desolabitur.) Quę, uigente iustitia, bene culta florebat omni frugū, animantiū, hominū & opum copia abundās. Tanto interuallo, pbitas & improbitas, fides & perfidia distāt: altera utramq; benedictionē, terrenā & cœlestē pręsentis & futuri seculi, afferente suis cultoribus: altera, contrariā maledictionem.

Vastitate hostili.) quos fœderis diuinæ seruatio integros ab hostibus alienis & fœdere Dei & republica Israelitica, custodire poterat ne perirent: eos uiolatio fœderis, hostibus obnoxios redditos perdidit. Si tempora miseri status sub spirituali Assyrio spectes, qui alieni hæreditatem diuinam uastent, declarant Antichristi tempora. Ad uerbum in Hebræo: subuersione alienorum. Vt Assyrius, decem tribubus abductis in exilium, Iudæam terram usq; ad Hierosolymam deuastarit, ex Regum historia liquet. Ideo sequitur:

Sicut tabernaculum in uinea.) Scita similitudine declarat calamitatem Hierosolymæ. Hoc oraculum Ezechiæ tempore impletum est.

Nisi Dominus exercituum.) Explicat similitudinem casæ & tugurij, accõmodata ea ad paucas reliquias ex tanta calamitate conseruatas. Meminit aũt Domini exercituũ, qui à Hierosolyma stans, potentẽ hostem Assyriũ per angelũ euertit, data significatione clemẽtiæ suæ erga filios suos, quos puniat nõ ut perdat, sed seruet: contrà ẽẽ cum impij Cain impia familia diluuio funditus deleta, & cum Sodomis & Gomorris cœlesti igni ad internecionẽ extinctis, egit. Legimus enim hic, reliquias electę gentis seruatas. Quàm latè aũt hæc sententia pateat, ostendit Apostolus in ea epistola quam ad Romanos scripsit, ubi sic ait: Rom. 11. Dico igitur, num Deus repulit populũ suũ? Absit. Nam et ego Israelita sum, ex semine Abrahę. Non repulit Deus populũ suũ, quem prænouit. Sic igitur hoc tempore reliquię supersunt per electionẽ gratiæ. Vbi Apostolus de conseruatis regnante Ezechia reliquijs locũ, ad reliquias quę tẽpore pręsentati mundo Messię de potestate spiritualis Assyrij Antichristi liberatę sunt, accommodat. Quem Antichristũ, Apostoli suo tẽpore, sui regni errores moliri cœpisse, confessi sunt: & reducto Israelitarũ & mysticæ Hierosolymæ uelo, in Ecclesia etiã gentium ex sobole promissionis Abrahami descripta, reliquias saluatas agnoscimus, filio perdito incipiente tum ad defectionẽ ab Euangelio pertrahere: paucis, si terrarũ orbem cõsideres, ex eius tyrãnide uindicatis Euangelij ministerio reliquijs. Qui perditus filius deinde, ut defuncti sunt Apostoli suo munere, quomodo omnia in Ecclesia uastare cœperit, palàm est, facta defectiõe, 2. Thess. 2. de qua Apostolus his uerbis meminit: Quoniã nõ adueniet Dominus, nisi uenerit defectio prius. Hac igitur defectione perpensa, ẽẽ longè pateat hęc uatis nostri Iesaię reprehensio, nõ est obscurũ. Nonne etiã cœlestis pater sic nobiscũ expostulet? Filios magna per Euãgelij administrationẽ cura educaui, & ex spirituali Ægypto liberatos, ad dignitatẽ regij & spiritualis sceptri Christi IESV filij mei euexi, ipsi aũt rebellant mihi. Nouit bos dominũ suum, & asinus præsepe domini, me autẽ genitorẽ suum non noscunt. Heu gentem improbã, scelestis oneratã, semẽ maleficorũ, natos omnia perdentes: deserunt Dominũ, colentes deos alienos: incessunt sanctum electorũ, qua in parte feriã eos? à pedis uestigio ad caput nihil in eis sanũ est. Consideremus superiora profanationis templi Dei, hoc est Ecclesiæ secula, & hæc nostra: ut hæc expostulatio in illa cõgruat, satis manifestũ est. Cęterùm Domini exercituũ, cuius hic fit mẽtio, secundũ patrẽ qui à se Dominus omniũ est, Christus IESVS titulũ sibi uẽdicat. de quo Psalmo XXIII: Leuate portę capita uestra, & eleuamini portæ ętern, & introibit rex glorię. Sed quis est iste rex glorię? Dominus exercituũ, ipse est rex gloriæ. Qui Messias benedictus est. Qui hũc titulũ iã excitatus è mortuis, & trãslatus in gloriosum patris sui regnũ, adeptus est, de se sic prædicans, acto Matth. ult. de potestatib. tenebrarũ triumpho: Mihi data est omnis potestas cœli & terrę.

Audite uerbũ Domini.) Cõuertit se ad principes, quos magna libertate, ꝑ iure prophetico exagitat, qui reliquo populo scelerũ & tot cladiũ autores fuissent. Tradunt propter huiusmodi liberã & seuerã reprehensionẽ, quòd eos principes Sodomorũ uocasset, & quòd dixisset se Dominũ sedentẽ in solio uidisse, Iesaiã interfectũ. Exemplũ propheticę libertatis & seueritatis in Iesaia ꝑponitur, qui

neq

neq; regibus, neq; ſacerdotibus, neq; populo in fortiter redarguendis eorum uitijs pepercerit. Nominat enim principes, Sodomorũ principes: & populũ, Gomorræ populum ut ſequitur:

Principes Sodomorum.) Pręceſſerat, Sicut Sodoma fuiſſemus. ideo inſtitutam cõparationem ſeruans, dicit: Audite principes Sodomorũ. quos ita appellat, propter ſcelerum ſimilitudinẽ. Exempla uitiorũ Sodomę & Gomorræ ſæpe in ſacris literis, ad amplificandã perfidiã Iſraeliticæ gentis in cõparando, afferũtur. Sic enim apud Ezechielẽ: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nõ fecit Sodoma ſoror tua & filiæ eius ſicut feciſti tu & filiæ tuæ. Item in Threnis Hieremię: Maior eſt effecta iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorũ. Mos eſt prophetarũ, in acrius reprehendendo & redarguendo profanis impiarũ gentium nominibus Iſraelitas appellare, ut quos ſceleribus imitantur, eorũ etiã nominibus nominẽtur. Sic enim apud Ezechielẽ ſcriptũ eſt: Pater tuus Amorræus, & mater tua Cethęa. Et hic principes Sodomorũ & populus Gomorræ. Cæterùm quibus criminibus fuerint hæ gẽtes infames, ea de re uideris in Geneſi, & apud Ezechielem.

Quò mihi multitudinem.) Per occupationẽ tacitæ obiectioni reſpõdet diuinus ſpiritus: Nõ ſumus tã improbi, & accuſamur, qui ſacrificamus, atria Domini terimus, incenſa & ſuffimẽta facimus, ſabbatha & nouilunia celebramus, preces priuatas & publicas fundimus. His Deus reſpõdet, ſe iſta curę non habere, ſed fidẽ & benefaciẽdi ſtudiũ. quę ſi adſint, ſacrificiũ & cultũ externũ, qui ceremonijs à Moſe præſcriptis continẽt, probari: ſin minus, reprobari: rebelles aũt hos liberos in externa ceremoniarũ pompa occupari, animũ & nucleũ ceremoniarũ, qui fides per amorẽ agẽs eſt, negligi. ut eſt apud Oſeam: Miſericordiã uolo, non ſacrificiũ. Pręceperat quidẽ Deus externũ illum cultũ, ſed qui fide in eum ageretur, quem ceremoniali cultu diuinæ ſapientiæ adumbrari placuit, qui eſt Chriſtus Ieſus: cuius fide qui carent, perinde eſt ceremonias perſequi, atq; ſi quis relicta carne cutem et umbrã neglecto corpore perſequatur. De quo corpore Apoſtolus: Hæc ſunt umbra rerum futurarum, corpus autẽ Chriſti. Huc ſpectans diuinus ſpiritus, hanc querelam in degeneres filios inſtituit: Quid mihi cum tot ueſtris ſacrificijs? Quod ſi Deus in Iſraelitis ceremonias à ſe inſtitutas, ſi ſine fide fierent, tantopere reprobauit: quãto magis ceremonias quas paſtor ille ſtultus tẽpore noui fœderis, quo umbrę, corpore, quod Chriſti eſt, repręſentato exoleuerunt, reprobauerit.

Victimarum ueſtrarum.) qui fidem in uictimam probem. de qua illud: Attrita eſt propter ſcelera noſtra. & qui uictimas cõmendem, de quibus ſeruus meus David meminit: Cor contritum & conculſum Deus non deſpicies.

Plenus ſum holocauſto.) Varijs uerbis ſacrificia rebellis gẽtis diſplicere ſibi indicat. Primò dicit, ad ſe uictimarũ multitudinẽ nõ pertinere: deinde, eis ſe ſaturari, quod eſt faſtidij: tertiò, ſe eas non expetere, tum ſe eas abominari: quartò, ſe nõ ferre: quintò, ſe odiſſe: ſextò, ſibi oneri eſſe: demũ ſe fatigatũ & defeſſum ſe rendo. Hac copia uerborũ utitur uates in reprobãda falſa opinione de ſeruandis ceremonijs, abſente earum anima & ſpiritu qui in Meſsia cernitur.

Sanguine uitulorum & agnorum.) in expiatorijs & pacificis ſacrificijs. Holocauſti primò meminit, ut principalis uictimæ.

Cùm ueneritis ante conſpectum meum.) in atrio templi comparentes. Ter autem ſingulis annis Hieroſolymis comparere ſoliti ſunt, adorandi Dominum gratia: azymalibus, ſeptimanalibus, & conditalibus feſtis. Dicebantur Hebręa lingua Deifaciem uidere, qui in atrio & in ipſo templo apparebãt: quòd ſe Dominus in templo ad arcam oracularem præſentem affore promiſerat.

Quis enim iſta quæſiuit.) corde ueſtro auerſo à me, contra legem: Ama Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Ne

Ne offeratis mihi ultra sacrificium.) Cui placeat Minhra sacrificium, quod dese prædicat: Ego sum panis uitæ. In quo pane ut oleum & sal insit, alio loco indicatum est. ut in Leuitico capite 11.

Incensum abominatio est mihi.) Qui delector suffitione, de qua illud: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. item: Et ascendit fumus incensorũ de precibus sanctorum, è manu angeli coram Deo. Hoc est illud uerum sufflimentum quod mihi probatur, Mosęa suffitione exstacte, galbano, onicha & thure confecta adumbratum.

Neomeniam quoq;.) Qui scire deberetis, eius nouilunij festum mihi gratum esse, in quo nouæ lunæ noua lux (quæ de se prædicat, Ego sum lux mundi) celebratur. Cuius autẽ figuram præferat luna, & cuius sol, satis pijs notum est, & de ea re alio loco meminimus.

Et sabbatha uestra.) neglecto ab operibus carnis & ueteris hominis sabbathismo de quo illud ad Hebræos: Nam qui ingressus est in requiem illius, & ipse requieuit ab operibus suis, quemadmodum à suis Deus.

Et festiuitates alias.) in Hebræo notantur conuentus, tubarum clangore conuocari soliti, de quibus uideris Numerorum x. Tales cœtus qui in solennibus festis in atrio conueniant, se minimè ferre: ferre autem eos quos Dauid describit: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis in monte sancto tuo requiescet? Qui integrè se gerit, & æquum facit, & uerum ex corde loquitur: qui lingua sua alteri non detractat, neq; lædit alterum.

Cum extenderitis manus uestras.) non cor, eo ad Deos alienos conuerso.

Auertam oculos meos.) intentos in probos, non improbos. de quibus illud: Oculi Domini super iustos. Oculi uidelicet curę ac prouidentię diuinę, qua suos seruet. Sunt & Dei oculi uindices & ultores, quos in impios conuertit, ad eos perdendos. de quibus Amos: Ego ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonũ. Pœna ex lege talionis est, ut Deus beneuolentiæ suæ oculos abscondat ab ijs, qui ab ipso fidei oculos auertunt ad deos alienos. de quibus suprà: Auersi sunt retro.

Et cum multiplicauerint orationem.) non animi uirtutes, fidem, spem, charitatem, benignitatem, mansuetudinem, temperantiam.

Prouerb. 15. *Non exaudiam eos.*) ut improbos. Stat enim illud: Longè est Dominus ab impijs, orationes iustorum exaudit. Nam is non precationis uerba numerat: sed fidei, amorem in piorum pectore accendentis, spiritum ponderat. Quò illud *Matth. 7.* Domini nostri Iesu Christi pertinet: Verùm orantes ne garrite ut extranei, qui se putant loquacitate esse exaudiendos.

Manus uestræ.) uobis datæ ad benefaciendum, non malefaciendum.

Sanguine plenæ sunt.) non benefactis. Manus nominantur, ut instrumentũ & bonorũ & malorum studiorũ, ex corde proficiscentiũ. Aliàs pedes nominãtur: Pe*Psal. 13.* des eorũ ueloces ad effundendũ sanguinẽ. In sanguinarijs etiã numerãtur, qui alterũ odio prosequũtur. Sic enim loãnes: Qui odit, homicida est. Præcesserat: Nõ exaudiã uos. hic causa subtexitur: Manus uestrę sanguine plenę sunt. Sanguine scilicet insontiũ: ut est pupillorũ & uiduarũ sanguis, cũ eis ius nõ reddit: ut est prophetarũ sanguis, fusus usq; ad Mesię sanguinẽ. Qui de his sanguinarijs manibus sic loquitur: Ideo ecce mitto ad uos prophetas & sapiẽtes & scribas, & illorũ aliquot occidetis, crucifigetisq;, & illorũ nõnullos flagellabitis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatẽ, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Zacharię filij Barachiæ, quẽ occidistis inter templum & aram. Vt hæc reprehensio cõueniat in secula nostra, declarãt qui censi nomine patrum, & episcoporum, & seruorum Christi, palàm audiunt suas manus sanguine refertas esse eorum, qui præter insontem agnum, nullam aliam piacularem delictorum

delictorum mundi uictimam profitẽtur. Vt autem in hos laqueo, gladio, igni, aqua & omni suppliciorum genere sæuiant, palàm est. Et hoc cum facit pastor ille stultus, pietatem prętexit: cornua nimirum agni, & os draconis, qui homicida est ab initio, habens. Zach. 11.

Lauamini.) sanguine agni, de quo illud: Et lauit nos à peccatis nostris per sanguinem ipsius. Is sanguis sacri spiritus aquas continet, ex fonte Messia manantes: quæ fide uobis aspersę, solæ uos commendant Deo: non pecudum sanguis, non aquæ lustrales & purgantes per Mosen mandatæ: non feriæ, non noulunia, non incensa, aut ullæ uestræ ceremoniæ à uobis celebratæ sine spiritu eius quem illæ præfigurarunt.

Mundi estote.) corde, lingua, manibus: diuino spiritu eius qui scelus non fecit, & cuius os fraudem non habuit, pectora uestra regente, ut sanctè Deum fide & amore colatis: linguam moderante, ut gloriosa Deo & salubria alteri loquamini: manus gubernante, ut benefaciant omnibus, neminem lædant: pedes liberante, ut non ad fundendum sanguinem insontem, sed ad Euangelium pacis nunciandum currant. de quibus pedibus infrà Vates noster: Quàm speciosi sunt pedes annunciantium pacem?

Auferte malum cogitationum uestrarum.) Explicatur à quibus sordibus abluendi simus, non corporum, sed animorum. Similiter Hieremias: Laua à malitia cor tuum. Refutata superstitione, uerum Dei cultum, in quo cernatur, exponit.

Ab oculis meis.) omnia perlustrantibus, probitatem ferentibus, improbitatem auersantibus.

Quiescite agere peruerse.) Contentione illustrat hortationem: Desinite malefacere, & discite benefacere.

Quærite iudicium.) Distributione subiectis partibus, benefaciendi studium in quo uersetur, explicat. Quęrẽdum primò monet iudiciũ esse: quod seruatur, si sontes puniantur, insontes seruentur. ut sequitur: Oppressum defendite. Iudiciũ pro iure & æquitate accipitur: iuri & ęquitati studendum esse. Quod nõ faciunt, de quibus Amos uates: Iudicium conuertitis in absynthium. quod fit, cum iudicium, quod suaue probis & insontibus fieri debebat, eis insuaue fit & amarum, improbis suaue & dulce.

Subuenite oppresso.) In חמיץ elegans metaphora à fermento, dulcem farinæ massam acidam reddente, mutuatur. Vox igitur Hebræa de perturbato, & rerum aduersarum acore affecto dicitur: hunc in rectum statum adducẽdum esse, à quo per uim detortus sit in prauum.

Iudicate pupillo.) ei patrocinantes. Viduarum & pupillorum meminit, qui aliorum iniuriæ humano præsidio deserti pateant. Qui Dei filios uos iactatis, Deum parentem imitamini, qui singulari beneuolentia prosequitur pupillos, uiduas, & peregrinos. Sic enim Psalmus canit: Dominus pupillos & uiduas subleuat. Generatim accipitur, destitutos humana ope, consilio, consolatione, studio & opera nostra adiuuandos esse in rebus aduersis.

Venite & arguite me.) Cum rebellibus liberis in iudicium uenire non recusat, ad suam æquitatem approbandam, & ad illorum ingratitudinem conuincendam, per cõmunicationẽ colorata reprehensione. Age quæso inter nos disceptemus, an æquè uos obiurgẽ, nec ne. Si constat me parentis munus erga uos pręstitisse benefaciẽdo, uos aũt mihi mala pro bonis per ingratitudinẽ repẽdisse, est sanè, ut uos in uiã redeũtes, rebellionẽ uestrã deponatis, morigeros filios uos declarãtes. Quod si feceritis, delictorũ uestrorũ sordes abstergã, etiã si purpurę aut cocci ruborẽ duxerint. Itaq; parentis affectũ in hac cõtentione induit, qui in filios suos iratus, eos non perdere seuerius castigando, sed seruare ad meliorẽ frugẽ per pœnitentiã reuocatos, uelit. Similis disceptatio à Deo parente apud Hieremiam & Micheam prophetam instituitur: Audite mõtes

iudicium

iudicium Domini, & firma fundamenta terrę, quoniam Domino cum populo
ſuo & Iſraelitis contentio eſt. Mi populus, quid tibi feci, aut in quo læſi te? re-
ſpõde mihi. Submoto myſtici Iſraelis & Hieroſolymę uelo, quàm latè longeq;
Zach. 11. pateat hæc controuerſia, non eſt obſcurum, inſpecto miſero ſub paſtore ſtulto
Eccleſiæ ſtatu.

Vt *coccinum.*) In ſimilitudine hac, qua uitia cocci rubori comparantur, ad
terreni hominis qui à rubore אדם appellatur, rubentem ſanguinem alluditur,
qui ut uitioſus ſit, declarat illud: Qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt.
Leuit. 14. Quare aperitur hic arcanum illud Moſęę legis, de cocco in uictimæ ſanguinẽ
ad expurgandam lepram tincto, & de aqua luſtrali ex uaccę rufę hyſopi & coc-
Numeri 19. ci rubentis cinere confecta myſterium.

Quaſi nix dealbabuntur.) Per contentionem, cocci ruborem cum niue & lanæ
Pſal. 51. cãdore confert. De quo Dauid: Lauabis me, & niuem candore ſuperabo. Hy-
ſopo, pœnitentiæ uidelicet, piaculari Meſsię ſanguine macerato. de quo idem
Dauid: Expia me hyſopo, & mũdus ero. Ergo ordine hęc per Ieſaiã cognoſcẽ-
da ſuis Deus proponit. Primò in hac diſceptatione bonitatem ſuam, quam de-
clararit, exponit: deinde æquitatem, qua iure in rebellium liberorum contu-
maciam animaduertat: tertiò hortatur, ut noxæ comperti atque conuicti, ad
pœnitentiam ſe conuertant. Demum quam ſalutem pœnitentia afferat, indi-
cat: hanc in condonatione delictorum & donatione ſacri ſpiritus eluentis ui-
tia cerni. Vbi pro adminiſtratione ueteris fœderis, Meſsiæ beneficia tectè ſi-
gnificantur, quæ in remiſsione peccatorum & donatione ſpiritus ſancti ad ue-
ram iuſticiam, ſanctitatem & uitam regenerantis oſtenduntur.

Si *uolueritis.*) afflati ſpiritu filij mei Meſsiæ benedicti: qui, ut uelitis & effi-
ciatis quæ mihi probentur, præſtat. firmum enim illud eſt: Nam Deus eſt ille,
qui agit in uobis ut uelitis & efficiatis. Dicit, Deus eſt: non dicit, natura, aut uo-
Philip. 2. luntas ueteris hominis.

Et *audieritis me.*) in filium credendo. Is igitur loquendi modus cum adiun-
ctione enunciatus, Si uoluerítis, ſi audieritis, aut parueritis, ſi crediderítis
non indicat, in ueteris hominis uoluntate natiuam uolendi ea quæ Deo pla-
ceant, eiq; credendi obediendiq; uim ineſſe, ſed ut cõueniat nos comparatos
& compoſitos eſſe erga Deum: & cum ſecus nos comparatos ſentimus, no-
ſtram uitioſam naturam minimè cum lege diuina cõſentientem agnoſcamus:
& ea agnita, uim rectè cogitandi & agendi ab eo petamus, à quo illa dimanat:
hoc eſt, ex unius Chriſti ſpiritu, per gratuitę promiſsionis gratiam nobis do-
nando, petamus. De qua promiſsione Moſes Deuteronomij 30. Hieremias 31.
& Ezechiel 36. & alij uates prædixerunt.

Bona terræ comedetis.) non hoſtes. Promiſsionis bonorum ueteri Teſtamen-
to congruentium, meminit in hortando, ſed ſub quibus ſignificẽtur bona cœ-
leſtia, quæ fide in filium Meſsiam percipiuntur. Qua in re oſtendit diuinus ſpi-
ritus, utranq; benedictionem, terrenam & cœleſtem, in pœnitentiam cadere:
1. Timoth. 4. Vt his uerbis teſtatur Apoſtolus: Pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſsio
nes habeat uitæ præſentis & futuræ. Et Dominus noſter apud Lucam: Ne-
Lucæ 18. mo eſt qui reliquerit aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos propter
regnum Dei, qui non recepturus ſit multo plura in hoc tempore, & in ſeculo
uenturo uitam æternam.

Quod ſi nolueritis.) per ſpiritum ueteris hominis & terreni, qui eius homi-
nis ſpiritus eſt, de quo Apoſtolus: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt
ſpiritus Dei.

Gladius deuorabit uos.) exterior, ſi Babylonios, Græcos & Romanos hoſtes
ſpectes: interior & ſpiritualis, ſi ſatanã, & filium eius perditum. Tempora A-
poſtolorum, quibus excæcatus Iſrael eſt, intueamur.

Qui

Quia os Domini locutum est.) Antea per Mosem etiam, ut ex Leuitico & Deu- 26.
teronomio patet. 28.

Quomodo facta est meretrix.) cum diis alienis meretricans, uiolata sponsi Dei sui fide. Redit ad obiurgationem, post factã disceptationem: Age disceptemus inter nos. Hæc autem seuerior reprehensio interrogatione admirationem, dolore & luctu temperatam continente, coloratur.

Ciuitas fidelis.) temporibus Dauidis & Salomonis. Commendatur Hierosolyma à fide, æquitate & probitate: quæ in amore, quem fidei lumen accendit in sanctorum cordibus, cernitur: quo ciues sacræ urbis inter se ex legis perscripto amabant. iam uerò illam contrarijs uitijs corruptam spectari, quæ ordine recensentur.

Nunc autem homicidæ.) imitantes non bonitate parentem Deum, natura bonum: sed maleuolentia patrem satanam, primum in orbe terrarum homicidam. Vt illis obiecit Christus apud Ioannem. Ad quæ etiam tempora hæc Vatis obiurgatio extenditur, reducto uelo ad nostra nouissima usq;.

Argentum tuum uersum est in scoriam.) Exprobratur adulterandi monetas crimen. Qua obiurgandi formula generatim omnis fraus in rebus contrahendis, uendendis, emendisq; commissa, ut contraria amori alterius, & legi illi Decalogi, Ne furator, condemnatur. Nec non nomine argenti & scoriæ, quæ repurgamentum est argenti, Hierosolyma redarguitur, commutasse fidei doctrinæq; sinceritatem in scoriam humanarum doctrinarum, & iudiciorum putitatem auaricia uicisse. Propheta Iesaias primò meminit perfidiæ, qua se contra sponsum & maritum Deum obligarit adultera Hierosolyma: deinde reliquorum criminum, quæ in alteram Decalogi tabulam committuntur, mentionem facit. Vt solent ex delictis quæ in primam tabulam admittuntur, scelera quæ in alteram designantur, dimanare. Quàm latè extendatur sub figura mysticæ Hierosolymæ, hæc criminatio, declarant tempora Antichristi: quę cœlestis nostri Dauidis & Salomonis gubernationem per Apostolos peractam secuta sunt. Satis sit, lineas mysterij duxisse. Nónne hic quoq; eadem querela locum habet? Quomodo facta Hierosolyma Ecclesia meretrix, ciuitas olim fidelis, ut quæ æquitatis erat plena, & in qua iustitia uersabatur, in ea nunc sint homicidæ: argentum tuum uersum est in scoriam, uinum aqua mixtum, dum omnia fraude, malis artibus, auaricia cõrupta spectantur. Et quod horribilius est, argentum sermonis diuini, quod iudices episcopos dispensare fideliter oportebat, uersum est in scoriam humanarum doctrinarum, iuxta elementa mundi, non iuxta Euangelium Christi. Similiter uinum Euangelij consolatorium in turbidas, quæ conscientias perturbent, aquas commutatum est, quas dissipatæ cisternæ continent. De quibus Hieremias: Foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquas (uidelicet puras) continere nequeant. cum contrà Christus aquas in uinum conuertat: hoc est, luctum in gaudium, res aduersas in prosperas. De quo infrà uates noster: Emite uinum absq; argento.

Principes tui peruersi.) Qui in recta iuris & æquitatis uia uersari debebant, in deuium affectuum & cupiditatum iter deflectunt, instar contumacis uaccæ, quæ in uia retineri renuit, ut est apud Oseam: כְּפָרָה סוֹרֵרָה. Cæterùm qui suprà dixerat omne caput languere, iam capitis tropum explicans, principum uitia recenset.

Socij furum.) Per auaricià iuris semitas deserentes, dum & reipublicæ, quam compilãt, & priuatorum hominum, quos per fraudem circumscribunt, exitio dilacerant: uerius carcinomata terræ, quàm iudices appellandi.

Omnes diligunt munera.) Contra legem: Nec accipito munera, quia excæcãt pru- Exodi 23.
dentes, & uerba iustorum subuertunt.

Sequuntur retributiones.) uenales habentes sententias, præmia nimirum quibus

munerentur, non ius spectantes. Expolitione reprehensionem amplificat, in exagitanda iudicum auaricia, qua iura euertunt.

Pupillo non iudicant.) Contra legem: Viduæ & pupillo ne noceto: si læseritis eos, uociferabunturᵛ, & ego audiam clamorem eorum. Quid autem aliud est uiduarum caussam pensi non habere, & pupillis ius non dicere, quàm eos necare? Fontem euersionis rerumpub. aperit Vates, qui est auaricia & ambitio, qua præ se tenues & pauperes ambitiosè contemnentes improbi iudices, & diuitum gratiam ad rem faciendam aucupantes, rempublicam misere dissipant, quæ iuris & æqui obseruatione conseruatur: ut uniuersitas hæc maxima respub. conseruatur, quòd eam moderatur & regit iudex, qui hunc titulum habet, Deus iustus iudex. Quem iudicem in terra effingere oporteat bonitate, iusticia, æquitate: non ab eo degenerare per malignitatem, iniusticiam, & iniquitatem, indulgendo opulentorum sceleribus, munerum spe, ad oppressionem tenuium: quorum iustus, ut est apud Salomonem, causam curat, impius pensi non habet. Non est igitur mirum, mundi regna firma non esse, in quibus satan per ambitionem, auariciã, luxum, tyrannidem, pro libidine ludat. Hanc causam prudentes uiri, qui de rerumpublicarum mutationis & euersionis causis scribunt, etiam perpendunt: sed non tam altè eas repetunt, quàm diuini uates. siquidem fontem ex quo omnis honestas ad tuendas tum priuatas tum publicas res dimanat, non aperiunt: qui est, unũ Dei numen in filio Messia fide, amoreq; ex fide nato uenerari atq; colere. ut euersionis origo est, falsa religio, ex qua cætera flagitia hic enumerata proficiscuntur. Cæterùm quàm longè perspiciat prophetæ oculus, documento est Ecclesiæ status, quem iam multis seculis habuit, siue ciuiles siue ecclesiasticos iudices spectes. Principes equis, canibus, feris uenandis, aleæq; & luxui dediti sunt, bella funesta serunt, sanguine manus implentes: uiduas & pupillos tantum abest ut tueantur, ut eorum numerum omnia uastantes augeant. Pontifices, episcopi, pastores, & doctores per auariciã omnia uenalia habent, sacramenta, sacerdotia, cœlum & infernum, remissionem peccatorum, cõiugia: in summa, sacra & prophana. Vt uerè in hos uaticinatus sit Iesaias: Principes tui peruersi, & furũ socij, oĩ munerũ cupidi: &, ut Petrus ait, per auariciam fictis sermonibus negociantes.

Propter hoc dicit Dominus Deus.) Accusatione confecta, sententia in contumaces dicitur. Tria diuina nomina hic leguntur: Quorum unum à dominatu, quo Deus omnib. in cœlo & in terra dominatur, quod אדון est, pro quo paraphrastes reddit רבון עלמיא: alterum est à natura & essentia Dei ductum, quod est יהוה, qui à se summa natura sit, & à quo cætera sint: tertium à potentia & robore ductũ, quo Deus à nemine deterrendus, omnia pro uoluntate sua agat, pios præmijs ornans, impios supplicio afficiens. hoc nomen אביר est.

Heu consolabor.) Dolentis sermo est, in quo clementiam suam iudex Deus declarat, qui misereri quàm irasci, seruare quàm perdere, si per æquitatem licerat, malit: cuius proprium opus sit, miserescere & benefacere: alienum, irasci & punire, ut infrà uates noster ostẽdit. ἀνθρωποπάθως, hoc est humana affectione dicit Dominus, se solatiũ capere de rebellib. liberis pœnas expetendo. Similiter apud Mosem loquitur in Deuteronomio: Et sicut antea lætatus est Dominus uobis beneficijs & numero augẽdis, sic lętabitur perdendis. Vbi lętitia quam dicit se in puniẽdo capere, nõ indicat naturã Dei ad puniendũ ꝓpensam: sed ita punientẽ, ut qs seuerius punit, in uiã reuocet, & reuocatos seruet. Vnde fit, ut ubiq; apud Mosem & prophetas duriori castigationi Israelitarũ subiũgatus de recõciliatione suauior sermo, quo diuina ira ad consolandum temperetur.

Super hostibus meis.) Per rebellionem, per gratiam autem fœderis mei cum maioribus ipsorum initi amicis. Vnde Apostolus: Secundũ electionẽ aũt dilecti propter patres. Hinc nascitur dolor, de quo hic: Heu consolabor. Vt parentes

dolent,

dolent, cum durius liberos contumaces castigare coguntur, & in medio etiam dolore se consolantur, quòd sperant emendatos filios ad meliorem frugem redituros. Itaque hic discimus Dei acerbiorem, qua suos emendat liberos, castigationem non esse perpetuam, sed finem habere: quòd perpetua ira cum natura Dei repugnet, qui se apud Mosem naturà clementem & ad iram lentum dicat esse. Quare infrà capite quinquagesimoquarto amanter Hierosolymam, hoc est Ecclesiam suam, quam hic sub figura mysticæ Hierosolymæ durius obiurgat, sic alloquitur: Ad punctum dereliqui te, & miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam paulisper à te, misericordia sempiterna miserebor tui. Itaq; sequitur:

Et conuertam manum meam.) ad te expurgandam igni rerum aduersarum, non consumendam.

Et ex quoquam ad purum.) Venusta similitudo, à metallorum arte sumpta, qua expurgatores argenti freti non prius referunt ab expurgando illo manum, quàm redditum purum putum sit. Eadem similitudine utitur Malachias: Purgabitq; eos sicut aurum & argentum. III.

Scoriam tuam.) uitiorum tuorum scoriam. Similiter tropum Paraphrastes reddit, qui pro scoria habet בדיל In hac probandi purgãdiq; ratione hæc fuerint consideranda: ignis, spiritus, uas conflatorium ex terra fictum, & eius tectum undique perui m spiritui, argentum purgandum, admixtum plumbum, atque ipsa expurgatio. Argentum, animi sanctorum sunt: uas in quo purgantur, mundus & ipsa corpora sunt, in quibus uelut in conflatorio fornace uariæ crucis igni probati animi, ad suam puritatem adducuntur: quemadmodum etiam in terreo uase aurum siue argentum, non aliter quàm igni admixto plumbo, quod ex metallorum est, purificatur: ignis autem, ipse spiritus igneus lucis diuinæ est: cum afflictionibus admixtum plumbum, onus ipsius legis & peccati esse iudicatur: expurgatio, regeneratio est ad claritatem & puritatem diuinæ iusticiæ & uitæ. Quamobrem, quoniam Hierosolyma (quæ, submota figura, Ecclesia electorum est) argento comparatur, & uitia eius scoriæ: intelligimus hic magna consolatione nostri, nequaquam afflictionum ignem à Deo, quo suos uelut argentum & aurum purgat, adhiberi, ut consumantur: sed ut ad splendorem diuinitatis adducantur, scoria uitiorum consumpta: ut argentum igni non consumitur, sed perficitur absterso scoria. Vnde etiam liquet, afflictiones non iræ diuinæ, sed gratiæ signa esse: quarum ignis non ad consumendam, sed purgandam Hierosolymam admoueatur. Quod si quos consumit iudiciarius ignis Dei, hos scias in Hierosolyma locum non habere: sed eos in eorum numero censeri, de quibus illud, Ite uos maledicti in ignem æternum.

Stannum tuum.) ignem purgatorem non ferens: non argentum, quod fert. Scelera & scelerati notantur. de quo stanno & scoria mox: Et conteret scelestos.

Restituam iudices tuos.) probos, improbis igni exploratore consumptis. Sed quo tempore hæc acciderunt? Si Ezechiæ tempora spectes, ut hæc mystice & sub typo impleta sint, ex Regum historia liquet. Sin tempora patefactionis Messiæ, uere hæc in illis impleri cognoscimus. In quibus restituuntur iudices, hoc est Apostoli & ministri Euangelij, iura ueræ iusticiæ & uitæ reddentes: non uinum in aquam, sed aquam afflictionum in uinum consolatorium conuertentes: & amota scoria humanarum doctrinarum, aurum & argentum sacri Euangelij restituentes, proposita moneta continente precium Messiam, quo liceat redimi à iure peccati & mortis. de quo illud, Precio empti estis. 1. Corinth. 6.

Vt fuerunt prius.) tempore Dauidis & Salomonis. De Hierosolyma enim loquitur,

quitur, & Sione monte, quem cæpit Dauid, & regno illustrauit: quem etiam Salomon filius Dauid, templo, sacerdotio & diuinis oraculis claro exornauit. Respondent hæc superioribus: Iudicij plena iustícia uersabatur in ea. Vt hoc mysticum oraculum temporibus nostris impleatur, res ipsa & euentus declarat. Licet enim uere hodie dicere de nostra Hierosolyma Ecclesia: Ciuitas quæ Apostolorum temporibus plena fuit æquitatis & probitatis: quæ in fide, & in amore ex fide nato cernitur, & posteris temporibus argento in scoriam conuerso, contraria regnante filio perdito uitia contraxit, iam uerò orbi terrarum sacrosancto Euangelio reddito in ea restitui iudices cernimus, per quos cum tempore status Ecclesiæ reparetur, qualis initio propagationis Euangelij fuit, ut uocetur Ecclesia urbs iustíciæ, ciuitas fidelis, redempta iudicio: quæ contraria nomina Antichristo eam profanante habuisset, & etiamnum in multis habeat.

Ciuitas iustíciæ.) Quæ longè uerissimè sic uocabitur, ubi amplexa iustíciam suam Messiam, per eius spiritum opera iustíciæ edere cœperit. De qua iustícia Messia, Hieremias: Et hoc nomen eius, quod uocabunt eum, Dominus iustícia nostra. Ad hanc iustíciam instaurata Hierosolyma, à Zacharia appellatur ciuitas ueritatis, mons Domini exercituum, mons sanctificatus. Hierem. 23.

Vrbs fidelis.) Non meretrix, ut suprà: Quomodo facta est meretrix?

Sion in iudicio redimetur.) Si Messiæ tempora spectes, legimus infrà apud nostrum uatem, Iudicabit in iustícia pauperes: hoc est, uindicabit eos ex seruitute peccati & mortis in libertatem iustíciæ & uitæ, persoluto redemptionis precio, de quo illud: Precio empti estis, quod est hic תמורה. Hinc מרוים dicuntur quæ precio redempta sunt. quò spectat sequens uox ושביה, id est, & captiui eius iustícia. de quibus captiuis infrà propheta noster: Et edicerem captiuis libertatem, redemptis uidelicet precio sanguinis mei.

Et conteret scelestos.) Explicatur scoria.

Confundentur enim ab idolis.) Dum illis non iuuantibus pereunt, qui cultu Dei in Messia per fidem seruari poterant. Interpres noster sequitur Græcos, qui uertunt ἐιδώλων. Sed receptior interpretatio est, qua redditur Hebræa uox quercus seu ilices. Quòd ilices delegi solitæ sint, sub quibus dijs alienis sacrificaretur: quod Septuaginta in interpretẽdo considerarunt. Paraphrastę quoq; non idolum, sed arbor probatur, idololatriæ destinata.

Quos elegeratis.) contra legem à Mose traditam Deuteronomij XVI, prohibentem lucos.

Sicut quercus.) Non sicut arbor, cui Dauid pios comparat: Erit similis arbori ad riuos consitæ. Quercus procera, late que se diffundentibus ramis arbor est, & bene altè radices agens: sed quæ ubi aruerit, pabulum igni præbeat: sic impios se habere, qui per sapientiam & potentiam suam longè late; se diffundentem, uideantur profundè radices egisse in terra, quas euellere non facilè liceat. At quid regnante Messia aliud sunt, quàm arida quercus aut ilex igni parata?

Et uelut hortus.) Sed non uelut hortus, quali sponsa Ecclesia in Cantico canticorum confertur, Hortus conclusus soror mea: & qualis hortus latroni in cruce pendenti à Christo ostensus est, Hodie mecum eris in paradiso. qui fluuium per medium manantem habet, de quo illud: Et ostendit mihi parum fluuium aquæ uiuæ, splendidum tanquam chrystallum, procedentem de sede Dei & agni. Sed cui horto similes sunt impij? Horto sanè, de quo hic uates: Et uelut hortus aqua carens. non sicut hortus de quo infrà propheta noster: Et eris sicut hortus irriguus. Vt igitur arbores in horto aquis carente consitæ, ad solis calorem exarescunt: sic scelerati calorẽ iudicis Messię non

non ferentes, ateſcent, pabulum præbentes igni de quo illud: Ite in ignem. Atque hæc altera ſimilitudo eſt, tertia ſequitur.

Et erit fortitudo.) Idola, quibus fidunt impij, ſtupæ comparat, & eorum fabricatorem ſcintillæ: utriſq; nullo extinguente, deflagraturis, accenſo in eorum uanitatem igne furoris diuini. Vocat autem idola פעל, hoc eſt, protectionē: quòd qui illa colunt, protectum iri ſe ſperant, ſed ſpe uana. Hæc uanitas quanta ſit, etiam ab Oſea uate ſcitè indicatur, ubi ſimulachrorum cultores uentum ſeminare & tempeſtatem metere dicit: qui uanum laborem ſumendo, nihil aliud ſibi pariant, quàm detrimentum & exitium.

IN CAPVT SECVNDVM.

VERBVM *quod uidit Eſaias.*) Exponitur de Meſsia & eius regno prophetia. In qua, quæ ſuprà myſticè de Hieroſolymæ ſtatu, ut hæc exterſis eius corijs redimenda ſit, expoſita ſunt, iam ſubmoto uelo & figura explicantur. Etenim Chriſtum redemptorem fore indicat, qui electorum ex Iſraelitis & gentibus Eccleſiam, ueram illam & cœleſtem Hieroſolymam, non ab Aſſyrijs & Babylonijs, ſed ab hoſtibus ſpiritualibus per Euangelij legem redempturus ſit. Itaque in hoc oraculo hæc conſideranda proponuntur: Ipſe redemptor Chriſtus Ieſus: miniſterium redemptionis, quod prædicationis legis ex Sion proficiſcentis miniſterium eſt: tum ij qui redimuntur, ut ſunt ſcripti in libro uitæ. præterea mala à quibus liberamur: ut ſunt peccatum, mors, & aduerſariæ tenebrarum poteſtates. demū effectus redemptionis, & ipſe finis: ut ſunt iuſtitia, uita, reſurrectio ad ſplendorem regni cœleſtis, atq; amplificatio nominis Dei patris in filio, qui ultimus ille finis eſt redemptionis electorum. De ſingulis ordine inter interpretandum. Obſeruandus hic mos prophetarum fuerit, qui his perpetuus eſt, ut mentioni de ſtatu Iſraelitarum & Hieroſolymæ, de Meſsia eiusq; regno, atq; de Eccleſiæ Iſraelitarum & Hieroſolymæ nomine ſignificatę conciones oraculares ſubtexant. ut in hoc uate & in reliquis fieri uidemus. Idq; faciunt pro muneris ſui prophetici ratione. Interpretes enim cum ſint Moſæ, futurę Euangelij patefactioni uiam prę munientes, decentem ordinem in prędicando ſeruant, umbrę lucem, uelo faciem, literæ ſcriptum ſubiungentes.

Et erit in nouiſſimo dierum.) Temporibus patefactionis Meſsiæ, & eius Euāgelij. Vocantur autem nouiſsima tempora, quòd in eis finis omnium rerum quæ in Moſe & prophetis cōtinentur, patefiat: qui eſt Chriſtus IESVS Dominus noſter, & Eccleſiæ ſtatus à Moſe & prophetis ſub uariarum umbrarum & figurarum adumbratione prædictus. Atq; hinc etiam hæc tempora, plenitudinis tēpora appellantur, quòd quæ in Moſaeis ceremonijs ex hac rerum natura deſcriptis uariè adumbrata in ueteris Teſtamenti adminiſtratione fuerunt, & maioribus Iſraelitarum promiſſa, temporibus reuelationis Meſsiæ expreſſa ueritate & luce impleantur. Nam ut pictor opus quod in manus ſumpſit elaborandum, obſcuris lineis in tabula prius adumbrat, quàm id adhibita colorum luce abſoluat: ita ſapientiſsimus omnium opifex Deus, perfectiſsimi quod perficeret operis lineas antea in Moſe & prophetis ducere uoluit, quàm id in Chriſto & Eccleſia, legis & prophetarum fine, in poſtremis ſeculis exprimeret atq; abſolueret. Habēt autem nouiſsima ſecula ſua ſpacia & interualla, quorum unum à Chriſto in mundum præſentato, & à morte ad gloriam patris per reſurrectionem excitato, durauit uſq; ad ea tempora, quibus Apoſtolis ſuo prædicationis Euangelij munere defunctis, Antichriſtus locum ſanctum occupare molitus eſt. Alterum uerò ſpaciū his extremis diebus ſeſe oſtendere cœpit, in quibus clarius ſub occaſione patefactionis Antichriſti, Meſsias per ſacroſanctum Euangelium mundo reſtitutum, patefieri incipit. Etenim ita diuina

sapientia compatatum est statim à prima molitione mundi, ut lux ex tenebris, ueritas ex mendacio, iustitia ex iniustitia appareat. Quapropter oracula de confluxuris ad Sionem gentibus, & eis in semine Messia benedicendis, atque Israelitis reconciliandis pleno numero cum Deo maiorum ipsorum, his nouissimis diebus præcipuè implenda esse, prophetæ præmonuerunt. Itaque quoniam hi dies finem Mosi & prophetis imponunt per Iesum Christum, ultra eos non erunt alij expectandi: non nimirum nouus Moses, non noui prophetæ, non nouus Dauid, non nouum Euangelium, non noua sacramenta, non Ecclesia alia quàm quæ per Euangelium patefactum mundo per Apostolos, formetur in sponsam sponso suo Christo.

Mons domus Domini.) Sion mons clarus templo à Salomone ædificato. Is mons ut præsentis Christi & docentis in templo doctrina & editis miraculis celebris factus sit, satis notum est ex illo Ioannis: Semper docui in synagoga & templo. Et quomodo iam ad gloriam translato Christo, Hierosolyma spiritu sancto de cœlo misso illustrata sit, dato Apostolis negocio Euangelium in orbe terrarum diuulgandi, ex Actis patet: Sed accipietis uirtutem, posteaquam Actor. 1. spiritus sanctus uenerit super uos: & eritis mihi testes non solum Hierosolymis, uerùm etiam in uniuersa Iudæa, Samaria & denique usque ad extrema terræ. Hoc prædixit fore uates noster: De Sione exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Igitur ex eo loco Deo placuit reconciliationis Euangelium promulgari, in quo antea iussus fuerat Abrahamus filium suum Isaacum immolare, in typum eius uictimæ de qua infrà noster propheta: Attritus est propter scelera nostra. Vnde accidit, ut Sion mons מוריה appellatus sit, siue à doctrina, siue à Dei metu & cultu, qui ibi in templo à Salomone ædificando locum esset inuenturus, & temporibus nouissimis lex Euangelij in orbis terrarum fines ad colendum Deum patrem spiritu & ueritate esset uulganda.

In uertice montium.) Hæc sublimitas ac culmen, non à loco, sed à præstantia & dignitate Messiæ & sanæ doctrinæ, salutis que quæ ex eo monte tum Israelitis quàm gentibus effulsit, æstimatur. Et sub figura montis Sionis mystici, cœlestis Sionis culmen significatur, de quo his uerbis epistola ad Hebræos: Accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei uiuentis Hierusalem cœlestem.

Et eleuabitur super colles.) Super humanæ sapientiæ, potentiæ & gloriæ colles. Nam dignitate potentiæ cæteros colles superabit, & eos per Messiam deiciet, ut infrà noster uates dicit: Omnis mons collisq; hoc est mundi potentia, sapientia & gloria, deprimetur, ut uni Messiæ, sui Sionis montis & Hierosolymæ regi, gloria cedat.

Et fluent ad eum omnes gentes.) Iura Euangelij primò, in Sione monte promulgati recepturę. Notatur aggregatio ad cœlestem Sionem & Hierosolymam, quæ ubicunque Euangelium prædicatur, locum suum habet. Nam hæc Hierosolyma à respectu loci & personæ libera est, ut eius rex Messias, in quo neque Iudæus, neque Græcus, sed noua creatura consideratur. Vetus promissio iam olim Abrahamo facta hic repetitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes. item Dauid: Omnes gentes seruient ei. Et Dominus ipse, Mosæ & prophetarum interpres & perfector: Multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent in sinu Abrahæ. Qui promissionis æternæ uitæ & salutis sinus est, omnes scriptos in libro uitæ continens. Cæterùm uenusta translatio cernitur in confluendi uerbo נהרו, Gentes instar fluminis ad Sionem, hoc est ad Ecclesiam cœlesti Euangelio exornatam, celeriter submoto repagulo confluxuras. Hoc autem repagulum, legis Mosaicæ repagulum est, ac maceries: qua diruta, liber & expeditus ad Sionem patet gentibus aditus. De
II. qua maceria uideris apud Apostolum in epistola ad Ephesios. Fluendi & a-

qua-

quarum translatio non paucos ad Sionem, sed multos, & quorum numerum minimè ineas, confluxuros ostendit: quorum alij alios ad accipiendum Euangelium sint impulsuri; non secus atque fluctus in fluminis cursu fluctum impellit, atque protrudit. Alacritas igitur & promptum amplexandi Euangelium per fidem studium, in fluendi uerbo notatur. Per quam fidem moram nullam sint nexuri: non causaturi inquam neque boum iuga, neque nuptias, neque uillas, neque aliud quicquam, quo minus ad Euangelium Messiæ se aggregent: sed carni, mundo, & quæ in mundo à cœlesti doctrina abducere possint, uim facient, atque hoc ipsum quod apud Euangelistam legimus: Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapient illud: ut flumina ruptis repagulis cursum suum continuant.

Et ibunt.) non ui impulsi, sed sua sponte tracti, nimirum amabili & suaui motu. De quo, Messias rex Sionis: Nemo ad me uenit, nisi quem pater traxerit. quæ tractio non est Mosęa tractio, metu constans seruili, sed Dei patris iucundo amore temperata. Attracti porrò impulsiq; spiritu adoptionis, Sionem petunt: quo afflati, Deum ut patrem suauiter inclamant, ut iudicem non formidant. De quo suaui clamore Apostolus: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Quod ergo legimus, ad montem Sionem proficisci populos multos: hæc profectio non ex loco, sed spiritu fidei ponderatur: qui efficit, ut ibi dicamus Sionem & Hierosolymam esse, ubi Euangelij spiritus electorum pectora afflarit, non uerò esse ubi secus acciderit.

Populi multi.) Ad amplitudinem clementiæ diuinæ, quæ non in paucis, sed multis eluceat: & ad merita sanguinis filij, qui pro pluribus fusus sit, amplificanda. De quo merito infrà uates noster: Et cognitione sui iustus seruus meus iustificabit multos. Accedit ratio corporis Christi Ecclesiæ, quod non ex paucis, sed multis membris necesse sit conflari, ut quod immensam spiritus sacri perfectionem à capite suo IESV Christo tanquam complementum conueniat recipere.

Venite ascendamus.) Ascensum hunc Apostolus explicat in epistola ad Colossenses: Itaque si resurrexistis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens. Ad dexteram inquam potentiæ & maiestatis diuinæ, in hanc omnem rerum naturam pertinentem, non ne ue loco, ne ue tempore, ne ue ullis mundi elementis definitam ac circumscriptam: ut neq; cœlum in quo uersatur Christus & eius cœlestis ciuitas Hierosolyma, neque thronus cœlestis loco circumscriptus est, sed tam longè late que patet, quàm maiestas regis Christi patet atque extenditur. Quare cœlestis Sionis & Hierosolymæ, ad quam leguntur homines ascendere, terrena Sion & Hierosolyma typum prætulit. Etenim ad hanc ut undique ascenderetur, siue à Iordane, hoc est ab oriente: siue à solitudine Arabum, hoc est à meridie: siue à mari, hoc est ab occasu: siue à Galilæa, hoc est à septentrione uenirent: sic, ad cœlestem Sionem & Hierosolymam undiquaque ascenditur. In uerbo autem ascendendi notatur abnegatio rerum terrenarum, & amplectendi cœlestia studium. De quo ascensu Dauid ita canit: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? qui mundas habet manus & cor purum: qui animo suo non ad nequitiam abutitur, neque malicioſe iurat. III.

Ad montem Domini.) amabilem Euangelio pacis & salutis montem: non ad montem Sinam, lege terrifica horribilem, ad quem ascendere non licebat, ut luti legimus in Exodo: Non poterit populus ascendere ad montem Sinai, qui igni, fumo, tremore formidabilis esset.

Et ad domum Dei.) Submoto mystici templi uelo, occurrit templum,

de quo illud: Et apertum est templum Dei in cœlo. Hoc templum propitiatorio Messiæ, Cherubim æterni Euangelij ministris, arca diuini spiritus lege instructa, cãdelabro fundente lucem (de qua uates: In lumine tuo uidebimus lumen) panibus ad uitam æternam alentibus eos qui ipsis uescuntur, suffitione nubes penetrante ad solium clementię diuinæ, insigne est. Hoc templum, doctrinæ cœlestis & precationis, quæ spiritu & ueritate fit, templum est. Quod Christus sacerdos oleo sacri spiritus unctus, iam ad dexteram maiestatis patris sui elatus, spiritu suo consecrare cœpit: in quo uersaretur communicatione sue iusticiæ, sapientiæ, uitæ & gloriæ. Exemplar igitur ad quod Moses tabernaculũ & Salomon templũ iussus est extruere, Messias fuit, & eius corpus Ecclesia.

Et docebit.) Doctor Messias per spiritum suum, sacram illam unctionem, de qua Ioãnes: Vnctio docebit uos omnia. is doctor sic de se infrà loquitur: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, ad prædicandum Euangelium afflictis misit me.

Vias suas.) per quas ad ueram probitatem, uitam & gloriam perueniatur. Via igitur hic est parandæ salutis, non humano consilio, sed diuino spiritu nobis monstrata ratio. Itaque ordine hæc fuerint hoc loco consideranda: Doctor Messias, uia qua ad salutem tenditur, doctrina quæ eam uiam ostendit, præterea regnum quod promulgata doctrina gubernatur, & ipsum regium munus, postremò fructus legis & regij imperij. De singulis ordine ex ipso oraculo.

Et ambulabimus.) Manet in metaphora uiæ. At uerò ut in semitis Messiæ doctoris ambulemus, quæ ratio præstat? Sequitur.

Quia de Sion exibit lex.) Euangelij lex, gratiæ & ueritatis lex, de qua apud Ioannem per contentionem: Lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Quæ contentio tacitè per uatem Iesaiam hic indicatur: Quia lex ex Sion proficiscetur. Quæ suauis & amabilis lex est, iusticiam & uitam æternam afferens. Qualis lex non est Mosæa, siue iudicialis, siue ceremonialis, siue quę Decalogum continet lex. Nam iudicialis in foro & iudicijs tractandis ad ciuilem conseruandam pacem, non in dispensando spiritum sacri ad nouum formandum hominem, qui Deum sanctitate iusticiæ referret, uersabatur. Ceremoniæ tenebras & umbras earum rerum quas Sionia lex in ueritate & luce ostendit, complexa fuit. Quæ lux corporis lux est, de quo Apostolus his uerbis: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. In hac igitur parte legis Christus, sapientia, iusticia & uita Dei uelabatur, qui in lege ex Sione profecta reuelatur. Vnde fit, ut administratio legis ceremonialis, ueli, non apertæ faciei administratio appellata sit. Quantum uerò ad Decalogũ attinet, is in saxeis tabulis scriptus, corda dura, non mollia & carnea tractat. Qui quidem, quæ à nobis fieri uitariq; debeant, præcipit: sed uim præstandi quæ docet & præcipit, non suppeditat. Contrà lex Sionia habet. Hæc enim cum spiritus sacri lex sit, carnea pectora uersans, quod à nobis Mosaica lex requirit, præstat. Sed quid præstat? Præstat, ut prælucẽte fide amemus supra omnia Deum patrem, & alterum sincerè & rectè pro primitijs spiritus Messiæ, quas in hoc seculo accipimus. Altera igitur lex præcipiẽdo imperat, et quod imperat, nõ impetrat: altera credendo in filium impetrat. Quò spectans Apostolus, de utraq; sic in epistola ad Romanos disserit: Etenim quod lex præstare nõ poterat ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Quibus uerbis Apostolus hæc ordine indicat: Primò, legem lege, hoc est naturæ facultate non præstari: deinde, condemnatum peccatum peccato, hoc est, peccati condemnandi nos per legem, uim, per peccatum, hoc est per Christum factum peccatum, hoc est piacularem uictimã

ad expi-

ad expiandum peccatum abolitam esse. Demum de plenitudine capitis Christi spiritum sanctum nobis donari, quo afflati id quod lex requirit præstemus. Atque hoc ipsum est, iustificationem legis, hoc est iustificationem quam lex à nobis exigit, & non præstat, per spiritum sanctum Messiæ impleri. quem spiritum promissum in prophetis fide accipimus, & usurpamus. De quo illud Apostoli ad Galatas, Vt fide acciperemus promissionem spiritus: promissionem uidelicet noui spiritus, qui adoptionis & amoris Dei supra omnia spiritus est. Qui nobis non per legis Mosaicæ, sed legis Euangelij ex Sione proficiscentis administrationem dispensatur. Vnde accidit, ut huius administratio non literæ, ut legis Mosææ administratio, sed spiritus: non mortis, quam lex ex Sina promulgata aucto peccato affert, sed uitæ administratio appelletur. Sed cuius uitæ? uitæ sanè, de qua illud, Spiritus autem uita est: propter iustificationē, quę constat spiritu Messiæ. de quo illud: Nam lex spiritus uitæ per IESVM Christum, liberum me reddidit à iure peccati & mortis. quod est, iustificari credentes in eum, qui perfectio legis est, ad iustificationem omni credenti, dum credimus, Christi satisfacientis legi iusticiam ac obedientiam nobis, tanquam si nostra esset, imputari, & donari spiritū uitæ & sanctitatis: quo præditi, & nos legem implere amando Deum, & alterum, incipiamus. Itaq; cum hic legimus, legem ex Sione profectam, indicatur, huic legem in Sina monte editam tanq; ueterem nouæ cessisse. Nam si iudicialem legem, quam iudices in foro exercuerunt, spectes, hāc unà cum regno exoleuisse, ex Iacobi oraculo discimus: Non auferetur sceptrū de Iuda & legislator, donec ueniat Silo: hoc est, Messias. Vt autem priuati sint Iudæi regno, & legibus regni, atq; iudicibus ordinarijs, promulgato Euangelio: satis constat, & in Genesi id comprobatum. Siquidem ut nouum regnū fuit constituendū, cœleste nimirùm & spirituale, noua Hierosolyma item, & respub. ita ueteris regni administratio cum suis legibus non fuit retinenda, sed abroganda, & noua quæ cōsentanea esset nouo regno instituēdo, & tales iudices ordinarij creādi, quales creauit Messias iam excitatus è mortuis: Accipite spiritū sanctū, &c. Qui regius ille & iudiciarius spiritus est, quo regnum Messiæ & eius noua & cœlestis Hierosolyma gubernatur & regitur. Ceremonialem aūt legem exoleuisse præsentato in mundū Christo, & eius lege promulgata, ex Daniele, & ex natura legis Sionię patet, quæ plena luce & splēdore beneuolētię & gratię diuinę, nō secus umbras & tenebras Mosęę legis dissipauit, atq; oriētis solis lux noctis tenebras dissipat atq; dispellit. Sic sacrificiorum, sabbathorum, sacerdotij ueteris, templi & cultus eius tenebrę subexortam Euangelij lucem euanuerunt, toto uetere Testamento commutato nouo. Decalogi cum sint duo munera, alterū docere, quæ sit Dei de rebus expetendis & fugiendis uoluntas: alterū, accusare & damnare noxæ: hoc cessat, ut cœperit in pectoribus nostris lucere per fidem Euangelij lumen, liberos à iure peccati & mortis nos reddēs. illud nō cessat, sed perpetuò cum mēte durat: cuius naturalis uis est, cognoscere Deū esse prę omnibus amandū, & proximū ut nos ipsos. sed ita durat, ut accipiat à spiritu sacro præstandi quod docet esse faciendum, uim: quam à se non habet, sed ab eo qui ut uelimus quæ Deo probantur, & ea efficiamus, perficit. Qui est Messias benedictus per spiritum, sacrum oleum illud diuinitatis in nobis spirans & uiuens: non Moses, per legem suam de Sina euulgatam. Dicas in uniuersum legem Domini mutari non posse, quæ sit uerbum Dei, quod in æternum manens nulli mutationi obnoxium sit: ideo neq; ceremonialē legem, quę in Dei uerbo numeretur, unq; mutari. Si umbrā in illa, quam cōtinet, spectes, abolita est illa: sin id quod per eam adumbratur, nō aboletur, neq; mutationē ullā sentit. Nam Christū nobis adumbrat, qui dicit se nō uenisse ut soluat legē, sed eā ueritate impleat. Sic lex sacrificiorū in Christo, & eius corpore Ecclesia: sacerdotiū Aaronis, in sacerdotio Christi:

cultus

cultus templi Salomonij, in eius templi cultu, quod Ecclesia est: uetus Testamentum, in nouo impletur, atq; ita durat nunquam abolendũ. Dicas, si uerbum Dei æternum est, & in eo utraq; lex Mosaica & Euangelij cõtinetur, quo modo igitur lex Moſę in Sina monte, & Euangelij in Sione, originem habuisse intelligemus? Lex à Mose edita ut uerbum Dei semper fuit, sed non semper publicè promulgata extitit. De Abrahamo enim, qui fuit priusquam Moses legem sanxisset, dicit Dominus, quòd paruerit uoci suę, & custodierit præcepta, & ceremonias legemq; seruauerit. Sic Adam non sine lege omnino, sed sine lege scripta deliquit in paradiso. Et diabolus cum suis ministris contra legem peccauit, cuius meminit epistola ad Hebræos: Et cum introduceret primogenitum in orbem terrarum, dixit, Adorent eum omnes angeli. Quod si Euangelium spectemus, hoc ab æterno in cœlo diuinitatis sine manu facto fuit, & in paradiso eius lux Adamo affulsit, patribusq; non fuit ignotum, quibus agnus ab origine mundi occisus est: sed eius publica promulgatio æterna non fuit, quã uates noster tẽpore nouissimo de Sione mõte factam testatur. Atq; huius dignitas primo à Doctore nouo & cœlesti Christo Iesu, filio Dei unigena, qui hic Iehoua appellatur: deinde ab usu patefaciendi uiam per quam ad salutem comparandam itur, æstimatur. Hanc autem uiam ostendit Euangelium, quo docẽtur fidem habentes filio, se remissionem peccatorum, sacrumq; spiritum, qui amissam iusticiam & uitam reparet, adipisci.

Hebr. 1.

Apoc. 13.

De Hierusalem.) Non de Aegypto, non de Babylone: æquè minus de spirituali Babylone, sede Antichristi: sed de Hierosolyma, sede & ciuitate cœlestis Dauidis Messiæ. Extra quam, excusso typo, neq; Euangelium, neq; regnum cœlorum, neq; iusticia, neq; uita locum inuenit.

Et iudicabit gentes.) Descripta lege, iam regnum Messię describit: hunc sceptro Euangelij recturum gentes. In quo regno omnia sunt cœlestia & spiritualia, rex ipse, lex eius (quę sit lex spiritus & uitę) & regnum ipsum, quod spirituale regnum est. de quo illud: Regnum Dei est gaudium & pax & iusticia in spiritu sancto. Ciues item huius regni tales sunt, quales describit nouus & cœlestis regni moderator: Vos ex mundo non estis. Neq; hæreditas quæ in hoc regno cernitur, alia quàm cœlestis est. ut in eo terrenũ, & ex hoc mundo uanitati obnoxio nihil est, nisi quatenus quæ in mundi huius elementis cernuntur, rebus spiritualibus & ciuibus in cœlo descriptis deseruiunt, ad amplificandam gloriã Dei patris in filio. Cæterùm in uerbo iudicandi tota administratio indicatur, qua ciuitatem suam rex Messias regit, & eam aduersus aduersarias potestates tuetur atq; defendit.

Et arguet.) Per pœnitentiæ spiritum corriget & emendabit uos, detersis ueteris naturę uitijs, & indita noua, quę sit ad nouí & cœlestis hominis Iesu Christi naturam conformata. De quo emendatore spiritu infrà capite quarto noster uates his uerbis meminit: Cum lauerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem amouerit de medio eius, spiritu iudicij & ardoris. In uerbo igitur Corrigendi duo significantur: ueteris hominis mortificatio per pœnitentiam, & noui generatio per spiritum Messiæ. Hæc duo Apostolus in hunc modum in epistola ad Ephesios explicat: Vos autem non sic didicistis Christum. Siquidem illum audistis, & in eo docti fuistis, quemadmodum est ueritas in Iesu: deponere iuxta priorem conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris: renouari uerò spiritu mentis uestræ, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per iusticiam & sanctitatem ueritatis.

Ephes. 4.

Et conflabunt gladios suos.) Explicatur præstans Euangelij fructus, qui est pax & tranquillitas: quæ bipartita est, interior & exterior. Interior est, qua aduersus peccatum & mortem, de iudicio legis diuinæ, tranquilli & pacati sumus. De qua

qua pace Apostolus: Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum IESVM Christum: hoc est, credentes nobis patrem reconciliatum merito sanguinis filij, pacati sumus aduersus peccatum, mortem, & inferni portas. Exterior pax est, qua positis mutuis odijs & bellis, in Ecclesia omnia placidè geruntur, & pacatè, autore Christo, & exemplo eius, qui de se prædicat: Discite à me quòd mitis sum. Dicas, hactenus semper gētes etiam eas quę se Christianorum nomine censeri uolunt, bellis flagrasse, ut pax quam hic uates prædicit futurā inter gentes, nondum contigisse uideatur. Nam quamuis regnante Augusto pax in orbe terrarum legatur fuisse, ea tamen diuturna
10 non fuit: neq; etiam talis fuit, qualis indicatur futura à uate nostro, & cæteris prophetis. Romanorum enim prouinciæ quæ militaribus præsidijs in fide retinebantur, statim ad defectionem, ut Parthorum, Iudæorum, Asrorum, Hispanorum, Gallorum, Germanorum motus comprobant, spectare cœperunt. Qui Germani Romano imperio rebellantes, præstantissimas quasq; prouincias infestarunt, & terra nunquam non sæuis bellis exæstuauit: quorum Antichristus, sedens in templo Dei, pręcipuus auctor fuit, & etiamnum est, qui parentem draconem suum, cuius spiritu agitur, imitans, orbis terrarum principes inter se funestis bellis committere solet. Quid ergo, percunctetur aliquis, oraculo huic Iesaiæ faciemus, quo prædicitur fore, ut inter gentes in or-
20 be terrarum pax & tranquillitas sublatis bellis cooriatur? Quæ hic uaticinatur Iesaias de gentibus confluxuris ad montem Sionem, & de pace inter eas confirmanda, ad eam nouissimorum temporum partem præcipuè referenda fuerint, quibus ad Antichristi regnum destruendum per Euangelium Messias in orbe terrarum clarissimè patefiet, ad reconciliādos cum Deo maiorum suorum Israelitas, & cum eis in unum ouile sub uno pastore Christo, congregandis gentibus. tum futurum, ut finitis maximis illis terrarum motibus & afflictionibus quæ existent, ad pacem & tranquillitatem electi, qui ex tanta orbis terrarum ruina superstites fuerint, reuocentur. De qua pace post uatem nostrum, quæ temporibus restitutionis Israelitarum & instaurationis Ecclesiæ
30 per resurrectionem primam oritura sit, Oseas sic loquitur: Arcum & gladium & bellum conteram de terra. Similiter Zacharias propheta: Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari usque ad mare, & à fluminibus usq; ad fines terræ. Atq; hæc pax & tranquillitas consequetur animorum tranquillitatem, quam Euangelij spiritus, qui ueræ pacis spiritus est, inter eos conciliarit, quos antea odia siue priuata siue publica dissociauerant. Atq; ad hanc pacem, submotis bellis, & ligato dracone satanę, architecto seditionū & bellorum, componet etiam se cœlum & terra. Nam cœlum, quod æreum temporibus maledictionis fuit, clemens erit: & terra, quæ ferrea, benignam sese osten-
40 det, uersa maledictione in benedictionem. de qua conuersione, quę temporibus reconciliationis sit futura, Zacharias post Mosem sic uaticinatus est: Et eritis, sicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda, & domus Israel, sic saluabo uos, & eritis benedictio: uinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cœli dabunt rorem suum. Dicat aliquis, Christi regnū spirituale esse, & cœleste: ideo benedictionē externam, quæ in pace, & à bellis trāquillitate, in cœli & terræ benignitate & clementia cernitur, locum in illo non habiturā. Verum quidem est, Messiæ regnū à spiritu & cœlestibus muneribus ponderari. At propterea id cœli & terræ pacis externæ longioris q; uitæ benedictionē
50 non excluserit, tanq; contrariam sibi & dissentaneam. Quàm consentanea sint enim ea bona quæ pro bonitate diuina cœlum & terra pijs largiuntur, regno Messię, declarat illud Apostoli: Pietas ad omnia utilis est, benedictionem prę sentis & futuri seculi habens. & Dominus ipse: Amen dico uobis, nemo est

qui

qui reliquit domum aut parentes, aut fratres aut uxorem, aut liberos propter regnum Dei, qui non recepturus sit multo plura in hoc tempore, & in seculo uenturo uitam æternam. Propterea terræ, & eorum bonorum quæ cœlum & terra fundunt, possessio, iure hæreditario piorum propria est, precariò usurpata ab impijs. ut imperium primo Adamo, cum innocentiam tueretur, commissum comprobat: Dominamini piscibus maris, uolucribus cœli, & uniuersis animantibus quæ mouẽtur super terram. Hoc autem imperium quod amissum est Adami primi uitio, secũdi Adami Christi IESV beneficio, unà cum iustitia restituitur. Sic enim in Psalmo canitur: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues uniuersos, insuper & pecora campi, uolucres cœli & pisces maris. Atq; hoc ipsum est quod legimus apud Oseam: Et erit in die illa, exaudiam (dicit Dominus) cœlum, & hoc terram, & terra exaudiet frumẽtum & uinum atq; oleum: hoc est, cœlum erit clemens ad uitalem lucem, rorem atq; pluuiam prębendam: & terra cœlesti luce & pluuia fœcundata, uberem prouentũ feret. Addit uates ille: Et hæc exaudient Iezraelem: hoc est, maledictio quæ per Elũ in Iezraelem declarata est, uertetur in benedictionem: impia Iezabele, hodiesq; tis nota, cum sobole sua scelerosa extincta.

Et lanceas suas in falces.) Non falces in lanceas, ut accidit temporibus profanationis, filio perdito sedente in loco sancto. Aliter regnum Christi comparati est, quàm regnum bestiæ & regna mundi. Hæc armis, cædibus, sanguine paran- 20
tur, augentur & conseruantur: illud sine armis, sanguine & cædibus, contraria ratione, hoc est pacis & tranquillitatis spiritu comparatur: qui spiritus cœlestis agni, omnia in cœlo & in terra suo sanguine pacificantis, spiritus est. De quo infrà uates noster: Princeps pacis. & de ijs, quos is pacificus rex regit, Zacharias: Et semen pacis erit. Hanc pacem prædixit etiam Sibylla:

Καὶ τότε δ' εἰρήνη, βαθύκαρπα σώτειρα ἔσται,
Καὶ γῆ καρποφόρῳ καρπὸν πάλι πλέονας οἴσει.

Contraria ratio regnorum mundi est, & principis mundi satanæ, & filij eius perditi, qui meretrix illa est, non paci, sed bello studens · de qua illud: Et uidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Cæ- 6
rùm cum legimus hic, bella cessatura: discimus, quàm miti & blando ingenio sit agnus Messias, à bellis abhorrens: atque ut ipsa noxa à primo Adamo contracta, bella & cætera mala exorta sint: ut sunt, seruitus, exilia, horribiles uastationes regnorum, cædes, stupra, &c. Quò magis cogitandum fuerit, quãto crimine se obstringant, qui pro libidine animi, nulla necessitate impulsi, bella uel gerunt ipsi, aut alijs ea gerendi autores sunt. In quos iure has diras intentat sanctus propheta Dauid: Dissipa gentes quæ bella uolunt.

Domus Iacob uenite.) Prophetæ sese ad suos Israelitas conuertentis uerba sunt, quos hortatur, ut per æmulationem gentium, ad Messiam se conferant, ad eum 40
fide profitendum. horum enim adoptionem & gloriam, horum testamenta, legis constitutionem & promissiones esse, atq; ad hos pertinere patres, ex quibus natus est Christus. Hæc etiam hortatio spectat, id quod propheta prænognouit, Dei regnum ad Israelitas pertinere, primò ex sententia Messiæ, qui ait: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. & huic obsequentes Apostoli, initio Iudæis Euangelium nunciarunt, quos Petrus Testamenti & prophetarum filios uocat. Hinc etiam accidit, ut Paulus, quamuis gentium Apostolus designatus esset, primò tamen synagogas Iudæorum per gentes dispersas inuiseret, qui in Actis sic loquitur: Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei. Hæc perpendente Iesaia, ab ipso hanc oracularem hortationem instituta pij nonnulli interpretes uolunt. At uerò hæc etiam apostrophe ad 50
Israelitas, à gentibus fieri intelligi potest, quæ suam quoq; profanationem sub filio perdito perpessæ, & ab ea liberatæ, per redditam Euangelij lucem, his postremis

ſtremis reconciliationis temporibus hortaturæ ſint Iſraelitas, ut pertæſi ſuam cæcitatem, Meſsiam ſecum amplectantur, lumen illud Domini, in quo ambulent uidentes, qui antea cæci in mundo ambulaſſent. Atque hæc gentium ſtudia & beneuolentiam qua Iacobæos ſint proſequuturi, declarat infrà uates capite quadrageſimonono his uerbis: Leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meũ, & afferent filios tuos in ulnis, & filios tuas ſuper humeris portabunt, & erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. Quem fauorem gentium in Iſraelitas oſtendendum, ut præfigurarit Cyri & Darij cum ſuis Medis & Perſis ſtudium, quod in liberandis ludæis ex captiuitate Babylonia adhibuerunt, infrà ſuis locis admonebimus.

Ambulemus in lumine Domini.) in fide Meſsiæ benedicti, qui de ſe prædicat: Ego ſum lux mundi. Ambulemus inquam in hac luce, nõ amplius in tenebris quas filius perditus mundo effudit, eas diſpellente illo de quo infrà propheta: Et ponam te in lucem gentium.

Proieciſti enim populum tuum.) Cauſa petendæ lucis, admirabili ui ex tenebris eliciendæ exponitur. Quas tenebras gentes contemplantes, & miſertæ excæcationis Iſraelitarum, ſic ad Deum Iſraelitarum uerbum facturæ ſint: Quoniam tu deſeruiſti populum tuum propter rebellionem eius, ſed ita deſeruiſti, ut non perpetuò deſereres, ſed olim reconciliationis temporibus per æmulationem noſtri cum ad te patefacto Meſsia alliceres: hortamur eum, ut nobiſcum ad Euangelij legem ex Sione profectam confluat. Atque ut id faciant Iacobæi, maiori ſtudio elaborabunt gentes, quòd ipſe quoque ſuas tenebras & miſerabilem errorum caliginem per Antichriſtum illatam recognoſcent. Plurimum enim ad excitandam miſerationem, ſimilium caſuum recordatio ualet. Præſertim cum cogitabunt cum animis ſuis, quantum beneficium ſalutis Iſraelitis debeant, promiſſum nimirum Meſsiam ex ipſis natum: Euangelium è Hieroſolymis, non ex alia mundi parte diuulgatum: & Apoſtolos Iudæos fuiſſe. In quàm autem horribilem defectionem ab Euangelio ad idololatriam inciderint gentes, profanationis templi, cuius Apoſtolus in altera ad Theſſalonicenſes epiſtola admonet, tempora commonſtrant. Quare quæ crimina hic Iſraelitis obijciuntur, ut eorum etiam nos gẽtes affines facti ſimus, magno cum dolore lamentamur, & ab eis liberari, lauarique per ſanguinẽ filij cupimus, confitentes id quod apud Ioannem ſcriptum eſt de Babylone nobili meretrice: Quia de uino ſcortationis eius biberunt omnes gentes.

Quia repleti ſunt ut olim.) Exponuntur ordine cauſſæ repudiationis Iſraelitarum. Harum præcipuam eſſe, quæ reliquarum fons ſit: Iſraelitas neglectis oraculis diuinis, diuinationibus & reſponſis dæmonum operam dediſſe, contra legem: Neque augurijs neque diuinationibus operam date. Huius legis tranſgreſſio continet ſummam à Deo defectionem, prorſus indignam homine, ut condito à Deo, qui ab ipſius uerbo & óraculis pendeat in omnibus ſuis cõſilijs & rebus gerendis: indignior Iſraelitis, in fœdus diuinum receptis, qui à nullo alio quàm Dei ſui uerbo regantur & gubernentur. Nominantur hic orientales in uoce קדם, quos Iſraelitæ diuinatorum & augurum numero ſuperarint, ut ſunt Chaldæi & Syri. Quæ gentes ut diuinis et ariolis atque aſtrologis & uarijs diuinandi artibus infames fuerint, ſatis tum ex profanis, tum ſacris literis manifeſtum eſt.

Et pueris alienis adhæſerunt.) Non contenti, augures & ariolos atque magos conſuluiſſe, niſi etiam eorum diſciplina & uarijs gentium artibus, neglecta lege diuina, curaſſent pueros ſuos erudiri. Sic autem inſtitutos pueros, alienos ac degeneres pueros uocat: ut lege & eius ſacro ſpiritu eruditi doctique pueri, ueri & genuini pueri dicuntur, de quibus infrà ſic propheta loquitur: Et omnes filij tui docti à Domino. Si hiſtoriam requiris, in libro priore Machabæorum

legimus, Hierosolymis ex gentium instituto atq; consuetudine gymnasium institutum, in quo Iudæorum liberi omni humana doctrina & philosophia formarentur. Et ex Apostolorum actis discimus, Iudæos uarijs profanarũ gentiũ artibus institutos, et earum sectas secutos. Nam legimus in illis, cum Stephano eos qui erant è Synagoga Libertinorũ, Cyrenensiũ, Alexandrinorũ, Cilicum & Asianorum, disputasse. Atq; hos uere dici natos alienos, qui hic reprehẽdun tur, qui uera doctrina à Mose tradita, & oraculis à ꝓphetis expositis, sese prophanis disciplinis & literis fingendos tradidissent. Intueamur subducta figura filij perditi tempora, ut scholę ab hoc excogitatę sint, in quibus hypocrisim & simulatam religionẽ defendens, alienos liberos educaret, qui contempto Euangelio uarias philosophorũ sectas sequerentur. Satis id clarè Aristotelica, Platonica, Pythagorica, Stoica, & ex his cẽtones cõsarcinati sophistę cõprobant. Alieni igitur liberi sunt Thomistæ, quos uocãt, Scotistæ, Occanistæ, Albertistę, & qui nobis tot monachorũ ordines genuerũt. Qui cum essent magis addicti philosophorũ literis ꝙ sacris, tot nobis errores de natiuo rationis humanę lumine, de uí liberi arbitrij, de meritis humanis, de perperã & malè explicato uitio originis, de prescięntia diuina ut hęc uoluntati humanę subiecta sit, peperẽrũt. In quib. cum etiã ueteres theologi quos Patres uocãt, uersentur, in eos per philosophiam Platonicam & Aristotelicam abducti: poterunt etiam hi, quatenus à sincera sacrarum literarum doctrina degenerarunt, alienorum liberorũ nota aliquo modo aspersi fuisse iudicari. Quæ nota nos admonere debet, ut eos cum iudicio legamus: uera à falsis, sincera ab insinceris, puraq; ab impuris discernentes. Quod non faciemus, nisi perpensum habuerimus illud uatis nostri, Ad legem & testimonium: nobis uidelicet animum nostrum esse conuertẽdum, nõ ad peregrinas doctrinas. quòd una cœlestis schola, cui doctor præest Christus, una doctrina Euangelij, Mosæa lege & prophetarum oraculis confirmata, ad cognoscendam uiam qua salus nobis paretur, & ad filios germanos Deo gignendos, satis sit.

Repleta est terra.) Contra legem à Mose Israeliticis regibus præscriptam: Ne-
Deut. 17. que aurí, neúe argenti magnam uim augeat. Explicat quæ scelera contemptus oraculorum Dei, & alienę doctrinę susceptio pariat. Ex hoc uitio nasci auaricię, quam uerè Apostolus idolorum cultum uocat. At uerò non aurum & argentum reprobantur, quæ in terra ex temperatione elementorum mundi nata, benedictionis diuinæ opus sunt, comprehensa hac generali approbatione: Animaduertit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. sed auri & argenti augendi cupiditas, ad animi libidinem per ambitionem & luxum explendam, reprobatur. Hinc Dauidis hæc admonitio nata est: Diuitiæ si affluxerint, nolite cor apponere. Secus cõpositi sunt, quos hic diuinus spiritus redarguit, & Dominus apud Oseam his uerbis: Ego dedi eis frumentum, uinum & oleum, & auxi eos auro, quibus Baal operantur. Hęc bona largitus fueram eis, quibus ad amplificandũ nomen meum, & ad bene merẽdum de pauperibus uterentur, ad luxum & idololatriam non abuterentur. Numerantur à propheta, scelera quæ in terra sua Israelitæ commiserunt, per quæ subinde à Salomonis temporibus in deterius dilapsi sunt, usque ad Christi tempora: quo in cœlum recepto, & Apostolorum legatione confecta, in orbis terrarum fines, priuati sacerdotio & regno, dissipati sunt: non sine mystica notatione eorum casuum, in quos Ecclesia per Israelitas præfigurata incidit. In quam miserè ab Antichristo profanatam, eadem reprehensio quæ hic instituta est, congruit: Terra uestra auro & argento repleta est, omnes pecuniæ student, & ad opes augendas intenti sunt, à principibus tum profanis tum sacris, à Pontificibus, episcopis, abbatibus, parochis, usque ad plebeios, falsa religione & malis exẽplis corruptos. Atq; hæc crimina Ecclesia agnoscens, hortabit Israelitas

postre-

postremis his temporibus, ut secum restitutam Euangelij lucem amplexentur, dicens: Venite ambulemus in lumine Domini, abdicatis tenebris aduersarij eius.

Et non est finis thesaurorum.) terrenorum, neglectis thesauris de quibus Dominus Messias cœlestium thesaurorum dispensator sic loquitur: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Item: Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur: sed recondite uobis thesauros in cœlo, ubi neque erugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, neque furantur. Atq; hi sunt cœlestes illi thesauri sapientiæ, uitæ & gloriæ Dei, quos pater filio Messiæ dedit: & per hunc ueris, hoc est, spiritualibus Iacobæis impertit, de quibus propheta sub typo Cyri regis Persarum sic loquitur: Et dabo tibi thesauros absconditos. Hos contemptui habitos à filijs de quibus suprà meminit, Filios educaui, cœlestis pater conqueritur: filios inquam educaueram, qui terrenam naturam exuerẽt, & cœlestem atq; diuinam induerent: at uerò hi in terrã depressi, neglecto cœlo, ad diuitias terrenas congerendas animum applicuerunt, quibus se tanquam crasso luto grauarent. ueluti apud Abacucum, terrenæ diuitiæ denso luto sapienter comparantur, partim quòd opes tanquam graue pondus auersos à cœlo animos in terram deijciant: partim uiam terrenarum cupiditatum lutosam, hoc est impeditam, è qua pedes ægrè expedias, reddunt. Ad hoc diuitiarum lutum nos grauans, & nostros ad cœlestia gressus impediens, Dominus respicit, ubi de diuitibus sic loquitur: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Sapienter ergo Salomon dicit: Qui suis diuitijs confidit, corruet, nimirum eis tanquam onere grauatus. Itaq; rectè à ueteribus dictum est, opibus imperare oportere, non seruire: quæ, si eis uti scias, ancilla sunt: si ne scias, domina: & pecunia non sanari auarum, sed irritari. *Matth. 6.* *Abac. 2.*

Equus.) Contra legem: Ne multos equos habeto. Duo in augendis equis reprehenduntur: alterum, belli studium est, cui equus ut militare animal destinatur: cum sacra gens se paci, non bellis sacratam agnoscere deberet. alterum est, fiduciam in alio quàm in diuino præsidio reponere, contra sententiam illam: Fallax equus ad salutem, neq; liberabit quenquam robore suo. Si intueamur tempora Ecclesiæ superiora, & hæc nostra, ut hæc in parem cum Israelitis reprehensionem incurrat, satis est clarum. Porrò cum hæc esset genita à cœlesti spiritu ad pacem & tranquillitatem, armis, munitionibus, equitatu subnixa, omnia bellis miscet. & id faciũt, qui se sanctissimos & Christianissimos profitentur. Dominus noster Christus, ut in hoc uate legimus, fatetur se gladios & lanceas in falces & uomeres cõuertere: at Ecclesia à filio perdito profanata, & uino errorum sanguinariæ bestiæ inebriata, uomeres & falces in gladios & lanceas conuertit. Quod cum facit, immemor sui ortus est. Homo enim inermis in hũc mundum natus, dat significationem, se non ad arma, quibus sanguinẽ fundat, sed ad pacem, quam tueatur, genitũ: immemor item redemptoris sui Messiæ, qui imbellis agni speciem præferens, suum ad seruandum mundum sanguinem fudit, non alia ad uincendum tenebrarum principatum armatura usus quàm patientia. *Psal. 32.*

Idolis.) Contra legem Decalogi: Ne facito tibi simulachrũ. Terra sacra ante Babyloniam captiuitatem idolis referta fuit: soluta autem illa, etsi externa idola non habuerunt, humanæ tamen sapientiæ & doctrinæ idola coluerunt. Veluti eis alio loco exprobrat Iesaias, ubi ait: Est eorum cultus ac religio qua me colunt, præceptum quod ab hominibus docetur. Atque hanc reprehensionẽ acrem ac seueram Christus Dominus noster ad sua tempora refert. Quæ maior autem idololatria excogitari poterit, quàm ea, qua contempto uerbo Dei,

humanæ doctrinæ tanquam uerę religionis & cultus diuini doctrinæ ſuſcipiuntur? Quod cum ſit, contra eum ſuſcipiuntur, in quo ſolo ut æterna ſapientia & uerbo ſuo Deus colendum ſe propoſuit: qui eſt Meſsias benedictus. Expro bratur Iudæis idololatria. Vt hac in regno Antichriſti ſponſa Eccleſia adultera facta ſeſe obſtrinxerit, declarant ſuperiora ſecula, in quibus ut montes, ualles, agri, uici, urbes, nemora ligneis, lapideis, plumbeis, argenteis, aureis, & ad hæc adoranda templis & aris omnia repleta ſint, ſatis manifeſtum eſt. Vt uerè in miſerè profanatam Eccleſiam redargutio hæc competat: Et repleta eſt terra idolis, opus manuum ſuarum adorauerũt, quod fecerunt digiti eorum. & illud Oſeæ: Spiritus fornicationum decepit eos, & fornicati ſunt à Deo ſuo: ſuper capita montium ſacrificarunt, & ſuper colles incenderunt thymiama, ſubtus quercum & populum & terebinthũ, quia bona erat umbra eius. Itaq; cum prophetarum oculus uniuſ alicuius ſeculi finibus minimè definiatur, ſed longiſsimè in ſequentia ſecula & tempora proſpiciat: non minus in illorum concionibus Eccleſiæ ſtatus, quem hæc in nouiſsimis temporibus habet, depingitur, q̃ Iudæorum, qui Eccleſiæ figuram præferunt, eſt depictus. Quare ſancti Iudæorum uates, iure etiam noſtri uates, nobis ad docendũ admonendumq; dati, haberi debent. Hinc illud Pauli ad Timoth. Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata eſt utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionẽ, ad inſtitutionem.

Opus manuum ſuarum.) Oblíti dignitatis ſuæ. idola enim tanquã dominos ſuos reuerentur, qui ſecundum Deum domini omnium conſtituuntur. In operibus manuũ cõtinetur etiã ſapiẽtia & prudẽtia carnis, & cultus omnis Dei, qui extra diuina oracula & Chriſtũ ipſum inſtituitur. Præcipua igitur idola ſpectantur in humanis mãdatis religionis ergò excogitatis, in humanis meritis, atq; in ipſa iuſtícia legis & operũ. Sic cum hypocrita & phariſęo illo omnes idololatrę ſunt, qui dicunt: Gratias ago tibi Domine, quòd non ſum ſicut cæteri homines.

Adorauerunt.) Contra legem: Neq; adorato ea.

Quod fecerunt digiti eorum.) quos in manu diuina prouidẽtia collocauit, ad peragenda opera quibus eius gloria amplificetur, & ea quę ad hominum uſum & ſalutem pertinent procurentur. De quo uſu Moſes meminit, ubi ait legem diuinam manibus alligandam eſſe: non eis contra legem utendum, ac dehonestandum nomen Dei.

Incuruatus eſt homo.) Exponitur, enumeratis uitijs, in rebelles æqua & extalionis lege ſentẽtia: depreſſum & deiectũ iri, qui ſe aduerſus Deũ diuitijs & humanæ ſapientiæ faſtu extulerunt. Hæc ſimplex ſententia eſt: alias interpretationes non recenſeo.

Neq; ergo remittas eis.) Deum eis ſua ſcelera non condonaturum, quin eas puniat. Hebræus uenuſtè leuandi uerbo נשא utitur, Non leuabis eis: hoc eſt, noxam tanquam graue onus quo minus deprimantur, ne tollas ab eis. Præceſſerat, Deprimẽtur homines: ideo ſequitur, Non leuabis onus delictorum ab eis, ſed eos oppreſſos cadere ſines.

Ingredere in petram.) Imperatiui hi minacem & inſultantem prophetiam oſtendunt. Fruſtra improbos tentaturos fugere ultionem diuinam. Hi ſolent ſuorum delictorum ſibi conſcij, moliri fugam, & fugiendo in manus Dei incidere. Sic Adamus fugit, fugit Cain, fugerunt quinque illi reges Chananæi, in Maceda ſpecu ſe illatebrantes. ſed non effugerunt illum de quo Dauid: Dominus iuſtus iudex. Huius oculi, ut eſt apud Salomonem, ſpeculantur probos & improbos. Sed quærat hic aliquis, de quo tẽpore hæc diuina ultio accipienda ſit? Alij de Babylonia captiuitate Iudæorum, alij de ea qua per Romanos affecti ſunt calamitate, alij de ultimo mundi iudicio interpretantur. Si luctuoſum Iudæorum ſtatum ſpectes, in quem ob crimina ſua inciderunt, hoc uatis noſtri oraculũ tum de Babylonio exilio, quo ſuccenſo tẽplo, Hieroſoly-

mis

mis euersis, terra uastata Babylonem translati sunt: tum de illa horribili à Romanis illata clade quòd Messiam interfecissent, eius Euangelio reiecto, intelligitur. In qua priuati regno, & sacerdotio miserè depressi & deiecti sunt. Sin uerò sublata figura, statum Ecclesiæ consideras, in quo hæc his nouissimis temporibus futura sit, uaticinium Iesaiæ quò pertineat, declarat interpres omniū prophetarum Christus apud Matthæum uicesimoquarto capite, ubi maximę afflictionis meminit, qua terra bellis, fame, peste, terræmotibus diuexanda, & ut est apud Malachiam, anathemate percutienda sit. Sed quo tempore hanc longè maximam afflictionem per terrarum orbem peruasuram indicat? Eo sanè tempore, quo abominationem desolationis stantem in loco sancto cernere continget. Sic enim ait: Cum uideritis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Dicas eum de desolatione loqui, qua Romani erant templum profanaturi, & Hierosolymam euersuri. Bene quidem, si typos & umbram rerum futurarum consideres: sin uerò rem ipsam præfiguratam, rectè Dominus significauit ea tempora, quibus spiritualis abominatio, quæ Antichristus est, in loco sancto, hoc est, in templo Dei, quod electorum Ecclesia est, sedere cernetur. Subijcit enim: Qui legit, intelligat. Quibus uerbis mysterium subesse ostendit oraculo Danielis. Hoc autem mysterium explicat apostolus Paulus, in altera epistola ad Thessalonicenses his uerbis: Et patefactus fuerit homo ille sceleros us, filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnē qui dicitur Deus aut numen: adeò, ut in templo Dei sedeat, ostentans seipsum esse Deum. Is igitur ut cœperit patefieri, dicit Dominus tantam in terra exorturā calamitatem, quanta nunquam antea exorta sit, neq; posthac sit exortura. Sed qua luce prælucente, ille patefiet, & patefactus iudicabitur, cum improbis orbis terrarum? Euangelij luce patefiet & iudicabitur. Sic enim ait: Et prædicabitur hoc Euangelium omnibus gentibus in testimonium: in testimonium inquam iusti iudicij Dei, & ultionis de impijs in orbe terrarum sumendę. Quam noster uates & cæteri sumendam prædicunt, Messia ipso ad iudicandum accincto per spiritum oris sui, qui sacri Euangelij spiritus est.

In petram.) Est igitur petra, in quam abditi non seruantur: ut est in humana presidia fiducię petra. Est item petra, in qua absconditi seruantur, de qua illud: In petra exaltauit me. Hæc petra Messias benedictus est, de qua is ipse: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

A' facie timoris Domini.) Ob terrorem, quem Dominus per filium, cui omnem iudicandi potestatem dat, improbis, postremis his temporibus tuba Euangelij in orbe terrarum sonatura incutiet: cuius quidem uox pauorem illis, & solatium pijs afferet.

Et cum gloria maiestatis eius.) A' splendore maiestatis iudicis Messiæ pro tribunali sessuri, ad euertendum regnum aduersarij, & suum per resurrectionem hāc primam erigendum, per spiritum Euangelij. In qua resurrectione prima prælu detur secundæ resurrectioni, & illi generali iudicio, quo Christus in aduentu suo glorioso de omnibus uiuis & mortuis iudicabit. Sed de hoc mysterio alijs locis clarius meminerimus.

Oculi sublimes hominis.) In oculis fastus & superbia apparet, unde loquendi hęc forma mutuata est. Fastus is latissimè in sapientibus huius mundi, in hypocritis & hypocritarum principe pastore illo stulto, & opulentis & potentibus ostenditur. Prædicit ergo uates, omnem fastum qui se aduersus Christum & Euangelium eius extulerit, per Euangelij uim & potentiam deiectum depressumq; iri.

Et incuruabitur altitudo uirorum.) Humana iustitia, sapientia, potentia, scita contentione à uate ipsi גבוה opponitur & שפל רום deprimendi uerbum רשה.

Et exaltabitur.) Depressa excelsitate mundi, & illius sublimitate, qui audet se

ſupra omne id quod eſt Deus efferre, dicẽs: In cœlum aſcendam, & ſupra aſtra Dei collocabo ſedem meam.

Dominus.) Meſsias, in ſuis electis ex tanta orbis terrarum clade redemptis, de quibus ille ipſe his uerbis: Et abbreuiabũtur dies illi propter electos. uidelicet, amplificaturos unum Meſsiam, regem regum & dominum dominantiũ, quẽ antea aduerſarius cum ſuis deiecerant, ipſum aſpernantes.

Solus.) declarata maieſtate ſua, ad quam excitatus è mortuis translatus fuit, ſibi uſurpata poteſtate. de qua ipſe his uerbis: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra.

In die illa.) aduentus Meſsiæ die, qua per patefactionẽ Euangelij ad redimẽ- 10
dos ſuos ex aduerſarij regno, per maximas orbis terrarũ calamitates ueniet. de quo aduentu infrà capite LIX meminerimus, uatis ſententiã ex apoſtoli Pauli uerbis interpretantes. Qui aduentus Meſsiæ duo munera habet: alterum in puniendis improbis & poteſtate aduerſaria deijcienda, alterum in liberandis electis per Euangelij lucem cernitur. In qua liberatione oracula à Moſe & prophetis de reconciliatione Iſraelitarum, & gentibus ad Meſsiam copioſe aggregandis, implebũtur. De priore munere hoc loco uates admonet, de altero planius alijs locis. Et quoniam is Chriſti Domini noſtri aduentus, quo per manifeſtationem Euãgelij ad nos uenit, uiam parat aduentui glorioſo: etiam is, ſed tectius, pro ratione adminiſtrationis ueteris fœderis, deſcribitur hic, & in alijs 20
noſtri uatis & aliorum prophetarum locis.

Exercituum.) Meſsiæ imperio & uictoriæ omnibus in cœlo & in terra ſubiectis. De quo imperio Zacharias propheta capite XIIII his uerbis: Et Dominus rex ſuper omnem terram. In die illa erit Dominus unus, & nomen eius unum. Et hoc ipſum eſt quod propheta Ieſaias dicit, ſed alijs uerbis: Et ſolus Dominus extolletur in die illa.

Super omnẽ ſuperbum & excelſum.) Qualis ſuperbus eſt is præcipuè, de quo Daniel loquitur: Et ſermonem contra excelſum loquetur. Et qualis eſt mons ille magnus, reſiſtens Zorobabeli Chriſto in inſtaurando templo & Hieroſolyma cœleſti: ut eſt mundus, & eius princeps ſatan, Antichriſtus, & tyranni orbis 30
terrarum. De his montibus Zacharias prophetat ex ſententia noſtri uatis, eos complanatum iri: ut facilè eis ſuperatis, glorioſus rex noſter Meſsias appareat.

Et ſuper omnes cedros Libani.) Quæ ſimpliciter explicauit, iam figuratè ſub nominibus cedrorum, quercuum, montium, turrium, murorum, nauium inſtructarum, rerum que ſplendidarum, amplificandæ maieſtatis Meſsiæ gratia, explicat.

Quercus Baſan.) Regio Baſanitis ad orientem eſt Iudææ, trans Iordanem, ditionis Gadinæ paſcuis & nemoribus clara. Quercuum robur & amplitudo nota eſt. unde metaphora de potentibus ſumpta Zacharias: Vlulate 40
quercus Baſan.

Super omnes montes.) Quales à Septentrione Iudææ Libani ſunt, & à meridie Arabiæ montes: locus ſuprà paulo indicatus. Suprà uates montem Sionem celebrat, ab Euangelio nobilem futurum: hic cæteros montes deijcit, ut à monte Sione ſuperandos.

Super turrim excelſam.) Nullas mundi munitiones à Meſsiæ potentia tutas fore. Eſt igitur turris, quæ tempore rerum aduerſarum minimè ſeruet: ut eſt humanæ ſapientiæ & potentiæ turris, ædificata nimirum ſuper arenam. Eſt
Prouerb. 18. item turris, quæ tuetur qui ad ipſam confugerint, de qua Salomon, Turris fortiſsima nomen Domini: nomen uidelicet bonitatis & fidei ac ueritatis, 50
quam præſtat in implendis promiſsis. De quo nomine Dauid: Omnes uiæ Domini, bonitas & fides.

Et

Et ſuper omnem murum.) Vno muro defenſuro ſuos tẽpore afflictionum, de quo Zacharias: Ego ero ei murus igneus per circuitum. Qui murus non materiatus murus eſt, ſed ſpiritualis: nõ terrenus, ſed cœleſtis: hoc eſt, Chriſtus IESVS, per igneum ſuum ſpiritum tanquam ſcoriam conſumentem hoſtes, & ſuos ad claritatem Dei tanquam aurum expurgantem.

Et ſuper omnes naues Tharſis.) Paraphraſti Chaldæo תרשיה eſt mare, ſimiliter Græcis. In Geneſi capite decimo legimus, Iauan filij Iapheth hos fuiſſe liberos: Eliſſa, Tharſis, Cithim, Dodanim. Itaque ueriſimilis eſt ſententia Ioſephi, Tharſo urbi Ciliciæ, patriæ apoſtoli Pauli, Tharſis nepotẽ Iapheth nomen dediſſe, & ab ea urbe mare Cilicum Tharſis appellatum. Sententia igitur eſt, neque terreſtrem, neq; maritimam potentiam Meſsiæ regis uim declinaturam: ſed eum mari & terræ per Euangelij ſui ſceptrum dominaturum, ab ortu ad occaſum, à ſeptentrione uſq; ad meridiẽ. Qui quatuor mũdi cardines deſignantur in cedris Libani, quercubus Baſanitidis, montibus Arabiæ, & mari ab occaſu alluente terram ſacram.

Super omne quod eſt uiſum pulchrum.) Notantur שביוה uoce omnia ſplendida & ſpecioſa, quæ mundus expetit: à figuris, cælaturis, picturis que elegantibus tropo mutuato. Omnia quibus mundus is oblectatur, per afflictiones in orbem terrarum uenturas caſura, iudice Meſsia. De his apud Ioannis Apocalypſim capite XVIII uideris.

Solus.) Nomen nimirum adeptus, de quo idem Apoſtolus: Ac donauit illi nomen quod eſt ſupra omne nomẽ, ut in nomine IESV omne genu ſe flectat, cœleſtiũ ac terreſtriũ & infernorũ, omnisq; lingua cõfiteatur quòd Dominus ſit IESVS Chriſtus ad gloriam Dei patris. Hoc nomen, quod hactenus contẽptum per aduerſariũ iacuit, Euangelij ſceptrum illuſtre reddet, ſceptro illo confracto, de quo Zacharias: Et deprimetur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Aegypti recedet. Myſticus is ſermo ſuo loco explicabitur.

Et idola penitus conterentur.) obtentura lege Sionia in orbe terrarum, in hac poſtrema patefactione Euangelij. Intueamur præſentia tempora, ex quibus eorum quę ſequentur, indicia colligimus. Nam huius diei qui hic memoratur, ſui progreſſus erunt, dum oẽs fines terræ intellígant per hãc nuper cœptã Euãgelij lucẽ impletũ iri, quę à prophetis prędicta ſunt. Similiter noſtro uati Zacharias: Diſperdã nomina idolorũ. atq; accidet quod Oſeas præſignificauit his uerbis: Et erit in die illo, ait Dominus, uocabit me uir meus, & nõ uocabit me Baali: & auferã nomina Baalim de ore eius, & non recordabit ultra nominis eorũ. Quibus uerbis ſignificat, Eccleſiã poſita idololatria, & abſterſo adulterio cum diis alienis cõmiſſo, marito Chriſto ſe coniuncturã, & cũ eo in gratiã rediturã.

Cum ſurrexerit.) Qui iam multis ſeculis, ſedẽte aduerſario in templo Dei, dormitare uiſus ſit: ſed hoc tempore reſtituendæ lucis Euangelij, non dormiturũ, ſed euigilaturum.

Percutere terram.) plagis afflictionum ſupra memoratis, ſed abbreuiandis propter electos. In uerbo מרץ notatur uis, quam Dominus terrę, hoc eſt, habitantibus in terra potentibus tyrannis, dominatu ſibi uſurpato, ſit illaturus.

In die illa.) Qua patefiẽt errores & idololatria Antichriſti per lumẽ Euãgelij.

Proijciet homo idola argenti ſui.) His aduerſus tremendũ iudicĩũ Meſsiæ, quod per ſpiritum Euangelij ſui exercebit, cultores ſuos minimè defendentibus.

Talpis & ueſpertilionibus.) Quę antea in cõſpicuo loco poſita fuerãt ad adorãdũ. Digni dij qui in tenebras abijciantur, qui ſuos adoratores luce (quę de ſe dicit, Ego ſum lux mundi) priuatos, in tenebris & cæcitate mentis detinuerunt.

Quieſcite ab homine.) Epiphonemate cõcludit diuinam ſententiã in ſceleratos. Sed non una eſt interpretatio huius loci. Sunt enim qui in hunc modum interpretantur: Quoniam Dominus terram uarijs calamitatib. uexabit ob ſcelera

eorum qui in illa habitant, desinite metuere uobis ab hominibus è quorum naribus caducæ uitæ halitus exit: sed potius metuite Deum, qui uos, si improbi pergatis esse, perdere possit, & conseruare, si probitati studeatis. Hæc interpretatio conuenit cum sententia illa Christi Domini nostri, ubi suos sic admonet: Ne metuatis uobis ab eis qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt: sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Atq; hæc hortatio si unquam locum habuit, hodie in hac patefactione Antichristi, ad uindicandos pios, locum habet. Quàm enim is ad suum regnum ex tenebris, mendacijs & hypocrisi conflatum, conseruandum, eos qui Euangelij fidem habent, atrociter & hostiliter insectetur, palàm est. At cum id facit, debet nobis ex nostro uate peruasum esse, eum timendum nõ esse: cuius fluxæ uitæ spiritus facilè exspiret, atq; in nullius potentiæ æstimatione sit, quam aduersus Messiam Dominum cœli & terræ & electorum uindicem exerceat. Altera interpretatio est, in homine qui flatum in narib. habet, spem ponendam non esse. Nam quanti is est, ut ei confidatur? Sic in lugubri carmine Hieremię legimus, capite quarto, de rege Iudæorum, in quo spem suã collocarant: Spiritus narium nostrorum Domini unctus captus est. Tertia est, ab homine sacrosancto Messia infestando abstinendum esse, qui in hunc mundum neglecta quidem specie uenerit, spiritum in naribus facile efflandum tenens: per quam contemptam speciem, à mundo contemptus habeatur. sed potius diuinitas cœlestis illius hominis, quæ sub illa forma latuit, consideranda fuerit in Christo: qui Dominus omnium factus, de sceleratis pœnas expetat, & probos seruet. Quarta interpretatio sic habet: Cessate contemnere Messiam, in cuius naribus spiritus & ignei furores in impios accensus spirat, cui nulla uis resistat, quo is uos, nisi resipiscatis, interficiat. Nam quem uos putatis esse Messiam, quod eum & eius cœlestem doctrinam tantopere aspernamini, eiusq; cultores ferro, igni, laqueis tam inimicè persequimini? Quatuor interpretationes proposuimus, de quibus ut lectores iudicent, per me licebit. Prima satis simplex est, & uulgo recepta.

Matth. 10.

Genes. 2. *Eius spiritus in naribus est.*) Alluditur ad illud in Genesi, Et insprauit in nares eius halitũ uitalẽ: qui per nares ostenditur. Hinc in odoratum sensum odor, qui spirabilis naturæ est, cadit: & è naribus ignis spirabilis ignis, furorq; igni accensus efflari dicitur.

IN CAPVT TERTIVM.

ECCE *dominator Dominus.*) In hac concione uates explicat, quomodo Christus Dominus exercituum gentem suam Israeliticam deseruerit, ut repudiatus ab ea fuisset. Pœna autem rebellionis aduersus sacrum Euangelium, qua Iudæorum respub. euersa est, sequentibus uerbis exponitur. In ea duplex clades continetur, exterior & interior: altera eos luce uerbi & oraculorum Dei, altera imperio & legitima reipub. administratione spoliante. In hac autem sua calamitate Iudæi ut miserum Ecclesiæ statum, quem sortita est sub Antichristo, præfigurarint, suis locis indicabimus. Ex hoc uatis nostri sermone intelligimus, Domini diẽ, de quo suprà mentio facta est, sua habere spacia & interualla: quorũ una pars refertur ad ea tempora, quibus Iudæi excæcati in eas ærumnas & afflictiones inciderunt, quibus tot seculis ob reiectum Euangelium uexati sunt: altera pars profanationem interioris templi, & Hierosolymæ, & hæc restituti Euangelij tempora, quibus de improbis Messia pœnas expetiturus, & reliquias electorum in tanta orbis terrarum ruina seruaturus sit, cõplectitur. Itaq; luctuosum Iudæorum exilium nobis partim pro figura, partim pro exemplo deseruit. pro figura quidem, quòd cognoscimus, quemadmodum Iudæi templo incenso,

Hie-

Hierosolyma euersa, terra deuastata, in exilium missi sunt, regno & sacerdotio priuati: ita Ecclesiam eadem passam interne, per filium perditum, templum Dei profanantem: Hierosolymam, Ecclesiam ex electis descriptam, doctrinis dæmoniorum uastantem: hæreditate cœlesti eos quos occupat suis erroribus, quantum in ipso est, priuantem, & in miserum à regno Dei exilium mittentem. Quantum uerò ad exemplum attinet, in eo calamitosus Iudæorum casus utilis est ad contemplandum: quòd ex eo cognoscimus, non secus nos bellis, fame, peste & rerumpublicarum euersionibus ob contumacem contemptum Euangelij & ingratitudinem puniri, atque ipsi puniti sunt. Quò pertinet illud Apostoli: Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis, & scripta sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatum inciderunt. 1. Corinth. 10.

Auferet à Ierusalem.) Tanquam iustus iudex, ut quem maritum agnoscere noluit, eum seuerum iudicem experiatur: non eam nominibus ciuitatis Dei, dilectæ sedis, in qua Deus habitet, non templo, non sacerdotio, non regno & alijs tuentibus. Intueamur alteram Hierosolymam: ut similia ei acciderint, & accidant, ex ipso oraculo cognoscemus.

Validum & fortem.) In Hebræo: fulcimentum, & rem fulcientem. Sed quod est hoc fulcimentum ac sustentaculum? Sequitur in textu: Omne adminiculum panis & aquæ. Hac periphrasi utitur scriptura, cum de pane loquitur. Sic Moses: Confringam baculum panis uestri. Scitus tropus est. Vt baculo gressus nostri, ne labantur, reguntur: ita pane cor fulcitur acroboratur, ne cõcidat, & inedia fatiscat. Cæterùm nomine panis continetur, quicquid commodum ac necessarium ad uictum est. Minatur igitur hic rerum omnium penuriam. Quæ horrenda fames & penuria inuaserit Hierosolymam tempore obsidionis, qua à Tito obsessa est, ex historia Iosephi patet. Grauis est fames, qua laboratur cum abest panis: sed longè grauior fames est, qua desideratur panis qui de se dicit, Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me, non esuriet, &c. Ioan. 6. Vtroq; pane Iudæi priuati sunt. Accommoda hæc ad Ecclesiam. Vt huic cœlestis panis subtractus sit, secula Antichristi docent: quanta autem sæpe annonæ charitate laboretur, constat. Non interest ea de re uerbis meminisse, cum res ipsa nos doceat.

Fortem.) Heroas, in quorum animis spiret res magnas & reipublicæ salutares moliens spiritus. Quibus fortibus uiris si destituta sit respublica, facilè hostium iniurijs obnoxia fit. Ecclesia quibus Heroibus & fortibus uiris, belli que gerendi aduersus mundum & principem mundi Satanam peritis priuetur iam multis seculis, hodie cœpimus agnoscere: & ut in rerum publicarum gubernatione heroico spiritu præditi homines desiderari magna querela est, ad gubernacula sedentibus ignauis, quibus nihil minus curæ est, quàm pietas & publica honestas, atq; uitiorum profligatio.

Iudicem.) qui ius dicat omnibus. Contrà locum habentibus in republica talibus iudicibus, quales suprà descripti sunt: Principes tui sunt peruersi, socij furum, omnes diligunt munera, pupillis ius non reddunt, uiduarum causas non admittunt. Sunt & iudices qui ius ex Euangelio dicunt, soluentes grauiter laborantes conscientias, & in delictis obfirmatos ac contumaces peccati & mortis uinculo ligantes. De quibus iudicibus Christus: Accipite spiritum sanctum: quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Ioan. 20. Talium autem iudicum penuria laborauit iam longo tempore Ecclesia. Quæ calamitas etiam in hoc uatis nostri uaticinio continetur. Iudices autem Apostolos, & qui apostolico prædicandi munere funguntur, dici, indicat Dominus, ubi apud Lucam sic ait: Et sedeatis supra thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Quod iudicium ex Euangelio fit, de quo in hunc modum

Christus:

Ioan. 12. Christus: Sermo meus iudicabit uos in nouissimo die. & Apostolus in epistola
Rom. 11. ad Romanos: Cum iudicabit Dominus occulta hominum, iuxta Euangelium meum, per IESVM Christum. Hoc quidem generale iudicium fiet in nouissimo secundæ resurrectionis die. speciale autem fit, quocunq; tempore prædicatur Euangelium, abdita in pectoribus eorũ qui illud audiunt, patefaciens.

Et prophetam.) Legis, ex qua iudex pronunciet, doctorem, & futurorum monitorem, quorum præsignificatione cognoscat quomodo sese in gubernanda repub. gerat, dum intelligit prosperas res rectis iudicijs, aduersas iniquis comi-

Prophetæ munus. tari. Est enim prophetiæ munus, futura prædicere, & docere quæ recta sunt, & sceleratos de sceleribus redarguere: & nisi in uiam redeant, exitium minitari. Sic Samuele Saulus, Nathane Dauid, Ezechias Iesaia, & alij reges alijs prophetis usi sunt. In regno Antichristi ut Ecclesiæ sui desint prophetæ, hoc est religionis uerę interpretes, qui ex Euangelio rectè moneant, doceant, reprehendant crimina, obscurum non est. Sed loco uerorum prophetarum falsos repe-
24. rias, de quibus Dominus apud Matthæum sic prædixit: Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. sed his docentibus regnante Antichristo, qualis existit status Ecclesiæ? Sequitur apud Matthæum: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. quæ calet & inflãmatur temporibus uerorum prophetarum, qui Euangelium Dei & proximi amorem per fidem accensum spirans, prædicant. Horum spiritus ex Deo est: illorum non ex Deo, sed Antichristi spiritus est, qui non confitetur Christum nostram iusticiã esse & uitam: aut partim salutem ex nobis, partim ex Christo nobis constare fatetur. De quo spiritu falsorum prophetarum uideris apud Ioannem capite quarto prioris Epistolę suæ.

Ariolum.) Prudentes homines, qui ex præsentium rerum statu de futuris solerter diuinare queunt, Hebræa uox hoc loco significat: in bono, non in malo
Prouerb. 14. usurpata. ueluti accipitur etiã apud Salomonẽ in Prouerb. קֶסֶם, hoc est, Diuinatio, seu oracullum in labijs regis est.

Et senem.) rerum usu & prudentia præditos homines: rempub. contrà pueris, hoc est imperitis regentibus. De quibus infrà: Dabo pueros principes eorum.

Principes super quinquaginta.) Non meminit centurionũ, neq; chiliarcharũ, cum ne semicenturiones quidẽ sint relinquendi. Vtrunq; magistratũ, & qui domi remp. moderetur, ciuibus ius suum reddens, & qui foris bella gerat ad hostem profligandum, defuturum Hierosolymis.

Et honorabilem uultu.) dignitate & autoritate præditos. Quam dignitatem uirtutes, & res prudenter ad usum reip. gestæ pariunt.

Consiliarium.) qui publica consilia tractet ex usu reip. Israelitas omnia temerè sine consilio acturos, ut re maximè necessaria curandæ reipub. destitutos,
Prouerb. 15. quæ est bonum consilium, à ueteribus sacrum appellatum: ut indicat græca illa sententia, ἰερὴ ἡ συμβουλή. Quò pertinet illud sapientis Salomonis: Absq; consilio irritæ sunt cogitationes, & eædem in consiliorum multitudine ratæ. Itaq; in Hebræa lingua Reges מוֹלְכִים, quos conueniat consilio præstare, appellantur: & Romanis sui Consules eadẽ ratione uocati sunt. Neq; uerò mirum est, priuatam consiliarijs Hierosolymam, quæ consiliarium illum, de quo infrà uates noster meminit, reiecerit: Filius datus est nobis, & appellatur Cõsiliarius.
9.

Et sapientem de architectis.) Etiam architectis & fabrilis artis peritos defuturos. Si Ecclesiæ statum sub filio perdito consideres, ut sui periti fabri & architecti illi desint, miserabilis ruina eius documẽto est, architectos nimirum & fabros
1. Corinth. 3. desiderari, de quibus Apostolus: Quasi sapiens architectus fundamentum posui. fundamentum uidelicet IESVM Christum, de quo idem Apostolus: Nam fundamentum nemo potest ponere præter id quod positum est, IESVS Christus.

ſtus. Vt autem hoc fundamento neglecto, imperiti & ſtulti fabri ſuper liberi arbitrij, iuſticiæ legis & operum, meritorum humanorum & uariarum ſectarum arenam, ad perſcriptum doctrinarū humanarum ædificarint, bellū quod hodie Agno aduerſus feram & beſtiam Antichriſtum, Hieroſolymæ Eccleſiæ uaſtatorem ſuſcipitur, declarat. De quo bello Ioannes in Apocalypſi ſua: Hi cum agno pugnabunt, & agnus uincet illos: quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex regum: & qui cum eo ſunt uocati, electi & fideles. 17.

Et prudentem eloquij myſtici.) Etiam oratoribus carituram Hieroſolymam. Nam non in malo uox מלחשים, pro incantatoribus hic accipitur: ſed in bono, pro eloquentibus hominibus, ut etiam in Pſalmo XLI & aliis locis ſumitur. Quantum autem eloquentia in gubernanda repub. ualeat, non eſt præſentis loci id demonſtrare. In Eccleſia, ut oratorum (qui animorum motus & perturbationes oratione ſedent, ut auarus poſita pecuniæ cupiditate liberalitati, luxu perditus frugalitati, ambitioſus moderationi, ebrius ſobrietati ſtudeat: & qui malas doctrinas ſecutus eſt, bonas amplectatur, malis relictis) neceſſarius uſus ſit, & is diu abfuerit, hodie ſatis notum eſt: & ut Deus oratores ſacros, in quorum labris diuinus ſpiritus uerſetur, reſtituere ſuæ Hieroſolymæ uelit, ardens precatio eſt. Oratores inquam reſtituere uelit, de quibus infrà uates: Quàm ſpecioſi ſunt pedes euangelizantium pacem. Qui in commutandis animis oratione præſtent, quod incantatores in compeſcendis ſerpentibus incantando præſtant: uicto ab eis, ſacræ doctrinæ ui, ſerpente illo uetere diabolo: eius ueneno, quod is callidè & malicioſè aſperſerat, de animis illorum quos docent, abſterſo.

Et dabo pueros principes eorum.) ſublatis ſenibus, de quibus ſuprà: Auferam ſenem. Quod ponitur in maledictione, de qua Salomon: Væ terræ cuius Rex puer eſt. Quod non tam de ætate, quàm prudentia accipitur. Inuenias qui ætate pueri ſint, prudentia ſenes: exemplo Salomon eſt. Item qui ætate ſenes ſint, prudentia pueri: ut fuere impij Iſraelitarum reges cęterarum gentiū reges non cōmemoro. Inuenias & ætate & ſapientia pueros: ut ferè ſunt adoleſcētes, rerū uſum minimè callentes. Propterea tales non temerè in rebuſp. bene conſtitutis, ad publica conſilia & eorum curationem admittuntur. Quos pueros, ſpiritus diuini prudentia uacuos, in Eccleſię adminiſtratione cernere liceat, pericu lum eius & ruina demonſtrat. Inter quos, quod intolerabile eſt, reperias, cum quibus Dominus his uerbis expoſtulat: Impio autem dixit Deus, quare tu enarras inſtituta mea, & fœdus meum in ore tuo habes? qui odiſti diſciplinam, & ſermones meos poſt tergum reiecisti. Si uidebas furem, currebas cum eo, & cum adulteris fuit pars tua. Eccleſ. 3: Pſal. 49.

Dominabuntur eis.) contēpto imperio eius, de quo uates noſter infrà, Qui humeris ſuis principatū gerit: qui eſt Chriſtus Dominus noſter. Quod hic legimus, imperiū geſturos imprudentes & ſtultos principes: idipſum eſt quod ſuprà dixit figuratè, A' pedis ueſtigio ad caput uſq; nihil eſſe in hoc populo ſanum.

Et corruet populus.) Quæ mala comitentur diſſipatā remp. & orbatā bono magiſtratu, oſtendit: omnia in ea ad uim ſpectare, & ſeditionē. Seditionis igitur hic imago depingitur, quæ in anarchia excitat. Qualis ut fuerit Hieroſolymis tempore ultimę obſidionis, ex Ioſepho clarū eſt. Exempla etiā huiuſmodi ſeditionum ſuperioríb. ſeculis, & his noſtris edita, nouimus. Alia magis horrēda in hac quę imminet orbis terrarū deuaſtatione, ſub iudicio Euangelij edentur.

Quia apprehendet quiſque.) Grauis hæc maledictio eſt: in tantis motibus nullū reperiri ducem, ad quem, qui conſoletur & opem afferat, confugiatur.

Veſtimentum tibi eſt.) Figuratè, pro præſidium & opes, quibus iuues.

Et reſpondebit.) Similiter paraphraſtes ישיא reddit יתיב. Alij reddūt Iurabit: Iurabit ſe mederi malo nō poſſe, ישיא leuare eſt, Qui iurant, Deinomē ore leuāt: hoc

hoc est, usurpant. Hic Dei nomen non exprimitur, aliàs exprimitur: Ne leuato nomen Iehoua in uanum.

Quia lingua eorum.) Qua celebrari Dominum conueniat, non dehonestari. Linguæ meminit, quæ sit interpres animi: quem, ut compositus sit, declarat.
Matthæi 12. Sic enim Dominus: Ex abundantia cordis os loquitur. Sed quid accidit tali-
Apocalyp. 16. bus linguis? Scriptum est apud Ioannem: Et manducauerunt linguas suas præ dolore.

Contra Dominum.) Messiam, cùm eum dicerent dæmonium habere, & Samaritanum esse, & seductorem populi: & non contenti linguæ petulantia, eum etiam non prius insectari desierunt, quàm in crucem, inter criminosos adegissent: uita eum priuãtes, qui ipse perennis uita in mundum uenerat, cui uitam daret. Quid his temporibus fiat, & superioribus contigerit, ab ijs qui Ecclesiam se & eius pastores esse gloriantur, manifestum est. Reducto igitur mysticæ Hierosolymæ uelo, expostulatio hæc locum suum apud hos quoq; habuerit: Quia lingua & consilijs suis aduersus Dominum delinquunt, oculos gloriæ eius exacerbantes. Qualem linguam is habeat, qui se uicarium Christi & gene-
7. ralem pastorem ouium illius ostentat, indicat mystice Daniel, ubi ait: Et ecce mo-
13. nes contra excelsum loquetur. Mysticum oraculum Ioannes in Apocalypsi explicans, talem linguam apertius sic exponit: Et uidi bestiam aliam ascendentẽ de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco.

Vt prouocarent oculos maiestatis eius.) quos clementes pietate, non inclementes impietate reddere conueniebat. Sunt enim uindices Messiæ oculi, igne sceleratos consumentes: ut etiam eius thronus igneus est. De quibus oculis Amos
Amos 9. uates: Ponam oculos meos super eum, non in bonum, sed in malum.

Agnitio uultus eorum.) Argumentum ab indicio & significatione, quam uultus de eorum sceleribus det, adducit. Vultus sedes animi est, in quo affectiones apparent: quò spectat locutio. Rectè ergo ille: Heu quàm difficile est crimen nõ prodere uultu?

Respondebit eis.) Testatur & prodit eorum scelera. Similiter Paraphrastes pro respondendi uerbo reddit אסחיר. Sed hoc uultus sui testimonio nõ contenti, lingua etiam toti effrontes redditi, delicta sua palàm testantur, dum ea citra pudorem, quæ cælare debebant, more Sodomæ deprædicant, de eis gloriantes.
Hierem. 3. De qua impudẽtia Hieremias: Frons meretricis facta est tibi. Quare sequitur:

Quasi Sodoma.) Amplificat impudẽtiam comparatione. De Sodomorum impudentia uideris in Genesi, capite XIX. & passim apud reliquos uates.

Væ animæ eorum.) Epiphonemate miseriam Hierosolymæ lamentatur: Ah miseri pœnam suæ rebellionis aduersus Messiam luent. Nostra & superiora secula, excussa figura intueamur, in quib. omnia uitia stãt in præcipiti: luxus, libido, ambitio, auaricia, ebrietas, adulteria, horrenda conuicia in nomẽ Dei, contemptus Christi & eius Euangelij etiam apud eos qui de illo gloriantur. Hęc cum uate nostro similiter licet lamentari: Ah miseri suorum delictorum pœnã pendent. Apud LXX interpretes quædam leguntur de Messia, in Hebræo textu non expressa: quæ satis clarè indicant, ob uim quam Messiæ intulerunt, Iudæos in tantam miseriem incidisse. sic enim habent: καὶ τὰς ψυχὰς αὐτῶν, ὅτι βεβουλεύσαντο βουλὴν πονηρὰν καθ' ἑαυτῶν, εἰπόντες, δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν. quod antea prædixerat Sibylla:

Σοὶ δ' μόνῃ σοδομῖτι γαῖη κακὰ πήματα κεῖται,
Αὐτὰ γὰρ δύσφρων τὸν σὸν θεὸν ὤλεσε νόσας,
Γαίοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασιν, ἀλλ' ὑπ' ἀκάνθης
Ἐσχίσας σιφανῷ, φοβερὴν δὲ χολὴν ἐκέρασας
Εἰς ὕδωρ καὶ πνεῦμα σοι κακὰ πήματα τεύξει.

Dicite iusto.) Monet uates, quid temporibus uindictæ diuinæ prædicandum sit,

sit, publicè prædicatum iri iustitiam Dei, qui per Messiam suum iustos, hoc est parentes Euãgelio per fidẽ præmijs sit ornaturus, & iniustos supplicio affecturus. Hanc concionẽ cõmendat diuinus spiritus oraculorũ Dei ministris. Quæ ut hodie sit necessaria ad consolandos pios in tantis rerum motibus & mũdi afflictionibus, & ad terrendos impios, Dei spiritu ornati homines intelligunt.

Quoniam bene.) Hunc fructũ studiorũ ueræ probitatis, quę in fide per amorẽ Dei & proximi agente cernitur, percepturũ iustũ. Contraria impijs euentura.

Væ impio in malum.) Hebræus habet, Væ impio malo: hoc est, pertinaciter malo ac scelerato, pœnitentiã scelerum nullam meditanti. Nam sunt scelerati qui scelera pertinaciter persequuntur, sunt qui in uiam redeuntes ea deserunt. Hi ueniam suorum delictorum impetrant à Deo, qui morte eius qui deliquit, non oblectatur, sed potius ut pœnitentiam agat & uiuat. Notum enim est illud: Relinquat impius uiam suam, & improbus cogitationes suas, & redeat ad Dominum, & miserebitur eius. *Infrà 55.*

Spoliauerunt.) Significat diuinus spiritus, eos qui populum Dei tyrannide & ui regunt, esse pueros: hoc est, prudẽtia moderãdi remp. carere. Nam in בגשיו, uis notatur & tyrannis, qua qui præsunt, ab ijs qui subditi sunt imperio, quid uis pro libidine extorquent. Et in מעילל, puerilis imprudentia notatur. Respondet igitur illi superiori, Et paruuli ac infantes imperabunt eis. Vbi non ætate paruuli & infantes notantur, sed iudicio & prudentia infantes. Quò etiam spectat quod sequitur, Et mulieres dominatæ sunt eis: quę quoniam per impotentiam animi multa agunt, eis comparantur stulti principes, qui ut suam libidinem expleant, non populi salutem curent, imperium administrant. Contrà boni principes compositi sunt, remp. eadem diligẽtia qua priuatã διοφιλῶς καὶ φιλανθρώπως curantes. A' quibus initur ratio, nõ ut subditos expilent, sed ut cuiq; pro sua uirtute ac dignitate honos tribuatur, & criminosi pro sceleribus & criminibus puniantur: leges, disciplinæ, literæ, bonæ artes, pietas & religio in sua existimatione habeantur, ut ciuium uirtus minimè lateat ac ignoretur, eorumq; facultates & bona sarta tecta defendantur, non per uim cuiusquam imminuantur. Quæ remp. administrandi cura quoniam uirtutem, prudentiam, constantiam & animi fortitudinem requirit, Principes his animi uirtutibus carentes, mulieres appellantur: quæ naturalem imprudentiam, imbecillitatem & inconstantiã habent. per quam efficitur, ut muliebris sexus ad remp. gubernandam ineptus, humanis & diuinis legibus iudicetur. Prætereo in hoc sexu animi ad iram propensi impotentiam, de quo Tragicus:

ἀνὴρ γὰρ ὀργὰς θηλὺ πουῦσα γίνομαι.

Cæterùm si statum Hierosolymæ spectes, quem Romanis subiecta habuit, non tantùm in hac uatis nostri reprehensione Pontifices, Scribæ & Pharisæi. Qui pueri cum essent, rerum spiritualium iudicio carentes, quàm sæui exactores fuerint, in miseram plebem tyrannidem suam exercentes, ostendit Christus Dominus noster, ubi eos his uerbis uatem nostrum interpretans reprehendit: Væ uobis Scribæ & pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. item: Colligunt onera grauia difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum. Quàm latè pateat hæc reprehensio, documento sunt nostri hypocritę pharisęi, monachi, scribę, doctores, pontifices, satisfactionũ & meritorum pro peccato oneribus Ecclesiam onerantes. Quid quęso hi aliud faciũt & moliuntur, q; puerorum & mulierum ritu imperare? Quid enim muliebrius & puerilius, q; in salibus & aquis lustralib. in unctionib. rasura, delectu ciborũ, & temporum & uestium, in missationibus pro uiuis & mortuis, in impuro purgatorio, in idolis, aris, in peregrinationibus ad diuos, in uanis indulgentijs, nõ peccata, sed loculos euacuantibus in iubilęis, & id genus alijs plusquã puerilibus nugis se occupare & alios imperio se eas exigendo ludificare. *Matthæi 23.*

Dominatæ ſunt eis.) Quas lege diuina dominari non conueniat, ſed uirorum imperio ſubdi. Qui ergo in Eccleſia dominatum ac imperium gerunt, uirilis ſpiritus Meſsiæ expertes, indigni iudicantur, qui epiſcoporum, paſtorum & doctorum titulos contra legem & ordinationem diuinam ſibi uendicent.

Populus meus qui te.) facientem quæ ipſi mandarint.

Beatum dicunt.) Intuere traditiões Hebrẽorũ, decreta Pontificũ Ro. Alcoranũ Mahumetanorũ, intelliges quàm latè hęc redargutio uatis pateat. Sunt qui in מאשריך, aleph pro iodo poni dicũt, legendumq; eſſe מישריך. ut ſit ſentẽtia: Mi populus, qui te in recta doctrinę meę uia ducere debebãt, ſeducunt te, ut à recta uia aberres. Qui ſe duces & rectores profitentur, ſeductores & fraudatores prẽſtant. Nam cum prę ſe ferunt te uelle in cœlum ducere, in infernũ te trahunt: ab interitu uindicare, ad eum te adducunt. Nónne hodie totum Antichriſti regnum talibus rectoríb. refertum eſt? Huc referas, quę de paſtore ſtulto Zacharias uates uaticinatus eſt. 11.

Et uiam greſſuum tuorum diſsipant.) contraria legi diuinæ & Euangelio docentes. Nam in Euangelio uia ad uitam æternam ducẽs nobis proponitur, quæ de ſe prædicat: Ego ſum uia, ueritas & uita. Atq; hæc uia cum contemnitur, ut ſe in rebelles uindicet, ſequentia oſtendunt. Ioan. 14.

Stat ad iudicandum Dominus.) Meſsias, cui pater dedit omne iudicium. Iudicij autem quod exercet iudex Chriſtus, ſua tempora & ſpacia ſunt. Nam is & in Iudæos, cum eos in Romanorum manus traderet, iudicium fecit, & poſteris temporibus uarijs iudicijs & uindictis mundum caſtigauit: his autem poſtremis temporibus orbem terrarum anathemate percuſſurus, patefacto omnibus gentibus Euangelio ſuo in teſtimonium improbitatis ingrati mundi, generalius ſuum iudicium oſtendet, per eam afflictionem de qua ipſe apud Matthæum loquitur, & eam hic uates noſter, & cæteri prophetæ prædixerunt. Poſtremò occurrit iudiciũ generale, quo Meſsias angelis ſtipatus, uiuos et mortuos iudicabit. De quo iudicio hic loquaẽ uates, ſuis locis monebimus. Sed quęrat hic aliquis, Cur Deus aliquando puniat peccatum, interdum nõ item? Punit interdum, ut ſe iuſtum iudicem declaret, qui delictis offendatur, & probitate oblectetur. Nonnunquam differt iudicium, ut oſtendat quàm miſericors ſit, qui in prolonganda uindicta ſceleratos inuitet ad pœnitentiam: & niſi reſipiſcant, futurum aliquod iudicium, ſiue in hoc, ſiue in futuro ſeculo, in quo pendant ſuorum ſcelerum pœnas. Interdum differendo iudicium expectatum menſura delictorum impleatur: ut de Amorræis in Geneſi extat exemplum. Quò etiam illud Domini pertinet: Et uos implete menſuram patrum ueſtrorum. Quam menſuram cum impleſſent, iudicium Chriſti experti ſunt, de quo is ipſe ſic loquitur: Erit domus ueſtra deſerta. Item: Calcabitur Hieruſalem à gentilibus, donec impleantur tempora gentium. Tale iudicium cum exequitur, id in pondere & menſura apud uatem noſtrum exequi dicitur. His autem temporibus poſtremis iudicabitur beſtia Antichriſtus, impleta iniquitatis eius menſura: de quo iudicio ſuis locis meminerimus ex uate noſtro. Et de eo Daniel: Et iudicium ſedebit, ut auferatur potentia, & cõteratur, et diſpereat uſq; in finem: regnũ autem & poteſtas & magnitudo regni quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo ſanctorum altiſsimi. Matthæi 23. Lucæ 21. 7.

Dominus ad iudicium ueniet.) Secus quàm putatis: qui neque Deum uidere ſcelera ueſtra, neque probos quos uos affligitis, curæ habere putatis. uehementi dicitis: Non uidet nos. item: Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam ne uideat. Erratis uos. Nam Meſsias, iudex uniuerſitatis, quem uos contemnitis, in iudicium ueniet contra uos ſceleroſos. Hæc ſententia affertur ad conſolandos pios, & terrendos impios. Similis conſolatio habetur apud Dauidem: Parauit in iudicium thronum ſuũ, & iudicabit orbem Pſal. 9. Ibid.

terra-

terrarum in æquitate, iudicabit populos in iustitia. Sed ad quos redimendos iudicem aget? Sequitur inibi: Et erit Dominus præsidio pauperi. Hæc est ancora fidei piorum, in mari huius mundi, grauium tentationum fluctibus commoto, iacta, & in cœlo fundata.

Cum senibus populi sui.) Bipartita interpretatio huius loci est: Vna, Dominum contra senatores & principes in iudicium uenturum, qui malè populum suum rexerint. Hæc sententia hæret ad superiora & sequentia: Vos uineam corrupistis. Altera interpretatio est, quæ congruit cum his uerbis Christi: Sedebitis *Lucæ 22.* & uos super sedes duodecim tribus Israel. Significari hic, Dominum cum prophetis & Apostolis sententiam dicturum aduersus impios. Hanc interpretationem confirmat Ioannes in Apocalypsi, in qua uigintiquatuor senatores le- *11.* guntur sedere in conspectu Dei, in thronis suis adorantes regem & iudicem Messiam. Qui senatores uigintiquatuor, in uniuersum significant eos, qui per testimonium sacri Euangelij damnant mundi & principis mundi Satanæ impia consilia, studia & facta.

Vineam meam.) Vinea hæc, si literam spectes, populus Israel est, qui olim lege & oraculis culta uinea fuit, de qua infrà: Vinea facta est dilecto meo. Igitur pro uinea Paraphrastes habet, populũ meum. Sin uerò, reducto uelo, rem adumbratã consideres, occurrit Ecclesia, uinea: quam ut sui principes, doctores, falsi prophetæ, tyrannide, praua doctrina, turpique uita deuastarint, & etiamnũ deuastent, clarius est quàm ut egeat demonstratione. Vt uerè cum illis expostulet Messias: Vineam meam depascitis, spolia pauperum in domibus uestris sunt: Quare atteritis populum meum, & facies afflictorum commolitis?

Et rapina pauperum.) Notantur reprehensi in furto. Dicite, unde uobis tantæ opes contingerint, quibus abundatis? unde tam amplæ ædes, tanta familia, tot canes & equi? num è laboribus uestris? num ex patrimonio legitimo maiorũ? At ociosa uestra uita est, maiores uestri tenues fuerũt. Hęc indicio sunt, pauperũ spolia in domib. uestris esse. Intueamur post Iudæos, Ecclesiæ procerũ opes & luxum: ut sunt Pontifices, Cardinales, Episcopi, Abbates: non ne etiam hãc seueram & grauem reprehensionem ad illos pertinere iudicabimus?

Quare atteritis.) non contenti meos facultatibus spoliasse, nisi etiam onera eis, quibus atterantur, more tyrannorum imponatis. Quod cum facitis, non cogitatis, uobis potestatem, qua ad ædificandum, non ad destruendum utamini, datam esse. Sic comparati quoque sunt tyranni Ecclesiastici, quibus satis non est Euangelij opibus Ecclesiam priuare: onera etiam per humana decreta imponunt, quibus conscientię contundantur: quas fouere amanter oportebat illos, ut bonos pastores, non perdere, ut lupos. Hos autem inuasuros in Ecclesiam, prędixit Apostolus in Actis, cap. uicesimo: & ab eis ut caueamus, prędmonuit uerus ille & cœlestis pastor Christus, his uerbis: Cauete uerò uobis à pseudo- *Matthei 7.* prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimento ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.

Populum meum.) sanguine meo charo emptum. Miserè uexatum populum, suum populum uocat, quamuis in uitio esset: partim quòd oppressi peculiariter curæ sint Deo, ueluti est apud uatem, Dominus præsidio pauperi est: partim propter memoriam fœderis, cuius obliuisci Deus nolit, neque etiã (qua est fide) possit. Quæ maxima electorum in medijs afflictionibus consolatio est.

Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion.) Reprehensis uirorum uitijs, & in eos gladio diuinæ iræ intentato: iam mulierum, quibus obnoxiæ sunt, uitia quoque perstringit. Vt est, insolenter lasciueque ornandi studium in illis, quas pudorem in oculis, ore, incessu & toto corporis habitu, totoque amictu ornare conueniebat. De uirtutibus muliebribus, uideris apud Apostolum in priori epistola *2.* ad Timotheum.

Eleuatæ ſunt.) ſuperbientes præter muliebris ſexus conditionem: quem ſuæ infirmitatis memorem, deceret demiſſo eſſe animo, non inſolente & ſuperbo. Superbi quoniam efferunt animos, diuinus ſpiritus efferendi extollẽdiq; uerbo utitur. Quàm latè pateat Sioniarum mulierum appellatio, non eſt opus admonere.

Gutture extento.) Quibus natura ſubmiſſum uultum & pudicum tribuit, collum & ceruicem exporrectam gerunt. Hunc faſtum, præter naturalem fragilitatem, etiam ipſa peccati origo eis deiicere deberet. Notum eſt illud Apoſtoli: 1. Timoth. 2. Et Adã nõ fuit deceptus, ſed mulier ſeducta, obnoxia facta eſt tranſgreſsioni.

Et nutibus oculorum.) Laſciuia redarguitur in oculis apparens, quibus nictantes, ad libidinem mares pelliciunt. Etenim in oculis pudoris & impudentiæ ſigna inſunt. Nulla ex parte maiora animi indicia cũctis animalibus ſunt, quàm in oculis, ſed homini maximè: id eſt, moderationis, clementiæ, miſericordiæ, odii, amoris, triſticiæ, lætiçiæ, pudoris, impudentiæ, contuitu quoque uniformes, flagrantes, graues, tranſuerſi, ſimi, ſubmiſsi, blandi: ut uerè dicatur, In oculis animum habitare. Noſter interpres LXX ſequitur, qui uertunt ὑπὸ νύσσοντα. Et Hebræi interpretes dicunt, Hebræam uocem nictationem ſignificare. Fallaces, illecebroſos, & laſciuiæ ſignum dantes oculos impudicis obiicit. Oculis, quos ad luſtranda Dei opera & ad eius ſapientiam celebrandam circumferre, eosq; regere ad uſum hominum oportebat, ad laſciuiã & libidinẽ abuſæ ſunt.

Ibant & plaudebant.) Inceſſus mollior reprehenditur. Notantur, capite & pedibus laſciuiæ ſuæ ſigna dare. Sed quid his contrà faciet Dominus? Sequitur.

Decaluabit Dominus.) Talionis lege ſeruata, par eſſe, ut in capite ducatur caluicium, quo immodeſtius ornato abuſæ ſint ad laſciuiam. Caput ſenſuum & mentis ſedes eſt. Hoc igitur quod ad laudem Dei & uſum proximi honeſtè haberi debebat, quoniam turpiter ad dehoneſtandum Deum & ad lędendũ alterum conuerſum fuit, ut pœnam penderet iuſto iudici Deo, par fuit. Sunt qui in hunc modum interpretantur: Quæ capitis pars ſuis antea ornamentis laſciuè decorata fuit, ſcabie aut lepra afficietur. Vt ſit סמח ſcabiem aut lepram inducere, שמח pro סמח uſurpato. Quare rectè Apoſtolus hortatur fœminas: Volo 1. Timoth. 2. mulieres eſſe ueſtitu modeſto, cum uerecundia & caſtitate ornare ſeipſas, non tortis criniibus, aut auro, aut ueſtitu ſumptuoſo: ſed quod decet mulieres, profitentes pietatem per bona opera. Paraphraſtes Chaldæus uidetur ad שמחה uocem, quæ ancillam ſignificat, reſpexiſſe, ubi uertit: Seruituti ſubiiciet gloriam filiarum Sion. Quam ſeruitutem opponit ſuperbiæ illarum.

Crinem earum nudabit.) Verenda, quibus ad turpitudinem abuſæ ſunt, hoſtibus detegenda eſſe, id ſignificare פתחן. Grauis eſt hæc pœna: ſed graue quoq; crimen, quod tam probroſa pœna punitur.

In die illa.) Patefactionis Euangelij die, in qua primò Iudæi, tempore quo à quartæ beſtiæ imperatore Romano horrendo bello uaſtati ſunt: deinde his nouiſsimis temporibus, ij qui ueræ Hieroſolymæ & uerorum Iſraelitarũ nomẽ ſibi uẽdicantes, ob ſcelera ſua pœnas pendũt, & pendẽt ſub teſtimonio reſtitutę lucis Euangelij, ad præludendum ultimo & generali mortuorũ & uiuorum iudicio. quod quomodo ſit accipiendum, patefactum diſcrimen primæ & ſecundæ reſurrectionis oſtendit.

Ornamenta calceamentorum.) Muliebrem mundum propheta enumerat.

Et erit pro ſuaui odore fœtor.) Talionis lege. Quoniam ſolet ex tabe & putredine fœtor naſci, tabes pro fœtore noto tropo ſumitur. In uituperationibus hæc ſolent reprehendi: uitia, uitioſę actiones, ſigna ac notæ uitiorum, quæ in uultu, inceſſu & ueſtitu apparent, demum probroſus uitiorum exitus, qualis in ſupplicijs quę ignominiam afferant, cernitur. Singula hęc ab eloquente propheta in laſciuis mulieribus reprehenduntur. Contraria ratio laudationis eſt.

Et

Et pro zona funiculus.) In Hebræo non funiculus, sed ruptio est, ac fractio. Earum corpora ita laceratum ab hostibus iri, ut cingulum non ferant. Notatur etiam in cingulo robur. Nam in succinctis lumbis robur ostenditur, ut infrà legetur de Tyro in exilium mittenda: Transi terram tuam, cingulum tibi abest. hoc est robur ac præsidium, quo te defendas.

Caluitium.) Sæpe in sacris literis caluitium probro datur. Infrà capite XV: In omnibus capitibus eius est caluitium. Similia apud Ezechielem, Hieremiam, & alios leguntur. Vt enim capilli laudi sunt, ita caluitiũ uituperio. Quare pueri Elisæum uituperaturi, ita eum appellabant: Ascende calue. Quantum ornamentum & roboris significatio in capillis sit, argumẽto sunt Nazarei, & inter hos præcipuè Samson. comam autem in mulieribus laudari, natura ipsa docet, & illud Apostoli: Contrà mulieri, si comata fuerit, glorię sit. 1. Corinth. 11.

Pulcherrimi quoq; uiri tui gladio.) Miserabilẽ & luctuosum mulierũ casum amplificat, earũ præcipuo præsidio ablato, qui mariti sunt. Quod etiam illa apud Tragicum obseruat, quæ Hecubæ miseriam amplificatura, eam ἀναυδίαν appellat. Interpres pulcherrimi addit de suo, LXX imitatus, qui habent κάλλιστοι. Indicatur in hoc oraculo, cum tres rectiones sint à Deo institutę, domestica, ciuilis, & ecclesiastica: singulas ut deprauatas & uitiosas clade esse afficiendas. Domesticæ quidem gubernationis calamitas, in mariti & uxoris atq; liberorum miseria: ciuilis, in ea clade quæ suprà memoratur, Auferam à te iudicem: ecclesiasticæ calamitas, in eo quod scriptum est, Auferam à te prophetam, cernitur.

Et lugebunt portæ eius.) frequentatæ antea ciuibus, nunc eis spoliatæ. In portis enim hominum cœtus cõfluere solitus fuit, propter mercatum, & iudicia, quæ in eis pro more exercebantur.

In terra sedebit.) uarijs cladibus deiecta, quæ antea exporrecta ceruice superbè incedebat. Similia leguntur infrà de Babylone: Descende, & sede in puluere filia Babel. Sed quod discrimen in deiectione Sionis & Babylonis spectetur, suo loco indicabitur.

Et apprehendent septem mulieres.) Interfectis maribus certus numerus pro incerto usurpatur. Hebræum uerbum indicat, mulieres non leniter uiros, sed fortiter, ne è manu elabantur, apprehensuras. Cæterùm quàm longè prospexerit oculus prophetæ, declarabunt ea tempora de quibus Christus apud Euangelistã his uerbis meminit: Et nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salua ulla caro, sed propter electos decurtabũtur dies illi. Igitur admonentur Israeliticarũ mulierum exemplo, mulieres quæ Christiano nomine censentur, ut his nouissimis patefactionis Euangelij temporibus depositò per pœnitentiam luxu, insolentia & studio exornandi se sumptuosius, modestè, temperatè, & submissè se gerant, ad euitandam iram iudicis Christi in orbem terrarum effundendam. Nam omnino quæ rebellibus Iudæis in mysterio à repudiato & ipsis Messia contigerunt calamitates, nobis quoq; Christo pro tribunali sedente contingent. Paria enim delicta ut paribus supplicijs puniantur, par est. Matthæi 24.

Partem nostram comedemus.) Per prosopopœiam inducit, mulieres omnes opes suas & facultates exhibituras uiris ultrò, ut ab eis denominẽtur: hoc est, nomini & familiæ eorum accensentur. Nomine panis & uestitus omnia quæ ad uictum uitæq; cultum necessaria sunt, accipiuntur.

Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.) nomine tuo uocemur & censeamur. Non enim mulieres familiæ nomen dant, sed uiri, ex iure imperij quod in mulieres à Deo acceperunt. In nomine igitur uiri, quo fœminæ uocari cupiunt, hęc considerantur. Primum est capitis ratio, cui mulier ut corpus coniungi, ad naturalem societatem sanciẽdam, expetat. quam societatem hæc Adami uerba declarant: Hoc os ex ossibus meis, hæc caro ex carne mea. Alterum est, uis prolificandi, qua absterso opprobrio sterilitatis, prole augeatur, ad conseruan- Genes. 2.

dum genus humanum: & liberi ex ea coniunctione coniugali geniti, hæreditario iure potiantur, & in eorũ procreatione materia augendo regno Messiæ suppeditetur, cui placeat ex primi Adami sobole sumere, quos ex carnalibus spirituales, ex terrenis cœlestes, ex mortalibus immortales, sui regni hęredes efficiat. Quæ res parentes numerosa prole auctos maximopere consolari debet. Postremum est præsidiũ mariti, quo mulier ut infirmior & imbecillior sexus tecta, se tueatur, & habeat cũ liberis res cõmodas & necessarias ad uictum, quas uirorum sit laboribus à cõtracta noxa iniunctis procurare, de quibus illud: In sudore uultus tui uescêris pane tuo. Genes. 3.

Auser opprobriũ nostrum.) uiduitatis & sterilitatis, quæ in maledictione erat, opprobrium. Colligendi uerbum, pro auferendi, noto tropo. Nam quæ colliguntur ad reponendum, è conspectu nostro tolluntur.

IN CAPVT QVARTVM.

IN *die illa.*) Clarum oraculum de seruatore Messía exponitur, quẽ propheta noster ab ortu, natura & usu, quem scriptis in libro uitę afferat, describit. Quod cum facit, cõmunem prophetarũ morẽ seruat, qui solent duros & asperos sermones suos suaui & amabili oratione de Christo temperare. Sic Hieremías cap. 23. ut meminisset diuinæ uindictæ, quæ sumenda de Israelitica gente esset, statim subiecit oraculum de mittendo Messía, illam malis & calamitatibus liberaturo, simili prophetia huic nostræ, exposita: Ecce dies ueniũt, dicit Dominus, & suscitabo germen iustum, & regnabit Rex, in diebus illis saluabitur Iuda. Eadem prædicit Ezechiel capite tricesimosexto, Daniel capite septimo: Oseas, Ioel, Amos & Zacharias. Neque usitata est hæc prophetandi ratio solum iam citatis uatibus. nam ea etiam antea usus fuit Moses, qui semper sermoni acerbiori de calamitatibus Israelitas uexaturis ob rebellionem ipsorum aduersus Deum, salutarem, de salute quæ illis fœderis diuini ui tandem affulsura sit, concionem subexit: ut in Leuitico & Deuteronomio ab eo fieri, uidere licet. Neque diuersam consuetudinem Christus Dominus & Apostoli tenent, qui quoq; seuerioris de misero statu, in quo Israelitæ essent futuri, prophetię, salutarem de eorum reconciliatione cum Deo maiorum ipsorum prædictionẽ ex sententia Mosis & prophetarum, quorum sunt fidi interpretes, subiungunt. Sic enim Dominus ipse, simulatque cladis in domum Israeliticam peruasuræ meminisset apud Lucam, de tempore uaticinatur, quo Israelitæ castigati, ipsum cum summa animi gratulatione per hanc acclamationem excepturi sint: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Qui uenit, inquam, per salutaris Euangelij patefactionem, qua remissionem peccatorum annunciat, & dona spiritus sancti largitur. De quo aduentu infrà noster uates, ut suo loco indicabitur, apertè uaticinatur. Leuit. 26. Deut. 28. Luc. 13. 19.

Erit germen Domini.) Messiam appellari germen, ostendit quoq; Hieremías in loco suprà allato. & Zacharias: Ecce uir צמח, id est, germen nomen eius. Paraphrastes in singulis his locis, pro germen, habet Messías. Vocatur autem Messías germen, qui crescendo in immensum se propaget per ramos, folia & fructus, cœlo & terra iustíciæ & uitæ gloria repletis. צמח enim proprię crescere est. Quo autem tempore hoc crescens germen auctus & incrementa propagandæ per patefactionem Euangelij salutis præcipuè declaraturum sit, ex uate nostro suis locis intelligemus. Zach. 6.

Domini.) Descriptio Messiæ ab ortu: Messiam non terrenum germen fore. De quo Apostolus: Secundus homo de cœlo cœlestis. Nam semen ex quo hoc germen oritur, terrenum semen non est, sed cœlestis spiritus semen, ex quo conceptus & propagatus Messias creditur. Sic enim Angelus ad Io-

sephum:

sephum: Nam quod in illa conceptum est, à spiritu sancto profectum est. Matthei 1.
Item: Deprehensa est grauida è spiritu sancto. Et uates noster infrà: Ecce uirgo concipiet.

In magnificentia.) Commendatur germen Messias, à iucunditate. Hoc germen fore pulchrum, decorum & iucundum, quod uoluptatem & gaudium mundo sit allaturum. Sic Paraphrastes pro צבי, reddit חדוה, hoc est, gaudium. Nam quæ pulchra sunt & iucunda, mentem gaudio & lætitia quasi inflant, & turgere faciunt. Notum enim intumescendi uerbum צבא, unde צבי deciditur. Moses suis auditoribus iram diuinam, mortem, tristiciam afflat. Messias fauorem, uitam, & læticiam: per spiritum beneuolentiæ, uitæ, & læticiæ diuinæ.

Et gloriam.) Gloriosum fore hoc germen, triumpho de grauissimis hostibus acto: ut sunt, peccatum, mors, mundus, princeps mundi Diabolus, Antichristus, & tyranni orbis terrarum, ministri Satanæ & Antichristi, cum hypocritis & pseudophetis, dæmoniorum doctrinis orbem terrarum implentibus. Sic glorioſus non fuit Moses, cuius administratio in saxo deformata, fuit quidem in gloria, sed mortis, non uitæ, literæ, non spiritus, condemnationis, non absolutionis à noxa, quæ gloria aboleatur. Secus gloria glorioſi germinis Messiæ habet, quæ uitam mundo afferens, nunquam aboletur. De hac gloria Ioannes: Gloriam uelut unigenæ uidimus, qui plenus gratia & ueritate est. Cæterùm eleganti tropo apud Hebræos in כבוד, gloria, splendor, maiestas & amplitudo significatur à pondere, quod dignitas ac maiestas habet. Quò spectans Apostolus, sic ait in epistola altera ad Corinthios: Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ, mirè supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis. Vbi Paulus pondus in gloria ponderans, tropum qui in כבוד cernitur, nobis explicat. 2. 5.

Et fructus terræ.) Fructum terræ uocat Messiam, partim quia magnum iusticiæ & uitæ fructum in terra affert: partim quòd Christus, qui in cœlo patrem habet, ex eius spiritu conceptus, non ex humano semine, matrem in terra inuenerit, qua natus sit uerus ex ea genitura homo, ut ex conceptu è spiritu sacro uerè declaratus est filius Dei. De quo Apostolus his uerbis in epistola ad Romanos: Qui genitus fuit ex semine Dauid secundum carnem, qui declaratus est filius Dei cum potentia secundum spiritum sanctificationis. 1.

His qui saluati fuerint ex Israel.) Explicantur, quibus Dominus in gloria ueræ iusticiæ, & uitæ suæ communicanda, iucundus & glorioſus sit futurus. Hos Israelitas esse. Sed qui sunt illi Israelitæ? Primò accipiuntur Israelitæ, qui secundum carnem & promissionem Israelitæ sunt, quibus ut primò salus promissa sit & præstituta, declarat Dominus, ubi ait: Non sum missus nisi ad oues perditas in Israel. At tales oues erant & secundum promissionis spiritum, & ex carne Israelitæ. Secundum spiritum quidem promissionis, quales salutis solum sunt participes: secundum carnem autem, ut in hac figuram eorum Israelitarum gererent, qui ex gratia electionis sunt Israelitæ, nulla carnis ratione & respectu habito. Quales Israelitæ sunt omnes electi, & scripti in libro uitæ, ex quacunque natione in orbe terrarum fuerint. De quibus illud Apostoli: Non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui sunt filij promissionis, numerantur in semine. His euadẽtibus ex tenebrarum regno, iucunditatem & gloriam allaturum germen Messiam. Matthei 15.

Et erit, omnis qui relictus fuerit.) De reliquijs hic fit mentio. Si priora patefactionis Messiæ tempora consideras, legimus de reliquijs Israelitarũ: Reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerunt. quem locum Apostolus, ut suprà annotatũ est, ex nostro propheta citat, & eum interpretatur. Harum autẽ mysticarũ Rom. 11.

reliquiarum typo ſubmotoo, ccurrunt eorum reliquiæ, qui ex Satanæ regno euadentes tempore Apoſtolorum, ſeruati ſunt. Sin uerò poſtrema hæc reſtitutę Euangelij lucis tempora ſpectes, accipiũtur reliquiæ tum Iſraelitarum, tum in uniuerſum electorum, qui ex Antichriſti regno, & ex hac quæ imminet, horribili orbis terrarum uexatione ſuperſtites erunt. de quibus hic uates Ieſaias & reliqui prophetæ meminerunt, & poſt hos eorum explicator Meſsias, ubi maximę afflictionis in totum terrarum orbem peruaſuræ meminit, cuius antea
Daniel 12. meminerat poſt reliquos prophetas Daniel, ubi ait: Et ueniet tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperũt, uſqꝫ ad tempus illud. Sed quid fiet in tempore illo? Sequitur in Daniele: In tempore illo ſaluabitur populus tuus. Et Dominus apud Matthæum: Sed propter electos decurtabuntur dies illi. Hos electos reſiduos futuros, ſignificat hic Ieſaias: Et qui reliqui fuerint in Siõ & Hieroſolyma, ſancti dicuntur. Quod etiam Sibylla præſignificat, terra uidelicet bellis, fame, peſte & alijs malis deuaſtata, propter ſcelera hominum, electorum reliquias ſeruatum iri:

Αὐτὰρ κόσμῳ ὅλος τε ἀπειρεσίων ἀνθρώπων,
Ἀλλήλοις κτείνουσι μιμλωόντες, ὧν δὲ κυδοιμῷ
Λοιμὸς καὶ λιμὸς θήσει θεὸς, ἠδὲ κεραυνὸς,
Ἀνθρώπους, οἳ ἄστρεπτε λίκνης κρίνουσι θέμιστας,
Λεῖψις δ' ἀνθρώπων ἔσαι κατὰ κόσμον ἅπαντα,
Ὡς ἴχνος εἰ κατίδοι τίς ἐπὶ χθονὶ θαυμάσειεν
Ἀνθρώπε. τότε δ' αὖτε μίγας θεὸς αἰθέρι ναίων,
Ἀνδρῶν γονσαίων σωτὴρ κατὰ πάντα γένηται.

Sanctus uocabitur.) Exponitur munus & uſus germinis Meſsiæ, qui eſt, parare electis ſanctitatem, quę Chriſti IESV ſanctitas eſt, illis communicanda. De qua ſanctitate ex electionis gratia manãte, in hunc modũ Apoſtolus: Quemadmodum elegit nos in ipſo, ut eſſemus ſancti & inculpati per charitatẽ. Vbi ordine hæc indicantur: primò, electio plena gratia & beneuolentia patris: deinde Chriſtus, in quo, & non extra eum, electio locum inueniat: tum ſanctitas fluens ex Chriſto, & per fidem in eum nobis impertienda: poſtremò amoris & charitatis ſpiritus proponitur conſiderandus, qui finis & perfectio illa quam lex requirit, & fides in filiũ ſola nobis cõmunicat, qui amoris ſpiritus uere nos ſanctos reddit per participatum eius amoris, de quo Ioannes: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet. Quod eſt ſanctum eſſe, hoc eſt purum, ſincerum, & ab omni labe & uitio quod interitum afferat, liberum. Græci igitur uocem Hebræam reddunt ἅγιον, quod eſt καθαρὸν, hoc eſt purum & ſincerum. Latini ſanctum uocant, quod eſt à ui, iniuria & uitio intactum. Non par autem ratio eorum eſt quæ Sancta dicuntur. nam quædam ſua natura ſancta ſunt, ut eſt Deus pater, Meſsias filius, & utriuſqꝫ ſpiritus, qui ſanctus ſpiritus dicitur. Quædam uerò non à ſe & ſua natura, ſed à ſpiritu Meſsiæ ſancta ſunt. ut ſunt regeniti à ſpiritu ſacro ad participatũ diuinæ naturæ, quia à uetere natura phani ſunt & uicioſi. Ad quam ſanctitatem adumbrandam, in lege tabernaculum cum uaſis ſuis, ſacerdotium cum ueſtitu, & ipſa ſacrificia, ſancta appellata ſunt. non quòd natura ſancta eſſent: ſed quòd in Dei uſum deſtinata, nobis eas res quæ ſunt uerè ſanctæ, præfigurarent. Itaqꝫ quod hic legimus apud uatem noſtrum, Sanctus uocabitur: id ut in adminiſtratione noui fœderis patefacto Meſsia cõtingat, declarat crebrò uſurpata uox Sanctitas. Sic in epiſtola ad Romanos, ſtatim in ipſa inſcriptione: Omnibus qui Romæ eſtis, dilectis Dei, uocatis ſanctis. Similiter in epiſtola priore & altera ad Corinthios: Vocatis ſanctis. Similiter in cæteris epiſtolis accidit. Neqꝫ igitur mirum eſt, in adminiſtrationem noui Teſtamenti præcipuè ſpiritus ſancti donationem cadere, & Euangelij adminiſtrationem ſpiritus ſancti adminiſtrationem appellari.

Notum

Notum enim est illud: Nondum erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Igitur resurrectionis è mortuis IESV Christi, & eius glorificationis, spiritus sancti in pectora electorum publica effusio opus fuerit. Quomodo autem hoc accipiendum sit, utque propterea ueteris Testamenti administratio spiritu priuanda non sit, ea de re aliàs explicatio instituta est. *Ioan. 7.*

Omnis qui scriptus est.) Similiter post Iesaiam Daniel: Omnis quicunque inuentus fuerit scriptus in libro. Et horum interpres Ioannes in sua Apocalypsi: Nisi qui scripti sunt in libro uitæ agni. Hæc scriptio, electio est, ac prædestinatio ad uitam æternam in filio. & liber in quo fit scriptio, prædestinationis diuinæ liber est, in quo quorum nomina scripta sunt, ex eo deleri nequeunt. Hunc librum legunt soli sancti, quibus patefit & reuelatur gratia electionis per spiritum filij, de quo illud Apostoli: Ipse spiritus testimonium dat nobis, nos filios Dei esse. Item Ioannes: Ex hoc cognoscimus in eo nos manere, & ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis, qui ex libro uitæ funditur, gaudium pariens. de quo Dominus: Gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. quo gaudio nunquam afficientur, quorum nomina scripta sunt in inferno & libro mortis, de quibus illud: Ite uos maledicti in ignem æternum. Qui ignis exitij ignis est, non uitæ, de quo nunc mentio fit. Est igitur etiam liber in quo damnati ad mortem scribuntur, qui iudicij & iræ diuinæ liber est, de quo libro Ioannes: Et iudicati sunt mortui, ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum. *Daniel. 12. Apoc. 21. Rom. 8. 1. Ioan. 4. Lucæ 10. Matthæi 25. Apoc. 20.*

In uita.) Ad uitam non temporariam, sed æternam, non terrenam & animalem, sed cœlestem & spiritualem, quam credentes in eum habeant, qui de se prædicat: Ego sum uia, ueritas & uita. In qua uita qui scripti sunt, eis germen Messias gaudium & gloriam affert, de qua suprà mentio facta est. *Ioan. 14.*

In Ierusalem.) cœlesti, quæ scriptorum in libro uitæ Ecclesia est: extra quam neque Messias seruator, neque gloriæ splendor, neque sanctitas, neque uita locum inuenit. Hæc Iesaiæ uerba explicans Ioannes in sua Apocalypsi, sic ait: Non intrabunt in eam, cœlestem uidelicet Hierosolymam, sed in terra ad tempus peregrinantem, nisi qui scripti sunt in libro uitæ agni. Huc pertinet illud Hieremiæ: In tempore illo uocabitur Hierosolyma solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes nomine Domini, nec ambulabunt amplius post cogitationes cordis sui prauas. Vocatur Hierosolyma solium Domini, quòd in ea Messias regnat spiritu uitæ & iustitiæ. Quàm latè igitur & longè patet electorum Ecclesia, tam latè longéque diuinæ gratiæ, lucis, uitæ thronus patet. Et hoc est quòd uates hic dicit: Destinatos ad uitam eos esse, qui Hierosolymis scripti ciues sint, extraneos uita carere. *Apoc. 21. Hierem. 3.*

Si abluerit Dominus.) Sanctitas quomodo paretur, ostendit: ablutione uitiorum eam parari. In hac primò perpenditur is qui lauat, deinde qui lauantur, tum qualis puritas ablutis uitiorum sordibus comparetur, quartò quæ aquæ extergentes hic accipiantur, postremò quis finis & exitus ablutionis sit. De singulis ordine.

Dominus.) Messias, de quo illud: Et qui nos dilexit, & abluit à peccatis sanguine suo. Sed quomodo hoc fit? Fit sanè, cum credimus Christi sanguinem fusum, qui expiet delicta nostra: & ex eo manare spiritum sanctum, qui extersis ueteris hominis uitijs, nouum in nobis hominem formet, sanctitatem Deum referentem. Sanguis igitur Christi, humor & liquor ille est cœlestis, quo abluimur à peccatis. Qui aquas illas continet, de quibus Ezechiel: Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus sordibus *Apoc. 1. 36.*

dibus uestris. Sed de qua aqua purgãte Ezechiel loquitur? Sequitur: Spiritũ nouum ponam in medio uestri. Propheta igitur Ezechiel, cum aquis illis diuinis sordes uitiosæ naturæ expurgantib. spiritũ sacrũ coniungit, ut Dominus
Ioan. 3. ipse apud Ioannẽ: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non ingredietur in regnum Dei. Similiter hic Iesaias, Cum abluerit: mox iniecto sermone de spiritu. In spiritu iudicij. Itaq; mysterium regenerationis hic agitur, quę constat cœlestibus illis sacri spiritus aquis, quas perennis uitæ fons Messias fundit ad puritatem & sanctitatem iusticiæ, quæ Deo probetur, comparandã. De quo fonte & aquis regenerantibus ad nouam uitam, Zacharias: In die illa erit fons apertus domui Dauid, & ciuibus Hierusalem, ad piaculum peccati, & lustrationem menstruatæ. ubi originis uitium, muliebri menstruo comparat. Nam ut huius superuentu sterilescunt attactę segetes, moriuntur insita, exuruntur horum germina, aluei apum emoriuntur, & in rabiem agũtur gustato eo canes, atq; insanabili uenenò morsus inficitur: tale uenenum ineſt mortifero & letali uitio originis, quod unus sanguis IESV Christi per sacrum spiritum eluerit.

Et sanguinem Hierusalem.) Hoc est, uitia, ex uitioso sanguine à primo Adamo pro
1. pagato contracta. De quibus uitiati sanguinis uitijs Ioannes: Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Per contentionem opponitur sanguis Hierosolymæ impurus, puro puto sanguini Messiæ, cuncta in cœlo & in terra purColoss. 1. ganti, ut sapiẽter & sanctè de eo disserit Apostolus in epistola ad Colossenses.

Spiritu iudicij.) Qui meminisset ablutionis, quæ aquis constat: iam spiritus meminit, allusione ad mundi initia seu elemẽta facta, quæ à Mose in libro de Origine mundi describuntur, in quo cum aquis spiritus his uerbis cõiungitur: Spiritus Dei ferebatur super aquas. Vt igitur in creatione & generatione rerum primordiali, necessaria coniunctio spiritus & aquarum fuit: sic in regeneratione, societas aquarum & spiritus necessaria est ad generandos filios Dei. Ad
Ioan. 5. hoc mysterium præfigurandum, probaticæ piscinæ, cuius apud Ioannem fit mentio, aquæ moueri per Angelum solitæ sunt, si quando sanandus esset ęgrotus. nam qui primus in illas immergebatur, sanitatem recuperabat. Vt autem aquas illas supracœlestes, & diuinas regeneratrices, piscinæ aquæ, & earum motus, mouentis agentisq; spiritus motum, ueram animorum sanitatẽ afferentem adumbrarit, norunt, qui in regeneratione partem habent. Ab eodem præterea Mose, ut cum spiritu ignea & ardens lux copulatur, statim post aquarum
Genes. 1. & spiritus mentionem: Dixit Dominus, fiat lux, & facta est lux. ita non secus hic in spiritualium & cœlestium ordine, cum aquis & spiritu ignea uis coniungitur, quæ in spiritu iudicij & ardoris significatur. In aquis abstergendi eluendiq; uis lenior, in spiritu iudicij & ardoris uehementior, ad diuinam claritatem afferendam, consumendi uitia uis notatur. Etenim iudicandi munere utitur Messiæ spiritus, cum in uetere natura hærentem uitiositatem patefacit, & patefactam damnat, damnatamq; & agnitam per pœnitentiam expurgat meri-
Ioan. 16. to sacrosancti sanguinis agni in cruce effusi. Atq; hoc ipsum est, quod de hoc iudicij spiritu apud Ioannem legimus: Cum uenerit spiritus, arguet mundum de peccato, de iusticia & iudicio: de peccato quidem, quòd fidem filio non habeat, qui solus à conceptu & partu mundus sit & purus, nos omnes ueteris naturæ uitiositate contaminante. quorum uitia unus Messiæ sanguis abluat: nulla præterea uis neq; in nobis, neq; in reliqua natura condita. De iusticia uerò mundum is noster iudicij spiritus arguit, quòd is eundem Messiam contemnit, qui ad patrem per resurrectionem è mortuis profectus est, apud quem regnans ueram iusticiam, sapientiam & uitam donet: damnata mundi iusticia, sapientia, uita. De iudicio autem reprehenditur mundus, quòd non credit, principem suum Satanam iudicatum, hoc est damnatum, euersumq; esse cum omni sua potentia, omnibusq; uersutiæ suæ artibus, quibus aduersus agnum, & aduersus

uersus eos quos agnus charos habet, utitur. In hoc spiritus sancti reprehendendi munere, iudiciaria & regia potestas cernitur, de qua hic uates: Cum abluerit sordes spiritu iudicij & ardoris. Quibus uerbis significat, in Christo omnes Mosæarum aquarum & lauationis umbras finitas & impletas esse.

Et spiritu ardoris.) Hunc spiritum flammeum & igneum, interpretatur Dominus, eius largitor, ubi ait: Ipse baptizabit uos spiritu & igni. In quo diuino igni hæc perpenduntur: uis illuminans & purgans, atque ad claritatem adducens. De qua splendente & illustrante ui, uates noster hic: Et splendorem ignis flammantis in nocte. Purgans autem uis in eo spectatur, quòd non fert in ipsis quos purgat, aliena ab eius lucis puritate & claritate, quæ de se dicit, Ego sum lux mundi: sed ea consumit, dum omnia clara & pura reddantur. Is ignis purificans pectora electorum, adumbratus est igne Mosaico, qui in sacrificijs & lucernis apparuit. In quo igne Mosaico typus & umbra: in nostro, hoc est, ardente Messiæ spiritu, ueritas & res ipsa expressa ostenditur. Qui quidem, si filias Sionis spectes, hoc est electos, purgans ignis est, & illuminans ad uitam & gloriam cœlestem: sin extraneos, hoc est scriptos in libro mortis & inferni, ignis damnans, perdens, deuorans ac consumens ignis est. Vtrumque in uerbo בער notatur, ardere, & igni depasci ac consumi. Et utramque uim Ioannes Baptista, pœnitentiæ ad mortificationem ueteris uitæ, & innouationem nouæ prædicator, expressit, cum ait: Cuius uentilabrum in manu eius, & repurgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Quibus uerbis spiritus iudicij & ardoris exponitur. Tripartita igitur spiritus iudicij & ardoris uis spectanda nobis proponitur: una iudicans est, hoc est damnans ueteris naturæ labem, ad eam expurgandam: altera illuminans, ad afferendam claritatem cœlestis iusticiæ & uitæ: tertia exurens paleas, hoc est impios, qui in cœlesti Hierosolyma ad uitam descripti non sunt. De quo perdentis spiritus ardore illud: Ite in ignem æternum. Cæterùm duæ hic quæstiones texuntur: una est, Si aquæ cœlestes quæ in sacro Christi spiritu continentur, sordes uitiorum ueteris hominis abluunt, non infernæ & corporatæ aquæ: quid igitur faciemus baptismo, de quo eius auctor Christus sic meminit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit? Vbi salus tribuitur baptismo, quæ uera uitiorum ablutione non caruerit. Neq; aliter Apostolus ad Ephesios docet, ubi ait: Vt eam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum. Et Petrus: Cum apparabatur arca, in qua paucæ, hoc est octo animæ seruatæ fuerunt per aquam, cuius figuræ nunc respondens baptismus, nos quoque saluos reddit, quò non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit ut bona conscientia bene respondeat apud Deum per resurrectionem IESV Christi, qui est ad dexteram Dei profectus in cœlum. Si igitur ita res habet, Baptismus quoque infernis aquis constans, peccata abluendi uim habebit: non solum aquæ illæ diuinæ, quas spiritus sanctus suppeditat ad nos regenerandos. Vt huic quęstioni occurrẽdum sit, & ut omnino neue gratia diuina, neue spiritus sanctus ad ulla externa simpliciter & omnino alligatus sit, ea de re in Annotationibus quæ in librũ Iudicum editæ sunt, mentio facta est. Altera quęstio est: Si sancti sunt, quos à uitijs abluerit Messię spiritus, quî igitur sancti hoc modo iudicabuntur esse, cum sentiamus cum Ioanne, neminẽ posse dicere se peccato carere: & cum Salomone, se purum à uitio cor habere? Quæstio per partitionẽ ueteris & noui hominis sic explicatur: Vetus homo terrenus, carnalis & animalis homo est, qui duos homines complectitur, exteriorem & interiorem. Exterior corpus continet, & animam, alendi, mouendi & sentiendi ui prędităm. Interior mentem, quam Apostolus spiritũ hominis uocat, ubi ait: Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Mens aũt ueteris & animalis hominis ambitu, quate-

Matth. 3. *Ioan. 8.* *Matth. 24.* *Matth. 25.* *1. Pet. 3.* *1. Corinth. 2.*

quatenus Meſsiæ ſpiritu renouata non eſt, ex ſententia diuini ſpiritus continetur. ſic enim Apoſtolus ait: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Dei. In quo homine etiam mẽtem, prẽſtantiſsimam hominis partem, comprehendit. Sicut etiam Dominus noſter illam nomine carnis & ſanguinis complectitur,
Matthei 16. cum dicit: Caro & ſanguis tibi non reuelauit. ut ſapientia quoq; quæ in eadem illa parte cernitur, terrena ſapientia nũcupatur: & hac prẽditi, terrena, non cœ-
Ioan. 3. leſtia ſapere & loqui dicuntur, ueluti is idem teſtatur dicens: Qui è terra profectus eſt, terrenus eſt, & è terra loquitur. Proinde in exteriore homine, corpus & anima cõprehenduntur: in interiore ſubtilior pars, mẽs et ſpiritus appellata.

4. Quò pertinet illud in epiſtola ad Hebræos, de diuiſione animæ & ſpiritus: Pertingens uſq; ad animi & ſpiritus diuiſionem. Anima porrò ut craſsior, ita corpori quod animat animali halitu uicinior eſt: ſpiritus uerò ſubtilior, & à corpore remotior, & diuinitati propinquior eſt, qui ſit nimirum proxima regenerationis ad participatum diuinæ naturæ ſedes & officina. Nouus homo contrà habet, qui cœleſtis & ſpiritualis homo eſt, Dei ſpiritu ad nouam uitam, iuſticiã & ſapientiam genitus. In nouo homine exterior homo, dum in hoc ſeculo uiuitur, locum nõ inuenit, ſed mens ſolum, quam interiorem hominem Apoſtolus uocat. Nam homo ille qui corpus & ſenſus habet, concupiſcentiæ in membris corporis mortalis graſſantis ſedes, in hoc ſeculo Chriſti ſpiritu ad æternã & cœleſtem uitam non reparatur, ſed in dies corrumpitur, dum in puluerem terræ redeat, ex quo artificis Dei manu ad animalem & naturalem qua fungatur uitam effictus eſt. Sic enim Apoſtolus de utroque homine loquitur: Sed
2. Corinth. 4. quamuis externus noſter homo corrũpitur, internus tamen renouatur in dies ſingulos. Itaq; utroſq; homines inter ſe ad explicandam quę propoſita eſt quæſtionem, in hunc modum conferre licebit: Veterem hominem ortum ducere à primo Adamo, qui è terra terrenus eſt conditus in animam uiuẽtem, hoc eſt, ad animalem uitam. Nouus uerò homo, ex altero Adamo, qui Meſsias benedictus eſt, oritur: ex cuius ſpiritu naſcitur non terrenus, ſed cœleſtis, non ca-
Ioan. 1. nalis, ſed ſpiritualis homo. De qua origine illud: Ex Deo nati ſunt. item, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: per regenerationem uidelicet, non ex creatura,
Ioan. 3. ſed diuina. de qua illud: Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Deinde differũt à nutrimento, quo aluntur. Etenim alter terreno, alter cœleſti & ſpirituali uictu nutritur. De terreno uictu le-
Geneſ. 1. gimus ſcriptum apud Moſem: Ecce dedi uobis omnem herbam afferentem ſemen, ut ſit uobis in eſcam. De ſpirituali uerò meminit ſpiritualis ipſe & cœle-
Ioan. 6. ſtis homo de ſe loquens: Ego ſum panis uitæ. Item Moſes: Non in ſolo pane uiuit homo,
Deut. 8. ſed in omni uerbo quod egreditur ex ore Dei. Siquidem uerbo Dei ut generatur nouus homo, iuxta illud, Genuit nos uerbo ueritatis: ita eodem nutritur & alitur, adauctus ad incrementa uirilis ætatis IESV Chriſti. Porrò Dei uerbum pabulum animorum eſt in regeneratione, ut panis corporis pabulum in uetere genitura. Nam ut ſerpentes paſcuntur terra, ſicut ſcriptum eſt
Geneſ. 3. in Geneſi, Terram comedes cunctis diebus uitę tuæ: & ut ciconię reptilibus, cicadæ cœleſti rore, apes floribus, boues herba, aues granis, piſces aqua & luto: ſic mentes ſanctorum, ueritatis uerbo nutriuntur. Vnumquodq; enim alitur eo à quo emanauit. Veluti corpora animantium è terra nata, fructibus quos terra profert, piſces aqua & luto ex quibus originem ducunt, aluntur: Sic animi è ſacro ſpiritu renati, à fonte ueritatis qui Chriſtus eſt, de ſe dicens, Ego ſum ueritas, nutriuntur ad cœleſtem & ſpiritualem uitam conſeruandam. Præterea uetus & nouus homo inter ſe differunt à luce cognoſcendi: alter nempe ſenſibus & luce intelligentiæ naturalis, in moribus & officijs uitæ ad hominum inter ſe ſocietatem tuendam formandis, & in hac rerum natura uniuerſa perluſtranda utitur: alter lumine Dei regitur, de quo Dauid, In lumine
Pſal. 35.

tuo

tuo uidebimus lumen. quod in præsenti seculo lumen fidei est, in futuro gloriæ lumen erit, in quo lumine fidei inchoatæ adoptionis spiritus uersatur, de quo Apostolus: Sed accepimus spiritum adoptionis filiorum, per quem clamamus Abba pater. in gloriæ uerò lumine perfecta adoptio continetur, de qua idem Apostolus: Sed & nos ipsi spiritus primitias habentes, gemimus intra nos, adoptionem expectantes, & redemptionem corporis nostri. Hanc adoptionem consequentur filij Dei, prælucente lumine futuri seculi, in quo corpora ad uitã è puluere terræ excitata, ad glorioſum corpus Christi cõformabuntur. Quarto differunt ab affectionibus. Vetus & animalis homo, mundi, & rerum quas mundus habet, cupiditate fertur. in quo uersatur concupiscentia, lex peccati, aduersus legem sacri spiritus in mente residentẽ pugnans. Huius fructus sunt, ignorantia & contemptio Dei, amor sui, & odium alterius, auaritia, ambitio, inuidia, libido, hypocrisis, & reliquæ perturbationes à lege diuina dissentientes. Contrà nouus & spiritualis habet homo, qui contrarijs rebus delectatur, amore Dei & proximi, fide, bonitate, mansuetudine, modestia, temperantia, & patientia in rebus aduersis, spe futuri seculi, neglectione præsentis. Quæ dissimilitudo utriusque hominis efficit, ut postremò à fine & exitu quoque separentur. Quippe horum alterum morti obnoxium cum suis affectibus sentimus, alterum uitæ æternæ consortem, ut est apud Apostolum: Affectus carnis mors est, affectus spiritus uita. Alter ergo fatiscit & indies corrumpitur, diuina sententia in terræ limum, ex quo fictus est, resoluendus: De terra es, & in terram reuertêris. Alter uerò ab interitu liber est, ad splendorem cœlestis regni è spiritu immortali Messiæ natus, sed ita natus, ut in eo uersans sacer spiritus, etiam ueterem illum hominem ad uitam & gloriam regis Christi sit excitaturus. De quo his uerbis Apostolus loquitur: Quod si spiritus eius qui excitauit Iesum è mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit Christum è mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter ipsius spiritum habitantem in uobis. Ex hac dissimilitudine ueteris & noui hominis licet cognoscere, quantum bellum inter utrumque exardescat. Quod in perpetua illa carnis & spiritus pugna pij ipsi experiuntur. Apostolus de se, & in persona sua de omnibus qui carnem hanc miserè originis uitio deturpatam circumferunt, sic loquitur: Reperio igitur legem uolenti mihi facere bonum, quod mihi malum adiunctum sit. Delectat enim me lex Dei secundum internum hominem: sed sentio aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum me reddentem legi peccati, quæ est in membris meis. Dicas, hæc quæ Apostolus scribit, ad ea tempora pertinere, quibus nondum sacro Christi spiritu ad spem salutis regenitus fuit. si ita res habet, quid ergo facies ijs quæ insibi sequuntur: Gratias ago Deo per IESVM Christum Dominum nostrum: Itaque idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne uerò legi peccati. Verùm enimuero non frustra, neque nostro malo, sed bono, huiusmodi bellum carnis & spiritus, in sanctis exstitit. Excitatur enim id diuina sapientia, ad probandum spiritum in corpore nostro, uase terreo, ut aurum igni in testaceo uase adiuncto plumbo probatur. Ex his quæ iam exposita sunt de uetere & nouo homine, patet, quomodo hæc duo uera sint: Natos è spiritu Christi peccato carere, & sanctos esse: & eos peccatum habere, & sanctos non esse: in uitio esse eos per ueterem hominem, uitio carere in nouo. De uetere homine & carnali accipitur illud: Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus. propter quod semper nobis opus est hac precatione: Remitte nobis debita nostra. De interiore uerò homine, quatenus renouatus est, pronunciatur illud Ioannis: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare, quòd ex Deo natus est. Neque aliter exponi-

Rom. 8.
Rom. 7.
Rom. 8.
Genes. 3.
Rom. 8.
Rom. 7.
1. Ioan. 1.
Matthei 7.
1. Ioan. 3.

Eccleſiaſt. 7. tur illud Salomonis: Non eſt iuſtus in terra qui bonum faciat, & non peccet. qui faciat uidelicet bonum per uim diuini ſpiritus in mente uerſantem, & non peccet per legem peccati in carne hærentem, nunquam non rebellantem legi diuini ſpiritus, quæ nimirum ſit perpetuò inimica Deo. ut his uerbis oſtendit Apoſtolus: Propterea quòd affectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidem. Proinde non pugnat, nos probos & improbos, puros ac ſanctos & impuros dici. Puros quidem ac ſanctos, à puritate & ſanctitate quam ſpiritus Chriſti menti tribuit regenerationis beneficio: impuros, ab affectibus carnis & ueteris hominis. Similiter hæc duo uera ſunt, Legem pro primitijs ſpiritus in hoc ſeculo præſtamus, Legem nunquam dum uiuimus præſtamus: altero pronunciato de uetere homine, altero de nouo accepto. Dicas, non eſſe in nobis probitatem & ſanctitatem iuſtitiæ, niſi eam quæ per imputationem iuſtitiæ alienę, quæ Chriſti iuſtitia eſt, fide tribuitur: neque nos ullo modo legem implere, ſed Chriſtum eſſe perfectionem & impletionem legis omni credenti. Vt occurratur his, in Commẽtarijs in Geneſim editis, in loco de iuſtificatione indicatum eſt: & infrà capite quinquageſimotertio, explicatio huius quæſtionis retexetur. Sed hic quærat aliquis, ſi non prius ceſſat carnis & ſpiritus bellum, quàm caro in terram redeat, ex qua ſumpta eſt: ubi igitur locum habebit uictoria, quam de carne, quæ omnino uincenda ſit, ſi boni milites iudicari debeamus, referat ſpiritus? Spiritus primò uincit carnem, non ut malis cupiditatibus hæc careat, quibus nunquam dum uixerit carebit: ſed ne eas pro libidine in corpore morti obnoxio expleat, in quo ſpiritus ſanctus habitat, eius concupiſcentias mortificans, ne ſe proferat aduerſus ſuum imperium, non ut prorſus locum in rebellãdo amplius non habeat. Non prius enim caro cum ſpiritu pacẽ inibit, quàm è mortuis ad uitam nouam & cœleſtem excitata ſit, mortem quidem abolitura, concupiſcentiam, legem peccati: reſurrectione autem iuſtitiæ legem ſuſcitato corpori conceſſura, per quam cum ſpiritu mentis conſentiat, non amplius cum eo bellum gerat. Quæ pacis firmæ ſanctio, reſurrectionis opus erit, non ueteris naturæ. Deinde uincetur caro, ne eius affectiones pĩs pro capitali noxa imputentur, à iure peccati, ne nos damnet, liberante

Rom. 8. Chriſto per legem ſpiritus uitæ. De qua Apoſtolus his uerbis: Nam lex ſpiritus uitæ, per Chriſtum IESVM, liberum me reddit à iure peccati & mortis. Quare uerè dicitur, nos iuſtos reddi per iuſtitiam quam non habemus, uidelicet à lege & natura: & peccatum nobis non imputari merito ſanguinis IESV, quod habemus. Iterũ aliquis quærat, an liceat ad perfectionem ſpiritus in hoc ſeculo, Chriſto inſitos per fidem peruenire? Reſpondet huic quæſtioni Apoſtolus, ubi ait, nos hic primitias ſpiritus tenere, non decimas. Has pertinere ad futurum ſeculum, illas ad præſens. Cæterùm quoties accipiatur perfectio & integritas, & ut etiam perfectio tribuatur ſanctis in hoc ſeculo, ea de re aliàs. Ex his accipimus, quàm admi-

Homo. randum ſit opus Dei homo, præcipuè cum mente ex Dei ſpiritu cœperit renaſci: de quo liceat pronunciare, eum & terrenum & cœleſte, ſpirituale & carnale, mortale & immortale eſſe animal: & quem dicas ab anima alente plantam, à ſenſu brutum, à mente angelum, à ſpiritu diuino inter deos ut conſortem diuinæ naturæ numerari. Hinc interrogatus quidam, quid in hac quaſi mundana ſcena & theatro maximè admirandum eſſet: Nihil, inquit, reperiri homine admirabilius. Is legi diuinæ per fidei & amoris ſpiritum obtemperans, Dei naturam induit. De qua ſcri-

1. Ioan. 4. ptum eſt: Deus amor eſt. Legi uerò carnis, quæ ἐπιθυμίας ab Apoſtolo uocatur, in beſtias degenerat, immò eis deterior euadit, quæ lege careant, quam homo habeat. Quare uerè cum illo Academico dicimus, Carnales homi-

homines domi multa brutorum genera alere. Quò nonnulli uolunt Pythagoræ sententiam de hominum in bruta transformatione pertinere. Satis de his. Pergamus.

Et creabit.) Explicatur usus Messiæ, ab ope & præsidio, quod suis tempore rerum aduersarum laturus sit: qui sciat eos quos ex tenebrarum regno in lucis regnum transfert, uaria cruce à carne, mundo, principe mundi Satana, ab Antichristo & eius ministris, impijs in terra hominibus, infestatum iri. In hac infestatione Christum suis affuturum, quemadmodum dicit apud Ioannem: In mundo afflictionem habebitis, in me pacem. hoc est, tranquillum animi statum, tentationum fluctibus ac procellis in mari huius mundi, in quo draco Satan pro libidine ludit, minimè conuellendum: eum tuente illo, qui imperium in omnia pro regio & sacerdotali iure tenens, mari & eius fluctibus atque uentis imperat. Qui est Messias benedictus, regio diuinitatis oleo, quod spiritus sanctus est, unctus.

Super omnem locum montis Zion.) Hebræus habet basim ac fundamentum, seu firmam sedem: Super basim montis Sion. Hæc basis seu fundamentum montis Sion, hoc est Ecclesiæ sanctorum, Messias est. de quo fundamento infrà uates noster, capite uicesimo octauo sic loquitur: Ponam pro fundamento Sion lapidem, lapidem probatum. Is autem lapis Messias est, super quem Sion Ecclesia fundata, præsidio aduersus æstum afflictionum defenditur: de quo mox subijcitur mentio.

Et ubi inuocatus est.) Notatur in uoce מקרא, conuentus ac cœtus, seu concio confluens ad montem Sion. De quo cœtu suprà: Et confluent ad eum omnes gentes. Alluditur ad cœtum Israeliticum, qui singulis annis ter solitus est ad Sionem montem templo exornatum conuenire. *Exod. 24.*

Nubem per diem.) defendentem ab æstu solis. Figuratè de æstu uariarum afflictionum accipitur. De quo etiam Iesaias infrà capite quadragesimo quinto loquitur: Non afficiet eos æstus & sol. Ardor ac æstus is, partim condemnatis conscientiam de culpa legis æstus est: partim uexatio crucis, qua mundus & tyranni in mundo pios uexant: partim, cum afflictiones accipiuntur, non pro signis beneuolentis Dei nobis, sed irascentis, laborante Satana ut nos intus & foris miserè uexatos ad desperationem adigat. Sed ne nos talis æstus ac ardor conficiat, quod præsidium adhibet Christus, basis Sion? Dicit uates: Creabit nubem. Sed quæ est illa nubes? Nubes hæc legati diuini sunt, doctrinam Euangelij spargentes, quę aquas spiritus sacri, animos nostros in hoc dieí uitæ nostræ ardore refocillantes, continet. Scimus porrò ex aquis uaporem solaris luminis ui infernè excitari, & eum supernè in nubem condensari, quæ in pluuiam, æstum frigore suo temperantem, resoluitur. De his nubibus paulo pòst: Mandabo nubibus ne pluant. Hinc fit, ut in nubibus etiam diuinæ beneuolentiæ signa ostendantur, ut fœderis arcus in nubibus intentus, de mundo non amplius per diluuium delendo, documento est. De quo arcu his uerbis in Genesi: Eritq; arcus in nubibus, & recordabor fœderis mei. Quare hic legimus: Et creabit Dominus nubem interdiu. Itaq; pij homines temporibus rerum aduersarum persuasum habere debent, spe etiam contra spem sperantes, se non ideo ardore crucis uri, ut exurantur: sed uri, hoc est affici afflictionibus, Dei fauore & beneuolentia, ne caro insolescens aduersus spiritum suum libidinem expleat: sed hac ipsa deiecta, spiritus uictoria potiatur. Cæterùm cum hic legimus, creandam nubem super Sion, alluditur ad columnam nubis, quam in libro Exodi legimus præcessisse Israelitas ad iter eis ostendendũ. in Mosæa columna, umbra & figura: in hac noui fœderis columna, cuius uates meminit, res ipsa & ueritas spectatur. Alluditur item ad nubem, quæ tabernaculum Mosaicum & templum Salomonium replesse legitur. Quò respiciens Paraphrastes *Genes. 2.* *Genes. 9.* *Exod. 13.*

Chaldæus, pro מבין, quod nos uertimus basim, reddit מיתרש, hoc est sanctuariũ, quod templũ diuinitatis est, de quo subiicit apertè mẽtionẽ מיתש בינתיה. Hæc autem domus diuinitatis, electorum Ecclesia est, habitaculum sacri spiritus Messiæ. De quo Apostolus: Templum Dei uos estis. De eo etiã antè mentionem fecerat Moses, Habitabo in medio filiorum Israel præsens: scilicet communicatione meæ sapientiæ, iusticiæ, uitæ, gloriæ.

2. Corinth. 6. Exod. 25.

Et fumans.) עשן, Crassior hic ac densior nubes est, quæ figuratè fumus obscuritatem & obscuritatem appellatur.

Et splendorem ignis.) Alluditur ad columnam ignis, quæ noctu Israelitas præcessisse dicitur. de qua in Exodo loco suprà citato mentio fit. Vates noster interpres Mosæ mysticam significationem explicat, sanctorum Ecclesiã, ueram illam & cœlestẽ Sionem, quam Christus ex spiritualis Aegypti seruitute, quæ peccati & mortis seruitus est, liberauit, columna ignea in Euangelio splendente, contra nocturnas potestatum tenebrarum tenebras, & contra tempestuosorũ nimborum frigus defendi. Itaq; in hoc flammantis ignis fulgore partim illuminans fulgorẽ, quo tenebras cæcitatis humanæ rationis & sapientiæ mundanę dispellit, partim caloris uis frigus, quod in amando Deo & proximo sentitur abarcens, accipitur. Quare sequitur:

Super omnem enim gloriam.) Ecclesiam gloriam uocat, quæ Christi sponsi ac mariti, quem glorificet ac amplificet, gloria est: ut uxor ab Apostolo mariti gloria dicitur, & uir gloria Dei, in quo Deus gloriam suam declaret, & quem uir honore suo ac gloria exornet. Et ut mulier gloria uiri est, & is gloria Dei: ita Ecclesia gloria Messiæ est, & is gloria Dei patris, per quem nimirum in mundo glorificatur. Qui confitetur apud Ioannem, se nõ in mundum uenisse ut suam, sed Dei patris sui uoluntatem exequatur.

2. Corinth. 11.

Protectio.) In nube & igni flammante apparens.

Ab æstu.) Explicatur usus nubis & tugurij. Nam duo hic memorantur, quæ ab æstu defendunt, nubes & tugurium. At uerò non defenditur Ecclesia nube & tabernaculo ab æstu crucis, ne decoloretur. Canit enim sponsa Messiæ: Nigra sum sed formosa: nolite considerare quòd fusca sum, quia decoloravit me sol. Sed defenditur, ut ardor æstus uę afflictionum nõ solum nõ noceat ei, sed etiam prosit, momentanea afflictione immensa glorię pondera moliente.

Cantic. 1.

A' turbine.) Sed quæ est ista tempestas atq; inundatio? Tempestas persecutionis est, quam Satan per filium suum perditum Antichristum, & huius ministros hypocritas pharisæos, pseudoprophetas & tyrannos, excitat aduersus eos quos Messias ex regno illius pleno errorum tenebris, in regnum suum lucis & uitæ transfert. De hac inundatione & tẽpestate infrà uates noster: Cum uenerit sicut fluuius hostis. Sed huic tempestati amoliendæ quæ uis opponitur? Sequitur illic: Spiritus Domini depellet eam. Hæc tempestas, quæ cœpit Apostolorum tempore in Ecclesiam grassari, his postremis temporibus patefacta abominatione desolationis, stante in loco sancto, apertis carceribus, laqueis, aqua, igni, ferro sæuit: nec cessat sæuire, dum bestia Antichristus spiritu oris Messiæ conficiatur. de quo infrà: Spiritu oris sui interficiet impium.

59.

21.

IN CAPVT QVINTVM.

CANTABO *dilecto meo.*) In hoc lugubri carmine, quod Deus pater dilecto suo Messiæ, per uatem Iesaiam canere uult, de eius uinea, hæc continentur: Cura & studium uinitoris Dei, quo uineam suam gentem Israeliticam colere elaborauit: deinde cultus ipse, quem in deligendo loco, in sepiendo, elapidando, conserenda generosa stirpe, in ædificanda turri ad muniendam uineam, & extruendo torculari adhibuit. Præterea

consider-

conſideranda proponitur degeneratio uineæ fallentis ſpem cultoris. Poſtremò uaſtatio uineæ, quam ob degenerem naturam uinitor deuaſtari permiſit. Oraculare hoc carmen, ſi ſententiam ſpectes, eadem complectitur quæ primum uiſum. In utroq; enim Dei in Iſraeliticam gentem beneficia narrantur, & ſupplicia quibus ingrati afficiendi ſint exponuntur. Suprà porrò legimus, Filios educaui & euexi: hic uerò, Habebat amicus meus uineam in cornu filio olei. Subiungitur illic mentio de diuina ira in rebelles & degeneres liberos declaranda, Super quo feriemini amplius? Subijcitur & hic, ut uinitor ſuccenſeat uineæ ſuæ fructum neganti, quæ bene culta eſſet. In eo igitur differunt, quòd alterum oraculum apertè ſine figura effertur, alterum figuratè & per parabolam: ut id in hoc myſtico carmine uoces, uinea, ſepes, elapidatio, turris, torcular, uuæ, labruſcæ, declarant. Cæterùm amico & dilecto dicit ſe cantaturum carmen de uinea eius. Is amicus & dilectus eſt, de quo cœleſtis pater teſtimonium amoris fert dicens: Is eſt filius meus dilectus. Huius autem eſſe uineam hæreditario iure, oſtendit ipſe apud Euangeliſtam, cum ait: Nouiſsimè autem miſit filium ſuum, dicens: Reuerebuntur filium meum. agricolæ autem uiſo filio, dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, uenite occidamus eum, & occupemus hæreditatem eius. *Matthei 3. & 21.*

Vinea facta eſt.) Recitatio carminis, præmiſſo exordio, in quo à perſona Dei, & filij eius Meſsiæ dilecti, & à grauibus fatis quæ Iſraeliticæ genti & ſub figura eius electorum Eccleſiæ euentura ſint, attentio excitatur. Cæterùm hoc myſticum carmen interpretatur Chriſtus apud euangeliſtam Matthæum, eiſdem ferè uerbis quibus hic canitur: Homo quidam erat paterfamilias, qui conſeuit uineam, & ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, &c.

In cornu.) Indicato cultore uineæ, iam cultus eius exponitur: loco primũ quẽ uineę conſerendæ delegerit, expoſito. Non quemuis locum delectum, ſed pinguem & feracem. At uerò cum accliues colles & apricos uites expetant, ſcita metaphora hi in cornu notantur. Nam in animantibus cornua præ cęteris corporis partibus eminent. Itaque Paraphraſtes tropum explicans, ſic reddit Hebręa בְּקֶרֶן, id eſt, in editiore colle ac monte.

Filio olei.) Hebraiſmum reddunt Græci, ἐν τόπῳ πίονι. ſimiliter Chaldæus, In terra pingui. Alluditur ad terræ ſacræ fertilitatem, de qua illud: Terra fluens lacte & melle. Sed quam fertilitatem habeat benedictione diuina, non natura: ut documento eſt eius tot ſeculis durans ſterilitas, non ſine myſtica ratione. De qua aliàs.

Et ſepiuit eam.) ut tuta à beſtiarum incurſione uinea eſſet. Hæc ſepes, oraculorum & legis Moſaæ ſepes erat. Vt enim ſepes & maceries ab hortis abarcet beſtias & feras: ita leges defendunt reſp. ne ab improbis damnum capiant: & ipſa oracula diuina, quæ per Prophetas & Apoſtolos colonos adminiſtrãtur, ſanctorum cœtum tuẽtur, ne eum fures & feri pſeudoprophetæ infeſtent. Atque ab ipſis animis, uitioſorum affectuum beſtias in cœleſti uinea, Dei ſpiritus fidele ſepimentum propellit. Hæc eſt illa cura, qua ſuam uineam Deus coluit. Eſt etiam maceries illaudata, quæ nos à Dei ſocietate ſeparat. qualis eſt ignorantia Dei, & cultus deorum alienorum: ſepes, quam Meſsias per aduentum ſuum diruit. De qua uideris apud Apoſtolum, in epiſtola quam ad Epheſios ſcripſit. 2.

Et lapides elegit ex ea.) Commendatur ſtudium uinitoris, à cura elapidandi. Vt non prius uinea conſeritur, quàm ſolum expurgatis lapidibus benè ſit præparatum: ſic uinea Iſrael in Chananæa terra cœpit conſeri, ut Chananææ gentes tanquam ſteriles lapides Ioſua duce fuiſſent eiecti, idololatria extirpata, immania ſcelera profligata.

Et plantauit uineam Soret.) Commendatur uinitor à cura, quam in deligendo lau-

dato uitium genere adhibuit. Sed quæ sunt illæ laudatæ & generosæ uites? Sancti patres sunt, iudices, pij reges, sacerdotes, prophetæ, probiq; in repub. Israelitica homines.

Turrim in medio eius.) Commendatio à munitione. Vineam bene munitam turri præsidij diuini aduersus fures & feras, falsos uates, hostes tum externos tum internos. Turris erat, de qua Salomon: Turris fortissima nomen Domini. Huius turris præsidia hæc uinea contra Chananæos, Moabitas, Ammonitas, Amalechitas, Assyrios, Babylonios & Græcos experta est in ueteris fœderis dispensatione: in nouo uerò sensit Ecclesia temporibus Apostolorum, aduersus suos hostes, carnem, mũdum, & principem mundi Satanã, atq; tyrannos orbis terrarum, præsidium. De hoc præsidio Dauid: Vineam ex Aegypto transtulisti: eiecisti gentes, & plantasti eam. Prouerb. 18.

Et torcular extruxit.) in quo uinum ex botris exprimeretur. Torcular afflictionum & crucis accipitur, in quo uinum sacri Euangelij animos exhilarans elicitur, de quo infrà: Venite, emite uinum absq; argento. Hactenus de cura uineris, quam in colenda uinea sua sumpsit. Submota mysticę uineæ figura, occurrit electorum Ecclesia, in qua hæc quoq; considerantur: locus, in quo conseritur uinea, cornu filius olei est: hoc est, locus editior, diuina spiritus sacri pinguedine pinguis, cœlum ipsum, de quo illud: Quorum nomina scripta sunt in cœlo. Quod cœlum, regio sacerdotio Messiæ per cornu repręsentatum, celebre est. Hoc cornu his uerbis celebratur: Suscitauit cornu salutis nostræ in domo Dauid. Considerantur deinde generosæ uites, succus uitalis, palmites, elapidatio, putatio, sepitio, fructus, turris, torcular, mustum, uinum. Vitis generosa, non terrena, sed cœlestis uitis est. De qua uitis ipsa apud Ioannem: Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Genitalis uitalisque succus, quo uinea nutritur & alitur, sacri spiritus humor est, fluens ex uitæ Messia in palmites, qui sancti sunt, de quibus idem Messias: Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit, & omnem qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosiorem ferat. Quæ purgatio, putatio illa est uitiorum ueteris hominis, quam Apostolus mortificationem carnis uocat. Elapidatio, tabularum cordis lapidearum submotio est, de quibus tabulis Ezechiel meminit: Et auferam cor lapideum de carne uestra. Est aũt cor lapideum, quod per uiciositatem, quam à uetere natura habet, legi diuinæ rebellat, & sacro spiritui nõ magis se tractandum ad amandum Deum & proximum sequax præbet, quàm lapis in scribendis figuris & formis se tractabilẽ exhibet. Sepitio est, qua per Euãgelij sepem uinea hæc sepitur, ne eam uastent pseudoapostoli, falsiq; uates & doctores, atque mũdus cum suo principe Satana, & Antichristo filio Satanæ. Fructus suaues botri sunt, qui nimirum diuini spiritus fructus sint, quos Apostolus in epistola ad Galatas recenset. Ob quos fructus longè dulcissimos, ex bene culta uinea Ecclesia editos, in Cantico illo canticorum mystico sponsa Ecclesia sponsum suum Christum botris comparat: Botrus copher dilectus meus mihi in uineis Engaddi. Hi fructus in crucis & uariarum afflictionum torculari expressi, creant nobis uinum, de quo uitis ipsa Messias his uerbis: Dum bibam uobiscum uinum nouũ in domo patris mei. Vinum exhilarare corda dicitur, propter liquorem igneum ui temperatum, & ad creandos uitales spiritus accommodatum. Tale uinum cœleste illud uinum est, cuius liquorem igneis sacri spiritus temperat lumine gloriæ cœlestis regni, electorum animos illuminans, & amoris calore accendens, atq; lætitia ea reficiens, de qua infrà: Et lætitia sempiterna erit eis. Descripta utraq; uinea mystica, & ea quæ typis mysticè repręsentat, iam prophetã ut utraq; degenerarit prophetantẽ audiamus. Genes. 49. Matthei 26. Galat. 5. Cantic. 1.

Expectauit.) Non angelus, non Moses, non propheta aliquis, sed unicè ut unigena filius à Deo dilectus Messias. Tanto grauior degeneris uineæ ingratitudinis

tudinis culpa est. Sic enim suprà in exordio carminis legitur: Cantabo dilecto meo.

Vt faceret uuas.) cultoris Messiæ laboribus respondens. Manet in translatione uineæ semel cœpta. Sperabat gentem Israeliticam fœdere sibi iunctam, dulces & suaues fructus edituram sacra gente dignos: ut sunt fidei, & amoris ex fide nati, atq; actionum fidei consentanearum fructus. Sed pro his quos fructus tulit? Sequitur:

Et fecit labruscas.) Vt sunt crimina, quæ propheta Iesaias Israelitis obiicit, & suprà grauiter in eis reprehendit, idololatria, ebrietas, adulteria, rapinæ, homicidia, &c. Hæ sunt labruscę, quas degener uinea parit pro uuis. Cæterùm labruscæ uocantur באשים, à fœtore, quod reiiciantur tanquam fructus fœtidus. Sic apud Iobum lolium appellatur באשה, ubi ait, תחת עורה באשה. Iob. 31.

Nunc ergo habitator Hierusalem.) Iudicium exponitur, in degenerem uineã edendum. Atq; ad commendandam æquitatem suam, iudex non dedignatur cum illa descendere in iudicium, quò ipsam Israeliticam gentem sua ipsius conscientia æquius condemnet: Quia hæc feci quæ facere debui, respondeat mihi uinea mea, quid sit quod facere debuerim, & nõ fecerim. Hac tacente, & nihil habente quo se purget, ipse sibi respondet: Nisi fortè in hoc erraui, quod pro labore expectaui ut redderet uuas, non labruscas, quas inculta uinea ferre solet.

Auferam sepem eius.) Fertur sententia: Vt antea uineam meã tuitus sum, ita post hac non tuebor. Quę hic propheta figuratè dicit, in Deuteronomio Moses apertè eloquitur: Et ut antea lętatus est Dominus de uobis, benefaciens, sic lætabitur disperdens uos. Deut. 32.

Et erit in direptionem.) Ablata sepe, ut feris relinquatur uinea depascẽda, satis clarum est: & quæ feræ significentur, non obscurum. Vt conculcata sit uinea gẽs Israelitica à suis feris, hoc est à Romanis, si externos hostes spectes, manifestũ ex historijs est. Sin interiores hostes consideres, qui hanc uineam erroribus & cæcitate proculcent, doctores falsi declarant, qui diuinis oraculis submotis, Iudæos humanis doctrinis, ueluti infrà id ostendetur, perdunt.

Et ponam eam in desertum.) In tantam uastitatem eam redactum iri, ut neq; putetur, neq; pastinetur, tota spinis & uepribus obruenda. Hæc sub metaphora uineæ deuastãdæ, de Iudęorum dicuntur uastitate ac solitudine. De qua apertius Dominus noster uaticinatus est, Relinquetur domus uestra deserta: ablato uidelicet regno & sacerdotio, ablatis prophetis, & omni oraculari disciplina. Idẽ Dominus noster sub figura ficus arescentis usq; ad radicem, eandem gentis Israeliticæ calamitatem præsignificauit. Matthei 23. Marci 11.

Non putabitur.) Propheticę doctrinę falce. Carebunt Euangelio, cuius spiritu putentẽ steriles uitiorũ palmites: qui unus ueterẽ hominẽ cum suis cupiditatib. mortificat, & nouũ ad cœlestes affectus, qui uolũtati Dei respondeãt, generat.

Et non fodietur.) ad inserendum in pectus eorum semen uerbi Dei.

Vepres & spinæ.) humanarum doctrinarum & errorum spinæ, quibus uineã replet is, de quo Messias apud Ioannẽ: Ego ueni in nomine patris mei, nec recipitis me: si alius uenerit nomine suo, eum recipietis. qui est aduersarius Christi, per errores seruatarum ceremoniarum, quarum tenebras exortus sol Messias dissipauit in Iudæis: & per Alcoranũ in Turcis, & per decreta Pontificũ in Papistis, spinis cõscientias miserè pungentia, regnans. Vnde subnatę etiam sunt uepres auariciæ, ambitionis, inuidię, atq; curę ac sollicitudinis in terrena, neglectis cœlestib. bona collocatę. De quib. spinis & uepribus Dominus apud Euangelistã meminit. Quę in historijs legũtur de duob. Messijs, quos Iudæi receperint, utroq; Barcosba appellato, tenuiora sunt, & ut de his Christus prędixisse intelligatur. Qui, de quo falso Messia sessuro in loco sancto prædixerit, ex Prophetis & Noui fœderis, ut suo loco indicabitur, scriptura patet. Ioan. 5. Matthei 15.

Et *mandabo nubibus ne pluant.*) Manet in translatione uineæ: hanc pluuijs cœlestibus priuandam, quo minus fructus suos ferat: sed sterilis reddita, in solitudinem redigatur. Figuratè significatur, gentem Israeliticam nubibus, Prophetis oraculorum imbrem, & ipsis Apostolis Euangelij salutarem pluuiam pluentibus, carituram. Suprà legimus, Messiam creaturum nubem super montẽ Sion, quæ pluuiam cœlestis Euangelij fundat: hic, uetaturum illum ne pluat. Quæ maxima calamitas est. Et hoc ipsum est cœlum æneum, quod per Mosem
Deut. 28. intentat huic uineę Dominus, in Deuteronomio: Dabo uobis cœlum æneum. In quo loco, si externam maledictionem spectes, annonę caritas accipitur, qua clauso cœlo sint laboraturi, nubibus ad fœcundandam terram pluuiam negantibus: ut fuit tempore Heliæ cœlum clausum, & æneum factum, & terra sterea. Sin reducto uelo interior & spiritualis maledictio consideratur, inopia e-
Deut. 32. ius pluuiæ accipitur, de qua idem Moses mentionem his uerbis facit: Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Itaq; Paraphrastes Chaldæus translationem nubium sapienter in hunc modum interpretatur: Prophetis meis mandabo, ne eis prophetiam exponant. Neque deest similitudo, qua Dei uerbum pluuiæ comparatur. Nam ut pluuia de cœlo in terram decidit, quam ad fructus ferendos fœcundet: ita doctrina salutaris de cœlo, nubibus Apostolis stillat, quæ pectora nostra ad fructificandum uberet. Hinc fit, ut Hebræi uno uerbo & doctrinam & pluuiam efferant. Quapropter rectè præcipitur de translationibus, eas ab alio in quo nihil simile reperitur, non esse mutuãdas: sed eas aptè usurpari, cum uerbum à re quam propriè significat, ad aliã quæ cum illa similitudine quadam congruit, transfertur.

Vinea autem Domini exercituum.) Hactenus de figurato sermone, iam explicatio eius subiungitur: Vineam esse gentem Israeliticam. Atq; hanc uineam Domini dici, quæ bene culta lege & prophetarum oraculis esset: uuas autem, spe cultore præsumptas, non tulerit, sed labruscas. Reducto uelo mysticæ uineæ, occurrit uinea per mysticam adumbrata: hoc est, electorum in orbe terrarum Ecclesia, de qua idem Dominus apud uatem nostrum conqueritur, quod de Israele uinea conqueritur: Quid amplius faciendum erat uineæ meæ, quod ei non fecerim? cur sperante me parituram uuas, peperit labruscas? Hęc bene culta per Apostolos, postea degenerans, pro suauibus fidei, amoris & sanctioris uitæ uuis, perfidiæ, idololatriæ & turpioris uitę labruscas edidit, dum eam sues & lupi, ablata sepe & turri diuini pręsidij, uastarent, uepres & spinę humanarũ doctrinarũ & uanarũ cupiditatũ uanissimi mundi obducerẽt, nubes Apostoli Euangelij imbrem non pluerent: sed pseudoapostoli, mendaces uates & praui doctores in ea omnia corrumperent & disperderent. Intueamur superiora &
Oseæ 10. nostra tẽpora. Atq; hoc ipsum est quod mystice etiã Oseas uates uaticinatus est de uinea Domini, pro uuis dulcibus acerbas labruscas ferente: Vitis inanis Israel, fructum æquat sibi: hoc est, qualis uitis est, talem fructum edit. Sed quis est ille fructus, quem edit uitis inutilis? Sequitur: Quo plus habet fructus, eo plures facit aras. Igitur idololatria est illa labrusca, quam fert uinea inanis Ecclesia iam multis seculis. Quæ ex Aegypto, domo seruitutis peccati & mortis translata, ab Apostolis magna cura exculta fuit, ut bonum, non malum fructũ
Cantic. 1. ederet. Hoc cõsiderans sponsa Ecclesia, in Cantico canticorum conqueritur, à se uineam suam non custoditam: Vineam meam non custodiui. Sed à quibus feris hæc uinea uastata est? A uulpibus, de quibus eadem sponsa: Apprehẽdite nobis uulpes, uulpes paruas, quæ uastant uineas. Sed quæ sunt uulpes illę?
Ezech. 13. Ezechiel tales uulpes describit: Quasi uulpes in desertis fuerunt prophetę tui, ô Israel. Vbi de falsis uatibus loquitur, quos uulpibus cõparat, in uineas quas deuastent inuadentibus. Tales sunt in regno Antichristi uulpes pseudoapostoli & mẽdaces doctores, & lupi, quos Apostolus prędixit Ecclesiam inuasu-

ros:

ros: Ego enim noui hoc, quòd ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi. Hostes Ecclesiæ rectè uulpibus & lupis comparantur. Nam ut hi aperta sæuitia, illæ calliditate & uersutia insignes sunt: ita aduersarius in uinea Ecclesia, ueteratoria calliditate, sub simulatæ pietatis specie, & crudelitate in eos qui suos errores aspernantur, grassatur. Sed hac de re suo loco copiosius, ex nostro & alijs prophetis admonebimus. *Actor. 20.*

Germen delectabile eius.) Iudæa tribus quanta in gratia fuerit apud Dominum, & quantas ei delicias præbuerit, documento sacerdotium & regnum est, quo illa exornata fuit, & Hierosolyma in ciuitatem Dei electa: & quòd ex Iudæis procreandus esset Messias, quæ præcipua laus gentis huius fuit.

Vt facerent iudicium.) Suprà uuarum, hic iudicij translatione exposita, meminit. Iudæos iudicium non fecisse: hoc est, ius & æquum non persecutos, neglecta amoris diuini lege, quæ his uerbis comprehenditur: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris: & quod tibi uis fieri, alteri facito. Hæc reprehensio & in magistratum ius non reddentem, & in priuatos iniquè agentes, conuenerit.

Et ecce iniquitas.) Scita allusione utitur uates in משפט ומשפח. Expectabatur à cultore uineæ, fructus iuris & æquitatis: sed loco eius, editus est fructus iniuriæ. sic reddunt משפח Septuaginta, qui habent ἀνομίαν. Similiter Paraphrastes. Sunt interpretes, qui figuratè iniuriam & uim atque nocendi alteri studium, significatum per משפח uolunt, ea uoce scabiem totum depascentem corpus denotante. Citant que ex Leuitici capite decimotertio locum, ubi sic legitur ea uox, Mose de scabie illic loquente. Neque si tropum euoluis, deest similitudo. Nam ut scabies totum corpus pertentat: sic uis & iniuria improborum facilè totum reipublicæ corpus corruperit, nisi per magistratum coerceatur. Qui si uel ipse iudicium, hoc est officium suum, sontes plectendo, & insontes à ui & iniuria tuendo, non fecerit: uel priuatis hominibus pro libidine liceat per auariciam, fraudem, uim & iniuriam rem suam facere: quid quæso hi aliud sunt, quàm scabies, atque omnia arrodens cancer? Vt quidam uerè tales homines carcinomata terræ appellauit. *Leuit. 13.*

Et iusticiam.) tribuendi sui cuique, & benemerendi de altero studium. De iudicio & iusticia, Dominus apud Euangelistam sic loquitur: Reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam, ac fidem. Vbi iudicium pro æquitate & iure, iusticiam pro misericordia, bonitate & fide interpretari uidetur. Similiter accipitur iusticia infrà capite quinquagesimo octauo, Te præcedet iusticia. Sed quæ iusticia? Præcesit in uate: Esurienti panem tuum diuide, inopes que uagos domum tuam introducas: nudum si uideas, operias. Hæc iusticia, diuina illa Deum & alterum ex fidei luce nata amandi uis est, qua ad imitationem Dei benefici sumus, suum cuique, ad normam fidei per charitatem agendo, tribuentes. Per charitatem inquam in nobis spirantem, de qua Ioannes: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet. Quare rectè ille dixit: Dare beneficium, est imitari Deum: cuius bonitas tanta sit, quanta ipsius natura, benignitate & clementia cœlum & terram, & quæ his continentur, implens. Sed cum expectaret iusticiam, quid pro ea edidit degener uinea? Sequitur: *Matthæi 23.* *1. Ioan. 4.*

Ecce clamor.) oppressorum ui & iniuria, querela. Sed ad quem hæ querelæ perueniunt, tanquam iustum & æquum iudicem? De Abele legimus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. De Israelitarum item oppressorum clamore, in Exodo capite secundo sic scriptum est: Et ascendit clamor eorum ad Deum, ab ipsa seruitute, Hunc clamorem ediderunt pro- *Genes. 4.*

phetę

phetæ Elias & Eliſæus, uates hoſtiliter infeſtati, & tot ſancti homines à tyrannis interfecti: Ieſaias ſerra diſſectus, Hieremias conuicijs & carcere uexatus, Zacharias inter templum & aram interfectus: & tandem ipſe filius Dei Meſſias, crudeliter à ſuis & inter ſuos in crucem adactus & occiſus, ueluti is ipſe in parabola de uinea oſtendit. Nec non tot pij homines ab Apoſtolorum temporibus, cum ipſis Apoſtolis, uſq; ad noſtra tempora necati. in quibus temporibus uerè conqueritur Dominus: Et expectaui ut facerent iudicium, & ecce iniuriam: & iuſticiam, & ecce clamor. Clamor autem is & hæ querelæ latiſsimè patent. Editur à pauperibus, à uiduis & pupillis miſerè oppreſsis: editur à ſanctis, ob ſacræ doctrinę confeſsionem: inimicè ab ijs qui ſe Pontifices, paſtores, patres & ſanctiſsimos uocant, interfectis: editur etiam ab impijs blaſphemiæ & conuiciorum clamor in ueram religionem, & in eos qui illam ſequuntur, falſa ſpe illius, qui cum ſperaret iuſticiam, pro ea clamorem audiuit. Colorat uates ſcita paranomaſia reprehenſionem, quæ cernitur in משפט ומשפח, item in צדקה וצעקה.

Matthæi 23.

Væ qui coniungitis domum.) Notatur auaritiæ labruſca, iudicio & iuſticię, hoc eſt æquitati & bonitati contrarium uitium. Iſraelitas, hoc eſt diuinum fœdus profitentes homines, cum oporteret animum ad cœleſtes domus ædificandas adijcere, his neglectis terrena quærunt, non quibus utantur ad amplificandum nomen Dei, ſed quibus expleant libidinem & cupiditatem animi. Si reges & principes ſpectes, hi non contenti regnis & ditionibus ſuis, regna regnis, ditiones ditionibus, præter ius & æquitatem omnia rapinis, incendijs, ſanguine replentes, coniungere ſtudent. Sin uerò priuatos homines conſideres, hi non ſatiati ſuis domibus in quibus habitent, & agris qui ſatis ſint ad uictum prębendum, ſed domos domibus, fundoſq; fundis continuant eò uſq;, ut nullo re ſtante loco, ſoli in terra habitare uideantur. In his nõ opes quas poſsident damnantur, ſed auarè comparandi opes & eas poſsidendi animus ſine Deo cum iniuria aliorum damnatur. Alioquin firmum eſt illud Salomonis: Melior eſt ſapientia cum diuitijs, & magis prodeſt uidentibus ſolem: & illud Domini noſtri: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis. Cæterùm, quoniam qui rem ſuam augere & facere cupidè ſtudent, id cum detrimento alterius faciunt: LXX hoc alios deprędandi ſtudium explicantes de ſuo addunt, ἵνα τὸ πλησίον ἁρπάσωσι τι, hoc eſt, ut alteri rapiant quippiam. Hi expenderunt, in auaritiam iactatam illam ſententiam: Lucrum ſine damno alterius fieri temerè non poteſt. Hieremias luxum in ædificandis domibus, cum eorum iniuria quorum opera utuntur in ædificando, acriter his uerbis redarguit: Væ qui domum ſuam iniuſtè, qui cœnacula ædificat iniquè, utens aliorum opera gratis, nec præmium eis ſoluit.

Eccleſ. 7.

Lucæ 16.

Hierem. 22.

In auribus meis.) Quas uos ueſtra ſcelera latêre putatis, dicentes: Neq; uidet, neque audit nos. Fallimini, ad aures meas perueniunt crimina ueſtra. Ego Dominus exercituum ſum: hoc eſt, ego qui Dominus omnium ſum, tum cœleſtium tum terreſtrium, ad pœnas ſumendas de flagitijs ueſtris, & ad liberandos iniuria oppreſſos ualeo. Hæc interpretatio commodè contentionis uim exprimit. Præceſſerat: Væ qui domos domibus coniungitis. hic uerò: Ego Dominus, ſi non multæ domus deſolentur. item præceſſerat: Vt ſoli in media terra tanquã Domini ſedem habeatis. hic uerò: Ego Dominus exercituum, cuius terra eſt, & plenitudo eius, non ueſtra. Sunt qui in hunc modum interpretantur: Verba quæ Dominus locutus eſt, de domibus deſolãdis & de agris ad ſterilitatẽ redigendis in auribus meis ſonant. Vt propheta intelligatur fateri, ſe à Domino hoc durius in auaros oraculum accepiſſe. Huius ſententiæ etiam Chaldæus Paraphraſtes eſt.

Niſi domus multæ.) לא אם, ſi non, de iurante phraſis eſt, in qua reticetur ſtipulatum

latum ac pactum expressa conditione. Crebrò usurpatur hæc iurandi formula in sacris literis. Sic enim in Psalmo: Si introibunt in requiem meam. Vbi non explicatur, quid nam passurus sit Dominus, si ingressi fuerint. Similiter de Abrahamo in Genesi: Si non auxero sobolem tuam, ut æquet numero stellas.

Domus multæ desertæ fuerint.) ut fraude & iniuria aliorum auctæ sunt. Se lege talionis cum illis acturum. Is est rerum fortuitarum lubricus casus, sed quem regat prouidentia diuina: quæ illa æterna lex est, cui omnia in cœlo & in terra parent. Quare uera est illa sententia: Fortuna uitrea est, tum cum splendet, frangitur. item: Fortunam citius reperias, quàm retineas. Cæterùm in domibus ab Israelitis ædificatis reprehenduntur, quòd sint multæ, magnæ, splendidæ ac magnificæ: has desolatum iri, & priuandas habitatore. Similia minatur Amos uates: Percutiam domos pariter hybernas & æstiuas, & domus multæ peribunt. Intueamur nostra sæcula: quid in his eueniat, & euenturum sit, similia Israelitis tentantibus, monere potest oracularis admonitio, à Domino nostro apud Matthæum capite uigesimoquarto expolita. *Amos 3.*

Leguncula unam.) In Hebræo בת est mensura liquidorum, ut uini aut olei. Iosepho autore mensura hæc continet septuaginta duos sextarios, sextarius duas heminas seu cotulas, eynhalb moß. Cæterùm יוגר iugerum est, quod pari boum arari potest, à iugo boum ita appellatum: ut etiam Latinis iugerum, à iugo boum nominatur.

Væ qui surgitis mane.) Taxatur ebrietatis labrusca, multorum malorum, quæ memorantur à propheta, caussa: in qua hæc ordine reprehendit. primò, quòd mane statim ut surrexerint, potationi indulgere incipiunt, eo tẽpore quod precationi honestisq; studijs erat dandum. De quo tempore uates: Mane oratio mea præueniet te. Itaq; Salomõ: Væ terræ, cuius princeps mane comedit. Alterum est, quòd potando totum diem consumunt, in noctem usq; potationem protrahẽtes, dum toti uino incalescant. Tertium est, quod redarguit diuinus spiritus, quòd ad explendam libidinem animi, cithara, nablis, tympanis & tibijs conuiuia sua celebrant. Demum reprehendit, quòd per ebrietatem Domini opera curæ non habent, quæ in conuiuijs celebrari, non negligi, oporteat. Sanctè ergo ueteres Hebræorum sapientes dixerunt, eos qui in conuiuio sermonem de rebus diuinis non habent, perinde se habere, ac si de sacrificijs mortuorum comedant. Contrà habere, qui Dei uerbum, legem, & diuinæ sapientiæ opera celebrant. super hos quiescere diuinitatem, & nõ secus eos habere, atq; si de mensa ipsius Dei comedant. *Psal. 87.* *Eccles. 10.*

Vsq; ad uesperam.) Muneribus uitæ à Deo iniunctis, quæ per diem obeantur, neglectis: homine non ad ocium, non ad conuiuandum & potandum, sed ad labores post contractam culpam destinato, hac in illum sententia lata: In sudore uultus tui uescêris pane tuo. Contra hanc sententiã Epicuræi, uiuentes ut edant & bibant, nõ bibentes & edentes ut uiuant, sed potius ut miserè pereant, crapulæ studeant. Sed grauius delinquunt Israelitæ, hoc est de diuino fœdere gloriantes homines, quòd fidei, innocentiæ, frugalitatis & sanctitatis fœdus est, contrarijs uitijs infestum. De quo illud: Sancti estote, ut ego sanctus sum. *Genes. 3.* *Leuit. 19.*

Et uino æstuetis.) Non eo animum honestè reficiatis, quòd periclitanti & mœrenti animo ad exhilarandum datur. De quo usu illud: Vinum lætificat cor hominis. Propter quod munus uinum etiam in sacrificijs à Mose adhibitum fuit. Hoc usu neglecto, uinum bibitis ut æstuetis, eo ita accensi, ut neque pes neque caput, per æstum ebrietatis cerebrum infestantem, officium suum facere possit. Igitur uinum quod ad exhilarandos mœrentes, & ad debilitatas corporis uires reparandas, temperatis datum est à Deo, instru- *Psal. 104.*

inſtrumentum ſit libidinis, intemperatis. In hos conuenit ſententia illa Salo-
Prouerb.20. monis: Scurram reddit uinum, tumultuoſum ſicera: & quiſquis ea decipitur,
Oſeæ 4. non ſapit. Quare uerè dicit propheta Oſeas, fornicatione, uino & ebrietate au
ferri mentem homini. Ad hoc malum accedunt in corpore pallor, & genæ pen
dulæ, oculorum ulcera & lippitudo, tremulæ manus, neruorum luxatio, furia-
les ſomni & inquies nocturna, ex ore halitus fœtidi, & rerum omniũ obliuio,
morsq; memoriæ. Tanta mala affert ebrietas: & contraria bona, ſobrietas. Vti
tur hic diuinus ſpiritus uerbo æſtuandi & incaleſcendi, ebrios uino æſtuare &
incaleſcere, uino caloris uim tribuens, quam ex ſole uitium humor trahit, unde
inebriandi poteſtas uino ineſt. Nam uinum calore ſuo cerebrum natura frigi-
dum pertentans, ex caloris & frigoris pugna ebrietatem tumultuoſam, & men
tem de gradu deiſcientẽ, ut officio ſuo nõ ſungatur, inducit. Verè ergo ebrioſi
gentium idolis comparantur, de quibus Dauid: Oculos habent & non uidẽ,
aures & non audiunt. Quare fertur Pythagoras ſapienter dicere ſolitus, ebrie-
tatem inſaniæ meditationem eſſe.

Cithara & lyra.) Muſica ad luxum abutentes: quæ Dei munere ad laudes eius
decantandas, & ad moleſtias ex laboribus contractas leniendas, atque ad ani-
mos curis & cogitationibus fatigatos relaxandos, homini tributa eſt. A Deo
autem canendi artem profectam, documento ſunt carmina Moſæa & Dauidi
ca: & muſicos diuino inſtinctu agitari, agnoſcit etiam Græcus uates:

Homerus in Odyſſ. —— θεὸς δ' ἐμπνεῦσαι ἀοιδὴν ἐπέεσσιν ὄτρυνε. ——

Securitas de malis in Iſraelitis reprehenditur, qui in mediis ſceleribus ſecuri de
Dei iudicio, luxu, crapula, cantionibus tempus, ad imitationem ſobolis ipſius
Cain, quæ diluuio periit, triuerint. Hanc, ex libro Geneſeos cognoſcimus mu-
ſica inſtrumenta inueniſſe, quibus ad libidinem, non amplificationem nomi-
Daniel 5. nis diuini uteretur. Imitata præterea eſt in hoc luxu, Iſraelitica gens Babylonii
regem: qui ſecurus de rebus aduerſis quæ ei contingerent, & quibus mox erat
opprimendus, uino & muſicis ſonis legitur maxima iudicij diuini contem-
ptione indulſiſſe.

Et opus Domini.) Si Iudæos ſpectes, ut hi præcipuè tempore præſentatæ per
Chriſtum ſalutis ſe geſſerint, conſtat, hos neq; præclara quæ Deus cum mato-
ribus ipſorum contra Aegyptios, Chananæos, Aſſyrios, Babylonios & Gra-
cos facinora ediderat, neq; legis Moſaicæ diſciplinam, neq; Meſsiæ ſalutarem
doctrinam, atq; ſigna & miracula ab ipſo edita, mortisq; eius & excitationis è
mortuis beneficia & partam ſalutem, neq; diuinæ iræ exempla per Romanos
in ſe cœpta intentari, curæ habuiſſe: ſed de his omnibus ſecuros fuiſſe, ſcelera
ſceleribus accumulando, quod manifeſtum iræ diuinæ in ſuum ſemel electum
populum ſignum erat. Sin uerò Eccleſiæ ſtatum, qui tempora Apoſtolorum
ſub Antichriſto conſecuturus eſt, conſideramus, ea quæ hic obiiciuntur hu-
dæis, in Eccleſiam quoq; competere intelliges: contemptum iuris & æquita-
Matthæi 24. tis, charitatis & amoris frigus. quod tum maximè fore ſignificauit Chriſtus, ci
cum uiderit abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto patefieri. Intueamur no
ſtra tempora. Quantum uerò ad ebrietatem pertinet, & crapulæ ſtudia, ſi hæc
unquam locum habuerunt in orbe terrarum, hodie habent. ut uerè hæc tem-
pora uates noſter notans, intonet: Væ qui mane ſurgunt ut ebrietati indulge-
ant, & potando moram uſq; ad ueſperam trahunt, dum incaleſcant uino. Huic
uitio pariter principes & ſubditi, epiſcopi & ij quibus illi præſunt, doctores &
diſcipuli obnoxij ſunt. Quæ tempora perpendens Chriſtus hanc admonitio-
nem ad nos, qui in finem deprauati mundi incidimus, quoq; pertinentem, in-
Lucæ 21. ſtituit: Cauete autem uobis ne quãdo grauentur corda ueſtra crapula & ebrie-
tate, & curis huius uitæ, ſubitusq; ingruat dies ille. Sed de quo die loquitur? de
eo cuius iam ſæpe fecimus mentionem.

Et

Et opera manuum eius.) Sed quę opera? Opera quæ ſobrius uates Dauid Pſalmo centeſimotertio, animam per cœlum & terram, & quæ his continentur, circũferens, celebrat: ut ſunt, angeli, aſtra, nubes, pluuia, ſtirpes, animantia: & in his homo, rationis & ſacri ſpiritus particeps animal, mundi caput in Meſsia, ſummo uniuerſitatis principe & Domino. Hæc opera & prouidentiam diuinam, quæ in his conſeruandis, & præcipuè in hominis ſalute procuranda adhibetur, ebrios curæ non habere, ut oblitos & Dei conditoris ſui, & Meſsiæ ſeruatoris, & ſuam conditionem ad quam conditi ſunt negligentes. Homo enim diuino conſilio ac ratione generatus, & in hunc mundum tanquam in ampliſsimum theatrum ſpectator & contemplator uniuerſitatis huius introductus eſt, qui opificis Dei laudes perficeret, non uanis in mundo rebus operam impenderet. Ad quod fungendum munus, mentem & ſacrum Dei ſpiritum atq; loquendi facultatem accepit, rectumq; corporis ſtatum nactus eſt, in quo oculos in cœlum tollens, Deum mundi architectum amplificaret. Is ut in primo Adamo uitium contraxit, per quod minimè liceat Deum ſanctè colere: ita in ſecundo integritatem recuperat, per quam Dei bonitatem & fidem in ſalutis operibus deprædicat. At is neq; ſui creationis neque reparationis memor, cum Iſraelitis ea crimina committit, quæ hic à uate noſtro reprehẽduntur. Sed cum degener uinea has labruſcas ferat, qua clade afficietur? Sequitur.

Propterea ductus eſt captiuus.) Sceleratorũ pœna explicatur, quæ in bello, captiuitate, exilio, fame & peſte cernitur. Si Iſraelitas ſecundũ carnẽ ſpectes, hęc acciderunt eis per Romanos nouiſsimis temporibus, ſub Imperatore Veſpaſiano & Tito. De his malis prædixerat ex Daniele Meſsias ipſe: Et cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Ioſepho autore libro ſeptimo de bello Iudaico, captiuorum numerus fuit nonaginta & ſeptem millia: & qui perierunt tempore obſidionis, undecies centena milia fuerunt. Prætereo cladem, qua perſequẽtes Imperatores Traianum & Hadrianum affecti ſunt. Sed præter captiuitatem exteriorem, ut interiorem etiam ſentiant, declarat excæcatio, & miſerum à regno Dei exilium. Neq; melius habet ſtatus Eccleſiæ ſub Antichriſto, Vtraq; maledictione interna & externa eam infeſtante: de qua aliquoties mentio facta eſt, & ſuis locis uberior fiet. *Luc. 21.*

Populus meus.) Iſraelitas etiam male affectos ſuum populũ uocat, propter electionis gratiam, & reconciliationis ſpem. de qua gratia Apoſtolus: Secundum Euangelium quidem inimici propter uos, ſecundum electionem autem electi propter patres. *Rom. 11.*

Quia non habuit ſcientiam.) Quæ gens olim ſapientiæ laude celebris fuit, de qua Moſes, En populus ſapiens & intelligens: ea uerò iam ut contempſit Euangelium, in quo uno uera ſapientia uerſatur, imprudens & ſapientia carens habetur. De cuius ſtultitia idem Moſes: Gens abſq; conſilio eſt. LXX explanandi gratia de ſuo addunt, διὰ τὸ μὴ ἐπίγνωσιν αὐτὸν τοῦ κύριου. Itaque ut ſcientia Meſſiæ uera ſcientia eſt, iuſtitiam, uitam, & gloriam cœleſtis regni afferens: ita illorum qui eius inſcientes ſunt, ſcientia & ſapientia, ſtultitia eſt & amentia, interitum & æternam ignominiam apportans. De qua dementia idem Moſes: Afficiet dementia & cæcitate. Qualis fuit in ſapientiſsimis legis interpretibus phariſæis, qui Meſsiam pro alijs atrociter perſecuti ſunt. *Deut. 4.* *Deut. 28.*

Et nobiles eius interierunt fame.) eos diuitijs non tuentibus. Ex talionis lege pœna penditur. Suprà reprehenſa ſunt genialia, quibus indulſerit, conuiuia: hic fames & rerum penuria intentatur. Quanta autem fame laborauerint Iudæi obſidentibus Hieroſolymam Romanis, Ioſephus libro ſuprà citato indicat. Ab eo proditum eſt, mulieres præ fame ſuos natos comediſſe. Quod futurum antea prædixerat Moſes in Deuteronomio capite XXVIII: Et comedes carnem filiorum tuorum.

Siti exaruit.) Suprà obiícitur ebrietas, hic ſiti puniendos ebrios prædicit. Digna uitio illo ex talionis lege pœna eſt.

Propterea dilatauit infernus animam.) Scita proſopopœia inferno animam & os affingit: animam quidem, hoc eſt halitum, quo attracturus ſit ſceleratos: os uerò, quo deuoraturus שְׁאוֹל Hebræis ſepulchrum eſt, ac fouea mortuos abſorbẽs.

Prouerb. 30. Quam foueam ſepulchralem Salomon dicit inſatiabilem eſſe. Meminit primò belli, deinde famis quam bellum creat, demum peſtis quæ famem conſequitur, homines conficiens. Eundem ordinem Moſes ſeruat in eo loco, ubi diras commemorat, quibus Iſrael ob rebellionem deuouendus ſit, primò gladij, deinde famis, poſtremò luis mentionem faciens. Eiuſdem ordinis memor eſt

Matth. 24. & Dominus noſter apud Matthæum, ubi iudicij meminit, de quo mox ſermo inſtituetur. Cęterùm quot millia infernus deuorarit, Ioſephus in libro ſuprà indicato oſtendit. Quoties autem accipiatur infernus, & quid de eo inferno ſentiendũ ſit in quo hœdi & maledicti locũ habituri ſunt, ſuo loco monebitur.

Abſq; ullo termino.) Sine modo infernum os pandiſſe, & fauces diduxiſſe, ad deglutiendos flagitioſos.

Deſcendent.) Reſpicitur ad ſitum inferni in uerbo Deſcẽdendi. Pij aſcendere dicuntur in cœlum, impij in infernum deſcendere.

Incuruatus eſt homo.) Præceſſit de claris & nobilibus: hic ſubiícitur, eos deiícien dos. Seruatur ſententia illa: Dominus ſuperbos deiícit, humiles extollit.

Et exaltabitur.) depreſsis ſuperbis. Sed quo præconio extolletur? Eo de quo

Apocalyp. 19. apud Ioannem: Rex regum, & Dominus dominantium. Sic celebrabitur aduerſus eos à quibus fuerat deiectus. In quorum numero eſt filius perditus,

2. Theſſ. 2. ſe efferens ſupra omne id quod eſt numen Dei, & pſeudoprophetæ Antichriſtum adorantes.

Dominus exercituum.) Secundum patrem Meſsias filius unigena Dei, qui de

Matth. ult. ſe prædicat: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quam ſpiritualis Babylon ſibi uendicans, dicit cum Nabuchodonoſore: In cœlum aſcendam, &

Infrà 14. ſupra aſtra cœli collocabo thronum meum.

In iudicio.) Supplicio ſumpto de ſontibus, & inſontibus liberatis, de quibus mox mentio fiet: ob quam æquitatem, quam in iudicando ſeruat, hunc titulum

Pſal. 7. habet: Deus iuſtus iudex. Meſsię autem cur iudiciaria poteſtas data ſit à patre, ratio in promptu eſt. Etenim is quòd homo eſt, nouit infirmiorum proęquanda habere rationem, qui humano genere ſimiliter, ſed citra culpam tentatus ſit.

Ioan. 5. & hanc rationem ipſe exponit, ubi ait: Poteſtatem pater dedit ei iudicãdi, quia filius hominis eſt. Quatenus autem filius Dei eſt, omni diuinitate repletus corporatè, quia errare, qui patris ſapientia ſit, nõ poteſt, iudicãdi poteſtatẽ merito ſibi uendicat, & ea in ſacris literis iure illi tribuitur, propter ſpiritum regiũ, oleũ diuinitatis, à quo Meſsias Domini, hoc eſt unctus appellatur.

Et Deus ſanctus.) Pater Deus à ſe ſanctus, ut à ſe Deus.

Sanctificabitur.) ſanctè in Meſsia, à patre filio & Deo, à ſanctis coletur. Duo autem in ſanctificatione Dei patris (de qua illud, Sanctificetur nomen tuum) continentur: Vnum eſt, Deo patri ſanctitatem ſapientiæ, iuſticiæ, uitæ, bonitatis & potentiæ inuiolabilem per fidem tribuere: hoc eſt, agnoſcere eum patrem noſtrum eſſe, qui tam ſapiens ſit, ut ſciat ſuos ſeruare: & tam bonus, qui uelit: & tam potens, qui poſsit: & fidelem, qui promiſſam ſalutem exhibeat: & eum in filio Chriſto talem eſſe, & in nemine alio. quod agnoſcere, eſt uita, uitã æternam habere. Alterum eſt, hunc Deum patrem ſanctitate animi, linguæ, uitæ exprimere. Quod eſt hic, Deus ſanctificabitur. Quod à ſolis agnis, de qui-

Ioan. 17. bus ſequitur mentio, præſtatur. Aut in hunc modum ſanctificandi uerbum exponetur: Sanctificabitur Deus, hoc eſt, auguſtum ſe iudicem, punitis improbis, & ſeruatis probis, declarabit. Vt etiam in Leuitico accipitur capite

decimo

decimo, ubi legitur: Et in his qui accedũt ad me, hoc est, sacro sacerdotij mũnere fũgunt, sanctificabor: hoc est, augustus supplicio de eis sumpto declarabor.

Tunc pascentur agni.) liberati uindice Messia. De more uates consolatur pios, hos ex tantis afflictionibus liberatum iri, pœna de impijs sumpta. Similiter suprà: Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus uocabitur. Hos ex tanta clade residuos, agnos hic uocat propheta Iesaias, quorum pastor sit Christus, qui de se sic ait: Ego sum pastor bonus. & de ouibus suis, quas pascit: Oues meæ uocem meam audiunt. Has pascendas Iesaias dicit secundum ductum suum, qui sacri Euangelij ductus & rectio est. Similiter paraphrastes agnos, explicato tropo de iustis interpretatur, pro agnis reddens צדיקיא. *Ioan.* 10.

Et deserta in ubertatem uersa.) In Hebræo legitur, Et uasta loca pinguium peregrini comedent: hoc est, opibus quas opulenti deserere coacti sunt, peregrini fruentur. Sunt qui metaphoram agnorum obseruantes, uerba uatis sic interpretantur: pingues, hoc est, arietes peregrinos uasta loca carpturos. Sed qui sunt illi pingues arietes? Dominus ipse hos explicat, ubi ait: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, eas quoq; oportet nos adducere, & uocem meã audient. Sed quæ sunt illa uasta loca, quę bene pingues diuini spiritus pinguedine agni carpent? Ea loca exponit Apostolus his uerbis: Quod si diminutio illorum diuitiæ gentium sunt. Cæterùm in pios congruit uox agnorũ, qui uidentur ab Hebræis appellari עבשים: quòd sint demissi, & pastoris imperio parentes, non feroces & imperium detrectantes. *Rom.* 11.

Quæ trahitis iniquitatem.) Taxatur contumacia in malo, per quam scelerum non pœniteat: qui scelera trahunt, ut funibus onera & plaustra loris trahuntur. Vox עבות funem duplicatum, aut triplicatum notat, translatione sumpta à Denso.

Funiculis uanitatis.) Figuratè, de uanis studijs & conatu. quos conueniebat uersari in cultu probitatis, fidei, & amoris Dei atque proximi, ipsi plaustra onusta sceleribus, uanorum studiorum loris trahunt, suo ipsorum sub tanto onere interitu. Quàm autem latè pateat hæc reprehensio, tempora Ioannis baptistæ prædicantis pœnitentiam, & Christi Euangelium docentis, claré indicant. Nota sunt hæc uerba Ioannis baptistæ: Securis posita est ad radicem arboris: omnis arbor quæ non fert fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur. Nota item uerba Christi ad Iudæos facta, plena minis calamitatum, quę scelera continuato studio patrantibus essent euenturæ. Non secus egisse Apostolos, ex Actis patet. Sin uerò tempora Ecclesiæ sub Antichristo, & hæc nostra secula cõsideres, quid aliud intelligis fieri, quàm quod propheta noster reprehendit: Vę uobis qui scelera funibus uanitatis, & qui peccata quasi plaustri loris trahitis. Et quum ita scelera sceleribus accumulant, posthabita omni pœnitentia, in eum contemptum iudicij diuini ueniunt, de quo sequitur mentio: *Matthæi* 3.

Qui dicitis.) Prophetis & Apostolis. Reprehẽditur securitas carnalis, in qua sceleratí audent dicere diuinis hominibus per irrisionem, quod sequitur:

Festinet opus.) calamitas, quam uos imminere minamini.

Vt uideamus.) In hoc Dei contemptu, ex securitate de malis nato, hęc uitia cõtinentur: Primò, non agnoscere delicta: deinde, delicta pro delictis non habere: tertiò, uerbũ Dei contemnere, aut id pro Dei uerbo, quod pro uerbo Dei affertur, non habere: postremò, Deũ neq; sontes supplicio, neq; insontes præmijs afficere. quod est dicere, Deũ non esse, ut impij dicunt: Dixit insipiẽs in corde suo, non est Deus. Non esse aũt Deũ fatentur, qui dicunt cũ illis quos propheta reprehendit: Non uidebit Dominus, neq; intellexit Deus Iacob. *Psal.* 13.

Væ qui dicitis malum bonum.) Reprehenduntur, qui fines bonorũ & malorũ, lucis & tenebrarum, uitæ & mortis, confundere ac perturbare non uerentur. Nos

legimus in libro Geneseos, à diuina sapientia certis finibus lucem à tenebris se paratam. Hos autem confundunt, qui dicunt tenebras lucẽ esse, & lucem tenebras: bonum malum, & malũ bonum. Huic uitio obnoxij sunt, qui tenebras humanę rationis pro luce sapientię diuinę uenditãt: qui uiribus ueteris hominis tribuunt, quæ noui hominis è spiritu sacro Messiæ nati uiribus tribui debent, quiq; iusticiã legis & factorum pro Dei iusticia, quæ fide cõmunicatur, habẽt: Quo uitio ludęi laborarunt, & etiamnũ laborant, qui Christũ, quòd regnũ cœleste & eius iusticiã prædicaret, cõuicijs prosciderunt, & cruci affixum interfecerunt. Idem ab illis accidit Apostolis, ut antea acciderat prophetis, quos crudeliter peremerunt, quòd reprehenderent eorũ peruersum iudicium, quo malum pro bono, & tenebras idololatrię pro luce ueri Dei cultus haberent. Meliora regnante Antichristo in Ecclesia nõ inuenies: Euangeliũ pro doctrina falsa, & eos qui id colunt pro hæreticis ducunt: fidei iusticia pro iniusticia, cultus unius Dei in filio Christo pro falsa religione, idololatria pro uero Dei cultu iudicatur: merita operũ extollunt, clemẽtia diuina in sanguine IESV arbitri salutis & uitæ æternę deprimitur, facultas & ius humanę uoluntatis ac arbitrij amplificatur, diuini spiritus facultas imminuitur: in olei, salium, aquarũ lustralium, uestium & temporum atq; ciborum obseruatione pietas collocatur: fidei, qua Deus pater in filio Messia colitur, & amoris in alterum, quem fidei lumẽ accendit, studia negliguntur. Sed quid hoc aliud est, quàm tenebras lucem, & lucem tenebras, & malum bonum, bonumq; malum dicere? Qua igitur clade ludæi affecti sunt, ut eadem nos afficiamur, par est. Huc pertinet execrantis & diras imprecantis Vę interiectio toties à uate nostro usurpata, qua notatur & scelerum magnitudo, & supplicij quo criminosi afficiũtur, grauitas. Atq; in eo alluditur ad maledictionem, quam Moses in libro legis rebellibus minatur.

Væ qui sapientes estis.) Fons peruersi iudicij de rebus aperitur, qui est, uideri sibi sapientẽ. quæ praua in uetere natura opinio, omniũ errorũ mater est. Nam sapiẽtia, per quã sapiẽtes in hoc mundo sibi uidentur sapiẽtes, nõ spiritus sacri Messię, sed carnis: nõ cœlestis, sed terrena: nõ diuina, sed humana sapientia est, quę ex corruptæ & uitiatæ naturæ obscura luce proficiscitur. Huius falsa opinione decepti homines, sapere sibi uidentur, & scire quæ nõ sapiunt, neq; sciunt, siue ea quæ in naturę obscuritate uersantur, siue quæ ad religionẽ pertinent, spectea. Nam in earũ rerum inuestigatione quę in abdito & occulto naturæ recessu latent, q̃ nostri animi cęcutiãt, res ipsa ostendit, & philosophorũ errores cõprobãt, in quos inducti sunt falsa sapiẽtia inflati, cũ de mũdo & de rerũ ex elementis mundi conflatarũ origine atq; natura, deq; humani generis ortu, statu & felicitate: cũ item de intelligẽtijs separatis & dęmonib. eorũq; natura et generib. & ordinib. tum de archetypo intellectuali, cœlesti, elemẽtali, minore & infernali (quẽ uocãt) mũdo temerè disputare ac disserere et plura cõfirmare audẽt, q̃ captus ueteris naturę originis uitio deprauatæ ferat. Qui meritò reprehendunt à Salomone, ubi ait: Nã in multa sapiẽtia multũ est tædiũ, & qui sciẽtiã acquirit, dolorẽ acquirit. Dico, qui temerè de occultis in hac uniuersitate reb. disserũt. Qui eñ de his sobriè prælucẽte diuinæ sapiẽtię face disserũt, tolerañ. Sobriè aũt disserũt, qui de Deo, eiusq; uerbo Messia, & sacro utriusq; spiritu, atq; de mũdi & eorũ quæ mũdo cõtinent origine, de hominis ad imaginẽ Dei fabricatiõe, de angelis, de dęmonib. de cœli et siderũ materia, et eorũ munere disserũt: ut scriptura sacra ad amplificandũ nomẽ Dei in Christo, opifice illius uerbo, & ad ędificãdã Ecclesiã, disserit. cuius sermo simplex et clarus, sciẽtiæ earũ rerũ quas nõ intelligis, et quarũ tractatio neq; Christo gloriosa, neq; Ecclesiæ utilis habẽt, uana ostẽtatiõe caret. Etenim is sermo crucis, ueterẽ hominẽ mortificãs sermo est, in q̃ nõ ambitio ac cupiditas uanæ gloriæ, sed demissio, nõ fastus, sed humilitas appareat, & amor in ꝓximũ spiret: qualis nõ flagrat & spirat

Eccles. 1.

in eo

in eo ſermone quem ſcientia & ſapientia humana format, pectora inflans, non deijciens. Quare rectè admonet ſapiens Salomon: Ne ſis ſapiẽs in oculis tuis, *Prouerb. 3.* ſed time Dominum, & recede à malo. Necꝙ etiam ea ſapientiæ humanæ pars culpa caret, qua ſapientes in hoc mundo homines ad gubernacula reip. ſedentes utuntur, cum ea confiſi res aduerſas amoliri ſtudent: illius ope & auxilio neglecto, cuius unius nutu res tum domeſticæ, tum publicæ conſeruantur. Per hanc ſuam ſapientiam, ſapientes miſerè pereuntes, experiuntur mala quæ propheta noſter in hoc ſuo oracvlo eis intentat. Sic interierunt Aegyptij cum magis & ſapientibus ſuis, in quos infrà ſic inuehitur Ieſaias: Stulti principes Thaneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. Prætermitto Aſſyrios, Babylonios, Græcos & Romanos, quos ſapientia ſua mundana perdidit & euertit, cum ea niterentur, diuina contempta, quæ in timore & Dei metu uerſatur. Quare in illorum faſtum & arrogantiam Dominus hanc ſententiam dicit: Qui ſapientes retro ago, & eorum ſtultam reddo ſcientiam. Et eadem Salomon his uerbis effert: Non eſt ſapientia, non prudentia, non *Prouerb. 21.* conſilium contra Dominum. Sed longè pernicioſior eſt ea humanæ ſapientiæ pars, quæ extra fines ſuos egreſſa, eas res tractare audet, quæ ad Dei cultũ & religionẽ pertinẽt: ut cum per eam ſapientes in hoc ſeculo homines, cõtemptis diuinis oraculis, rationes quib. Deus colatur, cõminiſcũtur. Cuius falſæ & ſuperſtitioſæ ſapiẽtiæ omnib. temporib. in omnib. gẽtibus extiterũt exempla, eiꝙ cũcta idololatria accepta ferẽ: ut eſt omnis Dei cultus, qui ratiõe humana duce, non uerbo Dei inſtitutus eſt, idololatria. Hac ſapientia præditis meritò propheta his uerbis imprecatur mala: Væ qui ſibi in oculis ſuis ſapientes uidẽtur. & in eos infrà hæc Dei ſententia editur: Peribit ſapientia ſapientum. Talibus ſapientibus beſtia ex terra nata, plena eſt, qui eſt Antichriſtus, ex mera hypocriſi & mendacijs falſæ ſapientiæ draconis conflatus, de quo ſcriptum eſt in Geneſi: Erat autem ſerpens omnium terreſtrium beſtiarum, quas Dominus *Geneſ. 3.* condiderat, callidiſsimus. Is hac ſua ueteratoria calliditate & uerſutia (quæ falſa in eo, quæ hic damnatur, ſapientia erat) ſe primò per ſuperbiam, contempto Chriſto, ſapientia Dei patris, ſubuertit: & deinde per eãdem illam primum hominem labefactauit, eo à diuina ſapientia ad ſtulticiam conuerſo: qua quoque poſteri illius corrupti, per propagationem corruptæ naturæ, in omne genus idololatriæ & uitiorum prolapſi ſunt. Nam hæc ſimulata ſapientia, mundi ſapientia eſt, quæ mundo & eius cupiditatibus, non Deo, & ijs quæ Deo probantur, oblectatur. Vnde fit, ut Dei ſapientia à ſapientibus huius mundi pro ſtulticia habeatur: & à Deo eligantur quæ ſtulta à mundo iudicantur, ut ſapientes pudefaciat. Sic enim Apoſtolus ait: Verùm quæ ſtulta erant ſecundum mun- *1. Cor. 1.* dum, delegit Deus, ut pudefaceret ſapientes. ſapientes inquam, à propheta noſtro grauiter hic perſtrictos: Væ ſapientibus. Quantum igitur interſit inter diuinam & humanam ſapientiam, ab ortu, natura, & exitu ſatis conſtat. Altera à naturę corruptæ obſcuro & uitiato lumine proficiſcitur, & à principe mundi Satana in animali & uetere homine regitur. altera à luce Dei, mundo ipſi inacceſſa oritur, & à Chriſto perenni luce gubernatur. Altera quæ mundi ſunt curat, cum ambitione, inuidia, contemptu crucis & crucifixi Chriſti coniuncta, ut quæ cupiat placere mundo, non Chriſto: & abolita cruce in delicijs uerſari, non per afflictiones cum Chriſto meditari ac moliri gloriam cœleſtis regni. altera uerò, quæ mundi ſunt negligit, & ea quæ ſunt Dei penſi & curę habet, cœleſtia bona curans, terreſtria negligens: & ea quæ Eccleſiæ ſalutaria ſunt perſequens, ſua poſthabens. atꝙ ita per alteram tenebræ amantur, odio lux habetur, ne per eam mala appareant opera, ueluti Chriſtus his uerbis declarat: Om- *Ioan. 3.* nis qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipſius. Et ut ab ortu, natura & ſtudijs differunt, ita exitu quoꝙ differunt. alterius exitus

uita & ſalus eſt, quam ſuis cultoribus affert: alterius exitium & interitus, quem ſuis ſapientibus apportat. De quo infrà: Peribit ſapientia ſapientum. Humanæ quoq; ſapientiæ uitio laborant, qui ſacras utriuſque teſtamenti ſcripturas philoſophorum doctrina comprobare & illuſtrare ſtudent, & in explicandis illis alia ratione loquendi utuntur quàm qua ſpiritus ſanctus in ſua, quam de cœlo patefacit doctrina, utitur. Quod qui faciunt, perinde faciunt, atque ſi quis tenebras ad illuſtrandam lucem inferat. Quid autem ſunt philoſophorum dicta & doctrinæ aliud, ſi cum diuinis literis comparentur, quàm meræ tenebræ & caligo? In hoc errore iam aliquot ſeculis fuerunt, & etiamnum ſunt, ſophiſtę, & qui ſcholaſticam theologiam profitentur. Qui per ea quæ Ariſto- 10
teles literis prodidit, ſcripturam diuinitùs ad nos delatam, obſcura dictione explicare ſoliti ſunt. In eadem culpa hærent, quotquot aliorum philoſophorum dicta ad exponendas ſacras literas adhibẽt, & has nimis curioſè cum philoſophorum ſcitis & placitis componere ſtudent: non contenti ſpiritu Meſsiæ interprete ſcripturæ ſanctæ, obſcuriores locos per clariores interpretari. Quod
Leuit. 16. qui faciunt, in Moſeam legem committunt, qua cauetur, ne quis agrum diuerſis ſeminibus conſerat, & ueſtem ex diuerſis textam induat. Serunt autem diuerſis ſeminibus agrum, qui tenebras humanæ ſapientiæ cum luce ſacrarum literarum, philoſophiam mundanam cum cœleſti, animalem animalis hominis doctrinam cum ſpirituali ſpiritualis hominis miſcent atq; confundunt. Quod 20
qui faciant in regno beſtiæ, ſatis manifeſtum eſt. Neque etiam hoc uitio caruerunt nonnulli Græci & Latini Theologi, quibus de præſcientia diuina, de prædeſtinatione, de que libero arbitrio, & de nonnullis alijs errores debemus, in quos illi abuſi philoſophia inciderunt, dum extra huius fines egreſsi, quæ ipſa tradit, temerè ad ſacrarum rerum tractationem tranſtulerunt. Itaque qui in patrum lectione uerſantur, curare debent, ut eos cum iudicio legant, ne falſa pro ueris amplexi, ſe & alios erroribus, è quibus facilè ſe non explicent, inuoluant. & multo maior cura in philoſophorum ſcriptis tractandis adhiberi debet, qui ſiue Pythagorici, ſiue Platonici, ſiue Peripatetici, ſiue Stoici ſint, 30
quę de diuina mente, de eius uerbo, de ſpiritu, de prouidẽtia qua mundus regitur, afferunt, huiuſmodi ſunt, quæ ſacræ ſcripturæ, de patre Deo creatore cœli & terræ, de filio eius Meſsia, de utriuſq; ſpiritu omnium renouatore, de reconciliatione mundi, de excitatione mortuorũ ad uitam æternã, de gloria cœleſtis regni diſſerẽtis maieſtatẽ minimè aſſequantur. Quare ſatius eſt in tractatione earum rerum quæ ad ſalutem pertinent, ſacris literis interprete ſpiritu Meſsiæ uti, quàm philoſophorum dicta expendere, qui Chriſti noticia carentes ea exponere non potuerunt, quæ oracula diuina, ſacro ſpiritu patefacta, continent. Dicat aliquis, lumen naturale quo ſapientia humana utitur, bonum lumen eſſe utile, quo prælucente tot artes humanæ uitæ commodæ & neceſſariç inuentę ſunt. unde efficiatur, humanam ſapientiam, quę definitur rerum diuinarũ & humanarũ cognitio, laudem mereri, non uituperationem: neque qui ea utuntur, in reprehenſionem incurrere, qua ſapientes homines uates noſter tam ſeuerè perſtringit. In ſapientia humana non damnatur lumen naturale, quo præfulgente res abſtruſæ in natura inueſtigantur. Et tot præclaræ ſententiæ editæ extant, quas prudentes uiri ſequentes, priuatas & publicas res moderantur, non ſine laude & uſu rerum humanarum: & quod attinet ad hũc uſum, etiam ſuo loco in explicatione ſacrarum literarum, ubi uitiorum reprehenſio, ſimul & uirtutum laudatio inſtituitur, ſi quis poetarum & philoſophorum illuſtria dicta citet, non abſurdè faciat: ſi eo modo citet, quo Apoſtolus Aratum in Actis, & alios citat. Quare non lumen naturæ ſeu lex naturalis in omnium animis ſcripta, ſed ſuperſtitionis, uanęq; oſtentationis uitium, quod cum luce naturali coniunctum eſt, damnatur: cumq; uidelicet natura labe illa

&

& uitio hæreditario à primo homine in totum humanum genus propagato, corrupta, plura quàm ferat intelligentia naturalis per istud lumen cernere tentat, & quod cernit clarius cernere & uidere se putat, quàm cernit & uidet: & eo freti sapientes homines, ea quæ captum suum superant, metiri in hac rerum uniuersitate moliuntur, ut sunt sacrarum literarum mysteria à seculis mundo abscondita, & religio ipsa uera, quam ea lux solum patefecerit, quæ à cœlesti spiritu Messiæ in tenebras animorum nostrorum infertur, non lux quæ cum mente nostra oritur, innata & creata lux. Siquidem per hanc minimè licet Dei lucem uidere: sed per eam facem solum, de qua Dauid uates canit: In lumine *Psal.35.*
10 tuo uidebimus lumen. Vt nemo solare lumen uiderit, nisi per radios à sole in oculos immissos. Hinc Christus Dominus noster de se prædicat: Ego sum lux *Ioan.8.*
mundi. non dicit, lumen sapientiæ humanæ, lumen philosophiæ, à natura ortam esse lucem mundi. Quod lumen naturale noctu lucentem lunam imitatur, ut sol is aspectabilis Messiæ symbolum est, interdiu ad res clarè illuminandas & animandas splendens. Quò spectans Malachias propheta sic ait: Oriet- *Malach.3.*
tur uobis sol iusticiæ, qui Christus benedictus est. Non igitur damnatur naturale & animis nostris insitum lumen, & sapientia quæ ex illo nascitur, sed uitium naturæ deprauatæ in abutentibus illo reprehenditur ac damnatur. Vt autem, & quoties contingat abuti illo, iam indicatum est, illa cœlesti face in Chri
20 sto & per Christum in electorum animis ad æternam iusticiam & uitam fulgẽte, nemine abutẽte, ut q̃ uitia ueteris naturę expurget, omnib. ad rectũ statũ reparatis. Hęc enim lux, sapiẽtię lux est, de qua scriptũ est: Lex sapiẽtis fons uitę. *Prouerb.13.*

In oculis uestris.) Non Dei, qui uobis uideamini sapientes, non Deo, cuius sapientiam, quæ in eius oraculis & responsis lucet, pro stultitia ducitis: & uestram pro Deo, idolum ex ea facientes, adoratis: ut etiam ex fortitudine, opibus, potentia, & reliquis Dei muneribus deos, quos colatis, quos reuereamini, quibus confidatis, fingitis: in quo errore uersantes, Deo omnium bonorum largitori suum honorem detrahitis, & eum creatis naturis assignatis, in legem illam à Mose in tabulis saxeis scriptam, & digito Dei in omnium pecto-
30 re insculptam delinquentes, Dominus Deus uester Dominus unus est, præ- *Deuter.6.*
ter eum nullos alios deos habetote. Colunt autem & adorant, præter unum Deum patrem Domini nostri IESV Christi, alios deos, qui fortes, potentes, diuites, iusti, sapientes, & in hoc mundo beati sibi uidẽtur esse, fortitudine, potentia, iusticia & sapientia Dei in Christo neglecta.

Væ qui potentes estis ad bibendum.) Repetit uitij ebrietatis mentionẽ amplificandi gratia, aspersa mentione de ijs qui alios fortiter ad bibendum inuitant, qui ad amplificandum nomẽ Dei, & ad eius opera depredicanda inuitari debebant.

Qui iustificatis impium.) Deprauata iudicia reprehenduntur, quibus corrupti iudices muneribus, absoluunt sontes, & insontes erepto eis iure damnant. In
40 quo scelere bifariam contra Mosæam legem delinquitur. primò, quòd mu- *Deuter.10.*
nera accipiuntur aduersus legem illam, Munera ne accipito: deinde, quòd ipsos sontes ob munera, oppressis insontibus, absoluunt, committentes in legem illam, Iniquum in iudicio ne facitote. item: Maledictus qui peruer- *Leuit.19.*
tit iudicium aduenæ, pupilli & uiduæ. Hoc est degenerare à summo & supremo iudice mundi Deo, à quo in terra ex hominibus deliguntur iudices, qui ipsum æquitatis & iuris dicendi studio referant, nomini diuino אלהים, quo appellantur, respondentes. Cæterùm quod est crimine liberare, & insontẽ ac iustũ pronũciare, Hebræi dicunt iustificare. Quæ uox etiã in nouo fœdere ab Apostolo in causa iustificationis impij usurpata est. Quid aũt sit à Deo iustifi-
50 cari impiũ, an solũ sit remittere ei peccata, an etiã spiritu sancto donari sit, quo afflati credamus nobis remitti peccata, & his remissis sentiamus uerã iusticiã & uitã culpa primi hominis amissam nobis restitui, hac de re alio loco disseriẽ.

Propter munus.) muneribus etiam prudentum hominum oculos præstringentibus & excæcantibus: ueluti Moses diuinus legislator in Exodo & Deuteronomio testatur. Hinc apud ueteres iusticiæ imago sine manibus, & oculis immotis cernebatur: quòd deceat iudices, manibus ad munera accipienda carere, & oculis neq; per gratiam neq; per odium à iure deflectere. Simile uitium in primo oraculo iudicibus obiicitur: Principes tui accipiunt munera. Hoc auaritiæ crimen reprehenditur in principibus populi, fœdere cum Deo coniuncti, quo caruere multi clari uiri in gentibus: ut exemplo sunt apud Græcos Socrates, Demetrius Cynicus, Agesilaus, Cleomenes, Epaminũdas: apud Romanos Curius Dentatus, C. Fabritius, &c.

Et iusticiam iusti aufertis.) Hanc contrariorum collationem sapiens Salomon his uerbis explicat: Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, uterq; abominabilis est apud Deum.

Propter quod sicut deuorat stipulam.) Scitè puniendos stipulę, & hostem igni comparat. Vulgare est in sacris literis, impios stipulis comparari: quos furor diuinus nõ secus conficiat, atq; ignis stipulas. Similiter paleis & puluери terrę conferuntur. sic enim Dauid canit: Impij similes sunt paleis, quas uentus agitat. item alio Psalmo: Ego comminuo eos quasi puluerem in auras. Hæ similitudines nos admonent, quàm displiceant delicta Deo, & quanta mala apportent sceleratis: & contrà, quæ bona probitas probis afferat, qui ob probitatem stellis & fœcundis arboribus ad aquarum riuos consitis, atq; montibus loco non mouendis comparantur.

Psal. 1. Psal. 17.

Lingua ignis.) Eleganti metaphora diuinus orator utitur, flammam ignis linguæ conferens. Linguæ enim speciem flamma exprimit. Itaq; Latini lambendi uim, qua lingua ualet, flammę tribuunt.

Et calor flammæ.) שחה nõ est calor, sed stipula, stuppa, aut aliquid simile, quod celeriter ignem concipit. apparet uocem à festinandi uerbo חוש deriuatam. Hanc in reliqua scriptura non inuenias: & apud prophetam nostrum solum semel & iterum, hîc nimirum, & infrà capite XXXIII.

Sic radix eorum.) Notam *αὐτοπροδόσιως* Sic, de suo addit. Paraphrastes Chald. radicis metaphora Israelitarũ robur, & germine opes ex rapinis comparatas, notari uult: qui potentiæ & opũ ui freti, impunè sibi fore scelera sua putarint. ut solẽt opes & potentia insolentes reddere, & animos cæcare. Quare rectè Tragicus diuitias ueras sapientibus hominibus esse dixit:

Eurip. in Cyclop.

πλοῦτος ἀνθρώποισι τοῖς συχνοῖς βιὸς,
τὰ δ' ἄλλα κόμποι, καὶ λόγων δύμορφία.

Quasi puluis ascendet.) Ascendere huic linguæ est euanescere: ut solent è terra excitari pulueres, & uapores ex aquis caloris ui elati in aerem euanescere.

Abiecerunt enim legem.) Fontem scelerum aperit, & caussam supplicij exponit, quæ est, diuinam legem reijcere. Quæ lex bipartita est: altera Mosæa, è Sina monte promulgata: altera Euangelij, è Sione edita per Apostolos, noui fœderis spiritu afflatos. Vtramq; Israel reiecit suo exitio. sed maiore affectus est calamitate Euangelio reprobato, & eius latore Messia interfecto. ut documento est eius excæcatio: & hæc ultima longè grauissima, qua detinetur, captiuitas & exilium, quod miserum exilium hic à uate significatur.

Daniel 9.

Ideo iratus est furor eius.) Præcessit de contemptu legis diuinæ mentio, cui dei ira diuina, quæ ex contemptione nascitur, subijcitur sermo. Non leuis ira significatur in אם, sed qualis est eorum qui furore accensi, eos quibus succensent lædere & perdere student: à naribus quibus efflatur igneus flatus, tropo mutuato. Nota enim est uox אם: notum etiam est uerbum אנם, quod est flatum è naribus edere, more iratorum, quorum habitus Deo *ἀνθρωποπαθῶς* affingitur.

Et extendit manum suam.) Minantis atq; intentantis plagam species exprimitur: primò

primò Deum ira exardescere, deinde manum per iram ad lædendũ leuare, demum cædere.

Et conturbati sunt montes.) Potentes significantur. Maximos & potentissimos quosq; conturbatum iri, qui figuratè nomine montium notantur, ut uidere licet Psal. CIII. Iob IX. & infrà capite XL.

Morticinia eorum sunt stercus.) ut id acciderit Iudæis, apud Iosephum in libro de bello Iudaico, sub finẽ libri quarti uideris. Noster interpres Septuaginta sequitur, qui uertunt ὡς πορεία. Hebræis uerò caphum in בסיחה non est similitudinis aduerbium, sed pars dictionis. Sententia est, corpora lacera iacuisse. Nam quid Hebræa uox significet, ex Psalmo octogesimo clarum est: Horrendus aspectus fuit. Ex lege Mosæa facinorosorum cadauera sub uesperam sepulturæ mandabantur, quæ Iudæis intersectis negata est, quòd in maledictione numerabatur, ueluti legimus apud Mosem in Deuteronomio capite uicesimo octauo: At cadauer tuum in escam erit uolucribus cœli. Vt contrà sepultura in benedictione diuina habetur. Cuius decretis corpus humi reponitur, spiritu redeunte ad Deum, qui dedit illum, ut est apud Salomonem in Ecclesiaste. Quæ sententia etiam Tragicum uatem non latuit, ut quam illi naturæ lex dictaret, *Eccles.12.*

ὅθεν σ' ἔκαεσεν εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο, *Eurip. in*
ψυχὴν δ' ἀπῆλθε πνεῦμα πρὸς αἰθέρα, *Suppl.*
τὸ σῶμα σ' εἰς γῆν.

Et adhuc manus mea extenta.) cum perfidia & rebellione aduersus Messiam cladibus inualescentibus, de qua sequitur uaticinium.

Et leuabit signum.) Suprà uaticinatur captiuos abductum iri in exilium: hic hostem describit, à quo in miserum exilium sit abigendus. Militari phrasi utitur. Solent conducturi milites, qui mereant, militaria signa leuare, ad quæ scripti milites nomina dent, & militiæ sacramento se obligent. Describit autem hostem, ut horribilis appareat: omnibus, quæ ad hostilem terrorem incutiendum faciunt, memoratis, de quibus ordine ex ipsa scriptione meminerimus.

In nationibus.) Non ex una, sed uarijs gentibus exercitum scriptum bellum illaturum: ut erãt Romani, Germani, Galli, Hispani, Asiani. Nam sub signis Vespasiani hos militasse, ex historijs clarum est.

Procul.) Et hoc terrorem auget. Hostem non uicinum, cuius linguam & mores notos habeas: sed longinquum, ex remotis terrarum finibus excitatum, cuius linguam & mores ignores. Similia minatur Moses: Adducet Dominus super te gentes de longinquo, & de extremis finibus. Hunc autem hostem Romanam gentem esse, ex Daniele cognoscimus, & ex Bileami uaticinio. כתים enim, Chaldæo quoq; Paraphraste autore, Romani sunt. *Deuter.28.* *Daniel. 9.* *Num.24.*

Et sibilabit.) Sibilo decretorum oris diuini uocandos hostes. Suprà leuati signi, hic sibili oris meminit. Qua loquendi forma potestati diuinæ, eius que decretis omnia subiecta esse, etiam potentissima regna, quæ facilè, solum oris sui sibilo uocet quò uelit, ad puniendos malos, nihilq; ullam gentem moliri Dei nutu non impulsam: atque ita sæuissima hostium consilia, conatus & studia in prouidentiæ diuinæ nutum & uoluntatem ex huius oraculi sententia cadere. Dicas, ergo Romani in euersione Hierosolymæ & Iudææ deuastatione non peccarunt, qui bellum ex Dei uoluntate & consilio gesserint. Si hostium consilium & uoluntatem spectes, qui suam gloriam, non Dei quærebant, eos à uitio liberos fuisse minimè iudicabis. sin uoluntatem Dei, uitium aberit. Nam is, ut iustus iudex, omnia pro æquitate & iure agit. Itaque idem aliquod opus bonum & malum censebitur, diuersis caussis perpensis: quarum altera ut bona, omnia bene agit, ut Deus

est:

est:altera,ut mala,malè,ut tyranni orbis terrarum sunt, animi libidinem in gerendis rebus sequentes,non legem diuinam. A Romanis uastatum iri Hierosolymam cum templo,præsignificauit quoq; Sibylla:

Εἰς συρίλιν δ' ἥξει ῥώμης τρόμος, ὃς πυρὶ νηὸν,
Συμφλέξας, πολέμῳ πολλὸς δορὶ κὰδ δροφόνησε.
Ἰουδαίων δ' ὀλίσει μεγάλων χθόνα θυμὸν ἀγυιάν.

Et ecce festinus uelociter.) Vos dicitis, Properet illius opus, ut id uideamus: properabit. nam hostis subitò & celeriter, & citius quàm uos putetis, sibilo oris mei excitatus aderit. Hanc celeritatem hostilis incursionis Moses aquilæ comparat: Excitabit in uos Dominus gentem aquila uelociorem. Eadem comparatione utitur Hieremias in Threnis: Velociores fuerunt persecutores aquilis cœli. Demõstratio in Ecce, de improuiso irruentẽ hostẽ indicat, quod ad cladis amplificationẽ pertinet. Improuisi enim hostes grauiores sunt, quàm prouisi. ut est in prouerbio: lacula prœuisa minus feriunt. Deut. 28. 4.

Et non erit deficiens.) Superlatione militum strenuitatem ad augendum terrorem amplificat: nullum fore in exercitu, qui fatigatus deficiat. Hebræa uox, quę fessum ac fatigatum significat, nota est.

Neq; laborans.) neq; qui impingat ac offendat: ut solent ex itinere fessi facilè ad quiduis impingere.

Non dormitabit.) præ lassitudine: ut solet fessis sopor irrepere. Vt est apud Latinum uatem, Fessos sopor irrigat artus. Alacritas militum ostenditur.

Neq; soluetur cingulum.) De baltheo militari accipitur, quo cingi milites strenuitatis signum est: solui uerò eum, & aperiri, ignauiæ. Hinc hortatio illa in sacris literis mutuata, Estote lumbis uestris cincti: tanquam uidelicet strenui & gnaui in pugna aduersus carnem, mundum, & principem mundi satanam, milites. Luce 12.

Et omnes arcus eius.) Terrorem incutit ab armorum apparatu. Nomine arcus & reliqua bellica arma accipiuntur. Inter arma enim præcipuum locum arcus tenuit, unde sæpe eius præ cæteris fit mentio, & ab eo crebri de potentia & fortitudine hostili tropi mutuati. ut patet ex illo: Arcus fortium superatus est. Hinc uates ille græcus Deo arcum, quẽ in improbos intẽdat: & sagittas, quas ex eo mittat, tribuit: 1. Reg. 2.

κλῦθί μοῦ ἀγυρότοξ'. & de sagittis:
ἰὸν ἧμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ὄχετο κῆλα θεοῖο.

Vngulæ equorum eius.) Ab equitatu firmo terret. Scita similitudo, qua equorum ungulas ob firmitatem silicibus comparat, quæ minimè ex quamlibet longo itinere atterantur. Meminit equorum, ut militaris animantis: ueluti est apud Latinum poetam, Bello armantur equi.

Rotæ eius.) Alia similitudo, qua quadrigarum & curruum rotas, ob fragorem quem edunt, & propter impetum quo feruntur, turbini comparat: qui ex maiore depressę nubis specu erumpens cum fragore, & proxima quæq; prosternens flatus est. Latinus uates Romanum morem, quem in exercendis tyronibus tenuerunt, his uerbis describit:

Aeneidos 7. *Exercentur equis, domitantq; in puluere currus,*
Aut acreis tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuq; ictuq; lacessunt.

Rugitus eius ut leonis.) Terror à forti ferociq; hoste, quem leoni comparat, incutitur. In hac fera animi magnitudo, & si lacessita sit, crudelitas ostenditur. Talem Romanum hostem fore. Vis Romani imperij omnia domantis, etiam in sacris literis declaratur, ut uidere licet apud Danielem, ubi quatuor mundi imperia describit. De cuius bestiæ potenti imperio sic prophetauit Sibylla:

Καὶ δ' ἔσται θνητοῖς, καὶ πανθ' ὑποτάξει.

Cæterùm de leonum tum fortitudine, tum clementia, quam in eos qui ipsis bene-

benefecerint, tum etiam crudelitate, memoriq; iniuriarum animo, apud scriptores uideris.

Et tenebit prædam.) Manet in similitudine. E' manibus hostium non euasuram rebellem gentem, ut ex unguibus leonis prædam, quam semel frendens corripuerit, nemo eripit.

Et amplexabitur.) In Hebræo uerbo notatur, hostem lusurum cum præda more sciurorum ac catulorum, qui solent prædam interdum ex unguibus dimittere, ut uideant nunquis eam corripiat: sic hostem lusurum, sed neminem prædam quam cæperit erepturum. Itaque Septuaginta huc spectantes, ἐκβαλῶ reddunt. Memorabilis in hac similitudine gradatio cernitur: primò fremitu rum leonem, deinde horribili fremitu non contentum, prædam correpturum, demum eam correptam non dimissurum.

Aspiciemus in terram.) Victoris hostis ferocia explicata, eam miseriam uictæ gentis, quanta sit futura, ostendit: quocunque hæc spectauerit, omnia cœlum & terram ei aduersa fore. Qui cœli suaui lumine, pluuijs & rore, terra fructus suos uarios benignè edente, per pietatem uti potuissent: hos iam hac benignitate spoliatos, his mundi elementis, aduersis sibi per impietatem usuros. Qua pœna à iusto scelerum uindice Deo iure afficiuntur. Par enim est, ut tota rerũ natura in eos ad uindicandam gloriam opificis sui armetur, qui dehonestãdo nomen illius perire malunt, quàm honestando salute uniuersitatis seruari.

Ecce tenebræ tribulationis.) Variant interpretes in uoce צר. alijs est calamitas, aut hostis calamitatem afferẽs: alijs idem quod צהר, hoc est, splendor ac fulgor, de siderata litera He. Duo præcipuè sidera, solem & lunam, tenebris obducenda, ut neq; interdiu neq; noctu lux appareat, sed omnia caligine & tenebris occupentur. Quæ pœna ex talionis lege inflicta intelligitur. Etenim par est, ut qui legis diuinæ lucem Messiam in sacro Euangelio fulgentem aspernantur, externis & internis tenebris inuoluantur.

Caligine eius.) Variant etiam interpretes in interpretatione uocis בעריפיה. Alij in cœlis suis reddunt lucem in cœlis obscuratum iri, quo minus in terram radij illius ad eam illuminandam deferantur. Cœlos autem sic appellatos uolũt, à fundendo rore & pluuia. Alij de significatione חרסה, hoc est excisionis esse uolunt: atq; citant locum ex Osea propheta, ישריה מבבח ורסם, id est, Confringet aras eorum: Ad hanc interpretationem LXX uidentur respexisse, qui reddunt ἐν τῇ ἀπορίᾳ αὐτῶν, significatis exitialis rerum inopiæ tenebris.

IN CAPVT SEXTVM.

ANNO *quo mortuus est.*) In hoc admirando & diuino uiso, ea quæ superioribus oraculis exposita sunt quoq;, sed alijs uerbis & ratione exponuntur. Suprà porrò rebellium liberorum reprehensio instituitur, quæ hic retexitur, quos ob rebellionem excæcandos, & eorum terram uastandam, ciuitates desolandas prædicit. Suprà iudicis aliquoties fit mentio, qui iudicium in contumaces sit facturus: hic describitur iudex, qui pro tribunali sedens, stipatus ministris angelis, iudicaturus sit. Suprà seruãdæ reliquiæ memorantur: Nisi Dominus exercituum reliquias nobis reliquas fecisset, Sodomæ & Gomorræ similes essemus. De his reliquijs idem uates etiam hic mentionem facit, dicens: Et adhuc in ea decimatio & semen sanctum erit, quod steterit in ea. At uerò in quo differat hoc uisum à superioribus, de eo inter interpretandum monebitur. in quo hæc fuerint perpendenda: iudex, thronus, ministri, seraphim, templum, superliminaria, & eorum commotio, fumus, carbo de ara sumptus, uatis purgata labia, excæcatio rebellium liberorum, uastatio terræ, reliquiarum seruatio. De singulis ordine ex ipso scripto meminerimus.

Vidi

Vidi Dominum.) Quæri hic ſolet, quomodo dicat Ieſaias ſe uidiſſe Dominum? cum ſcriptum ſit: Deum nemo uidit unquam. item: Non uidebit me homo, & uiuet. Partitione licebit huius quæſtionis nodum ſoluere. Bifariã dicitur Deus uideri. Vno modo, in claritate naturæ ſuæ. hoc modo non uidetur ab ullo qui corpore hoc circũdatus eſt: neq; ſic Iacobus, neq; Ieſaias, neq; ulli alij ſiue prophetæ ſiue Apoſtoli uiderunt Dominum. Is enim aſpectus Dei non eſt huius, ſed futuri ſeculi. Altero modo uidetur Deus, cum eius diuina maieſtas & gloria in ſpectro ac uiſo rerum aſpectabilium inuolucris contexto, contemplandum ſe exhibet: item cum bonitas eius præſens per fidem ſentitur. Sic is ut pater qui nobis faueat, qui nos tueri uelit, qui peccata nobis cõdonet, qui ſpiritũ iuſticiæ & uitæ largiatur, cernitur. Hoc modo Ieſaias cæteriq; prophetę & ſancti homines uiderunt Deum, & omnes ex ſacro ſpiritu nati homines uident eum, cum Iacobo dicentes: Vidimus Deum de facie ad faciem, & ſeruata eſt anima noſtra: hoc eſt, fide cernimus, eum per fauorem & beneuolentiam præſentem nobis eſſe ad noſtram ſalutem. Atque hoc lumen, quo hoc modo uidemus Deum patrem in hoc ſeculo, gratiæ lumen eſt, quo ex parte cernimus Deum per ſpeciem in ęnigmate. Alterum lumen, quo contemplabimur eum ut eſt in claritate naturæ ſuæ, ex toto & perfectè ſine ænigmate, lumen gloriæ erit, in quo Deum per Deum clarè cernemus. Tripartitum igitur lumen occurrit, quo Deum uidemus, naturę, gratiæ & gloriæ. Naturæ lumine omnis ratione & intelligentia prædita natura, Deum cernit, ſed non ad uitam et iuſticiam. Nam hac luce prælucente Deus non uidetur, hoc eſt, cognoſcitur per Deum: ſed per naturæ creatæ creatum lumen. Per lumen gratiæ autẽ cernitur Deus ad ſalutem, ſed ex parte pro primitijs illuſtrationis huic ſeculo conuenientis lumine gloriæ. demum eo modo Deum uidebimus, quem Ioannes his uerbis oſtendit: Chariſsimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quod futuri ſumus. Scimus autem, quòd ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã uidebimus eum ſicuti eſt. Quamobrẽ hæc inter ſe non pugnãt, Deum nemo uidit unquã, Deum uiderunt prophetæ, & eum uidẽt omnes eius filij. Cæterùm de Meſſiæ oraculum hoc eſſe interpretandum, quem uiderit hic Ieſaias, Ioannes ipſe interpres eius indicat: Hæc dixit Ieſaias, quãdo uidit gloriam eius, & locutus eſt de Deo. Similiter Ioanni Paraphraſtes Chaldęus, pro uidit Dominum: reddit, Vidit gloriam Domini.

Sedentem.) Iudicis habitu in uiſo præſentatus uati Meſſias rex, ut etiam Danieli apparuit: Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Similiter Ioanni in Apocalypſi præſentatus eſt: Et uidi thronum magnum & candidum, & ſedentem ſuper eum.

Super ſolium excelſum.) Suprà Dominum iudicaturum dicit, Dominus in iudicij ueniet: hic uerò eum iudicem ſtipatum angelis in ſublimi ſolio ſedentem uidet, cuius regiæ ueſtis laciniæ omnia impleant. Quæ igitur ſuprà ſimpliciter de iudice Meſſia propoſuit, hic ſplendidè eius auguſto habitu explicato proponuntur. Notatur in ſolio ſublimi inuiolabilis & ſacroſancta poteſtas, quam nulla aduerſarij principatus uis uiolet, cuiq; omnia in cœlo & in terra ſubiecta ſunt. Quæ ſumma piorum hominum contra tyrannidem peccati, mortis, mũdi & principis mundi Satanę conſolatio eſt, cum per fidem perſuaſum habent, ſe in cœlo iudicem in throno ab omni ui & iniuria intacto ſedentem habere, à quo ab omnibus malis uindicentur. De quo throno illud: Thronus eius eſt ſicut ſol apud me. Nam hoc ſolium non tyrannide, quæ diuturna non ſit, ſed æquitate & iuſticia firmatur. de quo idem propheta: Iuſticia & æquitate firmatum eſt ſolium tuum, bonitas & fides præcedunt te. Legitur hic, in ſublimi ſolio ſedere Meſſiam: ſuprà, Exaltabitur Dominus in die illa, uictrice eius maieſtate per iudicij ęquitatem indicata, de qua idem uates noſter ſuprà: Dominus exer-

2. Ioan. 4. Exod. 33. Geneſ. 32. 1. Corinth. 13. Rom. 1. 2. Ioan. 3. Ioan. 12. Daniel 7. Apocalyp. 1. Pſal. 89.

exercituũ extolletur in æquitate. At uerò quo melius quæ hic de sublimi throno Messiæ scripta sunt, intelligãtur, ut is, & in eo sessio accipiatur, & q̃ latè pateat, & quod sit illud cœlũ in quo ponitur cœlestis & diuinus Messię thronus, considerandũ erit. Thronus in quo Christus iudex & rex sedet, nõ est creata aliqua tẽpore & loco aut finibus suis circũscripta sedes, aut quiddã à diuina maiestate diuersum: neq; sessió habitũ quendã indicat, qualẽ corpora humana in sedẽdo tenẽt: sed in solio Christi amplitudo & maiestas notatur, qua is omnia in cœlo & in terra sapiẽter administrat, & in sedẽdi uerbo amplitudinis & maiestatis iudiciarię Messiæ functio exprimit. Solent em̃ iudices pro tribunali sedentes, maiestatẽ suã in ferendis sententijs declarare. Vt igitur maiestas iudicis Christi per hanc uniuersitatẽ longè lateq; extẽditur, cui omnis à patre in cœlo & in terra potestas data sit: ita gubernationis & administrationis soliũ, in quo Christus iudex sedet, in omnia pertinet, nullis mũdi elemẽtis cõclusum, nullo materiato cœlo cõprehensum: sed tam longè lateq; patet, q̃ Dei patris, ad quã sedet, dextra patet, quæ omnia in hac rerũ natura ambitu potẽtiæ suæ cõcludit & cõplectitur, cœlũ & terrã, & quę cœlo & terra cõtinentur. Non igitur anguste de Messia, homine pleno diuinitate, & eius solio cogitandũ est: sed omnia augustè & splẽdidè, qui supra hanc creatã machinã & omnes materiatos creatosq; cœlos elatus, omnia in omnib. diffusione perfectiõis, quæ in eius humana natura citra modũ diuinitatis oleo uncta cõtinetur, impleat. Quam eius amplitudinẽ cum nulla cõdita natura circũfiniat, in nullo creato & materiato cœlo Messias rex, tanq; in sede & habitaculo quo cõcludatur cum solio suo, uersabitur: sed cœlũ insigne diuino Messię throno, & in quo pater cum filio Messia habitare dicitur, cœlũ loco & tempore mensuratũ minimè erit: sed cœlũ quod creatura non sit, neq; materiã habeat creatã, erit: cœlũ inquam erit, quod sit diuinitatis splendore illustre, & quod tam longè lateq; diffusum sit q̃ patris & filij claritas & splendor diffunditur. Qrale nullum cœlũ conditũ est loco & tempore circumscriptum. Appellatur diuinitatis splẽdore illustre cœlum, nomine cœli, propter similitudinem, qua quæ in aspectabili hoc cœlo cernuntur, ea nobis exprimunt, quæ in cœlo de quo hic mentio fit, sacrę literę cõsideranda proponunt. Porrò in cœlo quod Moses describit, lux cernitur radios suos in terrã iaciens: sentitur spirabilis natura, in cuncta inferna means. in eodẽ illo cœlo parantur genitales pluuiæ, quib. fœcundata terra, uarios fructus proferat. Hæc quoq;, sed longè meliore nota, in nostro cœlo, sede Dei & filij Messiæ, sanctorumq; angelorum & hominũ patria, reperiuntur: lux nimirum, & splendor inaccessus naturæ conditæ, à quo scripti in libro uitæ ad uitam ęternã illuminantur: Messias nimirum lux, qua splendẽte, Deũ patrem perennẽ lucem contemplamur: de qua uates, In lumine tuo uidebimus lumen. Spirat præterea in hoc cœlo spiritus, & in nostra pectora funditur, ueram sapientiã, iustitiã, uitam & gloriam largiens. Si uitales aquas & generatrices ad participatũ diuinæ naturæ consideres, hæ ex hoc cœlo nobis, ut ciuibus eius præsenti manant. Hoc ipsum cœlum est, ex quo firmos ad æternitatẽ liceat thesauros petere, de quibus Dominus, qui hoc cœlũ & eius thesauros sanguine suo aperuit, his uerbis meminit: Sed recondite uobis thesauros in cœlo, ubi neq; erugo & tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt atq; furantur. Qui thesauri ut sunt spirituales, firmi & æterni: ita cœlum, in quo illi repositi sunt, spirituale cœlum, habitante in eo æterna iustitia, uita & gloria, uocatur. Non enim in creatis & corporatis cœlis, qui omnes mutabuntur & renouabuntur, merces nostra collocanda est, sed in cœlo nulli mutationi obnoxio, in quo æterna gloria, splendor & maiestas patris & filij eius Messię habitat. Quod cœlũ ueteres Empyreũ cœlũ, ab ignis nõ cõditi, sed eius qui omnia cõdidit, claritate appellarunt. qui est Deus benedictus. Quẽ sacræ literæ ignẽ uocãt partim ab agẽdi ui, partim ab

Matthei 7.

Cœlum Empyreum.

amoris igneo & flāmeo calore, quo mundū creauit, & collapsum filij unigeniti sui sanguine reparauit: partim à splēdore & claritate, qua is ipse splēdet & fulget, & omnia circa ipsum splēdēt & fulgēt. Hoc splēdore & claritate ignea circūdatus Christus IESVS, in igneo et flāmeo cœlo diuinitatis uersari, et in eo soliū igneū & ministros igneos, qui à uate nostro Seraphim ab igni uocant, obtinere dicit. Quāobrē cœli huius thronicq; cœlestis sublimitas, nō præcipuè ex loco pōderatur: sed ex splēdido, amplo & glorioso statu in quē translatus Messias, ex humili crucis cōditiōe in cœlū, super omnes cœlos corporatos & cōditos elatus, ascēdisse credit. In quo regnās ipse in regio solio suo cū Deo patre, dona sacri spiritus præsens suis largit. Atq; hoc ipsum est, qd in epist. ad Hebr. legimus, Christum per ascēsum translationis suę ab humili statu ad glorioſum, sublimiorē cœlis factū: & Paulus ad Ephes. Qui descēdit (crucis seruilis forma susceptа) idē ille est qui etiā ascendit super oēs cœlos, ut impleret omnia. Hoc cœlū cū luce sua inaccessa ueteri naturę, ex beato statu æstimatū, electis & sanctis angelis patris faciē in illo contemplantib. paratū est, ante cōdita sęcula. In quo cœlo ut p primitijs spiritus, per gratiā regenerationis in hoc seculo locū habemus, ita id perfectè in futuro possidebimus, glorioſi regni & solij regis regum & Domini dominantiū, Messię Domini nostri participes facti. Quòd igitur uisus est Christus aspectabili specie à discipulis in cœlū à terra ascēdere, & Stephano apertis cœlis idem ille conspectus est stare à dextris Dei, id sub figura & specie ad captum discipulorū & Stephani accidit, ad significandum illud spirituale & æternum cœlum à corporatis cœlis figuratum. Faxit Dominus, ut huius cœli lucem & uiuificum spiritum, ad usum pietatis magis in nobis sentiamus, quàm disertè de eo loquamur: cum regnum huius cœli non sit situm in sermone, sed in uirtute & potentia spiritus cœlestis patris, cui per filium Messiam Dominum nostrum uniuersæ salutis arbitrum sit gloria & honor inæternum. Amen.

Hebr. 7.

Ephes. 4.

Actor. 1.

Ea quæ sub ipso erant.) Hebræus habet, fimbrijs eius repletum היכל. Accipitur ea uoce interdum palatium ac regia, interdum templum. De regia legimus in Psalmo: Dominus in regia sua sancta, in cœlo solium eius. De templo uerò passim in historia Regum & Paralipomenō. Si regia placet, intelligimus fimbrijs uestitus regis Messiæ, in solio diuinitatis sedētis regiā, hoc est hāc uniuersitatē repleri. Sed quis & qualis est is uestitus? Vestitus sapiētiæ et iusticiæ est, cuius laxitate omnia sapiēter regunt & administrātur. Hęc interpretatio ac sentētia Christo cōuenit, in ueste & fœmore scriptū tenenti, Rex regū & Dominus dominantiū: & de se prędicanti, Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Sin uerò ex היכל templū placet, hęc interpretatio ad ea q̄ sequunt, de ędē diuina, et fumo in illa excitato, aptè hęrebūt. Sed quęrat aliquis, si de tēplo accipiat, de materiatóne tēplo an spirituali, hoc est, de eo tēplo de quo Paulus loquitur, Nescitis q templū Dei uos estis? an de utroq; accipiēdū sit. Si materiatū tēplū spectes, hoc repletū fimbrijs maiestatis & glorię diuinę declarat illud: Impleuerat eā gloria Dñi tēplū. Sin spirituale accipiat, hoc est Ecclesia electorū, hoc templū uidit Iesaias lacinijs donorū spiritus sacri repleri, de quib. illud: De plenitudine eius nos oēs accepimus. Repleri etiā hoc templū lacinijs uestimenti Messię dicit, quòd Ecclesia illius, ut capitis sui, sit cōplementū, in quam is ut in corpus suū dona & munera sacri spiritus plena effundat. Sunt qui relationē fimbriæ eius referant ad solium: Tapeto solij Messiæ repletā ædē. Solent enim regū solia splendidè tegi lacinijs ac firmatis tapeti amplè fluentibus. Quę laxitas laciniarum, magnificentiæ & splendori regij solij congruit, de quo mox: Plena est omnis terra gloria eius. Ex his intelligimus, augustum uisum hoc ex eorum uisorum genere esse, quæ rerum aspectabilium inuolucris inuoluta, perplexiora sunt. In hoc enim uiso sedentis, solij sublimis, fimbriarum, regiæ ac tem-

Apocalyp. 19.

Matthæi ult.

2. Corinth. 3.

3. Regum. 8.

Ioan. 1.

Ephes. 1.

ac templi, ſuperliminarium, fumi, igneorum & alatorum miniſtrorum ſpecies offertur. Superiora igitur uiſa ſimpliciora ſunt, hoc noſtrum inuolutius eſt. Cę terùm ſedens in ſolio, qui hic humana ſpecie nõ legitur apparuiſſe Ieſaiæ, Ezechieli apparuit. Sic enim capite primo apud Ezechielem ſcriptum eſt: Et ſuper thronum ſimilitudo hominis. Qui homo Meſsias eſt. Neqꝫ etiam qualis ſpecies ſoliꝰ diuini ſit, hic explicatur, quæ in oraculo Ezechielis explicatur: Et ſuper fundamentum, quod erat imminens capiti eorum quaſi aſpectus ſapphyri, ſimilitudo throni. Tradunt phyſici, hanc gemmam duritie eſſe eximia, colore cęruleo, grato oculis, atque inde ab ea aſpectum refici: ea'que epota, ſcorpionum ictus ſanari. Accommodentur hæc ad myſticam cœleſtis ſoliꝰ Meſsiæ explicationem. *Ezech. 1.*

Seraphim.) Explicantur iudicis Chriſti ad ſolium eius aſtantes miniſtri atque legati: hos Seraphim eſſe, ab igneo ardore ſic appellatos. qui & iudici & iudicio, legióꝫ iudiciariæ, & ipſi ſolio, muneriꝫ & naturę legatorum cõgruit. Nam ſi iudicem ſpectes, huius oculi perſpicaces, omnia perluſtrantes ad ſapienter gubernandum, & ad iuſtè legitimeꝫ iudicandum, ut ignei & flammei ſint, indicat illud: Oculi eius ut ignis flamma. Sin iudicium & legem iudiciariam conſideres, legis apud Moſem: In dextera eius lex ignea. Si ſolium, apud Danielem legis: Thronus eius flamma ignis. Sin munus legatorum, hoc in adminiſtrando igni iudiciꝰ diuini uerſari, declarat tum lex ipſa Moſæ ignea, per miniſtros angelos igneos ordinata: tum Euangelium, cuius ſpiritus ut igneus ſit, indicat illud, Baptizabit uos ſpiritu ſancto & igni. Vt item miniſtri eius linguas igneas habeant, liquidum eſt ex Actis: Viſæ ſunt illis diſſectæ linguæ uelut igneæ. Natura autem Seraphim ut ſit ignea, docet propheta Dauid: Facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ignem flammantem. Nam ut ignis inter mundi elementa puriſsimus eſt, plenuſqꝫ luce & ſplendore, ad agendum efficacem uim habens, ita angeli ſunt. Hinc à Mànoã patre Samſonis in ignis flamma angelus in cœlum aſcendiſſe uiſus eſt, eius natura ignea & flammante ſignificata. Atque hoc ipſum eſt, quod hic miniſtri legati'que ſedentis in ſolio ſublimi, Seraphim ab igneo ardore appellati, in uiſo Ieſaiæ præſentati leguntur. Quot autem apparuerint, duo'ne an plures, quoniam id in uiſo ſignatè nõ explicatur, de numero non eſt ut magnoperè laboremus. Nos legimus apud Danielem, multa milia Chriſto ad thronum eius miniſtrare: qui hic Seraphim appellantur. Nam hoc nomen non alicuius unius ordinis angelos uidetur ſignificare, ſed in uniuerſum omnes illas diuinas mentes: ut id natura earum, munus, atque locus ex Pſalmo citato comprobat. Quod ſi quis duos accipit Seraphim, ut duos Cherubim, de quibus Moſes meminit, & liber Regum: id eo modo interpretandum fuerit, quo duo Cherubim expoſiti ſunt. Sed percunctetur hic aliquis, an ne nomine Cheruborum & Seraphorum ſolum angeli cœleſtes ſpiritus accipiantur, non etiam legati Dei, diuini in terra homines, mente quidem ciues cœlorum, corpore uerò terræ incolæ? Vt in Cherubim uniuerſum legatorum Dei genus accipitur, ut id aliꝰs locis oſtenſum eſt: ita nomine Seraphim tum angelos tum homines, diuinos legatos, ſignificari nihil prohibet. In quibus ut liceat ſuum ignem & ardentem flammam cernere, ſatis manifeſtum eſt. Quod ſi qui legati illam igneam ſacri ſpiritus uim in ſinu pectorum ſuorum non ferunt, ignem tamen iudiciꝰ Dei, quo in terra per uarias calamitates, bella, peſtem, famem, incendia, exilia improbi puniantur, ferentes, in eo quoque Seraphim iure appellabuntur. Nam in uniuerſum, in miniſterio legatorum Dei ignis geritur. ueluti cernere in Ezechielis quadriga licet, in qua quatuor animalium, quaſi carbonum ignis ardentium ſpecies apparuit. In horum autem numero legitur Nabuchodonoſor locum habuiſſe, qui ignem iudiciꝰ, quo Iudæi erant caſtigandi, in Iudæam *Apocalyp. 1.* *Deut. 33.* *7.* *Matth. 3.* *Actor. 2.* *Pſal. 104.* *Iudic. 13.* *7.* *Exod. 25.*

Ezech.1. intulisse, his uerbis à propheta ostenditur: Ecce uidi spiritum tempestuosum ab Aquilone uenientem, nubem magnam, ignemq; inuolutũ. In quo uiso cum hoste à septentrionibus ueniente Nabuchodonosore, uisa est nubes, & in ea inuolutus ignis, qui nobis ignem iudicij diuini iudiciarium in Seraphim deno
Psal. 97. tatum significat. De quo igni solio Messiæ circunfuso uates: Nubes & caligo in circuitu eius, ignis autem ipsum præcedit.

Stabant super illud.) Interpres noster de templo accipit, super templum stetisse Seraphim. Alij de solio accipiunt, ut מִמַּעַל non ualeat super, sed supernè, uel iuxta ac prope à dextra & sinistra iudici astitisse. Quò respicientes LXX, uertunt ἐν κύκλῳ, circa eum astitisse. Sedere dicitur iudex, astare Seraphim, tanquã decretorum illius ministri & legati.

Sed alæ uni.) Singulis senas alas fuisse. Affinguntur legatis Messiæ iudicis, facies, alæ & pedes, propter functionem, & ministerium quo funguntur. Vt hic alati ministri dicuntur, sic etiam in Ezechielis uiso diuini legati sub quatuor animalium specie alati apparent. Alæ autem eorum erant supernè extentæ.

Duabus uelabant faciem eius.) Explicatur alarum usus, qui bipartitus erat: alter in uolando, alter in facie & pedibus uelandis cernebatur. Sed quam faciem & quos pedes? suos ne, an Regis sedentis in solio, legati contegunt? Receptior sententia est, Seraphim suos pedes & faciem uelare, idq; honoris causa: qui
2. Corinth.11. agnoscant nimirum, se iudicis imperio subijci ut eius ministros. Velum enim subiectionis symbolum est. Quemadmodum natura fœminam uelamine contegit, quam deceat fateri se in uiri potestate esse. Cum autem duo cernantur in ratione prædita natura, ratio & uoluntas, utrunque tegitur in legatis Dei. Ratio quidem, qua nihil deliberent & cogitent agere non consulto imperatore & rege suo Messia: uoluntas uerò, quam in expetendis fugiendisq; rebus cum omnibus affectionibus eius sedenti in throno subijciant. Affectus
2. autem in pedibus notari, ex sacris literis clarum est. In Ezechiele igitur pedes recti legatis tribuuntur, qui à mandatis diuinis nusquam deflectunt. Rotundi item & apti ad celerem cursum & expeditum, quem nusquam offendentes nuncij consiliorum Dei conficiunt. Sunt qui in hunc modum interpretantur: Seraphim tegere uultum suum, ne uideant uidelicet maiestatem sedentis in throno iudicis, agnoscentes splendore eius omnem creatam intelligentiam superari: quem nemini liceat intueri, nisi cui ille se patefecerit. Hinc
Matth.11. de se Christus sic loquitur: Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quisquam nouit nisi filius, & cui uoluerit filius patefacere. Vbi hic leguntur Seraphim binis alis faciem & binis pedes tegere, in Ezechielis uiso legati Dei totum corpus contegere leguntur. Quo tegendi se studio significant, omnem gloriam & honorem deberi sedenti in solio, sibi nullum. Quod uigintiquatuor seniores illi, totum legatorum Dei numerum continentes, cum intelli-
Apocal.4. gerent, ante sedentem in Regio solio procidentes sic confitentur: Dignus es Domine accipere gloriam & honorẽ & uirtutem. Atqui nihilo secius, quãuis tectos uultus & pedes teneant, oculis tamen pleni Seraphim uidentur esse.
2. Sic enim de ministris diuinis apud Ezechielem scriptum legitur: Et totum corpus plenum oculis erat. quos nimirum in obeunda legatione nihil fallat ac lateat earum rerum, quæ expediendæ sint. Quare si iudicis maiestas spectetur, tecti sunt Seraphim, illum reuerentes: sin res perficiendæ per legationem, omnia aperta eis sunt. Quò respicit Ezechiel, cum ait, animalia ante & retro plena oculis esse. In eodem uate quatuor facies singulis animalibus tribuuntur, ad significandum, ad omnes orbis terrarum partes expeditũ illorum ministerium perfici.

Et duo-

Et duabus uolabant.) Alter usus, quem in uolando ostendunt. Celere & expeditum ministerium indicatur. Nihil uolucrius uolatu auium. Hinc in Ezechielis uiso, nuncijs Dei inter uolucres aquilę species affingitur: & in Deuteronomio Romanus dux missus, qui rebellem Iudæorum gentem uexaret, aquilæ à Mose comparatur. de cuius celeri legatione uates noster suprà: Velociter aderũt. qui ut ministri mandatorum Dei celeritate aquilis, ita robore bobus, animi generositate leonibus, intelligẽtia homini, in Ezechielis quadriga conferuntur. Ipsis Seraphim hic alę, animalibus in eodem Ezechielis oraculo quatuor etiã rotæ tribuuntur, ut facies quatuor. Quæ uniuersam administrationem operũ Dei, quæ in terra administrentur, nobis demonstrant. Atq; hæc ipsa est quadriga, cuius species Salomoni exhibita est, cum iuberetur rotas facere, quales solent fieri in curru. In his rotis spiritus, quo ferebantur, ut est apud Ezechielẽ, inerat. Hæ enim non suo, sed Dei arbitrio ac nutu mouebantur. Legimus Seraphim binis alis uolasse. In hoc uolatu præter promptum exequendi Dei iussa ministerium, etiam tuendi eos, ad quos & propter quos mittuntur legati, cura cernitur. Nam ut in alijs custodiendi studium nobis proponatur cognoscendum, declarat illud: Sub umbra alarum tuarum protege me. Itaque Mosæi Cherubin, super arcam leguntur alas suas extendere. Quo significatur, super diuinam illam arcam Ecclesiam Mosæa adumbratam, à legatis diuinis uariæ administrationis & custodiæ alas extendi atq; explicari. In quibus legatis numerantur mentes illæ diuinæ & cœlestes angeli, & in terra sancti homines, siue prophetæ, siue Apostoli, siue pastores ac episcopi, siue doctores. Sed qualis uox à legatis Seraphim editur? Sequitur:

Ezech. 1.

Psal. 16.

Et clamabant alter ad alterum.) Præcipuum Seraphim munus explicatur, quod est amplificare Messiam, ut Dominum suum, Dominum nimirum supernorum & infernorum exercituum.

Sanctus, sanctus, sanctus.) Ter sanctum esse Messiam, hoc est, plenè & absolutè sanctũ esse. Nam amplificandę perfectionis illius gratia, ternarius primus impar usurpatur numerus. Indicatur ergo, maiestatem Messiæ Domini superorum, cœlestium & terrestrium exercituum, ab omni iniuria & ui inuiolabilem esse & intactam. Sunt qui ter nominatum sanctum uolunt, ad significandam sacram triadem, qua pater, filius & spiritus sanctus continentur: atque hic eam celebrari propè mentionem Messiæ, iudicis qui gloriam suam quam à patre habet, per spiritum sacrum in mundo declaret. Nam ut Seraphim Apostoli, ignea flammeaq; pectora & linguas habentes, Euangelium prædicando subinde patris & filij Messiæ, seruatoris mundi, & spiritus patrem & filium patefacientis, cunctaq; salutis opera perficientis, nomina celebrent, satis liquidũ est. Hęc sententia pia est, & mysterio regenerationis, cuius in cœlesti solio sedens Messias autor agnoscitur, congruit. Hæc enim nominibus patris, filij & spiritus sancti absoluitur. Cæterùm quæ hic nonnulli de triplici mundo afferunt, prætermitto.

Plena est omnis terra gloria eius.) Sed qua gloria? Prædicationis sacri Euangelij gloria. De qua infrà capite undecimo his uerbis: Et repleta est terra scientia Domini: Scientia inquam Messiæ, per suos Seraphim Apostolos Euãgelium in orbe terrarum diuulgantis. De qua diuulgatione propheta Dauid: In omnem terram exiuit sonus eorum. In throno igitur suo sedenti Messiæ duo munera assignantur: alterum, quo in seruandis suis per Euangelij lumen fungitur: alterum, quo hostes suos & Ecclesiæ punit. De utroq; in hoc oraculo fit mentio. Sed hic percunctetur aliquis, ad quæ tempora referenda sit plenior gloria illustrationis orbis terrarum? Hęc quæstio suis locis explicabitur. Nam omnino æternum illud Dei patris uerbum carnem factum, & post confectum crucis cursum ad gloriam patris sui translatum confitemur, qui in solio maiestatis

Psal. 18.

ſedens, terrarum orbem ſalutaris Euangelij ſplendore repleat. De quo illud: Coràm te omnium gentium nationes adorabunt. At cum Seraphim clamant, ſanctum ſanctum ſanctum eſſe Meſsiam Dominum exercituum, gloria Euangelij ſui terram illuſtrantem, quid quæſo inde fit? Sequitur:

Et commota ſunt ſuperliminaria.) Magnos motus inde cieri. Primò porrò iuſtiſsimos & potentiſsimos in mundo commoueri ad clamorem prædicationis Euāgelij Meſsię. Veluti uidemus accidiſſe præſentati primùm Chriſti in carne, & Apoſtolorum docentium Euangelium temporibus: ut exemplo ſunt phariſæi, ſacerdotes & pontifices, in Iudæa gente: & in gentibus Cæſares Romani, crudeles Euangelij & eius cultorum perſecutores. Et his noſtris temporib. beſtia Antichriſtus, cum ſuis pſeudoprophetis & tyrannis illum tuentibus. Deinde ut cōmoti ſint poſtes ſuperliminariū, hoc eſt, quæ auguſtiſsima fuerūt apud Iudæos, documentum ſunt templum, ſacerdotium & regnum ſuo loco mota, regno & ſacerdotio cedenti ipſi Meſsię, quē hic Seraphim clamant ter ſanctū eſſe, non Pontifices, non reges ueteris populi: quanto minus feram illā cuncta uaſtantē, quę cum turpiſsimū ſit idolū, ſanctiſsimā ſe audet appellare, ſpoliato hac laude Meſsia, quem ſanctiſsimū eſſe Seraphim prędicant. Indicatur igitur in cōmotis poſtibus ſuperliminariū, id quod Daniel uaticinatus eſt: Ciuitatē & ſanctuarium diſsipabit populus cum duce uēturo, & finis eius uaſtitas. Sed unde cōmota ſuperliminaria accipimus? Monet idem Daniel: Et deleatur iniquitas, & adducatur iuſticia ſempiterna, & impleatur uiſio & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorū, quē hic Seraphim ter ſanctū proclamāt. Itaq; ut Daniel duo in ſuo oraculo explicat, unum, delendā eſſe improbitatem per ſanctū Meſsiā in omnia ſupera terreſtria & infera regē unctū: alterū, rebelles repudiandos & ſeuerè caſtigādos ciuitate eorū uaſtata, tēplo incenſo, populo miſerè gladio & exilio mulctato: ita eadē hæc duo in hoc uiſo ſuo Ieſaias oſtēdit, ſed paulo tectius q; Daniel, qui uicinior eſſet regno Chriſti, ille remotior. Alter porrò clarè dicit, iniquitatē finem habiturā: alter idem prēnunciat, ſed occultius, cum dicit Meſsię gloria terrā replendam. Hæc aūt gloria reſtitutę, pbitatis & uitę gloria eſt. Alter dicit ſuperliminaria templi cōmota eſſe, & id fumo repletū. alter clarius loquitur, templum deuaſtandū, & Iudęos Meſsiæ, quem negaturi ſint, populum non fore: quod Ieſaias per fumum tectius ſignificauit. Cæterùm ubi noſter uertit ex אמות ſuperliminaria: ſunt qui ulnas reddunt, ut ſit ſententia, templi liminaria loco mota ad aliquot ulnas aut cubitos. in qua ſignificatione crebrò reperias uocem hanc uſurpatam, ſolum uerò hic pro poſtibus.

Et domus impleta eſt fumo.) Fumus congruit iudicio, quod facturus ſit ſedēs in ſolio excelſo, quod nimirū fumū, de quo uates Dauid meminit, cōtinet: Aſcēdit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit. Similiter in uiſo Ezechielis apparuit nubes magna cum igne, quæ ſignificationē iræ ſedentis in ſolio dabat. At quęrat hic aliquis, cum omnia in figura accidāt Iudæis, eiusq; templo & Hieroſolymis, eius itē regno & ſacerdotio, an ne etiā eius templi de quo Apoſtolus meminit, Vos eſtis templū Dei, & alterius Hieroſolymę quę electorū Eccleſia eſt, poſtes ſuperliminariū moti ſint, & interius illud templū quoq; fumū ſenſerit, de quo ſub figura corporati tēpli prēmonuerit Ieſaias. Qui hoc modo percunctanē, figurā in uetere populo, uetere templo, uetere Hieroſolyma & ſacerdotio ſe minimè animaduertere fatentur: neq; perpendunt, q; craſſus cæcitatis & ignorātię Euangelij Meſsię fumus, ipſi Eccleſiæ, ſcriptorū in libro uitæ, per Antichriſtū, cōfecta Apoſtolorū legatione, offundi cœperit. Non item cōſiderant, quę de myſtica tēpli deſolatione Chriſtus Dominus apud Matthæū meminit: utq; Apoſtolus Paulus uerū templū Eccleſiā, per filiū perditū profanandum, arcana prophetarū oracula interpretās, oſtēdat. Sed dicat hic aliquis, Iudæorū cæcitatē hîc prędici, quam gentiū illuſtratio ſecuta ſit. Bene quidē prędicitur

Pſal. 17. 1.

dicitur Iudæorũ excęcatio, sed ita, ut quę cęcitas eis cõtigit, gentibus quoq; ut lucis Euangelio relicto, tenebrarũ doctrinã sint amplexę, cõtigisse intelligat. Huc spectans Paulus in epist. ad Rom. sic ait: Alioquin & tu excidêris. Excidisse aũt etiam gẽtes, Antichristi tempora declarant. Quem locũ sanctũ, fumo cæcitatis animorũ illum per doctrinas dęmoniorũ replesse cõstat. Dicas, ubi ergo fuit interea Ecclesia Messię, si Antichristus tam longè lateq; in orbe terrarum omnia uastauit? Ecclesia fuit in orbe terrarũ, sed quam ad tempus profana tam Messias maritus sibi recõciliaret, non perpetuò libidini sui aduersarij permitteret: sed ei in tenebris & mendacijs uersanti, clariorẽ lucẽ ueritatis ostenderet, eam nimirũ gloriã et splendorem ostenderet, de quo hic uates, Plena est terra gloria eius. In cuius glorię participatu & recõciliationis gratia pariter Iudæi & gentes erunt, ut impleatur illud: Quod si lapsus illorũ diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorũ diuitię gentiũ, quanto magis plenitudo eorũ? De Iudęis igitur hęc fuerint cognoscẽda, hos Euãgelio, exceptis modicis reliquijs, primò fidẽ non habuisse, quod durã ceruicẽ ex seruili legis conditione gererent: quæ animos seruiles, nõ ingenuos creat. de cuius seruili spiritu, ut eo agantur, qui aspero legis imperantis iugo premũtur, Apostolus aliquoties mentionẽ facit. Deinde, quòd uisum esset Deo, eis lucem cognitionis Messiæ filij sui ad tẽpus subducere, quibus temporib. recõciliationis maius salutis lumẽ accẽderet. Demum in Messiam impegerunt, utramq; profanationẽ, interiorem & exteriorẽ experti: ut figura adumbrarent eam profanationẽ, qua omnia in terrarũ orbe per Antichristum profananda erant. non sanè, ut in ea profanatione manerẽt Iudæi & gentes: sed ut eam sentientes ad tempus, ad clarissimam lucem Euangelij, per occasionem patefactionis Antichristi, peruenirent, utrisq; proclamaturis in hoc reuelationis Messiæ aduẽtu: Benedictus qui uenit in nomine Domini. De quo aduentu suis locis meminerimus. Rom. 11. Ibid. Lucæ 13.

Et dixi, Væ mihi.) Ex tam augusto uiso perturbati Iesaię hęc uerba sunt. Iudice, throno, ministris, Seraphim, & eorum munere atq; iudicio, quod Messias iudex in orbe terrarum facturus sit, explicatis, iam ut angelus prophetam præparat, qui conceptum à iudice iudicium populo suo denunciet, exponitur. Nõ enim arcanum, quod quidem referat scire, apud Christum IESVM est, quod is prophetis suis in Ecclesiæ sponsæ suæ usum non aperiat. Sed quæ ratio & uia est præparandi diuinos in terra uates? Duas hæc partes habet: altera mortificatio est ueteris naturæ, altera generatio nouæ. mortificatio, pœnitentia per agnitionem uitiositatis constat, de qua hic uates: Væ mihi, pollutis labijs sum. Generatio naturæ nouæ, carbone ardente ab angelo porrecto, conficitur. De his ordine inter interpretandum.

Quia tacui.) Sentit uates Iesaias, quod apud Mosem scriptum est: Non uidebit me homo, & uiuet. Qua sententia tactus, mox subijcit: Quia uiderunt regem & Dominum exercituum oculi mei. In Hebręo uerbum pereundi est. Similis uox à Manoa edita est, cum uidisset angelum Domini: Moriemur, nam Dominum uidimus. Quare ostendit propheta, uitiosam ueteris hominis naturam non ferre conspectum Domini, neq; per eam quenquam ad munus legationis diuinæ aptum esse. Ideo sequitur: Exod. 33. Iudic. 13.

Quia uir pollutis labijs sum ego.) Caussa ab impuritate, qua splendor maiestatis Messiæ regis non feratur. Nominantur autem labia, partim quòd oratio interpres animi sit: & qualis is est, talis etiam oratio sit. uelut iudex Messias docet, ubi ait: Ex abundantia cordis os loquitur. partim, quòd ex uiso præsentiret, se mittendum ad prophetæ munus obeũdum: ideo labia sua ut impura accusauit, quorum puritatem requirat prophetandi functio, impuritatẽ respuat. Nouerat uates illud: Impium autem sic alloquitur Deus: Quorsum tu narras institutа mea, fœdusq; meum in ore tuo usurpas? Matth. 12. Psal. 50.

Et in medio populi.) Cuius uitia ut reprehẽdam, ipse reprehensione dignus? Ostendit his uerbis uates, primò qualis doctrina sit quã Seraphim in ore ferũt, qua, qui eam audiunt, non inflari ac insolescere, sed deiici atq; submissos effici: contra quàm fit per humanæ sapientiæ doctrinam, ut id suo exemplo noster propheta comprobat, & antea Abrahamus sermone Dei secum facto humi-
Genes. 18. liatus comprobauerat, dicens: Puluis sum & cinis ego. Comprobauit item Daniel, qui Gabrielis angeli sermone humi pronus collapsus est. Idem Ezechieli & cæteris sanctis seruis Dei accidisse constat. Dico, sanctis & pijs. Nam impij uoce Dei ut contumaces reddantur, non demissi, indurentur instar luti ad lucem solarem, non liquescant, Caín, Sodomitæ, Pharao, Saulus, Assyrius, & his temporibus hostes Euangelij exemplo sunt. Deinde ostendit Iesaias hac sua querela de labijs pollutis, eos ad castiganda atq; emendanda uitia eorum ad quos mittunt, ueros doctores præstaturos, qui pectus & labia sua à uitijs repurgari sentiant. Quare summa cura & diligentia elaborandum fuerit ijs qui alios salubri doctrina ad cultum ueræ pietatis instituere uolunt, ut ipsi animum, uitam, mores & linguam emendatam habeant, exemplo illius de quo in Actis Cœpit facere & docere. Dicat aliquis: Si ita res habet, Deus salutem ad ministri legati ue personam alligarit. Communi lege salus non patefit in Ecclesia
Rom. 10. sine eorum qui mittantur ministerio. Notum enim est illud Apostoli: Quomodo autem credent ei de quo non audierunt? quomodo autem audient absque prædicante? quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint? Vt igitur Deus communi lege & ordine in dispensanda salute se alligat ad ministerium prædicantis, qui legitimè siue à Deo solo, siue ab hoc per Ecclesiam missus sit: ita etiã ad prædicantem seu ministrantem ratione ministerij, non personæ alligatur, atq; ea ratione alligatur, qua Christus Dominus noster ministerium ac functionem Euangelij & remissionem peccatorum ad Apostolos suos sacro spiritu afflatos alligauit, dicens: Accipite spiritum sanctum, quorum cumq; remiseritis peccata, remittũtur eis. Requiruntur igitur in legitimis Euangelij ministris diuini spiritus, de quibus Apostolus in epistola ad Titum meminit, dotes, quibus prædíti, Euãgelium ut spiritus & mysteriorum Christi dispensatores, cum fructu annuncient. Et in talibus eligendis opera cum precatione sumi debet. Audiamus igitur uatem nostrum rationem exponentem, qua uitia eorum quibus iudex Messias legatis usurus est, repurgentur.

Quia ipsum regem.) maiestatem & splendorem regis Messiæ, imperium in om-
23. nia tenentis. De quo rege Hieremias: Regnabit q; rex, & prosperè aget, faciẽs iudicium & iusticiam in terra. puniens uidelicet sontes, & insontes à ui & iniuria uindicans, ut in terra aduersarijs punitis sacrosanctum Euangelium locum inueniat, quo ad amplificationem nominis diuini inuito Satana, inuito Antichristo, inuitis tyrannis orbis terrarum fruatur. Hanc regis Messiæ maiestatem regiam cum conspexisset propheta, uitia in sua uetere natura damnans, coram ea se deiecit, dicens: Perij, quoniam uiderunt oculi mei Regem. ut quem non ferant oculi ueteris hominis & animalis, sed noui & spiritualis per lumen in animis nostris lucens. de quo lumine illud: In lumine tuo uidebimus lumen.

Et uolauit ad me unus.) Explicatur ratio, uatis labia purgandi. In hunc Seraphim angelum denotare in manu ardentem carbonem tenentem. ubi & angelorum ministerium, & piorum in terra hominum dignitas ostenditur. Angelos nimirum à diuina bonitate destinatos, qui hominibus in terra uersantibus non imperarent, sed tanquam administrantes spiritus ad salutem eorum procurandã
Hebr. 1. seruirent. Sic enim de his loquitur epistola ad Hebræos scripta: Nonne omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos qui hæredes erunt futuri? Non igitur audiendi sunt, qui quosdam angelos in cœlo hominum cura non tactos uersari docent. Sacræ enim literæ nullos ministerio liberant,

liberant, qui hominum salutem confici nõ expetant: cum nec filius Dei Messias Dominus angelorum dedignatus sit nobis in terra ministrare, & elatus ad gloriam regni sui non cesset nostri curam gerere. Hanc curam iudicis, imperium, thronus, ministerium, Seraphim, prophetæ diuini homines, Apostoli, pastores & doctores declarant. Cæterum supra legimus, duabus alis Seraphim uolasse: hic exponitur, ad quos uolent.

Et in manu eius.) Tribuuntur Seraphim etiam manus, in quibus mandata iudicis perficiendi facultas notatur. Manus enim conficiendis operibus diuina sapientia destinantur. Sic capite decimo apud Ezechielem, ipsis Cherubim manus affingũtur, ubi legimus: Et extẽdit Cherub manũ de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cherubim. & apud eundem uatem, manus alis legatorum Dei subesse scriptum est: sicut Serapho manus hic tribuitur, qua iussa diuina exequatur.

Calculus.) Hebræus carbonem ardentem habet. Sed quem is notat? Spiritum igneum denotat, qui suprà à uate nostro his uerbis explicatur: Cum abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierosolymæ lauerit spiritu iudicij & ardoris. Hoc candente ardenteq; carbone uatum & legatorum Dei pectora & labra purgantur, ut mandata Dei cum dignitate exequantur. Is carbo candens exprimitur etiam in Apostolorum labijs & linguis, de quibus in Actis, Visæ sunt illis dissectæ linguæ uelut igneæ: ut qui spirarent ardentem amoris seruandi humanũ genus, ignem. Sunt igitur in cœlo Seraphim instar ignis flammantis spiritus: sunt & in terra Seraphim prophetæ & Apostoli, ignem igneæ lucis fidei & amoris in animis & labijs gerentes, quo per prædicationem doctrinæ cœlestis eorum corda & linguam emendent ad quos mittuntur. Spiritus enim flammei mysteriorum agni in solio igneo sedentis sunt dispensatores. ut est apud Apostolum: Sic enim nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei, qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritus. Huc pertinet quod in Actis legitur de Paulo, ut is ad Apostolicum munus per ignem de cœlo affulgentẽ & per flameos Seraphim allatum, præparatus sit. *Actor. 2.* *2. Corinth. 4.* *Actor. 9.*

Quem forcipe tulerunt.) De templo præcesserat mentio, in quo ara erat igni cõspicua. Seraphus igitur non de quouis igni carbonem sumit, est enim prophanus etiam & alienus ignis: sed de diuina ara diuinum carbonem tollit. Sed quę est hæc ara? Messias est, in qua carbones diuini spiritus sunt ad purgandos nos deferendi. Non igitur de suo igni Seraphus ignem affert, sed de igni qui erat in ara Messia. forcipis hic mentio fit, quæ & ipsa in instrumẽtis templi, quæ Salomon legitur fecisse in usum arę, numeratur. Sed quæ est illa forceps? Forceps diuini amoris est, quo Dei gloriam in terram propagari, & salutem Ecclesiæ perfici cupiunt. Hoc afflati amore Seraphim, sumunt carbonem ad purgãda labia eorum ad quos mittuntur.

Ecce tetigi.) Hebræus de carbone accipit. Simulatque tetigisset carbo labia, abijsse culpam. Tanta uis est diuini spiritus Messiæ, ut statim atque pectora nostra & os tetigerit flammea lucis fidei & amoris uis, uitia deleantur. Non leuis delendi uitia diuini spiritus uis indicatur in carbone candente, sed uehemens & exurens.

Et peccatum tuum mundabitur.) In Hebræo uerbo expiatio notatur, remitti peccata eorum expiatione facta. Quæ hic tectè significatur in mentione aræ expiatorio sacrificio destinatæ, ex qua ad purganda uatis labia desumptus carbo legitur. Vnde discimus, in Christo sanctorum iustitia tria perpendi. Primum est, peccati expiatio illius sanguine confecta, quæ in uerbo כפר significatur. Alterum est, peccatorum uenia, expiatorio sanguinis uictimæ

uictimæ precio impetrata, quæ his uerbis significatur, Abijt culpa tua: hoc est, remissa tibi est & condonata. Tertiũ, donatio spiritus sancti amoris est, ad omnia diuina munera, & ad charitatis officia prælucente fidei luce alacres reddentis. Qui spiritus notatur in ardente carbone, ueterem naturam cum suis cupiditatibus exurente, & nouam ignea diuinæ lucis ui generante. Hæc tria tectius hic indicata, ut necessaria sint ad iustificandum improbum, infrà capite quinquagesimotertio clarius explicantur. At propheta hoc modo purgatus, quæ audiuit? Sequitur:

Audiui uocem Domini.) Quæ hactenus in uiso oblata sunt uati, præparationem, qua is ad legationem obeundam aptus fieret, continent.

Quem mittam.) Deliberantis Domini uerba sunt. quibus non indicatur, eum
Matth. 21. ignorasse quem mitteret: sed perpendisse prophetarum raritatem, & populi non ferentis diuinos legatos contumaciam, quam ille apud Euangelistam his uerbis reprehendit: At agricolæ comprehensis eius seruis, partim pulsarunt, partim interfecerunt, partim lapidarunt. Postremò hæc deliberabundi uerba, prophetæ fidem, ad eam probandam & patefaciendam tentantis, uerba sunt.

Et quis ibit nobis.) Pluralis numerus usurpatur: Dominum uelut deliberasse cum familia sua, ut solent magni reges cum sapientibus suis consilia agitare. Quò uidetur spectare Ethopœia. Pij homines hæc uerba accipienda esse uolunt, ut illa, Faciamus hominem: ut intelligatur filius patrem in hac deliberatione alloqui, ad eius dextram in regiæ maiestatis solio sedens, de quo Dauid,
Psal. 110. Sede à dextris meis.

Et dixi, ego mittam.) Qui suprà dixerat, Perij, iudicis aspectu propter polluta labia perterrefactus: iam his expurgatis, & animo bene cõfirmato, eum ita fert, ut ultro offerat se ad eundum quò ille uelit. Tanta uis est ignis probantis, perficientis, & ad firmitatem adducentis. Aliud igitur Moses, cum legati munere
Exod. 4. ad Pharaonem fungi recusaret, dicens, Mitte quẽ missurus es, spectauit: aliud item Hieremias, cum diceret, Domine nescio loqui. aliud hic Iesaias, dicens:
Hierem. 1. Ecce ego, mitte me. Is sua purgata labia diuino spiritu, & concessam obeundę legationi facultatem: illi suam imbecillitatem muneri prophetico imparem consiederarunt. Vnde intelligimus, eos qui Dei legatos præstaturi sint, his oportere instructos esse: primò, ut sentiant se condonatis delictis in fauore & gratia Dei esse, per sanguinem sedentis in solio agni ipsorũ uitijs emendatis: deinde, ita paratos se intelligant, ut diuinæ uoluntati dediti, nihil aliud quærant quàm eius amplificationem, nullo siue gloriæ, siue uitæ, siue ullarum rerũ quas mundus magnifacit, periculo deterrendi, quo minus fidos legatos agãt. tertiò, ut diuini spiritus in se uires metiantur præsenti ministerio necessarias, ne maiora tentent facere quàm illæ ferant: sed eas deprehendant se habere, quibus freti dicant cum uate, En ego, mitte me. Postremò, in obeundo munere, ut eorum quæ iussi sint denunciare, ne'ue quicquam prætermittant, ne'ue eis addant, sed expendant cum uate Iesaia hæc uerba: Vade & dic. Hinc crebrò illa apud prophetas leguntur: Hæc dixit Dominus. Quæ autem ad Israelitas missi iubeantur dicere, ex hoc oraculo & alijs patet. Quæ tres partes continent: Vna, in castigandis & redarguendis ijs qui ad pœnitentiam uocantur, spectatur: Altera, in denunciando interitu, si redire in uiam nolint. de qua parte hic: Oblima oculos huius populi. Tertia in consolando uersatur, cum monent Deum, ut memorem sui fœderis, nõ funditus suos deleturum, sed reliquias seruaturum. ueluti hic dicit: Sed adhuc in ea decimatio.

Audite, & nolite intelligere.) Dicat aliquis, Deum præcipere, ut audiatur eius ser-
Deut. 6 mo, & intelligatur, ad exequendum eum. ueluti legimus in Deuteronomio: Audi Israel, ut facias quę præcepit tibi Dominus. Ad occurrendũ huic quæstioni, interpretes hos imperatiuos dicunt futurorum indicatiui uice usurpatos, ut

quæ

quæ hic imperatiuè dicuntur, prædictionem, non præceptionem indicare accipiantur. Hanc sententiam sequuntur Septuaginta interpretes. Vt etiam in sequẽtibus huiusmodi imperatiui uaticinij minacis uim habentes occurrent, de quibus suis locis meminerimus. Paraphrastes Chaldæus præsens tempus reddit, habitu & consuetudine rebellandi in rebelli gente significata. Dicas, Sed cur potius imperatiuis quàm indicatiuis diuinus spiritus utitur? Imperatiuis Ne intelligite, obturato cor populi huius, aggraua aures, obiurgandi caussa utitur, iratorum parentum affectu ἀνθρωποπαθῶς expresso, qui immorigeros suos liberos huiusmodi acerbitate castigant, Non feram, abdicabo, alios hæredes scribam, nolo amplius admoneantur, nolo ut intelligant quicquam de beneuolentia, pereant in hac sua contumacia, per quam malint perire, quàm parendo meæ uoluntati seruari. Atque hoc ipsum est, quod legitur hic: Audite, ne intelligite. item: Ne corde intelligant, & ita sanentur. Dicas, Parẽtes si possent, suis rebellibus liberis animum siue uoluntatem sibi obsequendi inderent. Contrà facit Deus, qui cum posset suis dare spiritum intelligentiæ ad obtemperandum, dare legitur spiritum rebellandi. Sic enim legimus ab Apostolo uatis uerba interpretata: Dedit eis spiritum compunctionis, oculos ut non uideant, & aures ut non audiant. Rom. 11. Is locus & eius similes ita accipiendi sunt, ut de diuina bonitate nihil detrahatur, & loci sacrarum literarum qui nobis æquitatem Dei à delictis abhorrentem declarant, non aliorsum exponantur, quàm illa ferat. Legitur quidem Deus Iudæorum pectora oblimasse, & animi oculos obleuisse, ne suauem Euangelij lucem uiderent. Vt autem aliter Deus, aliter humana uoluntas, aliter Satan excæcationis caussa sit, diligenter & sanctè considerandum erit. Hoc autem discrimen quoniam alio loco explicatum est, ad præsentes argumenti tractationes non intererit explicationem illius retexere. Exod. 4. Quantum autem præsens negocium postulat, hæc uidentur expendenda hic esse. primò, gentem Israeliticam semel in diuinæ gratiæ fœdus receptam, cuius nullo tempore Dominum pœniteat, ut eius omnes uiæ sunt bonitas & ueritas, ac promissa præstandi fides. ueluti Apostolus his uerbis indicat: Rom. 11. Secundum electionem autem dilecti, propter patres. nam dona quidem & uocatio Dei huiusmodi sunt, ut eorum illum pœnitere non possit. Alterum est, Deum erga Israelitas, ex fœderis cum maioribus ipsorum icti ratione, patris nomen & mentem gerere, qui illos filios suos uocet: & eos, ut ex quarto Exodi capite patet, primogenitos. Tertium est, patrem suis liberis rebellibus reconciliari, si uideat eos ad meliorem frugem redire. Quartò, in promissis diuinis contineri, fore ut repudiati Iudæi cum Deo per arbitrum Messiam reconcilientur: ueluti id ex nostro uate & alijs, & longè clarissimè ex apostolo Paulo, prophetarum fido interprete, patet. Quintò, multa in figura accidisse & accidere Israelitis, quę sine figurâ accidũt Ecclesiæ: quæ etiam sua excæcationis & illustrationis, sua profanationis & sanctificationis, sua repudiationis & reconciliationis tempora habet: ueluti id res ipsa docet, & his nouissimis patefactionis Antichristi temporibus manifestum fieri incipit. His positis, cum pij homines legunt, hic uatem denunciare, cæcandos esse Iudæos: cogitare debent, id nequaquam ita accipiendum esse, ut existiment, eos cæcari, ut in cæcitate maneant, eos cadere, ut nunquam surgant, eos reijci, ut cum Deo in gratiam nunquam redeant: sed firma esse, quæ Apostolus ex prophetarum sententia loquitur: Dico igitur, num ita impegerunt ut conciderent? Absit. Rom. 11. Sed per lapsum eorum salus contigit gentibus, in hoc, ut eos ad æmulandum prouocaret. Quod si lapsus eorum diuitiæ sunt gentium, quanto magis plenitudo eorum? item: Nam si reiectio eorum reconciliatio mundi est, quæ erit assumptio, nisi uita ex mortuis? item:

Excæ-

Excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, sic totus Israel saluus erit. Ex his efficitur, Deum non id spectare, ut excæcet, sed ut excæcatis cum fœnore lucem ostendat. Vt exemplo sunt Iudæi, quibus intelligentiæ oculos obleuit, ut gentibus aperiret ad lucem aditum, & illos ipsos Iudæos per æmulationem ad Euangelium amplexandum olim excitaret. Vt quemadmodum gentes quæ per incredulitatem Deo non paruissent, misericordiã consecutæ sunt: ita & ipsi Iudæi iam Euangelio non parentes, misericordiam assequantur. Qua in re bonitas diuina celebranda fuerit, non seueritas cæcantis accusanda, qui ex tenebris lucem, ex morte uitam, ex opprobrio crucis gloriam studeat elicere: hoc est, quæ per se mala sunt, pro sua bonitate in bonum exitum dirigere suis cogitet. Dico suis. Etenim aliter cæcat suos electos, aliter repudiatos seu uasa iræ, exitio ab æterno destinata. in quorum numero Satan est, cum ministris suis: qui semel animi oculis capti, tenebris nunquam liberantur: qui semel reiecti, Deo nunquam conciliantur: uita spoliati, quæ Messias est, eam nunquam adipiscuntur. Contrà electorum siue in Iudæis, siue in gentibus Ecclesia habet. Huc pertinent amplissima de Israelitarum & gentium restitutione atq; liberatione per Messiam ex Antichristi regno promissa.

Excæca cor.) Hebræus habet השמן, hoc est, pingue ac crassum fac. Simili trãslatione utuntur Latini, cum dicunt Crassa Minerua: & Græci, παχυνειν καρδιαν. Redditur autem cor pingue, cum auersans Euãgelium, sibi relinquitur, subtracta ei luce per sacrum spiritum inferenda: ut terra infœcunda manet & inera, si de cœlo fructificum cum luce spiritum non recipiat. Quare excæcare Deus pectora dicitur, eis nõ communicando lucem: & indurare ea, non molliendo, ut sic permissa suis cupiditatibus, non secus ad conciones sacri Euangelij crassescãt & obfirmentur, atq; lutum ad solarem splendorem indurescit. Sed dicat aliquis, Si nemo deponat hanc crassiciem nisi Deus spiritum suum tribuat, qui eam auferat, cur igitur non omnibus eum largitur, quo mollescant eorum corda, ut intelligant sermonem cœlestem, & ei fidem habeant ad sanitatem comparandam? Deus pro sua sapientia nouit, quando suum spiritum & quibus impertiat: & pro sua bonitate dat, quando expedit: qui non ignorat utrumq; tempus, & cęcationis & illuminationis, repudiationis & reconciliationis, Ecclesiæ suæ prodesse: seruatasq; uices lucis & tenebrarum, iræ & gratiæ, mortis & uitæ, ignominiæ & gloriæ, amplificando nomini suo deseruire. Dicas, Sed quid interim fit illis, qui sedente Antichristo in templo Dei, hoc est, in Ecclesia, tam miserè Euangelij luce carent? Scriptis in libro uitæ, Antichristi tenebræ non nocuerint. Nemo autem omnes Iudæos, qui ab Apostolorum temporibus Euangelij luce caruerint, inter maledictos & hœdos æternis diris deuotos numerarit. Nam si tales essent, nulla de eorum illuminatione & salute in Christo præstanda, in sacris literis promissa extarent. Nostros uerò maiores tot & tam miseris erroribus, tam horribili idololatria obstrictos, ut inter uasa iræ propter suam cæcitatem recenseamus, Dei æquitas prohibet: & ratio peccati, quod in spiritum sanctum committitur, nunquam condonandum, minimè tolerat. Dicas, Iudæos in spiritum sanctum deliquisse. Fateor, eo crimine se quosdam obstrinxisse, de multis tamen rursus illud Apostoli dici potest: Nam si cognouissent, nequaquam Dominum crucifixissent. item: Testimonium illis perhibeo, quòd studium Dei habent, sed non scientiam. Quæras, quid interea illis accidat, qui ex hoc seculo, ignorãtes Christum, ipsa idololatria & erroribus detenti migrant? hos relinquimus diuinæ curæ & iudicio, qui nouit quid de electis suis ex omnibus nationibus ante extremum iudicij diem statuat: hoc suam electionem ad nullam personam, ætatem, gentem, tempus alligante: & neminem indicta causa, qui in spiritum sanctum non commiserit, condemnante. Quale autem in spiritum sanctum commissum peccatum, peccatum sit: ecquid

2. Corinth. 2.

Rom. 10.

inter

inter hoc & peccatum in filium designatum interfit, non est huius loci eius rei explicatio.

Aures eius aggraua.) De animi auribus loquitur. Hę autem aggrauantur, cum ueteris & terrenæ naturæ præputio clausæ ac obturatæ, uocem illius non audiunt, de quo propheta Dauid meminit: Audiam quid loquatur in me Deus. *Psal. 85.* Has aures autem cùm solus per spiritum suum aperiat Messias, nulla præterea uis in hac rerum natura: qui illum aspernantur, eorum aures terrestri peccati pondere aggrauatæ dicuntur. Quò pertinet illud: Qui ex Deo est, uerba Dei audit. item: Qui è terra est, terrenus est, & è terra loquitur. Itaq; solum cœlesti spiritu animatæ aures cœlestia audiunt, sentiunt & loquuntur. *Ioan. 8.* *Ioan. 3.*

Oculos eius claude.) Animi & cordis oculos uelamine obductos intelligit, de quo Apostolus: Nam usque ad diem hodiernum, idem uelamen in lectione ueteris Testamenti manet. Vbi Apostolus indicat, Si Christus in nobis non spiret, per spirabile fidei lumen, oculos animi interiores uelamine ignorantiæ regni cœlorum obductos uerè cæcos iudicari, & lumen etiam naturale mentium nostrarum in tenebris haberi. Sed quale est uelamen cæcorum oculis oppansum? Vitiosa nostra natura est, & carnis sapientia, quæ cum sapientia Dei Messia ex toto pugnat. Vtrumque ergo, & uitiorum & crassarum tenebrarum humanæ rationis uelum, ut uideamus, amoueri oportet. Sed quomodo amouetur? amouetur immissa per spiritum sacrum luce, de se dicente, Ego sum lux uera: quæ Messias benedictus est. Ideo Apostolus subiungit in adducto loco, Donec tollatur uelum: quod per Christum aboletur. & idem non negat fore, ut de Iudæorum oculis uelamen tollatur. sic enim ait: At ubi conuersi fuerint ad Dominum, tolletur uelamen. temporibus reconciliationis significatis, quorum mentione plena sunt oracula prophetarum. Cæterùm etiam hic pro imperatiuis, Pingue fac cor eius, aures eius aggraua, & oculos eius claude, indicatiuos reddunt Septuaginta, quos Euangelista citare non est ueritus. *2. Corinth. 3.* *Ioan. 12.*

Et conuertatur.) Non sunt hæc uerba Christi, cui placeat per se coruacans pœnitentia: sed indicantis, per rebellionem ad tempus non redituros ad uiam, ut remissis peccatis sacro Euangelij spiritu sanentur. Dico, cui placeat per se. Nam aliud est, omnino & simpliciter eius uoluntate quosdam non parêre Euangelio, pœnitentia suscepta: aliud, quadam ex parte. Siquidem, si non creditur Euangelio, id quidem non accidit sine Dei decreto & consilio: sed ita, ut per se id ei, si fit, non placeat, sed propter ea declaranda quæ per se illi probantur, tanquam eius naturæ & ingenio consentanea. Sic legimus apud Apostolum, omnes concludi sub incredulitatem à Deo, ut omnium misereatur. Quare hæc ordine consideramus in propheta nostro: primò, Christum Iudæis non tribuisse suum spiritum, quo impulsi pœnitentiam meditarentur: qui, nisi priorem lapidem ponat quo ædificium cœlestis Hierosolymæ extruatur, frustra naturæ uires id tentare. Stat enim illud ut firmum fundamentum: Conuerte me Domine, & conuertar. Alterum est, desertos Iudæos spiritu Christi, Euangelio fidem non habuisse, qua sanarentur. Postremò, futurum tamen, ut nouissimis temporibus illi fidem haberent, reconciliati Deo per Messiam, quem cum hac acclamatione sint excepturi: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Huc pertinent, quæ mox in hoc uiso ostenduntur. Itaque in causis peccati explicandis, nobis ea ratione ac forma loquendi utendum est, qua sacræ literæ utuntur: ut omnia ad regulam & normam fidei, amplificantis nomen Dei, & Ecclesiæ salutem quærentis, exigantur. Quod fit, cum Deo æquitas, qua peccatum detestatur, aduersus id lata lege: nobis autem & Satanæ uitiositas ascribitur, quibus ad eam naturâ inclinantibus, per se placeat improbitas. *Hierem. 31.* *Lucæ 13.*

Et *sanem eum.*) In uerbo pœnitentiæ & sanandi duo uates complectitur, quæ Apostolorum doctrina in concionibus Euangelij comprehendit: pœnitentiam, & peccatorum remissionem cum donatione spiritus sancti. Sic enim legimus apud Lucam: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Cum qua remissione peccatorum Dominus noster IESVS Christus spiritum sanctum coniungit, ut inchoatorem & perfectorem uniuersæ salutis. Sic enim dicit Apostolis suis: Accipite spiritum sanctum: quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis. Cæterùm ut sanitatis hic mentio fit, ita & morborum alijs locis mentio non omittitur. Horum duplex genus cernitur: alterum corporum, alterum animorum. Vtrunque ex originis uitio ortum Messias sanat. Animis enim spiritum suum largitur, qui ipsis iusticiam & uitam perennem afferat, & in futuro seculo humata corpora ad uitam æternam, plenam gloria & splendore cœlestis regni, excitet.

Luc. 24.

Ioan. 20.

10

Vsque quò Domine.) Percunctatio de duraturæ excæcationis spacio instituitur, quam prophetæ ipsi in gentem suam diuino fœdere inclytam, studium, atque amplificandi nominis diuini ardor expressit: quod fœdus intelligebat periclitaturum, si tam illustria promissa Israelitis facta, non seruarentur. Sed quod responsum tulit?

20

Donec desolentur ciuitates.) Non prius redituros in gratiam cum Deo malorum suorum, quàm tota terra desolata fuerit. Quam desolationem incremento amplificat, in quo non solum urbes, sed etiam domos: non solum domos, sed etiam agros significat deuastandos: neque homines in propinquum locum, sed in remotum transferendos: neq; solitudinem breui tempore, sed longo duraturam. Atque is est fumus templi, qui in uiso Iesaiæ oblatus fuit. De quo infrà: Isti fumus erant in furore meo, ignis ardens toto die. Hæc indicant, quo tempore hoc oraculum impletum sit. Nam si Babylonium exilium consideres, umbra quædam eius uastationis & exilij cernitur, quod hic denunciatur antea decem tribubus in Medos translatis. sin postrema præsentati & reiecti Messiæ tempora spectes, uerè pleneq; quæ hic prædicuntur, per Romanum uastatorem accidisse Israelitis, constat.

30

Et *multiplicabitur quæ derelicta.*) Hebræus habet, uastam solitudinem fore in media terra: hanc ab hominibus partim ferro trucidatis, partim fame extinctis, partim in exilium translatis, desertam fore. Quæ solitudo etiamnum in ea non sine mystica ratione spectatur. Nam ut mystica Hierosolyma, mysticum templum, mysticaq; terra desolata est, & mysticus Israel in exilium missus: ita suam in altera Hierosolyma, quæ electorum Ecclesia est, in altero templo, quod nos sumus, misere ab Antichristo prophanati, in altera hæreditate regno Dei suam desolationem & uastationem uidere licet: sed hac de re fusius suo loco monebimus.

40

Et *adhuc in ea decimatio.*) Si prophetæ seculum perpendas, populo Israelitico iam cæcato, & ad diuina oracula obsurdescente, decimatio facta fuit, de qua suprà propheta his uerbis meminit: Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, &c. Qui locus, si historiæ filum sequare, ad Ezechiæ regis tempora pertinet, cum propheta sub Iothamo uisum hoc uidisset de populo Dei, ut sceleratè esset uicturus. Hebræi de decem regibus interpretantur, ad Babyloniam usque captiuitatem regnaturis: Iothamo, Achabo, Ezechia, Manasse, Ammone, Iosia, Ioachazo, Iehoachino, Iehoacimo & Zedechia. Post quem cœpit terra deuastari. At uerò si Christi tempora respicis, in his plenè uere'que, quæ hic denunciatur, Hebræa gentis reiectio contigit, decimatione facta, de qua Apostolus Paulus his uerbis

50

bis ad Romanos: Sic igitur hoc tempore secundum electionem gratiæ reliquiæ fuerunt. Rom. 11.

Et rursus erit in deprædationem.) Iterum terram depopulandam significat. Nam quæ antè fuerat per Assyrium deuastata, eam denuò per Babylonium incenso templo & Hierosolyma, & populo Babylonem translato, & postremis temporibus per Romanos seruatis reliquijs depopulandam uaticinatur.

Sicut terebinthus.) Repetitur similitudo quercus nudatæ, de qua suprà: Quando eritis sicut tilia defluentibus folijs. Sententia est, iam facta decimatione terram instar tiliæ futuram, quæ sicut, cum abijcit fructus & folia, non moritur, ut suo tempore à radicibus reuirescens fructum non ferat, remanente nimirum in ea מַצֵּבָה, hoc est, firmo uitalis succi statu: ita nec Israelitica gens, in quodcunque exilium, fructuum & foliorum regni atque sacerdotij ornamentis spoliata inciderit, funditus interibit, ut suo tempore non florescat & fructificet: & quod tum semen in terra steterit, sanctum erit. Veluti etiam suprà 4. legimus: Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus uocabitur. Similia prædicit Moses in Leuitico, capite uigesimosexto, Leuit. 26. & Deuteronomio uigesimooctauo. Subducto mysticæ terræ in uastam solitu Deut. 28. dinem redactę, cæcatiq; Israelis & in miserum exilium missi uelo, & considerata Ecclesię sub Antichristo horribili excęcatiõe, eiusq; à regno & sacerdotio regis Messiæ exilio, eadem sanè percunctatio locũ inueniet: Quousq; Domine tanta excæcatio durabit? & idem responsum redditur: Donec desolentur ciuitates, & terra in uastam solitudinem redigatur. de qua iudex ipse Messias apud Matthæum capite uigesimoquarto: Erit enim tanta afflictio, quanta Matthæi 24. non fuit ab initio mundi ad hoc usque tempus, neq; fiet. Sed quod semen sanctum remanebit? Electi conseruati ex tanta orbis terrarum ruina, illud semen erunt, de quibus idem Dominus noster: Et nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salua ulla caro: sed propter electos decurtabuntur dies illi. Qui superstites ex anathematæ terræ, reges & sacerdotes erunt, de quibus sanctus Ioannes: Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super ter- Apocalyp. 1. ram. Qui cum simile cum propheta Iesaia de solio Messiæ, de templo, de fumo atq; ara uisum uidisset, id tanti mysterij interpres ad patefaciendi Euangelij tempora accommodat.

Quæ proiecit fructus suos.) Scita similitudo, qua Israelitas arbori, quæ depositis folijs adhuc habet statum, hoc est uitam per quam reuiresçat ad edendos fructus, comparat: qui in exilio suo omnibus priuati ornamentis, statum suum, hoc est uitam, in radicibus gratiæ electionis diuinæ teneant, per quem statum in temporibus reconciliationis refloresçant, de cœlo fuso spiritu, qui flores, folia & fructus ex quercu, quæ ad tempus folijs & fructu caruit, excitet. Qui fœtificus spiritus, Messiæ spiritus est. Hactenus de hoc longè augustissimo uiso, in quo Messias in solio maiestatis suæ sedens, stipatus angelis. prophetæ uisus est fumo replere terram, & eo discusso regia sua gloria atque splendore terrarum orbem replere. Quod sanè uisum omnia quæ tum in Israelitis, tum in Ecclesia, à primo Christi aduentu usque in mundi finem, siue aduersa, siue prospera accidunt, complectitur. Neq; est ullum in cæteris prophetis de mystica repudiatione & reconciliatione Israelitarum, & de toto Ecclesiæ statu, quem hæc tum sub Antichristo, tum Christo teneat, oracullum, quod in hoc uiso, quamuis tectius, non contineatur: sed patefaciendum per Messiam, qui clauem habet qua aperiat mysteria regni cœlorum, nemine claudente: & claudat, nemine aperiente: cui sit gloria & honor in æternum, Amen.

IN CAPVT SEPTIMVM.

ET *factum est.*) De hac historia uideris in libris Regum & Paralipomenum. in qua historia, causſa ſuſcepti ab Iſraelitis & rege Syriæ belli, & clades qua Achaz rex affectus eſt: deinde ipſe exitus hoſtibus funeſtus, & ſalutaris Hieroſolymæ factus: demum rerum futurarum adumbrationes, hoc eſt, qua occaſione propheta de Chriſto oraculum expoſuerit, perpendendę fuerint. De ſingulis inter interpretandum monebitur.

In diebus Achaz.) Regis impij, de cuius perfidia uideris in hiſtoria Regum.
4. Regum 16. Quæ perfidia in cauſſa fuit, cur Deus Syriæ regem & decem tribus aduerſus 10
illum armarit. Inſignis clades, quam Iudęi acceperunt, declarat, quàm horribile delictũ ſit, à uero Dei cultu ad falſum deorum alienorum deficere. Legimus
2. Paralip. 28. enim in Paralipomenis, uicto Achazo, magnam prędam à Syris Damaſcũ abductam, & à Phaca Iſraelitarum rege centum uiginti duo millia uno die interfecta, & ducenta captiuarum mulierum puerorumq; & puellarum millia ab Iſraelitis conſanguineis cum ingenti præda Samariam abacta. Sed quæ fuit tantę cladis cauſſa? Hæc in narratione illic his uerbis exponitur: Quoniam Dominum Deum maiorum ſuorum deſeruerunt.

Raſin rex Syriæ.) Cum Syris præputiatis Iſraelitæ circumciſi coniuncti, Hieroſolymæ templo & regno inclitæ bellum inferunt. In quo bello præfi- 20
guratum fuit, ut Eccleſia electorum Hieroſolyma pariter ab internis & externis hoſtibus, nouiſsimis temporibus eſſet infeſtanda. In externis hoſtibus
numeratur mundus, & princeps mundi Satan, cum tyrannis orbis terra-
1. Ioan. 2. rum, & Antichriſtus: qui ex nobis prodijt, cum noſter non eſſet. in internis uerò hoſtibus ſunt, qui ſe fratrum nomine uenditant, communibus ſacris nobiſcum utentes: quorum quantus numerus ab Apoſtolorum temporibus cum præputiatis illis ſe coniungat, ad infeſtandam Eccleſiam interiorem Hieroſolymam, res ipſa etiam ſine interprete docet. Sed cum tot & tam potentes hoſtes moliantur Hieroſolymam ciuitatem euertere, quid tandem accidit? Sequitur: 30

Et non potuerunt debellare eam.) Oppugnare quidem potuerunt, ſed non expugnare. At quo præſidio tecta Hieroſolyma expugnari non potuit? Diuino præſidio tecta. mox enim propheta ſic ait: Sic dicit Dominus Deus, non ſtabit id, & non erit. Sed cur tanta cura Dominus tuitus eſt Hieroſolymam? Num propter Achaz? at is impius erat. Num propter ciues? at hi pari improbitate fuerunt, ueluti legimus in Paralipomenis: Eo quòd deſeruiſſent Dominum Deum maiorum ſuorum. Non negandum tamen fuerit, Hieroſolymis fuiſſe pios homines, quos Dominus reſpexerit: ſed horum exiguus numerus fuit. Quid ergo præcipuè, cur defenderet Hieroſolymam, diuina bonitas ſpectauit? Alio loco Ieſaias rationem explicat defenſę ciuitatis: Protegam ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Qui locus quamuis referatur à propheta ad Ezechiæ filij Achaz tempora, tamen etiam ad ea quę hic narrantur tempora referri poteſt. Quòd Deus pari amore ſemper Dauidem proſequatur: & eum ſuæ electionis & munerum nunquam pœnitere, qua eſt conſtantia, queat. At ſubmoto typo ac figura, quæ eſt illa Hieroſolyma, tam grata Deo? & quis ille ſeruus Dauid, tantoperè dilectus? Si myſticæ Hieroſolymæ uelum reducas, occurret illa cœleſtis Hieroſolyma, ex ciuibus in libro uitæ ſcriptis deſcripta, quam nobis terrena præfigurauit, de
Galat. 4. qua illud Apoſtoli: Illa autem quæ ſurſum eſt Hieroſolyma. item: Sed ac-
Hebr. 12. ceſsiſtis ad Zion montem, & ad ciuitatem Dei uiuentis, ad Hieruſalem cœleſtem. Hanc in terra peragrantem hoſtes uarij oppugnant: ſed expugnare nõ poſſunt, propter Dauidem. Sed propter quem Dauidem, tantopere dilectum

dilectum Deo? Propter cœlestem Dauidem, Messiam ex Dauide natum, de quo apud Oseam: Et quærent Dominum Deum suum, & Dauidem regem suum. quem ut diligat Deus pater, declarat hoc testimonium: Hic est filius dilectus, qui mihi placet. A' mystica igitur historia diuinus spiritus occasionem arripuit de Christo oracului edendi, quo uno spectato per fidem, Hierosolyma Ecclesia, omnibus temporibus liberetur à suis hostibus. 3. Matthæi 3.

Et commotum est cor eius.) Apta ad consolandum comparatione utitur, qua hostes uento, ciues Hierosolymitanos arborum foliis uento agitatis comparat. Hostes potentes esse securos & alacres, Hierosolymam infirmam, metuq; perculsam & consilij expertem: sed potentiorem haberi eum, qui ciuitatem Hierosolymã, in qua habitet, delegerit: hunc non trepidare, non cõmoueri ullo hostili uento, ut deserat suam ex electis extructam ciuitatem, in qua cœlestis Dauid Messias, Rex regum & Dominus dominantium sedeat, nulla ui conuellendus. Scriptum hic est, Achaz regem & populum nuncij terrore commotũ fuisse, ut qui Deũ deseruissent, in quo uno fidei scuto tectos liceat, consiliũ quo hostiũ potentia frangat, inuenire. Quare ex Achaz & populi cõturbati in rebus aduersis exemplo discimus, in calamitatibus uanam esse fiduciam Deorum alienorum, neq; hos ullam consolationem posse suis cultoribus afferre. de quibus illud: Inuocant deos nõ seruaturos. Alterum est, nec tamen à Deo, memore fœderis sui, suos deseri, quin eos propter Dauidem Messiã miserè uexatos, tandem cum ad se redierint, liberet. Sequitur enim:

Egredere tu.) Hierosolymam hoste Assyrio grauiter infestante, Ezechias per suos legatos Iesaiam prophetam ad consolationem ex eo capiendam compellat. hic uerò propheta Iesaias ipsi Achaz occurrere iubetur, ad eum consolandum, quòd alter bonos prophetas curæ haberet, alter non item, sed malos & falsos. in quo & diuina bonitas ponderanda occurrit, & in quo uerorum uatum munus uersetur, considerandum: horum præcipuum officium esse, in rebus aduersis animos ad Deum reuocatos, in promisso Messia iam inde à contracta culpa, consolari. Vt hic accidisse legitur, exposito de Christo seruatore oraculo. Bonitas autem Dei in eo relucet, quòd pro sua misericordia improbo rũ improbitate non deterreatur, quo minus, si Hierosolymæ dilectæ suæ ciuitatis salus agitur, ea procuret quę ad illam conseruandam pertinent.

Et qui derelictus est Iasub.) Interpretum sententia proprium nomẽ habetur Seariasub. Noster interpres LXX sequitur, qui uertunt, καταλειφθεὶς ἰασοὺβ. Alij hunc filium fuisse uatis, alij discipulũ, ut Paraphrastes: quòd discipuli prophetarum filij dicantur. Sed nihil refert, hac de re magnopere laborare. Apparet autem nomen siue filio, siue discipulo, propter reliquias ad Dominum conuertendas & seruandas inditum. Voces enim hę duæ שאר & ישוב notæ sunt. Videtur ergo propheta filij sui nomine, insignis liberationis mysterium significare uoluisse. Secum autem hunc suum filium adduxit, ut testibus res ageretur cum Achaz, quo Dei mandatum maiore fide ipse exequi uideretur.

Et extremum aquæductus piscinæ superioris.) Locus est, in quo postea sub Ezechia Rabsaces ex mandato regis Assyriorum, Deum Hierosolymorum conuicijs proscidit, ut in eo loco consolatus sit propheta Achaz, quo Hierosolyma blasphemias Dei sui auditura erat.

Vide ut sileas.) Consolatoria hortatio, locos fidei & spei de ope diuina affutura continens, in qua indicatur quæ sint in diuino populo uincendi hostes suos arma, hæc non gladios & hastas, non peditatum & equitatum esse: sed spem in Deum, in eo & per eum, qui uocandus Emanuel à propheta prædicitur. In silendi & quiescendi uerbis, fidei & spei non pudefacientis per abnegationem nostri, tranquillitas & securitas notatur: cum solis promissis Dei confidentes tranquilli erga quamlibet potentes hostes sumus, cogitantes eum qui salutem

promittit, tam fidelem & ueracem esse, ut citius cœlum & terra ruant, quàm fidem non seruet in præstandis promissis, qui hanc suam laudem sartam tectam custodiat: Omnes uiæ Domini bonitas & ueritas seu fides sunt. Hanc tranquillitatem non tuentur, & hanc requiem seu sabbatum non sanctificant, qui neglecto Deo, in sua iusticia, in suis uiribus & robore spem collocant. Non ergo siluit ac quieuit Assyrius dicens: In fortitudine manus meæ feci, in prudentia mea intellexi.

Psal. 25.

Noli timere.) Eo stante à Hierosolymis, qui Dominus exercituum est, cui nulla potentia resistat. Suprà legimus, non aliter cor regis & populi commotum fuisse, quàm uento mouentur arbores. Hunc metum eximere studens, affert, de diuino præsidio, quo malum imminens amoueatur, promissionem. Nam metus sicut animi contractio est, ex futuri mali quod perniciem aut molestiam allaturum uideatur, cogitatione nata: ita eum eximunt, quæ impendens malum tollere uidẽtur. Vt est præsidium diuinum fide atq; spe conceptũ, qua mundus & omnia in eo mala uincũtur. Non est enim fides uis & facultas naturæ creatę, sed sacri spiritus in credentibus agens uis, nobis Deum patrem in Christo per amorem intimè cum sapientia & robore ipsius iungens.

Fides.

A' duabus caudis titionum.) Ad imminuendum metũ adhibet aptam similitudinẽ, qua hostes qui uidebantur ardentes fornaces esse, igni omnia absumpturi, titionibus fumantib. comparantur, qui ex igni erepti fumant solum, nõ ardent. Significat igitur, ab hostium ira nullum periculum fore. Quid enim inanius fumo? Vnde prouerbio locus datus, Fumos uendere: item, fumus est, & in Psalmo, Sicut fumus dies mei.

In ira furoris Rasin.) Præcesserat de fumante titione mentio: hìc ei similem fore hostium iram, mox deflagraturam, indicat. Hanc similitudinem in propheta non natura, sed fides naturam & omnes creatas uires superans formabat: quæ potentissima in mundo pro fumo mox euanescente habet, si se aduersus Hierosolymam & eius regem Messiam opponant. Hęc unica consolatio sanctorũ est, quæ ipsos non fallit in eo & per eum, qui ne'ue falli, ne'ue fallere potest.

Eo quòd consilium inierit contra.) Sed me in consilium non adhibito.

Ascendamus in Iudam.) Superbi consilij ostentatio proponitur, quale etiam iniit hostis Babylonius, de quo infrà: In cœlum ascendam, sursum ad stellas cœli extollam solium meum. Respicitur in uerbo Ascendẽdi, situs Hierosolymę: quę nobis quam Hierosolymam in edito sitam adumbret, sæpe indicatum est. Cuius hostes superbo spiritu Satanæ afflati, ut dicãt, Ascendamus ad excindendã eam, hodie satis experiuntur, quorum sanguis propter confessionem agni funditur, quod in Hierosolyma ciuitate Dei malunt ciues se profiteri, quàm in Samaria & Damasco.

Et euellamus eam.) Si se non dedat, ferro & machinis dirutam nobis subigemus: & in ea subacta, de nostris, qui nobis commodus uidebitur, constituemus regem, Tibealis scilicet filium. Quem uerisimile est fuisse quendam ex principibus & ducibus Ephraimitarum, uel Syrorum. Sęui consilij exemplum exponitur de excidenda Hierosolyma. Hæc est crudelitas qua flagrant hostes Ecclesiæ: sed non perpendentes eius consilium, quem sequentibus uerbis sic audiemus loquentem.

Hæc dicit Dominus.) Dominatum in omnia obtinens sua natura, non precariò, cui nemo resistat: cum qui in terra Domini dicuntur, precariò Domini sint, non natura, à Iehoua nimirum Domini: quorum dominatus tantisper duret, dum illi qui à se & natura Dominus est, placeat, qui transfert regna, & eadat quibus uult. Tantum ualent hæc uerba, Hæc dicit Dominus Iehoua: uidelicet à quo omnia sunt & gubernantur, & eius imperio iure creationis subiecta sunt.

Daniel 2.

Non

Non ſtabit.) Hoſtium conſilium, de quo præceſsit: Eo quod conſilium contra te inierit, hoc irritum erit, meum ratum. Hanc contentionem una fides perceperit, & ea aduerſus hoſtes Eccleſiæ, his præſertim temporibus, & priuatas tentationes utetur ad uictoriam: Non mundi, non principis mundi, non Antichriſti, non pſeudoprophetarum ſæua aduerſus ciuitatem Dei Hieroſolymã conſilia rata fore, ſed Dei.

Sed caput Syriæ Damaſcus.) Per contentionẽ reſpondet illi ſuperiori: Euellamus eam ad nos. Raſinem non Hieroſolymis, ut putat, imperium habiturum, ſed in Damaſco. & ſubmoto typo, par eſt ut in Eccleſia Meſsias cœleſtis Dauid regnet, non alius.

Et adhuc ſexaginta quinq; anni.) Hi anni non ſunt numerandi ab hoc oraculo ad Achaz edito. Pauciores enim anni ab eo ad translationem decem tribuum in Medos defluxerunt, quàm qui ſexaginta annorum quinque ſummæ reſpondeant. Sed à prophetia Amos ſupputationem fieri debere uolunt interpretes, in hunc uidelicet modum. Ab eo tempore quo Amos propheta oraculum de Iſraelitarum exilio expoſuit, Ieroboamus filius Ioas uigintiquatuor annos uixit: poſt quem Menahemus decem annos, Phacehia filius Menahemi biennium, & Phoca Romeliæ filius uiginti annos, Oſea autem Eliæ filius nouem annos imperauit: tunc ſexagintaquinq; annis, qui iam numerati ſunt, exactis, decem tribus in Medos abductæ ſunt. De qua translatione uideris quarto Regum libro. 17.

Et deſinet Ephraim eſſe populus.) Eius regno deſtructo, qui Dauidis regnum deſtruere conatus ſit. Cuius regem ſpumæ aquarum Oſeas comparat: Aboletur Samariæ rex, ut ſpuma quæ in aquarum extremitate eminet. Interpretes defectum in hunc modum farciunt: Razim cum Ephraim frangetur. רצין non eſt leniter deſinere, ſed fractum & diſsipatum deſinere. *Oſeæ 10.*

Et caput Ephraim Samaria.) Non Hieroſolyma regno templiq; cultu inclyta, à quo deficiẽs Ephraim perfidus in diuinum fœdus, aureos uitulos adorauit, & præputiatis Syris contra Dauidis ſolium fœdere prophano ſe coniunxit. Euoluendi typi ſunt.

Si non crediderit is.) Propheta perpendens promiſſæ ſalutis magnitudinem, & ad eam percipiendam fide opus eſſe, partim regis & ciuium incredulitatem reprehendit: partim eos, ut ſignum confirmandæ prædictę ſalutis petant, hortatur. Reprehendit autem diffidentiam, ubi ait: Quoniam diffidentes eſtis. Ad ſignum autem petendum his uerbis hortatur: Si non creditis, petite ſignũ. Hæc ſimplex interpretatio eſt. Quare qui in hunc modum uerba uatis interpretantur, defectum ita farciunt: Si non creditis prędictioni meę, petite ſignũ. ueluti ſequitur: Pete tibi ſignũ. Sed luditur apud uos omnis opera, non em̃ creditis, in quibus nimirũ fides non ſit. Alij in hũc modum: Si fidem oraculo meo non habetis, unde quæſo id accidit? Ex eo ſanè accidit, quia fideles non eſtis, ſe mel uiolata diuini fœderis fide. Hæ duæ interpretationes ſatis ſimplices ſunt. Ex his cognoſcimus duo proponi in ſacris literis, quæ ſint ad ſalutem comparandam neceſſaria: alterum promiſsio diuina eſt, alterum fides quæ promittẽti Deo habeatur: alterutrum ſi abſit, ſalutem non confici. Nam Deus nõ aliter quàm promiſsionis ſuæ uerbo ſalutem denunciat, promiſsio autem nulla alia re capitur quàm fide. Hinc fit, cur tanta uis fidei tribuatur in comparanda ſalute. Vt cum legimus, Abrahamum credidiſſe Deo, & imputatum id ei ad iuſticiam: & illa crebrò iactata, Fides tua te ſaluum fecit, fide transferri montes, fide mundum & eius poteſtates uinci: fide purificari corda, & generari filios Dei: fide nobis Dei uitam, ſapientiam, iuſticiam & gloriam in Chriſto communicari: in quo, & propter quem fides ſuam efficaciam habet, qui ſit iuſticia, ſapientia, potentia, uita, fortitudo Dei omni credenti. *Duo ad ſalutẽ neceſſaria.* *Geneſ. 15.*

Hæc uates diuinus significat paucis uerbis, quibus & fidem quam suo uaticinio habeant, commendat, & diffidentiam in incredulis redarguit.

Pete tibi signum.) Propheta pro more suo, de mystica suorum temporum ratione ad oracula de Christo exponenda se conuertit, monens primò salutare petẽdum esse signum: deinde quale hoc signum futurum, quemq; usum & quod munus habiturum sit, ostendit. Dicit igitur ipsi Achaz, Pete signum, quo tu & tui freti, salutem uobis ex diuino promisso perficiatis: signum in quam pete, in quod omnes promissiones colliment, & eo confirmentur, ut in quo uno & solo omnes diuinæ promissiones sint amen & etiam. Atq; hoc signum Messias benedictus est, infrà Emanuel appellatus. Quod si depressa ac profunda spectes, legimus de eo, Descendit ad inferos, ut suos ab inferis in cœlum extolleret: sin excelsa, occurrit illud de eodem signo, Secundus homo de cœlo cœlestis. & de eo ut crucis cursum confecit, Ascendit in altum: ad salutem suis tribuendam. Hoc tantum mysterium Iesaias in signo petendo ab Achaz, significat, cum dicit: Pete tibi signum à Domino Deo tuo, uel infrà in profundo, uel sursum in excelso. Atque hoc signum claris uerbis signum ipsum Messias explicat, cum ait: Non dabitur ei signum, nisi Ionæ prophetæ. ut enim fuit Ionas in uentre ceti tres dies & totidem noctes, sic erit filius hominis in terræ meditullio tres dies & totidem noctes. Atq; hoc signum salutare, & in cœlo & in terra illustre factum, uates tectè monet petendum esse. Quod mundo miserè per peccatum deprauato fuit promissum, per Mosem uarijs figuris adumbratum, à prophetis prædictum, atq; nouissimis temporibus exhibitum, & in omnes orbis terrarum fines diuulgatum, cuius unius spiritu pectora electorum obsignarentur & confirmarentur.

1. Corinth. 15. Psal. 68. Matthæi 12.

A' *Domino Deo tuo.*) non à dijs alienis, quos tu colis. Sed cur uocat Dominum Deum, Deum Achaz, à quo is ad deos alienos defecerat? Propter Dauidem patrem eius, in cuius solio sedebat, ex eo procreando Messia.

Non petam signum.) Verba hæc non sunt reuerentis Deum, sed ei diffidentis. Nam in historia Regum proditum est, ab Achaz legatos ad regem Assyriorũ missos cum donis, his uerbis ab eo petitum opem: Seruus tuus & filius tuus sum, ascende & libera me de regis Syriæ regisq; Israel manu, à quibus oppugnor. Quam diffidentiam in Achaz improbo rege cognitam tenens propheta Iesaias, eum paulo suprà grauiter perstrinxit, cũ diceret in eo fidẽ desiderari.

Et non tentabo Dominum.) Legem cõsiderat improbus rex, sed sine lege, de qua Moses in Deuteronomio: Dominum Deum tuum ne tentato. Nam hanc falsò contra sententiam ipsius interpretatus est. Etenim Deum tentant, qui non contenti promissione diuina, qua una fides nititur, modum, locum & tempus quo opem ferat, Deo præscribunt. Non uerò eum tentant, qui signum petunt, offerente id illo, ut is per prophetam obtulit ipsi Achaz. Sic Deum Gedeon non tentauit, signum ex illius uoluntate petens: sed potius ei paruit, cui sciret placere, signum ut postularet, quo admoneretur mysterij quod erat signo præsignificandum. Tentant præterea Dominum, qui præsidia quæ præstò sunt, reijciunt, & quæ absunt, temerè quærunt: ut Achaz fecit, qui præsentem in oraculo à Iesaia exposito Dei opem respuit, & absens Assyriorum auxilium cõtra fœderis diuini rationem postulauit. Sed sic sunt hypocritæ, qui pectoris sui perfidiam celantes, ore præ se ferunt demissionem & humilitatem, per quam Deum se reuereri fatentur. Qui, ubi necesse non est, demissi sunt: ubi uerò res postulat demissionem, superbiunt.

5. Iudic. 6.

Audite domus Dauid.) Familiam regiam, seuerius eam increpando, alloquitur. Hanc aũt duarum rerũ sub appellatione stirpis Dauidicę admonet. unũ est, ut patrem Dauidem fide & amore Dei referant, non Deum perfidia dehonestẽt. alterum est, ut cogitent cum animis suis, quæ Dauidi de regno ipsi conseruãdo

do promissa essent, ea præstari credentibus, non item non credentib. & ad humana præsidia, contemptis diuinis, deflectentibus. ut erat Assyriorũ præsidiũ.

Nunquid uobis parum est.) In hac reprehensione obijcit rebellibus, quòd & hominibus & Deo negociũ exhibeant: hominibus quidẽ, dum prophetas, aut Dei prophetas esse non existiment: aut si in Dei prophetis habent, tamen eorum oracula ad se pertinere non putant. Vnde etiam cæteris nocent, quos sua perfidia perdunt: non autem perditurí, si in uiam redeuntes, sibi & reip. sapientes, prophetis molesti nõ essent. Deo uerò molesti sunt, cum eum diffidentia exacerbant, quem fide & facere & retinere placatum possent.

Ecce uirgo concipiet.) Sunt qui simplex historiæ & literæ filum sequentes, de adolescentula accipiunt, quæ marita conceperit, & genuerit filium Immanuelem nominandum, non qui natura seruator Deus esset futurus, sed significatione, quæ in duabus rebus cernitur: una est, qua admonebatur Hierosolyma, illo nato liberatum se iri à Syris & Samariæ rege: altera, qua significabatur fore, ut ex Maria uirgine Messias, natura filius Dei & Deus, seruaturus suam cœlestem Hierosolymam, hoc est, electorum Ecclesiam de spiritualibus hostibus, nasceretur. Mystica ergo ratione puellam quæ Achaz tempore paritura erat sobolem admonituram signi uice seruandæ Hierosolymæ, puellæ uirginis nomine quam עלמה uox significat, appellatam fuisse, marito eius nõ nominato, quæ etiam infrà prophetis uocetur, marito non indicato: ut etiam Melchizedecus, quòd in sacra historia eius parentes non nominantur, aptus Messiæ uerè regia iusticia insigniti, ex epistola ad Hebræos typus fuisse creditur, quamuis re non careret parentibus. Similiter Cyrum regem Persarum, quamuis Messias liberator uerus ueræ Hierosolymæ non esset, nomine tamen Messię appellatum fuisse, propter adumbrationem, qui adumbraret seruatorem Christum. Eodem modo aram diuinam à Mose in solitudine extructam cæso Amalechita, nomine Ithona appellatam, non quæ natura esset Ithona: sed propter significationem, qua aram Messiam, qui natura, non adoptione filius Dei est, præfiguraret, & ad eam clementiam suam Ithona ostenderet. Idem iudicium de arca esse, quæ cur nomine Domini uocata sit, in historia Regum patet. At nos hic uerum Immanuelem in hoc uatis Iesaiæ oraculo, prætermissa figura explicabimus. In qua explicatione hæc ordine fuerint perpendenda: IESV Christi Domini nostri ortus, nomen, munera & usus. De singulis ordine monebitur. Et quantum ad ortum attinet, is cernitur in conceptu & partu. utrunq; uirgine confici comprobat, quod hic legimus, Ecce uirgo concipiet & pariet. Quod ad conceptum attinet, is quidem in uirgine è spiritu sancto conceptus dicitur & creditur. Sic enim apud Euangelistã legimus: Nam quod in illa conceptum est, à spiritu sancto profectum est: & sic è spiritu conceptum, peperit uirgo. Quare à cõceptu è spiritu sancto, Christus Dominus noster cœlestis homo est de cœlo, filius non Dauidis, sed Dei: à partu uerò & natiuitate, ex uirginis utero natus, filius hominis est ad uarias crucis formas in terra expositus. Itaque paucis uerbis propheta Iesaias ostendit, quàm salutare signum Christus esset futurus, cum eum à uirgine concipiendum prædiceret. Nam significauit, eum non ex corrupto uiri alicuius semine, sed ex diuino spiritu conceptum iri, qui sic conceptus, & puro puto partu natus, ad eorum qui à primo Adamo uitioso conceptu & partu propagantur, uitia expianda lustranda' que satis esset. ' Huius puritatis & sanctitatis Christi IESV admonet nos uirgo, Messiam è spiritu sacro conceptura, & sanctè pure' que ex utero, sed omnibus muliebribus adhibitis, editura. Huc de innocentia & sanctitate Messiæ testimonia, quæ in sacris literis afferunt, pertinent. Huc itẽ, quę apud Mosem de integris & labe carẽtibus uictimis, Christũ sacrosanctã uictimã adumbrantib. tradita sunt, referunt.

Matth. 1.

Quî

Quî enim aliorum culpam expiet, ipſe culpæ obnoxius? quî aliorum uitia extergat, ipſe uitioſus & labe aſperſus? Talem igitur Chriſtum eſſe oportuit, qualem infrà uates noſter his uerbis deſcribit: Qui peccatum non fecerit, neq; dolus in ore eius repertus ſit. Atq; hoc ipſum eſt, hunc è ſpiritu ſancto uirginem concepiſſe, & conceptum peperiſſe. Hunc Meſsiæ è uirgine ortum prædixerat antea Sibylla:

Δὶξαι ἀχράντοισι θεὸν σοῖς παρθένε κόλποις.

Et uocabis nomen eius Emanuel.) Explicato diuino & cœleſti ſalutaris ſigni Meſsię conceptu & partu: iam nomen eius quoq; indicatur. Hunc Dei nomen obtinere, qui nobiſcum ſit: tantum enim ualet עמנואל uox. Meſsiam conceptum è ſpiritu, & natum ex uirgine, Deum eſſe, qui à nobis ſit. Vbi duæ naturę in Chriſto nobis cognoſcendæ proponuntur, altera humana: altera diuina. humana quidem, quem legimus hîc uirginis filium eſſe: diuina uerò, cum iubetur uirgo eum Deum appellare, qui à nobis ſit, nos ſeruans & ſaluos reddens. In quo nomine exponitur uſus & munus ſacræ ſobolis, quod eſt ſeruare. Similiter angelus Meſsiam, quem hîc uates dicit appellandum Immanuelem, hoc eſt, Deum nobiſcum, cum à Maria Ieſum nuncupandum dixit: Et uocabis nomen eius Ieſum, qui ſeruaturus ſit populum ſuum à peccatis ſuis. Quod nomen à prophe-
Matth. 1. ta Ieſaia indicatũ, angelus expoſuit. Quid enim aliud eſt, Chriſtum Deum eſſe nobiſcum fateri, quàm eum fateri uerè & hominem & Deum eſſe, qui ſuos peccati & mortis iure liberet? Hominẽ quidem, qui ab humana natura aptus eſſet ad ferendam crucem, per quam ſe piacularem hoſtiam ad luenda peccata mundi immolaret, & è mortuis ad uitam excitatus ſpiritum ſanctum nobis ad amiſſam iuſticiam & uitam recuperandã, cõmunicaret de ſui ſpiritus copia &
Rom. 5. plenitudine. De quo uſu his uerbis Apoſtolus monet: Qui traditus eſt propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri. Deum uerò hominem Meſsiam confitemur, in quo diuinitas corporatè habitet: qui per conceptum è ſpiritu ſancto, citra modum unctus ſit. de qua unctione propheta
Pſal. 45. Dauid: Vnxit eum oleo lętitiæ, præ conſortibus. & infrà noſter uates: Spiritus Domini ſuper me, eo quòd unxerit me, & Ioannes: Non enim huic ad menſuram dat Deus ſpiritum. Hinc ueteres dixerunt. unctionem humanę naturæ, in Chriſto eſſe diuinitatem, χρίσις δὲ ἡ θεότης τῆς ἀνθρωπότητος. Atq; hoc ipſum eſt quod hîc legimus, IESVM Chriſtum conceptum è ſpiritu ſancto, Immanuelẽ, hoc eſt Deum nobiſcum nominari. Hoc diuinæ conceptionis beneficium atq; uis eſt. Sic omni copia & affluentia ſacri ſpiritus unctus Meſsias Dominus noſter, duo ſortitur nomina nobis ſalutaria, regis & ſacerdotis. Regis quidem, qui regio & imperatorio ſpiritu per conceptum unctus, in omnia cœleſtia & terreſtria & infera dominatum & imperium teneat, de quo ipſe his uerbis: Mihi data eſt omnis poteſtas cœli & terræ. à quo regio ſpiritu etiam Domini exercituum & iudicis uniuerſitatis, ut infrà capite undecimo & ſexageſimo primo indicabitur, nomen habet. Itaq; ut in ueteré fœdere, reges myſtica unctione uncti ſunt ad myſticum regnum: ita in diſpenſatione temporum plenitudinis, rex noſter Meſsias unctus rex eſt uera ſpiritus ſancti unctiõe, & nobis rex
Matth. ult. unctus eſt per ſacroſanctum conceptum in uirgine: quod indicat uox Immanuel, qui in nobis per ſpiritum ſuum ſanctum, ex quo conceptus eſt, regnans, nos è peccati iure ad iuſticiam, è morte ad uitam, ex opprobrio crucis ad gloriam & ſplendorem cœleſtis regni, ut mortis & uitæ, peccati & iuſticiæ, inferni & cœli Dominus, trãsferat. Sacerdotis autẽ munere in eo fungitur, quòd ſacri ſpiritus oleo unctus, aduocatũ & arbitrum ſe præbet pro nobis apud patrem precando & benedicendo. Nam ut pro ſuis precetur, interceſſorem præſtans, illud Ioannis declarat: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem. ut uerò benedicat, hoc eſt, uarijs ſacri ſui ſpiritus muneribꝰ. nos exornet,

indicat

indicat illud apud Ioannem: De plenitudine eius omnes accepim us. Sed quid accepimus? Spiritum sanctitatis, iusticiæ, uitæ, sapientiæ accepimus: qui à cõce ptu & partu impuri, iniusti, mortiq; obnoxij fueramus. Quare quantũ ad sacer dotiũ attinet, uerè quoq; Christus IESVS Dominus noster Immanuel noster est. Ex quo nomine discimus primò, Christũ non quia homo est, Deũ non dici: neq; quia Deus est, hominẽ non esse: sed eum & hominẽ ex homine, & Deũ ex Deo iurè credi. Deinde cognoscimus, ut anima & corpus hominẽ efficiunt, ita anima & corpore & spiritu sanctu Messiã, hoc est unctũ Domini effici. Huc spectantes Hebręorũ sapientes, hęc tria, corpus, animã, diuinitatẽ, tribus lapi- *Genes. 32.*
dibus quos Iacobus accepit, figurata tradunt: quos unũ factos dicũt, uerbis Iacobi freti, Et accepit lapidẽ: significato Messia, in quo hęc, corpus, anima & diuinitas sacri spiritus coniuncta sunt: Qui hic Immanuel uocatur, partim quòd Deũ patrẽ nobis recõciliat, ut salutis per sanguinẽ suũ arbiter: partim quòd ipse natura Deus ex Deo patre, eius unigena filius, à nobis stet cõtra oẽs aduersarias potestates: tertiò intelligimus, quia Christus Immanuel noster est, eum capitis munus obire, & nos eius corpus & mẽbra esse, in quos diuinitatis spiritũ fundat, ex quo filij Dei regeneremur, ut dij diuinę naturæ cõsortes & cohęredes Christi capitis. Sed cuius hæreditatis hęredes? Eius hæreditatis hæredes, quę sic loquitur ad Abrahamũ: Ego sum merces tua, & ad Leuitas: Ego sum hę *Genes. 15.*
reditas uestra. hoc est, iusticia, uita, sapientia & gloria uestra in filio Messia, qui ut naturalis meus filius est, ita uos per adoptionis gratiã, natura filij peccati & iræ, & in filio meo filij iusticiæ & gratiæ estis. Hæc sunt beneficia salutis quæ Deus pater nobis confert per sacrosanctam sobolem uirginis, è spiritu sancto conceptam. Hæc sacrosancta soboles pro salutari signo ipsi Achaz promittit, in q̃ uno salutẽ electi quęrãt, et in quo de promissa salute ipsorũ pectora fide & spe confirmentur: præterea nulla. Nam ad hoc signũ omnes diuinæ promissiones referuntur, in eo confirmandæ & præstandæ, ut est apud Apostolum: Quotquot sunt promissiones Dei, per ipsum sunt etiã atq; amen. Nam primò *1. Corinth. 2.*
Christus promissum illud semen est ab initio, in quo & per quod Deus uitam mũdo dare, & cuncta in cœlo & in terra sibi recõciliare, sanguinis ipsius in cruce fusi merito uelit. Deinde hoc signum spiritum sanctum, ex quo conceptum est, continet, quem suis beneficio & ui resurrectionis è mortuis communicet. In quo spiritu hæc munera cõtinent. Primum est, in pectoribus nostris testimoniũ de fauore & beneuolẽtia Dei erga nos dare, de quo munere Apostolus: Ipse em̃ spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, qd̃ sumus filij Dei. Alterũ est, pignoris & arrabonis uicẽ pręstare. nam Deus pater spiritũ suũ in cordib. nostris deponit, qui, pmissæ salutis pignus sit, de ea nos obsignãs. Quod pignus *Rom. 8.* *Epheſ. 1.*
ut neq; fallit, neq; fallit̃, quòd nimirũ spiritus ueritatis sit: ita etiã promissa salus nõ potest nõ nobis credentib. per filiũ, & in filio patri pręstari. Tertium, interpellatoris munere fungi est, de quo idẽ Apostolus: Idẽ spiritus, inquit, intercedit p nobis gemitib. inenarrabilib. & talẽ interpellatorẽ agit, qui etiã ipsius salutis, pro qua interpellat, autor sit & effector. Sacerdotale em̃ & regiũ munus, cui omnia in cœlo & in terra subiecta sunt, obit. O beati, quib. Deus pater tali pignore se obstringit & oppignorat. Quis enim hoc pignus labefactet? Num peccatũ? At id à iure peccati liberat. sic enim Apostolus: Lex spiritus uitæ li- *Rom. 8.*
berum me reddit à iure peccati & mortis. Num mors? At hoc pignus spiritus uitæ est, mortem tollens, de quo illud: Spiritus est, qui uiuificat. Num mundus? At mundus ab eo iudicatur, hoc est damnatur & uincitur, iuxta illud: Cum uenerit, arguet mundum de peccato. Num Satan princeps mun- *Ioan. 16.*
di? At hoc pignore interficitur Satan cum suis ministris, de quo uates noster infrà: Spiritu oris sui interficiet impium. Qui spiritus, Messiæ spiritus est, communis corpori Ecclesiæ & membris eius. Hæc cum cernantur in

Messia,

Messia,uerè is pro unico omnis promissæ salutis præstandę signo à pijs haben dus fuerit. Ad quem ne'ue personis,ne'ue loco,ne'ue tempore,ne'ue ullis elementis mundi affixum, sed qui liberè apud patrem regnet in cœlo & in terra, indesinentes spiritus sacri gemitus,& afflictiones quib. in mundo infestamur, ipsæq; sacræ literę nos reuocant:à quo,ut Immanuele nostro,in omnibus grauissimis tentationibus consolationem,fideiq; nostræ confirmationem,eiusq; incrementa quæramus. Cui sit gloria & honor in æternum, Amen.

Butyrum & mel comedet.) Reducto uelo mysticæ sobolis significatur,Messiam uerum hominem fore, qui communi uictu ad alendum corpus sit usurus,in statu crucis.

Vt sciat reprobare bonum & malum.) Dicas, hæc in Christum Immanuelem non competere, omnium rerum scientia præditum. De Domino IESV Christo legimus apud Euangelistam: Profecit ætate, gratia & sapientia apud Deum & homines. Neq; propheta de scientia rerum quam Christus habiturus sit, disserit: sed qui more cæterorum hominum, quid inter cibos commodos & incommodos intersit, iudicaturus sit.

13. *Priusquam enim sciat.*) In epistola ad Hebræos legimus, Messiam heri & hodie esse: qui omnibus seculis, ut æternum Dei patris uerbū, suis per fidem & spem præsens sit. Nam quam pij à condito mundo unquam nacti salutem sunt, per eum nacti sunt, qui adfuit Adamo à conflata culpa, seruator promissus his ver-
Genes. 3. bis: Ipsum conteret caput tuum. Per eum seruatus est Noa in diluuio, quem salutari figura nobis figurauit. Per eum Lothus ex Sodomis & Gomorris liberatus. is in rubo ardenti Mosæ apparuit: Israelitas ex Aegyptia seruitute in libertatē uindicauit, & eos in solitudine præcesit, per angelū representatus, eosq; in promissam hæreditatem introduxit, & omnia quæ ad eorum salutem pertinebāt, ipsis parauit. Atq; idem hic Hierosolymis promittitur adfore seruator.

Relinquetur terra.) Syria Damascena, occiso eius rege Razine, & terra Israelitica ab Assyrijs occupata, Israelitis ad Medos & Syris Cyrenem trāslatis, de qua
17. translatione uideris in quarto libro Regum.

Adducet Dominus.) iustus rebellionis & diffidentiæ tuæ uindex.

Super te.) Teglatphalasarem Assyriorum regem, de quo uideris secundo Paralipomenum libro, capite uicesimooctauo. Itaq; ab eo cuius opem, spreta ope diuina, Achaz aduersus hostes suos petijt, tandem ipse bello infestatus est: ut eo exemplo ad posteros memorabili admoneremur, omnia præsidia temporerum angustarum, ab alijs quàm à Deo patre Domini nostri IESV Christi quęsita, fallere: unius Dei patris neue fallere, neue falli. Hæc in schola crucis una filiorum Dei fides experitur, lumen de lumine Dei.

Et super domum patris.) Ezechiæ tempora significat, quem Sennacheribus Assyriæ rex graui bello uexauit, omnibus Iudææ urbibus, præter Hierosolymam, miserè deuastatis.

Regem Assur.) Ab Assyrijs igitur ter Iudæa graui bello uexata est, à Theglatphalazare, Sennacheribo, & demum à Babylonijs: quorum ciuitas Babylō ab initio Assyriorum regni caput fuit, in una Monarchia Assyrijs & Babylonijs numeratis.

Sibilabit.) Tam facile Domino esse hostes euocare in sceleros os, quàm facile est cuiquam sibilo oris sui apes uel muscas excitare.

Muscæ.) Videtur Aegyptios indicare, abundantes insectis. Suprà Assyrios apibus comparat, qui apum & mellis copia traduntur affluere. Significatur hac comparatione magnus hostium exercitus, muscarum uim & apum examina
Psal. 118. æquaturus. Comparari hostes apibus, aculeis suis infesto animāti, Psalmus in-
56. dicat: Circundederunt me sicut apes. Infrà legimus, Assyrium in Aegyptum ingressum, & inde reuersum ad Hierosolymam oppugnādam. unde dubium nō est,

est, unà secum Aegyptios quoq; adduxisse. De qua re uideris apud Iosephum libro decimo antiquitatum Iudaicarum, capite primo.

Quæ est in extremo fluminum Aegypti.) Riui quibus Nilus Aegyptum inundat, accipiuntur. Nam cum careat Aegyptus pluuijs, diuina prouidentia factum est, ut ea inundante Nilo fœcundetur. Quo autē tempore Nilus crescat & decrescat, uideris apud scriptores rerum. Prope muscarū mentionem riuorū Aegypti meminit, quòd muscarum ad aquas prouentus copiosus sit.

Et in omnibus frutetis.) Manet in translatione muscarum & apum, quæ in cauis & frutetis uersantur. Hostes omnia incessuros, & occupaturos. Vocem hanc נחלים, hic & infrà capite LVII reperias.

In die illa.) In qua die? Infrà capite octauo explicatur hoc tempus, ubi Immanuele stante à Ierosolymis, hostes Assyrios minimè obtenturos propheta significat. Sententia igitur est: Hierosolymam obsidente Sennacheribo, tantum abfore ut ea capiatur, ut etiam miserè cum exercitu ante eam periturus sit, Immanuele defendente ciuitatem suam. Vt hæc ad Babylonij regis tempora nō referamus, in causa est oraculum Iesaię, quod is de Immanuele Hierosolymam & reliquias Iudææ gentis seruaturo, iam decem tribubus in exilium abactis & Iudæa miserè depopulata, exposuit. Constat autem, à Babylonijs nil relictum: sed omnia, non sine rerum futurarum figuris, euersa.

Radet.) Eleganti utitur allegoria, ex scitis metaphoris concinnata: in qua Dominus tonsori, angelus nouaculę, capiti rex, barbę principes, & pilis pedum reliquus exercitus comparantur.

Trans flumen.) Euphratem. significatur exercitus Assyriorum, qui transmisso Euphrate castra ad Hierosolymam sit admoturus.

Caput.) Translationem capitis, pilorum, pedis & barbę, Paralipomenum liber explicat: Et misit Dominus angelum suum, qui percussit omnem uirū fortem & bellatorem, & principem exercitus regis Assur. 2. Paralip. 32.

Et erit in die illa.) deuicto Assyrio per angelum Domini, in quo potentia Immanuelis suprà descripti apparuit.

Butyrum & mel.) Frumenti & uini, atq; cæterarum rerum quas terra ad uictum profert, copia destituti, ut solent agri tempore belli ab hoste uastari: solum pascuis ad pascenda pecora, & syluarum arboribus, in quibus apes mel & fauos faciunt, relictis.

Omnis qui relictus fuerit.) ab Assyrio depopulatore, Ezechia regnante. Spiritualis benedictio adumbratur, qua reliquię uindice Immanuele Messia temporibus Apostolorum asserendę de manu spiritualis Assyrij fuerunt. De quibus reliquijs iam aliquoties ex Apostolo mentionem fecimus. Nominantur hic lac & mel, à quibus præcipuè terra sacra cōmendatur, ut est apud Mosem: Introducam uos in terram fluentem lacte & melle. Sed in hoc melle & lacte figura ac typus cernitur: ut in ipsa etiam mystica hæreditate Chananæa terra, ueritas & res ipsa in cœlesti hæreditate & melle atq; lacte. Sic enim legitur in Cantico canticorum: Fauo manant labia tua, ô sponsa, mel & lac sub lingua tua. Exod. 3. Cantic. 4.

IN CAPVT OCTAVVM.

Et dixit Dominus.) Argumentum huius oracularis concionis idem est quod superioris, sed alijs uerbis explicatum: & quædam exponuntur in ea, quæ suprà exposita non sunt.

Librum grandem.) Significatur res memorabilis scribenda, nempe magna terræ Israelitæ uastatio, & diuturnum decem tribuum exilium, uindice spoliatore ex prophetide procreando. Iubetur autem seriò hoc uaticinium in uolumine consignari, quòd Hierosolyma cōsolatione egeret, & recondita mysteria tempore præsentati Messię in mundū patefacienda essent,

Antichristo nimirum spirituali Assyrio magnam uim captiuorum abducturo à regno cœlesti, reliquijs solum à spoliatore Christo conseruatis. Sunt qui tradunt librum magnum significari, librũ decretorum Dei, qui magnus appelletur, ut in quo omnia diuinæ prouidentiæ consulta, omnium item acta & opera, omniumq; rerum agendarum rationes & consilia, omnes casus tum prospe ri tum aduersi, scribi notariq; intelligantur. atque hac ratione iussum uatem, librum magnum accipere.

Stilo hominis.) Pro consuetudine hominum chartas ac tabulas in manus accipientium, & in eis quæ referat annotari scribentium. Sic leges & edicta publica regum in tabulas referuntur, ne facilè aboleantur, sed conseruata publicè legantur. Talis hæc scriptio consolatione plena fuit. Sed quid in hoc uolumine humano stylo uates iubetur scribere? Sequitur: Velociter spolia detrahe. Qui posterioris sententiæ sunt de libro magno, humani styli mentionem fieri uolunt, quòd omnia quæ continentur in amplo diuinæ prouidẽtię libro, ad rationem hominis, qui minor mundus, omniumq; conditarũ rerum finis sit, referantur. Ad hæc credimus Messiæ omnẽ à patre iudicandi potestatẽ datam, quia filius hominis sit. ut est apud Ioannem: Et potestatem dedit ei iudicandi, quia filius hominis est. atq; id tectè hic significari: Scribe in eo stylo hominis.

Velociter spolia detrahe.) Citò deprędandas esse hostium terras. Hoc scriptũ publicè ad legendum proponi debere uexatæ Hierosolymę, ad consolandã eam: regnum uidelicet Dauidis non deletũ iri, sed propter Messiã cõseruandũ, ut ex Dauide fortẽ hostiũ spoliatorẽ, & cœlestis Hierosolymæ seruatorẽ gignendũ.

Adhibui mihi testes fideles.) Scriptio testibus confirmatur, quo eius fides ad miseros confirmatior fieret. Adhibentur duo testes ad testificandũ apti, alter sacer-
16. dos, alter propheta. Vrias enim, ex quarto Regũ libro, sacerdos summus fuit: Zacharias uates, ut ex altero Paralipomenum lib. cap. XXVI apparet. uel ut alij uolunt, uir clarus fuit temporibus Achazi & Iesaiæ, de quo uideris secũdo Paralipomenum capite XXIX. Si propheta accipitur Zacharias, cuius oraculo diligenter Ozias auscultauit, apti hi duo testes adhibentur, alter sacerdos, alter propheta: quorum alterius esset legem docere, alterius prædicere quę tum legem seruantibus, tum non seruantibus essent euentura. Sic duo iurati testes
Marci 9. Messiæ adfuerunt, Moses legislator, & Elias uates. Sunt qui in hunc modum interpretantur: Vriam non fuisse sacerdotem illum idolorum cultorem, cui A-
16. chaz è Damasco literas misit, sed illum de quo Ieremias meminit: Fuit uir prophetans in nomine Domini Vrias filius Semei, quẽ Iehoakim rex occidit. Zachariam quoq; de quo in hoc oraculo fit mentio, illum Zachariam fuisse, qui in numero duodecim prophetarum habetur. qui quidem Zacharias quoniã de Messia clarè uaticinatus est, eius fidelis testis habeatur. Atq; hi qui sic sentiunt, Iesaiam uolunt nõ in persona sua, sed in spiritus sancti persona uerba hęc protulisse. Quæ sententia si recipitur, fatebimur hos duos testes multos annos secutos Iesaiam uatem. Quot autem annos secuti sint Iesaiam prophetantem tempore Achaz, satis clarum erit, si ab Achazo supputẽtur anni usq; ad Iehoakimũ, qui Vriam interfecit. Item si à quinto anno Achaz supputentur anni, qui fluxerunt usq; ad secundũ Darij annum, quo Zacharias prophetauit. An hæc interpretatio de sententia prophetæ sit, iudicandum lectori permitto.

Accessi ad prophetissam.) Prophetissa ac uates hæc, si expressam ueritatẽ spectes, Maria uirgo est, mater Dñi nostri IESV Christi. Quæ diuino afflata spiritu, Dei patris arcana de Immanuele seruatore cõsilia decantans hoc carmine, Magnificat anima mea Dominũ, ueram uatẽ se esse declarauit. Ad hanc igitur Iesaias propheta in uiso accesit, prophetans eam è spiritu sancto sobolem concepturam, quæ Hierosolymam mysticam liberatura esset: sub typo Hierosolymę cœlestis, temporibus nouissimis à suis aduersarijs liberandæ.

Voca

Voca nomen eius Accelera.) Qui ſuprà Immanuel uocari iuſſus eſt, hic uelox ſpoliator & celer prædator nominari iubetur. Sed cur ſpoliator nominatur? & quos hoſtes ſpoliat? & quibus armis eos ſpoliat? Duplex ſpoliandi ratio occurrit: una, qua per Aſſyrium hoſtes regni Dauidis regem Samariæ & Razinem Syrorum regem ſpoliat: altera, qua ipſum Aſſyrium & Iſraelitarum & regni Dauidis hoſtem non armis humanis, ſed ſuis, hoc eſt per angelum diripit. De qua ratione ſpoliandi paulo ſuprà mentio facta eſt, & infrà quoque fiet: Congregamini populi, & uincimini. Vbi duo ſunt conſideranda: alterum umbra & figura eſt, alterum res ipſa præfigurata. Figura in Iſraelitis & Syris cõtra Dauidis regnum & eius ciuitatem Hieroſolymam bellum gerẽtibus, & in Aſſyrio ipſo per angelũ deuicto ſpectatur: res ipſa uerò figurata in eo tẽpore apparet, quo Iſraelitæ & gentes contra Chriſtum & eius Euangelium, atque contra eius ciuitatem, hoc eſt, contra credentium Euangelio Eccleſiam, hoſtes ſe palàm profitentur, atque declarant. Vtríſque in Aſſyrij, hoc eſt, Antichriſti poteſtatem uenientibus: exiguis reliquijs de eius tyrannide aſſertis, per fidem in Immanuelem IESVM Chriſtum. Quo à cœleſti Hieroſolyma ſtante, ſpolia feruntur, de quibus infrà uates noſter meminit: Et fortium diuidet ſpolia.

Pro eo quod.) Aſſyrius, qui armatus fuit in Syros & decem tribus, iam in Iudęã tribum & ciuitatem Hieroſolymam quoq; armatur à ueloce ſpoliatore. Similis ſuprà extat prædictio: Et tempore illo ſibilabit.

Abiecit populus iſte aquas Siloe.) Ratio euocandi Aſſyrium in Iudæos, redditur à contemptu, quo Iudæorum uulgus ad nouandas res propenſum, Dauidis regnum & humile & contemptum cœperat aſpernari: ad Syros & Iſraelitas, quorum amplum & ſplendidum regnum eſſet, adiecto animo. Ad hanc contemptionem caſtigandam, minatur uates futurum, ut qui aſpernati fuiſſent regnum tranquillum & moderatum Dauidis, Aſſyrium hoſtem in Iudæa omnia uaſtaturum eſſent habituri. In hoc igitur oraculo cognoſcimus primò, quale ingenium uulgus habeat. hoc mobili animo eſſe, & ad res nouandas procliui. Præter exempla prophana, quæ innumera ſunt, occurrunt Iſraelitæ, qui Iudicum tædio affecti, Regem, qui rempublicam gubernaret, petierunt: & contempto regno Dauidis, quod Dominus conſtituerat reiecto Saulo, regem ex familia Ephraim enſi delegerunt Ieroboamum: & tandem Iudæos ſui regni tædium cæpit, ut inclinarent ad Phacam regem Iſraelitarum. Veluti hic legimus, eos Rezine & Romeliæ filio delectatos, contempto Dauidis regno. Deinde cognoſcimus, mutandæ reip. ſtudiũ in uulgo periculoſum eſſe: ideo præſtare, ut quæq; gens ſuæ reipub. formam & magiſtratum æquè ferat, nec temerè eum mutare ſtudeat. ut Iſraelitis periculoſa fuit Iudicum mutatio, & ſua decem tribubus à Dauidis regno defectio, nouo rege ex ſuis delecto. Sic quàm diſplicuerit Domino, quòd Iudæi contempto Dauidis regno ad hoſtes eius animum conuertiſſent, prophetæ noſtri reprehenſio indicat, intentato grauiſsimo hoſte Aſſyriorum rege. Poſtremò cognoſcimus, quod præcipuè hic conſiderandũ eſt, ea tempora in hoc imperij Dauidis ſtatu adumbrata eſſe, quæ exhibito Meſsia acciderunt: in quibus non pauci reperti ſunt, & etiamnũ reperiuntur, qui pertęſi humile Chriſti regnum, ad eos animum inclinant, quorum res ampliores ſunt & proſperiores. Quare Dauidis imperium ſcitè Siloæ aquis placidè fluentibus comparatur: in qua comparatione myſticè Meſsię regnum humile & tranquillum ſignificatur. Hic Siloę fons ad radicem montis Sionis piſcinam creat: & ut eſt apud Ioannem capite nono, in huius aquas Chriſtus cæcum à natiuitate, cuius oculos luto ex ſaliua ſua macerato obleuerat, miſiſſe legitur: quod cũ ille abſterſiſſet, clarum oraculorũ lumẽ, deterſa cæcitate, accepit. In quo miraculo nobis lutum ſaliua maceratum eum adumbra- *Ioan. 9.*

uit, qui lutum & peccatum factus, & internis noſtris oculis per fidem illitus, res cœleſtes & nobis ſalutares aſpectandi lumen excitat: ſed ita, ut aquis Siloe, quæ nobis ſacras illas diuini ſpiritus ex fonte Meſsia manantes aquas præfi-
12. gurant, lauemur, & loti mundemur, de quibus infrà: Hauriétis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris. Has aquas ſalutares & leniter fluentes cum Iudæis aſpernantur, qui pacato & humili Dauidis Meſsiæ imperio neglecto, ad Iſraelitas, aureos uitulos in ſplendido regno adorantes, & ad Rezinem præputatorum Syrorum regem deficere ſtudent. Deponendus typus.

Qui aſſumpſit magis Rezin.) Defectionis perfidia exprobratur: ut etiam tempore Ezechiæ legimus, fuiſſe qui ad defectionem à regno humili Dauidis aſpirarent.

Propter hoc ecce Dominus adducet.) Talionis lege cum ſuis agit Dominus: his reprobantibus Siloæ aquas leniter fluentes, uehementem & abundantem fluuij aquam in eos adductum iri. ſignificato figuratè Aſſyriorum rege, omnia in Iudæa inſtar inundantis fluminis uaſtaturo. Per contentionem igitur placidis Siloæ aquis uehementes fluminis aquas opponit. Submota umbra, idem accidit illis qui contemptis ſalutaribus Euangelij aquis, uehementibus turbidis & cuncta perdentibus ſpiritualis Aſſyrij, qui Antichriſtus eſt, aquis exponun-
Hieremi. 2. tur. aquis inquam, de quibus Hieremias his uerbis meminit: Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderũt ſibi ciſternas diſsipatas, quæ ſuſtinere non ualent aquas.

Et omnem gloriam eius.) apparatum bellicum eius. Paraphraſtes, omnem exercitum eius.

Et ſuper omnes riuos eius.) Seruat metaphoram fluminis: hoc, ſuperatis alueis & ripis, inundaturum in Iudæam. cui etiam alas affingit, indicato, hoſtem citò omnia uaſtaturum. Alæ etiam aciebus apponuntur. Græci habent περιβολὴ ὠτῶν.

Vſq; ad collum.) Hieroſolyma figuratè ſignificatur. Quare Paraphraſtes: Inualeſcit uſq; ad Hieroſolymam. Gradatione augẽdi periculum gratia utitur. primò affluere flumen, deinde ultra alueum & ripas ſupergredi: tum ita creſcere, ut totum corpus contegat, capite ſolum ſupra aquas extante, defendẽte id Immanuele, de quo ſequitur mentio.

O Emmanuel.) Admirabundi & commiſerantis ſuorum ſtatum uox. O Immanuel, quî ſuſtines ſic tuos perdi hoſtili diluuio? Reſpicitur ad ſignum de quo ſuprà: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Immanuel. qui in ſignum promiſſus fuerat, Hieroſolymã neq; à Syris & Ephraim, neq; ab Aſſyrio ſubiugatum iri.

Congregamini populi.) Præceſſerat de internis & externis hoſtibus, de ſeditioſis in Iudæa tribu, & de Aſſyrio cuncta uaſtaturo graue uaticinium. iam ad pios & ſacras reliquias conſolandas per apoſtrophen ſe conuertit, uſus ad hoſtilia conſilia & conatum deridendum ſarcaſmo: Confringite & confringemini: Agite uos hoſtes Ephraimitæ, Syri, Aſſyrij, & qui in Iudæa cum illis conſpiratis, omnia ueſtra conſilia & ſtudia in unum conferatis, ad Hieroſolymam & eius regnum euertendum: nihil tamen efficietis, ſed ipſi fruſtati ſpe ueſtra, cum contemptu abibitis. Magna eſt hæc omnibus temporibus, quibus Eccleſia infeſtatur, conſolatio: hoſtes aduerſus illam, quamlibet opibus & potentia ualeant, uictoriam minimè obtenturos. Hac conſolatione temporibus Apoſtolorum aduerſus rebelles Iudæos & gentes, tyrannos, aduerſus ſpiritualem Aſſyriũ Antichriſtũ, qui tum cœperat tyrannidem ſuam oſtendere, Eccleſia ſe confirmabat. noſtris temporib. ut ſe contra Ephraimenſes, hoc eſt falſos fratres, contra Aſſyrium, hoc eſt Antichriſtum & pſeudoprophetas ſe conſoletur, tempora motibus & afflictione plena eam impellũt.

Etenim

Etenim ut est in Apocalypsi Ioannis, ciuitas magna Babylon, hoc est regnum Antichristi in tres partes diuiditur, cum quibus Ecclesiæ cœlesti Hierosolymę belligerandum est, Iudęos, Mahumetanos, & eos qui uulgò Christiani appellantur. Nam ut filius perditus in Iudæis per nouas & abrogatas traditiões, in Mahumetanis per Alcoranum, & in uulgò Christianis per humanas doctrinas & idololatriam regnet, satis est manifestum. 16.

Confortamini.) Repetitione colorat insultationem in hostes: Accingite uos ad prælium contra Hierosolymam. Noster similiter Paraphrastes interpretatur, qui pro accingendi uerbo reddit roborandi: quòd qui se roborant, non discincti, sed accincti ut sint, dant operam. Similiter LXX, ἰσχυνάτως.

Inite consilium.) Aduersus Hierosolymam. Imperationis contemptum, & derisionem hostium, in Messia continet. De quo contemptu aperte in Psalmo: Qui habitat in cœlo, irridebit eos. Psal. 2.

Et dissipabitur.) Suprà leguntur hostes dicere: Ascendamus ad Iudam. contra quos Dominus: Non stabit, non fiet. & de Assyriorum uano consilio infrà capite XXXVI: Non ingredietur in urbem hanc: & hic, Inite consilium & dissoluetur. Sed per quem irritum fiet? Sequitur:

Quia nobiscum Deus.) Messias Immanuel significatur: hunc ad soluendum hostium consilium à sua Hierosolyma stare, qui repressis hostium consilijs & conatu, uelit & possit illam seruare. Nam in uerbo עמנואל, facultas seruandi cũ uoluntate coniuncta significatur: facultas quidem, in eo qui Deus sit: uoluntas autem, qui à nobis sit. Quæ duo agnoscere in Christo, filio Dei uiuentis, ad salutem comparandam & conseruandam necessarium est. Alterum, eum Deũ ex Deo esse, pari cum Deo patre potẽtia & sapientia: alterũ, eum à nobis stare, nobis fauere, & ex animo bene uelle. Hæc in animis nostris diuino spiritu obsignata cum sunt, cum uate Dauide canimus: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecũ es Domine. Similiter Iobus: Licet occidat me, uiuam. quod est עמנואל. Psal. 22.

Sicut in manu forti.) Post institutam ad hostes apostropham, ad reprehensionẽ improborum, & consolationem proborum, pro munere prophetico redit. In חזקתי, Paraphrastis sententia, uehemens & seuera prophetia & admonitio accipitur, manu pro prophetiæ spiritu usurpata, ueluti sumitur apud Ezechielem: Et manus Domini super me ualida. Sententia igitur est: Spiritu prophetiæ fortiter correptum uatem. Sunt qui per Ethopœiam, hoc est, morum fictionem, Deum ad uatem quasi manu prehensum uerba fecisse uolunt, ut solẽt pędagogi suos discipulos manu prędendere, eos docturi aliquid. 2.

Erudiuit me.) Explicatur ualida manus. Nam in Hebræo uerbo, seuerior admonitio ac castigatio notatur. Sed qua de re monuit seuerè? Sequitur:

Non dicat conuratio.) Admonentur de cauenda aduersus humile Dauidis regnum conspiratione, quam hostium metu faciant. Vt reperti sint, qui Dauidis regnum Assyrijs prodere tentarint, Sobna exemplo est. de quo suo loco meminerit propheta.

Et timorem eius.) Adhortatio hæc fidem commendat, qua una mundus cum omni sua potentia, & Satan mundi princeps uincatur, duce Immanuele Messia, in fœmore suo scriptum tenente: Rex regum, & Dominus dominantium. de quo sequitur: Apocalyp. 19.

Dominum exercituum.) hunc titulum iure uictoriæ nactum.

Sanctificate.) fide tanquam inuiolabilem colite: secus quàm faciunt, qui offensi eius humili specie, ad eum tãquam ad offendiculi petram impingũt. De qua petra mox fiet mentio.

Ipse pauor uester.) Quem metuatis ut Dominum omnium, & eo fide & spe tanquam seruatore uestro nitamini, qui uos curæ habeat: ut qui in mundum hunc

uenerit, ad seruandum quod perierat. Hunc igitur metuendum, non hominem, qui caro sit. Hæc contentio illustrem facit hortationem, hostium imbecillitate eleuata, & Immanuelis fortitudine & potentia amplificata. Hortatio
Matth.10. hæc ab ipso Immanuele apud Euangelistam explicatur: Ne terreamini ab eis qui occidunt corpus, & postea non habent amplius quod faciant: ostendã autem uobis quem timeatis. timete eum, qui posteaquàm occiderit, habet potestatem conijciendi in gehennam. Nam Messias Dominus exercituum est, & Immanuel: ad quem hostes cinis & puluis sunt, atq; fumus, ut suprà titioni fumanti comparantur. Dicitur Deus pater Dominus exercituum, qui à se talis sit: Messias autem, ut filius eius à Deo patre. Sanctificatur uterq;, & pater & filius Messias. Alter, qui à se sanctus sit: alter, qui à patre, ex quo ut Deus filius sanctus est. Est & Deus pater Immanuel, hoc est, nobiscum Deus: sed qui nobis Immanuel sit per filium Messiam Immanuelem, cuius merito nos patri reconciliemur, & per cuius spiritum nos Deum patrem appellemus, clamantes Abba pater.

Et ipse terror uester.) In uoce Hebræa robur etiam ac fortitudo notatur: eum uobis metuendum, in quo & uos iuuandi robur, & uis euertendi hostes insit. Hinc Messias petra, ut suis locis ex uate nostro patebit, ob robur & firmitatem appellatur. Quare uox Immanuel in nullum hominem præter Messiã cõgruit, in quo uno tota diuinitas corporatè habitat. Vnde is meritò etiam שרי diuino nomine appellatur, ut qui omni bonorum copia affluens sibi satis sit, & ut cætera omnia satis sibi sint, tribuat cuique modum & mensuram certam,
33. quantæ capax sit & particeps. de quo nomine שרי, in libro Iobi, capite trigesimotertio נשמת שרי תחיני: hoc est, & halitus שרי uiuificabit me. Qui Messiæ dicitur halitus, corpora mortuorum ad uitam reuocaturus. At an ita accipiendum sit, in Iobo indicatum est.

Et erit uobis in sanctificationem.) Fidem sibi habentibus erit sanctitas, hoc est firma aduersus hostes salus. Suprà legimus, Dominum exercituum sanctificate: hic, ipse erit sanctitas, indicata communicatione sanctitatis, quę de Immanuele per fidem sanctè eum colentibus communicatur. Qui est spiritus sanctus, de Immanuele tanquam capite in corpus, Ecclesiam & eius membra dimanans. De hac sanctitate suprà idem propheta noster: Omnis qui relictus fuerit Hierosolymis, sanctus uocabitur. Græci quoque מקרש uertunt ἁγιασμόν. Sunt quibus מקרש hic sanctuarium est, hoc est locus in quo securè & tuto uersêre. Citant locum illũ, רמלך מקרש תראו. Cæterùm ut Christus Immanuel suis factus est sapientia, iusticia, sanctitas & uita, ita non credentibus petra offendiculi, ut sequitur:

Et in petram scandali.) De Messia petra offendiculi, sic apud Lucam Simeon
Lucæ 2. loquitur ad Mariam uirginem, prophetam nostrum interpretans: Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur. Igitur petra hæc offensionis, Messias erit, à uate Dominus exercituum appellatus. Qui quidem temporibus Iesaiæ offendiculo fuit sub typo humilis Dauidis regni, Israelitis & Iudæis, & Syris gentibus stultitiæ. temporibus autem plenitudinis ut is præsentatus in mundum, sine typo & figura familiæ Iacobææ offendiculo fuerit, & gentibus stultitiæ, satis compertum est:
2. Corinth.1. Quem Apostolus Iudæis offendiculo & gentibus stultitiæ fuisse dicit. Bifariam autem offensioni est Messias: primò, quòd fides quæ ei habetur, omnia quæ sunt præstantia in mundo euertit, ut sunt sapientia humana, iusticia legis & factorum, omnisque religio quæ Euangelio non continetur. Quæ omnia cum traduntur apud Deum nullum momentum habere ad comparandam salutem, offenditur mundus, in Messiam Immanuelem cœlestem doctorem impingens. In quo mundo hodie, in regno stulti pastoris infini-

tus

tus penè numerus occurrit eorum, qui Christo & eius doctrina offensi, tenebras humanæ sapientiæ pro luce, mendacia pro ueritate, hypocrisim pro uera religione tuentur. In quos suprà his uerbis propheta noster inuehitur: Væ qui dicunt tenebras esse lucem, & lucem tenebras. Deinde offendiculo est mundo Immanuel Christus, cum salutem mundo crucí affixus attulisse proponitur. Vt cum docetur, eius cultores debere in peccato gratiam & patefactionem iusticiæ, in morte uitam, in inferno cœlum, in opprobrio crucis gloriam & splendorem æterni regni quærere: & confitendum, filium Dei naturalem in carne apparuisse, & in ea afflictiones uarias toleraſſe, tandemque mortuum inter latrones suis per mortem uitam æternam conciliasse. Hæc credere, pro stultitia habet mundus, & qui in eo uersantur sapientes. In ea offensione sunt ludæi & Mahumetani, & qui pastorem fatuum abyssi legatum adorant. Nam is incurrens in Messiam, fidem in eius sanguinem ad luendam noxam mundi, & ad comparandam salutem citra uires liberi arbitrij, citra merita factorum, citra inuocationem diuorum & superstitiosam elementorum mundi ab ipso traditam obseruationem, satis esse non credit. Sed quid his qui sic offensi impingunt, accidit? Sequitur:

Et in laqueum.) Quo per incredulitatem suam mortis & interitus laqueis capientur. Qui est condemnationis ad æternum exitium laqueus, de quo Immanuel ipse: Qui autem non crediderit, condemnabitur. laqueo condemnantis per legem conscientiæ irretitus. *Matth. ult.*

In ruinam.) Qui recti per fidem consistere nolint, malintq; in infernum ruere cæci, quàm uidentes cœlum cum Messia conscendere, plenum splendore æternæ uitæ & gloriæ.

Et conterentur.) A lapide Messia. De quo ipse apud Euangelistam: Super quem ceciderit lapis iste, conteret eum. Ceciderit autem, cum eo pro tribunali sedente, & sententiam ferente, rebelles onere peccati grauati, sub accusante & condemnante lege, in abyssum plenum tenebris & diris grauis iudicij præcipitantur. *Luce 20.*

Et irretientur.) laqueo, de quo præcesit. Quatuor nominibus, offendiculo, ruina, laqueo, tendiculis, quatuor uerba altera ex parte respondent: impingent, cadent, irretientur, capientur. Scita similiter desinentium in Hebræo figura est, amplificandi gratia à propheta diuino oratore usurpata. Non solum offendent, sed etiam cadent: non solum cadent, sed etiam cadentes irretientur laqueo, ut se explicare nequeant: non solum laqueo irretientur, sed etiam irretiti capientur: & ut capti erunt, lapide Messia oppressi conterentur. Tantum malum est incredulitas, & bonum fides, quæ credentes ab omni pernicioſa offensione, casu, ruina & laqueis tutos reddit. Dicas, Christum de se dicere: Ego sum uia, ueritas, uita & resurrectio: quomodo ergo eum propheta offendiculum, & laqueum ac tendiculam fore ad casum & ruinam letalem, uates prædicit? Natura quidem uia, ueritas & uita Christus IESVS ijs est, qui ei fidem habent: offendiculum uerò ad ruinam diffidentibus, quorum perditio non ex illo ipso est, sed ex ipsis est, qui diffidendo Euangelio, uitio naturæ suæ malint perire, quàm fidendo seruari. *Ioan. 14.*

Liga testimonium.) Præcesserat, multos per diffidentiam in Christum incursuros: qui quoniam non accipient, per obturationem pectoris, Euangelij lucem, præcipitur uati ut liget testimonium, & legem obsignet. Quorum uerborum uaria interpretatio est. Vna est, oraculum hoc propter mysterium ligandum & obsignandum esse. Nouissimis enim temporibus patefactionis Christi, hæc quæ iam sub Ephraimensium, Syrorum & Assyriorum, atque Hierosolymæ typo dicuntur, manifesta fore,

ſignato libro ſigillis ſuo tempore aperiendo. Similiter apud Danielem oracu-
12. la clauſa & obſignata uſq; ad definitum tempus in decretis Dei leguntur, & a-
Apocal.5. pud Ioannem de libro ſignato ſeptem ſigillis fit mentio. Quò ſpectans Apo-
Rom.16. ſtolus, ſic ait: Iuxta patefactionem myſterij temporibus æternis taciti, manife-
ſtati uerò nunc, & per ſcripturas propheticas iuxta delegationem æterni Dei
in obedientiam fidei in omnes gentes patefacti. Ex quibus uerbis patet, myſte
ria regni cœleſtis tempore prophetarum obſignata fuiſſe, & non prius eorum
librum aperiri cœpiſſe, quàm tempore patefactionis Euangelij Domini no-
ſtri IESV Chriſti. Mandatum igitur uolunt, ut hoc myſticum oraculum uates
Ieſaias & eius diſcipuli, docti ſpiritu homines, in pectoribus ſuis clauſa & obſi-
gnata teneant, uſq; ad tempus quo placiturum ſit Deo id mundo patefacere,
apertis myſteriorum libris, & depoſito ab oculis Iſraelitarũ uelamine, de quo
2. Corinth.3. Apoſtolus in hunc modum in epiſtola ad Corinthios loquitur: Num uſq; ad
diem hodiernum, idem uelamen in ueteris Teſtamenti lectione manet, nec tol
litur uelum quod per Chriſtum aboletur. Propter quod uelum legi hic, Obſi-
gna legem in diſcipulis meis: nomine legis, myſticis oraculis ſignificatis. Hæc
interpretatio arcanis prophetarum uaticinijs, temporibus nouiſsimis patefa-
ctionis Chriſti & Antichriſti implendis & aperiendis apta eſt. Altera inter-
pretatio eſt, iuberi uatem cum diſcipulis legem diuinam ligare in pectoribus:
quam ſeruent, ſi cæteri ab ea ſeruanda abhorreant. Demum ſunt qui ad Chri-
ſtum & eius Apoſtolos, & qui horum doctrinam receperint, hæc uerba inter-
prete epiſtola ad Hebræos referenda eſſe uolunt: Chriſtum nimirum dicere,
etſi multi ex Iſraelitis cadent, & impingent in me, tamen erunt etiã qui mihi fi-
dem habebunt, meiq; diſcipuli erunt, in quibus teſtimonium mei Euangelij li-
gabitur, & ſpiritu meo obſignabitur: quo afflati mihi credent, nõ cum reliquis
Matth.13. diffidentes cadent. de quibus Chriſtus his uerbis loquitur: Vobis datum eſt in
telligere myſteria regni cœlorum. Atq; id eſſe quod hic legimus: Liga teſtimo
nium & obſigna legem in diſcipulis meis.

Expectabo Dominum.) Meſsiam, qui librum ſalutis iam clauſum & obſignatum familiæ ſuæ Iſraeliticæ & gentibus in orbe terrarum aperiat, fuſo de cœlo pate-
factore myſteriorum ſapientiæ Euangelij ſpiritu. Hæc uerba, prophetæ uerba
ſunt, ſeſe ad Dominum per apoſtropham conuertẽtis in perſona omnium ſan
ctorum, qui in media afflictione, qua Eccleſia intus & foris infeſtatur, ſperant
Dominum affuturum, atq; uultum gratiæ & clementiæ ad tempus oſtenſurũ,
in his præſertim nouiſsimis patefactionis Euangelij temporibus: utriſque gen
tibus & Iſraelitis ab erroribus profanationis ſpiritualis liberandis. Veluti infrà
Meſsias Immanuel, abſconſi uultus & eius detegendi myſterium patefaciens,
dicit: Momentanea ira pauliſper abſcondi uultum meum à te, & æterna cle-
mentia miſerebor tui.

Ecce ego & pueri mei.) Si prophetam ſpectes, & eius diſcipulos, uerè hi Iſraelitis
rebellibus portento fuiſſe dicuntur, ob conſtantem ueri Dei cultus profeſsio-
nem: ſin Meſsiam, & quibus ipſe myſteria regni ſui manifeſtat, ut hi tempore
Apoſtolorum oſtentui fuerint, & hodie qui ſpiritu Dei docti Euangeliũ pro-
fitentur, mundo & eius paſtori Antichriſto portẽto ſint, ſatis manifeſtum eſt.
Cæterùm qui ſuprà uocantur לְמוּדִים, hoc eſt diſcipuli, hic יְלָדִים, hoc eſt nati
ac pueri appellantur. Quòd qui Meſsiæ ſpiritu docti ſalutis myſteria intelli-
Ioan.1. gunt, Dei filij, ut eodem ſpiritu nati, nominantur, de quibus illud: Ex Deo
nati ſunt. qui infrà docti à Deo dicuntur. Continet enim doctrina cœleſtis ſe-
1.Petri1. men diuinum regenerationis, de quo Petrus: Renati non ex ſemine mortali,
ſed immortali, per ſermonem uiuentis Dei & manentis in æternum.

Ioan.6. *Quos dedit mihi Dominus.*) Si Chriſtum ſpectes, legis apud Ioãnem: Pater quos
de diſti mihi. item: Nemo poteſt uenire ad me, niſi pater qui miſit me, traxe-
rit

rit illum. Quod autem sequitur, A' Domino exercituum: Messias significatur, per quem, & in quo, hoc est per sacrum eius spiritum, contingat intelligere mysteria regni cœlorum. Igitur ex hoc loco cognoscimus nomen tetragrāmatum יהוה utrique competere, patri & filio Christo. Sic apud Osæam uatem legimus, Dominum in Domino misericordiam domui Iuda daturum. ubi legitur: Et saluabo eos in Deo יהוה. ubi Messias Iehoua appellatur, per quem Deus pater Iehoua suos sit seruaturus. Qui est illud uerbum sanans, de quo in Psalmo: Mittet uerbum suum, & sanabit eos. Hoc autem uerbum Messias est, quod à Ioanne explicatur: In principio erat sermo. Sin uerò uerba hæc, Quos dedit mihi Dominus, referes ad Iesaiam uatem: sententia erit: hunc fateri, Dominum Deum pueros ac discipulos, quos oraculari doctrina formaret, & in eius fide retineret, sibi dedisse. Osee 2. 107. Ioan. 1.

Qui habitat in Sion.) Qui mons partim templo & regia sede Dauidis, partim Euangelij lege ex eo primùm promulgata, partim figura qua cœlestis mons Sion figuratus est, clarus & inclytus habetur.

Et cum dixerint.) Præcedit: Qui habitat in monte Sion, ad propitiatorium sacra sua responsa reddens. iam admonet suos, ne patiantur se à diuinis oraculis ad uana falsa que dæmonum responsa auocari. Itaque si uatis tempora consideres, quia tum Pythonibus & magis omnia impleta erant, is suos quos doctrina sacra instituebat, hortatur, ne à diuinis oraculis ad falsa Pythonum ac magorum responsa se conuertant. Sin uerò Christi tempora spectes, occurrit admonitio illa, qua Dominus noster discipulos suos hortatur, ne pseudoprophetis fidem habeant. Quadrat igitur hæc admonitio ad quæcunque uerbi Dei prædicationis tempora, quibus ad sacram doctrinam animus sit aduertendus, non ad falsam, quam dæmonum spiritu afflati uates afferunt, quibus hodie Antichristi regnum plenum est. Cæterùm apud Hebræos אוב lagunculam significat: ut patet ex illo Iobi אבות הרשים. quòd dæmonio correpti homines responsa reddant obtusa uoce, perinde quasi è lagunculo loquerentur. Huc pertinent responsa Pythia, Dodonæa, Hammonia, & quæ ex mortuis dæmonum ludibrio euocatis eduntur, quo genere uaticinandi usus est Saul contra legem illam: Neque à mortuis quærito ueritatem. Græci reddunt ἐγγαστριμύθους, hoc est uentriloquos, uentris, qui ipsorum Deus est, caussa uaticinantes: uel qui ex uentre, ore clauso, responsa sua mussantes edant. Quò pertinet mussitandi uerbum, & murmurandi, in Hebræo, à propheta nostro usurpatum. Quantum autem ad ידעים uocem attinet, generatim ea omnes diuini significantur, qui rerum futurarum præsensionem ac scientiam sibi arrogant: à ידע, sciendi uerbo decisa uoce. Hos Septuaginta alicubi γνώστας reddunt. Quales sunt, qui dæmonum præstigijs fascinati, ex terra, aqua, aere, igni, animantium membris, ossibus, ex auium cantu & uolatu, ex extis, ex sortibus, & alijs eius generis superstitiosis artibus diuinant. Quos sacro Messiæ spiritu afflatos prophetas agere conueniebat, qui solus & unicus ueritatis spiritus est: ea patefaciens quæ ad glorificandum Deum, & ad salutem afferendam mundo pertinent. Quare sequitur: Matth. 24.

Nunquid non populus consulit Deos suos?) Quid auocantibus à Dei uerbo & oraculis, respondendum sit, admonet: Populum debere Deum suum consulere, non dæmones: à Deo uiuente responsa quærenda esse, non à mortuis. In mortuis autem numerantur Dij alieni, falsi doctores & prophetæ doctrinas mortiferas afferentes: ut contrà, doctrina quam sancti uates & ueri doctores administrant, uitam apportat. uelut Petrus de Christi doctrina testatur: Verba uitæ æternæ habes. Aut in hunc modum: Si quæque gens suum Ioan. 6.

Deum

Deum colit,& turpe putat ab alijs quàm à ſuo reſponſa petere: cur nos non Deum noſtrum cõſuleremus? num hoc qui uiuus Deus eſt relicto, ad mortuos cõfugiemus? Aut ſic: Vos gloriamini de Deo Iſrael, quẽ colatis: at quomodo dicemini hunc colere, qui eo relicto ad mortuos conuertimini? Vt hæc falſum Deorum alienorum cultum deridentium uerba ſint.

Ad legem & teſtimonium.) non ad dæmonum & falſorum uatum doctrinam: quam qui ſequuntur, relicta doctrina Dei plena uita & luce, eis matutina lux
Ioan.8. non ſplendet, lux uidelicet quæ de ſe dicit: Ego ſum lux mundi. Et Malachias:
3. Orietur uobis ſol iuſticiæ. Per contentionem legem & teſtimonia, hoc eſt oracula diuina & ipſum Euangelium doctrinę falſę opponit, ut uiuos mortuis opponit. Doctrina autem diuina & cœleſtis pro ratione utriuſq; fœderis diuiditur in Moſeam & propheticam, atq; in eam quæ noui fœderis ſcriptura continetur, cuius promulgator Meſsias eſt: ad utramq; animum intendendum. in alteram, quæ per pædagogiam ad Chriſtum ſeruatorem & eius Euangelium uiam munit: in alteram, quæ Chriſtum ipſum præſentem oſtendit, & adoptionis ſpiritum à iure peccati & mortis nos liberantem adminiſtrat. Hanc doctrinam, ad quam Patriarchæ, lex & prophetæ tanquam ad ſcopum collimarunt, ſi quis contempſerit, matutina luce eum carituru, tenebris errorum inuolutum. Admonemur igitur hic, ab omni alia doctrina, quæ doctrinæ quam utriuſq; fœderis ſcriptura continet conſentanea non ſit, cauendum eſſe: qualis eſt Mahumetica, Thalmudica, qua parte ab Euãgelio diſſentit: papiſtica & ſophiſtica, atq; noui Dauidis regis doctrina: ſed ad unum Euangelium, ab Apoſtolis prædicatum, pectus conuertendũ. quæ ſit eius doctoris doctrina, qui neq; falli neq; fallere poſsit. Sunt qui uerba prophetæ hunc in modum interpretantur: Per legem & teſtimonia Dei iuro, ſi non dicent uobis Pythonis & magorum reſponſa eſſe ſciſcitanda, quę luce carent. Paraphraſtes Chaldęus hanc habet paraphraſim: Ne uerbis eorum fidem habeatis, ſed ad legem et teſtimonia à Deo uobis tradita uos conuertatis: quibus ſi nõ reſponderint, certum habete, Pythones magosq; illos uanos eſſe, & indignos à quib. ſciſcitemini oracula.

Pro uiuis ad mortuos.) Præceſſerat de Pythone, cuius ſpiritu correpti, euocatos è ſepulcris mortuos conſulebant, & ab eis reſponſa ſciſcitabanẽ: ueluti ex priore Samuelis libro patet. Igitur ſubijcit hic: Num pro uiuis ad mortuos? Quærat hic aliquis, dęmones ne, an defunctorũ animi ſint, qui putanẽ euocari? Si piorũ animos cõſideremus, hi ſatanis et dęmonũ ludibrio, & eorũ qui dęmonũ ſpiritu aguntur faſcinationi minimæ ſunt obnoxij, ut pro illorũ nutu & arbitrio appareant. ſunt enim ad lucem diuinitatis in Chriſto translati, quibus cum tenebris poteſtatum tenebrarum nihil commune eſt. Sin impiorum animi ſpectentur, Deus ad ſcelera ſceleribus punienda, ſatani interdũ permittit, ut ſuis præſtigijs ſub ſpecie euocatorum animorum mundum decipiat: ut cum ad Antichriſti de purgatorio, de miſsis, de cultu diuorum errores confirmandos proponit non aliter defunctorum animos liberari, quàm ſi certæ ad commiſſa crimina luenda miſſæ ſacrificulo alicui faciendæ mandentur, & peregrinationes ad diuos inſtituantur. Hæc mortuorum reſponſa, dæmonum ludibria ſunt, & faſcinationes: quorũ uanitatẽ diuinus ſpiritus, omnino mendaci ſatanis ſpiritui aduerſus, deteſtatur. de Samuelis euocatione quædam in priore libro Regum annotata ſunt. Cæterùm de dæmonum ortu, natura, generibus, miniſterio, de animorum item piorũ & impiorum ſtatu, quem corpore ſoluti habeant, ut quicquam admoneatur hoc loco, ad prophetæ explicationem nihil intereſſe uidetur. Pergamus igitur.

Et tranſibit per eam.) Explicata admonitione ſalubri, iam pœna qua eius contẽptores afficiãtur, explicatur. Hos famelicos, & præ fame iratos in terra errãtes, regem & Deum execraturos.

Cor-

Corruet.) In Hebræo uerbo rerum difficultas, qua sint laboraturi, significatur. Quæ pœna ex lege talionis irrogatur. Par enim est, ut penuria panis infestentur, qui panem uerbi Dei aspernãtur. In eodem uerbo animi etiam induratio notatur, eos aduersus admonitiones Dei indurescere, non secus atq; lutum ad solarem lucem indurescit. Vnde intelligimus, hostes uerbi Dei foris & intus difficultate rerum laboraturos: foris rerum inopia, & uarijs ab hoste uexationibus, direptionibus fortunarũ, exilio, captiuitate: intus excæcatione animi male sibi conscij, iramq; diuinã sentientis de peccato. Quo malo nullũ grauius est: & eo unum uerbum Dei per spiritum fidei liberat, ab impijs contemptum.

Et esuriet.) Penuria utriusq; panis terreni & cœlestis laboraturi: quos Amos propheta dicit circuituros quærentes uerbum Domini, & non inuenturos. Intueamur superiora & nostra tempora.

Irascetur.) Spe frustatus & humani & diuini auxilij. humanum in rege significatur: diuinum in dijs quos frustra sentient se coluisse, Deo uerò cœli & terræ Domino & eius oraculis neglectis. Quem igitur locum tum Pythones, magi, pseudoprophetæ, peruersiq; doctores habebunt?

Et suspiciet sursum.) Quocunque spectauerint, siue sursum in cœlum, siue deorsum in terram, omnia plena fore rerum aduersarum, tenebris & caligine. Paraphrastes scitè in hunc modum: Suspiciet sursum ut quærat liberationem, sed postquam decretum obsignatum est, non assequetur. Propheta noster breuiter describit, qua pœna rebelles sint afficiendi ob scelera sua, & contempti uerbi Dei culpam. Primò, eos toties admonitos, nec tamen admonitioni parentes, indurandos: hoc est, suæ libidini & Satanis potestati, ut pareant, permittendos. Deinde, induratos fame conficiendos: qua fame & rerum necessariarum ad uictum, & doctrinę salutaris penuria continetur. Tertiò, ut uiderint se omni humana & diuina spe destitutos, regi & Deo per impatientiam maledicturos: quæ eos, tempore rerum aduersarum nullam ex Dei uerbo consolationem habentes, uexat. Quartò, eos in summam desperationem uenturos: quæ in illis, dum abest de finienda afflictione spes, nascitur. Sic enim ait propheta: Suspiciẽt cœlum, & despicient terram, & nusquam auxilium. Demum, quod proximum est, eos miserè interituros. Contraria ratio eorum est, quibus uerbi Dei lux affulget, qua præfulgente tum in prosperis, tum aduersis rebus, eos neq; fame laborare, neq; famelicos irasci per impatientiam, neq; de salute in afflictione desperare, neq; desperãtes perire, sed spe seruari. de qua propheta: In te speraui, non confundar.

Et caligo persequens.) In Hebræo accipiuntur propulsi caligine ac nebula. Figuratus sermo sumitur ab ijs, qui tenebris circumfusi, quouis temerè errabundi propelluntur. Hinc de more scriptura, ubi tenebrarum nebulæ ac caliginis meminit, impulsionis ac casus quoq; mentionẽ facit. Sic enim Hieremias: Erit eis uia lubrica in caligine, impellentur & cadent in ea. Contraria ratio lucis est, in qua qui uersantur, non temerè offendentes corruũt ac labuntur. Hinc uates: Lucerna pedibus meis uerbũ tuũ. Qui est Messias benedictus: quo qui regun tur, à casu & ruina tuti sunt. Sic enim is de se loquitur: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Cui contraria est caligo, de qua hic propheta loquitur, qua propulsi miserè corruunt. Et ut tenebris mors notetur, scita compositione זלמות uox declarat.

Et non poterit auolare.) Nõ una interpretatio est horũ uerborũ בי לא מורעת לאשר מוטלה. Nam sunt qui in hunc modum interpretantur: Hostem Assyrium ad Hierosolymam non aduolasse, cum primùm terram sacram cœpisset infestare, sed Zabuloniam & Naphthalienſem terram leniter uexasse. Ab his qui sic interpretantur, מורעת uolandi, uerbo עוף deciditur. Altera interpretatio est, hostem nõ esse מורעת, hoc est lassum, qui à Deo excitatus sit ad Israeliticã terram,

pre-

premendam, ſubinde in eam incurſione facta, donec deuaſtetur. Ad hanc interpretationem ſequentia uerba congruere uidentur. Tertia eſt, ludęum populum non fuiſſe מרעה, hoc eſt tenebris & caligine circumfuſum: id eſt, fratrum ſuorum miſeriem non ſenſiſſe, neq; eorum calamitate tactum, cum hoſtis Aſſyrius primò Zabuloniam & Naphthalienſem tribum bello uexaret: atq; ita meritò tandem Iudæos quoq; hoſtilem impreſsionem expertos, qui fratrum ſuorum calamitate adducti non eſſent, ut uitam emendarent. Hanc interpretationem confirmat Amos propheta, ubi ait: Neq; Ioſephi, hoc eſt decem tribuum
6. calamitas eis dolet: quorum ſuperbiam, luxum, auaritiã, ambitionem, ut inibi taxet Amos, apud ipſum uideris. Quæ igitur ſequuntur, ad ſuperiora cohęrẽt.

IN CAPVT NONVM.

PRIMO *tempore alleuiata eſt.*) Si hiſtoriæ myſticæ filum ſequare, hæc quæ hic in propheta leguntur, ad ea tempora referenda erunt, quibus primò Rubenis tribum, & dimidiam Manaſsis, Zabuloniam & Naphthalienſem Theglatphalaſſar Aſſyriorum rex in exilium abduxit. deinde Samaria capta poſt triennem obſidionem, reliquum decem tribuum populum Salmanaſſar in Aſſyriam tranſtulit. atq; hoc ipſum eſt quod hic legimus, ab hoſte primùm leuiter terram ſacram afflictatam, deinde grauiore clade affectam, demum decem tribus uexatas, & in hoſtilem terrã abductas. Sin uerò ſubmota umbra, ea conſideres, quæ ſub myſticæ hiſtoriæ uelo tecta ſunt: occurrunt Domini noſtri IESV Chriſti tempora, quib. quę hic de luce magna, quæ populo in tenebris uerſanti affulgeat, dicuntur, impleta
Matth. 4. eſſe confirmabimus. Ad quam impletionẽ reſpiciens euangeliſta Matthæus, quæ hic ſcripta ſunt, ad præſentati Chriſti in mundum tempora refert, LXX interpretum uerſionem, ut tum uulgatam, ſecutus. Atqui tutiſsima myſticam ſcripturam interpretandi ratio eſt, ut utriſq; literæ ac hiſtorię & rebus prę figuratis ſuum tribuentes, ex ueteris fœderis ſiue rerum ſiue perſonarum umbris, ea quæ ad Chriſtum & eius Eccleſiam pertinent, ad fidei normam, tribuamus: corporatis corporatè, & ſpiritualibus ſpiritualiter dijudicatis. Vt autem hoc in oraculari hac concione faciendum ſit, ſuis locis indicabitur.

Via maris.) Tiberiadis lacus, qui & Galilææ inferioris & Genezarethanus lacus appellatur, qui ab una parte Iordane reſtagnante efficitur, ab altera in eundem fluuium influit. Hunc lacum uerſus ab hoſte trans Iordanem tribus Iſraeliticas uexatas, & Galileam gentium miſerè uaſtatam, hæc oracularis narratio indicat, ut ſequitur.

Galilea gentium.) Hæc ſuperior Galilea eſt, gentium Galilea uocata, quòd uicina gentibus, Tyro uidelicet & Sidoni, Cæſareæ Philippi, Phœnicibus & Syris eſſet. Vnde גליל nomen mutuatum, quod confinium eſt. Poteſt etiam hic mare magnum accipi: uſq; ad mare occidentale terram ſacram ab hoſte infeſtatam, tribus terminis indicatis, ſeptentrionali, orientali, & occidentali: orientẽ Iordane, occidentem mari mediterraneo deſignante.

30. *Populus qui ambulabat in tenebris.*) Si hiſtoriæ filum ſequimur, ex Paralipomenũ libro altero liquet: ut Ezechias rex nobis Meſsiam præfigurans, ad reliquias decem tribuum legatos miſerit, eas accerſitum Hieroſolymam ad Peſah celebrandum. Quæ tribus à tempore Ieroboami falſum uitulorum cultum perſequentes, in tenebris uerſatę ſunt: & regnante Ezechia, pro ratione temporum eis lux affulſit. Has enim ſanctus rex his uerbis ad pœnitentiam reuocauit: Redite ad Dominum Iſraelitæ, Abraami, Iſaaci & Iacobi Deum, ut ipſe uiciſsim redeat ad ueſtrũm reliquias, quæ regum Aſſyriorum manus euaſerunt. Atque ex his Zabuloniorum & reliquarum tribuum ut nonnulli Hieroſolymam uenerint adoratum Iehouam, in eiſdem Paralipomenis proditum eſt. Hactenus

de

de mystica hístoria. Huius uelo reducto, occurrunt tempora seruatoris Messiæ, quibus cum spiritualis Assur cuncta in Israelitis uastaret, ut reliquijs Israeliticæ gentis clara lux illuxerit, declarat Apostolus in epistola ad Romanos, ex nostro propheta citato testimonio, initio facto illustrationis in Zabulonia tribu & Galilęa. Sic enim scriptum est in Euangelio Matthæi, describentis nobis initia concionum & miraculorum Christi: Audiens autem Iesus captũ esse Ioannem, petijt Galilęam: & relicta Nazareth profectus Capernaum, ibi commoratus est, quæ est maritima ciuitas in finibus Zabulonis & Naphthalim, ut impleretur quod dictum erat à Iesaia uate in hunc modũ: Zabulonis & Naphthaliensis terra, mare uersus trans Iordanem, Galilęa gentium. Populus qui sedebat in tenebris. In hac Galilæa, Ecclesia primò præfulgente Euangelij luce extrui cœpit, lectis etiam in ea Apostolis, ut est apud Euangelistam: Ambulãs autem Iesus apud Galilęæ lacum, cum uidisset duos fratres Simonem cognomento Petrum, & Andream eius germanum, rete iacientes in lacum, dixit, Sequimini me, & faciam uos hominum piscatores. Apud Lucam item legimus, ut cœperit Iesus Nazarethę, quæ Galilęæ oppidum est, Iesaiæ de se uaticinium cum magna sui apud auditores admiratiõe exponere: Ex eo quod unxerit me Dominus, &c. Ideo in Actis scriptum legimus: Sermonem quem misit Deus, filijs Israel annuncians per IESVM, hic est Dominus omnium, ipsi nostis: de quo fama diuulgatũ fuit in tota Iudæa, rumore primùm orto de Galilæa. Atq; hoc ipsum est, lucẽ magnã affulsisse populo sedenti in tenebris. Itaq; neq; in ea tempora quibus Iesaias uixit, hæc quæ hic narrantur, solùm congruunt, ut uolunt Hebræi interpretes: neq; rescisso hístoriæ simplici filo, tantum in Christi secula hæc referentur: sed utróq; referuntur, certa tamen cum ratione iam indicata. Quare mirum sit, esse qui quod hic legitur Galilæa gentium, uocationem gentium indicari uolunt, atq; gentes esse illum populum qui lucem magnam uiderit. Nam gentes cõprehendi in hac narratione, neq; uaticinium prophetæ, neque Euangelista, neque Christi munus, quo tum cum in terris uersaretur in statu crucis, patitur. Vaticinium enim nullam de gentium uocatione mentionem facit, sed de Zabulonijs & Naphthalienſibus & Galilęis, quos diuina Euangelij lux illustrarit, ut tenebræ eos occupassent. Quod autem Galilęæ gentium fit mentio, hoc non ideo fit, quia diuinus spiritus uoluerit gentilem populum significari, cui Christus Euangelium prædicarit: sed ratione quę suprà exposita est, sic uocitata fuit. Etenim Euangelista non pro gentibus testimonium ex propheta Iesaia citat, sed pro Zabulonijs & Naphthalienſibus: hoc est, pro ijs qui in tribubus istis ex Israelitis primùm Euãgelij luce illuminatisunt. Sic enim apud Matthæum scriptum est: Circumibat totam Galilęã, docens in synagogis illorum, ac prędicans Euangeliũ regni. Ecce Euangeliũ non gentibus ambulantibus in tenebris, sed Israelitis, nimirum in synagogis uersantibus, prędicatũ legimus. Nec postremò Christi munus ac functio illorum sententię suffragatur, qui uenissent primò ad seruandas oues perditas domus Israeliticæ, nõ gentes à rep. Iacobæa alienas. Sic enim legimus Dominũ Chananęę mulieri respondisse: Non sum missus nisi ad oues perditas Israelis. itẽ: Et alias oues habeo, quæ non sunt de ouili hoc, eas quoq; oportet me adducere. Huc facit mandatũ quod Apostolis datũ legimus: In uiam gentiũ ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorũ ne intraueritis, sed ite potius ad oues perditas domus Israel. Demùm prędicationis Euangelij iter non prius patefieri potuit ad gentes, quàm Christus è mortuis excitatus cœlos penetrasset, misso de supracœlesti throno spiritu sancto, qui legis maceriem quæ gẽtes ab Israele separauerat, rumperet, utriſq; cõmuni salute facta, ut id claris uerbis Apostolus in epistola ad Ephesios comprobat, & illud in Actis: Et obstupuerunt ij qui ex circumcisorum genere credebant, quotquot uenerunt cum Petro, quòd & in gentes

Matth. 4.

Matth. 4.

Lucæ 4.

Matth. 15.

Ioan. 10.

Matth. 10.

Actor. 10.

ſpiritus ſancti donum effuſum eſſet. Hinc efficitur, locum à Matthæo euangeliſta ex Ieſaia uate adductum, nõ de gentibus, ſed de Iſraelitarum reliquijs eſſe interpretandum.

Vidit *lucem magnam.*) Quæ de ſe prædicat: Ego ſum lux mundi. Hanc opponit tenebris, de quibus apud Ioannem, Et lux in tenebris lucet: lux uidelicet Meſ-
1. ſias, de qua luce in Pſalmo, Lux orta eſt iuſto. ubi, etiam ueterum Hebræo-
97. rum ſententia, lux hæc Meſsias benedictus eſt. Similiter in Pſalmo trigeſimo-ſexto: Quoniam tecum eſt fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Is aũt fons uitæ & lumen Meſsias eſt, quem populo in tenebris uerſanti illuxiſſe legimus: qui etiam ut illuceat gentibus, infrà uates noſter oſtendit his uerbis, 10
Dedi te in lucem gentibus. In hac luce genitalis calor, ueritas, iuſtitia & uita continentur, & contraria in tenebris. Magna conſolatio eſt, ſcire hanc lucem in tenebris uerſantibus, hoc eſt cæcis & afflictis lucere. Sicut hic uates dicit: Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam. Itaque hæc
Matth. 11. lux ad conſolandos afflictos ſic ait: Venite ad me omnes qui onerati eſtis, ego uos reficiam. Beati qui ſuas tenebras agnoſcunt, ad quas pellendas Meſsias lux uenit in mundum: qui non uenit propter uidentes & iuſtos, ſed propter cæcos, quos uidentes, & propter iniuſtos, quos iuſtos ad pœnitentiam uoca-
Ioan. 9. tos reddat. Hinc de uidentibus phariſæis apud Ioannem ſic loquitur: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc autem cum dicitis Videmus, peccatum 20
ueſtrum manet. Præſtat igitur, non uidendo per lumen ueteris naturæ, in luce noui hominis ſeruari: quàm uidendo, uenditatis tenebris pro luce, perire cum mundi huius ſapientibus, in quos ſuprà uates noſter his uerbis inuehitur, Væ qui ſapientes eſtis in oculis ueſtris.

Multiplicaſti gentem.) Si hiſtoriam ſpectes, conſtat, ut legati ab Ezechia miſsi ad reliquias decem tribuum, à multis, Hieroſolymam & lucem Ezechia regnante exortam auerſantibus, deriſi ſint. Sin ea tempora conſideres, quibus Chriſtus cœpit Euangelij lucem ſpargere, ut multi repudiarint illam, pauci uerò cum gaudio receperint, declarat illud: Multi uocati, pauci electi. Et ſi Gallilæam intueare, legis apud Matthæum, ut Chriſtus ciuitatibus in quibus edita 30
fuerant miracula, exprobrarit, quòd cõtempta luce tenebras perſequerentur, ad meliorem uitam, mala relicta, non redeuntes. Sunt qui in hunc modum interpretantur, multiplicatam gentem & lætitiam, לֹא lecto, non לוֹ, hoc quidem ſcripto, illo uerò lecto: gaudio affectam fuiſſe Hieroſolymam proſtrato ante eam Aſſyrio, liquidum eſt. Lætitia uerò quanta allata ſit tempore Meſsiæ ſpi-
Ioan. 16. rituali hoſte uicto, & reliquijs aſſertis, declarat illud Chriſti: Et gaudebit cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis. Itaq; utrunq;, gaudium & triſtitia, ſignificatur hic. Porrò ſi Chriſtum ſpectes, is pectora piorum per ſpiri-
Rom. 14. tum ſuum lætitia replet, de qua illud: Regnum Dei pax & gaudium in ſpiritu
Actor. 14. ſancto. Sin mundum, ab hoc afflictio ueteri homini accidit, de qua legimus: 40
Per multas afflictiones oportet ingredi in regnum Dei. Atq; id indicant לוֹ & לֹא in Hebræo poſita. Illuſtrem & magnificam reddita gentem, tanto miraculo liberatam: ſed nõ ſine luctuoſa afflictione, quam tulerit. Nam ſi uatis tempora perpendis, in Paralipomenis traditur, ut uicto Aſſyrio Ezechiæ regnum apud omnes gentes in maxima dignitate haberi cœperit, ab eis precioſis muneribus Hieroſolymã allatis. Hic, typus cernitur: in Meſsia, & eius Eccleſia cœleſti Hieroſolyma, expreſſa ueritas.

Lætabuntur.) Lætitia ſanctorum duplici ſimilitudine explicatur: altera, à meſſoribus, altera à diuidentibus ſpolia mutuata. Quanto enim poſt arandi, ſerendi, occandi, & repaſtinandi conſumptos labores gaudio afficiantur meſſores, 50
uulgo notum eſt: fructu ipſo, qui percipitur, moleſtiam & labores compenſante. Hinc etiam Chriſtus diuulgationis Euãgelij tempora meſsi cõparat, cũ ait:

Meſsis

Messis copiosa est, operarij pauci. Quos enim Moses & prophetæ in serendis oraculis labores sumpserunt, ad eorum fructus metendos & percipiendos Euangelium uiam munit. Sic enim ait Dominus apud Ioannem: Ego misi uos ad metendum, quod uos non laborastis, &c. Quod uerò ad spoliorum partitionem pertinet, quantam Assyrius ante Hierosolymam ab angelo uictus, & spoliatus à ciuibus Hierosolymitanis, lætitiam spolia colligentibus & diuidentibus attulerit, historia ipsa declarat. Sed lõgè uerius triumphant cum gaudio, qui regnante Messia cœlesti Ezechia, hostem mundum, & eius principem Satanem cum spirituali Assyrio satis hodie noto deprædãtur. De quo gaudio triumphator Christus: Bono animo sitis, ego uici mundum. *Lucæ 10.* *Ioan. 4.*

Iugum enim oneris eius.) Iuxta historiæ filum, notatur iugi tributarij onus, quod Ezechia regnante solutum est. De quo onere in libro Regum uideris. Reducto autem uelo mystici oneris, occurrunt Messiæ tempora, quibus peccati, legis & mortis, & legis potentiæ peccati oneris iugum dissolutum est. De quo iugo Petrus in Actis: Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Huic iugo contrarium iugum est, de quo Dominus, iugi à uate memorati dissolutor: Iugum meum leue est, & onus suaue. Alterum iugum, grauantis conscientiam peccati per legem non præstitam iugum est, transgressores eius morti & maledictioni obnoxios reddens. Alterum uerò iugum, fidei liberantis conscientiam damnatorio calculo iugum est, dum hæc freta merito sanguinis Christi, nobis spiritum sanctum de copia & plenitudine illius communicat, quo uoluntariè lex præstatur: quæ per ueterem naturam non solum non præstabatur, sed etiam odio habebatur per inimicitiam quæ carni cum Deo & lege eius intercedit. ut his uerbis testatur Apostolus: Propterea quòd affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. nam legi Dei non subditur, & non potest quidem. Hac inimicitia expiata sanguine insontis agni, ne nobis noceat, & per spiritum sanctum repressa, ne uigeat, libertas seruitutis iugo excusso restituitur. De qua illud: Vbi spiritus, ibi libertas. item: Lex spiritus uitæ liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Hoc sæuum ius adumbratum est in iugo oneris ab Assyrijs impositi, & à Messia per sanguinem ipsius deletum. *Matth. 11.* *Rom. 8.* *2. Corinth. 3.* *Rom. 8.*

Et uirgam humeri.) Meminit humerorum, quibus onera imponuntur. In translatione igitur semel cœpta manet.

Sicut in die Madian.) quo Madianitæ à Gedeone uicti sunt. Exemplum rerum gestarum à Gedeone memoratur etiam infrà: Et suscitabit super eum Dominus flagellum quale fuit Madianitarum. ubi apertius aduersus Assyrium instituitur concio oracularis: & quæ hic de onere & uirga narrantur, illic repetuntur. Atque utraq; historia, de uictis Madianitis & Assyrijs, in Messiam reducto uelo congruit, qui non gladio & uiribus suorum, sed suis, hoc est, spiritu oris sui, deleat hostes suos: ut Gedeon & Ezechias non suis armis, sed diuinis hostes suos uicerunt. Quorum alter angelo Dei septus, superauit Assyrium hostem: alter tubis, lagenis & lampadibus armatus, Madianitas prostrauit. Quorum autem typum lagenæ, tubæ & lampades retulerint, in libro Iudicum explicatũ est. Hæ mysticę historiæ indicant, Messia duce & rege, mũdum, diabolũ, peccatum, mortem, & infernũ non superari humanis uiribus, sed Dei in Messia & per Messiam eius spiritu, regali imperio omnia uincẽte. *7.*

Omnis uiolenta prædatio.) Prælia Messiæ, per collationem cum cæteris prælijs quæ mundus facit, explicantur. In his cum tumultu & motu, uestium q; in sanguine uolutatione dimicari, illa flagrantis ignis incendio administrari, igni uidelicet seueri iudicij thronum Messię cum flammeis ministris circundãte. De quo igne throni ignei, illud: Soliũ eius flammæ ignis. Hoc igni Assyrius ante *Daniel. 7.*

Hierosolymam per angelum igneum consumptus est. Hoc incendio per Gedeonis lampades præfigurato Madianitæ conflagrarunt. Non aliter spiritualis Assyrius Antichristus ante cœlestem Hierosolymã, Ecclesiã sanctorũ, peribit cum suis impijs hypocritis & sęuis tyrannis, regnũ eius defendentib. quos igneo & flãmeo Messiæ halitu occisum iri, infrà uates noster ostendit. Aut uersum hunc sic interpretari licebit: Cruenta prælia quæ satanis instinctu in orbe terrarum gesta sunt, temporibus Messiæ ignis pabulum fore: hoc est, finem in Ecclesia habitura, pace in cordibus electorum per spiritũ pacis sancita. ueluti suprà propheta dicit, gladios in uomeres conuertendos. Sed per quem id fiet? Sequitur:

Paruulus enim natus est nobis.) Clara descriptio Messiæ proponitur, qua quę suprà de ortu eius & munere explicata sunt, uarijs hic nominib declarant. Quoniam prophetæ sententia perspicua est, nos omissis uarijs interpretationib. ea quæ ad Christi Domini nostri amplificationẽ, & ad piorũ fidem cõfirmandã facere uidebuntur, afferemus. Primò, duo nomina nobis consideranda occurrunt in hoc sacrosancto de Messia oracluo, ילד & בן: altero indicante, illũ natũ ex uirgine, uerum hominẽ ex homine, cruci & afflictionib. opportunũ: altero declarante, eum filiũ Dei esse à cõceptu è spiritu sancto, ad regale sacerdotiũ unctũ, quo in cœlestia, terrestria & infera dominetur. De hac appellatione Dauid sic
Psal. 2. meminit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ego primogenitum dabo eum
Psal. 89. altissimum. Hanc amplitudinem & dignitatem sapientiæ, potentiæ & maiestatis regalis Messiæ filij Dei, uaria nomina quæ hic leguntur, explanant.

Natus est nobis.) nostræ saluti, non sibi: nobis inquam à conceptu & partu uiciosis, quos expiatis & deletis uitijs integros efficiat: nobis per peccatũ mortuis, quibus uitã concedat: nobis inferno deuotis, quibus cœlũ aperiat: nobis omni crucis opprobrio & maledictioni subiectis, quos maledictum factus ad benedictionẽ cœlestis gloriæ & splẽdoris transferat: nobis qui à uetere natura cæci sumus, & stulti, natus est, stultus & cæcus in mundo habitus, cũ essetsapientia patris, qui nos sapientes & uidentes res diuinas reddat. Tantum ualẽt hæc uerba, Natus est nobis: quæ fide accipiunt, nõ natura. Quare non satis est credere Messiã natũ esse, nisi credas tibi natũ esse: hoc est, nisi credas mortis & resurrectionis eius beneficio patrẽ cœlestẽ tibi placatũ, & cõdonatis peccatis reconciliatũ te habere. In Antichristi regno innumeri sunt, qui credũt Deum creatorẽ cœli & terræ esse, & Christũ natũ ex uirgine: at cum non credunt sibi natũ, sibi crucifixũ, sibi ex mortuis resurrexisse ad uitã, hæc eis fides non magis prodest, q̃ dæmonib. sua fides, qui dicũtur credere & cõtremiscere. Non credunt aũt sibi natũ esse Christũ, & à patre datũ in quo seruentur, quotquot adiusticiã quã naturæ uires moliunt, & lex parit, eiusq̃ facta animũ cõuertũt. Sunt præterea qui de Deo mundi opifice, eiusq̃ prouidentia, de filio Christo, de sacro spiritu, uaria & multiplicia ex Orpheo & Trismegisto, & ex Pythagoricorum & Platonicorum theologia testimonia curiosius afferunt: sed cum hoc facere studeant, quid aliud student, quàm tenebras in claram oraculorum Dei lucem inferre? ut quæ nobis hoc oraculum nõ explicent, Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Nam huius neq̃ ortum, neq̃ naturam, neq̃ munus, neque salutarem mortem & resurrectionem, neque regiam administrationem exponunt, qua is ad dexteram patris sedens in regio throno, omnia in cœlo & in terra, Ecclesiæ suæ saluti, uicto peccato, morte, fractis' que æreis inferni portis, administrat.

Filius datus est nobis.) Patris Dei amore, quo humanum genus complectitur. De quo amore illud: Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenam da-
Dan. 3. ret, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat uitam æternam, Atq̃ hoc ipsum est, quod dicit hic uates: Filius datus est nobis.

Et fu-

Perge post sex folia

consentanea sunt, quæ Amos uaticinatur capite quinto, Ne fortè erumpat quasi ignis in domo Ioseph: loquens de ira diuina.

In ira Domini exercituum.) Non temerè ignem impietatis grassari, sed iusto Dei iudicio. par enim esse, ut sua stultitia crimen crimine accumulantes pereãt, qui toties admoniti ad lumen sapientiæ diuinæ sanari nolint. Atq; hoc est, ira diuina excæcari & indurari animos: peccata uidelicet peccatis puniri, & sic in reprobam mentem traditos interire, pœnam pœna comitante, ut crimen crimẽ comitatur, uelut hic legimus: Ne sic quidem sedatus est furor eius.

Conturbata est terra.) Hebræus habet: Obtenebrata est terra. Alluditur ad fumum, Omnes in flagitiorum tenebris uersari, absente luce quæ de se dicit: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Hoc lumen tria præstat, quæ nullum aliud lumẽ præstat. Vnum est, clausos & cæcos aperire oculos animi ut uideant, non solum apertos illuminare. Messias enim in hunc mundum uenit, ut infrà patebit, qui cæcos uidentes reddat, & uidentes cæcos, ne cum ijs qui gloriantur se per lumen sapientiæ mundi uidere, uidendo pereant. Alterum est, apertos animi oculos illustrare, ut uideant quæ antea uidere non potuerunt, per ueteris naturæ lumen: & illuminando nouam naturam generare. Etenim regenerationis in nouum hominẽ & naturam lumẽ Messias est, qualis nulla alia lux est in hac rerum natura. Tertium est, eos quos illuminat uiuificare, eisq; uitam æternam deleta morte dare, unà cum uera iustitia, abolito peccati iure. Atq; hoc ipsum est quod dicit Dominus: Atq; habebit lumen uitæ. cui contrariæ tenebræ sunt, in quibus leguntur hic perire Israelitæ. *Ioan. 8.*

Quasi cibus ignis.) Cuius ignis? Paulo suprà legitur: Succensa est enim quasi ignis impietas.

Vir fratri suo non parcet.) Impietatis ignem eò usq; ardere, ut nemo alteri misero misericordiam tribuat. Quàm longè pateat hæc reprehensio, hæc postrema secula declarant. Quæ his uerbis Apostolus uatem nostrum explicans describit: Illud autem scito, quòd in extremis diebus instabunt tempora periculosa. Erũt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, nescij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, uoluptatum amãtes potius quàm amantes Dei, habentes formam pietatis, sed qui uim eius abnegarint. Hæc paucis uerbis perstrinxit uates noster, duo impietatis genera præcipuè reprehendens: alterum hypocrisis est, quam Apostolus formam pietatis uocat: alterum inclementia, qua alij in alios charitatis & amoris iure neglecto grassantur. Quod uitium his uerbis breuiter notauit Dominus noster: Et refrigescet charitas multorum. *2. Timoth. 3.*

Et esuriet.) Inexplebilis auaritia, & aliena ad se rapiendi cupiditas, fons omniũ scelerum & flagitiorum notatur: de qua suo loco infrà ex Apostolo copiosius loquemur. Atq; hæc, si ullo tempore in orbe terrarum grassata est, hodie grassatur maximè, omnia uastans & perdens: & ea laborant, qui nomine Euangelij se aduersarios eorum profitentur, qui Euangelium & eius cultores atrociter persequuntur.

Vnusquisq; carnem brachij.) Hæc ordine perpendenda in hac reprehensione occurrunt. Primò, corpus reip. ex ciuibus uelut membris, non minus inter se arcto societatis uinculo cõstrictis, atq; in corpore membra constringuntur, conflari. Deinde, ut immane est membra aliud in aliud sæuire: ita æquè immane esse, ciues alios ab alijs deuorari atq; consumi. atq; q̃ maior necessitudo est inter eos qui diuino fœdere cõiuncti sunt, eo horrendũ magis esse tales deposita omni clementia se inuicem furtis, iniqua contrahendi, uendendi, emendiq; ratione, rapinis, bellis, & omni circumscribendi fraude perdere uelle. Quò hæc

de Ephraimenſibus & Manaſſenſibus ex Ioſepho prognatis, mutuata ſimilitudo pertinet. Quæ aptè ad eum ſtatũ quem diuinus ſpiritus præuidit in Eccleſia futurũ, & eum quẽ in illa hodie cernimus, accõmodatur, de quo paucis his uerbis præmonuit Dominus noſter, ut ſuprà quoq; monuimus, & in ſequentibus monebimus: Et tunc offendẽtur multi, & alius alium tradent, ſeq; odio habebunt inuicem: & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. quod eſt hic ſub figura Ephraimenſium & Manaſſenſium, Quiſq; carnẽ brachij ſui uorat: neglecta cœleſtis amoris lege, per quam alium alterius cõueniat eſſe oculum, aurem, linguam, manum, pedem.

Mat. h. 24.

Iob 29.

Et ipſi pariter contra Iudam.) Qui inter ſe diſcordes, in eo conſentiunt, ut Iudam templo & Dei cultu inclytum inimicè inſectentur. Reducto myſticæ diſcordiæ & conſenſionis uelo, occurrit miſer Eccleſiæ ſtatus, in quo illius membra diſſidijs & uarijs ſectis ſciſſa, in eo conſentiunt, ut ueros Dei cultores hoſtiliter perſequantur. Quò etiam myſticum oraculum Zachariæ ſpectat, ubi in hunc modum uaticinatur capite XII: Ecce ego pono Hieroſolymam calicem ebrietatis omnibus finitimis populis, & etiam Iudæ, qui erit in obſidione Hieroſolymæ. Item capite XIIII. Pręliabitur quoq; Iuda contra Hieroſolymam.

IN CAPVT DECIMVM.

VAE *qui condunt leges iniquas.*) qui rectas & æquas à Moſe uobis traditas ſequi debebatis. Ad ſuperiora hæc reprehenſio cohæret. Meminerat ſe caput præciſurum. iam rationem reddit eius præcidendi, quòd principes uiri iniqua decreta ſtatuunt, & ſcribenda dictant quæ calamitatem & exitium reip. afferant. Cum און in Hebræo coniungitur עמל, hoc eſt, cum iniquitate moleſtia, labor & calamitas. Nam ut probitas proſperitatem probis, ita improbitas laborem & calamitatem improbis affert. Reprehenſio hæc admonet, reſp. bonis æquiſq; decretis conſeruari, iniquis & malis perdi. Aequitas autem decretorum æſtimatur ex eo, ſi Decalogi legibus conſentanea ſint, in quibus perennis fons omnis æquitatis ſcaturit: iniquitas uerò, ſi diſſentanea, amorẽ Dei & hominum, qui Decalogo continetur, non ſpirantia.

Vt opprimerent in iudicio pauperes.) quos defendere conueniebat, ex munere ſuo contra opulentos, non horum fauore cauſſas inopum euertere. Duplex crimẽ iniquorum iudicum reprehenditur: alterum, tenuium cauſſas non audire: alterum, eis ius eripere, cõtra eos pronunciata ſententia. Quod qui faciunt, uiduas planè & pupillos prædę habere iudicantur. Hoc autem quantũ crimen ſit, indicat lex Dei, contraria præcipiens: & ipſa perſona inopum, quos defendere, nõ euertere deceat: quorum, ſi euertantur, clamorem iuſtus iniuriæ uindex Deus exaudiat. Crimen item hoc auget, opulentorum hominum confirmatio in ſua ipſorum improbitate, cum à ſe corruptorum iudicum ſententiam exitio reip. ſtare uident, quæ iudicio & iuſticia conſeruatur, contrarijs uitijs labefactatur. Itaq; in hoc crimen ſimiliter Amos inuehitur: Qui conuertitis in abſynthium iudiciũ, & iuſticiã in terra linquitis: cũ diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo. Similiter capite VI: Quoniam conuertiſtis in fel iudiciũ, & fructum iuſticiæ in abſynthium. In hac reprehenſione continentur etiã Eccleſiaſtici iudices, quorum cum intereſſet, pauperes Euangelij iure defendere contra uim & tyrannidẽ Satanis, eos iniquis ſententijs opprimunt, dum prohibent nubere: uetant cibis, quos Deus in uſum humanę uitę ad nominis ſui glorificationẽ creauit, ueſci: ſatisfactionibus pro peccato expiando onerant conſcientias, & has mundi elementis ſeruas ſubijciunt, quas ſanguine ſuo ab illorũ ſeruili obſeruatione liberauit Chriſtus: dum item uulgus ſacros libros, mãdata & decreta humana diuinis prę ferentes legere prohibẽt, & anathematis fulmine eos

ne eos qui cõtrà ſentiunt, feriunt. Quod cũ faciunt, quid aliud faciunt, q̃ quod hic exprobratur Iſraelitis: Væ qui ſtatuunt decreta iniqua, & ſcribenda dictãt pernicioſa, quibus cauſas pauperũ euertunt, & ius inopibus eripiunt, quò uiduas habeant prædę, & pupillos diripiant, propter quos Meſsías in mundũ uenit, ut eos iure ſacri Euangelij defendat? Is enim infrà dicit ſe ſpiritu Dei patris unctum, & ab eo miſſum ad læta nuncianda inopibus, & ad edicendam captiuis libertatem. At hos tantum abeſt ut iniqui iſti iudices liberent, ut etiam ſi liberi ſint, eos captiuos iniquis ſuis decretis reddere ſtudeãt. Quales iudices deſcribit Apoſtolus priore ad Timoth. epiſt. & his Antichriſti regnũ refertũ eſt. 4.

Quid facietis.) Non uos fœdere Syrorum, non munitis urbibus, non ſapientia ueſtra, quæ ſtulticia eſt apud Deum, non diſs quos me derelicto colitis, nõ uatib. ueſtris proſpera uobis denunciantib. uos adiuturis, & defenſuris, quò minus uindice ira Dei maiorum ueſtrorum, in hoſtium poteſtatem ueniatis.

In die uiſitationis.) Si hiſtoriæ filum ſequare, ſignificatur Aſſyrius hoſtis: qui ut decem tribus in Medos tranſtulerit, ex quarto Regum libro liquet. Sin reducto myſticæ hiſtoriæ uelo, eam calamitatem conſideras quę clade Iſraelitarum præfiguratã, notantẽ tẽpora caſtigatiõis, de quib. ſuprà aliquoties meminimus.

Ad cuius confugietis auxilium.) meo deſerti.

Et ubi relinquetis.) regnum, potentiam, opes, iam miſsi in exilium. Quid hæc uobis proderunt, me à uobis auerſo?

Sed adhuc manus eius extenta.) Quater hoc repetitur, ad ſignificandum rebelles domi & foris cladibus aliis ſuper alias afficiẽdos. Quaternarius enim, ſi ex partib. quas habet, æſtimes, denarium ſummam numerorum continentem conficit. Nam unum, duo, tria, ſenarium efficiunt: qui cum quaternario denarium conflat. Malorum plenum numerum Moſes in Leuitico & Deuteronomio recenſet, quibus contumaces Iſraelitæ ſint caſtigandi. 26. 28.

Væ Aſſur.) Aliis הוי uocantis eſt, ut accipias, Deum accerſere Aſſyrios, qui Iſraeliticam gentem uexent. Nominatur hic Aſſur, qui ſuprà tacitè indicatus eſt, cum diceret: Et eleuabit Dominus hoſtes Rezin ſuper eum. Sunt quib. dolentis eſt: Dominũ populi ſui uices dolere, qui mallet eum ſeruari per probitatẽ, q̃ grauius per Aſſyrium puniri ſua improbitate. De quo in Threnis Hieremias. Non enim libenti animo premit & affligit humanum genus.

Virga furoris mei.) Intelligimus hic, diuinæ iræ inſtrumẽta hoſtes eſſe, per quos Deus ſuos affligit: neq; plus ſuis uiribus illos poſſe efficere, quàm ſecuris aut malleus efficit. Ideo nos cognoſcere debere, cum punimur, Deo autore nos puniri, nemine alio. Per hoſtes enim ſi ſtaret, nos toti perderemur: qui aliter in puniendo compoſiti ſunt, quàm Deus. is enim bene, illi malè affecti ſunt, qui non bono animo ſtudeant nos infeſtare, ſed malo, ut funditus nimirũ perdant quos infeſtant: Deus uerò ſeruet, non perdat, eos quos caſtigat. Itaq; hinc efficitur, ſi animus ſatanis & tyrannorum orbis terrarum ſpectetur, uexationem qua uexamur, malum opus eſſe: ſin Dei, bonum. Atq; ita in rebus aduerſis uoluntas diuina ad nos conſolandos ſpectanda fuerit, non hoſtium. Hos enim ſi ſpectemus, omnia occurrunt plena ira, furore & tyrannide: ſin illum, res aduerſæ diuinæ beneuolentiæ & fauoris ſignificationem habent. Nam is iraſcitur ut miſereatur, mortificat ut uiuificet, deducit ad inferos ut in cœlũ tranſferat ad cœleſtis regni ſui lucem oſtendendam. 1. Regum 2.

Ad gentem fallacem.) ad hypocriſim eius puniendam: qui ueritatem in ſuis requirat, ſimulationem & perfidiam deteſtetur. Eſt autem hypocriſis, cui tantoperè infeſtus eſt Deus, ſimulatio pietatis, animo carente fide & timore Dei. Fide quidẽ carẽt hypocritę, quòd Dei promiſsis nõ credunt: timore aũt, q̃d Dei ſtudio nihil faciũt, ſed omnia ſui gratia, ſuã probitatẽ, prudentiã, gloriã prędicãtes, Dei contẽnentes. Atq; hoc fieri neceſſe eſt, ubi uerbũ Dei & eius doctores

negliguntur, falsis doctoribus receptis. De Antichristo spirituali Assyrio, ut eũ ad puniendum ueritatis & fidei contemptum Dominus mittat, illud Apostoli indicat: Propterea quòd dilectionem ueritatis non receperunt, in hoc ut salui fierent: propterea mittet eis Deus efficacem illusionẽ, ut credãt mendacio. 2. Thess. 2.

Ipse autem non sic arbitratus est.) Hostes Israelitarum bifariam abuti potestate sibi mandata. Vno modo, quòd punire student ut perdant, non ut in melius emendent quos puniũt. Sic enim hic scriptum est: Sed euertere atq; excindere habebit in animo. Hoc modo omnes tyranni, cum Satane suo parente sunt compositi. Altero modo, q̃d quæ in puniendo efficiunt, suæ prudentiæ & uirib. asscribunt, non Dei: ut fecisse Assyrium hic legimus, qui sic inducitur arrogantius loqui: Fortitudine manus meæ feci, & prudentia mea intellexi. Hac imagine depinguntur omnes tyranni orbis terrarum, qui aut nimis crudeliter in eos ad quos puniendos mittuntur, sæuiunt: ut exemplo hic est Assyrius, & infrà Babylonius. aut plus æquo clementes sunt: ut Saulus, parcens contra mandata Dei Amalechitis: & Achazus Benhado Syriæ regi uicto, & in prælio capto indulgens, exemplo sunt: quorum misericordia crudelitas fuit. Quare hæc reprehensio admonet legatos Dei, ne suam libidinem, sed diuinam uoluntatem in expetenda de sontibus pœna spectent. Debent enim principes in terra Deum bonitate & æquitate referre: non Satanem, qui homicida est ab initio, crudelitate imitari. Quod facient, si cogitent cuius ministri sint & instrumenta, ad cõseruandam hominum inter ipsos societatẽ: in bellis pacem, quam uictis hostibus sanciant, & in pace bellum quærentes, quo superbos omnia turbantes debellent. de quo boni principis munere Latinus uates: 1. Reg. 15. 3. Reg. 20.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quò spectans Græcus uates, regem ποιμένα, hoc est, pastorem uocat: & eum à Deo nutriri, cuius in terra munere fungat, fatetur. uocat enim reges διοτρεφῆς: 2. Iliad.

Ἐχθιστος δ' ἐμοι ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων.

Deinde Deum expriment, si cum animis suis reputabunt, & se habere in cœlo Dominum, quo uindice scelerum, eadem mala possint pati, quæ patiuntur ad quos castigandos mittuntur. Hæc cogitatio principes ad moderationem cohortabitur, qua rebus prosperis cum Assyrijs & Babylonijs alijsq; tyrannis orbis terrarum non insolescant, sed demissi, Dei se baculum ac securim esse agnoscant: hoc est, prẽter instrumentum diuinę potentiæ, sapientiæ & iusticiæ, nihil esse se fateantur, illius sapientia sapere, illius uiribus efficere se quæ efficiunt, nihil suis: se illius fauore & beneuolentia rebus prosperis uti, non ulla sua prouidentia ac prudentia. Quod cum non fecisset Assyrius, insolenter iactans suam fortitudinem & prudentiam, miserè per suam sapientiam & fortitudinẽ perijt, qui Dei sapientiam & fortitudinem, cuius baculus ac fustis esset, cõtemperat. Ex historijs locus exemplis illustrandus est.

Et ad internecionem gentium plurimarum.) quibus pro libidine superbè dominetur, contempta sapientia quæ apud Salomonem sic de se loquitur: Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Ab hac igitur sapientia Dei, orbis terrarum tyranni abscedentes, & superbum atq; sæuum parentem suum Satanem imitantes, in acerbam cum Assyrio reprehensionem incurrunt. Prouerb. 8.

Dicet enim, Nunquid principes mei.) Inducitur superbè iactare uictorias suas, & se Regem regum esse: contempto eo rege, qui hunc titulum habet in fœmore scriptum, Rex regum & Dominus dominantiũ. Cuius superbi hostis in Assyrio imago hic consideranda proponatur, indicat illud in Apocalypsi: Regina sedeo. Apocalyp. 19. Apocal. 18.

Quomodo inuenit manus mea.) Non dicit Dei manu, sed sua manu, hoc est uiribus, tot regnis potitum. Vanus hostis, uanos prophanarum gentium deos, Hierosolymæ uiuenti Deo per contemptum comparat. Atq; sic iam deuicta

Samariã

ditus est, in uictoria peccati, mortis, mundi, & principis mundi satanis, & eius filij Antichristi spectatur. Quæ inuicta Herois Messiæ fortitudo infrà à uate nostro prædicatur: Et fortium diuidet spolia. Hoc fortis Herois nomen mirè consolatorium est ijs, qui fide cõfirmati, se sub signis eius ducis militare sciũt, qui Deus, redemptor & saluator sit, cui nulla potentia resistat: quique ille herus sit, qui heroica fortitudine omnem contrariam potestatem uicerit, & uictam in triumpho ostentet. Abrahamus, Isaacus, Iacobus, Iosephus, Moses, Iosua, Gedeon, Dauid, Ezechias, Prophetæ & Apostoli & sancti martyres, Heroes fuerunt regalis sacerdotij spiritu prædíti: sed quorum nullus eam fortitudinem ostenderit, quam Christus IESVS ostendit, ut posit de se dicere, Ego uici mundum, & eo uicto sedem à dextris Dei teneo, in qua omnibus quæ cœlo & terra continentur impero. Quare si qui principatum habent, si qui sapientia diuina & eius consilijs ualent, si qui Dij uocantur, si qui Heroes appellantur, ij fatebuntur se Messiæ principis munere principatũ in omnia cum eo obtinere: se illius beneficio in dijs, hoc est consortibus diuini spiritus haberi: se sacro spiritu unctos, quem ex illo accipiunt, Heroas esse: in quibus precarium est, quod in Christo naturale esse iudicatur, & proprium.

Pater.) Patris nomen Messias habet, partim ob curam administrationis, qua suos regit: partim ob sacrum spiritum, qui ab eo proficiscitur, filios Dei generans. De quo propheta noster infrà: Omnes filios tuos doctos Domini. Hi quoniam non ad perituram uitam & hæreditatem, sed ad æternam, nullæ labe corrumpendam generantur, Messias pater עד, id est, æternitatis uocatur. Noster interpres Græcos sequutus, qui habent τῦ μέλλοντ☉ αἰῶν☉, uertit futuri seculi: quòd in eo omnia sint firma ad æternitatẽ futura. Nam ut duplex mundus est, alter uetus, alter nouus: ita Christus IESVS Dominus noster, ut nouus & cœlestis homo, plenus diuinitate, noui mundi ab omni uitio immunis, & in omnem æternitatem integri, pater meritò appellatur, pacem sanciẽs de qua mox sequitur mentio. Cæterùm ut patris nomẽ curę & amoris nomen est, ita etiam fratris est: quo Christus quoque appellatur, propter communem Deum patrem & hæreditatem, & propter sacri spiritus & carnis ex natiuitate communionem. Sic enim scriptum est: Propter fratres meos & propinquos meos loquebar pacem de te. Quem in Cantico canticorum sponsa uelut fratrem agnoscens, ob eam quæ explicata est rationem, sic precabunda canit: Quis dabit te sicut fratrem mihi, lactentem ubera matris meæ: inueniam te foris, osculabor te. Vbi paraphrastes Chaldæus habet: Cum patefaciet se rex Messias Ecclesiæ Israel (quæ scriptorum in libro uitæ Ecclesia est) dicent filij Israel, tu eris nobis in fratrem. & Thargum Hierosolymitanum: In illo tempore patefiet rex Messias Ecclesiæ Israel, & dicent ei filij Israel, Veni nobiscum ut frater, & ascendemus Hierosolymã, erimusque lactentes tecum sententias legis, sicut lactens infans ex mammillis matris suæ. itaque Christum fratris nomen confirmantem à resurrectione, apud Ioannem capite XX sic loquutum legimus ad Mariam Magdalenam: Sed uade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum, & Deum meum, & Deum uestrum. Habet ergo Messias omnia nomina quæ summam beneuolentiã erga electos declarãt, patris, fratris, capitis & mariti. De patre & fratre iam meminimus. De capite occurrit illud Apostoli: Et ipsum dedit caput super omne ipsi Ecclesiæ. item illud apud Oseam: Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput unum quod est Messias. Quę autem coniunctio arctior excogitari posit, quàm quæ inter caput & corpus eiusque membra intercedit? Mariti & sponsi appellatio infrà in propheta nostro capite LIIII explicabitur. Hac appellatione Canticum canticorum, magna consolatione à diuino spiritu compositum, plenum est.

Psal. 122.

Ephes. 1.

Osee 1.

Prin-

Princeps pacis.) Boni & incolumis ſtatus princeps, in quo omnia Deo conſociata bene & feliciter habent. Huius ſtatus Chriſtus, reparator omnium, autor eſt, dum hominẽ, & in eo omnia quorum ille finis eſt, reparat, cum Deo patre
Coloſſ. 2. reconcilians. Sic enim Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſenſes ait: Quia in ipſo placuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare, & per eum reconciliare omnia erga ſe, pacificatis per ſanguinem crucis eius per eundem, ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlis. quod fit, homine, minore mundo, reparato. Hæc autem pax quam Chriſtus homini conciliat, & per hominem reliquæ uniuerſitati, dum homo in hoc ſeculo uiuit, in animo cernitur, quam is erga Deum ſibi placatum per ſanguinem Chriſti pacatè aduerſus peccatum & mortem habet: deinde in concordia ſpectatur, quæ inter exteriorem hominem & interiorem in ſpiritu Meſsiæ, in die reſurrectionis ſecundæ excitato corpore ad uitam coaleſcet. Vtriuſq; pacis autor eſt Chriſtus per ſpiritum pacis, cuius fundamentũ
Rom. 5. iuſtificatio eſt, de qua his uerbis Apoſtolus: Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum. Sed per quem pacem habemus? Per Chriſtum IESVM. Sequitur enim in epiſtola: Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum. Itaq; hũc uocat propheta noſter, doctus Dei ſpiritu, principem pacis. Hanc pacem mundo peperit, prælio aduerſus hoſtes, peccatum, mortem & infernum, confecto. Ex qua uictoria intelligunt filij Dei, quàm amabilis pax ſit, cuius hic propheta Chriſtum IESVM autorem facit, & angeli illo nato his uerbis celebrarunt:
Lucæ 2. Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax, in hominib. bona uoluntas. Meminerunt bonæ uoluntatis, ut oſtenderent bonam uoluntatem, hoc eſt beneuolentiam & fauorem Dei per hanc benedictam ſobolem Chriſtum, erga homines declarari: pace eis comparata, qui antea à Deo per peccatum dirempti fuerant letali inimicitia. Quam cum ſanguis principis pacis Meſsiæ tollit, non Moſes, qui mortis & iræ diuinæ miniſter eſt, IESVS Chriſtus laudem hanc pacificatoris meretur. In hac pacificationis laude continetur etiam concordia, qua inter ſe conſociantur, quos antea odia, diſsidia, funeſtaq; bella diſſociarunt. De hoc pacis beneficio, quo pacifici amoris ſpiritus electos in orbe terrarum arctiſsimo amoris uinculo deuincit, propheta noſter ſuprà his uerbis meminit: Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebũtur ultra ad prælium. & infrà: Vitulus & urſus paſcentur ſimul. quare rectè Chaldæus paraphraſtes pro princeps pacis reddit, משיחא שלמא: hoc eſt, Meſsias pacis, de Chriſto IESV oraculo expoſito.

Multiplicabitur imperium.) Meminerat principatus: iam hunc copioſum & amplum fore prædicit. Nam diuinus ſpiritus in Hebræo uerbo utrumq; ſignificat, multum & amplum ac ſplendidum, quæ duo ad regium imperium pertinent.
Prouerb. 14. Sic enim Salomon de maieſtate regia loquitur: In multitudine populi maieſtas ac amplitudo regis. Dicas, paucos eſſe quibus Meſsias imperet, qui di-
Matth. 22. cat: Multi uocati, pauci electi. & exiguas etiam reliquias à Chriſto ſeruari, ex diuinis literis diſcimus. Vt his quæ in hac ampliſsimi imperij Domini noſtri IESV Chriſti tractatione obijciuntur, occuratur, de eo in Commentarijs in Geneſim 15. editis meminimus. Cæterùm Chriſti regnum in nouiſsimos, non in quoſuis dies cadens, ſua patefactionis in orbe terrarum ſpacia habet. Et quoniam anguſtum eius primo regnum apparuit, & deinde per Antichriſtum inductis tenebris quaſi clauſum cernitur: nouiſsimis autem his temporibus reconciliationis patefacto aduerſario, & eo claritate aduentus Meſsiæ per Euangelij ſplẽdorem deleto, amplum futurum eſt. Ad hoc myſterium ſignificandũ, Mem literam in uoce מרבה hic à propheta noſtro uſurpata clauſam in principio poni, ſapientes & ſacro ſpiritu docti homines uolunt: quę contrà in Ezdra aperta, cum clauſa poni ſoleat, in fine ponit. Qua in re indicat, Meſsiæ imperiũ quod à principio anguſtum, & interiecto tempore clauſum per filium perditũ fuit,

fuit, ſub finem mundi dilatatum iri, in unum ouile ſub paſtore Chriſto Iſraelitis & gentibus congregatis. Sic enim libro ſecundo, capite ſecundo apud Ezdrã, ubi de ruptis Hieroſolymæ muris mentionem facit, Mem apertum in fine collocatũ legitur פרוצים חמי: ſignificato, in futurum hos longè lateq; extẽſum iri, inſtaurata Hieroſolyma de cœlo deſcendente, adimplenda oracula illa: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, Adorabũt te omnes familiæ gentium: Conuertentur ad te omnes fines terræ. Quæ oracula ut non promiſcuè de omnibus intelligantur, ſed de ſcriptis in libro uitæ, ac ijs quos pater filio Meſsiæ dedit ad ſeruandum, non uno in loco indicatum eſt. *Geneſ. 22.* *Pſal. 21.*

Et pacis non erit finis.) Pax uidelicet, quæ iam expoſita eſt, & de qua princeps pacis Meſsias meminit: Pacem relinquo uobis, pacem do uobis: non quomodo mũdus dat, ego do uobis. Qualis autem pax ſit quã mundus dat, & qualis quã Meſsias, & quid inter utramq; interſit, à cauſis, effectis & exitu, ex his quæ memorata ſunt patet: & ijs notum eſt, qui mundum & eius principem ſatanem, & qui regnum cœleſte & eius regem Chriſtum cognitum habent. *Ioan. 14.*

Super ſolium Dauid.) Non ciuilis & externæ adminiſtrationis ſolium ac thronum accipitur, ſed interioris ſpiritualis. Nam externam & ciuilem Dauidis regis rectionem exoleſcere oportuit, ex patriarchæ Iacobi oraculo: Non recedet ſceptrum à Iuda, donec ueniet Silo, hoc eſt, ſeruator Meſsias. Ergo ſub aduentum Chriſti, ciuilis regni Dauidici adminiſtratio deſijt, & cœleſte regnum cœleſtis Dauidis Chriſti IESV inchoatum eſt. Vocatur autem ſolium & imperium Chriſti, Dauidis ſolium & imperium, quòd Dauidi Chriſti regnum promiſſum, & hunc ex illo procreatum, & quòd Chriſti regnum Dauidis regno adumbratum ſcimus. Iam autem, ut de more res præfigurata figuræ nomine appellatur, ita regnum ſpirituale & cœleſte Chriſti, ſolij & imperij Dauidici nomine effertur. Quocirca cum duo contineantur in ſolio Dauidis, alterum umbra & figura, alterum res & ueritas adumbrata: hæc durat in omnem æternitatem, illa euanuit, corpore quod Chriſti eſt repræſentato. Verè ergo dixit Dominus noſter IESVS Chriſtus, ſe non ueniſſe ad diſſoluendam legem, ſed ad implendam eam, ſpiritu ſcilicet & ueritate: hoc eſt, rebus ueris & ſpiritualibus nunquam interituris. Hanc interpretationem ſpiritualis ſolij & ſceptri Dauidis, confirmat angelus apud Lucam, ubi ait: Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Vnde diſcimus, myſtica hæc nomina, Dauid, Dauidis ſolium, regnum, Hieroſolyma, ſacerdotium, templum, ſacrificia, propitiatoriũ, & eius generis, in fine, hoc eſt in Meſsia & eius Eccleſia, conſideranda eſſe: in quibus ueritas & res expreſſa cernitur, in cæteris umbra & typus. Cæterùm thronus Chriſti qualis ſit, ſuprà expoſitum eſt, in quo ad dexteram patris ſedet rex & Imperator in omnia. De qua dextera, ad quam Chriſtus ſedet, Dauid myſticus ſic canit: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Is Dominus ſedens ad dexteram patris ſui, Chriſtus IESVS eſt, quem ſuum Dominum agnouit Dauid ſuper ſolium diuinitatis ſedentem, canens: Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dextram meam. Quæ uerba ueteres Hebræi apertè de Meſsia interpretantur. Sic enim aiunt: Futurum eſt, ut Deus ſanctus & benedictus ſedere faciat regem Meſsiam ad dexteram ſuam, ſicut dictum eſt Pſalmo CX: Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dextram meam. Hæc dextra quale ſolium Meſsiæ ſit, in quo ſedet, & quàm longè lateq; pateat, & in quo cœlo & quale id poſitum ſit, & quam ex hoc cœleſti ſolio ſancti in terra homines ſalutem & conſolationem accipiant, oſtendit. *Matth. 5.* *Luc. 1.* *Pſal. 110.*

Vt confirmet illum & corroboret.) aduerſus potentes hoſtes Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, cuius Meſsias maritus eſt, & caput. Sic enim apud Micheam legimus: Aſcendet em̃ pandens iter ante eos, diuidet, & tranſibũt portã, & egredientur *Mich. 2.*

per

per eam,& transibit coram eis,& Dominus in caput eorum: hoc est,tanquam eorum caput. His uerbis hæc explicantur,quæ Messiæ solium & eius robur ad uersus Ecclesiæ hostes declarant. unum est,ascensus Christi in cœlum, de quo
Psal.68. Dauid: Ascendisti in altum. alterum,dissipatio potestatis hostium,resurrectionis Christi è mortuis, & eius uictricis in cœlum ascẽsionis ui cõfecta. tertium, transitus portæ peccati, mortis & inferni est, & ex ea egressus qui filijs cœlestis regni contingit triumpho de inimicis eorum acto. postremò,corroboratũ solium Christi esse comprobat, quod fide agnoscimus eum caput nostrum esse,plenum diuinitate, cui nulla potestas resistat, ut qui sit Iehoua. Sic enim Michea legimus: Et Iehoua Dominus in caput eorum. Sed quibus armis Christus,sanctorum caput,regnum suum confirmat? In propheta sequitur:

Vt corroboret illud iudicio & iustitia.) ius faciens,& iustitiam exequens. Quod ab eo fit,cum supplicium de sontibus sumit,& insontes,quos ipse per fidem charitate agentem insontes agnoscit, tuetur & seruat. Sic enim Dominus apud lo-
Ioan.16. annem iudicium & iustitiam interpretatur,ubi ait: Cum uenerit paracletus,arguet mundum de peccato, quia non credunt in me: de iudicio, quia mundus iam iudicatus est: de iustitia, quia ad patrem uado. Vbi iudicium interpretatur, impiorum hostium damnationem, qua damnati, pijs nocere amplius nequeant: iustitiam uerò,diuini spiritus præsidium,quo septi pij homines,seruantur. Nam hoc præsidium electis filijs Dei paratum est,ut Christus ad patrem suum uictis tenebrarum potestatibus profectus est. Itaq; sanctus spiritus regalis ille spiritus est,quo unctus Messias,iudicio & iustitia thronum suum corroborat
2.Regum 8. atq; cõfirmat,plectens impios,& seruãs pios. Nos in Regum historia legimus, ut mysticus Dauid in ciuili & mystica regni administratione iudicium & iustitiam fecerit in puniendis sontibus & seruandis insontibus. Quanto uerius id in cœlestis Dauidis Messię regno accidit? huius uidelicet solium corroborari, cum impij non credentes mundum in quo sceleratè uiuunt,& principem eius Satanem iudicatum,hoc est damnatum & uictum: & iustitiam,qua pij seruantur, condemnantes pereunt: pijs per Dei iustitiam,quam beneficio Christi ad patrem uadentis habent,saluatis. At quoniam æquus iudex iudicium & iustitiam exercet nõ ex animi libidine,sed ex legum præscripto: noster iudex Messias suas quoq; leges habet,ex quarum sententia iudicet. De hac lege ipse his
Matth.ult. uerbis meminit: Euntes in mundum uniuersum,prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit,& baptizatus fuerit,saluus erit: qui uerò non crediderit,condemnabitur. Ex his uerbis agnoscimus,Euangelium illam regni cœlestis legem esse, qua Messias solium suum tueatur,iudicio condemnans Euangelio rebellantes,& iustitia conseruans ei obsequentes. De hac iudiciaria solij sacrosancti Messiæ lege suprà his uerbis: De Sion exibit lex,& iudicabit gẽtes,& arguet populos multos.

Vsq; in sempiternum.) Secus quàm mundi huius imperia habent, quorum sæpe mutationes,conuersiones & inclinationes sunt, quibus Christi imperium caret. Hanc contentionem tractat diuinus spiritus his uerbis apud Danielem:
Daniel.2. Tempore autem regnorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur,& alteri populo non tradetur: comminuet & consumet uniuersa regna illa,ipsum autem stabit in æternum. Sic Babylonium,sic Persicum, sic Græcorum imperium comminutum est, Romanum hodie lacerum imperium est. Quod ut ad interitum uergat,satis hodie clarum est: ut regnum obtineat Messias,lapis ille sine manibus de monte excisus: hoc est,de cœlo cœlesti modo & ratione,non terrena,originem suam ducens. de qua cœlesti ratione & diuina ui suprà: Ecce uirgo concipiet,& pariet filiũ. Aeternitatis regni Messiæ,& fluxi imperij regum mundi huius consideratio, singularem & præcipuã consolationem, contra afflictionem qua in mundo uexantur pij, uim habet,

cum

cum cogitant tyrannorum orbis terrarum tyrannidem finem habituram, regnum autem Christi æternum fore, & afflictiones momentaneas æterna gloriæ pondera filijs Dei moliri in eo, & per eum, qui cursu temporariæ crucis confecto, æternum regnum, plenum gloria, splendore & maiestate iniit, ut nobis ad idem regnum uiam atq; aditum aperiret, pro suo quem erga sponsam suam Ecclesiam gerit amore, de quo sequitur:

Zelus Domini exercituum.) Quo maritus Messia sponsam suam prosequitur. Nam in Hebræa uoce קנאה, notatur studium & amor, quo maritus riualem & amoris socium minimè tolerat. Est enim animi affectio, qua ægrè ferimus alterum potiri eo, quo ut nos soli potiamur, decere arbitramur. Talem affectionem sibi sumit Messias: qui, ut sponsa sua Hierosolyma, Ecclesiam præfigurans, in alterius complexum se det, matrimonij fide uiolata per obtrectationem minimè ferre potest. Vt autem Ephraimenses, Syri & Assyrij Hierosolymam sollicitarint ad Deorum alienorum cultum, id ex Regum historia cognoscere licet. Vt spiritualis Assyrius & Babylonius rex Antichristus hoc unum studeat, ut à Messia marito sponsam Ecclesiam ad uanos Deos suos abstrahat, satis id perspicuum est. Quare legitur hic, zelotypiam in caussa esse, qua Messias in suam Hierosolymam ardet, ut promissa Dauidi facta præstentur.

Verbum misit.) Suprà diuinus spiritus per uatem monuerat, ab Ephraimensibus & Syris, quos fumantes titiones uocat, Hierosolymæ metuendum non esse. Iam decem tribuum calamitates, quibus afficiendæ sint, describit, & Assyrio hosti quoque suam cladem minatur. Dicit ergo hic uerbum missum in Iacob: hoc est, oraculum de seuerè castigandis Israelitis, nisi in uiam redeant, suscepta scelerum pœnitentia per prophetas denunciata. Hi autem prophetæ, Oseas, Amos, Micheas, Elias, Elisæus, & alij fuerunt: sed hos Dei responsa reddentes cum contemnerent Israelitæ, quid eis accidit? Acciderunt, quæ à uate nostro hic commemorantur. Vnde cognoscimus primò, non temerè & casu Dei populo mala euenire, sed diuina uoluntate per prophetas patefacta. Legimus enim hic: Verbum misit Dominus, &c. Deinde certò euenire, quæ denunciatæ sunt calamitates, quas nulla uis impediat, quo minus eueniant: ut id intentata Ephraimensibus clades, & eis immissa comprobat. Quæ consideratio in prophetarum lectione nos excitare debet, ut omnia per fidem in diuinam prouidentiam bona & mala referamus. Atq; cogitemus, nobis quæ sub figura Israelitis prædicta sunt, & in eis impleta, eadem quoque nobis prædicta esse, & implenda in nobis. Duo hic nomina usurpantur, Iacob & Israel, quę Patriarcha Iacob habuit, quorum neutri decem tribus responderunt. Nam qui Iacobæi debuerant esse, hoc est supplantatores Esai, id est eorum quos Deus auersatur ob uitia: ipsi uitijs quibus scatent supplantati, succubuerunt. & quos Israelitas, hoc est per fidem diuinarum promissionum etiam Dei & angelorum uictores conueniebat esse: ipsi fide uacui, Satanæ, & eorum qui illius imperio parent, mancipia facti sunt. Cæterùm obseruandum hic est, regnum decem tribuum Dauidis regno infestum, his nominibus appellari: Iacob, Israel, Ephraim, Ioseph, Samaria.

Et sciet.) Ipsa clade experti, quantum malum sit, diuina oracula & eorum ministros despicere.

Populus omnis Ephraim.) Cuius delicta quanta fuerint, eius defectio à Dauidis regno, cui imperium promissum fuerat, non decem tribubus, ut id oraculum à patriarcha Iacobo expositum docet. hinc illud: Ipsi regnauerunt, & non per me. Declarat item aureus uitulus ab eis contra Mosæam legem cultus. Accesit his peccatis, quòd se contra Dauidis regnum & Hierosolymam Oseæ 8.

fœdere cum Syrijs à diuino fœdere alienis iunxerunt. demum, quòd toties ad moniti à prophetis, diuina responsa excussa pœnitentia contemnere perrexerunt, superbè & arroganter ea quæ sequuntur iactantes.

Lateres conciderant.) Securitas rebellium explicatur, quam sibi extra præsidium Dei in medijs periculis fingunt. Ephraimenses prima clade, qua ab Assyrijs affecti sunt, minimè commoti, & in Syris spem ponentes, se dirutis latericijs quadrato lapide ædificaturos dicunt: hoc est, exiguum damnum se passos arroganter confitentur. Atque hæc ut dicerent confidentius, à falsis uatibus fuerunt adducti, in quorum ore sonabant hæ uoces: Pax, Pax: Vos estis populus Dei, penes uos est religio uera & cultus Dei, uos regno floretis: septi etiam ac muniti potentissimę gentis Syrię fœdere ac societate, quibus alioquin superbus populus inflatus, contempta pœnitentia, spiritus sibi sumebat. Nam arrogantiam & superbiam Ephraim etiam cæteri prophetæ reprehendunt. In libro Iudicum extat arrogantiæ atq; superbiæ Ephraimitarum exemplum, aduersus Gedeonem & Iephtham editum. Iudic. 8. & 12.

Sycomoros.) Pro שקמים, LXX reddunt συκαμίνους, Hebræam uocem continentes. Arbor grandis est, fico similis, fructum ferens ignaui gustus & saporis. Dioscorides hanc arborem dicit uocari συκόμορον, & à quibusdam συκαμινον. Viles arbores sycomori succisæ sunt, nobiles cedros reponemus. Sed quid respondet tam arroganter loquentibus diuinus spiritus, per Iesaiam uatem? Sequitur:

Et eleuabit Dominus.) Ex talionis lege pœna irrogatur. Ipsi superbi se efferunt, Dominus contrà extollet super eos hostē, qui eorum superbiam deprimat, ut is, p more solet insolētes deijcere. iuxta illud: Dominus deijcit superbos. Quare sapienter Salomon dicit, superbos ore suo arrogante cladem sibi afferre, sapientes autem suis labijs seruari. Quæ sententia in natura ipsa scripta, neque Græco uati ignota fuit, qui superbia animos perdi canit:

ὡς ὑπερόπλησι τάχ' ἄνδρασι θυμὸν ὀλέσσαι.

Dominus.) Iustus scelerum uindex. Quem igitur patrem beneficijs eius exornati agnoscere recusarunt, seuerum iudicem experti sunt. Deum igitur, qui natura pater est ad benefaciendum pro sua natiua bonitate propensus, rebellio improborum iudicem seuerum efficit, ut opus non proprium, sed alienum faciat: quod est puniendi & perdendi opus, cuius efficiendi necessitatem Deo improborum improbitas imponit, non naturæ suæ bonitas. De qua infrà capite uigesimooctauo, ad magnam afflictorum consolationem loquitur propheta.

Hostes Rezin.) Assyrij, qui capta Damasco, Rezinem Assyriæ regem occiderunt: ut palàm fiat, extra diuinum præsidium nullum esse, quo muniantur qui se Dei populum gloriantur.

In tumulum uertet.) Syros mixtos cum Assyrijs, bellum Israelitis illaturos: quibus antè opem tulerant, in bello aduersus Dauidis regnum gesto. Huc pertinet commiscendi & confundendi uerbum in Hebræo. Submoto mysticæ historiæ uelo, non secus commiscentur & confundantur, qui aduersus Dauidis cœlestis, hoc est Messiæ regnum, quod æternum est, conspirant.

Et deuorabunt.) A' feris, rictu deuorantibus prædam, mutuatus tropus. Sic deuoratum iri Israelitas à Syris, Assyrijs & Palęstinis.

Non est auersus furor eius.) Quem pœnitentia in electa gente auertere poterat, in eo, cuius proprium opus est misereri, alienum irasci.

Sed adhuc manus eius extenta.) In retentam improbitatem. Habitus minantis affingitur Deo.

Et populus non est reuersus.) Qui ut reuerteretur, à Domino afflictus fuit. Non enim castigat, ut perdat, sed ut ad pœnitentiam scelerum reuocatos seruet. firmum est illud: Nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur, & uiuat.

Non inquisiuerunt.) Curæ non habuisse Dominum, & eius oracula. Fons omniū scelerum quis sit, ostenditur: relicta doctrina cœlesti, terrenam & falsam falsorum uatum persequi. Quare sequitur:

Et disperdet Dominus.) quos libentius seruaturus probos fuisset. Gradus afflictionis hic memorantur ordine à uate nostro. primò, excitari hostes potentes, sublatis humanis præsidijs: deinde, caput, hoc est uiros autoritate præditos, ut sunt Iudices, Senatores, duces, & religionis ministros, auferri: tertiò, seditiones internas & ciuiles excitari. Demum, crescente improbitate, populum desertum humana & diuina ope eliminari & excindi. Simili clade postea Iudæi affecti leguntur: de qua suprà Iesaias mentionem facit. ubi similiter Dominus minatur se Hierosolymis ablaturum Senatores, Iudices, Consiliarios, Vates, Duces, & uiros autoritate præditos. Quod cum accidit, actum est de rerumpublicarum salute. Locus is illustrandus exemplis est, ex historijs petitis, & ea ad nostra hæc nouissima tempora inclinationis rerump. referenda. 3.

Incuruantem & recuruantem.) Ramos & iuncos se ablaturum: hoc est, robustos & debiles, magnos & paruos. Metaphora sumpta à firmis arborum ramis, & mobilibus infirmisq; iuncis in paludibus nascentibus.

In die una.) translationis decem tribuum in Medos. De qua in historia Regum uideris.

Ipsa cauda est.) Adulatio falsorum prophetarum notatur, contra minas Dei consolantium rebellem populum, denunciata pace, ubi non erat pax. Ducitur à canibus translatio, qui cauda abblandiuntur: animal ferox, libidinosum, rixans. Tales sunt pseudoprophetæ. Huiusmodi caudis hodie Aduersarij regnum plenum est. Non capiti, nobilissimę corporis parti, in quo sensus & ratio tanquam in arce residet, sed postremæ & neglectissimę, comparantur.

Et erunt qui beatificant populum illum.) Explicatur ingenium abblandientis caudæ. Similiter nostro interpreti LXX, μακαριῶντες.

Non lætabitur Dominus.) ut alienum opus à sua natura facturus, quod perdere est: ut gaudio affici dicitur, cum seruat, & suis salutem dat. Sic in Genesi capite sexto, cum diluuio humanum genus erat deleturus, ut animo indoluerit, legimus. Contrà infrà, seruata Hierosolyma præ gaudio exultare indicatur: Et exultabo Hierosolymis. Vnde intelligimus, quanto amore suos, & odio peccatum prosequatur: & ut natura ad clementiam propendeat, ab inclementia abhorreat, qui tanta misericordia sit, quantus natura est. *Genes. 6.*

Et pupillorum eius.) quorum alioquin solet misereri: qui in familia sua præcipuè pupillos, uiduas & peregrinos, quos curæ habeat, complectitur.

Non miserebitur.) Quamuis de se prædicet: Dominus Deus misericors & clemens. רחם non est leniter misereri, sed commotis uisceribus affici ad miserescendum. Vnde apostolus Paulus uim Hebrææ uocis explicans, uiscerum misericordiæ meminit. *Exod. 34.* *Coloss. 3.*

Quia omnis hypocrita.) Foris in specie probus, intus animo fide & amore uacuo. Huiusmodi est Hebræis חנף. Sic enim interpretes, והרבו רע, חנף ברוטוב. Hanc interpretationem Hebrææ uocis his uerbis, de hypocritis loquens Dominus, declarat: Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus uerò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia: sic & uos, foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem estis pleni hypocrisi & iniquitate. Qui meminerat caudę: iam hypocritarum, qui in caudis significantur, meminit. *Matth. 23.*

Et nequam.) Cum hypocritis coniungit facinorosos. Talibus mundus repletur, hypocritis regnantibus, & falsis doctoribus locum in Ecclesia obtinentibus. Nam ut uera religio, quam à Deo tradita doctrina gignit, omnium bonarum actionum perennis fons est: ita falsa per hypocrisim, omnium scelerum. At non unum genus est hypocritarum. Sunt qui foris pietatem, demissionem animi, mansuetudinem, continentiam, contemptum mundi & honorum simulant: intus despectione uerbi Dei, & odio eorum qui id amplectuntur, ambitione, auaricia, & occultis stupris flagrant. Quales fuerunt apud Israelitas, uates falsi & sacerdotes Baalim: & tempore Christi, pharisæi: & quales habentur in regno Antichristi, religiosuli Monachi, in tot sectas diuisi. Sunt præterea hypocritæ, qui foris quidem improbi sunt, sua uitia non celantes: sed quum Dei iusticiam per fidem in Christum communicandam contemnentes, per legem, & opera legis, per obseruationem elementorum mundi, per Missas, per preces ad diuos, per peregrinationes, per ieiunia certis temporibus suscepta, per eleemosynas quibus mereantur salutem, & id genus alia, peccata sua delere & expiare studeant, quid aliud audiunt, quàm quod hic uates in eos detonat? Omnes hypocritæ sunt, & facinorosi.

Et uniuersum os locutum est stulticiam.) Qui meminerat falsorum doctorum, hypocrisis, scelerum, iam oris quoque mentionem facit: eos animo, factis & sermone prauos esse, ex cordis redundantia ore loquente uanitatem & stulticiam. Vocantur in Hebræo, in lingua stulti נבלים, quòd foliis marcentibus & cadaueribus uitali halitu carentibus similes sint. Spiritu enim Christi carent, qui solus ueræ iusticiæ, uitæ & sapientiæ spiritus est: ut eo qui carent, uita, sapientia, & probitate quæ Deo probetur, carere dicantur, etiamsi in mundo sanctissimi & sapientissimi habeantur: ut sunt hypocritæ & pharisæi, quorum probitas pro summa improbitate, quorum sapientia pro summa fatuitate, quorum lux in eorum animis lucens pro tenebris à Deo ducatur. Sic enim scriptum est: Sapientia mundi stulticia est apud Deum. Quare rectè dicitur hic, Et uniuersum os locutum est stulticiam: ut est omne os ex quo spiritus Messiæ non loquitur, sed spiritus huius mundi qui Satanis spiritus est.

Succensa enim est quasi ignis.) Comparatione amplificat impietatem. Hanc instar ignis cuncta lambere, uepres, arbusta, arbores atque syluas: hoc est, paruos pariter & magnos, cum populo. Intueamur, submotis umbris, statum Ecclesiæ sub Antichristo. quæ reprehenduntur in Israelitis, typum præferentibus Ecclesiæ: ea quoq; in nobis intelligemus reprehendi, maximè his nouissimis temporibus, quæ Christus Dominus noster Matthæi capite uigesimotertio describit.

Et conuoluetur in superbia, fame.) Manet in similitudine ignis & ueprium: ut hæ incensæ fumum edunt in altum, ita impietas fumum superbiæ ex incensis hypocritis exprimit. Neq; parum scitè superborum hominum consilia, dicta & facta fumo comparantur, quæ non secus animorum oculos cæcant, atque fumus corporatos oculos cæcat: & instar fumi euanescunt, irritum exitum sortita. De quibus in Psalmo: Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Quare qui suprà legũtur dicere superbè, Latericia ceciderũt, quadrato lapide ędificabimus: hic eorũ fastus fumo in uanũ discedẽti confertur. Itaq; Amos: Quas quadrato lapide domos ędificastis, in eis non degetis. Cæterùm uerbũ יתבאבו nusquã reperias temerè aliàs. interpretib. est יתגאו, id est elati sunt elatione fumi. Elatos eos. Paraphrastes Chald. cõparationẽ in hunc modũ explicat: Instar ignis eorũ calamitatẽ & uindictam succẽsam, qui flagitiosos cum populo & exercitu deuoret. Huic interpretatiõi consen-

Psal. 68.

Amos 5.

Et factus est principatus.) Sed qualis principatus est, quo fungitur Messias? Non mundi huius principatus est, qui de se dicat: Regnum meum non est de hoc mundo. Vt quod non humanis armis comparetur & defendatur, & in quo nō opum terrenarum & potentiæ carnalis habeatur ratio, qua per luxum, libidinem et tyrannidem in subditos imperium geratur: sed cœlestis principatus accipitur, quo Messias & qui eius regno continentur, dominantur in peccatum, lumine æternæ iusticiæ circumdati: dominantur in mortē, perennis uitæ splendore amicti: dominantur in infernum, cœlum possidentes. Itaq; in principatu pueri Messiæ nobis nati, & à patre dati, æterna iusticia, uicta iniusticia, æterna uita, superata morte, æternus splendor & gloria, deleto opprobrio crucis cernitur. Beati, qui in hoc Messiæ dominatu partem habent. In quo hæc fuerint ordine perpendenda: Primò, quæ regis & principis Messiæ persona sit, qualisq; is rex sit, & quis ortus eius, quem nobis cōceptus è spiritu sancto, & natiuitas ex uirgine, atq; æterna eius (ut uerbi à patre) eloquutio declarat. Deinde, qualis principatus ab eo geratur, & quo gladio defendatur. Tertiò, quale eius solium sit, in quo rex sedet, & quibus ministris & legatis utatur. Quartò, qua lege suos regat ad ueram iusticiā, uitam & gloriam. Quintò, quæ bona Messias in sua administratione ciuibus regni sui procuret. Demum, ut eius principatus sit diuersus à mundi principatu, & contrarius Satanis imperio. His ordine ex nostro uate & reliqua scriptura expensis, quæ hic de rege Messia traduntur, cognoscere licebit. Loan. 18.

Vocabitur.) Si patrem spectes, hæc uocatio, generatio Messiæ est: qua eum pater talem gignit, qualis hic describitur. Sin pios, ab his Christus sacris nominibus hic memoratis uocatur, fide talis agnitus, in grauium tentationum lucta, & earum uictoria.

Mirabilis.) Primùm nomen Messiæ, eum mirabilem uocari. De quo nomine etiam mentio fit in Genesi, capite XXXII. Huius autem admirabilitas in ortu & natura, in munere & operibus ab eo editis spectatur. Porrò si ortum consideras, is origine de cœlo cœlestis homo est, è spiritu sancto sine patre in terra conceptus à uirgine, & ex ea in tempore natus, & ab æterno à patre ut eius æternum uerbum prodiens. Qui natura diuina & humana constans, uerus homo & uerus Deus est, uerè hominis & Dei filius. Quid autem admirabilius est, quàm talem hominem cernere, in quo pari potentia, sapientia, gloria & maiestate cum Deo patre prædito, humana natura diuinam totam quanta est cōprehendat, & cum ea ita iungatur, ut extra eam diuina sapientia, potentia & uita nusquam appareat: uersante nimirum in hoc cœlesti homine tota diuinitate corporatè. Atq; hanc admirabilem diuinæ & humanæ naturæ coniunctionem in Messia Dei uiuentis filio, sapientes homines contemplantes, nomen illius proprium ab angelo inditum יהושוע esse dicunt, quod tetragrammatū יהוה Dei nomen, & insertum Schin literam humanam naturam indicantem, complectitur. Et id concisè legi Iesus uolunt. De quo nomine in libro de uerbo mirifico à Ioanne Capnione scripto uideris: quē Germania primum de Hebræis literis benemeritum agnoscit, quo nos præceptore olim usi sumus. Vt autem ortus & natura Messias admirabilis est, ita admirabile quoq; eius munus quo fungitur, & admirabilia opera eius quæ edit, iudicantur. Nam munus huiusmodi est, cuius dignitatem neq; animo complecti, neq; sermone eloqui quisquam possit. Porrò si id in Christo IESV ut Dei uerbo consideras, occurrit primò tale munus, quale in exemplari quod in rebus condendis artifex Deus inspicit, spectatur: Messiam nempe quatenus Dei uerbum est, exemplaris causſæ munus obire, per quem omnia condita sint, sacræ literæ comprobant, & sanctorum fides agnoscit. Ex hoc munere manat etiam munus quod in explicando & enarrando Deo uersatur. nam per Messiam non secus patris

mens & arcana eius consilia enarrantur, atque per sermonem nostra mens &
Ioan.1. eius consilia exponuntur. Hinc illud: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et ut in sermone uelut in imagine mens ipsa, & is qui loquitur, elucet: ita qui filium Messiam æternum sermonem patris uidet, in ea Deum patrem quoque ut uiua imagine relucentem, uidet. Veluti his uerbis ad Philippum Dominus
Ioan.14. ipse testatur: Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum. Quò pertinet illud: Nemo nouit patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Vt sermo eum qui loquitur, alteri patefacit. Multa quidem de mirabili Dei uerbo etiam ueteres gentilium theologi & philosophi prodiderunt: sed ut Messias sit tale uerbum, & quomodo Dei uerbum is habeatur, & quam salutem afferat scriptis in libro uitæ, hoc solum sacræ literæ clarè exponunt. Accedit ad hæc iam explicata munera Messiæ redemptoris, munus quo is à patre Deo nobis datus mirabiliter fungitur. Hoc in morte eius piaculari & uictrice resurrectione ad uitam suis cœlestem & æternam parandam peragitur. In qua functione maximè mirandum est, hominem repertum, qui admirabili uictoriæ genere peccato per peccatum uicto iusticiam, morte per mortem superata uitam, maledictione per maledictionem deleta benedictionem cœlestis gloriæ electis suis comparet. Quod suum munus illustre fecit sumpta serui forma, per quam infra omnia deiectus cum fuisset, supra omnia elatus parem cum Deo potestatem & maiestatem nactus est, & nomen mirabile, de quo uates loquitur, adeptus, cui cuncta cœlestia & terrestria & inferna genua flectant: quem sic mirabili nomine insignitum angeli adorent, ut omnium Dominum: quem homines pij in terra reuereantur, & colant ut redemptorem & unicum salutis suæ arbitrum, & quem impij dæmones metuãt ut iudicem uiuorum & mortuorum. Ex quo artificis uerbi redemptoris & iudicis munere licet etiam cognoscere, quæ eius sit admirabilitas, quam in operib. tum ueteris tum noui mundi ostendit. In priori mundo occurrunt cœlũ & terra, & quæ his continentur: quæ omnia Messiæ, ut uerbi & exẽplaris opificis Dei causſę opera sunt. Sic enim de eo Dauid canit: Ipse dixit & facta sunt. & Moses de luce: Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Hoc autem uerbum quod loquutus est Deus architectus mundi,
1. Messias est. De quo Ioannes: Principiò erat uerbum, & uerbũ erat apud Deũ, & Deus erat uerbum, & omnia per ipsum facta sunt. Item Apostolus: Omnia
Coloss.1. per ipsum, & in ipso condita sunt, per ipsum quidem, ut ęternum uerbum, & exemplar, quod artifex Deus inspiciens mundum creauit: in ipsum autem, ut finem omnium: propter Messiam enim condita sunt. Qui est iustus ille, quem
Prouerb.10. Salomon fundamentum mundi uocat, & sapientia Dei, quam idem Salomon
Prouerb.8. sic loquentem inducit: Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege & gyro uallabat abyssum, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Sin uerò spectes nouum mundum, in quo noui cœli, noua terra, noua aqua, nouus spiritus, noua lux, nouus paradisus, noua Hierosolyma, hoc est sanctorum Ecclesia cernentur, hunc Deus per filium Messiam condet, cuius admirabilia in nouo mundo opera contemplabimur illo die, de quo infrà
64. propheta noster uaticinatur: Quæ auris non audiuit, & oculus non uidit, parat Dominus, sperantibus in eum.

Consiliarius.) Præcesserat de regno Messiæ mentio: Et erit principatus super humerum eius. Is quoniam consilijs geritur, hic ut rex consultus sit Messias, indicatur. Huius autem consilia quàm prudentia sint, mundus primò sapienter conditus declarat. in quo fabricando quoniam Deus Messia ut sapientia sua
Genes.1. usus est. de hoc consiliario Moses sic meminit, Faciamus hominem: filio Messia in consilium adhibito. De eo similiter Salomon: Dominus ab initio uiæ suæ me possedit, quando præparabat cœlos aderam. item: Apud me est cõsilium. Is consiliarius tempore plenitudinis caro factus, quàm salutarem consiliarium

se præ-

se præstet, comprobat eius Euangelium, in quo nobis consilia & rationes ueræ iusticiæ & æternæ uitę atq; gloriæ comparandę exponuntur. Hæc salutaria consilia admirantur & suspiciunt angeli, pij in terra homines celebrant, impij tum dæmones tum homines metuunt & ad ea tremunt. At is consiliarius non solùm sua de salute paranda consilia explicat, sed etiam uim & facultatem suppeditat, fuso in pectora suorum sacro spiritu: quo afflati, quę Christus consiliarius consulit, amplectantur, & uita exprimant. qualis consiliarius neq; Moses, neq; prophetæ fuerunt. Quapropter sponsa Ecclesia in Cantico canticorum optat, ut spōsus Messias se oris sui osculo osculetur: hoc est, doctrinam plenam salutarium consiliorum per spiritum consilij doceat, & per eum uires ea exequendi præbeat. In hoc mundo consiliarios suos principes & reges huius mundi habent, sed in quorum consilia, uectigalia & redditus, bellorum & pacis ciuilis rationes, imperij ut proferantur & defendantur fines, legumq; ferendarum quibus bonus regni status sartus tectus retineatur, deliberationes cadant. In cœlesti autem regis Messiæ republica, de cœlestibus bonis, de bello aduersus principatus tenebrarum, aduersus mundum & intestinum hostem, carnem eiusq; cupiditates gerendo, de extendendis item cœlestis imperij terminis, & de ferenda Euangelij lege, qua ciues ad pacem conscientiæ aduersus peccati & mortis tyrannidem conseruandam gubernentur, consilia tractantur. Et cum talis sit consiliarius rex Messias, nihilominus tamen is sapientia illa est, quam Salomon in Prouerbijs celebrat, Per me reges regnant: sed rectione quæ ad ueterem mundum pertineat, non ad nouum, in quo per spiritum suū Messias regnat, consilia de æterna uita & gloria posidenda explicans. Cantic. 2.

Deus.) Sed unde Messias Deus esse comprobatur? Primò ex ratione uerbi, deinde ex conceptu, tertiò ex ea ratione qua caput suæ Ecclesiæ constitutum dicitur, demum ex principatu quem gerit. Quod ad uerbi rationem attinet, quoniam Messias Dei uerbum est per quod & in quo omnia condita sunt, ut is Deus sit necesse est, creatura conditoris omniū titulum sibi nulla uendicante. Christum autem opificis Dei uerbum esse, suprà indicatum est. Ex conceptu ut Christus IESVS Dominus noster Dei nomen sibi iure asserat, ex eo patet, quòd conceptum eum esse è spiritu sancto cum credimus, talem eum esse credimus, qui per conceptū omnem copiā & abundantiā spiritus sacri acceperit. Quod est apud Ioānem: Sine mensura dedit ei spiritum. item illud: Vnxit eum præ consortibus. Credere aūt hominem esse, in quo plenitudo diuinitatis habitet corporatè, & qui citra modum spiritu sancto unctus sit, credere est talem hominē Deū esse ex Deo, & filiū Dei sapientia, potētia & maiestate patri Deo suo parē. Ex ratione prętera qua Christus corporis Ecclesiæ caput cōstitutus creditur, eius diuinitas nō obscurè confirmat. Vt enim eum Deū esse non cōfitearis, in quo uelut in capite, omnis perfectio in corpus Ecclesiā ex uarijs membris ędificatū dimanās continet? Quod si qui ut mēbra corporis Christi diuinitatis cōsortes dij et filij Dei appellant, quomodo Christus nō plenè, ut natura filius Dei, Deus uocabit? Principatus Messię talis est, qui nisi uerè Deus sit, eū tueri non possit. Dominatum enim in cœlestia, terrestria & infera gerere, cui peccatum, mors, infernus, & potestates omnes subiectę sint, diuinitatem eius qui tam potenti in omnia imperio utitur, indubiè comprobat. Vt autem Messiam talem principem esse cōfiteamur, ad nostram salutem interest, diuinitatē quoq; arbitri ratione in eo comprobante. Quî enim fidem habeamus ei ut uictori peccati, qui peccati Dominus non sit? quî tuti simus à morte & inferno, per eum qui mortis & inferni uictor non habeatur? quî ad iusticiam, uitam, ueritatem, sapientiam reparemur, nisi is quem credimus omnium reparatorem esse, ipse iusticia, ipse uita, ipse ueritas & sapientia credatur esse? At Christum credere esse iusticiam, uitam, ueritatem, & sapientiam, Ioan. 2. Ioan. 3. Psal. 44.

non est,eum purum credere hominem esse, sed hominem plenum diuinitate: per quem,& in quo omnia quæ uiuunt,uiuant:omnia quæ sapiunt,sapiant:omnia quæ iusta sunt,iusta sint. Vnde fieri,ut nomina quæ Deo creatori cœli & terræ tribuuntur,Messiæ filio eius, arbitro uniuersæ salutis quoq; tribuantur. In Hieremia legimus,eius nomen Iehouam iusticiam nostram uocatũ iri. Vbi etiam ueteres Hebræi eum locum de Messia interpretantes,eum Iehouam nominari dicunt. Paraphrastis Chaldæi sententia nota est. Dicas, non solum Messiam nomine Dei appellari, sed etiam Mosem , Israelem & Hierosolymã.

Exod.7. De Mose enim in Exodo scriptũ est:Dedi te Deum Pharaoni. De Israele:Di-
Psal. 82. xi,uos Dij estis.De Hierosolyma uerò apud Ezechielem:Et nomen ciuitatis à
Ezech. 48. die,Deus Iehoua ibi. Moses non appellatur nomine Iehoua, Deo proprio,ut Messias:sed communi Deo & angelis & iudicibus. Nam אלהים Moses appellatus est,qui esset iudicis munus obiturus in Israelitas , leges & iura Dei exponens. Hierosolyma nomine tetragrammato apud Ezechielem uocatur, non quidem illa terrena,sed cœlestis Hierosolyma, quod in ea Messias Iehoua uersetur & habitet,quæ sit eius ut capitis πλήρωμα : quòd indicat apud Ezechielẽ uoculam שמה, hoc est ibi , qua significatur,Iehouam ibi cum muneribus sacri spiritus,cuius templum sit,habitare. Aliter igitur Iehoua nomen Messiæ, aliter Ecclesiæ corpori illius competit. Messiæ competit ut creatoris uerbo,ut redemptori & omnium administratori,ut capiti uniuersæ perfectionis spiritualis:Ecclesiæ,quatenus in ea redemptor Iehoua uersatur,ut corpore suo per spiritum uitæ cœlestis.Quòd autem filij Dei dij nominantur, non Iehouased cõmuni multis nomine,אלהים: neq; dij appellantur,nisi quatenus diuini spiritus consortes fiunt per gratiam regenerationis. Secus Christus IESVS Deus hic apud prophetam nostrum,& alijs sacræ scripturę locis uocatur:qui uerè & natura uocatur Iehoua Deus , in quo diuinitas non ex parte, sed plenè, non per gratiam adoptionis, sed natura, ut naturali filio Dei habitet. Cæterùm cur Geneseos capite XXII Moria locus nomine יהוה, similiter ara Exodi XXVII, & ara à Gedeone Iehoua pacis nuncupata sit,id aliàs indicatum est. Vt autem à propheta nostro & alijs,non solum à Hieremia , Christus Iehoua appelletur, satis constat:& pro occasione,ubi res postulabit, ostendetur.Exodi sexto legimus:Et nomen meum יהוה non declaraui eis. Quod nomen Messias est, ueterum etiam Hebræorum sententia.De quo nomine in hunc modum Zopho-
Zophon. 3. nias: Quia tunc reddam populis labium purum, ut inuocent nomen Domini. Hoc autem nomen Messias rex est,de quo propheta noster infrà: Et timebũt nomen יהוה.Sed quod est illud nomen Iehoua? Explicat nomen sequentibus uerbis:Et ueniet ad Sion redemptor.Is autem redemptor Messias est nomine Iehoua appellatus. in quo solo liceat seruari, ut Petrus nomen hoc seruatoris
Actor. 4. Iehoua explicans ait:Non est aliud nomen sub sole,in quo oporteat saluos fie-
Oseæ 1. ri. De quo nomine antè prædixerat Oseas:Et domui Iuda miserebor,& liberabo eos in Deo יהוה.ubi clarè Messias Iehoua nominatur, in quo & per quem Israelitæ, hoc est scripti in libro uitæ,seruentur. Vt autem etiam שרי nomen Messiæ congruat,suprà indicatum est,& alia diuina nomina, ut quoque ei tribuantur,alijs in locis annotatum. Cæterùm ut alia oratione humanæ naturæ,alia diuinæ Messiæ tribuantur,non arbitror referre ut quicquam,tanquam de re manifesta, admoneatur. Quis enim diuinæ naturæ, ut humanæ tribuat, eam è spiritu sacro certo tempore cõceptam,& natam ex uirgine, eamq; uario crucis genere uexatam, crucifixam, mortuam, & tertio die è mortuis excitatam,& relicto hoc mundo cœlos penetrasse,sede maiestatis patris sui occupata? Hæc igitur Christo tribuimus,quatenus homo,non quatenus Deus:diuinitatem eius ab omni mutatione liberam confitente sanctorum fide.

Fortis.) Heroica fortitudo,qua Messias filius à patre Deo nobis datus,præditus

Perge folio sexto quinto
ante hoc

Samaria, bello Hierosolymam petiturus loqui inducitur. Sed quid tam arroganti hosti accidet?

Et erit, cum compleuerit.) Hæc erunt pōderanda in hoc loco. Primò, Dei opus esse Hierosolymæ castigationem: & submota umbra, Ecclesiæ, nō hostium. Hostis gloriatur: In fortitudine manus meæ feci, & sapientia mea intellexi. Dominus uerò hic: Cum opus meum perfecero. deinde, hoc opus finem habiturum, non æternum fore. Legimus enim: Cum perfecerit Dominus. Atq; ut finem Hierosolymæ uexatio regnante Ezechia habuit, ita Ecclesiam regnante Messia tandem sua afflictione liberatum iri. Postremò, diuinæ iræ feces epotandas hostibus. ut sequitur:

Visitabo super fructum.) Deo superbos deijciēte, qui neq; pares neq; superiores ferat, sed humiles & demissos spiritu. De quib. Psalmus: Humiles spiritu saluabit. Hoc ponderans sapiens quidam apud Græcos uir, cum interrogatus esset quid nam faceret Deus? respondit: Excelsa deprimit, humilia extollit.

Altitudinis oculorum.) Nominantur hic cor, sermo, oculi. cor sedes arrogantiæ, sermo interpres, oculi indices.

In fortitudine manus meæ.) Non perpendens illud: Ne glorietur fortis in fortitudine sua, ne se iactet sapiens in sapientia sua. Hier. 9.

Et abstuli terminos populorum.) Cum hoc Dei opus sit, non hominis, de quo Daniel: Ipse mutat tempora & ętates, transfert regna atq; constituit. Daniel. 2.

Et principes eorum deprædatus sum.) Immemor illius de quo Amos uates: Qui suscitat uastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert. Amos 5.

Et detraxi quasi potens.) Arroganter sibi uendicat potentes de sede deturbandi potestatem, quam sibi iure asserit Deus: Potentes de sede deijcit. Alijs Caph in באביר, est humilitudinis, ut nostro: alijs ex literis uocem componentibus, ualēs idem quod בביר Aleph uacante.

Et inuenit quasi nidum manus mea.) Scita similitudine superbi hostis fastus depingitur, hunc iactare se, non secus populorū opes nactum, atq; aliquis nidum plenum ouis à fouentibus & incubantibus auibus derelictum nanciscitur.

Et non fuit qui moueret pennam.) Manet in similitudine nidi & ouorum. Solent aues nidos suos circumuolitare, ut ab eis alarum strepitu atq; rostris pullos aut oua auferentes abarceant. nihil aūt sibi tale in diripiendis populis contigisse.

Atq; gannire.) Hebræa uox מְצַפְצְפִים, auicularum stridorem imitatur. Qualis imitatio in Latinis his uerbis, grunnire, gloccire, hinnire, balare, & alijs cernitur. Sub imagine tam superbę & insolenter gloriantis Assyrij de sua potentia, qua omnia uincat & in potestatem suam redigat, ut spiritualis Assyrius ille aduersarius Hierosolymæ Ecclesiæ fastuosę suam potestatem & sapientiam ostētans repręsentetur, declarat is ipse, cum plenitudinem potestatis sibi uendicat, tantaq; sapientia se præditum gloriatur, ut errare non possit: cuius etiam potentiam principes, Reges & Cæsares formident, eius pedes osculantes. Et his non contentus, ius sibi in inferos & in cœlum usurpat, dum pro libidine quosuis beat & damnat: idq; manu sua, hoc est, de plenitudine potestatis suæ se facere dicit, contra quam nemo ne mussitare quidem audeat. Veluti hic de Assyrio legimus, nidi instar ipsum omnia nactum, nemine uel alam mouente, uel aperto rostro stridorem edente. Iacent enim principes & reges, fulmen excommunicationis illius metuentes. Muti sunt canes episcopi, silent doctores, uulgus ne hiscere quidem audent, à diris sæuæ bestiæ sibi metuens. Atque cum tantopere formidatur, mundi interim thesauros uarijs artibus deprædatur. Vt sunt artes, quas in indulgentijs, satisfactionibus, absolutionibus, appellationibus, reseruationibus, in liberatione ex purgatorio, uenditione munerum Ecclesię ostendit. Sed cum hęc patrat, impune ne patrat? Absit. Sequitur enim:

Nunquid

Nunquid gloriabitur securis.) Apta similitudine Assyriorum arrogantiam reprehendit, quæ à securi & serra, atq; ab agitante eam mutuatur. Qua similitudine significat, uniuersas naturas conditas mouentis & agitantis Dei organa & instrumẽta esse: & quòd sunt, mouentur, nimirum à Deo esse, moueri, & uiuere, ueluti Apostolus his uerbis declarat in Actis: In ipso uiuimus, mouemur, & sumus. Quod cum ita habet, animaduertimus hic graue delictum esse, si creatura iactet se quicquam sua ui agere aut facere, non Dei. Vt hic Assyrius reprehenditur, de se prædicans: Manu mea & sapientia mea perfeci. Deinde naturas conditas suum optimum statum tueri, cum agnoscũt se in Deo & per Deũ esse, uiuere, & agere atq; moueri, à quo non secus regantur & agitentur, atque serra agitatur ab agitante, & securis ab eo qui ea secat, mouetur. Tertiò, cognoscimus magna nostri consolatione, hostibus Ecclesiæ non plus uirium esse ad lædẽdam eam, quàm est securi ad scindendum, & serræ ad secãdum, si desit qui hęc instrumenta moueat & agitet. Postremò accipimus, cum in uetere natura ita res habeat, ut in ea quæq; nudum Dei sit instrumentum: maximè id uerum esse de noua, in qua qui locum habent, hoc cum Apostolo sapiunt & sentiunt: Non amplius ego uiuo, sed Christus in me uiuit. Vnde intelligimus, Deum in Christo nostram esse iusticiam, uitam, sapientiã: nihilq; de nostra probitate, uita, sapientia, extra Christum esse gloriandum.

17. Gal. 2.

Propter hæc mittet.) Reprehensa arrogantia & sæuitia hostis, iam sententia de supplicio quo afficiendus sit, dicitur. Quæ sententia, reuocata hypothesi ad thesim, pariter ad omnes superbos hostes Ecclesiæ pertinet.

In pingues eius.) Figuratè de principibus & ducibus exercitus Assyriorum accipitur loqui uatem: de quorum clade in Regum historia uideris. Legitur in ea, per angelum una nocte centum octogintaquinq; millia interfecta. Pingues explicantur in Paralipomenis: Et misit Dominus angelum suum, qui percussit omnem uirum fortem & bellicosum, & principem exercitus regis Assur.

4. Regum 19. 2. Paral. 32.

Et erit lumen.) fauoris & læticiæ diuinæ in Messia splendens lumen.

Israel.) Submota umbra Israelis, indicatur, extra Ecclesiam filiorum Dei salutarem lucem non lucere, lucem inquam quæ de se prædicat: Ego sum lux uera. Hæc lux imagine per lucentem in sanctuario ignem præfigurata fuit. Quam cum Assyrius sanctæ Hierosolymæ hostis extinguere uellet, ipse per ignem diuini furoris conflagrauit. ut sequitur:

In ignem.) Ipsi Assyrio, quem succendet. de quo præcesserit: Quasi incendio ignis succendet. Dominus igitur naturam incendiarij ignis habet in hostes, lucis amabilis in Israelitas. Notatur incendium, quo Sennacheribi exercitus per flammeum Dei angelum extinctus est. Omnia ignea & flammea sunt, quæ ad hostes Hierosolymæ iudicandos adhibentur. Deus iudex, iuxta illud: Deus ignis est: thronus, ministri angeli, lex ipsa, ex cuius perscripto sententia dicitur. Vt spiritualis Assyrius Antichristus igni pereat, declarat illud: Spiritu oris sui interficiet impium. Qui spiritus ignem purgantem electos ut aurum, & consumentem impios ut scoriam, continet, de quo aliàs.

Daniel. 7. Deut. 33.

Et sanctus eius.) Messias, de quo infrà: Hæc dicit Dominus redemptor eius, sanctus eius.

Spinas eius, & uepres.) Qui ignis meminerat, iam ueprium facilium ad comburendum meminit, quibus milites Assyrios comparat.

Et gloria saltus eius, & carmeli eius.) Figuratè de eodem regis Assyriorum exercitu dicitur, quem syluæ arboribus abundanti ob militum copiam, & agro bene culto ob opes & ordinem atq; militarem disciplinam, comparat. Non enim carmelus hic de monte Carmelo in Galilæa sito, sed de agro bene culto interpretantur.

Ab anima usq; ad carnem.) Respicit propheta ad incendij naturam, quo uita & corpus

corpus consumuntur. Per prosopopœiam syluæ animam & corpus tribuit, cui semel exercitum comparasset.

Et erit terrore profugus.) De fuga Sennacheribi uideris in Paralipomenis, ubi proditur, illum ut fugisset ex Iudæa, & Niniuem redijsset, à filijs suis interfectum. 2. Paralip. 32.

Et reliquiæ linguæ saltus.) Manet in allegoria. More linguæ numerus pro paucis usurpatur. Pauca enim facillimè numerantur.

Et puer scribet eos.) Respicitur à diuino uate ad puerorum ingenium, qui quíduis potius assequuntur quàm numerorũ seriem: quos etiam cum perceperũt, breues memoria retinent. Hinc apud Græcos λόγος mentem, sermonem & numerum significat: quòd solius naturæ rationem habentis sit, intelligentia cuncta perlustrare, numerare, & percepta sermone eloqui.

Reliquiæ Israel.) ab Assyrij tyrannide, interitum Hierosolymæ machinantis, assertæ. de quo conatu suprà: Nónne q̃d feci Samariæ, idem faciã Hierosolymę?

Niti super eo.) Vt Achaz fecit, qui ut ab Assyrio, cuius ope & præsidio nixus fuerat, imposita tributaria seruitute læsus sit, in Paralipomenis uideris.

Sed innitentur super Dominum.) Veluti de Ezechia legimus: Et in Domino Deo sperauit. Verbum nitendi השען, indicat, pios non secus Domino niti, atq; baculo imbecilles nituntur, quo gressus suos regant. Is nixus atq; fulctrũ, fidei & spei fulctrum est, cum in uno Deo, in Messia filio Dei, fides & spes ponitur: nõ in nobis, neq; in ulla extra nos re. Hic cadunt oẽs creaturæ, omnis sapientia & potentia humana, cadunt oẽs ueteris uoluntatis uires, cadunt omnia sacra in regno aduersarij, quibus salus conficiatur: & una Dei iustícia, sapientia & uita in Messia, quibus in rebus aduersis per fidem & spem sustentemur, remanet. 4. Regum. 18.

In ueritate.) Opponitur אמת hypocrisi & simulationi, & in administratione noui fœderis etiam rerũ externarũ obseruationi. De qua ueritate Christus Dominus noster: Et adorabunt in spiritu & ueritate. Ioan. 4.

Reliquiæ conuertentur.) Sub Ezechia, de tyrannide Assur. Reducto uelo mystícę redemptionis, occurrunt reliquiæ Christo iam in mundum repræsentato, de quibus Apostolus in epist. ad Rom. meminit: Si fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiæ saluæ erunt. De his reliquijs etiam suprà aliquoties.

Deum fortem.) aduersus Assyrium. De Messia Deo forti: Admirabilis cõsiliarius, Deus fortis. Quàm fortis Deus sit, declarat uictoria hostium satis pijs nota & eis ad salutem necessaria.

Consummatio abbreuiata.) Reliquías consummatas & concisas, instar fluminis regnante Christo inundaturas terram, iustícia Euangelij ab Israelítis in gẽtes deriuanda. Ex Israelítis enim delecti sunt Apostoli & doctores sacri Euãgelij, ad diffundendam iustíciam Dei, cum antè in mundo uulgo iustícia legis & humana uiguisset. Reddi etiam potest חרוץ, hoc est decisum: pro, consummationẽ à Deo definitam. Nam ut apud Latinos decreta dicuntur decidi, ita apud Hebræos, ut ex primo libro Regum cap. xx patet. Sunt qui consummationem cõcisam accipiunt de Euangelio, in quo lex & prophetæ consummẽtur & abbreuiẽtur in uerbo fidei & amoris Dei atq; proximi. Veluti Dominus, legis & prophetarũ cõsummatio ac perfectio, dícit: In his eñ duob. mãdatis pẽdet lex & prophetę. Similiter Apostolus: Qui enim dílígit proximũ, legem expleuit. Rom. 13.

Noli timere.) Apostrophe ad reliquías iam memoratas, plena consolatione, quæ uoluntatis cum facultate coniunctos locos continet.

Populus meus.) mihi fœdere iunctus, quod neq; ego fallam, neq; ulla aduersaria uis labefactet. Locus uoluntatis, qui in afflictionibus iuuare uelit.

Habitator Sion.) regno Dauídico montis inclyti, quod firmum propter Christum fore promisi, & non delendum per Assyrium. itaq; sequitur:

Ab Assur.) quamlibet potenti, & ob potentiã superbo hoste. Is nõ Dñs tuus

erit,

erit,ſed ego. Veluti legimus capite XXXVI: Ciuitatem hanc nõ ingredietur, dicit Dominus: quam protegam propter me, & propter Dauid ſeruum meũ. Submota umbra rerum futurarum,in Eccleſia filiorum Dei nouiſsimis tempo ribus non Antichriſtum, ſed Meſsiam,cœleſtem Ezechiam,Dominum exercituum,obtenturum imperium per Euangelium:quamlibet in mundo illa omni præſidio deſtituta,& hoſtis potentia florere uideatur. Quæ Eccleſiæ & mẽbrorum eius in ſummis periculis ſumma & unica conſolatio eſt.

In uirga percutiet te.) non penitus confecturus. Baculo caſtigabit, ſed uerberibus finiendis. In libris Regum narratur, ut Iudæa uaſtata, & argento ab hoſte recepto,quod illi Ezechias in templo repertum dederat, ut à Hieroſolyma manum abſtineret, nihilominus uiolata fide,ab impio hoſte ſacram urbem graui obſidione infeſtatam.

In uia Aegypti.) More Aegyptiaco,ut olim Pharao. Sunt qui in hunc modum interpretantur: Aſſyrium Iudæa occupata Aegyptijs occurriſſe, quos audiuerat aduerſus ſe in expeditione eſſe: eiſq; cæſis,ad oppugnandam Hieroſolymam reuerſum.

Adhuc enim paululum.) A' temporis breuitate conſolatur: Non diuturnam fore afflictionem.

Et furor meus ſuper ſcelus eorum.) Breui finiendam iram, quam Dominus in ſacrã Hieroſolymam declarat, propter inueteratum hoſtium ſcelus, quod committunt, capitali odio diuinum populum proſequendo. Exitus igitur afflictionũ, quibus piorum Eccleſia caſtigatur, glorioſus eſt: impiorũ funeſtus. Vnde Dominus utrumq; ſtatum crucis & gloriæ expertus,ſic ait: Beati lugentes,quoniã hi conſolationem accipient. Quare ſequitur:

Matth. 5.

Flagellum.) De hoc uideris in hiſtoria Regum,& in Paralipomenis.

Iuxta plagam Madian.) Qui non humanis,ſed diuinis armis periit: ſic periturum Sennacheribum. Occurrit ad cõſolandũ, tacitæ obiectioni: nihil referre, quòd Hieroſolyma ſit deſerta omni humano præſidio: quam Dominus ſuis, hoc eſt diuinis & cœleſtibus armis ſit defenſurus.

Iudic. 15.

Et uirgam ſuam ſuper mare.) Vt elata uirga Moſæa ſuper mare rubrũ, abſorpti ſunt Aegyptij: ſic periturum diuina ui Aſſyrium.

Et iugum eius de collo.) Conſolatio à ſoluendo iugo ſeruitutis, reſtituta libertate. Metaphora ſumitur à iugo boum. Imago cernitur in iugo Aſſyrio, res ipſa & ueritas in iugo aduerſarij Meſsiæ.

A' *facie olei.*) Sed quod eſt illud oleum, quo durum & graue hoſtis iugum corrumpitur? Si prophetę tempora ſpectes, occurrit oleum regium Ezechiæ, ſub quo ſolutum fuit iugum Aſſyriorum. ſin tempora cœleſtis Ezechiæ Meſsiæ, occurrit regium eius oleum, quo is unctus, rex peccati, mortis, Satanæ & aduerſarij ſui iugum corrumpit. Itaq; piè Paraphraſtes Chaldæus de Meſsia uatem loqui interpretatur, וירהבון עממיא מן קרם משיחא. In oleo ſanandi, ardendi, lumenq; fouendi uis ſpectatur: quę in oleo ſacroſancto, quo Meſsias unctus eſt, ut cernantur, alio loco indicatum eſt.

Veniet in Aioth.) Deſcribitur Aſſyriorum iter Hieroſolymam uerſus, ad eam oppugnandam ſuſceptum. In qua deſcriptione omnia ita narrantur, ut terrorem Hieroſolymæ afferant, quo in hanc diuinæ clementiæ, & ſeueritatis in Aſſyrios documenta clarius appareant: eam conſuetudinem Deo perpetuam tenente, ut tum præſens maximè adſit, cum omnia in ſummum adducta ſunt diſcrimen. Cæterùm nomina quæ hic memorantur, bona ex parte non memorantur in Ioſua. Apparet igitur, urbes has duo tenuiſſe nomina. Aioth eſſe putant, quæ apud Ioſuam Ai appellatur.

Tranſibit in Magron.) Huius loci mentio fit in primo Samuelis libro, capite decimoquarto.

Apud

Apud Machmas.) Huius loci mentio fit apud Iosuam in finibus Ephraimensis tribus, capite XVI: & primo libro Samuelis, capite XIII. Hieronymus in locis Hebræis meminit, etiam suo tempore eo nomine grandem fuisse uicum, à Hierosolymis nouem milibus distantem, prope uicum Ramam.

Transierunt cursim.) Chaldæus Paraphrastes indicat, ut transisset Iordanem, urbes hic memoratas terrore & metu, ut fit, qui ex imminẽti periculo oritur, perculsas. Is igitur, & qui eum sequuntur, hanc narrationem de ea profectione accipiunt, qua primo uoluit adoriri Hierosolymã: nõ de ea, qua denuò regressus ex Aegypto, eam adortus est.

Gabeæ.) Apud Iosuam capite XV ponitur in tribu Iudæa: sed in libro Iudicum, annumeratur tribus Beniamensis urbibus: Hic traiecto uado Iordanis, pernoctasse hostem.

Obstupuit Rama.) Tribus Beniamensis urbs, de qua apud Iosuam cap. XVIII.

Gallim.) De hac urbe uideris libro primo Samuelis, capite XXV.

Attende Laisa.) De Laisa uideris libro Iudicum capite XVIII. Tantum ululatum futurum, ut pertingat usq; ad Laisam, in ultimis ad septentrionem finibus sitam: nempe ad Dan, ubi Iordanis origo est. Apparet, nõ nominari hic ciuitatem cuius in libro Iudicum fit mentio, sed fuisse urbis in libro Beniamensi sitæ nomen. Ad quam, ut uicinam, hostilis terror peruaserit.

Migrauit Medemena.) Huius urbis fit mẽtio apud Iosuã capite XV. Sita est in tribu Iudæa. Ciuitatũ quæ ad meridiẽ sitæ erãt, meminit: has hostiũ terrore perculsas. Nã ut Medemena & Sicelag ciuitates australes fuerint, ex Iosua patet.

In Nob.) Vrbs tribus Beniamensis, nobilis cæde sacerdotũ à Saulo facta, cuius mentio fit primo Samuelis libro. Chald. habet: In Nob ciuitate sacerdotali.

Ecce dominator Dominus.) Qui possit hostem conterere, qui Dominus omnium sit. secus quàm hostis cogitat, qui superbè dicat: Nunquid ut feci Samariæ, sic faciam Hierosolymæ?

Confringet lagunculam.) Comparat hostem arborum ramis securi præcidendis. Nam Hebræus habet: Confringet ramos.

Et excelsi statura.) Manet in metaphora arborum procerarum, quibus principes & duces exercitus Assyriorum comparat.

Et Libanus.) Cuius cedris nota translatione superbos Assyrios confert.

Cum excelsis.) Notatur angelus, & sub figura angelus is de quo suprà, Deus fortis: qui Messias est, de quo sequitur. Nota uox אביר est. Hebr. Et Libanus per potentem cadet.

IN CAPVT VNDECIMVM.

Et egredietur.) More prophetico, quæ tectius sub mystico inuolucro de Christo IESV, de cœlestis, sed peregrinantis in terra Hierosolymæ liberatione, de spiritualis Assyrij interitu uelut primis lineis designata sunt, hic claro de Christo oraculo uelut additis coloribus & luce illustrãtur: hoc est, nõ tectè, sed clarè exponunt. In quo hęc ordine fuerint expendenda: ortus Messiæ, regnum, munus, uictoria, gloria, & fructus quem mundo affert. De singulis ordine.

Virga de radice Iesse.) Explicatur ortus Christi ab humana natura, eum procreandum ex stirpe Isai. Metaphoris surculi, germinis, caudicis & radicis prophetа utitur. Solẽt ex caudice, & trunco uicino radicibus, & ab ipsis radicibus surculi nasci. Suprà meminerat præaltarum arborũ, quas diuina ira succiderit: hic ex trũco ac caudice neglecto surculum pullulaturũ prædicit, Christũ IESVM: qui contempta ipsi mundo origine, & eo tempore quo Isæa stirps neglecta iacebat, natus, suę Hierosolymę hostes libani cedris cõparatos, sit euersurus. Alluditur aũt in uoce חטר ad regium sceptrum, quo regnum suum sit administraturus. Itaq; Paraphrastes Chaldæus reductis tropis, apertè quæ hic legũtur, de

Meſsia ſeruatore mũdi interpretatur his uerbis: Et egredietur rex de filijs Iſai, & Meſsias de filijs filiorũ eius principatũ geret. Sed quo tẽpore naſcet is rex? Indicat uates fore, ut eo tempore naſcatur, quo inſtar trunci abſciſſa arbore, Dauidis familia contẽpta habebit regno uidelicet eius ad interitũ uergẽte. Quod accidit Herode regnante, & Romanis ſacerdotiũ uendentib. Hoc tempus figuratè tectéq; indicatur à Ieſaia in contempto trunco ac caudice, de quo memine
Geneſ. 49. rat antè Iacobus antiquus uates: Non recedet ſceptrũ de Iuda, donec ueniat Silo. Vbi duo pnunciat Iacobus: unũ, Meſsiã ex Iuda procreatũ iri: alterũ, ſed nõ prius procreandũ, quàm regiũ ſceptrũ Iudę tendat ad interitũ, & nouũ atq; cœleſte ſceptrũ ſuccedat, quod nõ humana ratione, armis atq; potẽtia, ſed diuina ratione armis & potentia ſit adminiſtrandũ. Ex hoc igitur uatis noſtri & Iacobi oraculo clarũ eſt, Meſsiã ueniſſe, neq; aliũ expectandũ eſſe, qui ex Dauide naſcatur, moriatur, & à morte excitatus in cœlum ad thronũ maieſtatis Dei patris ſui euehatur, dominatũ in omnia cœleſtia, terreſtria & infera gerens. Nam ſi ſublato Iudæ ſceptro Chriſtus naſci debuit, natus igitur eſt: ſublatũ em̃ illud eſt per Romanos, neq; id latuit Sibyllina oracula, in quibus prędicitur Chriſtũ uenturum, ut Roma Aegyptum regere cœperit:

ὡτὰρ ἐπὶ ῥώμῃ Σαλύμπτυ βασιλεύσει ἧς ἐν δ᾽ιβώσας, τότε δὴ βασιλεὺς μεγίστυ
ἀθανάτυ βασιλῆος ἐπ᾽ ἀνθρώποισι φανεῖται.

Natum item eſſe & præſentatum in mundum Meſsiam, comprobat locus natiuitatis, in quo natus eſt, de quo ſic legimus apud Micheam prophetam: Et tu
5. Bethlehem Ephrata, paruula es in milibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Natum aũt eſſe Bethlehemæ Meſsiã, quẽ ſancti homines
Matth. 2. in orbe terrarum colunt, manifeſtum eſt ex eius Euangelio. Comprobat item aggregatio ad eum gentium, de qua Iacobus: Et erit expectatio gentium. & uates noſter ſuprà: Et fluent ad eum omnes gentes. Comprobant præterea uenisſe in mundum Chriſtum, ea quæ infrà noſter propheta de eius morte & glorio
Daniel. 9. ſa reſurrectione memorat. Hebdomadarum item à Daniele numeratarum exitus, qui in tempora Chriſti Domini noſtri mundo à patre exhibiti incurrit. Poſtremò confirmant ea quæ iam allata ſunt, pœnæ quibus Iudæi propter negatum & occiſum Meſsiam affecti ſunt: ut eſt terræ ipſorum uaſtatio, Hieroſolymæ deſolatio, templi incenſio, miſeri populi exilium, in quo etiamnum incertis ſedibus uagantur, eorumq; excæcatio & horribiles errores, quibus ob contemptum Euangelium, doctrinam lucis & uitæ, detinentur. Sed obijciat aliquis, ut Iudæi obijciunt, oraculis diuinis indicari, Meſsiam in nouiſsimis temporibus uenturum: qualia non uidentur fuiſſe, quibus dicitur ille uenisſe, cum illa multa ſecuta ſint ſecula. Nouiſsimi dies in ſacris literis pro toto illo tempore accipiuntur, quod à finita lege Moſæa & Iudæ ſceptro ſublato uſque in finem mundi decurrit: ut id ex noſtro propheta, Ieremia & Ezechiele atque alijs uatibus conſtat, & ſuis locis demonſtrabit. Perges obijcere: Nondum mons
Domini ſupra montes elatus eſt, nondum ergo ueniſſe Meſsiam. Mons Sion dignitate Euangelij, quod ex illo promulgatum eſt, & per Apoſtolos in orbem terrarum diuulgatum, ſupra omnes montes eleuatus accipitur. Non igitur ex ſitu, ſed ex dignitate & amplitudine ſplendoris cœleſtis doctrinæ, Sionis eleuatio exiſtimãda fuerit, interprete ipſo Ieſaia, ubi ait: Ex Sion exibit lex. Accedit ad amplificationem montis Sion, ipſe cœleſtis Sion mons, qui terreno monte Sion præfiguratur. Cuius exiſtimatio & gloria omnes in orbe terrarum montes ſuperat. Tertiò obijcitur, ad promiſſum in ſacris literis Meſsiam confluxuras omnes gentes: omnes autem ad eum quem nos profitemur Meſsiam confluxiſſe gentes, nemo confirmauerit. Quo tempore reuelationis per ſacrum Euãgelium præſentati Chriſti in mundum minor Iſraelitarum & gentium numerus, quo item maior illuminandus ſit: & ut hi loci, In ſemine

tuo

tuo benedicentur omnes gentes, & adorabunt te omnes fines terræ: Confluēt ad eum oēs gentes: & huius generis alij accipi debeāt, ſuis locis indicabit. Nam ut pateſactio Meſsiæ, qui primò in carne uenit, ſua ſpacia ad illuminandos Iſraelitas & gentes habeat, partim id ſuprà monſtratū eſt, partim alijs locis monſtrabitur, ad explicandum myſteriū reconciliationis & redemptionis, de quo Apoſtolus in epiſtola quam ad Romanos ſcripſit, mentionem facit. Neq; ubi legimus omnes gentes ſaluatum iri in Chriſto, de omnibus ſimpliciter intelligitur, ſed de ijs, quorū nomina ſcripta ſunt in libro uitę, & quos pater filio dedit ad ſeruandum. Quartò obijciunt illud, quod ſuprà ſcriptum eſt: Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. quod quoniā euenturum ſignificāt prophetę tempore exhibiti mundo Meſsię, ut id nondū euenit & impletū eſt, ita nec Chriſtum ueniſſe ueriſimile eſſe. ut huic obiectioni reſpondendum ſit, ſuprà cap. ſecūdo oſtendimus: & ut עוד accipiendū ſit in illo, Neq; amplius bella diſcent, ex alijs ſcripturæ locis intelligitur, in quibus non ſemper idem ualet לא עוד, quod nunq;, ſed ſæpe tempus breue, ut ex cap. Prouerb. XXXI, & quarto Regum libro cap. ſexto patet. Similiter lib. primo Regum, cap. VII de Palæſtinis: Et non ingreſsi ſunt ultra in fines Iſrael. Nō crebro uerò perpetuitatem & æternitatē uoce illa indicari, ſed rarò, ut indicat in illo: Non erunt ultrà aquæ ſuper terrā. Sic Ieſaias, ubi ait, Et nō diſcent amplius aut ultra bellum: non ſignificat, temporibus Meſsiæ nunq; fore bella, ſed tempore aliquo bella ceſſatura. De quo autem tempore id intelligatur, ſuprà explicatum eſt. Obijciunt quintò, temporibus Meſsiæ impletū iri quod propheta noſter hic futurū ait: Et habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. ad id nondum impletum eſſe: quod documento eſt, Meſsiam nondū præſentatum orbi terrarū. Vt locus is myſticus exponendus ſit ex ſacris literis & Hebræorū etiam interpretū ſentētia, mox monebimus. VI. Neq; argumentum quod afferūt, de nondū cōgregatis Iſraelitis in terrā ſuam, & eis cum gentibus ſub uno paſtore Dauide, qui Meſsias eſt, conſociatis, pondus aliquod habet & momentum. Vt locus de cōgregatione Iſraelitarum & eorum conſociatione cum gentib. explicandus ſit, & ad quæ tempora ea cōgregatio referenda ſit, utq; duplex cōgregatio myſtica & uera proponatur nobis in myſticis oraculis cōſideranda, ea de re aliàs monitū eſt, & ſuis locis per occaſionē monebitur. Septimò obijciūt, temporib. Meſsiæ futurum, ut Hieroſolyma cū templo inſtauretur. Fatemur quidem id fore: ſed de cuius Hieroſolymæ & templi inſtauratione Zacharias & Ezechiel & noſter uates loquuntur: de terrena ne Hieroſolyma & templo: Abſit. Sic enim Zacharias de Hieroſolyma loquitur: Abſq; muro habitabitur Hieruſalem, præ multitudine hominū & iumētorum in medio eius: & ego ero ei, ait Dñs, murus ignis in circuitu. Iraq; prophetę cœleſtē Hieroſolymā & templū, Meſsiæ temporib. ædificari uolunt. Quod ut cōtigerit eo tempore, quo Apoſtoli prædicarunt Euangeliū, ſatis clarū eſt: & ut his temporib. profanata Hieroſolyma ex electis deſcripta, & templū ab Antichriſto defœdatū inſtaurari incipiat, his nouiſsimis temporib. reſtituta mundo Euangelij luce palàm eſt. Neq; etiā ueteres Hebræorū ſapientes ignorarūt duplicem eſſe Hieroſolymā, duplex eſſe ſanctuariū & templū, terrenū & cœleſte. Dicunt em̄ Iacobū utranq; Hieroſolymā uidiſſe, terrenā & cœleſtē, & terrenā ad cœleſtē nihil eſſe. Item Moſem uidiſſe, Deū domū ſanctuarij cœleſtem ędificantē. Vnde cōcluditur, locos Ezechielis & Zachariæ de cœleſtis Hieroſolymę & templi ædificatione & inſtauratione per architectū Meſsiā, quē nobis Zorobabel figurauit cōficienda, exponēdos eſſe. Afferūt & alia quædā argumēta ludęi: ut homines, quorum adhuc uultus uelo ignorātię myſteriorū cœleſtis regni uelatus ſit, quib. probāt Meſsiā nondū ueniſſe. quę quidē quoniam minutiora ſunt, ea prætermittimus recenſere, ad inſtitutum reuertentes.

Rom. 11.

Geneſ. 8.

Zach. 2.

Et requieſcet ſuper eum ſpiritus.) Explicatur diuinus in ſobole Iſai ſpiritus, à quo illa, unde ex ea ratione qua oleo diuinitatis ſpiritu ſancto unctus eſt, Meſsiæ, hoc eſt uncti Dei nomen obtinet, omnia regia & ſacerdotali functione perficiens. Quod aũt legimus hic, ſpiritum in Meſsia requieſcere, ſignificatur, hũc non leuiter in illo uerſari, ſed plenè & citra modum quieſcere, atq; immobilẽ ſedem habere. De qua ſede apud Ioan. Vidi ſpiritũ deſcẽdentẽ quaſi columbã de cœlo, & manentẽ in eo. Vt aũt is natura reſidet in Chriſto, ita ad modũ donatiõis illius, in nobis per gratiã adoptionis habitat, quum de plenitudine Ieſu accipimus. Atq; huius uires ſenario numero propheta cõprehendit, timorẽ, ſapientiã, intelligentiã, cõſiliũ, fortitudinẽ & ſciẽtiã ordine memorãs, ſeptimũ locum quiete obtinẽte. In q̃ myſterio ad opus ueteris mundi alludit, in cuius molitiõe q̃q; ſenarius & ſeptenarius numeri obſeruati ſunt. Nam opifex Deus ſex dies in illo cõdendo conſumpſit, & ſeptimo quieuit. Ad quos numeros hic alludẽs uates, indicat in patefactione myſteriorũ Dei, & in ſacra regeneratione nihil cõtineri, quod his diuini ſpiritus munerib. nõ abſoluatur. Hinc fit, cur toties in Moſæa lege ſenarij & ſeptenarij fiat mentio. Atqui ut ordine horũ diuini ſpiritus munerũ natura atq; uis explicetur, à ſpiritu metus & timoris exordiemur, & ut in nobis ſe hæc munera oſtendant primò indicabimus, quo melius quomodo ſe in Meſsia declarent, pij intelligant. Eſt igitur metus Domini, per electionis gratiam animis electorũ indita reuerendi Deũ uis, qua hi non natura quæ uitioſa eſt, ſed ſcriptionis nominum in libro uitæ gratia, ad cognoſcendũ quę Deo placeant, & ad ea exequenda propenſi ſunt. Quę uis, ut ſtatim cœperint electi uerum & falſum, bonumq; & malum dijudicare, ſe oſtendere incipit, ad auſcultandum Euangelio uiam præparans. De quo ſic ſcriptum eſt in Actis: Viri fratres, & filij Abraham, & qui inter uos timent Deum, uobis ſermo ſalutis miſſus eſt. Timentibus igitur Deum, & reuerenter eum metuentibus, Euangelium ſalutare deſtinatur. Et tam latè hæc primordialis diuini ſpiritus uis patet, quàm latè beneuolentia Dei erga electos patet. Qui ſemper à Deo amantur, & ante patefactum Euangelium priuſquam agnoſcunt ſe amari, hoc metu & timore præditi amantur & grati ſunt Deo. De quo ſic Petrus loquitur: Re ipſa comperio, quòd non ſit reſpectus perſonarum apud Deum: ſed in quauis gente, qui timet ipſum, & agit iuſtè, is gratus eſt illi. Sic Iethro ſocer Moſæ, Raab Chananæa, Gabaonitæ, Naaman Syrus, uidua Sareptana, Niniuitæ, Chananæa mulier, & centurio Cornelius, & alij quorum pectora ſpiritus timoris tinxit, grati ante patefactum Meſsiam & eius Euangelium fuerunt Deo. Nam ut in ſilicibus ignis, in ſeminibus animantium integra animantia, & in ipſis arborum ſeminibus arborum moles latet: ita ſpiritus timoris regni Meſsiæ ſemina & igniculos continet, quos Euangelij lux proferat. Itaque in ſacris literis timor Dei principium ſapientiæ appellatur, primum lapidẽ in fundamẽto regenerationis ponẽs. Ad quod principium reſpiciens ſacra ſcriptura, hæc frequẽter cõmemorat: Qui ex Deo eſt, uerbũ Dei audit. itẽ: Sed uos nõ creditis, quia nõ eſtis ex ouib. meis, carentes nimirũ ſpiritu timoris, per gratiã electionis prępparante pectora ad audiendũ Euangeliũ, & ad fidẽ ei habendã. De qua prępparatione illud Malachię uatis: Orietur uobis timentib. nomẽ meũ, ſol iuſticię, qui Chriſtus Dñs noſter eſt: ſolũ oriẽs ijs de quibus illud, Crediderunt quotquot ordinati erãt ad uitã. Ordinati aũt omnes ſunt ad uitã, & ſcripti in libro uitæ, quorũ corda aſperſa ſunt ſpiritu timoris. Quare ut cum electione diuina nõ pugnant errores & tenebrę ignorantię ueritatis, quib. electi ac ordinati ad uitam, ad tempus occupantur: ita neq; ijdẽ errores cum timore Dei ab initio pugnãt. Nam electi metu Dei impulſi, ad tẽpus legis & operũ iuſticiam, mundiq; elementa perſequi, & cum apoſtolo Paulo zelo Euangeliũ & eius miniſtros inſectari poſſunt: donec Euãgelij ſplẽdore illuminati, relictis

Ioan. 1.

Geneſ. 2.

Actor. 13.

Spiritus timoris.

Actor. 10.

Prouerb. 1.

Malach. 3.

Actor. 17.

errori-

erroribus ueritatē amplectantur. ut id ſuperioribus ſeculis, & noſtris regnante Antichriſto contigiſſe, & etiamnum contingere uidemus. Proinde diſſimiliter timor Dei patris in Chriſto Domino noſtro ſeſe oſtendit, atque in membris illius. In his enim errores & uitia uitioſæ naturæ reperit, in illo omnia integra & labe libera. Et de copia ac abundātia ſpiritus timoris, quo filius Meſsias patrem reueretur & ueneratur, electi ſuum metuendi ac uenerandi Deum modum ac menſuram diuini metus accipiunt: per quem incitātur primò, ad inueſtigandam rationem & uiam qua ſalus comparetur, & ad cognoſcendum uerum cultum Dei: quem monſtrare alterius ſpiritus eſt, non timoris: ſpiritus nimirum ſapientiæ, cuius principium eſt metus Dei. Sapientia enim, quæ alterū inter dotes diuini ſpiritus locum tenet, certam ueraḿque rationem colendi Deum, & uiam qua ſalus comparetur, docet: ad quam intelligendam & adipiſcendam metuentium Deum pectora antea impulſa per ſpiritum timoris aſpirabant. De quo impulſu atq; inſtinctu his etiam uerbis Dominus noſter meminit: Nemo uenerit ad me, niſi quem pater meus traxerit: traxerit inquam, per hunc antecedentem, quem timor Dei diuinus continet, afflatum. Itaq; quæ ſpiritus timoris non præſtat per ſe, ſapientia præſtat & exhibet, dum poſt uagam & incertam de ſalute & cultu Dei opinionem, indubitatam ueritatis cognitionem manifeſtato Chriſto miniſtrat. Huius cognitio uera ſapientia eſt, quam mundus & eius ſapientes pro ſtultitia habent. Et quoniam Chriſtus uita eſt & iuſtitia fidem ei habentibus, hæc diuini ſpiritus uis ueram uitam & iuſtitiā afferre dicitur. Nam per eam Chriſtus agnoſcitur mundi ſeruator: ex quo manat ſpiritus ſapientię, uitam nobis & probitatem tribuens. Hinc apud Salomonem hæc ſic loquitur de ſe: Qui me inuenit, uitam inuenit. Is ſapientiæ ſpiritus Chriſto ſacroſancto & pleno diuinitate homini oſtendit, nullo tamen antecedente in eo errore & ſtultitia, quis ipſe ſit, & unde ortus ſit, quem uſum & fructum ſuis afferat: in nos autem ab illo ut capite fuſus, oſtendit nobis quid in Chriſto nobis ſit ſpectandum, ut in eo & per eum ſolum patrem colamus, & ſalutem conſequamur. Atq; hanc cognitam tenere per fidem, ſapientia electorum eſt, hic à uate indicata, & ab Apoſtolo his uerbis expoſita: Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitiaq; & ſanctificatio & redemptio. ſapientia quidē factus eſt nobis, ſed qui non extra nos uerſans noſtra ſapientia ſit, ſed in nobis per ſapientiæ ſpiritū habitās. Sicut in nobis uerſans per ſpiritū nos uiuificantē noſtra uita eſt, & in nobis habitās per eundem ſpiritū liberat nos à iure peccati, iure iuſtitiæ nobis donato. De quo illud: Vbi ſpiritus, ibi libertas. Hæc breuiter de ſpiritu ſapiētiæ: cui cōtraria eſt carnis & mūdi ſapientia, omnis idololatrię falſæq; religiōis inuētrix. Diuina ſapiētia in comitatu ſuo habet ſpiritū, qui à propheta noſtro ſpiritus בינה, & à Salomone חכמה, hoc eſt intelligentię ſpiritus appellat. per hūc falſa & uera, bona & mala, praua & recta diſcernuntur. Itaq; de huius ſacri ſpiritus munere, quod ſe poſt acceptā Meſsiæ cognitionē oſtēdit, Apoſtolus ſic diſſerit ad Theſſal. Hæc em̄ eſt uolūtas Dei per Chriſtū IESVM erga uos, ſpiritus ne extinguatis, pphetias ne aſpernamini: omnia probate, & quod bonū eſt tenete. Occupatur hæc diuini ſpiritus uis in cognoſcenda Dei in omnibus gerendis rebus uoluntate, cauens ne quid temerè à nobis fiat. Per quam nimirum intelligimus, quæ gloriæ diuinæ referat fieri, & quæ ſecus, in omnibus probantes quod gratum ſit Deo. Sic patriarchæ Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Ioſephus, Moſes, Dauid, Prophetæ & Apoſtoli, in omnibus quæ agerēt, de cœlo per hoc diuini ſpiritus munus ſciſcitati ſunt reſponſa. ueluti ex narratione ſacra ueteris Teſtamenti, & ex Apoſtolorum Actis liquet. Qua autem moderatione, quoq; conſilio & modo, quo item loco & tempore, & per quos & apud quos perficias, quæ intellexeris, ut facias, Deo probari, id huius ſpiritus munus non fuerit exequi, ſed eius quem uates conſilij ſpiritum

Spiritus ſapientiæ.

Ioan. 6.

1. Corinth. 1.

2. Corinth.

1. Theſſ. 5.

appellat. Is de rerũ & personarũ quas obserues, circumstãtijs ac attributis deliberat. Multi enim intellectu earum rerum quæ Deo probantur præditi sunt: sed ut eas in tempore & loco administrent, hoc quarto spiritus munere opus habent, quod diuini consilij, omnia amplificandi honoris Dei & Ecclesię ædificandi momenta ponderantis, munus est. Præclara est hæc diuini spiritus facultas, sine qua rectè nihil in extructione regni Dei molimur. At uerò cum nobis tot hostes, caro, mundus, principes mundi Satan, negocium facessant: quid prodesset nos bona consilia habere, nisi uis quoq; nobis concederet, qua præclara de rebus gerendis consilia exequeremur? Ad spiritũ igitur cõsilij accedit quintus spiritus, qui fortitudinis spiritus dicit, quo afflati, ea quę per intelligentiã intelligimus probari Deo, & per spiritũ consilij cognoscimus quomodo ea & qua moderatione circumstantiarũ rerũ & personarũ exequamur, perficimus. Exempla sanctorũ hominũ, in uetere & nouo Testamẽto in promptu sunt, qui hac diuini spiritus face prælucẽte præclarè se gesserũt. His sacri spiritus muneribꝰ. pparatos electorũ animos, demũ summa illa spũs uis docere incipit, quę דעת appellatur, hoc est scientia. Hęc penetrat in profunditatẽ & altitudinem iudiciorũ Dei, per eam cognoscentibꝰ. electis mysteria regni cœlorũ à condito mundo abscondita. Nam hoc spiritu exornati sancti homines, de utroque mundo uetere & nouo, de utroq; Adamo terreno & cœlesti, de cõsilio diuino quo primus homo suã innocentiã amiserit, & cur secundus Adamus in mundũ uenerit, omnia in cœlo & in terra pacificans, de reconditis mysterijs Mosæa lege adumbratis iudicare, & ea Ecclesiæ ad eius ædificationẽ & nominis diuini amplificationẽ patefacere possunt. Huius spiritus luce prælucẽte, Moses in mõte Sina exemplaria uidit cœlestiũ rerum, & de Messia eiusq; regno, de innouatione & instauratione mundi oracula intellexit. Apostolus Paulus hoc spiritu prędit⁹ in tertiũ cœlũ, quod splẽdoris & claritatis Dei cœlũ est, raptus, uidit
2. Corinth. 12. ea quę fas nõ esset loqui. De quo spiritu sic loquitur: Spiritus omnia scrutatur, etiã profunditates Dei. Huius spiritus diuini homines primitias habent in hoc seculo, atq; subinde incremẽta eius accipiũt, dum abolescente cognitione Dei quæ ex parte est, ad perfectã & absolutã quæ in altero seculo cõtinget, perueniant. ubi sabbathũ habebit locũ sex his sacri spiritus muneribus absolutis, de quo infrà uates noster: Erit sabbathũ ex sabbatho. quod à sabbatho legis Mosææ, & ab illo quod Deus mundo sex diebus condito consecrauit, præfigurat⁹, & in Messia, & per Messiam, qui senarium hunc numerum diuini spiritus sine modo & mensura habet, in electis eius mẽbris expletur: unde corpus Ecclesia πλήρωμα, hoc est complementum Messiæ, ab Apostolo appellatur.

Et replebit eum.) Qui meminisset spiritus requiescentis in Messia, iam officium explicat, quo Messias sacro spiritu prędit⁹ fungitur. Munus eius esse, nęue ex oculorũ aspectu, nęue ex auditu, sed ex solo odoratu iudicare. Vsurpatur em̃ in Hebræo odorãdi uerbũ, pro q̃ noster interpres Græcos sequutus, Replebit habet. Sagax & acre iudiciũ significatur. Sicut etiã apud Latinos odorari & olfacere, sagaciter deprehendere est: unde qui acri sunt iudicio, nasuti & emunctæ naris homines appellãtur. Cum spiritu cõfungitur odor à uate, ut qui per spirabilem aerẽ ad odoratũ, magnã cum aere cognationẽ habentẽ, feratur: ut etiam odor cum spiritu suã affinitatẽ tenet, quã declarant uoces רוח & ריח & uerbũ הריח. Neq; uerò solum odoratu Messias, quo cuncta odoretur, prędit⁹ est: sed etiam ita odoriferus est, ut omnia fragrãtia & odoris suauitate repleat. de quo
Cantic. 4. in Cantico canticorum: Puellæ odore unguentorum eius current.

Spiritus timoris Domini.) Sagacitatem illam & iudicij acrimoniã non futurã subdolã & ueteratoriã uersutiã, sed pietatẽ plenã reuerentia paterni nominis. Meminit aũt metus diuini, q̃d is spũs initia teneat spiritualis perfectionis per reliqua sacri spiritus munera, dum ad summũ fastigiũ pertingat, absoluendæ. Nam

ut

ut Messias etiam ipse creuerit spiritu & ætate, ex Luca patet: Et Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum atq; homines. Luc. 2.

Non secundũ uisionem oculorũ.) Vt in terra iudices solẽt iudicare, qui oculorũ aspectu freti, in iudicando fallũtur: animis eorũ qui iudicanť, illos latentib. Hanc in iudicãdo Messię dexteritatẽ, arbitra cõscientia Iudæi agnouerũt, cum dicerẽt: Magister scimus quòd uerax sis, & uiam Dei uerè doceas, neq; cures quenq;. non enim respicis personã hominũ. Quam respiciunt, qui ex uisu iudicant. At qui tribuũtur & Christo oculi, sed diuini, omnia speculantes. Nam is apud Zachariam lapis septem oculis ornatus appellatur, qui sunt sex spiritus iam à uate nostro memorati, septimo quietem continente. Sicut etiam Christus candelabrũ uocatur, septẽ sacri spiritus lucernis splendens, quẽ in iudicãdo nihil fallat ac lateat. In cuius etiã candelabri capite, fons ac scaturigo uitalis luminis cernitur, ex quo oẽs sancti uitæ lumen hauriãt, ad rectè cognoscendũ & iudicandũ.

Neq; secundum auditum aurium.) Quem cùm sequuntur iudices terreni, sæpe aut una parte audita tantum, sententiam dicunt: uel ex fama, re non comperta, iudicant. Contrà Messias iudicat, ut sequitur:

Sed iudicat in iustitia pauperes.) quibus iudices huius mundi ob diuitum metũ, sæpe ius nõ dicunt. Contrà Messias iudex habet, qui potentissimis in mundo ob potentiã nõ parcit, & afflictos atq; inopes ob inopiã non deserit, sed eos cõtra potẽtes tuetur. Vt exemplo est afflicta & pauper in mũdo Ecclesia, & eius mẽbra à Christo defensa, mũdo, principeq; mũdi Satane dãnato. Iudicat aũt iustè pauperes Messias, cũ eos à malis, quib. à potẽtib. hostibus opprimunť, liberat: in quib. peccatũ, mors, mũdus, Satan, Antichristus, & tyrãni orbis numeranť. Hos cum seruat, in eo iustitia cernitur, quòd pauperes quos seruat tales pauperes sunt, qui agnoscẽtes se pauperes, Deo iustitiæ, potẽtiæ, sapientiæ & perennis uitæ dant gloriã: & sibi peccati, infirmitatis, stultitiæ & mortis ignominiã ascribunt, ab uno Deo in filio Christo saluatore suo se salutem nanciscí cõfitentes. Tales aũt inopes & pauperes per fidẽm iusti cum sint & innocentes, Christi iustitia & innocentia tecti, Christus iustè hos iudicare, hoc est seruare dicit, de quibus sic loquitur: Beati pauperes spiritu. Ergo infelices erũt diuites spiritu, qui diuitijs suę iustitię, sapientię, potentię inflati, gloriã iustitię sapientię & potentię per infidelitatem Deo derogant. Hos igitur cum iudicat, iustè quoq; iudicat, eos dãnando & perdẽdo per sermonẽ de quo iudex his uerbis: Sermo meus quẽ locutus sum, iudicabit eũ. & Apostolus: Ex Euãgelio meo iudicabit arcana hominũ per IESVM Christũ. His uerbis Apostolus & iudicẽ, & iudiciariã legem, ex qua sententia dicenda sit, exponit. Hanc, Euangeliũ esse. Quare non prius iudicis munere fungi cœpit Messias, q̃ excitatus è mortuis, in solium regię maiestatis elatus est. Ex quo in mundũ iudiciarium spiritũ mittit, de quo ipse apud Ioan. Cũ uenerit paracletus, arguet mundũ. Et hic de iudice iudiciario spiritu prędito, ppheta noster: Iudicabit in iustitia, arguet in æquitate. Matth. 5. Ioan. 12. Rom. 2. Ioan. 16.

Pro mansuetis terræ.) Ad quos iudicãdos, hoc est redimendos, Iesus unctus est regij sacerdotij spiritu, de quo infrà capite LXI: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, ut Euangelium prædicarem afflictis misit me. Nam uox Hebræa propriè afflictos significat. sed quoniam humili spiritu sunt, mãsuetiq; & mites, quos crux afflixerit. hinc fit, ut uox Hebræa modò pro afflictis, modò pro humilibus, interdum pro mansuetis reddatur.

Et percutiet terrã.) Anathemate afflictionũ, tẽpore patefactionis & euersionis regni Antichristi, de quib. afflictionib. sæpe iã meminimus, & suis locis meminerimus copiosius. Ex his afflictionib. asserenť afflicti, humiles & mãsueti filij Dei, potentib. & superbis tyrãnis orbis terrarũ misèrè pereuntib. Vt sequitur:

Virga oris sui.) sceptro Euangelij, prædicandi omnibus gentibus in testimonium iusti iudicij Dei: ut Dominus ipse Matthæi XXIIII testatur.

Et ſpiritũ labiorũ ſuorũ interficiet impiũ.) Arma Meſsiæ explicãtur, quib. aduerſus hoſtes ſuos ſit uſurus. Nõ humanis armis eos cęſum iri, ſed diuinis, hoc eſt ſpiritu labiorũ Meſsię, qui ſpiritus, ſacri Euãgelij ſpũs eſt. Quo primo Satani conſilia & aduerſariorũ Euãgelij falſa doctrina & religio euertuntur. Veluti tẽpore Apoſtolorũ accidit, et hodie accidere in hac reſtituti Euãgelij claritate uidemus. Deinde impij ipſi eodem illo ſpiritu de rerum natura peribunt. Hæc erit ſpiritus ſacri precum in ſanctis uis, de quo precum ſpiritu Zacharias meminit, quẽ Dominus ſit fuſurus in ſanctorum pectora. Quorum os, IESV Chriſti os eſt, in quo is uerſatur potens & efficax. Huius interitus exempla ut declarata ſint ſuperiorib. ſeculis, & etiamnũ noſtris declarentur, pij norũt. Paulo ſuprà legitur de Aſſyrio, ut per potentem euerſus ſit ante Hieroſolymã ſine humanis armis, hic uelo myſtici Aſſyriorum caſus reducto, clarè explicatur, quis ſit ille potens cuius ſpiritu ſpiritualis Aſſyrius diſperdendus ſit. Hunc eſſe Meſsiam, ſuã Hieroſolymam de cœlo deſcendentem defenſurum, impijs per Euangelij ſceptrũ euerſis. Atq; idem indicat myſticus apud Danielem locus: Sine manu conteretur. Quò reſpiciens Apoſtolus, uatem noſtrum citat his uerbis: Tunc patefiet iniquus ille, quem Dominus conficiet ſpiritu oris ſui. Sed qua luce patefiet? Per clariſsimam Euangelij prædicationis lucem patefiet, cuius initia hodie ſpectamus. In qua luce Chriſti Domini præſentiam, claritatem aduentus idem Apoſtolus nominat, qua Antichriſti regnum ſit abolendum, cum ait: Et abolebit claritate aduentus ſui. Quare accidet, ut quemadmodum Satanas per filiũ perditum totum terrarum orbem diebus mille ducentis & ſexaginta ſeducit, ita agnus ad implenda oracula prophetarum quoq; in electis ſuis regibus & ſacerdotibus factis regnet, de quibus his uerbis Ioannes: Et feciſti nos reges & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram: non carnali, ſed ſpirituali, non terreno, ſed cœleſti Euãgelij ſceptro gubernandi. Caueant ergo pij homines, ne ad propagandum Euangelium alijs armis utantur, quàm ſpiritus Meſsiæ armis: ut ſunt preces, doctrina Euangelij, uitæ ſanctitas & innocentia, patientia ac tolerantia rerum aduerſarum, ſeruatrix animarum noſtrarum. Quod ſi qui armis alijs elaborabunt imperij ipſius Meſsię fines promouere, hi perpẽdant illud: Qui gladio pugnat, gladio peribit. Intueamur noſtra ſecula: qualem in his motus, & humanis conſilijs tentata arma in Euangelij cauſſa exitum habuerint, palàm eſt. Quos hic uates Ieſaias manſuetos terræ & pauperes, Chriſtus apud Matthæum capite XXIIII electos, Moſes circumciſos corde, Ezechiel mundatos aqua munda, Hieremias in pectore gerentes ſpiritus ſacri digitis ſcriptam legem, Ioannes reges & ſacerdotes & ſponſam agni appellat.

Zach. 12. Daniel. 8. 2. Theſſ. 2. Apocal. 1. Deut. 30. 31. & 36. Apocal. 1.

Impium.) aduerſarium ſuum, qui Antichriſtus, Babylon meretrix, filius perditus, abominatio deſolationis uocatur.

Et erit iuſticia.) Non tyrannis, qua principes orbis terrarum ſua regna adminiſtrant, leonibus, pardis, tigribus, ferro comparata: noſtro uerò Meſsia rege, agno appellato.

Cingulum.) Iuſticiæ & fidei cinctus accipitur. Adumbratus is eſt ſacerdotali cinctu, de quo uideris in libro Exodi apud Moſem.

Exod. 28.

Fides.) Qua, promiſſa & pacta agnus de ſalute ſuis præſtanda fideliter ſeruat, contra omnem tentationem aduerſariæ poteſtatis. Meminit fidei, quæ cingulum ſit Meſsiæ, quod omnes promiſsiones de ſalute in illo ipſo ſint amen & etiam, ut quæ in eo & per eum pręſtentur, & eius ſpiritu, non ullis creatis naturis obſignentur.

2. Corinth. 1. Epheſ. 1.

Habitabit lupus cum agno.) Accipitur hic & ſimplex carensq; figura ſententia, & figurata ac allegorica. Simplex eſt, agreſtes feras neq; ſanctis, neq; eorum pecoribus nocituras, Meſsia regnante per ſpiritum ſuum regium, in omnia imperiũ habentem: ut antea nocuerunt rebellibus, diuina uindicta immiſſa per maledi-

ctionem

ctionem his uerbis Moſæa lege expoſitam: Immittamq; in uos beſtias agri, quæ conſumant uos & pecora ueſtra. Contrà benedictionem diuinam habitu ram, qua hæc clades prohibebitur: feris, neq; hominibus, neq; eorum pecoribus tantoperè nocituris. Nam ſanctorum hominum iuſticia per ſpiritum Meſsiæ in omnia dominatum tenet. De quo hic: Et non nocebunt in uniuerſo monte ſancto meo. qui mons Eccleſia piorũ eſt, è ſacro Dei ſpiritu regenerato rum. Sic etiam Oſeas: Et percutiã cum eis fœdus in die illa, cum beſtijs agreſtibus, & cum uolucribus cœli, & cum reptilib. terræ. Etenim uniuerſitas hæc ad humani generis cõditionẽ atq; ingeniũ ſeſe attemperat, propter quod cõdita eſt. Quod ſi homines Deo obtemperant, omnia hi ſibi obtemperantia diuina benedictione habent: ſin ſecus, aduerſa ſibi omnia experiũtur, cœlum & terrã, & quæ his continentur. Vocanda huc quæ in Actis de uipera leguntur, ut manũ apoſtoli Pauli, ex qua pendebat, minimè læſerit, cum magna admiratione eorũ qui circũſtabant, quẽ Deũ dicerẽt: q̃d nõ ſine diuinitatis ſignificatione uiperæ imperaſſet, quo minus ab ea læderetur. Huc itẽ pertinet illud Meſsiæ, Ecce do uobis poteſtatẽ calcandi ſerpẽtes, & ſcorpiones, & oẽm uirtutẽ inimici. Quod ſi quis hæc Dñi uerba ad ſatanæ ſerpentis & hypocritarum ſcorpionum ictus uincendos referẽda eſſe iudicet, uerè is quidẽ iudicat: ſed qui negaturus nõ ſit, etiã fidei uim ad ſerpentũ & ſcorpionum calcationẽ ſeſe extẽdere. Cui pariter aſpectabilia & inaſpectabilia ſubiecta ſint. Hæc ſimplex & tropo carens uatis noſtri ſentẽtia eſt, ſacri ſpũs Meſsiæ uim explicans, qui in electis filijs regni cœleſtis reſidet. Figurata ſentẽtia eſt, lupos, hoc eſt homines qui antea efferatis ingenijs fuerũt, carẽtes Euãgelij mitis agni IESV Chriſti cognitiõe, per ſpũm illius cicuratos, cũ agnis, hoc eſt cum ijs quos manſuetus agnus Meſsias manſuefecerit, coniungendos. Qui præſtans fructus erit, quẽ ſurculus de caudice Iſai pullulãs ſuprà dicit ferre: Et ſurculus de radicib. eius fructificabit. Sic apoſtolus Paulus, qui ſe Eccleſię lupũ, eam inimicè inſectando præſtiterat, ad Euãgeliũ cõuerſus, & agni ingeniũ indutus, cum agnis quos antea lupinũ animũ ſerẽs atrociter perſecutus fuerat, habitare cœpit. Tales ſumus oẽs à uetere & terreno homine, priuſq; ſpũs Dei nos nouos homines generare cœperit. Qui ſpiritus unus nos ex lupis, urſis, pantheris & tygrib. in placidos, mites & manſuetos agnos cõuerterit, ut expri mamus eius agni ingeniũ qui dicit: Diſcite à me q̃ mitis ſum. Chald. figuratũ eſſe ſermonẽ uatis, & allegoricũ indicat hac interpretatiõe: In dieb. Meſsiæ augebitur pax in terra. Quæ interpretatio duo cõ probat aduerſus Iudæos. Primũ, Ieſaiæ oraculũ exponi de Meſsia: alterũ, Ieſaiæ uerba accipiẽda eſſe per allegoriã. Similia uati noſtro habẽt Sibyllina oracula:

ἐν δ' λύκοιτι ϑ' ἄρνες ἐν ἄρνεσιν ἄμμιξ ἔδονται χόρτον, παρδάλεις τ' ἐρίφοις ἅμα ϑοινήσονται, ἄρκτοι σὺν μόσχοις νομάδες αὐλισθήσονται, σαρκοβόρος δ' λέων ἀχύρων φαγετ' ἐν φάτνῃσιν καὶ παῖδες μάλα νήπιοι ἐν δεσμοῖσιν ἐχίδνης Εξουσιν. —— (βύς.

Puer paruulus minabit eos.) Figuratè paruuli ſignificãtur, de quibus Chriſtus ipſe loquitur: Gratias ago tibi Domine pater cœli & terræ, quòd abſcondiſti hæc ſapientib. & prudentibus, & patefeceris ea paruulis. Hic paruuli cœleſti ſpiritu prædiți, eos qui ferè fuerũt, ducẽt cum agnis & hœdis Euãgelij pabulis paſcendos. Quales paruuli ſunt Apoſtoli, & myſteriorũ regni cœleſtis diſpenſatores.

Et leo.) iugo non aſſuetus. Si ita uidetur, figuratè de gentibus, legis & cœleſtis diſciplinæ iugo non ſubditis, accipies.

Quaſi bos.) animal ruminans, & fiſſam habens ungulam, & iugum ferens. Indies, qui ſub iugo legis ſunt, efferatas gentes conſociatum iri. Quò ſpectat ſimilitudo, quam Apoſtolus de olea & oleaſtro adducit.

Quia repleta eſt terra.) Notantur tempora recõciliationis, in eis per occaſionẽ revelatiõis Antichriſti, clariſsimè Meſsia pariter Iſraelitis & gentib. patefaciẽdo.

Scientia Domini.) Spiritu ſciẽtiæ arcana & abſcondita myſteria regni cœlorum patefaciente.

Sicut

Leuit. 26.

Oſeæ 2.

Actor. 28.

Lucæ 10.

Matth. 11.

Matth. 10.

Rom. 11.

Sicut aquæ maris operientes.) Comparat aquis maritimis scientiam Domini, partim ob copiam, partim ob profunditatem quam illa habet. Nam Messiæ spiritus profunditatem & abyssos diuinitatis penetrat, abditis & occultis eius iudicijs patefactis, quæ animalem hominem, qui ea quæ Dei sunt non percipit, & ne potest quidem percipere, latent. Copia autem & abundantia aquarum spiritus scientiæ Christi, partim in uaria & multiplici rerum occultarum patefactione, partim in diffusione qua scientia Dei longè lateq; in Ecclesia diffunditur, sese ostendit. Nam q̃p copiosè scientia Dñi orbem terrarũ replerit, & repletura sit, exponit ipse uates Ieremias his uerbis: Omnes cognoscent me à minimo usq; ad maximum. ornati uidelicet spiritu gratiæ, quo omnes ad æternam probitatem & uitam docti erunt, qui in libro uitæ scripti sunt, & quorũ agnus caput est. qui solus electos suos ad hos uiuos scientiæ latices deducit: nõ Moses, non ulli philosophi, non ratio humana. Sic enim de agno legimus apud Ioannem: Quoniam agnus qui in medio throno est, reget illos, & deducet ad uiuos fontes aquarum. Quæ sunt spiritus scientiæ uitales aquæ, ex fonte dimanantes, de quo Zacharias: In nouissimis diebus patebit fons Domini Iacob.

1.Corinth.10

31.

Apocal.7.

Zach.13.

In die illa.) Sed quæ est dies illa? Si Apostolorum tempora spectes, occurrunt uocationis gentium initia: sin hæc postrema, exhibet se confluxus gentium ad Euangelium plenior, in hæc patefactionis aduersarij tempora reiectus.

Radix Iesse.) Messias, surculus benedictus de radice Isai natus. de quo suprà: Et surculus de radicibus eius.

In signum populorum.) Gentes ad Messiam ritu uexilli eleuatum, & oculis omnium per Euangelij prædicationem expositum, certatim confluxuras militiæ cœlestis regni nomine dato. Figura loquendi à militari signo, ad quod milites se aggregant, mutuata est. Bellica igitur similitudo indicat, suum sub Messia duce & imperatore militantes bellum gerere, suos quoq; hostes habere aduersus quos bellum gerant. Hostes autem sunt, caro, mundus, satan, peccatum, mors, infernus, & potestates eius: quę tenebrarũ & caliginis potestates sunt ac principatus, aduersus quos hostes prælia quæ ineuntur, ut spiritualia sunt, ita armis quoq; spiritualibus conficientur: quæ probatæ igni afflictionum fidei, & inde natæ spei non confundentis, arma sunt, potentia ad uictoriã obtinendã.

Deprecabuntur.) Quærent non mundum, non aduersarij regnum: sed hoc relicto, quærent Messiæ regnum, & doctrinam sacri Euangelij. Non igitur dicit, Quærent Mosem, quærent philosophos, quærent rationis humanę obscuram lucem instar lunæ noctu lucentem: non dicit, quærent Mahumetum, quærent nobile illud Babylonium scortum: sed dicit, quærent surculum Isai Messiam, regem illum & imperatorem cœli & terræ, seruatorem mundi, in fœmore scriptum habentem, Rex regum & Dominus dominantium. Hunc quærent admirabilem consiliarium, Deum fortem, patrem æternitatis, principem pacis. In Hebræo quærendi uerbum est, quod redditur à Septuaginta, sperabunt: à nostro, deprecabuntur: à Paraphraste Chaldæo, audient, hoc est fide parebunt eius Euangelio.

Apocal.19.

Et sepulchrum eius glorioſum) Hebræus habet, Et requies eius glorioſa. sed quæ requies? Cœlestis regni requies, quam confecto crucis cursu, in cœlum elatus adeptus est. Atq; hanc quietem umbra quadam pacatum & quietum, Salomonis regnum adumbrauit. Sic enim requiem pro tranquillo statu exanclatis laboribus sumi, sacrę literę comprobant In Deuteronomio porrò legitur: Cum dederit tibi Dominus requiem. & in libris Regum: Cum Dominus dedisset requiem undique. Quæ requies ut mystica fuerit, præfigurans eam requiem quę spectatur in regno cœlesti, pijs satis notum est. Hic cum legimus in gloriosam quietem ingressum Christum IESVM Dominum nostrum, duplex eius status indicatur: alter crucis, plenus laboribus, in quo peccatum, mors & principatus

Deut.35.

2.Regum 7.

cipatus peccati & mortis uincẽdus fuit: alter glorię & amplitudinis regiæ, qui in splendida quiete, aduersa laboribus crucis, uersatur. Deinde ex propheta discimus, quia gentes quæsituræ sunt hunc glorioſum regem, in quo omnem salutis spem reponant, tanquam in seruatore, cuius tutam & quietam sedem nulla contraria uis euertat: ex hoc inquã dicimus effici, Christum Isai stirpem, hominem esse plenum diuinitate, parem potentia, sapientia, iustitia, gloria, & maiestate imperij, Deo patri. Etenim uitam dare sublata morte, uere iustos ex iniustis reddere, atq; ab omnibus malis liberare, eius munus fuerit, qui aut ipsa à se diuinitas sit, aut à Deo patre Deus ex Deo Deus sit. Qui homo Messias est, in eo diuinitate corporatè habitante. Postremò, discimus hanc glorioſam Messiæ requiem etiam ijs qui eum fide quærunt, & amplexantur, contingere. Hos quoque è morte in uitam, ex inferno in cœlum, ab opprobrio crucis laborioſæ ad amplissimam quietem cœlestis regni translatum iri. Quæ summa piorum consolatio est, quam hi ex fructu mortis, & resurrectionis, & glorificationis capitis sui Messiæ percipiunt. Quem sciunt sine corpore ut caput, & ut maritum & sponsum sine sponsa in regno suo uiuere neque uelle, neque posse.

Et erit in die illa.) temporibus reconciliationis.

Adijciet Dominus secundo.) Israelitas cum gentibus coniungit, ut oleam cum oleastro: eos quoque nouissimis temporibus quæsituros Messiam, & eius sacrum Euangelium. Sic enim Oseas de his loquitur: Post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid, hoc est Messiam filium Dauidis, regem suum. Itaque ubi in prophetarum oraculis reconciliationis Israelitarum cum Deo maiorum ipsorum mentio fit, percunctari licet, de quibus Israelitis loquatur diuinus spiritus: de ijs'ne, qui secundum carnem Israelitæ sunt, an de spiritualibus ex gentibus, uel promiscuè ac communiter de spirituali Abrahami sobole ex gentibus & Iudæis in gratiam diuinam recipienda. Non quidem de hac communiter loquuntur. Nam ubique de gentium & Israelitarum salute per Christum reparanda, separatim uaticinantur: ut hic in nostro propheta & alijs cernere licet. & eos interpretans apostolus Paulus, seorsum Israelitarum seruationem à gentibus tractat, in epistola quam ad Romanos scripsit, dicens: Quod si lapsus illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum? Similiter Dominus noster Christus, propriè de Israelitarum restitutione loquens, sic ait: Dico enim uobis, haudquaquam me uidebitis posthac, donec dicatis, Benedictus qui uenit in nomine Domini. Similiter Ioannes in sua sacra Apocalypsi, separatim de gentis & Israelitarum salute loquens, ait: Et audiui numerum signatorum, centum quadragintaquatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Hoc numero memorato, de gentibus, postremis his temporibus ad Christum confluxuris, in toto terrarum orbe Euangelij tuba sonante, his uerbis subiungit mentionem: Post hæc uidi, & ecce turba multa, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis. Ex his concluditur, ubi sacræ literæ loquuntur de restitutione Israelitarum, non promiscuè & confusè ea oracula de gentibus & Israelitis accipienda esse, sed propriè de Israelitis: multo minus de spirituali solum ex gentibus Abrahami sobole. Nunquam enim scriptura de domo Iacobæa differens, de ea sobole, quæ spiritualis soboles in gentibus est Abrahami, loquitur: excluſa, quæ ex carne soboles est Abrahami. Moses non excludit, prophetæ non excludunt, Christus ipse non excludit: apostolus Paulus non separat, immò distinctè de gentium & Israelitarum salute differit. Quare ubi noster uates & reliqui de Israelitarum reparatione uaticinantur, ea uaticinia de ijs Israelitis

qui

qui tum ex promissione ac spiritu, tum ex carne Israelitæ sunt, accipi debẽt. Si quidem non pugnat ex carne & spiritu Israelitam & Iudæum esse: ut documento sunt, Isaacus, Iacobus, Iosephus, Moses, Dauid, sanctiq; prophetę & Apostoli, & Christus ipse, qui natus Iudæus est. Igitur si hoc oraculum, Iterũ admouebit Dominus manum suam ad possidendas reliquias populi sui: de Israelitis accipiendum est, quæritur quo tempore id impletum sit, aut implendum intelligatur, aut continget. Dicas fortasse, id tempore solutæ captiuitatis Babyloniæ impletum fuisse. Si ita, cur ergo hic fit mentio stirpis Isai, quæ Messias est, in quo implenda sint quæ hic à uate prædicuntur. Deinde, tempore illo quo Iudæi ex Babylone liberati sunt, non eo modo liberati sunt, quo liberan-
30. dos eos esse prophetæ dicunt. Quos Moses circumcisos corde, Hiere-
36. mias legem diuini spiritus scriptam in pectore gerentes, Ezechiel mundatos aquis mundis, redituros ad Dominum fatentur: & Oseas illos sceptrum Messiæ quæsituros uaticinatur. Qualis liberatio & reditio in nouissima tempora, quæ patefactionis Messiæ tempora sunt, incidit. In quibus circumcisio cordis, quæ nouo spiritu fit, non litera, lex noua & eius inscriptio, & noui fœderis sanctio locum inueniunt. Si igitur hęc Israelitarũ instauratio in manifestationis Euangelij Christi tempora referenda est, meritò percunctamur, qua hora patefactionis Christi hæc contigerint. Dices, tempore Apostolorũ contigisse: Fatemur quidem illorum seculo liberationis initia apparuisse: sed quid paucis reliquijs cum reliqua multitudine electorum Israelitarum? Per illas non obstitit, quo minus Israel tum ad gentes regno translato reiectus, atq; excæcatus dicatur: quemadmodum id res ipsa comprobat, & ex nostro uate suprà, atque ex Christi uerbis & apostolo Paulo patet. Expectanda igitur est adhuc sua Israelitis promissa salus, & in Mose & prophetis prædicta, clareq; in noui fœderis scriptura expositа. Dicas, uerum esse quidem, Apostolorum temporibus Israelitas fuisse repudiatos, paucis seruatis reliquijs: sed interiecto inter Apostolos et nos tempore, eos seruatos. Si ita res habet, ostende horam, ostende signa & certa restituti Israelis tempora. nulla monstraueris: summam excæcationem & tempora plena erroribus, totum terrarum orbem seducente satana, monstra-
Daniel.9. ueris. Nam desolationem quæ in tempora Apostolorum incidit, Daniel in finem usq; duraturam dicit: ad finem inquam, profanationis: hoc est, ad id tempus, quo finita misera domus Israeliticæ uastatione, hoc acclamabitur magna cum animi gratulatione: Benedictus, qui uenit in nomine Domini. Quocirca quum ab Apostolorum tempore promissa Israelitis salus nõdum exhibita est, futurum sanè erit, ut ante aduentum glorioſum Messiæ in hoc patefactionis eius per restitutam Euangelij lucem aduentum exhibeatur, eaq; non ex parte modicis reliquijs seruatis, sed ex toto, hoc est, omnibus electis in Israelitica gente, & scriptis in libro uitæ Euangelij lumine illustratis. Opponit enim noster Apostolus ex sententia prophetarum, cæcationi quæ ex parte accidit Israeli-
Rom.11. tis, salutem quæ ex toto sit euẽtura, ubi ait: Quod si lapsus illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum? Idem de plenitudine gentium ad Messiam aggregãdarum iudicium est. Has Apostolus oleastro, & Israelem oleæ comparat, cum ait: Tu autem cum esses oleaster, insitus fuisti illis, & consors radicis & pinguedinis oleæ factus es, ne glorieris aduersus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Iam autem quomodo oleaster lęsa olea, cui insitus est, integritatem suam tuebitur? Apostolorum igitur tempore Israeliticę oleæ natiuo suo succo detracto, nec gentilis oleaster plenis incremẽtis succrescere potuit, atq; ita etiam ex parte gentibus tum salutis lumen affulsit. Quod etiam obscurari cœpit, ubi Israel suam desolationem plenius sensit. ideo Apostolus noster dicit: Quoniam & tu excideris. Itaq; neq; gentium sine Israelis, qui radix est, salute, neq; Israelis

lis ſine gentium, quæ oleaſter ſunt, incolumitate, plenior & copioſior ſalus cõſtat. Nam in myſteriis niſi figuræ reſpondeat res quæ myſticè præfiguratur, ut caſſum ſit & inane myſterium neceſſe eſt. Vnde Apoſtolus concludit in hunc modum: Non enim uolo uos ignorare fratres myſterium hoc, ut ne ſitis apud uos ipſos clati animo, quòd excæcatio ex parte Iſraeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & ſic totus Iſrael ſaluus erit. Quare ut hic uates noſter Iſraelitarum ſalutem cum gentium ſalute cõiungit, quam nacturi ſint per Meſſiam: hoc idem cum Apoſtolo in epiſtola ad Rom. interpres prophetarũ Ioannes in ſua Apocalypſi facit. Atq; in hac pleniore & copioſiore illuminatione gentium hæc oracula implebuntur: Habitabit Iaphethus in tabernaculis Semi. item: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. quod ſemen in ſignum erectum Meſsias eſt. item: Conuertentur ad te omnes fines terræ. item: Adorabunt in conſpectu eius omnes familiæ terræ. Et hoc Domini noſtri: Erit unum ouile, & unus paſtor. De quo uno ouili, & uno paſtore, Zacharias in hũc modum prophetauit: Lauda & lętare filia Sion, quia ecce ego uenio & habitabo in medio tui, dicit Dominus: & applicabuntur gentes multæ ad Dñm in die illa, & erũt mihi in populũ. Sed quæras, qua ratione & uia hæc futura ſint, quæ hactenus per filium perditum omnia uaſtantem fieri non potuerunt? Apoſtolus modum & rationem ex uate noſtro Ieſaia indicat, in hunc modum eius ſententiam explicans: Adueniet ex Sion ille qui liberat, & auertet impietates à Iacob. Sed ad quod tempus referetur is aduentus redemptoris Meſsiæ? Non ſanè ad tempus quo is primò in carne præſentatus mundo eſt, & Apoſtoli ſuo munere fungebantur, tum Iſraelitis repudiatis: neq; ad glorioſum aduentum, quo idem Chriſtus ſtipatus angelis cum maieſtate ueniet, referendus erit. Nam in eo tempore iudicem aget, non reconciliatorem, & pacis arbitrum. Igitur de aduentu quo Chriſtus his extremis temporibus præſens aderit per patefactionem Euangelij, prophetæ teſtimonium accipiendum fuerit: in quo, fuſo de cœlo ſacro ſpiritu, gentium & Iſraelitarum uitia expurgentur. De quo ſpiritu expurgatore & emundatore, aliquoties ſuprà ex noſtro uate meminimus. De eodem aduentu ſuprà ex Zacharia mentionem fecimus: Quia ecce ego uenio, & habitabo in medio tui. præſens uidelicet, per ſpiritum noui fœderis. Qui quoniam temporibus Apoſtolorum fundi cœpit, oracula quæ his nouiſsimis temporibus implebuntur, illis impleta dicuntur. Eundem etiam aduentum ſignificat Dominus noſter, ubi ait: Non uidebitis me, donec dicatis, benedictus qui uenit in nomine Domini. Benedictus inquam, qui uenit in luce Euangelij, ad cæcos noſtros oculos illuminandos. Sed is locus etiam ſuprà non ſemel citatus eſt. Et quoniam hoc modo ueniens in mundum Chriſtus, omnia per Antichriſtum reperit deprauata, Euangelij claritate eius perfidiam & cæcitatẽ detegente, legimus de eodẽ aduentu illud: Cum uenerit filius hominis, reperturus ne eſt fidẽ in terra? Cæterùm ut is aduẽtus Meſsiæ, aduentui maieſtatis ſit præluſurus, ut aurora meridiei præludit: utq; quæ in poſtremo aduentu cernentur, ea in hoc reuelationis Euangelij aduentu quoque cernantur, ſua reſurrectio, ſua meſsis, ſua collectio electorum: de hoc myſterio aliàs mentionem fecimus, & ſuis locis amplius illius meminerimus, quantum lucis & gratiæ conceſſerit lux ipſa Meſsias à Deo patre, cui ſit gloria in æternum, Amen.

Secundò.) Qui primò ſolenni redemptione redemptus fuerat ex Aegypto. At hęc altera redemptio tanto præſtantior eſt, quanto ſpiritualis peccati, mortis & inferni, ac errorũ quib. animos filius perditus opprimit, ſeruitus grauior eſt ſeruitute, cui corpora & fortunæ ſubjiciuntur. Quæ comparatio apud Ieremiam his uerbis exponitur: Ecce dies ueniũt, dicit Dñs, & feriã domui Iſrael, domui Iuda, fœdus nouum, nõ ſecundum pactum quod pepigi cum patribus

Genes. 9. *Genes. 12.* *Ioan. 10.* *Zach. 2.* *59.* *Luce 19.* *Luce 18.* *31.*

ueſtris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt. At longè præſtantius pactum pangere ſe dicit in hac altera redemptione, qua ex ſpirituali captiuitate redimẽtur. Sequitur enim: Sed hoc erit pactum quod feriam cum Iſraele, poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. In priore igitur redemptione fœdus legis Moſaæ, quod irritum factum eſt, feriebatur: in hac altera & poſteriore, fœdus eius legis quæ ſpiritus uitæ lex eſt, ſpectatur, electos liberans à iure peccati & mortis, quam nulla uis aboleat. Huius redemptiõis principia uidere licuit tempore Apoſtolorum in reliquijs Iſraelitarum, ſuos autem auctus & incrementa hæc ultima illorum reparatio in his extremis reuelationis Chriſti temporibus habebit. Atque ut altera liberatio priore liberatione, qua Iſrael ex Aegypto liberatus eſt, excellẽtior indicatur: ita alterum templum à Meſsia ædificandum, & Hieroſolymam de cœlo deſcendentem præſtantiorem fore myſtica Hieroſolyma & templo à Salomone ædificato. Itaq; hoc templũ in quo ſpiritus ſanctus habitat, quod Apoſtolorum temporibus cœptum eſt cum Hieroſolyma extrui, & deinde ab Antichriſto profanatum eſt: his nouiſsimis temporibus eum ſplendorem cũ Hieroſolyma habebit, qui ei in Aggæo & Zacharia myſticè tribuitur. De quo etiam ſuis locis ex noſtro uate meminerimus.

Ad poſsidendum.) Tanquam hæreditatem, quo nomine Iſrael appellatur, non ſine ſingulari Dei erga ipſum amoris & beneuolentiæ ſignificatione. Sic enim infrà capite XIX ſcriptum eſt: Iſrael autem hæreditas mea. In poſsidendi uerbo לְיְרֻשָּׁה ſignificatur, Iſraelitas ab alijs occupatos, denuò tanquam hæreditatem Deo uendicandos eſſe. Itaq; Paraphraſtes pro poſsidendi uoce, redditredimendi, Iſraelitas ex ſeruitute in libertatem aſſerendos, in libertatem inquam de qua Meſsias loquitur: Si uos filius liberarit, uerè liberi eſtis. Ioan. 8.

Reſiduum populi ſui.) Ex orbis terrarum afflictionibus, quæ imminent, ſuperſtitis. De his reliquijs hunc in modũ uaticinatur Zacharias: Et erunt in omni terra, dicit Dñs, partes duæ in ea diſpergẽtur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea: & ducã tertiã partem per ignem, & uram eos ſicut uritur argentũ, et probabo eos ſicut probatur aurũ: ipſi inuocabunt nomen meum, & ego eos exaudiam. De hac tertia parte uideris in Apocalypſi Ioannis. 13. 9.

Ab Aſſyrijs.) Nominantur quatuor fines orbis terrarum, è quibus tempore reconciliationis Iſrael ſit congregandus in terram ſacram, maioribus ipſius promiſſam. Nam Moſes, & cæteri ſecundum illum prophetæ, ubi reditionis Iſraelitarum ad Deum maiorum ſuorũ, & ad Meſsiam regem ſuũ meminerunt, terræ etiam Chananææ mentionem faciunt, in quam illi ſint congregandi. Sic enim Moſes in Leuitico ait: Et ego recordabor fœderis mei quod cum Iacob pepigi & Iſaac & Abraham, terræ quoque memor ero. Similiter quoque Deutero nomij XXX. Si ad cardines cœli fueris diſsipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus: de captiuitate tua aſſumet, & introducet te in terram quam poſsiderunt patres tui, & obtinebis eam. Sed quo tempore id eueniet? Tẽpore quo Meſsias hoc patefactionis ſui aduentu ueniet, pectora illorũ circumciſurus ſpiritu ſuo. Sic enim ait: Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuũ. Similiter Hieremias: Ecce ego cõgregabo eos de uniuerſis terris, ad quas eieci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi: & reducam eos in locũ iſtum, & habitare eos faciam confidenter, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Sed quo tempore id accidet? illo tempore accidet, quo in illorum pectore ſcribetur lex ſacri ſpiritus, qui Meſsiæ patefaciendi in nouiſsimis temporibus ſpiritus eſt, de quo idem propheta: Poſt illos dies, dicit Dominus, dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Quod eſt nouum pactum in ſanguine agni, nunquam abolendum. Pactum 26. 31.

inquam

inquam ſpiritus ſancti, teſtimonium dantis in cordibus filiorũ regni cœleſtis, Deum ipſis reconciliatum, fuſi ſanguinis Meſsiæ merito, qui noui fœderis ſanguis eſt: ut ſanguis uaccæ, ueteris fœderis ſanguis fuit. Non aliter uaticinantur cęteri prophetę. Ezechielis oraculũ de reducendis Iſraelitis in terram ſuam ſic habet: Tollam quippe uos de gẽtibus, & cõgregabo uos de uniuerſis terris, & 36.
adducã uos in terrã ueſtrã. Et ne quis de tẽpore dubitet, notas oſtẽdit, è quib. tempus quo ſit reducendus Iſrael colligit. Vna eſt, quòd dicit tum colligẽdos, cum polluerint inter gentes nomẽ diuinũ, quod maximè cõtigit in hoc poſtremo eorũ exilio: in quo priuati regno & ſacerdotio, omnino falſa religione uſi ſunt, & etiamnum utuntur, in profundis errorũ tenebris & caligine uerſantes. Altera nota eſt, quòd dicit eos non ex una aliqua gente, ſed de uniuerſis terris, in quas diſsipati ſunt, colligendos eſſe. quod ante reuelati Meſsiæ tempora non accidit. Tertium indicium eſt, quod ait, ſuper eos fundendũ aquam mundam, qua à ſuis uitijs purgentur. Sed quę eſt illa aqua munda in illos fundẽda? Non ſanè aqua eſt, quam præbet aſpectabile elementum aquę, quod ſordes & uitia animorum minimè natura ſua emũdarit: ſed aqua erit diuina & cœleſtis, manans ex perenni fonte Meſsia, de qua ſubijcitur in Ezechiele mentio, Et ſpiritum meum ponam in medio ueſtri. ſpiritum inquam nõ Moſaicum, ſed Meſsiæ, cuius ductu & inſtinctu exequãtur legem à Moſe mandatam, quam antea tempore ueteris fœderis executi non fuerunt. Is igitur ſpiritus Euangelij ſpiritus eſt, in noui fœderis diſpenſationem cadens, præſtans' que uim amandi Deum & alterum, ex præſcripto legis Moſaæ, quam ueteris fœderis ſeruilis ſpiritus non præſtitit. Sic enim Ezechiel ait: Vt in præceptis meis ambuletis. Sed dicat aliquis, umbras rerum futurarum exhibito Chriſto diſparuiſſe, non igitur amplius earum rationem haberi: earũ autem ratio haberetur, ſi poſt exhibitum Chriſtum ulla cura Chananææ terræ foret. Ratio myſterij diuino ſpiritu doctos homines admonet, ceremoniarũ umbras q̃ in cultu tabernaculi, & ipſo ſacerdotio, & in myſtico Dauidis regno & Salomonio templo obſeruatæ ſunt, diſparuiſſe: nõ item in uniuerſum quæ in perſonis & rebus nõ ceremonialibus ſpectantur. Nam ſi perſonã Iſraelitarũ ſecundũ carnem conſideras, hi reconditarũ rerum in myſterijs Dei umbrã in hoc ſuo exilio, in exilij ſolutione & in ſua cõgregatione in finẽ uſq; mundi gerent, ut ex hoc noſtro propheta ſuis locis mõſtrabimus. Quò pertinet illud Apoſtoli: Myſteriũ uobis dico, donec Rom. 11.
plenitudo gentium aduenerit, & ſic totus Iſrael ſaluus erit. At in myſterijs duo perpendunt: alterũ figura eſt, alterũ res figurata. Res aũt non ceremonialis, futurarũ umbrã præferens, uſq; ad aduentũ glorioſum Meſsiæ, Chananæa habebit. Quę ut à quarta beſtia, hoc eſt à Romanis uaſtata, et in horribilẽ ſolitudinẽ redacta, notæ pijs hæreditatis deſolationẽ præfigurauit: ita eadẽ ſuæ benedictioni reſtituta, eum nitorẽ, ſplendorẽ & benedictionẽ adumbrabit, quem electi cõgregati ex cunctis terrarũ finibus in cœleſtem hæreditatem illo tempore adipiſcentur, quo Meſsias ad iudicandos uiuos & mortuos ueniet. Huc ſpectant ſepulchra quorum Ezechiel meminit, in quibus Iſraelitæ iam multis ſe- Ezech. 37.
culis ſepulti, Meſsiæ uita carentes, iacuerunt: à quibus uelut uiui ex mortuis in hac prima reſurrectione euocati, alteram reſurrectionem quæ corporum animis copulandorum erit, præfigurabunt. Hoc myſterium ſignificatum in reſtituẽdis Iſraelitis, his uerbis Apoſtolus explicat: Quæ erit aſſumptio, niſi è mor- Rom. 11.
tuis uita? Hæc breuiter monuimus ex Moſe & prophetis, de Iſraelitarum è terræ cardinibus in terram ſuam reuocatione, quam ſint poſſeſſuri non carnali regno, ſed ſpirituali, ad glorificandum nomen cœleſtis patris in IESV Chriſto, certa myſterij, quæ indicata eſt, ratione. Dicas, cũ ſpirituali regno Chriſti pugnare terrenã benedictionem. Huic obiectioni ſuprà occurſum eſt. Sed de his iudicẽt pij, & ſpũ diuino docti homines: quorũ eſt, pbare omnia, & q̃d bonũ

iudicent esse, tenere. liberum cuiq;, quod analogię fidei respondeat, iudicii relinquo. Sed hac de re etiam in Leuitico & Deuteronomio admonuimus.

Et leuabit signum.) sacri Euangelij de crucifixo Messia, in quem intuentes Israelitæ, à ueneno serpentis satanæ sanabuntur: sicut olim à præsterib. serpentibus maiores illorum infecti, ut intuiti in serpentem æneum in solitudine erectum fuissent, sanati fuerunt. Num. 21.

A' *quatuor plagis terræ.*) Elamitis, qui Persę sunt, ortum: Aegypto & Aethiopia meridiem, Hemathia septentrionem, maris insulis occidentẽ designantibus.

Et auferetur Zelus Ephraim.) Fore ut æmulatio, quæ inter Iudæos & Ephraimitas flagrauit, faceſſat. Quæ æmulatio sub Ieroboamo, à Dauidis regno decem tribubus deficientibus, exorta fuit. Abolendã autem hanc discordiam & dissidium inter Iacobæos, arbitro Messiæ spũ, pacis & concordiæ spũ, hic prædicit Iesaias. De qua cõcordia uideris apud Ezechielẽ cap. XXXVII, & apud Ieremiã cap. XXXI: Et dabo eis cor unũ, & uiam unã, ut timeãt me. Vno uidelicet pastore Dauide Messia eos recturo, de quo Ezechiel his uerbis: Et pastor unus erit omniũ eorũ. Similiter Oseas: Et congregabuntur filij Iuda & filij Israel pariter, & caput sibi unũ constituent, & ascendent de terra, quoniam magnus est dies Iezrael. Fit autem mentio in Osea Iezraelis, propter calamitatem quæ Achabi domus affecta est Iezraele, cum tota familia Iezabele illic deleta. ut sit sententia: Sicut afflictio magna Iezabeli à Iehu importata fuit, qua impia mulier Iezabel cum familia sua extincta est: ita postremis patefactionis Messię tẽporibus, non nisi in maximis orbis terrarũ calamitatibus Israelitę seruabuntur, uindicta de Iezabele, hoc est purpurata illa meretrice Antichristo, sumpta. Quæ dies, quoniam memorabilis dies erit propter anathema, quo terra percutietur, fit mentio Iezraelis his uerbis: Quoniã magna est dies Iezrael. Reducto aũt uelo mystici Israelis, occurrit in genere electorum Ecclesia, in qua tot sectæ & dissidia, quibus illius mẽbra sub Antichristo, per uaria æmulandi studia dissociata fuerunt, cessatura sint beneficio spiritus Eliæ: quem parentum animos liberis, & liberorum animos parentibus reconciliaturum, Malachias prædicit: constituta in Ecclesia pace, per Euangelium pacis, sub principe pacis Messia, de quo suprà: Princeps pacis uocabitur. Osee 1. Malach. 4.

Et uolabunt in humeros Philistijm.) Omnia cessura Euangelio, uictoriam in orbe terrarum obtenturo. Quò alluditur figuratè mentione Palæstinorum, Moabitarum & Ammonitarum, hostium olim Israelitarum.

Et desolabit Dominus linguam maris.) Figuratè omnia obstacula amouenda, liberando populo Dei, & diuulgando Euangelio Messiæ. Alluditur ad expeditam Israelis per siccum maris rubri alueum traiectionem.

Super flumen.) Euphratem. Etiam Assyrios sub iugum Euangelij mittendos, & eos quo minus Israelitę liberent, non impedituros. Submota figura, sceptrũ spiritualis Assur & Aegypti tollendũ significatur. de quo Zacharias: Et humiliabit superbia Assur, sceptrũ Aegypti recedet. Sed cuius Assur superbia deijcietur? Eius Assur sanè, de quo Apostolus: Et patefactus fuerit homo ille sceleratus, filius perditus qui est aduersarius, & efferet aduersus oẽm qui dicit Deus aut numẽ Dei, adeò ut in templo Dei sedeat, ostentãs seipsum esse Deũ. Huc spectãs Oseas, Ephraim in Aegyptũ reuersum, et in Assyrijs pollutũ comedisse dicit: Reuersus est Ephraim in Aegyptũ, & in Assyrijs pollutũ comedit. mystice significato, electos relicto Dauidis Messiæ regno, nouissimis temporib. in Aegyptũ, domũ seruitutis peccati, reuersos: & pollutũ cum Assur, hoc est Antichristo comedisse, de q uideris apud Apostolũ in altera ad Thessalon. epist. & in priore ad Timotheum. Sed de hac mystica adumbratione in explicatione Apocalypsis Ioannis meminerimus. Cæterùm, quod ad figuram fluminis Aegyptij & Euphratis attinet, ea significantur persecutiones, quibus spiritualis Aegypti Zach. 10. 2. Thess. 2. 9. 4.

Aegypti & Assyrię rex, Satan, & filius huius Antichristus, Ecclesiã persequuntur: sed per has non impeditum iri liberationem Ecclesiæ, sed futurum ut persecutionum flumine arefacto, per siccum alueum superatis persecutionum fluctibus, ad quietis & tranquillitatis portum electi sint traiecturi. Sic autem flumen Euphratem & linguam maris Aegyptij esse explicandam, Ioannes in sua sacra Apocalypsi monet, ubi ait: Et eiecit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanq̃ flumen, ut eam faceret rapi à flumine. Sed quid accidet huic flumini? Ei accidet, quod hic legimus apud uatem nostrum, Deuouebit Dominus linguam maris Aegyptij: hoc est, non leuiter amouebit, sed cum diris excindet. hoc est, omnia consilia & conatus Satanæ & hostium Ecclesiæ euertet, ut olim deuouit mare rubrum, Pharaone in illo extincto. In Hebræo porrò legitur והחרים, pro quo noster interpres Desolabit. Paraphrastes, רבש. Quod ad flumẽ Euphratem attinet, eius figuram his uerbis explicat idem Ioannes: Solue quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. & soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam & diem, & mensem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum. Horum legatorum uim cohibebit Deus, ne perdant tertiam partem: de qua suprà ex Zacharia mentio facta est. De cuius seruatione Dominus: Et nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos decurtabuntur. Similiter Oseas propheta prophetat: Non conuertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, & nõ homo: & non ingrediar ciuitatem, post Dominum ambulabunt, & auolabunt quasi auis ex Aegypto, & quasi columba ex terra Assyriorũ: & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus. Quibus uerbis indicat diuina bonitas, se contentam fore paterna castigatione, non hostili, qua suos Ephraimenses, hoc est, electos & scriptos in libro uitæ funditùs perdat, usurum: qui sit natura clemẽs & longanimis, non more hominis uindictæ cupidus & impotens iræ, qui homo puniat ut perdat, non seruet eos quos ira percitus punit. Deinde dicit, se non ingressurum in ciuitatem, uidelicet aliam quàm eam quæ ex electis descripta sit. In qua quoniam sanctitate iustitiæ & sapientiæ & uitæ suæ solum uersatur, ait: In medio tui sanctus. quem electi in nouissimis temporibus sunt secuturi, legem Euangelij eius amplexi. Sic enim Oseas loquitur: Post Dominum ambulabunt. Postremò dicit: Et auolabunt quasi auis ex Aegypto, & quasi columba de terra Assyriorũ. hoc est, renati ex Euangelij spũ, festinanter & celeriter fugiẽt ex Aegypto spirituali, & Assyria, hoc est regno aduersarij: in domos suas, hoc est, in regnũ Messię, instar columbę nidũ suũ repetentis. Sed quando hoc continget? Cõtinget, cum Messias tanq̃ leo per sacrũ suum Euangelium aduersus hostem suũ (qui Antichristus est, & falsi eius prophetæ) ad liberãdos electos rugire cœperit. Sic enim legitur apud eũdem prophetã Oseam: Quasi leo rugiet. Leo inquam, de quo Ioannes: Vicit leo de tribu Iuda. & antea antiquissimus propheta Iacobus prædixerat: Catulus leonis Iuda.

Apocal. 12. Apocal. 9. Oseæ 11. Apocal. 5. Genes. 49.

In fortitudine spiritus.) Alluditur ad illud in Exodo: Cum leuasset Moses manũ super mare, abstulit illud flante uento uehemẽti, & uertit in siccum. Accipitur in uoce עים, quam temerè nusquam aliàs reperias, uehemens Messiæ spiritus, qui in maria & flumina flans, procellosos persecutionum fluctus ad liberandos suos sit cohibiturus. Hunc spiritum & flumen interpretatur infrà Iesaias, capite quinquagesimonono.

Exod. 14.

IN CAPVT DVODECIMVM.

ET *dices in die illa.*) Hæc dies reconciliationis dies est, qua absterso opprobrio profanationis, ab Ecclesia ex Israelitis & gentibus instaurata per restituti Euangelij prædicationem, Messiæ beneficia celebrabuntur. Similem hymnum, continentem Domini laudem, &

Exod.15. gratiarum actionem, Israelitæ traiecto mari rubro, & in eo absorpto Pharaone cum exercitu, cecinerunt. Nam de more Israelitæ carminibus res præclarè à Domino gestas consecrarunt, ut in omnem posteritatem potentiæ diuinæ in hostes, & bonitatis in sacrum populũ declaratę, extaret monumentum. Sic sancta mulier Debora uictoriã, quam de Sisara diuina ope freta retulit, sacro hymno posteris ad amplificationẽ nominis Dei cõmendauit. Talis est etiam hymnus Hannæ, matris Samuelis. Talesq; sunt multi Psalmi à Dauide editi: & in nouo fœdere Zacharię, Mariæ matris Domini nostri IESV Christi, & Simeonis pij & sapientis inter Hebræos uiri, cuius ferunt in Thalmudicis multa præclarè dicta extare.

Confitebor tibi Domine.) Exordium carminis. Confitetur Ecclesia, se ob redemptionis beneficia uelle Dominum celebrare, non diuos, non angelos: sed Dominum Deum, & Messiam filium eius, mundi seruatorem, cuius beneficio à satanis & filij perditi imperio ac tyrãnide liberata sit. de quo suprà legimus: Et afflictos terræ iustè iudicabit, interfecto impio spiritu oris sui.

Quoniam iratus es mihi.) Commendatio diuinæ bonitatis, à cohibita ira his nouissimis temporibus, in quibus gentium & Israelitarum Ecclesia Deo in filio Messia reconciliata canet: Celebro te Domine, gratiasq; tibi ago, qui cum mihi fuisses iratus, ira tua sedata me consolaris. Vt in gentibus huius consolationis exempla in hac Euangelij restitutione incipiant se ostendere, nos ipsi testamur, quibus Euangelij lux affulget, & nostrum testimonium uerum est & gratum, ut hostibus acerbum.

Et consolatus es me.) Exornatio diuinæ clementiæ, à consolatione, qua Ecclesiã consolari dignatur per Euangelij spiritum, qui consolationis spiritus est. Consolatio autem tam latè patet, quàm mala quibus infestatur Ecclesia patẽt. Cernuntur autem hæc in animo, ut est uexatio conscientiæ de peccato & morte, & uarijs erroribus. quos satan immittit: in corpore item, ut est infirmitas, aduersa ualetudo, morbi: in fortunis, ut sunt persecutiones, exilium, inopia, orbitas, & si quæ sunt huiusmodi. in omnibus his cõsolationem capiens Ecclesia, cum suis membris canet: Consolaris me, consolatis inquam me, qui soles lugentes, probata ipsorum per patientiam afflictionum fide, consolari, ex illo tuo promisso: Matth. 5. Beati lugentes, quoniam hi consolationem accipient. In qua diuina consolatione beatitudo uerè consistit: in luctu autem, tanquam in materia præparante uiam ad beatam consolationem, quam spiritus Dei consolator lugentib. affert. Qui spũs oleũ illud diuinitatis est: q̃ qui uncti sunt, uerè beati iudicãtur.

Ecce Deus saluator meus.) A' salute parta cõmendatio Messiæ, qui sit seruator Ecclesiæ. Quò pertinet illud: Paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Is em̃ saluum faciet populũ suum à peccatis suis. Huius aũt salutis, & autoris eius Messiæ cognitionẽ, ut aduersarius inuecta dęmoniorũ doctrina obliterauit: ita eadẽ per Euãgelij lumẽ reparata, hãc in Ecclesia cõfessionẽ excitabit, Ecce Deus saluator meus. quem suprà diuinus spũs Immanuelẽ, & Deũ fortẽ appellauit. In hac aũt salute continẽt remissio peccatorũ, donatio spũs sancti, iusticia Dei nobis per fidẽ in filiũ cõmunicata, uita æterna, & spes nõ pudefaciẽs de possidẽda in cœlis reposita hęreditate, & in reb. aduersis cõstans patiẽtia, cũ fiducia ex illis eluctandi, & ipsa salus ex aduersarũ rerũ eluctatiõe nata. de qua sequit:

Fiducialiter agam.) in Messia: cuius fide freta, peccatũ, mortem, mundũ, & principatum mundi, & omnes calamitates quas satan mihi, mundi, hoc est impiorũ in mundo uersantium, princeps machinatur. de qua fiducia Ioannes: Hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra. 1. Ioan. 5.

Et non timebo.) eo in me uersante per regij sui sacerdotij spiritũ, qui omnibus aduersarijs potestatibus maior est, de se prædicans: Ego uici mundum. Ioan. 16.

Quia fortitudo mea.) Celebratio Christi à communicata fortitudine. Agnoscit sponsa

ſponſa Eccleſia, à capite & marito ſuo Meſsia ſibi fortitudinẽ, qua fortiter omnes graues tentationes ferat, & eas ſuperet, cõmunicari. Non hęc confiteẽ, mũdus & eius potẽtia, robur, ſapientia, fortitudo mea eſt: ſed, ſeruator Chriſtus. cõtrà quàm gloriatur aduerſarius dicens, Vi & fortitudine manus meæ feci.

Et laus mea.) Quem uel ego unicè laudibus celebrem, neminem præterea alium: aut quam ego laudem uel probitatis, uel ſapientiæ, uel fortitudinis habeo, in eo ipſo & per eum ſolum habeam, dum amplectitur me dextra ſua, de qua ſponſa in Cantico canticorum: Læua eius ſub capite meo, & dextra illius amplexatur me. 2.

Dominus Deus.) Duo Domini nomina hic ponuntur: alterũ integrũ יהוה, alterũ non integrum יה. Volunt ſapientes homines, fore ut tum nomen Dei integrũ pronuncietur, cum Meſsias rerum potiri cœperit, liberata Eccleſia, & aduerſario eius euerſo. Eodem modo dicunt, nomen ſolij Meſsiæ in Exodo capite XVII integrum non poni, lecto בס, non בסא: quòd de Amalechitis, hoc eſt hoſtibus Eccleſiæ triumphatum ab Immanuele Meſsia nondum eſſet.

Et factus eſt mihi in ſalutem.) non Moſes, non Moſæa lex, non eius iuſticia, nõ ulla humana iuſticia & ſapientia: ſed Meſsias, Dei ſapientia, iuſticia & potentia. Moſes eductos ex Aegypto Iſraelitas duriſsima ſeruitute liberauit, ſed externa, quos interim ſeruitus peccati & mortis premeret, liberatos pauit in deſerto manna: ſed qua qui ueſcebãtur, mortui ſint. eorũ ſitim aqua ex petra expreſſa reſtinxit, ſed quos iterũ ſitis affecerit, Amalechitas hoſtes repreſsit, ſed ueros hoſtes ſatanã & tenebrarũ poteſtates à ceruicib. Iſraelitarum non repreſsit. At Meſsias ſeruator Iſraelitas ſuos, hoc eſt electorũ Eccleſiam, Aegyptia peccati mortis & inferni ſeruitute liberat, iuſticiæ & uitæ æternæ libertate reſtituta: eoſq; cœleſti mãna, pane uitę, ad participatũ uitę nunq; abolendæ nutrit: & aquis perennib. quarũ fons ſcaturit in uitã ęternã, potat: ueroſq; illos Amalechitas, Antichriſtũ & eius mẽbra, & eorũ parentẽ Satanẽ proſternit. Ioſua Iſraelitas cõfecta in ſolitudine Arabũ peregrinatione in promiſſam terrã introduxit, hoſtes Chananęos euertit, hæreditatẽ cuiq; tribui ſuã aſsignauit. At noſter ſeruator Meſsias cœleſtẽ hæreditatẽ, triumphans de principatu tenebrarũ, ſponſæ ſuæ Eccleſię cõparauit. Dauid rex regiũ imperiũ uicinis hoſtibus horribile, & ſuis ad tempus cõmodum geſsit, & id Salomon filius pacatũ Iſraelitis reddidit. At Chriſtus IESVS, cœleſtis regni cœleſtis rex, regnũ ſanxit ſanguine ſuo: quo qui continentur, uincunt non Amalechitas, Moabitas, Ammonitas, Palæſtinos, Syros: ſed hoſtes, quales deſcribit Apoſtolus ad Corinth. & quorũ iam ſępe meminimus, qui priſs noti ſunt, & ab eis uicti. Atq; hoc ipſum eſt, quod Eccleſia cum membris ſuis canit: Et fuit mihi ſaluti. O' beati, qui hunc hymnũ, uictrice fide modulante, canere poſſunt.

Mihi.) ſentiente unoquoq;, Meſsiam ſeruatorem ſuum eſſe ſeruatorem, ſibi in hunc mundum ueniſſe, ſibi conceptum è ſpiritu ſancto, ſibiq; natum ex uirgine, ſibi crucifixum & mortuum, ſibi excitatum è mortuis ad uitam, & euntem in cœlum ſedere ſibi Dominum omnium ad dextram patris. Hinc ſponſa in Cantico canticorum ſic canit: Faſciculus mille dilectus meus, dilectus meus candidus. item, Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum. Vocat ſponſa maritum ſuum Meſsiam, dilectum ſuum. Quæ fides per diuini amoris ſpiritum agentis uox eſt, non naturæ ueteris. Quæ uox declarat, ſponſæ Eccleſiæ & ſponſo Chriſto omnia coniugalis neceſsitudinis iure inter ipſos communia eſſe: ſponſum ſuam ſapientiam, iuſticiam, uitam communicare ſponſæ: hanc, ſuam ſtulticiam, peccatum, mortem, reijcere in ſponſum Meſsiam: hunc illa in ſe recipere, quæ ferat, & ea uincens tollat. Tantum ualent uerba hæc: Et eſt mihi ſaluti. *Cantic.1.*

Hauritis aquas.) ad ſedandam ſalutis ſitim, quam tempore afflictionum ſitistis.

Sed quales sunt hę aquę? Aquę sanè sunt, de quibus his uerbis Seruator apud
Ioan. 4. Ioānem ad Samaritanam meminit: Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitierit in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. De hac siti, & aquis sitim sedantibus, infrà memineri mus, ubi propheta hortatur siti affectos: Venite ad me sitiētes. Ionathan Chaldæus de doctrina noua, quæ sacri Euāgelij doctrina est, interpretatē has aquas, והתקבלון אולפן הרש בהרות מבחירי צדיקיא: hoc est, accipietis doctrinā nouā cū gaudio ab electis iustis, hoc est, à ministris sacri Euāgelij, à Messia dilectis.

In gaudio.) ablatis afflictionum aquis, quibus potati estis tempore quo Sa-
Apocal. 12. tan mulierem Ecclesiam in mundi huius solitudine persequens, terrarum orbē seduxit. Hoc gaudium nō est illud gaudiū quo mūdus suos cultores afficit. sed
Rom. 14. gaudium est, de quo Apostolus meminit: Regnum Dei, pax, gaudium, & iustitia est in spiritu sancto.

De fontibus Saluatoris.) Is salutis fons Messias est, aquas fundens, quas fons ipse
Ioan. 7. apud Ioannem his uerbis interpretatur: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Igitur aquæ quæ hauriuntur ex fonte salutari Messia, diuini spiritus aquæ sunt, quæ sitientibus salutem sapientiæ, iusticiæ & uitæ afferunt. Is fons primò per sacri Euangelij prædicationem ab Apostolis patefactus fuit: deinde eo per filium perditum obstructo, humanarum doctrinarum putei fossi sunt, aquas turbidas & lutulentas continentes. Iam uerò hoc fonte his nouissimis temporibus denuò incipiente patefieri, Ecclesia carmen canere studet, quod à propheta hic recitatur, quod propheta Iesaias celebraturam Ecclesiam uaticinatur.

Confitemini Domino.) Explicatur præcipua pars cultus diuini, quo Deus colli-
Psal. 50. tur, gratiarum actio. de quo Dauid: Sacrificiū laudis honorat me. nam in gratiarum actione summus honor Deo datur per fidem. Qua nimirum agnoscitur Deus illud summum bonum esse, à quo omnia bona proficiscuntur: cui omnis sapientiæ, bonitatis, potentiæ & iusticiæ laus in Messia filio debeatur, nemini præterea alteri. Quare sequitur:

Inuocate nomen eius.) בשמו, id est, in nomine eius: Deum patrem inuocandum in nomine eius. Sed cuius nomine? Seruatoris Messiæ nomine, ut is ipse hanc inuocandi rationem exponens testatur his uerbis: Vt quicquid petieritis patrem, nomine meo det uobis. Dicit nomine meo, non nomine diuorum, angelorum: non ullius alterius naturæ, siue in cœlo siue in terra, nomine. Est autem inuocare patrem nomine Messiæ, ab eo uno tempore rerum aduersarum petere opem & auxiliū, quod filij tāquam arbitri & pacificatoris nomine exhibeat, partim quòd is merito fusi sanguinis hunc ad Deū aditū nobis patefecerit, partim quòd placeat patri suū sacrum spiritum in filio Messia habitare, de cuius affluentia uelit cuiq; corporis illius membro modum salutaris spiritus imper-
Actor. 4. tiri. Hinc illud Petri: Non est aliud nomē sub sole datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. ut in quo nomine solus pater cognoscatur, & cognitus inuocetur, & inuocatus exaudiat inuocantes. Vt id hæc responsio Christi
Ioan. 8. ad pharisæos, cum interrogassent, Vbi est pater tuus? comprobat: Neque me scitis, neq; patrem meum: si me sciretis, sciretis & patrem meum.

Notas facite in populis.) Laus seruatoris Messiæ, ab operibus salutis editis. Quæ cernuntur in uictoria peccati, in reparata iusticia, & uita, abolita contraria potestate, & regno cœlesti per Euāgelij claritatem longè lateq; propagato, & in aduersarij imperio dissipato.

Quoniam excelsum est nomen eius.) Ab excelsitate nominis, de quo uideris in epistola Apostoli ad Philippenses, ratio celebrandi ducitur.

Quia magnus.) potentia & imperio, in omnia cœlestia & terrestria & infera.

In medio tui.) Tanquam rex in regno suo: ut est Sion Ecclesia Messiæ regnũ. Huc referendum carmen, quo Ioannes in Apocalypsi indicat electos celebraturos uictoriam, de bestia & imagine eius reportatam. Quæ bestia mystice sequenti oraculo describitur. 15.

IN CAPVT TREDECIMVM.

ONVS *Babylonis.*) Qui meminisset reconciliationis Israelitarum, & gentium ex regno aduersarij redemptionis: iam onus, hoc est grauius oraculum de Babylonis excidio subijcit. In quo oraculo duo indicat. alterum figura est, & umbra rerum futurarum: alterum, res per figurã & imaginem præfigurata. In figura cernitur Babylon, illa gentium Chaldaicarum caput: de cuius ortu, situ, amplitudine, imperio, apud Geographos & historicos uideris. Res autem sub imagine Babylonis adumbrata, Babylon est, de qua Ioannes in Apocalypsi meminit: Cecidit, cecidit Babylõ magna. hoc est, regnum Antichristi, confusione errorum & sectarum plenum. In qua confusione ac perturbatione, ad eam confusionem alluditur, quæ illos cõsequuta est, qui superbè Babyloniam turrim, cuius fastigium cœlum attingeret, extruere moliti sunt. Itaq; considerandum hic fuerit, ut Hierosolymam Babylonius rex oppugnarit, & eam cum templo deuastarit, sacra uasa Babylonem transtulerit, Iudæos captiuos abduxerit, & quanto tempore captiuitas & exilium durarit: & ut hoc soluto, & Babylonis imperio euerso, templũ denuò Iudæis liberatis extructum sit. Præterea considerandum, cuius Hierosolymæ, cuiusq; templi desolationi, & quorum Iudæorum exilio & captiuitati, in illa exteriore uastatiõe, exilio & liberatione mysticę gẽtis prælusum sit. De singulis his, comparatis mysticis cum mysticis, & spiritualibus cum spiritualibus, inter interpretandum monebimus. *Apocal. 14.* *Genes. 10.*

In montem.) Montem uocat propheta Babylonem, non quòd montosa esset, aut in monte sita, quam in plano ædificatam tradunt. Sic enim de ea scribit Herodotus, libro primo: Babylon in ingenti planicie sita est, forma quadrata, magnitudine quoquò uersus centenũm uicenũm stadiorum, in summa quadringentorum octoginta in circuitu quatuor laterum urbis. Etiam campestris loci, in quo Babylon ædificata sit, sacræ literæ meminerunt. Si ita res habet, quærat aliquis, cur igitur propheta noster Babylonem montem uocat? Montem uocat, quùm propter excelsa & magnifica ædificia, & murorum atque turrium altitudinem: tum propter imperij magnitudinem & splendorem. Sic enim splendida & firma in mundo montes appellantur. ut est apud Naum: Montes commoti sunt. Et Dominus noster dicit, fide montes deijci: hoc est, fortissima quæque debellari. Similiter apud Zachariam legimus, montem magnum resistere Zorobabeli: hoc est, aduersarios fortes. Is mons magnus cœlesti Zorobabeli Messiæ resistens, Antichristus est, & tyranni orbis terrarum. Hos montes explanatum iri, casus mysticæ Babylonis præfigurauit. De huius magnificis ædificijs & murorum altitudine in hunc modum Diodorus Siculus scribit: Vrbs ab utroque latere Euphratis, quam medius interfluit, ædificata: cuius mœnia ambitu stadia trecenta & sexaginta complectebantur, frequentibus turribus & magnis. Erat tanta operum magnificentia, ut in muri latitudine sex equorum currus unà prodire possent, altitudo incredibilis audientibus. De claritate imperij Babylonij Daniel his uerbis loquitur ad Nabuchodonosorẽ: Tu rex regum es, & Deus cœli dedit tibi regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam, & omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri: uolucres quoq; cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua uniuersa cõstituit. Si profanas historias requiris, de Babylonis splendore hoc in Plinio extat testimonium: Babylõ Chaldaicarum *Naum 1.* *Zach. 4.* *Daniel. 2.*

gentium

gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe: propter quam reliqua Aſſyriæ pars Babylonia appellata ſit.

Caliginoſum.) Editus & altus mons, placet interpretibus ex Hebræa uoce. Paraphraſtes Chaldęus שלירא ex נשפה reddit: quod eſt quietum. Vtrum uertas, in utramq; Babylonem conuenit. Nam ſi myſticam Babylonem ſpectes, ut hæc ſecura de malis, & quieta uixerit, potentia, opes & luxus eius indicant: ſin alteram, quæ priore adumbratur, quid hæc de ſe glorietur, Ioannes in Apocalypſi declarat: Sedeo regina, uidua non ſum, luctum non uideo. Arbitror autem Paraphraſtē eò ſpectare, quòd qui in editis & ſublimib. locis habitant, arbitrātur ſe à ui & iniuria aliorum tutos eſſe. Sublimis & editus ex Hebręo redditum, ut competat in priorem Babylonem, oſtendunt uerba Nabuchodonoſoris, quæ de uiſo ſuo expoſuit: Videbam in media terra magnæ proceritatis arborem, quæ adeò creuit, ut cœlum faſtigio attingeret. Qui Nabuchodonoſor etiam auſus eſt dicere, Aſcēdam, &c. Vt autem altera Babylon ſeſe efferat, & hæc quàm præaltus mons ſit, mox clarum fiet.

Apocal. 18.

Eleuate ſignum.) Verba Dei, uocantis exercitum Medorum & Perſarum ad capiendam Babylonem, & eam deuaſtandam. Si alteram Babylonem ſpectes, ut ad huius uaſtationem Medi & Perſæ, hoc eſt leuato uexillo Euangelij Meſſiæ, ex gentibus uocentur, qui ex ſpirituali Babylone, quæ regnum Antichriſti eſt, electorum Eccleſiam liberent, noſtra tempora incipiunt declarare. Quò pertinet illud Ioannis: Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit uobis: & duplicate ei duplicia, ſecundum opera eius.

Apocal. 18.

Exaltate uocem.) pugnæ ſublato clamore, ſigno dato. Si alteram Babylonem conſideres, occurrit uocis Euangelij exaltatio, cuius ſpiritu Babylon noſtra corruet. Veluti ſuprà ſcriptum eſt: Impium ſpiritu oris ſui interficiet. Qui ſpiritus ſacroſanctæ uocis Euangelij ſpiritus eſt.

Leuate manum.) data ſignificatione ad euocandum militem. Accedit ad euertendam Babylonem manus ipſa Dei. de qua Hieremias: Extendam manum meam ſuper te. Sed qualis eſt hæc manus? Non ſanè leuans manus, ſed opprimens pondere grauitatis uindictę. Sequitur enim illic: Et de petris deuoluam, & exuſtum montem reddam, ut ex te non ad angulum, non ad fundamentum lapis ſumatur: quoniam eris æterna uaſtitas, inquit Dominus.

Hierem. 15.

Sanctificatis meis.) ad opus deſtruendæ Babylonis conſecratis ac deſtinatis. Qui alteram Babylonem deſtruunt, uerè ad id opus ſanctificati dicuntur: hoc eſt, ſpiritu ſancto ad tantum opus peragendum inſtructi. cuius unius ui concidet regnum Antichriſti.

Fortes meos.) Hi heroes eam Babylonem, quæ cuncta perturbans, ſeſe ſuprà omne id quod eſt Deus, audet extollere, excindunt: & fortitudinis non humanæ, ſed diuinæ ſpiritu armati, omnem ſublimitatem mundi & dominatum Satanæ principis mundi euertunt. Sic enim Apoſtolus ait: Quoniam non eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mūdi dominos, rectores tenebrarū ſeculi huius, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus. Hi fortes & Heroes ſub ſignis Meſsiæ, qui ſuprà uocatur Deus fortis, aduerſus Babylonem militant. In hac militia cernere licet ſuum ducem, ſuos milites, ſua arma, ſuam pugnam & prælia, ſua præmia, quibus fortiter pugnantes ornantur, ſuoſq; ſpectatores, contemplantes prælij exitum militibus ſalutarem, & ſpectatoribus angelis iucundum, & duci Meſſiæ Deoq; agonothetæ glorioſum. Singula expendant pij.

Ephes. 6.

Ira mea.) Coniungit cum fortitudine iram diuinam, quæ in Babylonem accendatur, & eos quoq; qui contra illam bellum gerunt inflammet. Honeſta hæc ira eſt, & laudata, cos ipſius fortitudinis appellata: qua de improbis ſumatur uindicta, probis liberatis & conſeruatis. Medi igitur hic & Perſæ diuinæ

ira

ire instrumenta appellantur. Vnde intelligimus, tantum quemq; ab hoste pati malũ, quantum Deus cogitat inferre: neq; maiorem, neq; minorem calamitatum modũ mensurari, quàm Deus mensurarit decretis uindictæ suæ: qui mensura, numerus & æqua statera omnium est, cunctorum naturam, cogitationes, dicta & facta, tanquam iusticiæ trutina metiens & ponderans.

Exultantes in gloria mea.) Alacritas militum indicatur. Sublimitatem Dei opponit superbiæ Babylonis, de qua Ioannes: Et glorificauit se in delicijs. & antea Ieremias: Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam. Vt autem exultent sancti heroes in Messiæ gloria, splendore & sublimitate, qua corruit superba Babylon, ostẽdit idem Ioannes: Exulta super eam 18. cœlum, & sancti Apostoli & prophetæ, quoniam iudicauit Deus iudicium uestrum de illa. item: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia uenerunt nuptiæ agni. Hæc autem uxor Ecclesia est electorum, per Messiam maritum redempta.

Vox multitudinis in montibus.) In uiso apparuit prophetæ, se audire tumultuosum in montibus sonum, qualis est ingentis multitudinis. Meminit autem montium, partim quia præcessit, In monte edito: partim quòd in anfractibus editus sonus, facilè resonat. Ad terrendam Babylonem hæc omnia faciunt: mandatum Dei, cui nulla uis resistat, bellum, fortes duces & milites, tumultuosus in montibus ingentis exercitus sonus, hostes ex remota terra aduentantes.

Vox sonitus regum.) Cyri Persarum & Darij Medorũ. Terrorem amplificat, ab hostili potentium regum impetu.

Dominus exercituum.) Terret à potentia diuina, quæ recenseat copias militares aduersus Babylonem. Si nostram Babylonem spectes, ut Dominus exercituum Messias aduersus illam armet suas copias, sub signo Euangelij merentes, hodie satis liquet. De his copijs & exercitu legimus illud Ioannis: Et e- *Apocal. 19.* xercitus qui sunt in cœlo, hoc est sancti, ciues regni cœlorum, sequebãtur eum in equis albis, uestiti byssino albo & mundo: & ex ore eius procedit gladius acutus, ut eo percutiat gentes, & ipse reget eas uirga ferrea. Gentes autem quas reget uirga ferrea, sunt gentes quæ Babylonem adorant, & eius uitijs & sceleribus uitiatæ sunt.

Et uasa furoris iræ eius.) Ex lege talionis cum Babylone agitur. Babylon iram suam effuderat in Sionem & Hierosolymam ciuitatem Dei: par igitur esse, ut & in ipsam diuina ira effundatur. Hieremias hanc talionis legem his uerbis exponit: Et reddam Babyloni & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum, *Hierem. 51.* quod fecerunt in Sion in oculis uestris, ait Dominus. Causæ ergo furoris diuini in Babylonem explicantur. Vna est, superbia & fastus Babylonis, quo se extulit aduersus Dominum: altera, quòd fœdere cum Deo iunctam gentem misere afflixit, non eo animo quo Deus eam affligere uoluit, sicut suprà de Assyrio Sennacheribo meminit Iesaias. Eadem in nostrã Babylonem conueniũt, ut suis locis monstrabimus. Appellantur hic Hebræa phrasi, Medi & Persæ uasa iræ diuinæ, sed alia ratione quàm Apostolus eadem loquẽdi forma scriptos *Rom. 9.* in inferno appellat uasa iræ. Hos sic nominat Apostolus, quòd destinati à cõdito mundo essent ad exitium: illos uates noster sic uocat, quòd per eos furorẽ suum in sceleratam Babylonem edere statuisset.

Vt disperdat omnem terram.) Babylonis, ut quæ quoq; omnem terram & regna disperdisset. In quo supplicio cernitur æquitas iudicij diuini, in qua seruatur hæc mensurandi regula: Qua mensura mensi fueritis, eâdem metientur uobis alij. Huic mensuræ subiecta regna mundi, mole suorum scelerum laborantia pereunt: ab ea uerò mensura Messiæ regnum per æquitatem & iusticiam liberum, manet firmum & perpetuum. Quanta ira Dei sit exarsura *Marci 4.*

in spi-

in ſpiritualem Babylonem, ad eam excindendam, terra propter eam percuſſa anathemate, hi nouiſsimi dies patefactionis Chriſti comprobabunt.

Vlulate.) qui ululatum & planctum aliis, præſertim Sioni, expreſsiſtis.

Quia propè eſt dies Domini.) Subducto uelo ultionis myſticæ Babylonis, occurrit dies ultionis, quam Dominus Meſsias de ſua Babylone ſumet. Qui fortis eſt ille uindex, de quo illud Ioannis: Quia fortis eſt Dominus Deus, qui iudicabit illam. Conſolatur à uicino tempore, quo euerſa Babylone electi ſint liberandi.

A Domino.) In Hebræo uſurpatur uox שדי, de cuius ſignificatione aliàs. Hac uoce facultas euertẽdi Babylonẽ, & liberandi electos indicatur, ut qui ſit שדי. 10
Colorat paronomaſia minax oraculum, בשר משדי.

Omnes manus.) qui aliis crudeles manus intulerunt.

Diſſoluerunt.) præ metu. in Hebræa uoce torpor & ignauia, ſedulitati & gaudio contraria, notatur. Qui antea leonum animos & robur præſtiterunt, iam ignaui redditi mulieres præſtabunt. Sic etiam Hieremias ex ſententia uatis noſtri: Ceſſauerunt fortes Babylonis à prælio, habitarunt in præſidiis, clanguit robur eorum, factiq; ſunt uelut mulieres. 51.

Et omne cor hominis.) Cum manibus cor coniungit: quòd manuum robur, animorum fortitudine regatur. Eorum animos, inſtar ceræ ad ignem liqueſcentis, remolleſcere. 20

Sicut parturiens.) Amplificat luctum per comparationem, qua illum parturientium mulierũ doloribus comparat, quos ex ſententia illa in eas à contracta noxa lata ferunt: In dolore paries.

Stupebunt.) ut conſilij expertes, ad ſubitam & inopinatam cladẽ. De quo ſtupore uideris apud Danielem capite quinto.

Facies combuſtæ uultus eorum.) afflictionis igni. Vulgaris phraſis in hac lingua eſt, ut facies flammarum, pro facies inflammata uſurpetur: ſicut uiri iratum, pro uiri ira perciti: genitiuis ſubſtantiuorum pro adiectiuis uſurpatis. Sunt qui ad ruborem quem pudor oſtendit, facies flammarum referunt. pudore enim correpti, ruborem in uultu ducunt. Hypotypoſi prophetica depingit luctum, qualis eos corripit, qui expugnata urbe capiuntur. 30

Crudelis.) in Babylonem, clemens uerò in Iacobæos: hoc eſt, in electos, aſcriptos in libro uitæ. ut infrà ſcriptum eſt: Miſerebitur enim Dominus Iacob. Quòd ſæuus & crudelis uocatur Dominus, non hoc nomen imponit ei natura, qua ipſe clemens eſt, non ſæuus: ſed improbitas eorum, quos perdit. Etenim iuſtus iudex, qui latrones capite plectit, ſæuus non iudicatur: imò in eo quòd crudeles punit, miſericordiam & bonitatem ſuam declarat, quòd hac ſua iuſtitia probos ſeruat, qui per ſceleratos perirent. ſic res de Domino habet, cuius ira in impios declarata, bonitatem & miſericordiam in pios, cum uindicantur, oſtendit. 40

Ad ponendam terram in ſolitudinem.) quæ condita piis ſit, ad amplificandum nomen conditoris: non impijs, ad dehoneſtandum. Babylon poſteris temporibus tandem in ſolitudinem redacta legitur, quæ hic prædicitur. Itaq; cum terra hæc aſpectabilis, rerum mutationi obnoxiarum ſedes, ſæpe ob incolarum improbitatem deuaſtetur, ornatu ſuo priuata, expectat ipſa nouum ſtatum, in quo ipſa à iuſticia inhabitata perpetuò & in æternùm habitaculum ſanctis præbeat. quod cõtinget in illo die, in quo per ignem Chriſtus aduentu ſuo glorioſo omnia purgabit.

Et peccatores eius.) Explicatur ratio deuaſtandæ terræ, quæ probos ferat, improbos eijciat. Metuat igitur ſibi Babylonius Antichriſtus, cum ſuis errorum miniſtris: qui ut hactenus per delicias & luxum terræ opibus & cœli benedictione abuſus eſt, ita cum luctu & dolore ex ea profligabitur, filijs Dei conſer- 50

uatis,

uatis, qui non adorant bestiam Antichristum, neq; imaginem eius, neq; acceperunt characterem eius in frontibus suis.

Quoniam stellæ cœli.) omni consolationis lumine, in tanta calamitatum caligine adempto. Nō solum foris afflictionum tenebras sentient, sed animi eorum etiam ea luce carebunt, quę lux illa uera est, splendorem ad uitam æternam electis mittens. De qua luce illud: Et lucerna eius est agnus, & ambulabunt gentes quæ seruatæ fuerunt in lumine eius. *Apocal. 22.*

Et splendor earum.) כסיל alijs aliud est. Alijs Oriō, ut Septuaginta. alijs cor scorpionis, alijs arcturus, alijs simpliciter astrum: sed frequentius Orion redditur. Hæc stella quoniam oritur in Nouembri, uolūt hūc mensem כסיל ab Orione, & sidus ipsum ob inconstantiā sic appellatū, quòd tum maria tēpestuosa sint, & tempestas uaria & inconstans. Nota enim est, uarium, inconstans et mutabile sonans uox כסל.

Sol.) Meminit maiorum & minorum siderum eo ordine, quo Moses eorum in Genesi meminit. Sol & luna in maioribus, reliqua in minoribus numerantur. Propheta noster in Babylonis euersione, has afflictionis tenebras sole obscurato & luna lumen suum denegante oborituras prædicit. Quanto uerius hæ tenebræ calamitatum in Babylonis nostræ euersione, per terram bellis, fame, peste, crebrisq; motibus peruasuris oboriētur? Dominus noster similia dicit futura illo die, quo uenturus ipse sit cum potestate multa & gloria. sic enim ait: Cæterùm illis diebus, post afflictionem illam sol obtenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cœli decident, & uirtutes quæ in cœlis sunt concutientur: & tunc uidebunt filium hominis cum potestate multa, & gloria. Non diuersa affert Petrus in altera epistola. Si Babylonis Chaldæorum spectes interitum, figuratè accipiuntur quæ à propheta Iesaia de solis, lunæ, & reliquorum siderum luminis absceſſu prædicuntur, afflictionibus significatis, quæ tenebris comparantur. Similiter quæ de alterius Babylonis euersione sacræ literæ produnt, intelliguntur: nisi quòd dubium non est, uerè etiam crebriores solis & lunæ defectiones, & alia in cœlo magnarum mutationum & calamitatum indicia apparitura. Sin uerò aduentū maiestatis Christi Domini nostri consideres, quales in cœlo & in terra mutationes sint futuræ ad mundū instaurandū, ex Euangelistis clarè, & ex prophetis tectius patet. *Genes. 1.* *Math. 14.* *3.*

Visitabo.) in sceleratorum improbitatem animaduersurus. Sed quæ est ista improbitas Babylonis? Primò occurit idololatria, quę Babylone à diluuio originem habuit, Belo culto, qui filius Nimrodi à Chaldæis & Beroso fuisse dicitur. Idololatria Chaldęorum sæpe in hoc nostro uate reprehenditur. Alterum uitium est fastus & superbia, qua Babylon elata, Deum Israelitarum arroganter contempsit, ut eius Rex dixerit: In cœlum ascendam, et super astra Dei exaltabo solium meum. Similiter Daniel superbiam Babylonij regis redarguēs, sicait: Tu quoq; filius eius Balthasar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia: sed aduersus Dominatorem cœli eleuatus es, & uasa domus eius allata sunt coram te, & tu & optimates tui & uxores tuæ & concubinæ uinum bibitis in eis. Tertium scelus Babyloni obijcitur, quòd plena fuerit uarijs diuinationibus magorum, aruspicum & astrologorum, quos à Balthasare conuocatos in Daniele legimus. Atq; his adeò Babylon repleta fuit, ut posteris temporibus huiusmodi diuinatores Chaldæi dicerentur. Quartum scelus crudelitas fuit, & sæuities præsertim in populum Dei, de qua infrà apud uatem nostrum: Iratus sum populo meo, & prophanaui hęreditatem meā, & tradidi eos in manum tuam, nec tribuisti eis misericordiam. Hæc quidem uitia redarguuntur in Chaldęorum Babylone. Nostræ Babylonis delicta clariora sunt, q̄ ut referat ea numerare. Si idololatriā spectes, huius simulachrorū cultus superat omniū gētium idololatriā: & eam ita pertinaciter cōtempto uero cultu Dei defendit, *Daniel. 5.*

ut non pudeat eam iustorum sanguinem ad illam retinendam effundere. Diuinatores, magos, astrologos, necromanticos, carminib. euocãtes mortuos, diuinantes ex ungue, speculis, crystallo, prætereo: quibus nostra Babylõ abundat, & eis oblectatur, ut inter illos qui se sanctissimos profitentur, à necromanticorum infamia non fuerint alieni. Tyrannide & sęuitie quanta in cõscientias, corpora & fortunas illorũ grassetur, quos Christus sanguine suo redemit, palàm est. Arrogantiã, fastum & superbiam nostræ Babylonis Apostolus in epist. ad
2. Thess. 2. Thessalon. explicat. in qua epistola exponitur uolumen illud uolans, quod in
uiso ipsi Zacharię ostensum est: uolumen nimirũ errorũ & mendaciorũ, & uo-
Zach. 5. lumen sermonib. aduersus excelsum repletũ. Quod idem Zacharias uolare & cœlũ petere uidit. In quo uiso indicat superbia Antichristi, cuius hoc uolumen inuentũ est, de quo illud: Et effertur aduersus oẽm qui dicitur Deus. Quæ uox plena maledictione uox est, ex Antichristo egrediens in oẽm terram: cuius regnũ draconis regnũ est, & potestas omnia in orbe terrarũ corrumpens. Hinc non immeritò in spũali Babylone, quæ mulier meretrix & impietas uocatur, spiritus furis & falsò iurantis uersari dicitur. Spiritus furis à Dño nostro apud
Ioan. 10. Ioannem explicatur. Qualis spiritus Antichristi spiritus est, qui suam gloriam Deo patri & filio eius Christo furatur. Fur enim nõ uenit nisi ut furetur, & mactet, ac perdat. Spiritus autem falsò iurãtis, eiusdem Antichristi spũs est, ueritatem in mendacia conuertens, per dæmoniorum doctrinam sanctitatis fuco fucatam. De quo mendaci spiritu falsò iurantis, uideris apud Apostolum in priore epistola ad Timotheum, & in altera ad Thessalonicenses. Itaque An-
1. tichristus propter hos duos spiritus duabus mulieribus apud Zachariam comparatur, quarum domum in terra Sennaar, quæ Babylonis terra est, inter feras & dracones ædificari ille dicit. Quæ autem Sennaar Babylonia spiritualis per illam ueterem adumbretur, mox indicabitur. In hac mulier, hoc est impietas ipsa, quæ cœlum petere uisa est, ad extollendum se supra Deum, plũbo grauitatis iudicij diuini degrauata, deuastanda fertur. Quæ Sennaar Babylonia etiam profundum apud nostrum uatem & Zachariam appellatur, significato, Antichristum Babylonium præcipitatum iri in profundum barathrum,
Apocal. 19. de quo Ioannes his uerbis: Et apprehensa est bestia, & pseudopropheta, uiui
20. coniecti sunt hi duo in stagnum ignis, ardens sulphure. Quod stagnum profundum ac abyssus est, de quo idem Ioannes: Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, & misit eum in abyssum. Hoc supplicium spiritualis Babylonis figuratè in nostro propheta, in uaticinio hoc de mysticæ Babylonis excidio, describitur.

Preciosior erit uir auro.) Deuastata terra, magnam hominum raritatem fore. Et quoniam quæ rara sunt, preciosa censentur: sacra scriptura usurpat preciosum pro raro. ut apud Samuelem: Et sermo Domini erit preciosus illo tempo-
1. re. hoc est, rarus. Paraphrastes Chaldæus interpretatur de Iudęis: hos expugnata Babylone, instar auri optimi preciosos futuros. Quemadmodum etiam in hac ruina orbis terrarum, deuastata spirituali Babylone, regno Antichristi, electi qui residui & superstites fuerint, auro obrizo comparabuntur. Nam ut hoc bene purgatum igni est: ita afflictionum igni electi filij Dei bene expurgati in
11. & 13. magno pręcio erunt, de qua probatione & expurgatione supra ex Zacharia locus citatus est.

Super hoc, cœlum turbabo, & mouebitur terra.) Hac hyperocha exprimitur magna cõturbatio, cõmotio, rerumq; mutatio, quæ cõtigerit in euersione prioris Babylonis. In alterius deuastatione, qui motus horrendi euenturi sint sub iudicio Euangelij, omnibus gentibus his nouissimis diebus in testimonium iusti iudicij Dei prędicandi, nos ipsi experiri incipimus. De quibus motibus ex prophetis reliquis & noui fœderis scriptura iam sępe admonuimus.

Et erit

Et erit quasi damula fugiens.) Babylonios antea leonibus comparatos, hic damulis præ metu leones & lupos fugiẽtibus comparat. Sic enim de Babyloniis Ieremias: Percussit eos leo de sylua. Cęterùm de caprarum generibus, & in his ut contineantur damulę, uideris apud scriptores rerum. *Ierem. 5.*

Vnusquisq; populum suum.) Capta iam Babylone, alios in alias nationes atq; terras diuersos se fuga recepturos. Similiter Ieremias: Vnusquisq; ad populum suum conuertetur, & singuli ad terrã suam fugient. Reducto uelo, monemur fugæ, quæ ex nostra Babylone his postremis temporib. sit adornanda, de qua illud Ioannis: Exite de illa populus meus. Sed cur ut exeãt monentur? Propter duas rationes, quæ inibi explicantur, monitionem fieri intelligimus. Vna est, ne delictorum eius participes reddantur. Sic enim ait: Ne participes sitis delictorũ eius. Altera est, ne unà cum ea pereant, interitu nimirum iusto Dei iudicio noxam comitante. dicit enim, Ne de plagis eius noxam accipiatis. *Ierem. 50.* *Apocal. 18.*

Omnis qui inuentus fuerit, occidetur.) Vnde Ieremias: Egredimini de medio eius populus meus, ut seruet unusquisque animam suam. Babylon, quæ occidit ciues Hierosolymorum, suos quoq; ciues confodi patietur. De hac talione idem Ieremias: Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Hierusalẽ, sic de Babylone cadent occisi in uniuersa terra. Metuat igitur sibi illa altera Babylon mater scortationum terræ, ebriaq; sanguine sanctorum & martyrum IESV. Nam ut sanctuarium Dei & sacram Hierosolymam, hoc est Ecclesiam electorum, dæmoniorum doctrina profanauit, & ciues eius ob confessionem Messiæ igni, aquis, laqueo, ferro interemit & interimit: ita ipsa quoque miserè uastabitur, & interimetur. *50.*

Infantes eorum allidentur.) De qua clade Psalmo illo sic canitur: Beati qui retribuent tibi retributionem tuam, quam rependisti nobis: Beati qui comprehensos infantes tuos, petræ allident. Quanto uerius beatus iudicabitur, qui in hac deuastatione regni Antichristi per spiritũ prędicationis Euãgelij infantes, hoc est, fœdæ meretricis Babylonis errorũ lacte educatos, ad petrã Messiã allisérit. Tunc enim canetur illud quod apud Ioannem legitur: Alleluia, salus & honor & gloria & uirtus Domino Deo nostro, quia uera & iusta iudicia eius: quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram prostitutione sui, & uindicauit sanguinem seruorum suorum de manu eius. *137.* *Apocal. 19.*

In oculis eorum.) parentum. Quo attributo amplificatur calamitas, depingitur hostilis sæuities, hanc ne innocenti quidem ætati parsuram.

Et uxores eorum uiolabuntur.) qui Israeliticas uiolarunt, ut est apud Ieremiam: Mulieres in Sione, uirgines in urbibus Iudææ stuprarunt. *Thren. 5.*

Ecce ego suscitabo super eos, Medos.) Similiter Ieremias: Suscitauit Dominus spiritũ regum Medorum, & contra Babylonem mens eius est ut perdat eam. Eodem modo Daniel: Interfectus est Balthasar rex Chaldæorũ, & Darius Medus successit ei in regno. Nec Sibyllina oracula reticuerunt Medum Assyriorum imperij euersorem: ὃς μῆδοι καθελόντες ἐπαυχήσουσι θρόνοισιν. Fortassis dicat hic aliquis: Cum à Cyro Persarum rege Babylon capta sit, cur igitur Medorum mentio fit? Sic porrò infrà de Cyro scriptum legimus: Qui dico Cyro, pastor meus es, & tu oẽm uoluntatẽ meã implebis. Quæstioni in hunc modum occurritur: Cum Cyro Persarũ rege unà in Medos Astyagis regis Medorũ filius regnauit: neq; in Astyage Medorũ regnum finitũ esse uolunt, & ad Persas translatũ, sed in filio eius Dario. Is igitur Darius cum prole mascula careret, filiam Cyro in uxorem dedit, regno Medorũ in dotem concesso. & post obitum patris Astyagis, à Chaldæis in bellum lacessitus, Cyrum ex sorore nepotem ut in auxilium ueniret accersiuit: qui cum firmo exercitu ei succurrit, & creatus dux Chaldæorum regno potitus est. Itaq; cum Medis, quorũ hic meminit Iesaias, Persas Daniel coniungit: Diuisum est regnũ tuũ, & datũ est Medis & Persis. Alius igitur *Daniel. 5.* *50.*

Darius est Medorum rex, de quo Daniel capite quinto meminit. Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæorum, & Darius Medus successit in regno. alius Darius Persa Hydaspis filius, qui Cyro in regno successit, de quo Esdræ primo: Vt destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum. Alter igitur Darius Medus fuit, alter Persa. Vter autem Babylone regnarit, Cyrus ne an Darius, ea de re diuersę sunt sentētiæ. Alij tradunt, duob. annis regnasse Dariū: alij nō toto illū anno regnasse, quo capta Babylon est, & eodē anno successisse Cyrū. Quam sententiā supputationi septuaginta annorū congruere dicunt. Nam nisi Cyrus primo anno illo imperasset capta Babylone, ma numissio Iudæorū aliquanto tempore post septuaginta annos impleta fuisset.

Et erit Babylon.) Per contentionem, Babylonis ruinam reddit illustrem. Babylonem, quæ summam claritatem in terra obtinuit, ita obscuram & contemptam fore, ut Sodoma est. Cæterùm de potentia & opibus Babylonis, uideris
4. apud Danielem. Si profanas historias requiris, occurrit Herodotus, qui splendorem imperij Babylonij copiosè describit. Vnde intelligimus, omnia in mundo hoc quamlibet magnifica & splendida, fragilia esse & fluxa, nullosq; firmos extra eos qui in cœlis repositi sunt, thesauros spectari. Quare uerè sapiens Sa-
Eccles.1. lomon, in lubricam eorum quæ in mundo hoc sub sole continentur, sortē intuitus, indicauit omnia uana esse. Exemplo hic Babylon est, quam sua claritas & splendor, quem inter mundi regna habuit, nō defendit, quo minus uindice Deo rueret. Idem reliquis regnis accidit, & his postremis temporib. quoq; illi
Apocal. 18. Babyloni accidet, de qua Ioānes: Heu heu ciuitas illa Babylon magna, ciuitas illa potens, una hora uenit iudicium, hoc est supplicium eius & ruina.

Sicut subuertit Dominus Sodomā.) De cuius horribili interitu uideris in Genesi. ut Sodoma subito & inopinato casu euersa est, ita etiā Babylō. De Sodoma legi-
Genes. 19. mus: Cęterùm q̄ die exijt Lot è Sodomis, pluit igni & sulphure de cœlo, & oēs pdidit. De Babylōe uerò, ut inexpectata ruina corruerit, Daniel ostēdit, ubi ait:
5. Ea nocte Babylonē à Dario captā, & Balthasarū interfectū. Similiter Herodotus à Cyro Babylonē captā tradit, cū choreas die festo agerēt, & genio indulgerēt. Sic impij in medio diuini iudicij contēptu securi pereūt. De inopinato nr̄æ Babylōis casu citatus est locus ex Ioāne, & hodie talē casum exēpla cōprobāt.

Non habitabitur.) quæ antea frequentia hominum, magnificentia ædiū, splendore opum bene culta & habitata fuit. Longè igitur alius casus Babylonis est, alius populi sacri. illa punitur, ut funditus pereat: hic, ut redeat in gratiam Dei, seruitute liberatus, ut mox patefiet.

Sed requiescent ibi bestiæ.) Quorum sedes altera Babylon sit futura, his uerbis in-
22. dicat Ioannes: Et facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis uolucris immundæ & inuisæ.

Et respondebunt ululæ.) Vbi antea cōcentus musicus audiebat, ibi ululatū ululatū
22. auditū iri. Quare Ioānes: Vox citharœdorū & musicorū, & tibia canētiū, & tuba nō audiet in te amplius. Hactenus de Babylōis exitio. Ex historijs patet, ab Alexādri Macedōis, q̄ Babylone mortuus est, obitu, diuiso inter duces regno, cū Seleuco, qui & Nicanor nominatus est, Syria & Babylō & reliqua orientis pars obuenisset, Seleucia urbē hac maximè causa ab illo conditā, ut Babylonis nomē obscurare. Quā & Babyloniā appellatā Plinius prodit, & Strabo maiorē Babylone fuisse testat. Posteris aūt tēporib. Macedonū imperio in oriēte collapso, ut regnorū suę sunt cōuersiones ac periodi, & Parthis rerū potiētib. Ctesiphō extructa est, regiaq; Parthorū facta: quę contra Babylonē in oriētali Tigridis ripa uisebat. Atq; sic tandē Babylō olim potētia et opib. clara, deleta est, ut Honorio imperante uix ex ruderib. deserti inculti q; loci uestigia apparuerint, q̄ urbis situ ostēderēt. Cæterùm meminit & Petrus Babylōis priore epist.
1. Petri 5. his uerbis: Salutat uos ea quę in Babylone est, uestręq; cōsors electionis ecclesia.

De

De qua autē Babylone Petrus loqui intelligatur, inter interpretes non conuenit. Nam sunt qui putant, hanc Chaldæorum Babylonem à propheta nostro perstrictam, à Petro significatā, ex qua ad fratres per Asiam dispersos epistolas illas miserit. Nam omnino uerisimile esse existimant, Christianorum aliquem numerum illic fuisse, cum in uicina Arabia, & ipsa Mesopotamia in qua Babylon à Plinio collocatur, & ultra Babylonem in ipsa Perside celebres Ecclesiæ fuerint. Quod si hæc Babylon non recipitur, est & in Aegypto urbs Babylon uocitata, quæ olim castellum fuit, cuius Strabo meminit. Posteris autē temporibus celebris ciuitas effecta est, quam hodie Cairum urbem appellant: & ad hanc uenisse Petrum circumcisionis ministrum, uero dissentaneum non esse arbitrantur. Hieronymus Romam Babylonis nomine figuratè à Petro significatam uoluit. Quod si ita res habet, proculdubio prophetico spiritu afflatus præsensit, Romam Antichristi sedem futuram. Cuius regnum Babylon, ad illusionem ueteris Babylonis, ob confusionem errorum & falsarum doctrinarum, quæ ex Roma in terrarum orbem prodituræ erant, à Ioanne in sua Apocalypsi appellatur. Neq; etiam Sibyllam latuit, Romam Babylonem uocatum iri,

φεύξεται ἐκ Βαβυλῶνος ἄναξ φοβερὸς καὶ ἀναιδὴς:

Nerone significato. Vnde liquidum fit, Romam non destinatam à Deo, quæ Euangelicæ doctrinæ propagandæ in gentes, sedes foret: sed à dracone Satana delectam, in qua bestia Antichristus de terra ascendens, sedem suam super septem colles teneret, ex qua totum terrarum orbem uino errorum & flagitiorum inebriaret. Atq; hoc est illud tertium caput aquilæ, hoc est Romani imperij, quod Ezdræ in uiso à diuino spiritu repræsentatum est: cuius origo, dæmoniorum doctrina, locus, potentia, & exitus, in Ioannis Apocalypsi explicata sunt. Hoc capite ex Romano imperio unà cum Mahumetano capite orto, iam aliquot seculis uino fornicationis suæ potari gentes, & terrarum orbem seduci sentimus. Quod cum os draconis & duo cornua similia agni habens, in cœlum, terram & infernum sibi potestatem uendicet, & ita adoratores suos fascinet, ut credant omnia sacrosancta esse oracula quæ decernit & statuit: miserimè errant & hallucinantur, qui Romam Apostolicā sedem esse confirmant, quam apostolus Petrus Babylonem uocitarit, & eam tot claris signis Antichristi sedem fore Daniel & Ioannes in Apocalypsi demonstrarint. Quæ sedes ut omnia sedi agni contraria & aduersa habeat, doctrinam, uitam, imperium, hodie prælucente face Euangelij, bonitate diuina orbi terrarum cœpti restitui, electi magna cum sua consolatione & salute cognoscere incipiunt.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM.

PROPE' *est ut ueniat tempus.*) Consolatur captiuos Iudæos, partim quòd non longè absit Babylonis ruina, partim quòd ex eius casu futurum sit ut ipsi liberentur. Nam sæpe fit, ut illorum qui alios captiuos tenent, imperium non ita citò finiatur: nec etiam si finitum sit, exules suæ patriæ restituantur: sed in aliorum qui imperio succedunt, potestatem uenientes, miserè pereant: præsertim si eos omnes oderint, ut Iudæis cæteras gentes infestas fuisse constat. Quod sciens Deus, pro sua benignitate & fœderis cum illis icti fide, prophetæ nostri pectus afflat, ut hac consolatione exules cōsoletur, & in spem recuperandæ libertatis animos eorum erigat. Atq; hanc cōsolationem ad nos quoq; pertinere uoluit, qui in mundi finem ac terminos incidimus. Nam & nostræ Babylonis interitum, & Ecclesiæ quæ in illa captiua tenetur redemptionem propè adesse gratulamur, per eum in spem soluendæ seruitutis erecti, qui nos consolans dicit: Ecce uenio uelociter. item: Tempus enim propè est, quod antea in uiso præuidit uates noster: Propè est ut ueniat tempus.

Miserebitur enim Dominus.) Explicatur ratio excindendæ Babylonis, ut liberentur Iacobæi fœdere cum Deo coniuncti. Non dicit hic, mereri pro dignitate & probitate sua Israelitas ut seruitute Babylonia liberentur: sed misericordia Dei eos liberatum iri. legimus enim: Miserebitur enim Dominus Iacob. Igitur neq; uolentis est, uoluntate ueteris naturæ: neq; currentis, uiribus ueteris hominis: sed miserentis Dei, seruari. ut stet illud: Non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Cuius misericordiæ præuenientis omnia nostra beneficio, promissioni fidem habemus: quæ gratiæ diuinæ donũ est, nõ naturæ opus. cuius item clemẽtia fidem benefactis declaramus: quæ benefacta nõ nos, sed spiritus fidei & amoris per nos edit: cuius præterea Dei misericordia afflictiones patienter ad probãdam fidẽ ferimus, & tandẽ probata fide per spem nõ pudefacientem, quam probata fides excitat, promissa salute potimur. Vnde discimus, omnia puræ putæ clementiæ Dei opera esse, quæ is nobiscum agit. Quare dicit hic uates: Miserebitur eñ Dominus. Sed cuius miserebitur? Sequitur:

Rom. 9.

Iacob.) Ex quo Messias in terra sacra, non extra eam, profecturus erat. Et reducto uelo mystici Iacobi, occurrunt generatim scripti in libro uitæ, qui soli ex spirituali Babylone liberantur, in regnum cœleste asserti: quos nobis mysticus Iacobus, ut eius terra, cœlestem hæreditatem præfigurat: ut omnibus in terra mysticis & figuralibus, templo, sacerdotio, regno, Iacobæis, hæreditati terrenæ, in cœlo supracœlestia & spiritualia respondent.

Et requiescere eos faciat.) finito laborum laborioſi exilij & seruitutis tempore. Si Ecclesiam spectes, quos hæc labores laborantis conscientiæ sub iugo carnificinæ humanarum doctrinarũ, præter uariatũ afflictionum labores, iam multis seculis tulerit, & etiamnũ ferat, satis cõpertum est. De quibus miserę seruitutis laborib. qui nostræ Babylonis captiuitate feruntur, Ioannes his uerbis indicat: Et facit omnes, pusillos & magnos, & diuites et pauperes, & liberos & seruos, accipere characterẽ in manu sua dextera, aut in frontib. suis: & ne quis possit emere aut uendere, nisi habeat characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. De hoc numero & bestię descriptione, in Annotationibus in Apocalypsim, meminimus.

Apocal. 13.

Super humum suam.) sacræ quieti consecratã, in typo & figura eius quietis, quæ in cœlesti patria reposita est Iacobæis illis ueris, quorum nomina in cœlo, a regeneratis ex spiritu Messiæ possidendo, signata sunt. Quare Hebræorum sapientes dicunt, operationis Messiæ סוד, hoc est mysterium, septimę diei esse mysterium. quòd ad quietem & tranquillitatem & pacificationem omnium uniuersa Messiæ actio dirigatur.

Adiungetur aduena ad eos.) Tenuis typus cernitur in consociatione, qua gentes cum Israelitis coniunctę fuerunt, soluta captiuitate Babylonica. Nam quanta Medi & Persæ beneuolẽtia prosequuti sint Iudæos, eosq; instauranda Hierosolyma & tẽplo iuuerint, ex Ezdra clarum est. Vt uerò nouissimis his reuelationis Euangelij horis, hoc oraculũ impleat, & quãta his postremis instauratiõis Ecclesiæ ueræ Hierosolymæ, & templi quod filius perditus profanauit, temporibus amicitia sit coalitura inter Israelitas & gentes, exitus ipse ostendet. Quò spectat illud Zachariæ: Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego uenio & habitabo in medio tui, dicit Dominus: & applicabuntur gentes multæ ad Dominũ in die illa, & erunt mihi in populum.

Zach. 2.

Super terram Domini.) Domini terra appellatur terra Chananæa, non quia potius hæc sit illius q̃ quæuis alia, cuius sit uniuersa terra & plenitudo eius, iure creationis & conseruationis: sed quòd ea prę cunctis delecta sit, in qua typi cœlestis hæreditatis præformarentur, oracula sacra exponerentur, conciones de Messia fierẽt, & is in ea nasceretur, & ex ea Euangeliũ in cunctos orbis terrarũ fines per Apostolos, in eadẽ illa terra nõ sine mystica ratiõe natos & educatos, diuul-

diuulgaret. Quare in hac terra mõtes, ualles, nemora, agri, fontes, flumina, pagi, uici, urbes, pecora, iumenta & homines, cœlestiũ rerũ notis &, figuris referta sunt. Qui aũt typi & quales figuræ in eius uastitate cernant, hodie tẽpora de solationis spũalis indicãt: de qua sępe meminimus, & suis locis meminerimus.

Cum requiem dederit à labore tuo.) In Hebræa uoce significatur labor cum dolore & molestia cõiunctus. Notum enim est uerbũ עצב. Qualis est labor qui in seruitute sumitur, & tanto grauior & acerbior is fuerit, quanto seruitus durior imponitur, ut est ea in qua iugo peccati et malę cõscientię premimur. Quod iugũ unus Messias soluerit libertatis spũ donato, de q̃ Apostolus: Vbi spiritus, ibi 2. Corinth. 3.
libertas. libertas uidelicet iusticiæ, & uitę æternæ. Quã libertatem quoniã Babylon illa spiritualis, prefigurata à Chaldæorum Babylone, tollit, sentẽtia quæ sequitur uerè in illam competet. Cæterũm cõiungitur molestus labor cum metu, & pauor cum seruitute: quib. contraria est libertas, in qua iucunda quies & 1
animi degenere metu uacui tranquillitas cernitur.

Sumes parabolam.) Hebræa uoce significantur parabolæ, allegoriæ, prouerbia, apophthegmata, & regiæ ac clarorum uirorum sententię & mystici sermones. Mystica sententia huc quadrat. Nam sub figura Babylonis Chaldæorum ea Babylon perstringitur, in qua Israelitæ cum gentibus, temporibus profanationis spiritualis detinentur. Quomodo autem spiritualis Israelitarũ, præter externã & corporatã, captiuitas accipẽda sit, ea de re aliàs sępe mentionẽ fecimus.

Quomodo cessauit exactor.) Iuxta figuram, Nabuchodonosor, & eius liberi Euimerodach & Balthasar occurrunt considerandi: iuxta rem uerò ipsam Babylonij tyrãni figura & imagine pręsignificatã, Antichristus grauissima errorũ seruitute gentes in orbe terrarum opprimẽs accipitur. In uerbo נגש iniuria & uis notatur, qua seruilia onera exiguntur, ut patet ex illo in Exodo: Et præcepit 5.
Pharao tempore illo את נוגשים. In interrogatione hac, Quî fit ut cesset exactor? plena stupore indicatur admiratio. Nam Nabuchodonosor ita firmauerat regnũ suum, ut nulla ui uideretur labefieri posse. De cuius amplitudine uideris apud Danielem. Nostra autem Babylon, quibus artibus suum regnũ cor- 4.
roborarit magistratibus, principibus, regibus & Cæsaribus sibi subiectis, palàm est ex ipsius etiam gloriatione, qua arroganter his uerbis suam potentiam iactat: Sedeo regina, & uidua non sum, & luctum non uidebo. Quò prospectans diuinus spiritus, sic in extremis his temporibus admirabunde electos dicturos præuidit: Quî fit ut cesset exactor? Apocal. 18.

Contriuit Dominus.) Seuerus ultor hostiũ Israelis, ut q̃s pro suis hostib. habeat. uelut infrà legimus: Repẽdet inimicis suis. Quę sũma est cõsolatio filiorũ Dei.

Virgam dominantium.) Submota imagine, sæuũ Antichristi imperiũ imminutũ iri prædicit, quod is in fortunas, corpora & cõscientias electorũ gerit. Quẽ Antichristum suæ Babylonis regẽ, Nabuchodonosor, Antiochus magnus, Nero,
Diocletianus & Domitianus adumbrarũt. Nabuchodonosor, in prima bestia: Antiochus in tertia, quę Græcorũ regnũ est: Romani tyrãni, in quarta bestia, omnia obterẽte. De Nabuchodonosore, ut retulerit Antichristũ, ex hoc oraculo patet. De Antiocho, hoc uaticiniũ extat apud Danielẽ: Roborabit fortitudo ei- Daniel. 8.
us, & suprà q̃ credi potest uniuersa uastabit, & ꝓsperabit, & faciet & interficiet robustos & populũ sanctorũ ex uolũtate sua, & diriget dolus in manu eius, & cor suũ magnificabit, & in copia rerũ occidet plurimos, & cõtra principem principũ cõsurget, & sine manu conteretur. Hęc quidem, si figuram & typum consideres, de Antiocho accipiuntur: sin rem expressam, de Antichristo. in quarta autem bestia, hoc est Romano imperio, ut nominati tyranni filij perditi figuram prætulerint, ex eius descriptione quæ à Daniele & Ioanne in Apocalypsi affertur, satis perspicuè patet. Huius aduersarij & tyrãni sceptrum contritũ iri à Messia, hic mystícè à uate nostro significatur.

Conquieuit, ſiluit omnis terra.) quæ antea laboribus fatigabatur. Similiter Zacha-
Zach.1. rias dicit, Babylone expugnata, terram quieturam. Et reſpondit uir qui ſtabat inter myrteta: Iſti ſunt quos miſit Dominus, ut perambulent terram. & reſpon derunt angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulaui mus terram, & ecce omnis terra habitatur. Si tempora deuaſtationis Babylo nis Chaldæorum ſpectes, ſpecie hominis qui apparuit in uiſo Zachariæ, ange lus Domini, ut ex ipſa litera patet, fuit. Myrteta uerò ipſi Iudæi fuerunt, in pro fundo, hoc eſt Babylone uerſantes. Quæ Babylon cur profundum appelletur, infrà indicabitur. Equus autem rufus, Cyrus rex Perſarum fuit: quem conſcen dere uiſus eſt uir ille, quem inter myrteta uelut in acie contra Babylonem ſtan tem, uidit propheta. Congruit autem militare animal equus, uatis de euerten da Babylone uiſo. Quò etiam rufus color, fundendo ſanguini aptus, pertine bat. Is equus rufus cum aliis terram peragrantibus equis, effecit, ut uaſtata Ba bylone, & caſtigatis Iudæis in melius, terra quieſceret. Reducto uelo myſtici oraculi, ſi uirum ſtantem inter myrteta conſideras, Meſsias is erit ab angelo Domini præfiguratus: is qui in ſolio iudicis ritu ſedere dicitur, cum bellum ad uerſus hoſtes gerit, ſtare ut in acie pugnaturus, inducitur. Equus autem cum aliis equis, & iis uariis, miniſtrorum Euangelij multitudo eſt: quorum miniſte rio ſpiritualis Babylon deſtruitur ad liberandos electos, qui ſunt illud odori ferum myrtetum, in quo Chriſtus dux ſtans in acie, liberationem conficit, reſti tuta quiete, de qua iam ſæpe meminimus.

Abietes quoq;.) Figuratè de principibus & regibus abietes & cedri, procerę arbores, accipiuntur.

Qui ſuccidat nos.) Manet in translatione abietum, & cedrorum: quibus con uenit ברת, hoc eſt ſectoris uox.

Infernus.) Ad illudendum Babylonium tyrannum, falsè fingit diuinus uates, Orcum ad tanti tyranni aduentum étiam commotum iri. In quo unus aliquis principatum gerere fingitur, qui excitet reliquos principes & reges, ut regi Babylonio de regio ſplendore deturbato, obuiam procedant, riſuq; & ſannis eum excipiant. Cæterùm propheta infernum nominans, indicat tyrannos or bis terrarum, qui tyrannide ſuos & alios opprimunt, ex hoc ſeculo ut migra rint, non in cœlo, luce & claritate diuinitatis illuſtri, ſed in inferno tenebris & caligine obſito uerſari. Sed in quo inferno uerſantur? Si corpus ſpectes, ſepul chrum tenebris, uermibus & fœtore repletum occurrit: ſin animum, miſer ſta tus carens luce Meſsia, ad cœleſtem uitam ſplendente offertur. Itaq; huc ſpe ctantes ſapientes Hebræorum, duplicem gehennam tradunt eſſe: alteram ter renam, quam inferiorem uocant, in qua corpora ab animis ſeparata iaceant: al teram ſpiritualem, quam ſuperiorem uocant, in qua animi in mundo altero tor queantur. Sic enim aiunt: שני מיני גיהנם עליון ותחתון אחר לגוף בעולם הזה אחר לנפש בעולם הבא.

De ſolijs ſuis.) Affingit ſolia tyrannis, in quibus in orco ſedeant regio more. In qua affictione ironia prophetico ſale condita cernitur.

Et tu uulneratus es.) infirmus factus, qui te firmum, cuius potentiæ nulla uis re
Pſal. 9. ſiſteret, oſtentabas. Hæc enim ſuperborum tyrannorũ uox eſt: Nõ mouebor.

Et ſimilis factus eſt nobis.) Qui neminem parem & ſimilem tibi ferres, etiam Deo te ſuperiorem faciens. auſus enim es dicere: In cœlum aſcendam, & ſuper aſtra Dei collocabo ſedem meam.

Detracta eſt ad inferos.) Deo neque parem, neque ſuperiorem ſe ferente. De
Apocal. 19. noſtra Babylone Ioannes: Viui coniecti ſunt in ſtagnum igni ardens, & ſulphure.

Superbia tua.) cœlo hanc, in quo Deus cum ſanctis mentibus, Deum in Meſ ſia demiſsè colentibus, uerſatur, non ferente. Monet Hebræus, cum ſtrepitu nablorum

nablorum tyrannum deiectum ad inferos. Quò ſpectat Ioannes in Apocalypſi: Vox cytharœdorum. 18.

Subter te ſternetur tinea.) qui delicatis ſtratis uſus fueras. De noſtra Babylonia ſic legimus ſcriptum apud Ioannem: Væ uæ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo & purpura & cocco, & deaurata erat auro & lapide precioſo & margaritis, quoniam una hora deuaſtatæ ſunt tot diuitiæ. Significantur etiam hic tectè uermes, de quibus uaſtator Babylonis Dominus Meſsias: Vbi uermis illorum non moritur. Vermis uidelicet iudicij diuini, animos ſub conſcientia malefactorum miſerè corrodens. Adhos uermes alludit propheta in mentione de ſepulchro, in quo ut uermes cadauera, ex quibus naſcuntur, conſumunt: ita in miſero illo inferni ſtatu, luce gratiæ & clementiæ diuinæ carente, uermes ex uitioſa natura in mala conſcientia nati, ad exitium deſtinatos uexant, & crudeliter infeſtant. Hæc igitur mala uates noſter non ex ſua, ſed Dei ſententia impijs intentat. Nouerat enim is, cum res priuatæ & noſtrę aguntur, inimicis & hoſtibus bene precandum & faciendum eſſe. Sin res diuinæ, ad amplificandum nomen Dei, iudicium Dei de improborum improbitate non celari, ſed proferri debere. Nemo igitur hanc illudendi inſultandiq; plenam ſannis rationem, qua Babylon Chaldæorum, & ſub figura illius, illa altera Babylon illuditur, leſaiæ tanquam ſcurræ & conuiciatori imputet: ſed eam ut oraculum ſale diuinæ ſeueritatis conditum, editam ab illo intelligat. Nam etiam prophetas ſuos Dei ſpiritus naſo & ronchis inſtruit, quos in ſceleratos ſtringant: quibus omnia quę Deo probantur, ludibrio ſunt, & ludus. Quare meritò ſcommatis & ſarcaſmo exagitantur rerum cœleſtium deriſores à prophetis, qui Deum & oracula eius, eosq; qui Deũ ſanctorum Iſraeliſtarum colunt, deriſent. Quocirca uates in Pſalmo de interitu impiorum gratulari iuſtos hoc carmine teſtatur: Videbunt iuſti, & ſuper eum ridebunt. Et ſapientia apud Salomonem in Prouerbijs: Ego in interitu ueſtro ridebo, & ſubſannabo. Simile exemplum in Elia, ſannis proſcindente ſacerdotes & prophetas Baal, cernitur. *Pſal. 51.* *Prouerb. 1.* *3. Regum. 18.*

Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer.) Pergit in illudendo, contentione ad amplificãdum cõtemptum tyranni utens. Hunc, qui inſtar luciferi ſideris fulſerat, de cœlo deturbatum, in inferno caligine & tenebris obrutum iacere. הילל à ſplendore ſidus hoc ſic appellatũ eſt: quod de Venere, clariſsima ſtella, interpretantur. Nam hoc ſidus ipſis cognominib. ſolis & lunę æmulũ eſt. præueniens quippe, & ante matutinũ exoriens, φωσφόρον, hoc eſt luciferi nomen accipit, ut ſol alter: unde hic à propheta בן שחר, hoc eſt filius aurorę appellatur. cõtrà ab occaſu refulgens, nuncupatur Veſper, ut prorogans lucẽ, uicemq; lunæ reddẽs, ab ſole nunq; abſiſtens partibus ſex atq; quadraginta longius. Huic ſideri propheta Babylonem, propter imperij claritatẽ ac ſplendorẽ, cõparat. quo amiſſo, tanq; de cœlo in obſcurũ infernũ miſero & horrẽdo, ſed digno ſuperbia ipſius caſu delapſa ſit. Similia apud Ezechielẽ in Tyrum luduntur: Perdidiſti ſapientiã in decore tuo, in terram proieci te. Et de Capernaum Dominus: Et tu Capernaũ, quæ uſq; ad cœlum elata es, uſq; ad infernum deprimêris. Quod ſi ſuperborũ parentẽ Satanam ſpectes, quid de hoc idem Dominus noſter dicat, ex eodem illo loco patet: Videbamq; ſatanã ſicut fulgur de cœlo cadentem. Itaq; accipimus, imperij fulgorẽ in potentib. tyrannis, & ſapientiæ claritatẽ in huius mũdi ſapientibus non efficere, quo minus miſerè concidant: hoc eſt, cum ſua potentia & ſapiẽtia pereant: ut nec Satanam ſuę naturę claritas defendit, quo minus audiret hãc in ſe ſententiã dictam à iuſto ſuperborum iudice Deo: Maledictus es, ſuper terrã gradieris, & terrã comedes. Quod eſt, ſatanã ſicut fulgur de cœlo cadere in terrã, in qua puluerẽ terrenũ pro cibo edat: & cũ eo tyrãnos orbis terrarũ, quorũ pater ſit, ſuperbię & tyrannidis ſpiritũ eis inflãs. Similia legũtur in Apo- *Ezech. 28.* *Matth. 11.* *Geneſ. 3.*

Apocal. 6. in Apocalypsi Ioannis de stellis de cœlo cadẽtibus. Contraria ratio filiorũ Dei est, qui de terra in cœlũ extollũtur, ex terrenis cœlestes homines, Messiæ spiritu regenerati. Aliter ergo cœlũ accipit, cum legimus de eo cadere impiè superbos, qui uerè in cœlo nunquam uersantur: aliter, cum in cœlum euehi dicuntur piè humiles, & demisso spiritu prediti. discrimen satis notum est ijs qui partem in cœlesti ciuitate habent.

Corruisti in terram.) Non leuiter de cœlo, hoc est de sublimi rerum statu cecidisse Babylonem: sed ita cecidisse, ut ad terram confracta sit, & contrita. Quod innuit propheta in uerbo נגרעת, exitiali casu & ruina indicata. Itaq; Septuaginta σωτρίβη εἰς τὴν γὴν.

Qui uulnerabas gentes.) Talionis lege debilitatum, qui alios debilitasset.

In cœlum ascendam.) Superbia Babylonis per μίμησιν reprehenditur. Terrena belua ex terra nata, & à dracone gubernata inducitur à propheta, arroganter gloriari, se in cœlum uelle ascẽdere, ad collocandum solium supra illius sidera. Si filum mysticæ literæ sequare, notatur in cœlo mons Sion, & eius templum: in stellis, Israelitæ. In hoc monte regnare, & supra hæc sidera Babylon thronũ suum collocare cum in animo superbè cogitasset, in hanc quæ hic instituitur, reprehensionem incurrit. Stellis autem comparari electos Dei filios, non est
Daniel. 12. insolens. In Daniele legimus: Et qui ad iusticiam erudiunt multos, fulgebunt
15. quasi stellæ. & Apostolus sanctos stellis in epistola ad Corinthios priore comparat. Nam ut stellæ lucent in cœlo, sic sancti in terra homines luce Messia clarí lucent, qui de se prædicat: Ego sum lux mundi. At uerò quæ hic tectè & figuratè dicuntur de Babylone Chaldæorum, uerè & apertè reprehendũtur in Babylone illa altera. Prior Babylon, in monte Sione & eius templo sedem suam ponere tentauit: posterior in templo, quod est Ecclesia electorum, ponere solium suũ audet. Sic enim Apostolus: Adeò ut in templo Dei sedeat. Altera similem Deo se facit, dicens: Similis ero altissimo. Altera ut se offerat, declarat il
2. Thessal. 2. lud: Ostentans seipsum esse Deum. Altera cum Deo Israelitarum pugnare, sa-
Daniel. 3. cra eius profanare, ad adorandam statuam auream cogere ausa est: altera ut pugnans cum agno Messia, Dei cultum euertat, & se adorare iubeat, omnibus in Sione, templo & Hierosolyma Ecclesia contemeratis, satis manifestum est.
Apocal. 13. idq; ostendit Ioannes his uerbis: Et data est illi potestas in omnem tribum & populum, & linguam & gentem, & adorabunt eam omnes qui inhabitant terram. Sed à quo hãc potestatem accepit? A' dracone satana accepit, cuius os habet. Hunc imitata, adorari uult. Etenim is Christum Dominum his uerbis allo-
Matth. 4. quutus est: Si prostratus adoraueris me, dabo tibi omnia regna mundi. Igitur huius superbo spiritu inflata meretrix Babylon, os suum aperire ad conuician dum Deo audet, & bellum cum sanctis gerere sustinet, eos ad tempus etiam uincens. Atque hoc ipsum est, quòd sub figura ueteris Babylonis legimus hic: Super stellas Dei extollam solium meum, & sedebo in monte solennitatum.

6. *Solium meum.*) Aduersus solium eius, de quo suprà: Vidi sedentem in solio excelso.

In monte Testamenti.) Sione, qui mons מועד appellatur, propter templum in illo situm, in quo testimonia, hoc est diuina responsa reddebantur, & solenniter in eo populus conuenire solitus fuit. Vtrumq; ẽm in uoce Hebræa notatur.

In lateribus aquilonis.) monte Sione, sito ad aquilonem Hierosolymæ. Similiter
Psal. 38. uates Dauid: Mons Sion, latera aquilonis, ciuitas regis magni.

Super altitudinem.) Suprà cœli, hic nubium meminit: quòd etiam ea pars aeris,
Genes. 1. quæ nubium sedes est, cœli nomine nuncupetur.

Similis ero altissimo.) Imperij & potentiæ amplitudine. Nostra Babylon ut in omnia, in cœlestia, terrestria & infera imperium sibi uendicet, satis perspicuè eius arrogãtia & impudẽtia ostendit, per quam in cœlũ extollit quos uult, atq;

cœlesti

cœlesti doctrina Euangelij in ordinem redacta, suam terrenam quam ex ore draconis haurit, obseruari iubet. In terra principes, reges, Cęsares, uani imperij ostentatione sic dementat, ut suos pedes osculentur. In inferos demum ut suã potestatem exerceat, indulgentiæ, & missæ pro mortuis uenditæ, atque ipsum impurum Purgatorium, quod cõtra diuinum purgatorium Messiam fingunt, indicio est. Taceo libidinem, qua per fulmẽ excommunicationis, sed brutum, quoslibet orco deouet, sanctis in cœlo à diris illius non tutis. Sed cum hoc facit, quid aliud facit, quàm quod uates de Babylone dicit: Similis ero altissimo? Atqui cum tam superbè & insolenter se gerit, quam tãdem arrogantię suæ pœnam luet? Sequitur:

Veruntamen ad infernum detraheris.) Qui superbè dixerat, In cœlum ascendam. Itaque seuera & horribili contentione cœlo opponitur infernus, & ipsi הֵיכָל uerbum הוֹדוּ. In cœlo lux, uitalis calor, & uita cernuntur. In inferno omnia contraria.

In profundum laci.) Hebræus, latera laci habet per contentionem oppositа lateribus Sion. In lacum ignis ardentis sulphure ut nostra Babylon deijciatur, ex Ioanne suprà monstratum est.

Qui te uiderint.) Etiam uiuentes illusuros in tyrannum Babylonium. Formula illudẽdi exponitur in ipso oraculo. Depingitur tyrãnis Babylonij regis: hũc non contentum externa regna uexasse & deuastasse, etiam quod immanissimum fuit, suis nõ pepercisse, sed crudeliter in eos grassatum. Sic enim legimus: Tu terram tuam perdidisti, & populum tuũ occidisti. Vt nostra Babylon eos uastet, mactet, occidat, quorum se pastorem profitetur, satis clarum est. Itaque qualem se pastorem præstet, ex Zacharia patet. Sed audiamus, quibus supplicijs tyrannus puniatur. 11.

Omnes reges gentium.) Primum supplicium est, hunc præter cæterorum regum morem inhonestè sepeliri. Propheta noster oraculari insultatione in regem Babylonium insultans dicit: Tu autem extra sepulchrum tuum abiectus es. ubi indicat, refossa regũ Babyloniorũ sepulchra, & extrà cum ignominia & dedecore corpora proiecta. Quæ Herodotus de aperto à Dario reginæ Babylonię sepulchro prodidit, apud ipsum uideris. Grauis iræ Dei in improbos argumẽtum sacræ literæ indicant esse, sepultura priuari mortuorum corpora, sed ea feris & uolucribus cœli dilaceranda consumendaq; exponi. Vt exemplo est Iezabel, Achab, Ioachim, de quo apud Ieremiam. Vt cõtrà in diuina benedictione numeratur, honestè cum suis sepeliri. Quod etiam profanę gentes cõfirmarunt. Sic enim apud Tragicum scriptum legimus:

τύμβου δὲ βυλοίμην ἂν ἀξιώμενον τὸν ἐμὸν ὁρᾶσθαι. διὰ μακρῶ γὰρ ἡ χάρις.

De maioribus Israelitarum exempla sacris literis consignata ut cõprobent dignitatem sepulturę, cõstat. Dicas, sed quid fiet pijs hominibus, quos tyranni occidũt, eorũ corporib. ignominiosè ad discerpendũ feris obiectis? Horũ opprobriũ, quo ab impijs afficiuntur, resurrectionis gloria delebit: qui non propter sua scelera, sed ob cõfessionẽ Dei, probrosè occidunt, & sepultura spolianť.

Quasi stirps inutilis.) Similitudine à stolonibus & surculis inutilis, qui igni cremantur, mutuatur tyrannorũ abiectã conditionẽ, qua in futuro seculo incipiũt esse, explicat. quos ut inferni ignis absumat, ex Euãgelio patet. Hanc similitudinem Ioannes Baptista his uerbis exponit: Omnis arbor quę nõ facit fructum, exciditur, & in ignem mittitur. Contraria ratiõe, ut ex Psalmo primo patet, pij arbori bonę, & tritico in horreum congregando, impij uerò paleæ igni consumendæ, comparantur. *Matth. 3.*

Tu terrã tuã disperdisti.) Contrà cũ boni reges faciũt, qui regna sua fide & clemẽtia administrare student. Perdunt aũt tyranni terram suã, cum probos ac sapiẽtes uiros, ne suis consilijs obsint, è medio tollunt, & miseram plebem tributis

oppri-

opprimunt, & nullum honestatis né ue publicè ne ue priuatim rationem habent. Verè ergo Tragicus tyrannos sic describit:

καὶ τὸς ἀρίστους, ὃς ἂν ἥγηται φρονεῖν,
κτείνει, δι' ὁδοιπόρου τῆς τυραννίδος πέρι.

Vt nostra Babylō omnia intus & foris uastet, & omnes legitimas potestates, domesticam, ciuilem & Ecclesiasticam perdat, eosq; interimat qui suis cōsilijs repugnant, non est opus ea de re toties, ut manifesta, admonere.

Non uocabitur in æternum semen peßimorum.) Aspera acclamatione impij perstringuntur, eos cum stirpe & toto genere excisum iri. Eandem sententiam Dauid
Psal. 37. expressit: Semen impiorum peribit. Non uocari stirpem, est, eius memoriam è rerum natura deleri, & eius honoris caussa mentionem nullam fieri. Itaq; Paraphrastes pro non uocabitur, uertit לֹא יִתָּקְרֵיִם, id est, non manebit. Sic Cain cum sua familia, sic Sodoma, sic Nabuchodonosor, cuius regnū in nepote Balthasare finitum est, perijt. Sic nostra Babylon funditus cum pseudoprophetarum genere interibit, eorum memoria & nomine deleto. Contraria ratio filio-
Psal. 11. rum Dei est, de quibus illud: In memoria æterna erit iustus. & Salomon: Memoria iusti in benedictione erit. In quo nimirum is uersatur, qui perennis uita est Messias benedictus: quo cum carēt impij, ut eis accidat quod hic accidere dicit uates Babyloni, necesse est. Quem hic propheta Babyloni interitū minatur, eum Sibylla quoq; minata est hoc oraculo:

Αἰεὶ θ' γάρ σοι βαβυλὼν ἥξει ποτ' ἄνακτι,
Αὐτὰρ ἀπερχόμενον καταβήσονται ἐξ ἁγίων σοι,
καὶ θυμὸς τέκνοις αἰώνιος ἐξολεθρεύσει,
καὶ τότ' ἔσῃ ὡς ἥδα πρότε, ὡς μὴ γεγονυῖα.

Præparate filios eius.) Thesim ad hypothesim, hoc est generalem sententiam accommodat ad interitum stirpis tyranni Babylonij. Quod est alterum supplicium, quo impij afficiuntur: eorum etiam posteros deletum iri, in quibus spem conseruandi regni positam habent, sed uanam & irritā. Nam natis Nabuchodonosoris parandam cædem prædicit. Oraculari autem imperatiuo utitur propheta: Parate cędē ò uos Medi & Persę, filijs Nabuchodonosoris, ut pater cum liberis stirpitùs intereat.

In iniquitate patrum suorum.) sed quorum improbitatem referant improbi liberi.

Non consurgent.) Cædendos liberos, ne fortè superstites ad tyrannidem aspirent. Nota est enim hæc peruagata sententia: Stultus, qui parentibus cæsis liberos relinquat uindices paternæ cædis. Huc diuinus spiritus spectans dicit: Ne consurgent & possideant terram.

Neq; hæreditabunt terram.) cuius possessio hæreditario iure mansuetorum est,
37. ut est apud Dauidem: Mansueti hęreditabūt terram. & Dominus noster: Be-
Matth. 5. ati mites, quoniam ipsi hæreditatem accipient terræ. Itaq; impia Babylon, utantea terram iniuria occupauit uexatis pijs, ad quos terræ possessio iure diuino pertinet, impletis tyrannidis suæ temporibus, sentiet uim oraculi huius: Non
Psal. 37. consurgent, neq; terram hæreditabunt. Stabit enim illud: Semen impiorum extirpabitur.

Neq; implebunt faciem orbis ciuitatibus.) Meminit urbium, quarum magnificentiā & munitionem unicè curet superba & crudelis Babylon. Sic impius Cain an-
Genes. 4. te diluuium primùm ad extruendas urbes animum adiecit: & post diluuium
Genes. 10. Nimrodus Babylonē condidit, regni Babylonij principium. Sed cum Babylō tantoperè occupetur in ædificandis, ornandis, muniendis, frequentandisq; urbib. quas luxu, libidine, rapinis & idololatria repleat, quid tandem hæc audit? Audit minax hoc uatis oraculum: Ne consurgant & possideant terram, & impleant orbem terrarum urbibus.

Ponam eam in possessionem herodij.) Ex talionis lege pœna intentatur. Suprà legitur:

tur: Orbem redegit in ſolitudinem, urbes euertit, regna cõcuſsit. Iure igitur hic legitur: Et eam in poſſeſsionẽ erinaceorum redigam. Eandem uaſtitatem Ieremias minatur Babyloni: Cum cõpleueris legere librũ iſtum, ligabis ad eum lapidem, & proijcies illum in mediũ Euphratẽ, & dices: Sic ſubmergetur Babylon, & nõ conſurget ab afflictione quam adduco ſuper eam, & diſſoluetur. Hactenus de Babylonis interitu ueteris. Submota figura, de noſtræ Babylõis ruina Ioannes ſic loquitur: Et ſuſtulit unus angelus lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicẽs: Hoc impetu mittetur Babylõ ciuitas illa magna, & ultrà non inuenietur. lapide nimirũ oppreſſa, quem ipſa contẽpſerat. de quo propheta Dauid: Lapis quẽ reprobauerunt ædificantes, factus eſt in caput anguli: omnis qui ceciderit ſuper illũ lapidẽ, cõquaſſabitur: ſuper quẽ aũt ceciderit, cõminuet illũ. Qui lapis Meſsias eſt, uiuus ille & cœleſtis lapis, qui ex mõte diuinitatis ſine humanis manibus exciſus, probos ſeruat, à quib. per fidem habetur pro ſalutis fundamento, & improbos in illum odio & infidelitate impingentes conterit: ut ſcelerata Babylon impingit, bellum cum agno ſacroſancto lapide, & cum ijs quos agnus amat, gerens. Ier. 51. Apocal. 18. Pſal. 118. Daniel. 2.

Et paludes aquarum.) Alludit ad Sodomæ interitũ. ubi enim illa floruit, iam ſtagnum & lacus cernitur, præfigurans lacum & ſtagnum ignis ſulphure ardens: in quod ut proijciatur Babylon cum ſuis pſeudoprophetis, ſuprà ex Ioanne oſtenſum eſt.

Et ſcopabo eam.) Scita ſimilitudine, qua Babylonem exitialibus ſcopis conuerrendam dicit, ut pauimentum cõuerritur, abſterſo omni puluere. Verbum Hebræum aliàs non reperias.

ORACVLVM IESAIAE DE INTERITV SENNACHERIBI regis Aſſyriorum ante Hieroſolymam.

Curauit Dominus exercituum.) Vaticinium hoc diuerſum eſt à ſuperiori, quo Babylonis tyranni caſus ac ruina prædicitur: in hoc uerò Aſſyrij Sennacheribi interitus præſignificatur. Videtur autem concio de Aſſyrio repeti ad conſolandos Iudæos, quibus tempore illo horribilis ab Aſſyrijs imminebat clades.

Iurauit.) A iureiurãdo Dei, conſolationis confirmatio. Quid enim firmius eſſe poterit iuramento, quo Deus ueritas ipſa neue falli neue fallere potens ſeſe obſtringit? Solet autem Deus iurare ferè, cum ſalus ſanctorum agitur, in Meſſia filio præſtãda. ut ex illo in Geneſi patet: Per memetipſum iuraui, dicit Dñs. Sed quid iurauit? Sequitur inibi: Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. in ſemine uidelicet Meſsia. Tectius uerò hic, ante Hieroſolymam profligaturum ſe Aſſyrium iurat. Vbi ſub figura Ezechiæ regis & myſticè Hieroſolymę, Eccleſiæ cœleſtis Hieroſolymæ per Meſsiam cœleſtem Ezechiam liberandæ ſalus agitur. Huiuſmodi igitur iuramentum ueteres magnum & ſolenne iuramentum uocant. In quo hæc perpendimus: primò, quanta ſit imbecillitas noſtra, dum in hoc ſeculo uerſamur, ueterem & carnalem hominem nobiſcum circumferentes, plenum diffidentia, contemptu & odio Dei: quanta inquam ſit infirmitas noſtra, ob quam opus habeamus iuramento Dei, cuius fide interior noſter homo, qui nouus homo eſt, aduerſus rebellionem carnis & eius infidelitatem, in grauiſsima ſpiritus fidei & diffidentiæ de præſtandis promiſsis Dei lucta, confirmemur. Deinde perpendimus, quanta Dei bonitas ſit, cuius maieſtas dignetur hoc modo ſeſe ad nos, qui cinis & puluis ſummus, conſolandos & corroborandos demittere. quam etiam bonitatem quiſq; piorum priuatim in tentationibus grauioribus experitur, non dedignante Deo patre interpoſito iureiurando promittere ſe affuturum, & in tentatione exitum expediturum ſuo nomini glorioſum, & grauiter tentato ſalutarem, uincente fide diffidentiam, carnem ſpiritu, bonitate & ueritate Dei in præſtanda promiſsione malitiam Satanæ, hoc unum molientis, ut promiſsionem diuinam irritam

faciat,& fidem atque ſpem prælucente fidei luce excitatam ex animis noſtris eximat. Poſtremò ex hac iurandi ratione, qua Deus nobis ſe obligat, cognoſcimus,Eccleſiæ & regni Meſsiæ hoſtibus certum & indubitatum exitium paratum eſſe,quo ſuo tempore ſeruata Eccleſia pereant. Quare ſequitur:

Vt putaui.) Admonemur hic primò,Dei cogitatione & prænotione omnia fieri,nihilq; temerè & fortuitò accidere: deinde,non ideò quid à Deo cogitari & prænoſci, quia euenturum ſit, ſed ideo quidque euenturum & euenire, quia Deus ſtatuerit ab æterno ſua prænotione id euenturum. ſic enim legimus hic: Sí non ut cogitaui, ita fiet. Itaque fugiendus nobis fuerit magnus ille error, quo tenentur, qui ne liberum ſuum arbitrium decretis præſcientiæ diuinæ ſubijciant,docent,non ideo aliquid euenire aut euenturum,quia Deus prænouit euenturum: ſed quia aliquid euenturum ſit, ideo prænoſci & cogitatione præſumi à Deo. Hí à rebus futuris præſcientiam diuinam pendere dicunt,non ab hac res futuras. Quanto melius ſenſerunt Græci poetæ,qui certo & ineluctabili Dei decreto, quod μοῖραν uocant,omnia euenire dicunt: ut plura uiderit cæcus ille uates, quàm aliquot philoſophi oculos habentes uiderunt,cui ſæpe in ore eſt μόρσιμον ἦεν. Item,lance Iouis(qui Iehoua eſt)hominum facta examinari:

καὶ τότε δὴ χρυσέῃσι παλὴν ἐτίταινε τάλαντα,
οἶδ' ἐτίθη δύο κῆρε τανύηκεϊ θανάτοιο.

Et Tragicus fatetur,fatum & neceſsitatem neminem euadere:

οὐδ' ἐσὶ μοίρας τὸ χρεὼν ἀπαλλαγή.

Quare demum hic perpendimus,omnia neceſsitati conſiliorum & decretorum prænotionis diuinæ, quæ in hac uniuerſitate fiunt & futura ſunt,ſubijci. Stat enim illud: Dixit,& facta ſunt. & quod hic legimus: Statui ita fieri. item:
Epheſ. 1. Cuius ui fiunt uniuerſa,iuxta decretum uoluntatis ſuæ. Hanc conſtantem & infallibilem,ſiue de delendis hoſtibus, ſiue de conficienda ſalute electorum, decretorum Dei uim ſecum perpendentes pij, firmi hac diuinæ prouidentiæ ancora ſubnixi conſiſtunt, ſpe non pudefaciente ad promiſſam ſalutem aſpirantes.

Et conteram Aſſyrium.) Sennacheribum Aſſyriorum regem, cuius tum regia imperij urbs Niniue erat. poſtea uerò,ut Medi defeciſſent ab Aſſyrijs, & Sennacheribi exercitus ante Hieroſolymam fuiſſet profligatus, & regē ipſum ſui filij in ipſa urbe Niniue interemiſſent, Babylon ut regia ſedes fieret cogitauit: non quòd nouum imperium & diuerſum ab Aſſyrijs conſtitueret, ſed ut ipſa principem locum in regno Aſſyriorum obtineret, ut ab initio à diluuio, ſicut ex Geneſi patet,obtinuiſſet. Quare legimus in Paralipomenis, translata iam re-
10. gia ſede Babylonem, Aſſyriorum regnum nomen non amiſiſſe, ſed retinuiſſe: Iccirco ſuperinduxit eis principes exercitus regis Aſſyriorū, cæperuntq; Manaſſem, & uinctum catenis atq; compedibus duxerūt Babylonem. Itaq; idem in regno Aſſyriorū accidit, quod in Romano imperio accidit: cuius Conſtantinopolim de Roma translata ſede, non imperium, ſed imperij ſedes mutata fuit. Vnum autem regnum Aſſyriorum & Babyloniorū fuiſſe, indicat Daniel,
Daniel. 2. ubi Nabuchodonoſori uiſum de ſtatua interpretatur. In quo uiſo caput ex auro de Aſſyriorum regno, pectus & brachia ex argento de Medis & Perſis, uentrem & fœmora ex ære de Macedonum dominatu, pedes partim ferreos partim fictiles de Romano imperio exponit. Quatuor igitur præcipua imperia Daniel deſcribit, Babylonium ſeu Aſſyrium, Perſicum, Græcum, Romanum. Quę quatuor regna Ioānes in Apocalypſi quatuor beſtias è mari aſcendētes uocat. Hęc de Aſſyrijs & Babylōijs attulimus, ne quis, quia ſuprà de alteris, de alteris hic fit mentio, exiſtimaret diuerſa fuiſſe imperia Babyloniū & Aſſyriū.

Super oēm terram.) Hoſtiū Iſraelitarū, qui uarij ſunt, uicini & remoti, Nā prętet uicinos

uicinos, cum quatuor sint bestiæ ex mari ascendentes, hoc est, quatuor regna, nullum horum non infestauit Israelitas: sed quarta bestia, hoc est, Romanum imperium crudelissimè illos uexauit, in cuius inclinatione bestia ex terra ascēdit, per quam Satan totum terrarum orbem seduxit. Hæc Antichristus est, à bestijs iam numeratis præfiguratus: qui sede Romani imperij occupata, calice fornicationis suæ omnes gentes & populos inebriat.

VATICINIVM DE PALAESTINO-rum clade.

Anno quo mortuus est Achaz.) In his oraculis quæ sequuntur, gentiū Israelitis infestarum, clades qua afficiendę sint, denunciatur: ut intelligant Israelitarum hostes, Deum iustum scelerum uindicem esse, qui suis ob culpam nō parcat, quin eos castiget & emendet: & alienos ita puniat, ut cognoscant unum Dominū esse omnium, qui pios amet, & impios odio habeat, neq; sui & suorum contemptionem, & uanam de uano deorum alienorum præsidio fiduciam & gloriationem inultam ferat. Quare ut grauiter Palęstinorum gloriatio reprehendatur, ex hac concione patefiet. Ab his porrò qui ad occasum ad mare Mediterraneum habitabant, ad Moabitas orientem uersus, ab oriente ad Damascenos ad Aquilonem sitos, quibus Aethiopas & Aegyptios meridionalia habitantes subiungit, progreditur. Vt omnes Israeliticæ gentis hostes intelligant, frustrà se de calamitatibus illius gloriari, qui tandem in luctu sint futuri, sacro populo è malis liberato. Amos uates crudelitatem quam in Israelitas tempore quo abducebantur in captiuitatem declararunt, Palęstinis exprobrat. Quo autem tempore hoc minax oraculum editum sit, propheta indicat, cum dicit: Anno quo mortuus est Achaz. *Amos 1.*

Ne læteris Philistæa.) ut mortuo Achazo, & eius auo Ozia lætata es. Ab hoc mi serè Palæstinorum res afflictas, ab illo uerò retardatos Palęstinos, ne pro libidine in regnum Iudæ grassarentur, in Paralipomenis altero libro proditum est. Mortuo igitur Achazo, & antea auo eius Osia, cum animos tollerent uidentes Assyrium imminere ceruicibus Iudææ, cuius potentiæ non resisteret Ezechias, Iesaias consolaturus suos hoc in Palæstinos uaticinium exposuit, quo illorum gloriationem retunderet, & lætitiam eis in luctum conuerteret. Qua in re ostendit propheta, non pari ratione hostes gaudere in calamitatibus Israelitarum, & hos in miserie suorum hostium lætitia affici. In alteris enim lætitia coniuncta est cum contemptu Dei Israelitici, cui suos deos in rebus tum prosperis tum aduersis præferunt: in alteris autem impiorum hostium ruina lætitiam parit, quod uident illis depressis amplificari sui Dei nomen, cuius gloriā florentibus hostibus imminui cernunt. Itaq; hic uates in Palæstinos: Ne lætaris tu Palæstina. Et de lætitia sanctorum quam capiunt in ruina impiorum, David: Videbunt recti, & lætabūtur. Dico, si uiderint casum impiorum pertinere ad amplificationem nominis diuini. Nam si secus res habet, stat illud Salomonis: Cum corruerit inimicus tuus, ne gaudeto, & in ruina eius cor tuū ne exaltato. contrà sentit ille apud Tragicum, dicens iucundissimum esse cernere hostem ex felici infelicem factum: *Prouerb. 24.*

—ἐκ γὰρ εὐτυχῶς ἥδιστον ἐχθρὸν ἄνδρα δυστυχοῦντ' ἰδεῖν.

Percussoris tui.) Osiæ & Achazi. De Osia legimus: Egressus est, & pugnauit contra Palæstinos, & Geth & Iabne & Azoti mœnia diruit. *2. Paral. 26.*

Regulus.) Ezechias, maiori clade te affecturus, quàm ab Osia affectus sis: ut pernicioſior est serpente aspis, aut basiliscus. Quanta autem clade affecerit Ezechias Palęstinos, Regum historia testatur. Similitudo hic in comparando, nō à uitioso ingenio uirulenti animantis mutuatur, sed à ui & terrore perdendi. Quæ uis in Ezechiam probum regem, ultorem hostium Dei & populi electi conuenit. Reducto uelo, in Messiā ab Ezechia præfiguratū quoq; cōgruit, *4. Regum 19.*

qui qualis sit basiliscus sibilo & oris flatu impios hostes perdēs, declarat suprà
11. uates: Spiritu oris sui interficiet impiū. Hinc is à serpēte in Arabum solitudine
Numer. 21. erecto adumbratus fuit, qui serpentē Satanā uinceret. sic mors appellatus est,
Oseæ 13. qui mortē aboleat: Ero mors tua ô mors. imò maledictū & peccatū nuncupatus, qui maledictionē ob noxam importatam tollat, & peccatū cum sęuo iure eius deleat. Cæterùm tradūt scriptores rerum, à basiliſco sibilo fugari serpētes,
Plin. lib. 8. cap. 21. atq; ab eo recto & celso incedente, frutices nō cōtactos modò, uerum & afflatos necari, exuri herbas, & rumpi saxa: talis uis malo est.

Et semen eius.) Huius fœtum fore presterem uolucrem. Hebræis sic appellatur ab urendo, ut Græcis πύρωσις. cuiusmodi, ut ex Numeris patet, Israelitas ardore suo confecit. Talem Ezechiam futurū hostibus suis. Volatus hic tribuitur presteri, qui uolando exurens uirus afflet. Noster prester Christus IESVS quo uolatu sceleratos perdat, declarant ignei ac flammei alatiq; Seraphim Apostoli, i-
Matth. 2. gnem in munere Euangelij afferentes, de quo illud: Et paleas comburet igni. Nam Euangelij alati igneus spiritus perficit pios, & impios conficit.

Et pascentur primogeniti.) Si filum historiæ mysticæ sequare, occurrit Ezechias, quo regnante Iudæi comparati selectis primogenitis, ante Hierosolymam Assyrio cæso, & Palæstinis deuictis, pacatè uixerunt. Ex lege enim Mosæa notū est, quanta sit dignitas primogenitorū, quę sibi Deus tum ex hominib. tum ex pecore cōsecrauit. Submota figura occurrit Messias cœlestis Ezechias, & primogeniti sub Christi regis cura securè pascentes, de quib. in epist. ad Hebręos:
Hebr. 12. Sed accessistis ad cōcionē primogenitorū, qui cōscripti sunt in cœlis. Hos primogenitos regius & sacerdotalis spūs Messiæ primogeniti uniuersę creaturę, hoc est Dominus omnium, creat. Huc spectans Paraphrastes Chaldæus, pro his uerbis, Quoniam de radice serpētis nascetur regulus, reddit: Quoniam de sobole Isai nascetur Messias. ארי מבני בנוהי דישן יפיק משיחא.

Pauperum.) Reducto uelo, occurrunt pauperes quos pascit noster Ezechias,
Matth. 5. qui dicit: Beati pauperes spiritu, quoniā illorum est regnum cœlorum. Itaq; suprà uates noster: Et terrarum pauperes iustè iudicat. Occurrunt item læta pascua Euangelij sacri, in quibus pascuntur oues ad alendam uitam æternam,
Ioan. 6. de qua pastor ipse: Qui credit in me, habet uitam æternam. & de ouibus: Oues
Ioan. 10. meæ uocem meam audiunt. quas nemo de manu mea rapiet.

Et fame interficiā radicē tuā.) Contentione illustrat redēptionis beneficiū. Hostes fame perituros, sacrā gentē rerū abundantia, qua tranquillè fruatur, seruatū iri. Legimus à Dño confectū iri fame hostes: nō igitur humanū, sed diuinū opus fuerit, hostium Israelitarū interitus. Scita metaphora in radice ostenditur, qua maiores, parentes & principes notantur: quibus perditis, reliquos quoq; interire. ut arboris scapus cum ramis & foliis moritur, mortua radice.

Vlula.) regnante Ezechia, quæ mortuo Osia & Achazo lætata es. Is est exitus lætitiæ hostium regni Dauidis, ut conuertatur in luctum: ut contrà luctus sanctorum in lætitiam conuertitur. ut exemplo est ipse rex Messias, & in eius
Matth. 5. regno scripti ciues. cuius hæc celebris uox iactatur: Beati lugentes, quoniam consolationem accipient.

Porta.) Senatores & iudices, in portis ad iudicandum sedere soliti.

Ciuitas.) reliquus populus.

Ab aquilone.) Hierosolyma, quæ aliqua ex parte Palæstinam respicit. Si quis etiam Assyrium hostem accipiat Sennacheribum, qui Palæstinam ut Iudææ uicinam uastarit, ferri potest interpretatio: de Chaldæis autem ut quis interpretetur præsens oraculum, obstare uidetur id quod subiungitur de gentium nuncijs, denunciaturis à Domino fundatam Sionem, in qua pauperes tuti sint. Nam non illo tempore quo Chaldæi in Iudæam expeditionem fecerunt, & proximas gentes, Moabitas, Ammonitas, Aegyptios, Palęstinos &

Dama-

Damascenos deuastarunt: Sion liberata fuit, sed euersa, eius templo incenso, & populo in exilium abducto. Regnante uerò Ezechia, ut fuit Assyrius per angelum Domini interemptus ante Hierosolyman., cantatum est: Dominus fundauit Sionem.

Quid respondebit nuncijs gentis.) Interrogatos gentium legatos de ijs quæ acciderint Hierosolymæ & hostibus eius, ipsos responsuros, à Domino fundatam Sionem, & in ea inopes tranquillè uersari.

Fundauit Sion.) fundamento eius nulla ui conuellendo. Præcessit enim: Quia Dominus, &c. Veritas in Sione cœlesti cernitur, quæ fundamentum immobile habet, de quo Apostolus: Nam fundamentum nemo potest ponere præter id quod positum est, IESVM Christum. Hoc de hostibus suæ cœlestis Hierosolymæ, de potestatibus tenebrarum, de Antichristo triumphante, canetur uulgo: Dominus fundauit Sion, & in ea tuti & tranquilli pauperes degũt. Sed qui pauperes? Pauperes sanè & inopes ab humana prudentia, iustitia, opibus: & à diuina solum prudentia, iustitia, opibus in Christo pendentes. Hos pauperes tuetur noster Ezechias, Messias benedictus: diuites prudentia, iustitia & diuitijs huius mundi aspernatus, de quibus illud: Et diuites dimisit inanes. Hi igitur fundati sunt super arenam, illi super petram. Vnde cognoscimus magna nostri consolatione, quàm inexpugnabilis sit Ecclesia, ex scriptis in libro uitæ descripta, quam nulla potestas ullis machinis euertere possit. 1. Corinth. 3. Luce 2.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM.

ONVS *Moab.*) Exponitur de Moabitarum calamitate oraculum. In quo explicando origo Moabitarum, regionis situs, & causæ cur uindice Deo tanta clade, & à quibus hostibus affecti sint, perpendenda fuerint. Si originem & situm spectes, hæc ex Mose cognita sunt. De causis calamitatum quibus Moabitæ affecti sunt, inter interpretandum meminerimus.

Quoniam in nocte.) Secura de malis gens, ut quæ fideret opibus & munitionibus suis, & locis natura firmis. Sic enim de Moabitis Hieremias: Quoniã tuis operibus & thesauris confisa es, tu quoq; capieris. A' tempore amplificat terrorem, quòd hostilis incursio quę sub noctem fit, terribilior sit. Sic sub noctem Aegyptus in periculo fuit, Assyrius nocte ab angelo Dei cæsus. Noctu à Persis capta Babylon. Dies Israelitarum saluti consecratur, qui filij lucis sint: nox exitio impiorum, qui filij noctis & tenebrarum habeantur. 48.

Vastata est Ar.) Metropolis Moabitidis, Areopolis Græcis appellata, composito nomine ex Hebræa & Græca uoce. Sunt quibus Ar est Aroer: de qua urbe in Numeris & in Deuteronomio uideris. Sed quæras hic, à quibus uastata sit Moabitis. A' Sennacheribo Assyrio, & Nabuchodonosore uastata est: à Chaldæis tamen grauiorem cladem accepit, ut à quibus in exilium sit missa. Quam cladem Ieremias describit. 32. & 2. 48.

Ascendit domum.) In templum ascendisse, precatum Deos suos, ad implorandam ab eis opem. Dibon in ea regione sita est, quæ assignata Gadinæ tribui fuit, ut est apud Mosem in Numeris. In quo libro mentio fit Chamos Moabitarum Dei, cui sacratum in Dibone templum fuisse hic uates significat. Vocantur autem במות, id est excelsa, uel propter aras excelsiores, uel quòd essent in editioribus locis extructa. Sed quid pfuit Moabitis sua precatio, qua cum fletu suos Deos inuocarunt? Nihil profuit, ut qui adiuuare inuocantes se non possent: qui nimirum nec se defendere potuerint, quò minus in captiuitatem ducerentur. Sic enim Ieremias: Ibitq; Chamos in exilium cum sacerdotib. suis, & principibus. & idem propheta de uana Moabitarum in illum fiducia: Confundetur Moab à Chamos. Hæc est uanitas uani dei, & populi tales deos in- 32. 48.

uocantis. Contraria ratio fiduciæ in Deum Israelitarum est, de quo eius præsi-
Psalm.25. dium in rebus aduersis expertus Dauid sic canit: Non confundentur qui in te sperant. Idololatria igitur in caussa non postrema fuit, cur Moab tam grauiter sit punitus, qui à patrio Dei cultu quem à suo propagatore Lotho acceperat, defecisset. Vnde efficitur, ut mirum non sit mundi huius regna firma non esse, in quibus ueræ religioni & cœlestibus oraculis locus non sit, sed Satanæ per falsam religionem omnia corrumpenti. Sic Assyrium & Babylonium regnum, sic Persicum, sic Græcũ imperiũ periit, per uanos suos deos. Vt bestia quarta, Romanus dominatus, cladem acceperit tum, cum omnes gentium deos coleret, satis ex historijs liquidum est. Quem exitum Antichristus, archi- 10
tectus idololatriæ, habiturus sit, hæc nouissima tempora ostendent.

In cunctis capitibus eius caluitium.) Quòd luctus signum esset capite tonderi, & mento radi. Similiter Ieremias: Omne caput tonsum & mentum rasum erit. Prophetica hypotyposis, hoc est adumbratio est summi luctus, ex calamitatibus, quas bellum affert, nati.

In triuijs eius.) Amplificandi gratia distributionem adhibet, dum omnia luctu occupari dicit, plateas, tecta, uicos, urbes, inermes & armatos.

Accincti sunt sacco.) Qui antea in tanta opulentia splendide induti fuerant. Hieremias præter saccum, tonsum caput & rasum mentum, addit manuum sculpturas. Veluti mos fuit, in corpore tempore luctus incisuras fieri: ut ex 29
29. Leuitico patet.

Vsq; Iasa.) Vsq; ad terminos & fines regni, lugubrem clamorem auditum.

Expediti Moab.) Armatos quoque in luctu fore, de quibus Hieremias: Moabitarum militum animus, quasi animus parturientis fœminæ. Neq; opulentiam, neque munitas urbes, neque arma, neq; militum robur Moabitas iuuare, quo minus in luctu misere pereant, Domino exercituum illos deijciente. Sic enim Ieremias: Pauor & fouea & laqueus super te ô habitator Moab, dicit Dominus: quo defendente, nullus hostis noceat: & quo opem subtrahente, nulla præsidia humana prosint. Hæc credere, & in stratagematis aduersus aduersarias potestates experiri, luminis gratiæ diuinæ opus est, non 30
naturæ.

Cor meum ad Moab clamabit.) μιμητικῶς accipitur. Quemq; Moabitarũ propter calamitatem Moabitidis ululaturum. Sunt qui prophetam Iesaiam hic ex dolentis affectu loqui uolunt, misertum calamitates Moabitarum: ut ostendatur, aliter sacros prophetas in populo Dei, aliter profanos in profanis gentibus comparatos esse: alteros perniciem populorum quos Deus creauit, non cupere: alteros electæ gentis Israeliticæ exitium cupere, ut exemplo est Bileamus propheta. In hac sententia nonnulli Hebræi & nostri interpretes sunt, quòd alteri referant ingenium Dei sui, cuius spiritu afflantur, qui natura ad 40
miserescendum propensus sit: alteri satanam imitẽtur, spirantem humani generis exitium & interitum, ut qui homicida fuerit ab initio. At prior sententia simplicior est, cum Iesaiam uerisimile non sit dolorem suũ de clade Moabitarum uoluisse significare, qui diuinam iram in gentem istam accensam, notam
42. teneret. de qua his uerbis Hieremias: Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Est quidem Deus natura bonus, sed qui etiam natura non minus iustus sit. Hanc iusticiam diuinam imitantes sancti homines, interdum cum Dauide diras in hunc modum imprecantur impijs: Erubescant & conturbentur perpetuò, & confundantur & pereant, ut cognoscant quia nomen tibi Iehoua, & tu solus altissimus in omni terra. 50

Vectes eius usque Segor.) Hebræus indicat, Moabitas profugos usque Zoar per-

peruenire. Zoar Sodomitarum urbem esse, uicinam Moabitis, ex Genesi patet. etsi sunt qui Moabitarum urbem esse uolunt.

Et in uia Horonaim.) Fit mentio in sacris literis Horonaim, sitæ in sacra terra: quam duplicem ponunt, superiorem & inferiorem, quam Moabitę spectarint. Alijs, urbis Moabitidis nomen est.

Clamorem contritionis.) De hac contritione Hieremias: Quoniam contriui Moab sicut uas, quod nemo expetat, dicit Dominus.

Vitulum consternantem.) Scita similitudine Moabitidem uitulæ trimæ, pinguí ac lasciuæ, comparat: Moabitas ob opulentiam, tranquillitatem & rerum omnium copiam ritu uitulæ lasciuire. de quibus Hieremias: Tranquillus ac fœlix fuit Moab à pueritia sua, & requiescens in fecibus suis: non est ex alio uase transfusus in aliud, nec abiuit in exilium. Sed cum tanta felicitate frueretur Moab, quid ei accidit? Sequitur:

Aquæ enim Nimrim.) Figurato sermone significatur summa Moabitarum deuastatio. Vt nimia siccitate omnia exarescant sata, gramina, herbæ, frutices, stirpes, arbores: ita hostili ui & incursione, omnia miserè disperdi.

Secundum magnitudinem operis.) Causæ doloris explicantur, quòd ipsorum copias & opes magna cura & labore partas, easq; cūctas, hostes diripiant: direptas ad salicum fluuium deportent, quas inter se diuidant. Hoc Moabitis dolorem attulisse. Voce מסרתם diuitiæ & opes significātur, à reponendi & conseruandi studio ac cura. Vera igitur sententia illa est, Qui auget diuitias, auget curas. Rectè ergo illa apud Tragicum dicit:

μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος,
μηδ' ὄλβος, ὅστις τὴν ἐμὴν κνίζοι φρένα.

Hæc igitur mala afferunt diuitiæ, ipsas auarè parantibus. primò eorum animos curis molestijsq; replent: deinde insolescentes & arrogantes reddunt, ut mox de Moabitis clarum erit: postremò tempore ultionis diuinæ non solùm non prosunt, sed obsunt etiam, ob eas hostibus diuitum uitæ insidiantibus. ut hic exemplo sunt Moabitæ. Itaque sapienter Salomon in Prouerbijs: Non proderunt diuitiæ in die ultionis. & alio loco: Qui festinat ditari, superueniet ei egestas. Itaque in cæteris causis cur tanta calamitate affectus sit Moab, etiam ponitur fiducia, quam is in opibus suis habuit. Similiter, ut suprà quoque citatum est, Hieremias: Quoniam habuisti in thesauris tuis fiducia, ideo tu quoque capieris. Sunt qui in hunc modum Hebræum uersum interpretantur: A' Moabitis copias & facultates sub rumorem hostilis incursionis in certum locum sepositas, quæ finito bello uictum suppeditarent. Prior interpretatio receptior est, & hostilem cladem magis explicat. *Prouer. 11. 28.*

Quoniam aquæ Dimnon.) Amplificatur per superlationem calamitas Moabitarum, ab eorum horribili cæde, quorum ab hoste interfectorum sanguine Dimnonis aquæ repletæ sint. Qui crudelitatem in alios exercuerūt, ipsi quoque crudeliter tractati sunt ab hoste suo. Crudelitatis autem morbo ut laborarint Moabitæ, ostendit Amos uates his uerbis: Super tribus sceleribus Moab, & quatuor, non conuertam eum, eo quòd incenderit ossa regis Idumææ. hoc est, ueniam noxæ non dabo, qui tot criminibus admissis, etiam crudelitatem in mortui ossa declararit. Si unum & alterum scelus fecisset, ad id conniuerem: sed cum tria & quatuor fecerit, hoc est, mensuram scelerum impleuerit, eum non retraham, ab ira uidelicet mea: hoc est, ei non placabor, sed de delictis eius pœnam expetam. Tria porrò ex suis partib. senarium notæ perfectionis conflant: si uidelicet numeres, unum, duo, tria. & in quaternario ipso, qui hic memoratur, denarius comprehenditur, summā numerorum continens. Nam unum, duo, tria, quatuor denarium, summam numero- *Amos 1.*

rum continentem, conficiunt. unde quoq; Tetragrammati יהוה dignitas ponderatur. Exprobrat Amos Moabitis, qui in mortuos sæuierint. Quàm crudele hoc sit, intellexit etiam natura duce Græcus uates:

κ'αλιῶνο νίκητται μὴ ὑβρίζωθαι νεκρούς.

Ponam enim super Dimon additamenta.) Incrementa luctus & calamitatem ad Dimonem se adiecturum. Ipsi crimina auxerunt, ego contrà augebo eis mala & cladem, pro lege iustitiæ meæ, rependentis cuiq; pro factis suis.

His qui fugerint de Moab.) Neq; eos qui euaserint de manibus hostium, tutos fore, quos immissæ feræ sint dilaniaturæ. Indicatur hac loquendi figura, Moabitas primò ab Assyrijs uexatos, deinde grauius à Chaldæis duce Nabuchodonosore infestatos, qui leoni comparatur, ut est apud Ieremiam: Ascendit leo de cubili suo.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Mitte agnum.) Cohærent quæ sequuntur ad superiora, quæ nobis miserum Moabitarum casum exposuerunt. Hebræus igitur sermo illudens Moabitis, sic habet: Tu qui primò Dauidi, deinde regi Israel Achabo tributarios agnos pendisti, & uiolata fide utriscq; sequenti tempore pendere negasti, iam ab hoste deiectus, mitte scilicet Ezechiæ, diuina ope ab Assyrio tyranno liberato. At non mittes, ut maximè uelles. Nam quasi uagæ uolucres è nido emissæ, uos Moabitæ eritis ad uada Arnonis fluuij.

De petra deserti.) Regia urbs fuit, de cuius situ in hunc modũ Strabo lib. decimo sexto: Nabathęorum metropolis est ea quę Petra dicitur, ea in loco alioquin æquo & plano iacet, in circuitu uerò rupibus & præcipitijs murato, introrsum fontes & ad hortos & aquationem uberrimos habente: extra circuitum, regio magna ex parte deserta est, præsertim Iudæam uersus. Hinc Hierichuntem breuissimum iter est, trium aut quatuor dierum. Christi IESV Domini nostri tempore, Aretam potentem Arabiæ Petræ regem habuit, de quo apud Iosephum uideris.

Filiæ Moab.) Figuratè de uillis, uicis & urbib. propagatis à Moabo filio Lothi: ut solet à primo parente familia nata in suos uicos, uillas, & ciuitates crescere.

In transcensu Arnon.) Notatur exilium, ad quod significandum Hieremias alas affingit Moabitis: quibus freti, ex dirutis urbibus instar auium auolent. Date 48. pennas Moabitæ, ut uolans egrediatur. Nam eius urbes in tantam redigentur solitudinem, ut nemo in eis habitaturus sit.

Ini consilium.) Sed nimis serum, qui sub ineuitabili consilio Dei misere impleta mensura improbitatis sis periturus. Contra quod Dei decretum & consiliũ, omnia humana consilia & præsidia frustra tentantur. Ironia igitur luditur in Moabitas, sale condito oracului.

Coge consilium.) Consilij ratio, qua caueatur calamitas, exponitur: hanc in eo consistere, ut ex æquo & iure iudicetur, sontibus punitis, & insontibus defensis, atq; afflictis & profugis hospitio amanter exceptis. Hoc consilium cõmendat Moabitis uates, per ironiam exprobrans eis prætermissa iudicia, & neglectum hospitalitatis ius. Quare uates hac exprobratione ostẽdit, optimum reip. statum iuris & æqui studio atq; clementiæ in afflictos declaratione conseruari, atq; ea neglecta perdi. Itaq; dicitur à ueterib. tribus reb. mundũ ne collabaſ firmari, legis diuinę cognitione, uero Dei cultu, & benemerendi de altero studio. Sic enim aiunt, על שלשה דברים העולם עומד על התורה ועל העבודה ועל גמילות חסדים.

Pone quasi umbram tuam.) Figuratè de protectionis umbra accipitur, qua ad se profugientes Israelitas consanguineos in afflictionum æstu protegant. Illu-

dendo

dendo significat Israelitis negatũ ius hospitalitatis, cum ab Assyrijs infestarentur: & non solum clementer eos non exceptos, sed etiam irrisos & hosti proditos. Vt etiam inhumanitatem eis obijcit Hieremias: Fuit tibi ludibrio Israel, quasi inter fures deprehensus. Ideo Dominus apud Sophoniam Moabitis & Ammonitis his uerbis exitium minatur: Propterea uiuo ego Dominus exercituum, Deus Israel: Moab similis erit Sodomæ, & Ammonitæ Gomorræ. *Sophon. 2.*

Et uagos ne prodas.) Quod grauius crimen est, quàm non abscondere. Alterum enim negantis beneficium crimen est: Alterum, prodentis eum quem per simulationem præ te tuleras defendendum, quod perfidi est.

A facie uastatoris.) Assyrij, qui nuper Samariam deuastauit, & iam imminet Sioni. At non obtinebit sacrum Sionem montem, quem deuastet, ut cætera regna deuastauit. Sed te, qui gentem meam temporibus calamitatis malè tractasti, deuastabit, Sione redẽpta, ut in qua pius rex Ezechias uastatore dispердito regnet, ius regium fideliter exequens: cõtrà quàm tu facis, in cuius regno non æquitas, sed tyrannis locum habeat.

Habitabunt apud te profugi mei.) Quos si quis benignè recipiat, me receperit, ut meo sacro fœdere insignitos: quo neglecto, si quis illos læserit, pupillam oculi mei, ut est apud Zachariam, læserit. Indicatur hic, Israelitas etiam profugos in exilio propter uitia sua uagãtes, Dei cura teneri, qui eos suos profugos uocet: & ob negatum hospitium, & hospitalitatis ius uiolatum, inhospitales se uelle euertere, ut Sodomam & Gomorram euertit, & Aegyptum tot cladibus affecit ob malè tractatos hospites Israelitas. Beniamitæ quanta calamitate affecti sint ob læsum hospitalitatis ius in Leuita peregrino, ex Iudicum libro manifestum est. Et ut inhospitalitas displicet Deo, & eius ius uiolantes impunè non habent: ita hospitalitas Deo placet, præmijs ab eo ornanda. ueluti infrà apud uatem nostrum legimus: Si uagos introduxeris in domum tuam, tunc erumpet quasi mane lumen tuum. Abrahamus hospitalitatis studio insciens angelos excepit hospitio: & Dominum ipsum dicimur accipere hospitio, cum peregrinos accipimus. Sic enim is commendator iuris hospitalitatis ait: Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratribus minimis, mihi fecistis. De præmio idem, quo hospitales exornandi sint: Hospes eram, & collegistis me. Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Vidua illa cum benignè Elisæum hospitem tractasset, filij è morte reuocati ad uitam mercedem tulit. Eodem beneficio Lazari uitæ restituti Martha affecta est, ut Messiam Dominum nostrum hospitali gratia prosequuta fuisset. Quare ita naturæ iure doctus Græcus uates, Iehoua ξένιον, id est hospitalem uocat: & hospites ab eo, præsertim pauperes, mitti dicit, quos clementer foueamus. *Zach. 2.* *Iudicum 20.* *Genes. 18.* *Matth. 25.*

Finitus enim est puluis.) In Hebræa uoce non puluis, sed emungens & exugens uis notatur. Tribus grauibus uerbis tyrannus notatur, uastatoris, emunctoris, & cõculcatoris, cõtraria regis fideliter regnãtis ratio est. Qualis rex Ezechias describitur, & sub typo illius Messias benedictus: & sub imagine uastatoris, emũctoris, & cõculcatoris Assyrij, Antichristus bestia omnia uastãs describit.

Et præparabitur in misericordia.) Bonitate, non immanitate & tyrannide, ut tyrannorum regnum paratur.

Et ueritate.) Fideliter regnaturum. de Ezechia ut regnarit, ex libris de historia Regum & Paralipomenis patet. Fideliter autem regnum administrant, qui non spectant sua commoda, sed ea quæ ad amplificandum nomen Dei pertinent, & è re eorum sunt qui imperio parent. Tale solium firmum fore, indicat Salomon his uerbis: Bonitas & fides seruant regem, & nititur bonitate soliũ eius. ubi Salomon duo hæc uerba quæ hic ponuntur, חסד ואמת, coniungit, ostendens regna clementia & fide niti atq; sulciri. *Prouerb. 20.*

In tabernaculo Dauid.) Hierosolyma & Sion: ut Dauidis Messiæ cœlestis Hierosolyma & Sion tabernaculum est, in quo habitet, & regio sceptro regnet.

Iudicans & quærens iudicium.) Pro regia functione, quę in iudicando & iure dicēdo uersatur, ut repēdatur cuiq; pro merito, & ut quisq; ex æquo & legibus ius
23. suum obtineat. De nostro Ezechia Messia Ieremias: Et suscitabit Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiēs erit, facietq; iudicium & iusticiam in terra. is rex Messias benedictus est.

Et uelociter reddens.) In tempore ius persequens, ut qui neq; personæ habeat rationem, neq; muneribus corrumpatur, ut præter ius quicquam agat, neq; in dicenda sententia sit procrastinator. Igitur boni regis munus sic describitur: Si eius solium clementia & fide compositum sit: si in solio ipse sedeat, hoc est regni curam gerat: non id ipse delicijs, ocio, conuiuijs, libidini, aleæ & uenationibus uacans, auaris & ambitiosis hominibus administrandum relinquat. Demum, si iusticiam & fidem colat, atq; ius suis in tempore exequatur, personæ nullam rationem in iudicando ducēs. Talis rex si quis inuenietur, is uerum simulachrū
Apocal. 19. eius regis erit, qui in fœmore suo scriptum tenet: Rex regum, & Dominus dominantium.

Audiuimus superbiam Moab.) Explicantur caussæ calamitatum Moabitarum, superbia & arrogantia, qua Deum & populum eius ludibrio habuerint. Hanc superbiam & fastū in Moabitis conflarunt opes, agri ubertas, diuturna tranquillitas & pax, materia grauium uitiorum. Auxit item gentis istius arrogantiam falsa de sapientia, probitate, & fortitudine opinio, per quam præ cultu Dei sui Chamos, Israelitarum religionem & Deum illorum insolenter deriserunt. Sic enim Hieremias: Et aduersus Dominum gloriatus est. Et de Israelitis, ut fuerint contemptui Moabitis, idem ille: Fuit ludibrio tibi Israel. Et Sopho-
Sophon. 2. nias: Audiui opprobrium Moabitarum, quo populum meum affecerunt. Vt de fortitudine sua gloriati sint, comprobat illud: Quomodo dicitis, fortes sumus. ut demum superbi suas opes & diuitias ostentarint, ex eodem uate Hieremia patet. Quos Moabitas sapientia, iusticia carnis, opibus & potentia huius mundi atq; sui Dei Chamos falsa religione, in mundo superbientes, Moabitæ adumbrarint, superbum Antichristi regnum documento est: in quo occurrūt sæui illi Moabitæ, qui secundum promissionem Israelitas pane uerbi spoliant, a quis doctrinę cœlestis ex Aegypto Satanæ regno egressos priuant: atq; contra eos Biliamos, falsos uates, qui eos ad scortādum cum nobili Madianitide, scorto hodie non ignoto, sollicitant: quiq; non solum filios Dei hospitio non accipiunt, & nudos non uestiunt, sed etiam eos ex rerum natura quantum in ipsis est, delere, atq; uestę Messia spoliare studeant. Intueamur nostra secula & superiora.

Plus quàm fortitudo eius.) Superbiorē quàm fortiorem eum esse. Superbit Moab sua sapientia: sed fallitur opinione uanæ sapientiæ, per quam pereat, non seruetur. insolescit fortitudine sua: at neq; hæc tuetur illum tempore rerum aduersarum, quo minus collabatur. effert ei animum cultus quo Deum suum Chamos colit: at superbior & insolētior est quàm probior, quem sua ficta probitas cum Deo suo perdet. opum & locorum munitorum fiducia inflatur: atqui etiā hac ostentatione decipitur, quem suæ munitiones & diuitię minimè tueantur. Atque hoc ipsum est quod hic legitur, Moabitam superbiorem esse quàm pro earum rerum de quibus gloriatur facultate. Quàm latè pateat hæc reprehensio, reuocata hypothesi ad thesim, declarat casus regnorum mundi, & in his ruina regni filij perditi, quæ ei ob superbiam intentatur à nostro superborum uindice Messia, hic sub typo Ezechiæ descripto.

Iccirco ululabit.) Eius rebus prosperis in res aduersas, & lætitia in luctum conuersa, & fastu eius in puluerem depresso,

Ad

Ad Moab.) propter Moabitas interfectos. Eos qui claudi, mutili & saucij remanserint ex hostili clade, lamentationem edituros ad fundamenta Cyrharesæ urbis ab hostibus uastatæ. Adumbratio ac pictura eorum adhibetur, qui è domibus pulsi grassantium hostium tempore, postea confecto bello cum reuersi præter fundamenta nihil inueniunt, miserum suum & suorum casum ad rudera deplangunt. Itaq; hęc & sequentia illustri hypotyposi pinguntur, ut uideantur geri, non legi. Quam picturam diuinus orator amplificandæ cladis gratia adhibet. Nostro interpreti קיר חרשת coctilis murus est: alijs, Moabitarum urbs.

Loquimini.) In Hebræo uerbo luctus notatur, quem grauiũ casuum meditatio efficit, qui in pectore meditabundis editur, similis gementibus columbis. de quo luctu infrà capite XXXVIII.

Quoniam suburbana Ezebon.) Hostem pariter cum urbibus segetes & uineas uastaturum. Vnde cognoscitur, quàm latè pateat maledictio illa quam Moses rebellibus Israelitis intentat: Fructum terrę tuæ, omnes labores tuos populus comedet, quem tu ignoras: uineam conseres & fodies, & non bibes uinum eius. Hæc pœna lege talionis irrogatur. Par enim est, ut immemores & ingrati erga Deum, fructus suos ab hostibus diripi cernant, qui malint ad dehonestandum nomen diuinum illis abuti per luxum, quàm ad honestandum illud per temperantiam rectè frui. Hæc debent nobis exemplo esse his nouissimis temporibus, quæ luxu, libidine & crapula infamia sunt Paria enim scelera, paribus supplicijs puniri æquum est. Duo autem remedia in sacris literis proponuntur, quæ tanta mala, ne accidant, abarceant. Alterum, uerus Dei cultus est, quo ipsum fide & amore in filio Messia colamus. Alterum, studium merendi de altero est: quod studium promissionem benedictionis præsentis & futuræ uitæ habet. De præsenti uita, sed non sine adumbratione futuræ, legimus apud Mosem: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. *Deut. 28.* De futura uita, Dominus noster apud Euangelistam: Esuriui, &c. Itaque benefacta non solum testimonium dant, de fidei spiritu in nobis uersante, sed etiam salutaria sunt ad cœlestis gloriæ præmia comparanda: non quidem meriti ratione, sed promissionis diuinæ & spiritus illa edentis gratia. Nemo porrò arborum fructus solum laudarit, quòd testificantur de illarum generosa indole: sed quòd utentibus uel ad uescendum, uel medicandum, usui sint. *Matth. 24.*

Vinea Sabama.) Hæsebonem & Sabamam, & quasdam alias hic memoratas urbes, tribui Rubenensi legimus à Iosua assignatas, & hic à Moabitis possessas. Quod quomodo contigerit, miretur fortasse aliquis. Apparet, tempore illo quo Assyrij prima expeditione Rubenensem & Gadinam tribum in exilium abduxerunt, à Moabitis urbes illas per occasionem receptas: quas antea non à Moabitis, sed à Seone rege occupatas, Moses Rubeni legitur assignasse. Nam mandarat Dominus Mosę, ne Moabitarum & Ammonitarum, sed Amorræorum regnum inuaderet.

Dominus gentium.) reges Assyriorum & Chaldæorum. De Nabuchodonosore Chaldæorum rege sic scribit Iosephus: Quinto anno captiuitatis Hierosolymorum, qui est tertius & uicesimus regni Nabuchodonosoris annus, castrametatus est in inferiori Syria: eam que detinens, expugnauit Moabitas & Ammonitas. At quæ antea calamitas illis acciderit, ab Assyrijs, mox indicabitur.

Flagella eius.) Hebræa uox de meliore uitium genere accipitur. Figuratè uidetur Moabitarum, quos uineæ comparat, clades significare. Nobiles eius gẽtis, cõparatos generosis uitibus, conculcatos: reliquos uerò, hoc est plebeios, palmitibus collatos, in solitudinem se recepisse, in quibus tantisper aberrarint, dũ

mare

mare transeundi copia fieret. Similiter Paraphrastes: Direptus est exercitus Hesbon, interfectus est cœtus Sabamensis, reges gentium occiderunt proceres Iaazer, profecti errauerunt in deserto, migrantes transierunt mare.

Propterea flebo.) Colorat planctum prosopopœia, qua inducit Moabitidem lugentem suarum urbium calamitatem.

Inebriabo te lachrymis meis.) Superlatione amplificat luctum.

Vox calcantium.) In הידד notatur hortatorius clamor. & hic hostium hortamentum est, quo se inuicem ad cædem & prædam accelerandã hortantur. Græcè κέλευμα est.

Et auferetur lætitia.) Contentione amplificat plangorẽ. Hostes lætitia gestire, Moabitas lugere.

De Carmelo.) ex agro culto. Solet tempore messis & uindemiæ lætitia excitari: de qua illud בשמחה בקציר.

Super hoc uenter meus.) Eleganti similitudine figurat triste oraculum. Pectus lugentium Moabitarum stridere citharæ modo, quæ sonum intus conceptum ex fidium pulsu foras edit.

Super excelsis suis.) Quem hactenus fortitudine munitionibus & opibus desertum indicauit, iam eum etiam diuino præsidio destitutum monet, quem Deus suus Chamos seruare non potuerit. Vnde declarat propheta, in unius Dei Israelitarũ fide & spe salutem cõsistere: illo rege arbitro & pacificatore, qui paulo antè sub typo Ezechiæ descriptus est. Hebræi uerbi duplex interpretatio affertur. Vna est: Cum uiderit Moab suas res laborare, ascendet ad excelsa, & in sanctuarium suum ingredietur orandi causa, sed nihil poterit: hoc est, frustra orabit, ope à uano Deo nõ impetrata. Itaq; Ieremias: Periit populus Chamos. Altera interpretatio est: Nimium fatigatus flendo in templo Dei sui, precari non ualebit. Sic Paraphrastes, & nonnulli alij.

Ad sanctuaria sua.) Tribuit uates suum מקדש, hoc est sanctuarium, Moabitis: per antiphrasin, illudendi gratia.

Hoc uerbum quod loquutus est ad Moab extunc.) Iam olim hãc calamitatem significatam Moabitis à Domino. Sed quo tempore? Ab æterno, si decretum diuinæ præscientiæ spectes: sin explicationem decreti & sententiæ diuinę, eam in tempore certo prophetis factam cognoscimus. Explicationis autem illius duplex tempus occurrit: unum, quo tempore Balachi regis Moabitarũ sententia Dei de puniendis Moabitis per Bileamum augurem exposita est, de quo uideris in Numeris: alterum hic se offert, quo per prophetam Iesaiam Deus certum tempus quo sint uexandi Moabitæ, definit. de quo sequitur:

Et nunc locutus est Dominus.) Per me Iesaiam patefacto tempore de uastanda Moabitide, quod antea in tabulis decretorum Dei latuit. Vnde intelligimus, in diuina mente suum cuiq; tempus, quo oriatur, conseruetur & occidat, destinatum esse. Quod naturæ luce prælucente non ignorauit Græcus uates, ubi cœli, ex quo decreta Dei de rebus in terra perficiendis proficiscuntur, portas horis custodiri dicit:

Iliad. 8. αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον Ὧραι.

Et nunc ijs Dei alas quoq; affingit: ἦιεν δ' ὄτρυνε χρυσόπτερον ἀγγελίωνε.

In tribus annis quasi annis mercenarij.) Apparet hos annos supputandos esse à cœpta oppugnatione Samariæ, qua post triennium capta, cœperit Assyrius Moabitas anno sexto Ezechiæ infestare: ueluti in quarto Regum lib. proditum literis est. Atq; hos tres annos significari à uate: quos uocat annos mercenariorum. Etenim ut ad condictum tempus mercenarij operam suam locant, sic præscriptum tempus affligendę Moabitidi esse, tempus inquam trium annorum. Qui tres anni, interpretum sententia, non ad Nabuchodonosoris, sed ad Assyrij Salmanaseris & Ezechiæ tempora referuntur.

Assy-

Auferetur gloria Moab.) Gloriam opum, potentiæ, sapientiæ & fortitudinis humanæ, falsæq; religionis, in ignominiam conuersum iri. Contraria ratio sanctorum Israelitarum est, quorum ignominia crucis conuertitur in gloriam, mors in uitam, luctus in æternum gaudium, infernus in cœlum, per eum qui Dominus mortis & uitæ, inferni & cœli, salutarem hunc transitum, quem ipse prior cõfecit, nobis aperuit, ut est apud Micheã: Ascendit enim, pãdens iter ante eos. *Mich. 2.*

Et relinquetur paruus & modicus.) Ex tam ingenti multitudine exiguas reliquias remansuras de manu Assyrij. Itaq; hic indicat propheta, Israelitarum & Moabitarum suas esse reliquias, de potestate Assyrij hostis liberandas. Reducto typo, mysticæ liberationis occurrunt reliquiæ, quæ temporibus Messiæ per Euangelium ab Apostolis denunciatum, ex Israelitis & gentibus liberatæ sunt, iam tum spirituali Assyrio Antichristo moliente suam tyrannidem. Meminit autem Moabitarum, propter cognationem qua Israelitas attingebant, ut electi ex gentibus, propinquitate quæ in gratia electionis cernitur, Israelitas, quorum nomina signata sunt in cœlo, attingunt. Et ut hic reliquiarum de Assyriorum ui & tyrannide seruandarum meminit, ita apud Hieremiam diuinus spiritus monet, Moabitas à Nabuchodonosore in exilium abactos, ab exilio uindicandos. Si typum spectes, apparet, soluta captiuitate Iudæorum Babylonica, exilium etiam Moabitarum solutum fuisse: sint rem ipsam figura adumbratam, occurrũt nouissima tẽpora patefactionis Euãgelij, quorũ initia iam habemus, in quib. Moabitæ, hoc est gentes, & Israelitæ à tyrãnide spiritualis Babylonis, quæ regnũ filij perditi est, per Messiã Iudæorũ & gentiũ seruatorẽ liberabant. Ad hoc mysteriũ præsignificandũ proculdubiè diuina prouidẽtia accidit, ut ex filiabus Lothi, hoc est ex stirpe Moabitarũ & Ammonitarũ, Messias natus sit, gentiũ & Israelitarũ futurus seruator. constat enim, Dauidẽ ex Rutha Moabiti de, & Roboã filium ex Naemane Ammonitide, & inde regẽ Messiam cœli & terræ imperatorem & uniuersitatis huius instauratorem genitum.

IN CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

ONVS *Damasci.*) Babylone, Palestinis, & Moabitis perstrictis, ad Damascum minax oraculum conuertit. Damascus autem Syriæ urbs, ab antiquitate, situ, amœnitate, bonitate agri, negociatione celebris fuit. Antiquitatem eius ostendunt Abrahami tempora, cuius seruus Eleazar Damascenus fuit. Et Iosephus primo libro Antiquitatum Iudaicarum tradit, ab Hur nepote Sem, filio Aram, Damascum conditam. Quanta sit amœnitate huius urbis situs, nobile flumen Chrysorrhoas, quo irrigua Damascus est, & uicini Libani, & ager ab ubertate laudatus, documento sunt. Negociatione claram fuisse Damascũ, indicat Ezechiel capite XXVII. Accedit ad splendorem eius, quòd regia urbs fuit, ut ex quarto libro Regum liquet. Hinc accidit, ut Damascum propheta Hieremias ciuitatem תהלה, hoc est laudatam: & משוש, id est gaudium uocet, quę plena iucunditate esset. Ea etiam nunc clara est: sed clarior fuit temporibus Apostolorum, propter Euangelij lumen, quo Apostolus illuminatus in hac urbe, Christum ad orbis terrarum salutem amplexus est. *Damascus.* *Actor. 9.*

Ecce Damascus desinet esse ciuitas.) Per Assyrium tyrannum, quem legimus in libris Regum Damascum cœpisse, & eius ciues Cyrenem deportasse, rege Razine interfecto. Atq; id quoniam accidit regnante Achaz, ut ex eadem narratione patet, efficitur ut Achazo in Iudæa, non Ezechia regnante, hoc in Damascum oraculum à Iesaia editum intelligatur. Sic enim legitur de Achaz: Vt Damascus ab Assyrijs fuit deuastata, uenit Achaz obuiam Teglatphasari Assyriæ regi Damascum. *4. Reg. 16.*

Et erit aceruus ruinæ.) Periphrasis uastitatis.

Derelictæ ciuitates Aroer.) Sunt quibus Aroer Syriæ urbs est, quæ mul-

tas subiectas tenuerit ciuitates: aut ditio est aliquot urbib. frequẽtata. Sunt alij, qui Aroer quæ hic prædicit uastãda, dicunt fuisse illã Aroer, quæ in Numeris à Mose Rubenensi tribui legitur assignata. Hanc uastatam ab Assyrijs, cum Rubenensem tribum abducerent in captiuitatem, atq; deinde à uicinis Moabitis occupatam. Nam à Iesaia pariter Damasci & decem tribuum calamitatem in hoc oracuło denunciari constat.

Gregibus erunt.) Alia uastitatis periphrasis. Vbi antea homines uixerunt ciuili societate cõiuncti, iam greges illa loca occupaturos in pascuorũ usum, ita securè cubantes, ut nemo deterreat. Qua pictura prophetica insignis solitudo depingitur, in qua omnia tam tuta sint futura à prædatore, ut insidiator metuendus non sit.

Et cessabit præsidium ab Ephraim.) Vno oraculo Damasco & Ephraim exitium suum prænunciat, quòd hæc duo regna contra Dauidis regnum conspirarint. Coniunxerat enim se Syriæ rex Razin cum Phaca rege Israel Romeliæ filio, ad Hierosolymam regiam Dauidis ciuitatem excindendam: qua crudelitate duorum regum commotus Deus, duo hæc regna euertit, seruata sacra urbe Hierosolyma, ut electorum Ecclesia omnibus temporibus intelligeret se in Messia seruatore diligi, & à sæuis hostibus defendi. Horum quidam interni, quidam externi sunt: ut mysticæ Hierosolymæ alij externi, alij interiores fuerunt, in his Syris, in illis Israelitis numeratis. Interni Ecclesiæ hostes satis clarè in Antichristi regno ostenduntur. sub communis religionis specie exitium cœlesti Hierosolymæ Ecclesiæ, fide Deum patrem in filio Messia adoranti, machinantes: in externis mũdus, & princeps mundi satan censetur, capitalis iam inde ab initio ppagationis generis humani, Messiæ & electorũ membrorũ illius hostis. Gratias igitur agat Hierosolyma Ecclesia, cuius rex Dauid IESVS CHRISTVS est, quòd hic legitur: Cessabit præsidium ab Ephraim, & regnum à Damasco. hoc est, neq; decem tribus Samaria arce regni diruta, neq; Damascus miserè uastata florebit, inclyta Hierosolyma conseruata ab eo de quo Zacharias: Zelo magno prosequor Hierosolymam & Sionem. Qui est zelus, quo Messias ardet ad sponsam suam Ecclesiam conseruandam. *Zach. 8.* Cæterùm præter caussam iam explicatam, alteram, cur tantoperè Dominus irascatur Damasco, Amos propheta exponit his uerbis: Ob tria quatuorq; peccata non conuertam eam: hoc est, scelerum ueniam ei non dabo. quòd Galaditas ferreis tribulis triuerit. Dicas, Azahelem excitatum à Deo, qui illos infestaret. Quòd infestauit, nõ displicuit Deo, cui bella, ut pœnæ & supplicia quibus sceleroſi puniantur, probari scimus. Sed animus & libido puniendi sæuius, in hostibus non probatur. Nam hi in puniendo non id spectant, ut ij quos castigant, in melius castigentur, sed ut pereant. Alia ratio castigandi Deo est, qui exitium eius quem ob delicta corrigit, non quærit, sed ut ad se rediens uiuat. Vnde quantus amor sit Dei, quo suos Israelitas complectitur, cognoscere licet, qui eorum hostes cum uiderit sæuiores esse quàm sua clementia ferat, disperdit. Legimus enim apud Zachariã, fateri Dominum se irasci gentibus quæ malum adiuuant: hoc est, crudelius puniunt quàm bonitas sua toleret. Exemplo est Damascus, exemplo Assyrij & Babylon, exemplo hostes Ecclesiæ. *Amos 1.*

Et reliquiæ Syriæ sicut gloria.) pariter utroq; regno, quamlibet splendido & amplo, euertendo, exiguis reliquijs remansuris: nõ sine mystica ratione in utriſq;, & Israelitis & Syris. Igitur sicut reliquiarum in Moabitis habetur ratio, sic hic Syrorum. Secus accidit Babyloni, quam funditus extirpatum iri cum nepotibus & pronepotibus, minatur uindex Dei ira. De Israelitarum reliquijs, in altero Paralipomenum libro sic scriptum est: Filij Israel reuertimini ad Dominum Deum Abrahã & Isaac & Israel, et reuertetur ad reliquias manus regis Assyriorũ. *30.*

Et erit in die illa.) quo Assyrius decem tribus infestabit.

Attenua-

Attenuabitur gloria Iacob.) Præcesſit, Sicut gloria filiorum Iſrael. Iam indicat hunc ſplendorem regium imminuendum, qui notatur in כבוד.

Pingues carnis eius.) potẽtes & diuites direptũ iri ab hoſtib. Similiter tropũ Paraphraſtes interpretat̃. De opib. & diuitijs Iſraelitarũ, uideris apud Amos cap. 6.

Et erit ſicut congregans.) Similia quædam affert, quibus calamitatem decem tribuum explicet: unam à meſſe, alteram à uindemia, poſtremam à decuſsione olearum. Accidet decem tribubus, quod in meſſe accidere ſolet, in qua ſeges demetitur, paucis ſpicis relictis: ſic à rege Aſſyriorum demetentur decem tribus, exiguis reliquijs remanentibus. In ſimilitudine igitur hac, meſſor Aſſyrius eſt: ſeges, Iſraelitica gens: ſpicę, paucę Iſraelitarum reliquiæ.

In ualle Rephaim.) De hac ualle uideris apud Ioſuam. 18.

Et relinquetur in eo ſicut racemus.) Altera ſimilitudo, qua comparat Aſſyriũ uindemiatori, uuas uindemiatiõe collectas Iſraelitis, paucos botros relictos reliquijs.

Et ſicut excuſsio oleæ.) Tertia ab oleis, quę ſtringuntur: in his duas aut tres baccas in ſummo arboris reſtare. Sic habere ſe oleam Iſraelitas ſub decuſſore Aſſyrio. In ſumma oleæ arbore baccæ relinquuntur, quas decuſſor ęgrè attingit. Alluditur figuratè ad Hieroſolymam in editiore terræ ſacræ parte ſitam, quam hoſtis Aſſyrius intactam reliquerit.

In die illa.) regnante Ezechia, ſi myſtica ſpectes. Sin, ſubmota imagine, rem ipſam & ueritatem figuratam, occurrunt tempora Meſsiæ, quo repræſentato in mundum, ut figura reliquiarum tempore Ezechiæ conſeruatarum impleta ſit, ſuprà aliquoties ex Apoſtolo indicatum eſt.

Inclinabitur homo.) nitetur ſpe & fide. Sic pro Hebræo uerbo וישען Paraphraſtes reddit וסמיך.

In factorem ſuum.) non rebus creatis. Paraphraſtes: Doctrina conditoris ſui nitetur. quam antea neglexerat, falſa de colendis dijs alienis recepta. Porrò tum fide & ſpe amplexamur Deũ, cùm eius doctrinã amplexamur, in qua ſe Deus ut colendus ſit patefacit. Hęc doctrina, ſi ueteris fœderis adminiſtrationẽ ſpectes, legis doctrina eſt, à Moſe tradita cum promiſsionib. de uenturo ſeruatore Meſsia: ſin noui fœderis tẽpora, Euangeliũ eſt, per Apoſtolos prædicatũ. quod olim promiſſum, & temporibus nouiſsimis exhibitũ, Meſsiam patefacit, cum diſpenſatione munerum ſpiritus adoptionis: cuius unius ui ad implendã legẽ Moſęam uerus Dei cultus reſtituitur, falſo ſublato per eum de quo ſequitur:

Et oculi eius.) Fidei cœlum ipſum penetrantes oculi, & intuentes eum ad dextram Dei patris in ſolio maieſtatis diuinę ſedentem, de quo ſequitur:

Sanctũ Iſraelẽ.) Meſsiã, quẽ ſpe pręſumptũ & uenturũ uiderũt ſancti temporib. ueteris fœderis: iam aũt pręſentatũ & manifeſtatũ, qui noui fœderis luce illuminãtur, cernũt. Cur aũt CHRISTVS ſanctus Iſraelis appelletur, id ſuprà indicatũ.

Ad altaria.) aliena, de quibus in libris Regum uideris. Sed ad diuinam aram, à Moſe iuſſam extrui, reſpiciet: quę, ſubmota umbra, Meſsias eſt, ſuper quã ſancti Iſraelitę ueterẽ hominẽ cũ ſuis cupiditatib. immolãt & mactãt, ut in nouo corã illo uiuant, induti ſanctitatẽ iuſticię & uitę eius, de quo hic: Et oculis ſpectabũt ſanctũ Iſraelis. qui ſanctitas, iuſticia & uita ſuorũ electorũ eſt. Super hãc item diuinam aram offerunt laudis & gratiarũ hoſtiam Deo patri, eum amplificantes pectore, ore & benefactis. De qua ſacra ara uideris in epiſtola ad Hebræos. 13. Propheta Ieſaias cõmendationem ueri cultus Dei tractat per contentionem: Conditorem ſuum colent & adorabunt, non opera manuum illius, angelos, diuos, aſtra, ſapientiam humanam, opes, potentiam mundi.

Et non reſpicient lucos.) contra Moſęam legem conſitos, de qua Deuteronomij XVI. & de conſitis lucis, in libro Regum III. cap. XIIII.

Et delubra.) Generatim ſignificanẽ idola, quę nõnulli à calore fornicationis ſic dicta putãt. In Hebręo enim legitur חמנים. Sunt alij qui interpretãtur pro ſimu

lachris ſolis. חמה in loco ſol eſt, ut legimus apud Iobũ: Niger inceſsi abſq; ſole. Fuit aũt idolũ Hãmonis, & eius templũ, clarũ in Africa. De hac uoce uideris in
26. Leuitico: in Paralipomenis, & Ezechiele, & infrà in noſtro propheta cap. 27.

In die illa.) Aſſyrio decem tribus in exilium abducente.

Erunt ciuitates fortitudines eius.) potentes & munitæ ciuitates.

Sicut aratra.) Aliud ſimile, quo cõparat Iſraelitas ſucciſę ſyluę, remanentib. paucis uirgultis & arbuſtis. Derelinquẽdas ciuitates ab Iſraelitis, ut olim Chananæi reliquerũt ſuas, graſſantib. in ipſos Iſraelitis. Chananęa eñ terra deleta iam olim eſt in myſticã hæreditatem Dei, quę pios non ſceleratos ferret. ideo ſequitur:

Quia oblita es Dei.) per defectionem ad Deos alienos diuini fœderis fide uiolata, & doctrina ſacra contempta, atq; per ingratitudinem deleta ex animo memoria beneficiorũ, quibus à Deo ornata eſt. Atq; hoc ipſum eſt, obliuiſci Deũ.

Saluatoris tui.) amplexa deos qui ſalutẽ tibi nullã afferentes, etiam exitio ſint. Amplificat propheta ſcelus ingrati populi: obijcit ei, quòd ſit oblitus nõ hominis, ſed Dei: neq; Dei qui leuiter benefecerit, ſed qui genuerit, qui genitos cõſeruarit, & à malis liberarit. Hoc crimẽ antea exprobrauerat propheta Moſes:
Deuter. 32. Deũ, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini conditoris tui. Sed longè grauiſsimũ crimen eſt, eius ſeruatoris obliuiſci, qui expiato peccato iuſticiã, deuicta morte ipſe mortuus uitã cõparauit: quiq; confractis inferni, quę ſubijt, portis, cœlum aperuit. Vt autem in aduerſarij regno eccleſiam ex ſuis Iſraelitis deſcriptam, obliuio beneficiorum ſeruatoris Meſsiæ cæperit, documẽto eſt idololatria, & multo fœdiſsimus doctrinę cœleſtis contemptus.

Et fortis adiutoris tui.) In צור petra notatur, ſignificata ea petra de qua Petra ipſa:
Matth. 16. Super hanc petrã ædificabo eccleſiam meam. Quæ petra IESVS CHRISTVS
1. Corinth. 10. eſt, ut patet ex illo: Petra autem erat Chriſtus. De qua etiam Moſes meminit in
32. Deuteronomio.

Propterea plantabis.) Sunt qui in hũc modũ prophetę uerba interpretant: Propterea accidit tibi calamitas hæc, q; ab initio cum Deũ uerè coleres, plãtaria amœna cõſeuiſti: iam uerò illius relicto cultu, peregrinas uites colis, aureorũ uitulorũ falſo cultu recepto. atq; tunc quę cõferebas, maturè creſcebant, & germinabant: nunc uerò poſteaq; cõſita aliena uite, defeciſti à Dño, aberit tibi meſsis in die hęreditatis: hoc eſt, eo tẽpore quo erãt quę plantaſti percipienda, eritq; do
5. lor moleſtus & acerbus. Hanc ſententiã cõfirmãt, quę ſuprà à propheta noſtro afferunt, de uinea bene ab initio culta, quę degenerãs nõ bonas uuas, ſed labruſcas tulerit. Aut in hunc modũ explicare uatis uerba licebit: Conſeres quidem in ſpeciẽ iucundã plantam, ſed alienã & degenerẽ: quam cum magno ſtudio curaueris creſcere, matureq; feceris germinare, aberit meſsis tum cum erit fructus percipiendus, & præter dolorem nihil percipies. Hac figurata locutione uates docet, eas ſtirpes ac plãtas germinare atq; ſucreſcere iuſtis incremẽtis, fructũq; bonũ ferre, quas Deus ſeuerit: hoc eſt, eam religionẽ firmã cõſiſtere, quam ipſe uerbo ſuo ſanxerit. Contrà uerò, oẽm curã & laborẽ perire, qui in alienis plantis cõſerendis ſumatur: hoc eſt, alienũ Dei cultũ humana ſapientia inſtitutũ collabi atq; labefieri, eiusq; cultores nullũ alium fructũ q; animi mala conſcientia uexati ęgritudinẽ & diros dolores percipere. Hanc interpretationẽ Dñs ipſe
Matth. 15. cõfirmat, ubi ait: Omnis plãta quã pater meus cœleſtis nõ plãtauit, extirpabit. Qualis eſt omnis paſtoris ſtulti, hoc eſt Antichriſti plantatio, quę hodie nobis noſtra ſalute patefit, & illius opprobrio corruit. Ex hac loquendi figura uatis noſtri diſcimus, quantũ interſit inter diuina plãtaria & humana. hoc eſt, inter religionẽ uerã & falſam, inter opera ſapiẽtiæ diuinę & humanę, ſiue ortũ & naturã, ſiue uſum & exitũ ſpectes. Vera religio à Deo originẽ habet, eius oraculis inſtituta: falſa, ab humana ſapiẽtia autore ſatana orit. Verę uſus in eo cernit, quòd fructũ hilaris cõſciẽtię Dei conſpectũ tolerãtis affert: mala aũt fructũ contrariũ

edit,

edit. Exitus alterius iustitia, uita & splendor cœlestis regni est: alterius, iniustitia, mors, & plenus horribili opprobrio interitus. Si exẽpla requiris, occurrũt ante diluuium, ecclesiæ à Cain & Seto propagatæ usq; ad Noah: post diluuium uerò, Sem & Cham ecclesiæ: nouissimis autem temporibus occurrunt Christi & Antichristi dissimiles cœtus. Alteræ igitur plantæ ad aquas diuinorum oraculorum consitæ, & cœlesti spiritu atq; luce fotę crescunt, tempore suo salutarem fructum, quem cum lætitia carpas, proferentes. Alteræ uerò, his aquis & fœtifico spiritu destitutæ, messe carent: atq; cum colligendus fructus est, pro eo dolor & ęgritudo metitur. Hęc similitudo etiã in libro Iobi perpẽditur: Num *Iob 8.*
10 crescet scirpus absq; uligine, aut crescet carex sine humore? adhuc in uirore suo etiãsi nõ carpatur, tamẽ ante cęteras omnes arescet arbores. Sic sunt omniũ eorũ qui obliuiscuntur Dei, uię, peritq; hyę ocritæ spes. Talibus plantis omnib. temporib. hortus quẽ satan colit, plenus est: plenus inquã hypocrisi, mẽdacijs, idololatria, contemptu oraculorũ Dei, malæ cõscientiæ doloribus. & afflictione.

Væ multitudini.) Aduersus Assyrium conuertitur prophetæ oraculum, qui decem tribubus in exilium abactis, Iudæam quoq; infestare, & regnum eius euertere uoluit. At cum hoc moliretur, ea mala passus est, quæ hic explicantur, & historia Regum copiose memorat.

Populorum multorum.) Amplificat uim & copias hostium, quò potentia diuina
20 Hierosolymis culta clarior, & sanctorum fides illustrior appareat, quæ rebus aduersis non secus atq; aurum igni probatur & perficitur. qua præditi, sentiunt & confitentur: Maior est in nobis, quàm qui in mundo.

Vt multitudo maris sonantis.) Amplificandi gratia, hostium multitudinem maris tumultuantis fluctibus, & murmuri aquarum uehementium comparat. Sed quis hos fluctus marinos & murmur procellosi maris sedabit? Sequitur:

Et increpabit eum.) pro imperio potentiæ suæ, immisso terrore resistit ei, eius furore represso. Sic in Psalmo: Increpasti gentes, & periit impius. Et apud Zachariam: Increpet Dominus te, qui elegit Hierusalem. hoc est, reprimat ac coerceat *Psal. 9.* *Zach. 3.* conatus tuos. De inanimis quoq; usurpatur, ut de mari rubro in Psalmo: Increpauit Dominus mare rubrum, & exiccatum est. Hæc increpatio, imperij diuini *Psal. 106.*
30 mare exiccantis uis fuit. Non aliter Assyrium, mari tumultuanti comparatum, increpatum à Domino hic legitur. Vnde cognoscimus, imperio & nutu Dei omnia in cœlo & in terra teneri. de quo illud: Qualis est hic, ut ei uenti & mare obediant? Is est Messias benedictus, qui potentiam aduersarij sui Antichristi *Matth. 8.* coercebit spiritu oris sui. ut olim cohibiti sunt fluctus maris rubri, & impetus Assyrij ante Hierosolymam instar procellosi maris cœlesti spiritu repressus est.

Fugiet procul.) perstat in allusione ad mare, de quo uates Dauid: Quid est tibi *Psal. 114.* mare quod fugisti? De turpi fuga Sennacheribi infrà fiet mentio.

Et rapietur quasi puluis.) Scita similitudine hostis fugam depingit. Fugiens simi-
40 lis erit stipulæ, quæ uento agitatur: aut globo, qui turbine rotatur. Hæc est consolatio sanctorum: hostes Messiæ & eius Ecclesię, stipulæ & flocco comparari, & Dominum uento dissipatori, qui uentus spiritus ille est, de quo suprà: Spiri- 11.
tu oris sui interficiet impium.

In tempore uespere.) De hac uespera in libro Regũ legimus, Vt angelus Domini *4. Reg. 19.* adortus castra Assyriorũ, sub noctem centũ octoginta quinq; millia occiderit.

Et ecce turbatio in matutino.) Veluti in loco historiæ Regum iam citato scriptum est: Mane cum surrectum est, uiderunt omnes mortuos. Nocte pereunt hostes Hierosolymæ. Hæc uerò circa matutinum se liberatam uidet, orta luce de qua Malachias: Vobis timentibus Dominum orietur sol iustitiæ. 5.

50 *Hæc pars eorum.*) Epiphonemate pleno consolatione concludit oraculũ. Quod contentione tractandum est: Hostium sortem interitum, esse Hierosolymæ ab illis uexatæ salutem.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

VAE *terræ cymbalo.*) Oraculo de interitu Assyrij hostis ante sacram ciuitatem Dei Hierosolymam interfecti exposito, ad Aethiopiam & uicinas gentes hortationem subiungit, ut legatos Hierosolymã mittant, ad contemplandam admirabilem uictoriam de potente Assyrio hoste relatam. Aethiopibus autem Aegyptij citra sinum Arabicum & Persicum habitantes, & ipsi Arabes maris rubri & Arabici sinus accolæ uicini erant. Nec uerò mirum sit, hic nominari Aethiopes, qui gratulentur Hierosolymæ cum uicinis gentibus de interitu Assyriorum. Nam in hist-
4.Reg.19. ria Regum legimus, Assyrium reuocatũ à Hierosolymis, cum audisset Tharacham Aethiopię regem aduersus se expeditionem facere. Et in eadem historia proditum est, ut regina Austri, cuius Saba metropolis Aethiopiæ regia ciuitas est, Salomonis fama excitata, cum magno comitatu & muneribus Hierosolymam uenerit. Et sequentibus temporibus, ex gente illa Hierosolyma, ut clara diuinis oraculis & religione ciuitas, usitari solita fuit: ut eunuchus ex Candaces Aethiopum reginæ aula Hierosolymam profectus, documento est: quem
8. Philippus (ut ex Actis patet) in professionem fidei, quam Euangelio Messiæ habebat, baptizauit. Hæc in oracculo expendens diuinus spiritus, hanc exhortationem in mysterio instituit, in qua צלצל non pro cymbalo usurpatur, quid enim cymbalum huc faceret? sed pro umbra redditur. Vocari autem Arabum & Aethiopum & Aegyptiorum regionem umbrosam alis uolunt, ob nauium & uelorum obumbrantium frequentiam: quæ id nauibus præstant, quod alæ auibus. Nam naues, ut earum uela uentis impulsa sunt, per maria quasi uolitãt. Similiter Paraphrastes: Et uela eorum extenta, sicut aquilarum uolitantium.

Qui mittit per mare legatos.) Significatur mare rubrum, Arabicus sinus, & fluuius Nilus.

Et in uasis papyri.) De scirpeis nauigijs uideris apud scriptores.

Ite ueloces nuncij.) Hortatio hæc indicat חוי in principio concionis huius positum, hortantis esse. Naues ueloces nuncios uocat. Sed quò mittendi sunt legati? Sequitur:

Ad gentem conuulsam.) ei gratulatum de extincto hoste Assyrio, & liberata Hierosolyma: & ut cognoscant quòd suprà legitur, Dominus fundauit Sion. Appellatur Iudæa gens, direpta & conuulsa gens. Si ecclesiam figuratam consideres, ut hæc à suis hostibus diripiatur, tempora spiritualis Assyrij declarant.

Ad populum terribilem.) qui horrorem & terrorem alijs, ob multiplices, quibus afficitur, calamitates afferat. Typus in mystico populo, res expressa in Ecclesia cernitur, quæ horribili sua conditione, qua utitur in hoc seculo, uere in Cantico
2. illo canticorum de se dicit: Nolite considerare quòd fusca sum, quia decoloravit me sol. formam nimirum tetram crucifixi mariti sui gerens, de qua infrà: Nõ est forma ei, neq; decor.

Ad gentem expectantem.) Metaphora à fabris mutuata, miserum gentis statum explicat. Hanc non secus dirutam ab hostibus, atq; ædificium, ad designatum amussi modum à fabro diruitur. Solent enim fabri amussi signare partes, quas
20. præcidant. Sic quoq; infrà קו usurpatur in קו התוה, & in libro quarto Regum: Extendam super Hierusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab. Quæ amussis nõ ædificatoria, sed destructoria, ut super Ecclesiam extendatur, tempora quibus satan per Assyrium Antichristum omnia in illa uastat, his nouissimis temporibus patefieri per lucem de qua mox fiet mentio, incipit.

Flumina.) Suprà: Væ multitudini nationum multarum, tumultuantium instar marini tumultus. Scitè autem fluminibus, omnia in terra per inundationẽ corrumpentibus, hostis exercitus cuncta uastans comparatur: quę cõparatio poe-

tis

tis quoque usurpatur, ut licet uidere in illo:

ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυήχεϊ κῦμα θαλάσσης
ὄρνυτ' ἐπασσύτερον ζεφύρου ὑποκινήσαντος. Iliad. 4.

Atqui non unum flumen Israeliticam terram depopulatum est, sed multa: Assyrium, Babylonium, Græcum, & tandem Romanum: sed quæ singula dissipata sint, ut suam libidinem in uastando illa, & eius gente, explerunt. Hoc quoq; fatum, hæc conditio atq; sors Ecclesiæ fuit sub Antichristo, & etiamnum est, crudeli hoste miserè eam uexante: sed à quo liberanda sit, illo ipso cum regno & tyrannide sua euertendo.

Cum eleuatum fuerit signum.) Remota umbra, ueritas in prædicationis Euangelij signo, quod tempore Messiæ contra filium perditum & eius parentem Satanã erigitur, occurrit. De quo signo suprà: In die illa radix Isai, quæ stat in signum populorum. Qui populi tuba Euangelij in orbe terrarum clangente excitati, certatim nomen Domini amplificant, ob tenebrarũ principatum labefactũ. 11.

Ego quiescam & considerabo.) Hostes in motu sunt, omnia molientes ad ciuitatem meam Hierosolymam euertẽdam: at ego interim quietus & tranquillus id specto, ut meos liberẽ & seruem, hostium rabie & furore represso. Hostium ergo laboribus tranquillitatem suam, & illorum uanis consilijs suæ prouidentiæ consilia, quæ nulla uis irrita reddat, opponit. In Hebræo uerbo אבטה notatur uis in Deo spectandi, qua ad conseruandum quos amat, & ad perdendum quos odit, obseruet.

In loco meo.) in cœlo, unde prospiciens hostiũ cõsilia derideo. Sic enim Dauid canit: Qui habitat in cœlis, deridebit, Dominus subsanabit eos. Etiam Sion diuinus, in quo habitet Deus, locus appellatur, de quo illud: Et elegit Dominus Sionem, in habitationem sibi. Psal. 2. Psal. 132.

Sicut meridiana lux clara est.) Similitudine declarat Dominum id præstare, quod cœlo sereno æstus post pluuiam, & nubes in calore messis messoribus æstu cõfectis, & ros ijs quæ ex terra nascuntur, præstat. Quæ enim diei calor & æstus affecit, nocturnus ros reficit. Quare hac similitudine caloribus qui in messe sentiuntur, afflictiones piorum: consolatio uerò æstum afflictionis refrigerans rori & pluuiæ, æstum frigore temperanti aptè comparatur. Hæc de seruandis.

Et sicut nubes roris.) Ros is Messias est, de quo Oseas: Ero quasi ros Israeli, &c. Vbi Paraphrastes: Et erit uerbum meum sicut ros Israeli. Hoc autem uerbum, roris instar reficiens suos Israelitas, Messias est: qui cur rori comparetur, in Mose indicatum est. 14.

Ante messem enim totus effloruit.) Figuratè iam hostium ruinam significat: hos, cum putant se uictoria potiri, perire: eisq; accidit, quod segetibus ante messem, & uuis ante uindemiam uastatis accidit. Sic hostium sacræ Hierosolymæ consilia, conatus & labores, quos ad perdendos meos sumunt, dissipari. Igitur hostes sanctè comparat propheta sementi primò germinanti, deinde florem edenti, postremò fructum ostendenti: sed qui prius pereat, quàm percipiatur. Qua similitudine indicat, hostium consilia & conatum successu carere, impediente eum illo, qui suam Hierosolymam semel suscepit defendendam ab omni aduersaria ui & potestate. Nostro interpreti ex אור lux redditur: sed pluuia huc magis competit, quæ notò tropo אור appellatur: quòd ui lucis solaris uapor excitatur, qui supernè in nubem densatus, & deinde liquatus pluuiam creat. Iob: Et spargunt nubes pluuiam. ubi Hebræa uox iam indicata legitur. 37.

Et relinquentur simul auibus.) Palmites falcibus exsectos, auibus ad æstiuandum, & bestijs ad hybernandum receptum præbere. Manet in cœpta similitudine, qua figuratè significatur, hostes in escam alitibus & bestijs relinqui. Hoc modo sine sepultura sceleratos puniri, agnoscit etiam Græcus uates:

——αὐτὰρ δ' ἐλώρια τεῦχε κύνεσσι,

Οἰωνοῖσι τε πᾶσι. — Atq; hac in re perfici Dei uoluntatem:
—Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. Sed ſubmouendus typus.

Deferetur munus.) Hieroſolymam, deleto exercitu Aſſyriorum. De quibus muneribus uideris libro ſecundo Paralipomenum, capite XXXII. Multi enim deferebant hoſtias & ſacrificia Domino Hieruſalem, & munera Ezechiæ. Atqui in temporibus Ezechiæ, umbra & figura: in Meſsiæ uerò temporibus, expreſſa ueritas cernitur: cui ut deuictis ſuæ Hieroſolymæ hoſtibus certatim munera gratiarum actionis & amplificationis nominis ipſius afferantur, norunt qui partem in redemptione habent.

Domino exercituum.) cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Is Dominus exercituum, ſed à patre Meſsias eſt, in fœmore ſcriptum habens: Rex regum, & Dominus dominantium. Apocal. 19.

Populo diuulſo.) In Hebræo indicatur, reliquias diſtracti & directi populi tanquam munus Domino exercituum allatum iri. Sed quomodo offeruntur pro munere? Offeruntur pro munere, cum agnoſcuntur gens ſacra eſſe, qua Deus tanquam precioſo munere & theſauro oblectetur. Quod ſi conſideras nouiſsima reconciliationis Iſraeliticæ gentis tempora, occurrit illud Ieſaiæ uatis: Adducent omnes fratres ueſtros ex omnibus gentibus Domino munus.

IN CAPVT DECIMVMNONVM.

ONVS *Aegypti.*) Oraculo hoc exponitur primò clades, qua Aegyptus afficienda ſit. Deinde, ut hoſte Aſſyrio profligato ante Hieroſolymam, ab idololatria ad uerum Dei cultum conuerſa ſit: cum temporibus afflictionum à ſuis Dijs ſe ſeruatam non ſenſiſſet. Poſtremò, res adumbratæ quæ in Meſsiæ regno eueniunt, oſtendun tur. De ſingulis inter interpretandum meminerimus. Cæterùm de Aegypti origine, ſitu, fertilitate, opibus, & rebus in ea geſtis, atque præfectu ris, uideris apud Hiſtoricos & Geographos.

Ecce Dominus.) Cui in uerbo Meſsia, ſapientia ipſius, omnia imperia in orbe terrarum, quæ conſtituat & mutet, quæ conſeruet & diruat, quæ puniat & punita emendet, ſubiecta ſunt.

Aſcendet ſuper nubem leuem.) Figurata, de celeriter afferenda ipſi Aegypto calamitate, locutio. Nubium ad incurſionem uentorum celer in aere diſcurſus, notus eſt. Vt hic leui nube, ſic alio loco Cherubim alatis Dominus, cum celeriter in terris ſua decreta perfici curat, uehi dicitur. Hæ igitur nubes, & cherubim, nuncij Dei ſunt, & legati, quorum miniſterio is ſua mandata in mundo procurat. Sic angeli Dei nubes fuerunt, quibus in uexanda Aegypto, & in excidendis Sodomis & Gomorrhis uſus eſt. Aſſyrius atra nubes & horribilis uentus fuit, quo uectus Deus, decem tribus, Syros, Moabitas, Aegyptios, Palæſtinos & Iudæos grauiter infeſtauit. 2. Regum 22.

Et ingredietur Aegyptum.) Aſſyriorum exercitus ſignificatur, qui quomodo contra Aethiopes & Aegyptios expeditionem fecerit, ex hiſtoria Regum patet. In Hieremia & Ezechiele etiam ea Aegypti calamitas deſcribitur, quæ poſtea à Nabuchodonoſore rege Chaldæorum importata eſt. Atq; ea Aegypti uexatio partim etiam à noſtro uate ſignificata accipitur. 4. Regum 19. Ierem. 46. Ezech. 30.

Et mouebuntur ſimulachra.) Deos Aegyptios, hoc eſt totam Aegyptiorum religionem tempore afflictionum commotum iri, dum illos neq; ſe quo minus capiantur, neq; ſuos cultores tueri ſentiunt. Tenuis typus in ſuperſtitione Aegyptia longè uaniſsima, tempore Ezechię nutante, apparuit: clarius falſa religio in Aegypto, quæ mundus eſt, patefacti Meſsiæ tempore apparet. Quo tempore Deus claris nubibus pluentibus cœleſtem doctrinam uectus, idola & uanorum Deorum cultum euertit. Intueamur tempora Apoſtolorum, & hæc noſtra

ultima

ultima reuelationis Christi & Antichristi tempora. Quadruplex igitur ex huius oraculi de Aegypti statu consideratione utilitas capitur. Vna est, quòd intelligimus diuina ratione regna instituta, in quibus iuris & æqui studium conseruetur, & Dei numen sanctè colatur. Quod si secus fit, à Deo néue in sua gente, néue in alijs scelera impunita relinqui. Altera est, quòd Deus uult populum suum agnoscere, frustra ab ipso aliorum regnorum præsidia tempore rerum aduersarum peti, ut quæ ob improbitatem quoq; euertantur: ut accidit Syris, Assyrijs, Babylonijs & Aegyptijs. Tertia est, nullam falsam religionem consistere posse, neq; ab hac suos cultores tempore calamitatum seruari: cum eos Deus Israel cœperit punire, & de eorum delictis suppliciũ sumere. Exemplo hic Aegyptus est, & aliæ profanæ nationes. Vltima utilitas mystica est, qua accipimus, ea quæ in sacro populo & in uicinis gentibus gesta sunt, mysticas futurarum rerum notas prætulisse. Quales partim in adumbrando Antichristo, partim in præfiguranda gentium ad Euangelium Messiæ uocatione cernuntur.

Et cor Aegypti tabescet.) præsidijs omnibus tum humanis tum diuinis destitutũ.

Et concurrere faciam Aegyptios.) Quod fieri belli temporibus solet, quibus pars dedere se in hostium potestatem, pars repugnare student. De hac ciuili Aegyptiorum discordia uaticinata est etiam Sibylla, atq; Aegyptum, quam Nilo irrigari dicit, idololatriam relicturam prædicit:

Τὴν λιπαρὴν αἴγυπτον ἀεὶ σαλύσουσι βρύουσαι,
Ἣν νᾶλ' νυκτοῖς ὑπὸ κύμασιν ἱπτὰ μεθύσκει,
Ἀλλ' ἀνὰ ἐμφυχ' ἱλαὸς ἀσις οἴβου ἀέλπτως,
Ἀνέρες ἐξελάσουσι τὸν ὃ θεὸν αἰθρήσιν ἄπτη.

Typus memorabilis hic ostenditur, qui negligendus non fuerit, quo figuratur discordia temporibus Messiæ excitanda, grassante in mundo Satana, & eius filio Antichristo. De qua discordia Messias ipse his uerbis: Putatis quòd pacem uenerim missurus in mundum? Nequaquam: sed potius discordiam. Dicas: Christum missum à patre, qui pacificatoris munere fungens, omnia pacificet sanguine suo in cœlo & in terra. Si munus eius proprium, quodq; de natura eius sit, spectes, pacis is autor iudicabitur esse, non discordiæ: ad quam serendã diabolus & eius filij natura & suo ingenio propendent. Sin alienum Messiæ munus consideras, dissensionum & discordiæ in mundo autoris dicitur, quatenus relictos impios suæ naturæ, sinit inimicè eos persequi, qui pacis Euangeliũ sequuntur. Atq; ita non aliter odiorum & discordiæ, qua impij à pijs separãtur, Christus caussa fuerit, quàm indurationis & excæcationis perfidorum. Quos ut dicitur indurare, non molliendo eorum pectora, & cæcare, lucem non communicando: ita in ipsis discordiam excitare censetur, concordiæ & pacis spiritum non largiendo: Quem cum inserit electorum pectoribus, ut ipsum & inter se amẽt, proprio munere fungitur: alieno uerò, cum sinit suo uitio improbos odio ipsius & filiorum suorum contabescere. Luc. 12.

Regnum aduersus regnum.) Vt Aegyptus in duodecim partes diuisa olim fuerit, eis singulis regulis præsidentibus, apud historicos uideris. Inter hos regulos discordiam natam, literis proditum est, dum imperium ad unum nomine Psammetichum deuolueretur: idq; accidisse regnantibus Assyrijs, ab Aethiopum rege ipsi Aegypto libertate restituta. Itaque ad hanc discordiam referri uolunt quod hic legitur: Atq; Aegyptios cum Aegyptijs committam. In Hebræo usurpatur uerbum miscendi ac confundendi. Nam ciuili discordia & bello grassante, omnia, leges, cõsuetudines, maiorum instituta, mores, religionem, opes, horribili confusione misceri & perturbari solent. Exemplis, quæ in promptu sunt, locus illustrandus est. סבסך, est more pungentium ueprium misceri & implicari. Quæ significatio commissioni, qua intestina discordia in regno partes inter se committantur, congruit. Ex hac prædictione cognoscimus, ad punienda

nienda flagitia & ſcelera regum ac principum huius mundi, ciuiles in eorum regnis excitari motus: ut exemplo ſunt motus inter Iudæos & decem tribus nati, ut exemplo hic eſt Aegyptus, ut exemplo ſunt Græci, & Romanorum ciuilia bella: Germanos & alias nationes prætereo.

Et dirumpetur ſpiritus Aegypti.) Aegyptios exinaniendos mente: bellū gerente cū Aegyptijs Aſſyrio, & poſt illum Babylonio Nabuchodonoſore, Aegyptum ſapientiæ, prudentiæ & conſilij ſpiritu deſtitutum iri. Deponendum uelum, & inſpiciendus is quem Aſſyrius & Babylonius tyrannus præfigurauit. Secus res habet regnante illo, qui ſuprà deſcriptus eſt: Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intelligentię, ſpiritus conſilij & fortitudinis, &c. Qui ſpiritus & in ijs uerſatur, quos ſapiens rex Meſsias regit. de quo mox infrà: Et cognoſcetur Dominus ab Aegypto, & cognoſcēt Aegyptij Dominum in die illa. Oraculum hoc indicat, Deo ſtatuente aliquod regnum euertere, quod fatale eſt, eum illud prudentia (quod in cōfatalibus numeratur) priuare. Vt autem ex ſententia ſacrarum literarum accipiamus fatum, fatale & confatale, id alio loco indicatum eſt.

Interrogabunt ſimulachra ſua.) Aegyptios deſertos ſuis conſilijs, Deos ſuos conſuluiſſe: & ab his quoq; deſtitutos, qui opem non ferrent, magos, hariolos, phytonicos, qui reſponſa redderent, conſultos: ſed fruſtra, Deo Iſraelitarum omnē illorum ſapientiam & conſilia per hoſtem infatuante, in cuius poteſtatē ut traderetur Aegyptus, omnino conſtitutum fuerat à Domino, ut ſequitur: Et tradam Aegyptum in manum dominorum crudelium. Vnde cognoſcimus, rerum aduerſarum temporibus à deſertis ope Dei uaria conſilia tentari, quibus ſe calamitate, qua infeſtantur, liberent: ſed prorſus id temerè & inaniter ipſos moliri, repugnante nimirū conſilio Dei, cui nulla uis quo minus id perficiatur, reſiſtat. Exemplo hic Aegyptus eſt: cuius typo ſubmoto, intueamur tempora, quib. mundus per Aegyptū figuratus, ſub Antichriſto, ſpirituali illo Aſſyrio & Babylonio omnia uaſtante, laborat. huic ſua ſtudia omnia & cōſilia à dijs alienis, à magis, hoc eſt falſis uatib. irrita reddi, & unius Dei in Meſsia ſeruatore cōſilia procedere, ratáq; fieri, pij ex hac prophetia diſcūt: & his nouiſsimis temporibus de hoc Dei beneficio ſibi gratulantur, atq; ſeruatorem Meſsiā deprędicant, quod eius ſapienter conceptam de ſalute ſuorum deliberationem perfici uident, Aegypti, hoc eſt mundi conſilijs infatuatis. Mundum autem cum ſuis ſapientibus, uanis dijs, prophetis falſis, & cum principe ſuo ſatana, atq; Antichriſto filio ſatanæ, per Aegyptum in decliui & profundo ſitam figurari, comprobat ſanctus Ioannes in ſua ſacra Apocalypſi his uerbis: Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ uocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus. Neq; uerò mirum uideatur, Deo placuiſſe mundum per Aegyptum adumbrari. Conuenit enim eius typus mundo figurando, ſiue Aegypti originem, ſiue ſitum, ſiue ſtudia & mores & uarium eius ſtatum conſideres. Porrò originem à Mezraimo filio Cham à Deo reiecti habent: qui Cham quàm fœdè in Aegypto regnarit, Beroſus teſtatur. Aegypti uana ſuperſtitio & idololatria ſemper infamis fuit: luxus & libido & uarius reip. ſtatus ex hiſtorijs compertus eſt: ſitus eius paluſtris & decliuis, & cœleſtibus aquis carens, etiam ex ſacris literis notus eſt: odia autem eius in ſacrum populum, iam inde à Moſæ temporibus cognita ſunt. Hæc & quædam alia indicant, non temerè Aegyptum à diuina ſapientia olim delectam, quæ mundi effigiem nobis referret: ut Chananęa in edito ſita, terra ſelecta ex omnibus orbis terrarum partibus fuit, quæ diuinis muneribus ornata, ſpeciem & imaginem hæreditatis cœleſtis regni exhiberet. De qua Iudææ terræ laude ſic præmonuit Sibylla:

Apocal. 11.

Geneſ. 10.

Ιλαδι πα γγονίτωρ τρυφερῇ χθονὶ τῇ πολυκάρπῳ,
Ιυδαίᾳ μεγάλῃ, ἵνα σὰς γνώμας ἐπιδῶμεν.

Tuám

Τῶν πρώτων ἔγνω δὲς ἐν χαρίτεσιν.

Rex fortis.) tyrannus Assyrius. In אדירים uoce, quæ dominos significat, uarij tyranni Aegyptum uexantes significantur: ut fuerunt Assyrij, Babylonij, Aethiopes, Græci, Romani, Saraceni, Turcæ.

Et arefcet aqua de mari.) Aegyptus, quæ cœlestibus aquis caret, Nilo inundante & paludibus irrigata, fertilis redditur. Quare figuratè significatur terræ uastitas, quam hostis omnia uastans importaturus sit. Nominatur lacus & paludes, quibus Aegyptus ex restagnatione Nili plena est.

Fluuius.) Nilus, per antonomasiam, ut nomine מרת Euphrates accipitur. De Nili ortu dubio & eius incrementis & decrementis ad solis in certis signiferi partibus cursum, deq; eius ostijs, uideris apud scriptores rerum.

Calamus & iuncus.) quorũ prouẽtu clarus Nilus est. Nilotici calami nobiles sunt, uicinum etiam mare rubrum à carectis & iuncis nomen apud Hebræos habet, סוף appellatum. Qui dixerat Aegyptum deserendam aquis, iam etiam ea quæ in Aegypto aquarum beneficio nascuntur, (ut sunt papyrus & arundo, sementis, herbæ, pisces) amplificandi gratia, adhibita distributione partium, abfutura monet.

Mœrebunt piscatores.) deficientibus aquis, in quib. piscatorũ agitur negociatio.

Stulti principes Thaneos.) Insultat sapientiæ Aegyptiæ: per hanc non effici, quo minus Aegyptus hostibus tradatur. Hoc autem facit, ut amplificetur sapientia Dei Messias benedictus. Fit hic mentio Thaneos, ut nobilis antiquitate urbis, uelut ex libro Numerorum patet. Hæc ostio Nili Thamnitico, in quo sita est, nomen dedit. clara portentis à Mose editis fuit, ut in Psalmo legimus: Coram maioribus eorum fecit mirabilia in Aegypto, in campo Thaneos. Hæc in Hebræa lingua uocatur צוען, pro qua uoce Paraphrastes טיאוס, & Græci τάνις reddũt, quos noster interpres sequitur. Hanc urbem à Titanibus, filijs Vestæ uxoris Noæ ædificatam, & ab eis Tanim quasi Titanim nominatam tradunt: qua Hebronem Phœniciæ antiquiorem septem annis, Moses loco suprà citato testatur esse. Vnde colligitur, non longè à diluuio temporibus Noæ, has duas urbes extructas fuisse.

Dederunt consilium insipiens.) Apostolus Paulus generalius locum hunc, submota umbra ac figura Aegyptiæ sapientiæ, tractat, ubi in epistola ad Corinthios ait: Nónne infatuauit Deus sapientiam huius mundi? Atq; id dicit, mysticum uatis nostri oraculum interpretans, contigisse, cœlesti Ezechia Messia regnante, quo tempore aduersarius per Euangelij sapientiam uincendus fuit, & mundi huius sapientia infatuanda. Infatuatur autem sapientia mundi, cum palàm declaratur, ab ea, quę Dei sunt, non comprehendi. Dei autem est, indicare quę pijs & impijs euentura sint, quasq; inclinationes & conuersiones imperia sint habitura. ut hic propheta ait: Vbi sunt sapiẽtes tui? age indicent tibi, quid nam Dominus exercituum decreuerit aduersus Aegyptum. Item Dei est, patefacere mysteria regni cœlorum de salute comparanda, qua uidelicèt uia & ratione reconcilietur ipse humano generi, remissis delictis, & uita æterna paretur per cœlestem regenerationem. Hæc autem cum lateant sapientiam huius mundi, non magis supracœlestis luminis claritatem ferentem quàm noctua fert splendorem solis, omnes qui in religione tractanda & in rationibus salutis comparandæ præscribendis, suam intelligentiam sequuntur, luce uerbi Dei contempta, cum Aegypti sapientibus palàm produnt se stultos & fatuos esse, cum uident sua consilia cassa & friuola exire. Demùm infatuari sapientes dicuntur à diuina sapientia, cum experiuntur temporibus calamitatum se per suam sapientiam non seruari, sed miserè perire: hoc est, impleri in ipsis illud, Perdam sapientiam sapientum. Huius generis omnibus temporibus, quibus patefit uerbum Dei, exempla eduntur: & his nouissimis seculis infinita edẽtur,

1. Corinth. 1.

præter

præter ea quæ quotidie eduntur. Dicas: sapientiam, qua mundi huius principes & reges resp. regunt, & iura dicunt, item qua rerum ortus, uis & natura inuestigatur, ut donum Dei laudari: de qua Salomon, à cedris Libani usq; ad hederam serpentem in pariete, in sacris literis laudatus sit. Laudatur quidem, si ipsa intra fines suos se contineat, neq; extra eos egrediatur: hoc est, si de religione & uero cultu Dei nihil statuat: quem solum ostendat ea sapientia quæ de se prædicat, Ego sum uia, uerítas & uita. Præterea laudatur, si neq; in rebus prosperis insoleſcat, eas sibi acceptas ferens: neq; in rebus aduersis deijciat animum eorum in quibus uersatur, aut eos alia quàm diuina ope niti suadeat. hoc est, si sapientia quam naturæ lux creat, regatur sapientia fidei, quæ Messias est, ea nõ damnatur: sin secus, damnatur. ut hic in Taneos sapientibus damnatur, qui suę sapientiæ consilijs Aegyptum malis quæ imminebant, liberari posse existimarunt. Quare non sapientia qua res tum priuatæ tum publicæ geruntur, non uis ingenij & intelligentiæ naturalis: ut nec corporis robur & celeritas, neq; opes & diuitiæ, per se reprobantur, sed uitium & abusus reprobatur. Nam separatis à rebus uitijs, stat illud: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. At uerò de hoc argumento aliàs uberior mentio facta est.

Filius sapientum ego sum.) Per mimesin, sapientes Aegypti de sua sapientia ad eorum stultitiam redarguendam gloriari inducuntur. Clara fuit ab antiquitate sapientia & multarum artium cognitione Aegyptus: sed quam debeat maioribus Israelitarum, qui ut in Aegyptum ingressi sunt, uaria sapientiæ semina in ea sparserunt: ut exempla de Abrahamo & Iosepho prodita comprobant. At uerò cum à uera sapientia degenerassent, quam à Iosepho & Israelitis hauserãt, in omnem superstitionem & uitia præcipitati, hæc quæ hic à uate prædicitur calamitas eos obruit. Nec tamen posteris temporibus literarum & doctrinæ gloria Aegyptus caruit, in quam Homerum, Pythagoram, Solonem, Democritum, Platonem, Musæum, Apollonium Tyaneum, & alios uariæ doctrinæ capiendæ gratia profectos, literis proditum est.

Filium regum antiquorum.) De contentione quæ inter Aegyptios & Scythas de regni antiquitate extitit, uideris apud historicos. Chamum filium Noæ in Aegypto consedisse, & ab eo Cham appellatam, ex Psalmis discimus, in quibus sic
48. scriptum est: Percussit primitias omnis laboris in tabernaculis Cham. Similiter Psalmo centesimo quarto: Ingressus est Iacob in Aegyptum, & accola fuit in terra Cham. Vnde colligitur, Cham, quem Berosus Chamesem uocat, conditorem & autorem Aegyptiorum fuisse, statim à diluuio. Ex quo natus Mizraim, posteris temporibus Aegypto nomen dedit, quæ ab Hebræis מצרים appellatur. Quos autem reges habuerit, ex historijs clarum est.

Annuncient tibi, & dicant.) Irridetur per extenuationem sapientia Aegyptia, ad amplificandam sapientiam diuinam: altera futura patefaciente, altera non item: altera sua cõsilia perficiente, & ad exitũ adducente, altera nõ perficiente: altera seruante eos qui ipsam habent, altera nõ solum non seruante, sed etiã perdente suos: altera suos, quos illuminarit, in perennẽ lucem iusticiæ & uitę transferẽte: altera eos in quib. uersatur, in tenebris improbitatis & mortis relinquẽte, in quibus miserè pereant. Hæc enim sapientia stultitiæ, habet eam sapientiã, quæ per mortẽ, uitã: per ignominiã crucis, gloriã et splẽdorẽ cœlestis regni parat, sub eo duce qui crucifixus in gloriam regni sui intrauit: in quo glorioſe regnans, suos quoq; expletis temporibus crucis decore regni sui decorabit. De hac sapien-
1. Corinth. 1. tia Apostolus: Nos prædicamus CHRISTVM crucifixum, potentiam & sapientiam Dei, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uerò stultitiam. Atqui ut hæc sapientia mundo stultitia est, ita per eam mundi sapientia infatuata perit, & eos qui ea inflantur perdit: ut exẽplo hic sunt sapientes Aegyptij, & reducto uelo, sapientes qui in spirituali Aegypto, hoc est in mundo Messiam, sapientiã Dei,

Dei, eiusq; Euangelium quæ doctrina ueræ sapientiæ est, cõtemptui habent. Hi ut miserè uindice sapiẽtia crucifixo Christo pereant, cernimus: quæ est eius potentia & gloria, qua in omnia potens rex regnat & imperat.

Mempheos.) In Hebræo נף est, interpretes Memphim interpretãtur: Paraphrastes מפים. Hæc urbs Aegyptiorum regum regia fuit, pyramidibus inter miracula orbis terrarum clara. Templũ Apidis bouis uanissimo cultu infame habuisse, Strabo autor est. De Mempheos miserabili clade, hoc carmine Sibylla uaticinata est: Lib. 8.

Μέμφις σὺ μὲν πλαυθὴ ὑπὲρ αἰγύπτου τὰ μέγιστα.
Ῥώσθη δ' ἡ μεγάλως γαίης κρατέουσα γενεσθαι λυπρὰ.——

Angelum populorum eius.) Figuratè, pro magnatibus: Aegyptum cum rege & principibus uiris deceptam per sapientes suos. Translatio sumpta à lapidibus, in angulo ad committendos muros collocatis.

Dominus miscuit.) iustus ultor superbiæ sapientum Aegypti. Scita figura propheta proponit, Dominum sapientibus Aegypti quasi in poculo miscere uinũ spiritus uertiginis, quo inebriati errent, & Aegyptios in tantum errorem adducant, in quanto ebrius est, eius neq; capite neq; pedibus facientibus officium. Sic calix aureus manu Domini teneri, apud Hieremiã dicitur, quem exhibeat Babyloni ad inebriandum omnem terram. Quare Aegyptiorum sapientes uerè ebrijs comparantur. Nam ut ebrij in errore sunt, rectè cogitandi & faciendi facultate carentes: ita sapientes huius mundi sunt. & ut ebrij suis se sordibus, quas euomunt, defœdant: ita sapientes huius mundi sordibus suæ sapientiæ se deturpant. Hæc igitur à propheta nostro, diuino oratore, ordine proponuntur ad considerandum: Primò, calicem uino spiritus errorum repletum, deinde hoc exhausto ebrietatem induci: demum fœdum uomitum edi, sapientes ipsos, & eos qui eorum sapientia utuntur, deturpantem.

Et non erit Aegypto opus.) consilio destituta, quid agat nesciet. sicut præcesserit: In errorem adduxerunt Aegyptum, in qua pariter capiti & caudæ, ramo & iunco sit defuturum consilium, feliciter quippiam agendi. Legitur enim: Dissipabo consilium eius. item, Infatuatum est consilium eius. Figuratè per caput principes uiri, per caudam uulgus, per ramum firmiores, per iuncum debiles & infirmi significantur.

In die illo.) Assyrio Iudæam infestante.

Quasi mulieres.) Irrisa stultitia, mollitiem quoq; cum stultitia coniunctam irridet. Fœminæ pro natura imbecillis sexus pauidæ sunt, ad quæuis pericula trepidantes: tales Aegyptios esse, uirili sapientia Dei spoliatos. Est in historijs, plerasq; uiros Aegyptios muliebriter, & mulieres uiriliter facere: ut forum & negocia publica fœminas, pensa uiros & domos curare: hos onera capitibus, illas humeris accipere. item, uiros Herodotus ait sedentes meiere, mulieres stantes. Vnde mirum nõ est, muliebrẽ pauorẽ tribui Aegyptijs uiris: & Aegyptũ quãuis natura & arte munitam, ab exteris semper regibus facile sub iugum missam.

Et terra Iuda Aegypto in festiuitatem.) Amplificat Aegyptiorum errorem, eleganti similitudine: Instar globi in orbem acti Aegyptios in uertiginem actum iri: Volunt enim metaphoram in הגא, à globo in orbem agitato sumptam. atq; ea uoce tremorem significari, qualis est eorum qui uertigine laborantes in orbem aguntur. Citant locum ex Psalmo, והרגו וינו כשכור. hoc est, uacillant ac titubãt more ebrij. Notum porrò est uerbum חרג. LXX pro הגא placet φοβερὸν. Hæc igitur ad superiora non male quadrant, ubi de erroribus Aegypti & eius pauore fit mentio. Alij ad sequentia referunt: Assyriorum cladem portentosam ante Hierosolymam ab angelo acceptam, Aegyptijs metum incussuram, quo perculsi, diuinam potentiam à Sione stantem unà cum Iudæis sint celebraturi. Vnde sequitur: Psal. 47.

In die illa.) Aegypto iam à Domino caſtigata: & Aſſyrio diuina, non humana ui profligato.

Quinq; ciuitates Aegypti.) Aegyptum cum Iudæis, regnante Ezechia, Iehouam culturum, relicto Deorum ſuorum cultu. Memorabilis typus in Aegyptijs, ad Dei Hieroſolymis culti celebrationem uocatis, cernitur. Expreſſa ueritas in uocatione gentium, regnante Meſsia cœleſti Ezechia, ſpectatur. Itaq; ut paluſtris Aegyptus in decliui ſita, Iſraelitarum igneus fornax, mundi paluſtribus & cœnoſis cupiditatum aquis pleni figuram prætulit: ita in ea nominatis quinq; ciuitatibus umbram rerum abditarum abfuiſſe non apparet, quam pijs & diuino ſpiritu doctis hominibus iudicandam proponimus. In mundo cernuntur quatuor magnæ ciuitates, hoc eſt imperia ac regna, Aſſyrium, Perſicum, Græcum & Romanum: in quorum nationibus Euangelij doctrina locum ſit inuentura, cui fidem habentes, Aſſyrij ſpiritualis, hoc eſt aduerſarij Meſsiæ uictoriã ſint celebraturi. Nam hoc Euangelium, ut in promiſsis Dei eſt, per totum orbem
Pſal. 18. terrarum peruadet, ut eſt apud uatem Dauidem: In omnem terram exiuit ſonus eorum. item: Prædicabitur hoc Euangelium omnibus gentibus, in teſtimonium, uidelicet potentiæ, bonitatis & iuſticiæ diuinæ. Sed quæ eſt illa quinta, quæ ſupereſt, ciuitas, quam propheta חרס, hoc eſt excíſionis urbem uocat? Hæc ciuitas Antichriſti ciuitas eſt, in mundo ſpiritu oris Meſsię & claritate ad-
Apocal. 11. uentus eius per Euangelij ſplendorem excindenda. Hanc Ioannes ciuitatem magnam, in cuius plateis ſanctorum cadauera iaceant, & Chriſtus crucifixus ſit, & ſpiritualiter Sodomam & Aegyptum eſſe dicit. Aegyptum quidem, ut in qua ſicut Deus Iſraelitarũ deprædicatus eſt deuicto Aſſyrio, ita etiã qui in mundo ſunt, ſed non ex mundo, Deum patrẽ in ſeruatore Meſsia ſint deprędicaturi. Quod ad Sodomam attinet, impij accipiũtur cum paſtore ſuo ſtulto & infatuato, qui ciuitatem חרס, hoc eſt excindendam igni furoris Dei, ædificat, ut Sodoma cœleſti igni abſumpta eſt. At dicas, hic legi quinq; ciuitates Deum culturas: in ciuitate autem in qua Antichriſtus regnat, nemo Deum coli affirmarit. Verùm in huius regno multi captiui detenti corde Deum colunt, ad liberationem aſpirantes: & non pauci etiam in hac ciuitate excuſſo eius iugo, in regnum Meſsiæ ſeſe transferunt. Hæc pijs iudicanda relinquo, in hoc leſaiæ oraculo. Sunt qui חרס pro חרס legentes, uertunt, Ciuitas ſolis: ut noſter interpres uertit, ſecutus Symmachum: cuius ſententiæ eſt etiam Paraphraſtes, qui בית שמש reddit.

Loquentes lingua Chanaan.) Iudæorum, uerſantium in Chananæa. Meminit autẽ Chanaan, quòd is frater Mizraim eſſet, & ambo filij Cham, altero Aegyptum, altero Chananæam, ſed quæ ceſſerit Iſraelitis, ſortito. Solet inter eos quos unius religionis ſtudium & cultus coniungit, linguæ quoq; commercium & cõſuetudo intercedere. Itaque accidit, ut gentes quæ in orbe terrarum in eam doctrinam quæ ſacris Hebræorum oraculis continetur conſentiunt, Hebræam etiam linguam libenter diſcant: quod hic propheta uaticinatur, Sermone Chanaan loquentur. Intueamur noſtra & ſuperiora tempora.

Et iurantes per Dominum exercituum.) depoſito ſtudio ac cultu Deorum alienorum, Deum Iſraelitarum colentes, aſsignata ei ſoli potentiæ, bonitatis, ſapientiæ, iuſticiæ & ueritatis gloria: qui uerus Dei cultus, nomine iuramenti ſignificatur.

Et erit altare.) Si tempora Ezechiæ ſpectes, diuina ara in medio Aegypti erit: hoc eſt, is Deus quem Iudæi Hieroſolymis ad aram ſacram colunt, in Aegypto quoque fide & amore coletur. Sin Meſsiæ tempora reducto uelo conſideras, in his uerè impletur, quod propheta myſtico oracullo præmonet. Hæc autem in Aegypto, hoc eſt in mundo collocata ara, Meſsias eſt: ſuper quam offeruntur uictimæ non brutæ, ſed ratione præditæ: & ſacra quibus ad hanc, & in

hac

hac ara colitur Deus, fidei & amoris, inuocationis Dei in Christo, laudis & gratiarum actionis sacra sunt. Quæ igitur hic in uate nostro de ara leguntur, non sunt Mosæa ratione, sed Euangelica ponderanda. Quod cum Onias pontifex non perpenderet, sed non sine rerum futurarum significatione, in Aegypto, in quam profugus uenerat Ptolemæi Philometoris permissu, templum ad exemplar Hierosolymitani ædificauit. qua de re uideris apud Iosephum. Non minus errat pastor ille fatuus, qui aras & templa extruit materiata immensis sumptibus, in quibus Deus alienis sacris, partim ad imitationem Leuiticorũ sacrorũ, partim ab ipso excogitatis, colit: neglecta ara CHRISTO, & sacrificijs illis ueris & Deo probatis, quæ nos ipsi sumus, quos Deo super aram Messiam offeramus, mactato uetere homine cum eius cupiditatibus, ut nouus in nobis spiret atq; uiuat: neglecto item templo illo diuino & cœlesti, cuius Salomonium templum figuram prætulit, de quo illud, Templum illius est & agnus: item, Vos tẽplum Dei estis. Apocal. 22.

Sed quid hoc aliud est, quàm in Aegypto cum Onia aram & templum præter & contra uerbum Dei extruere? Is error statim ab Apostolorum temporibus Ecclesiam inficere cœpit, ceremonijs ex elementis mundi alijs super alias excogitatis per sapientiam non diuinam, sed Aegyptiam, à uate nostro derisam.

Et titulus Domino.) non dijs alienis. Is titulus, hæc statua (submota figura) Euangelij prædicationis statua est & titulus: quo admonemur, nos Deo patri in filio Messia sacrari, non dijs alienis, non bestiæ illi agni cornua gerenti, & os draconis habenti.

Et erit in signum.) placati numinis diuini, quod uerè placatur in illo, & per illum, de quo suprà propheta: In die illo radix Isai, quæ stat in signum populorum, ipsam gentes requirent. 11.

Clamabunt enim.) Explicatur cultus Domini, qui in inuocatione, in agnitione bonitatis illius, in sacrificijs offerendis, & nuncupandis uotis cernitur. De singulis ordine.

A facie tribulantis.) Materia inuocationis quæ sit, ostenditur: hanc esse uim & sęuitiem eorum qui nos opprimere moliuntur. in quibus mundus, & princeps mundi Satan, & filius eius perditus, cum pseudoprophetis hypocritis & tyrannis orbis terrarum, & maximus tyrannus peccatum & mors, atque inferni portæ numerantur. Sed tantum abest ut hi grauissimi & sęuissimi hostes nobis noceant, ut etiam cum maximè perdere tentant, prosint. His enim nos lædere tentantibus, nobis aditus ad inuocandum forte numen Dei patris in Messia patefit, cuius opem experti canamus cum Dauide: Omnes uiæ Domini bonitas, & ueritas, ac fides. Psal. 25. Atque ita impleatur quod hic legitur: Et cognoscetur Dominus in Aegypto.

Et mittet eis saluatorem.) Messiam, arbitrum salutis imploratæ, ut in quo omnis promissa inuocantibus nomen Dei patris salus sit Amen & etiam: in nemine alio, néue in cœlo néue in terra. 2. Corinth. 2.

Et propugnatorem.) Quis iste רב sit, indicat Messias ipse, ubi ait: Nolite uocari Rabbi. Matth. 23. Quid autem sit Rabbi, declarat his uerbis: Vnus enim est uester καθηγήτης, hoc est præceptor, magister, & institutor Christus. Quem titulum sibi Scribę & pharisęi uendicauerant. Indicat ergo propheta, Christum seruatoris & doctoris titulum iure & uerè sibi sumpturum, qui unus suos à tyrannide peccati & mortis liberare possit: & spiritum largiri, quo doctore mysteria regni cœlorum intellígant. Quod si etiam in Ecclesia nominantur doctores, hi ministerio tales sunt, non principatu & dominatu, quo solus Messias in distribuendis muneribus spiritus sacri fungitur, nemo alius. de cuius spiritu doctore Ioãnes: Spíritus de meo (hoc est, de copia & plenitudine mea) accipiet, & dabit uobis. nõ dicit, De angelis, de diuis accipiet: neque dicit, Diuus aliquis de suo accipiet, & Ioan. 16.

alijs dabit. Rabbi ergo & magister Messias est, principatu & auctoritate: quẽ titulum Apostoli, prophetę & doctores libenter Domino suo assignabunt, ipsi ministrorum nominibus contenti. Vox quidem רב generalis uox est, generatim primates & principes uiros in quauis administratione significans, ut patet ex illo רבבית, & ex interpretatione Paraphrastæ, qui pro רב reddit ריין, ut etiã LXX, qui uertunt κρίνων. Sed nos eam interpretationem sequimur, quam affert Rabbi doctor & magister noster Messias, qui solus à patre Deo autor & institutor cœlestis doctrinæ Euangelij est, qua suos seruet, & eam in pectoribus digitis sacri sui spiritus scribat, ad æternam iusticiam, uitam & gloriam suis paran dam: quẽ Rabbi & doctoris honorẽ nulli, secundũ Messiam, sibi uendicarint.

Qui liberet eos.) mirabili liberandi ratione ac genere. Quem nimirum confitemur peccatum & maledictum factum, qui nos à peccati & mortis maledictione liberaret. Hoc beneficio cum nos afficit, uerè liberatoris titulum sibi asserit, de quo hic: Mittet seruatorem qui seruet & liberet eos. Inuenti sunt etiam in ueteris Testamenti administratione, quibus seruatoris titulus assignatus sit: ut de Iehosua, Gedeone, & reliquis iudicibus exempla comprobant. At in his seruatoribus umbra & figura cernebatur, in Messia ueritas spectatur.

Et cognoscetur Dominus.) ut pater in filio Messia reconciliatus, non solum ut Dominus & creator omnium. Vnde intelligimus, bifariam cognosci Deum: Vno modo, ut creatorem mundi sapientem, & iustum uniuersitatis iudicem. Hęc notitia Dei omnibus Iudæis & gentibus, pijs & impijs communis est, ueluti Apostolus in epistola ad Romanos his uerbis indicat: Propterea quòd de Deo cognosci potest, id manifestum est in illis. Deus enim illis patefecit. Sed quid patefecit? Potentiam & sapientiam suam patefecit, quam ex mundo tam sapienter extructo, & prouidenter gubernato intelligunt. At hęc cognitio salutem non affert, quam lex formal, ministra mortis & exitij, dum per eam Deus cognitus ut iudex formidatur, non ut pater amatur & glorificatur. Altero igitur modo Deus cognoscitur in mundo per Aegyptum præfigurato, non tantum ut Dominus, & ut conditor cœli & terræ: sed etiam ut pater noster, nobis per sanguinem filij amanter placatus. Hæc cognitio Dei hic celebratur in prophetæ oraculo: Et cognoscetur Dominus ab Aegypto. Atque ostendit uates, in quo nobis Messias salutaris sit, sęcp seruatorem ostendat per regenerationem, quam fidei lumen in electorum cordibus format. Itaque Dominus ipse uatem nostrum interpretans, sic ait apud Ioannem: Hæc est uita æterna, ut cognoscãt te solum uerum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Patrem inquam solum Deum agnoscant, qui à se Deus sit, à nemine alio. IESVM autẽ Christũ, Deum ex patre, Deum pari sapientia, potentia & gloria cum eo prædituin: in eo, ut naturali, non per gratiã adoptionis filio, tota diuinitate corporatè & spiritu citra mensurã habitante, quem spiritum corpori Ecclesiæ & membris eius ad modum donationis suæ ut capùt communicet, ad participatum uitæ & gloriæ æternæ. Quare bis usurpatur nomen Iehoua hic, Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscet Aegyptus Dominum: patre Iehoua & filio Iehoua significatis. Quare propheta Iesaias, ut suprà sapientiam Aegyptiam perniciem afferentem depressit, ita hic seruatricẽ sapientiam Messiam cõmendat.

In die illa.) patefactionis Messiæ temporibus. De cuius spacijs & interuallis suprà: quibus temporibus per Ezechiæ tempora tenui umbra prælusum est.

Et colent eum in hostijs.) Suprà legitur de ara: hic de sacrificijs mentio subtexitur. Huc afferenda dijudicatio spiritualis, qua Mosaeis sacrificijs suum, suum item noui fœderis sacrificijs tribuatur.

Et muneribus.) Minha est in textu: quæ quibus rebus consistat, quamcp mysticam significationem habeat, uideris apud Mosem in Leuitico. Similiter de uotis, & partitione eorum, apud eundem. Dicit hic, uota nuncupaturos Domino.

Rom. 1.

Leuit. 2. 27.

no. Sed quę sunt illa uota, quæ temporibus Seruatoris nuncupabantur? Vnicũ uotum consecrationis, quo nos Deo totos per baptismum in CHRISTO consecramus, occurrit. De quo uoto Apostolus: An ignoratis, quòd quicunq; baptizati sumus in CHRISTVM IESVM, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est CHRISTVS ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. In laudato igitur uoto continetur consecratio, in qua nos præ nobis ferimus ueteris hominis mortificationem, & induitionem noui. Quod est, profiteri, se in Christi seruatoris mortem, & uitam è mortuis excitatam, baptizatum. Hic cadit omnis elementorum mundi, ciborum, potus, uestitus, temporum obseruatio: quam si quis sequatur, ad eam uoto se obligans, is sciat se in libertatem, in quam sanguine Christi assertus est, committere, seruitutis iugum subiens, qui libertatis suaui iure uti poterat. Mosæa uota externarum rerum obseruatione continebantur, pro ratione pędagogiæ seruilis, qua Euangelica uota libera sunt, eam libertatem sortita de qua illud: Vbi spiritus, ibi libertas: hoc est, libera conditio à damnatorio peccati & mortis iure, & omni elementorum mundi obseruatione, qua tuam conscientiam obstringas. Est enim Messiæ spiritus regiæ libertatis spiritus, in omnia dominatum iure regalis unctionis obtinens, & regnum moderans, de quo Dominus ipse his uerbis, Non uenit regnum Dei cum obseruatione: rerum uidelicet externarum. Si ergo uotum uoueris de uitandis creaturis quas tibi Deus tradidit, quibus cum gratiarum actione utaris, contra rationem regni cœlestis deliqueris. Votum igitur irritum erit, & cassum. Dicas: Scriptum est, Vouete & reddite. Est quidem uouendum, sed ita, ut ex præscripto uerbi Dei uoueatur: & uota reddenda, quæ ex sententia Dei nuncupata sunt, non hominum, non bestiæ, quæ arroganter sibi ius in cœlum, in terram, & in infernũ, hoc est in animos & cõscientias eorum quos agnum regere conueniebat, usurpat. A' qua bestia dictata uota, pro irritis haberi debent, propter eum qui adoptionis spiritum de cœlo fundit, cui omnia quæ cœlo & terra continentur, subiecta sunt. Tempore ueteris fœderis habebatur quidem ratio elementorum mundi in uouendo, sed pro pędagogię legalis & puerilis ętatis à lege pędagogo gubernatę ratione: in Noui autem fœderis dispensatione, uota nuncupantur quæ adultiori ætati, spiritu adoptionis libero, à seruili legis pędagogia gubernatæ cõueniunt. Quod fœdus quoniam spiritus, non literæ, corporis, non umbræ, aperti uultus, non uelati (qualis Mosæ uultus fuit) esse iudicatur, qui aliud uotum nuncupant quàm quod ex Apostolo explicatũ est, Mosem reuocantes, CHRISTVM IESVM Seruatorem frustra mortuum & excitatum è mortuis confitentur, umbram cõtempta luce persequentes. Veluti de uniuersa Mosaica lege & Decalogi & ceremoniarum uerè dicitur, quòd qui ex ea bonum statum & iusticiam quærunt, in eos cõpetere illud Apostoli: Nam si per legem est iusticia, igitur frustra Christus mortuus est.

Votum. *Rom. 6.* *2. Corinth. 3.* *Luc. 17.* *Psal. 76.* *Gal. 2.*

Et percutiet Dominus Aegyptum.) ut pater. Aliter igitur Cain soboles & Sodoma affligitur, aliter ad pœnitentiam reuocata Aegyptus. Hæc affligitur & uulneratur ut sanetur, illa ut pereat. Aliter in mundo piorum Ecclesia peregrinans, uarijs calamitatibus uexatur: aliter impiorum cœtus, & ciuitas Babylon. Hęc punitur, ut pereat funditus extirpata: illa punitur, ut pœna in medicinam conuersa seruetur & uiuat. Quę infinita Seruatoris bonitas est, qui etiam quę mala sunt, salubria reddat, mortem in uitam, infernum in cœlum, & opprobrium in gloriam commutans.

Erit uia de Aegypto in Assyrios.) Gentes quę antea funestis odijs inter se diremptę fuerunt, sub Messia concordes fore, mysticè significatur: unà nimirum cum Assyrijs Iehouam culturos Aegyptios. Si tempora Ezechiæ spectes, apparet

multos in Aegypto & Assyria repertos, qui portẽtosa liberatione ludęorũ percepta, Deũ Hierosolymis cultum deprædicare nõ sint ueriti. Sed longè uerius hęc temporibus Messiæ implentur, gentibus certatim ad legem Euangelij ex Sione profectam cõfluentibus. Quare נא uocula præpositionẽ Cum ualet, comitatum & societatem indicans: & seruiendi uerbum, pro colendi. Aegyptios cum Assyrijs culturos Deum Israelitarum eo cultu, de quo Dominus apud loã-
Ioan. 4. nem: Veniet hora, quando ueri cultores colent patrem spiritu & ueritate.

Erit Israel tertius Aegypto.) In Messia seruatore Israelitas, Aegyptios & Assyrios coniungendos: hoc est, gentes & Israelitas, quos antea legis mandatorum Dei in decretis sitę maceries diremerat, consociatum iri in unum nouum hominem qui CHRISTVS est, nouus & cœlestis homo: in quo aditus patefit in uno spiritu ad patrem, à quo antea submouerat spiritus mundi & maceries legis gentes. Quæ maceries non prius dirui cœpit, quàm Messias in mundum præsentatus est, fuso de cœlo spiritu sancto, qui neq; gentis, neq; sexus, neq; ætatis, neq; ullorum elemẽtorum mundi rationem ducit, ut qui ab his omnibus liber sit. Itaq; per hunc in Messia neq; circumcisio carnis, neq; sacrificia, neq; aræ, neque templum, neq; sabbatha, neq; quicquam huiusmodi externi cultus curæ habetur, sed res quæ mysticis illis ceremonijs tanquam figuris & umbris figuratæ sunt: ut est circuncisio præputij cordis quæ spiritu fit, sacrificia laudis & gratiarum actionis, sabbathum bonæ & tranquillæ conscientiæ, & feriæ ab operibus carnis & ueteris hominis, templum sacri spiritus quod sancti sunt, sacerdotium o-
1. Ioan. 2. leo deunctum: de quo illud Ioannis, Vnctio docebit uos omnia. Vnde colligitur, quanto in errore bestia sit, quæ Messiæ regno & sacerdotio abolito, tota in elementorum mundi (ut sunt cibi, uestitus, olea, sal, aquæ lustrales, templa, aræ, lucernæ, tempora & dies, feriæ diuis sacratæ) obseruatione uersatur. Legimus hic, Israelem tertium fore Aegyptijs & Assyrijs: Israeli enim insitæ gentes,
Rom. 9. in societatem cœlestis regni ueniũt. Nam Israelitarum est adoptio & gloria & testamentum, & legis cõstitutio, & cultus, & promissiones: quorum item sunt patres, & ij ex quibus est CHRISTVS, quãtum attinet ad carnem, qui est Deus laudandus in secula. Itaq; idem Apostolus explicans hoc oraculum, dicit Israe-
Rom. 11. lem oliuam esse, & gentes oleastrum, Israeli ut oliuę insitas. Quod hic nomine tertij significat uates, in quo gentes commissæ atq; coniunctę, ad Deum in spiritu adoptionis aditum habeant per Messiã ex Israelitis natum Israelitã. Atque eôdẽ spectãs Moses, nomine tabernaculi idem significauit, quod hic propheta
Genes. 9. noster uoce tertij significat. Vbi in Genesi legimus: Benedictus Dominus Deus Sem, dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. Ex Semo autem Israelitæ propagati sunt, patre Abrahamo: in quorum tabernaculis Iaphethum, hoc est gentium Ecclesiam benedictionis Semi participem factam habitaturã, Moses præsignificauit. Quod mysticum oraculũ prophetæ, qui Mosem secuti sunt, clarius, ut eius interpretes, explicarunt.

Benedictio in medio terræ.) Benedictio diuinæ iusticiæ & uitæ in Messia, iusticia & uita electorũ, absterſa iniusticię & mortis maledictiõe, quę in Aegypto, hoc est in mũdo sub principe maledictionis satana, rege & deo huius mũdi, regnat.
Ephes. 1. Hanc rẽstitutã benedictionem explicat apostolus Paulus his uerbis: Benedictus Deus & pater Dñi nostri IESV CHRISTI, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestib. CHRISTO. hoc est, per Christũ, extra quem nulla benedictio locum habet. Stat enim illud: De plenitudine eius oẽs accepimus. Dicit, de plenitudine eius: nõ, de plenitudine Mosę, neq; cuiusquam sanctorũ, in quorũ nullo plenitudo omnisq; copia & abundantia, quę modo & mensura sacri spiritus careat, ut in Messia plenè diuinitatis oleo uncto, habitat.

Cui benedixit Dominus.) In Mosæa lege pontifex uerbis benedicebat, bene suis Israelitis precans. Noster pontifex Messias re benedicit, suis sacri spiritus muneribus

tibus eos ornans, cœlióq; & terræ, ad sustentandam præsentem uitam, benedictionem non denegãs, quam regnum Dei in comitatu suo habet. Sic enim Dominus ait: Quærite primùm regnum Dei, reliqua adijcientur uobis. Matth. 6.

Benedictus populus meus Aegyptus.) qui antea populus meus nõ erat, ut à rep. Israelitica alienus, & me in mundo carẽs. Aliter igitur imperij iure, aliter electionis gratia, aliter declaratione fauoris & eius sensu dicimur Dei esse. Porrò imperij iure omnia Dei sunt: pariter probi & improbi, electionis gratia sunt Dei, quos is ante conditum mundum in filio Messia elegit ad participatũ regni sui. De his hæc duo uera sunt: alterum, electos ad tempus sine Deo in mundo uersari, quem uidelicet non sentiant suum Deum esse, sibi in CHRISTO reconciliatum. Sic qui ex gẽtibus scripti ab æterno in libro uitæ sunt, quocunq; tempore uixerunt & uiuunt, & quocunq; loco sub cœlo degũt, primò ut eius inimici, Deo carẽt, quem agnoscãt suum Deũ esse. de quibus his uerbis apostolus Paulus: Nam si, cũ inimici essemus, recõciliati fuimus Deo per mortẽ filij eius, &c. Rom. 5.
Inimici quidẽ sunt primùm Dei omnes prædestinati ad uitam, non quòd Deus tanquam inimicos eos odio habeat: sed quẽ ipsi per ueterem naturã odio prosequãtur, amore eius uacui: quẽ non antea sint amaturi, clamantes Abba pater, quàm supernè spiritu amoris noui homines nati fuerint. Alterum quoq; uerum est, electos nunquam sine Deo esse: hoc est, eius cura & beneuolentia carere, qui ab æterno in filio Messia diligantur, priusquam intelligant se diligi, & priusquam in rerum natura locũ habeant. Sic enim de his scriptum est: In hoc est charitas, non q̃ nos dilexerimus Deũ, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filiũ suũ unigenam, propitiationẽ pro peccatis nostris. Demũ Dei esse dicunt, qui iam sentiũt se propitiũ Deũ patrẽ habere in filio CHRISTO, eiusq; sacro spiritu regi, nõ spiritu Satanæ principis mundi. Hi etsi in Aegypto, hoc est in hoc mundo sunt: ex Aegypto tamẽ, hoc est ex mũdo non sunt, sed ex Deo, supernè è spiritu eius nati: mundo, hoc est uitijs & cupiditatibus quæ in mũdo sub principe mundi Satana regnãt, abdicato. 1. Ioan. 4.
Atq; hoc ipsum est quod hic legimus: Benedictio in medio terræ. Dicit, In medio terræ, non ex terra, ut quæ ex terra nõ proficiscatur, sed de cœlo. Item: Benedictio populus meus Aegypti. Dicit, Aegypti, sed non ex Aegypto: ueluti dicimus triticum in zizanijs & lolijs uersari, sed non ex zizanijs & lolijs esse. ut quoq; dicimus impios in cœtu piorum habitare, qui ex pijs non sint, eorum naturam & ingenium minimè referentes. Veluti de Antichristo legimus, eum ex nobis prodire, sed non ex nobis esse. 1. Ioan. 2.

Et opus manuum mearum Assur.) quem clementia in Messia filio, ne pereat, foueam: & id ipse agnoscat, se opus manuũ mearum esse, quod in filio redemerim: neq; gloriabitur amplius, fortitudine & sapientia mea feci.

Et hæreditas mea Israel.) quem ut hæreditatem solus possideam, & eum uelut hereditarium agrum colam, ad uberem ex eo capiẽdum fructum. hinc illa: Vinea fuit dilecto meo. Et de hereditario agro: Pater meus agricola est. Nomine ergo hæreditatis erga Israelitas, & submoto Israelitarum typo, in uniuersum erga electos & scriptos in libro uitæ ex spiritu electionis & promissionis Israelitas, summus amor & beneuolentia significatur. Ioan. 15.

IN CAPVT VICESIMVM.

IN ANNO *quo ingressus est Thartam.*) Quæ de Aethiopibus & Aegyptijs præmonuit, hac oraculari concione repetit: prædicens fore, ut Aegyptus & Aethiopia ab Assyrijs bello infestentur. Cur autem hoc uaticinium in Aegyptios & Aethiopes edere iussus sit propheta, partim id suprà explicatum est, partim infrà explicabitur. Cõiungit autem hic Aethiopes cum Aegyptijs, quòd inter se uicini & fratres à parente Chamo prognati essent. Legimus enim in Genesi, à Chamo Chus,

Mizraim, Phut, & Chanaa natos. Quod si quis percunctetur de tempore quo Aegyptus & Aethiopia ab Assyrio uexatæ sint, apparet tempus infrà capite XXVII, & in libro Regum quarto, capite XIX indicari: ubi scriptum est, Assyrium, cum Palęstinam & Iudęam uexaret, reuocatum in Aegyptum, ad Aethiopum in se uim & impetum prohibendum.

Sargon rex Assyriorum.) Hunc uolunt Sennacheribũ esse, freti illo quod in quar-
19. to Regum libro annotatur de Aethiopiæ rege, ut Sennacheribum uoluerit ab obsidione Hierosolymæ reuocare.

In Azotum.) clarissimam Palęstinę urbem, quã sequentibus temporibus Psammetichus rex Aegyptiorum undetriginta annos oppugnatam, autore Herodoto, expugnauit. Atque ita eam in Aegyptiorum potestatem redactam, postea quam Assyrius eam recepisset.

In manu Iesaiæ.) ministerio uatis. Hebræa phrasis indicat, uates diuinos organa sacri spiritus esse: quibus non secus utatur Deus, atque animus in corpore suo manibus in efficiendo aliquid utitur. Nominatur autem manus, quòd hac in humano corpore nullum membrum ad conficienda plura opera magis commodum sit.

Vade, & solue saccum.) Controuersia est inter interpretes, alijs rem gestam, alijs
Oseæ 1. uisum fuisse interpretantibus. Quale dicunt fuisse, cum iuberetur Oseas accede
Ezechiel. 4. re ad meretricem, ad tollendam ex ea prolem. Et cum Ezechiel iuberetur comedere panem in stercore humano coctum. Vtram interpretationẽ existimes recipiendam, tuo iudicio reliquero. Iesaias, qui pœnitentiæ in tantis calamitatibus doctor esset, saccum, hoc est, uilem & neglectum uestitum, ut pœnitentiæ indicem, induisse pro more prophetarum legitur: qui non elegantiore
4. Reg. cap. 1. amictu ornati in populo uersabantur, sed uiliore. Sic Elias in libris Regum zo-
Matth. 2. na pellicea accinctus fuit, & Ioannes pœnitentiæ prædicator ueste ex camelorum pilis contexta usus est. Quam cõsuetudinem etiam falsos uates per simu-
Zach. 13. lationem pietatis, ex Zacharia uate tenuisse constat: In die illa confundentur prophetę, quisq; ex uiso suo cum prophetarint, nec operientur pallio piloso, ut mentiantur. Intueamur uilem monachorum uestitum, quo se pœnitentię prędicatores profitentur, cum nihil minus doceant & præstent quàm pœnitentiã. Qui ut à Iesaiæ & Elię & cæterorum prophetarum uestitu & uictu, doctrina, uita & moribus dissentiãt, res ipsa declarat. Sacri prophetę quod agebant, Dei spiritu afflati & eius iussu agebant: hi humana ratione inducti. illi doctrinam & uerbum Dei afferebant: hi uerbum & præcepta hominum. illi sub uestitu uilio re animum plenum fide & amore Dei gerebant, opum & glorię cura uacui: hi sub pelle ouilla animos lupinos & uulpinos gerunt, auaricia, ambitione & inuidia perditi: ut uerè dicat Zacharias, hos sub pastore suo stulto, piloso pallio uestiri, ut mentiantur: hoc est, per hypocrisim & simulationem mendacia & falsas doctrinas serentes, se & alios decipiant & perdant.

Trium annorum signum.) Hi tres anni, quibus uates nudus ambulauit & discalceatus, significabant spacium quo Aegyptus ab Assyrio erat diripienda. Simile legitur de Ezechiele: Et erit Ezechiel uobis in signum.

Sic minabit.) Mysticam rationem discalceatæ nudatęq; Aegypti per Assyrium, aperit ea nudatio & discalceatio, qua spiritualis Assur Antichristus Aegyptum suam, de qua suprà ex Ioannis Apocalypsi monuimus, nudat & discalceat: hoc est, uestitu & calceamento Euangelij exuit, dum eius uerenda appareant. Contraria cernuntur in assertis ex tyrannide sui Assyrij, de quibus Apostolus: State
Ephes. 6. igitur calceati pedibus, ad Euangelium pacis. De quibus item Ioannes in Apocalypsi: Beatus qui uigilat & custodit uestimenta sua, ne nudus ambulet, & uideant turpitudinem eius.

Discoopertis natibus.) detectis uerendis corporis partibus, quas natura cõtegit.

Apparet

Apparet uatem detectorum pudendorum Aegypti meminisse, quòd Aegyptij libidine infames essent, de quibus illud: Quorum carnes sunt ut carnes asinorum, & sicut fluxus equorum fluxus eorũ. ut accipiamus, talionis lege eorũ uerenda detecta, qui uerendis per fœdam libidinẽ abusi fuissent. Quorũ autẽ uerendorũ detectio figuratè significetur, iam indicatum est ex Apostolo. *Ezech. 23.*

Et timebunt.) Exponitur usus oraculi. Hoc editum, ut intelligant qui uexãtur, humana præsidia à periculo & malis, quæ à uindice scelerum Deo immittuntur, minime liberare. Id quod & Aegyptij, qui nitebantur fœdere & ope Aethiopum, & ipsi Iudæi experti sunt, uictis ab Assyrijs Aethiopibus & Aegyptijs, quos illi ponebãt brachiũ spei suæ. ueluti infrà uates eis exprobrat his uerbis: Væ qui descendunt in Aegyptum, ad auxilium: Aegyptij homines sunt, & non Deus. Item capite XXX: Vt adderetis peccatum peccato, qui pergitis in Aegyptum descendere, meam sententiam non sciscitati, ut Pharaonis potentia nixi, Aegypti confidatis umbræ. Itaq; uates hanc oracularẽ concionẽ de Aegyptijs & Aethiopibus, etiã propter Iudæos nudus & discalceatus ambulans instituit, ut eos ab Aegyptij præsidij spe auocatos, ad fidem Domini Dei sui cõuerteret. Quæ fides locumnõ sit habitura, si humanę opi confidatur. Fides enim in unum Deũ intuetur, omni creata natura relicta. qua qui prædíti sunt, cum Dauide canunt: Diligam te Domine fortitudo mea. Item: Quis Deus est nisi Dominus, & quis fortis præter Deũ nostrum? Itaq; ut benedictus est, qui hæc fide agnoscit, pectore & ore cõstanter cõfitetur: ita maledictus, qui secus cõparatus est. ut apud uatẽ extat: Maledictus qui fidit homini, & ponit carnẽ brachiũ suũ. Nã qui hoc facit, ex homine & brachio carnis Deũ fingit, detracta gloria diuinitatis illi, cui ea soli competit, contra sententiã illam: Dñs Deus tuus unus est. *Psal. 18.* *Ierem. 17.*

Insulæ huius.) Respicitur ad terminos terræ sacræ, orientalem & occidẽtalem. Alter mare mediterraneũ est, alter mare salsum & Iordanis. Aut figuratè Chananęa insula uocatur, quòd ea nõ secus calamitatũ procellis agitetur, atq; mare fluctibus. Submoto typo, occurrit turbulẽtus sub suis hostibus Ecclesię status.

IN CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

ONVS *deserti maris.*) Oraculum durũ de Babylõ. Is interitu à propheta exponitur, qui suprà quoque de eius uastatione prædixerat. Cur autem retexat uaticinium de illius excidio, ratio inter interpretandum afferetur. Videtur autem mare Babylon appellata, partim propter Euphratem, qui per mediam urbem Babylonem fertur fluxisse: partim quòd ipsa instar procellosi & inundantis maris uicinas terras & regna uastarit: partim uerò, quòd Babylonium regnum uisum sit prophetis è mari, hoc est mundo hoc turbulento & uarijs fluctibus agitato ascendere, non de cœlo quietis & tranquillitatis sede descendere: ut de eo Messiæ regnum & cœlestis Hierosolyma, ciuitas illa diuina & cœlestis descendit. Vt autem mundus, hoc est impij in mundo, cum sua impietate mari comparẽtur, infrà manifestum erit. Quod præterea ad uocem Desertum attinet, apparet Babylonẽ desertum mare uocari, uel quia Babylon posteris temporibus in solitudinem redigenda esset: uel quòd cętera regna uasta & deserta reddidisset, præcipuè Iudæam, Hierosolyma solo æquata, templo incenso, Iudęis in exilium abactis. Quare ut suprà Iudęam insulam uocauit, ab hostibus undiq; quasi marinis fluctibus conquassatam: ita hic uideri possit ab eo Babylonem mare appellatam.

Sicut turbines ab Africo.) Scita similitudine colorat oraculũ, qua significat Medos & Persas non secus atq; tempestatẽ excitatos, qui Babylonem agitẽt. Suprà maris meminit, hic tempestuosi uẽti, qualis ab Austro spirat. Et quia ex desertis locis asperiores uenti flare solent, solitudinis hic fit mẽtio: De deserto ueniet. Ad hæc, quoniam in tempestatibus procella procellam, fluctus fluctum trudit, usus est hic diuinus spiritus uariandi mutandiq; uerbo לאלות.

Visio

Visio dura.) Babylonijs, sed suauis & grata ijs quos Babylon aspera seruitute oppressit, de qua suprà: Quî fit ut cesset exactor, cesset tributum? Et præcipuè hoc uisum prophetæ gratum fuit Iudæis, qui ex eo cognoscerent, se soluta captiuitate Babylonia liberandos, & terræ suæ restituendos, ad expectandum in ea Messiam Seruatorem, ex suo genere procreandum. Nam tempore Iesaiæ uatis, perceperãt ex illius uaticinio, fore ut in Chaldęorum uenirent potestatem. Ne igitur spes eorum de olim præsentando Messia concideret, sed promissionem illam (Non auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat Silo) firmã & ratam futuram crederent, tam crebrò Babylonem euertendam, & Iudæos liberandos prædicit. Nam huiusmodi consolationis repetitione egent, qui grauiter tentãtur, & omnib. humanis præsidijs destituuntur, ut tuti ab uno Domino spe pendeant. Ad corroborandam igitur fidem aduersus diffidentiam in carne hærentem, & contra diuinam promissionem instinctu Satanæ pugnãtem, toties promissa Dei de præstanda salute & conficiẽda liberatione repetuntur. Qui in priuatis tentationibus hanc confirmandi consolandiq; rationem experti sunt, norunt de hoc genere repetitionis diuini Spiritus consilia exponere.

Qui incredulus est.) Excursionem cum ui & iniuria in alios facienti oppressorem, & uastatori uastatorem manum illaturum: hoc est, Medos & Persas eam cladẽ Babyloni allaturos, quam ipsa alijs attulit, pro lege illa talionis, quam Do
Marci 4. minus his uerbis exponit: Qua mensura uos metimini, eadem metiẽtur uobis alij. Hæc lex ex diuina æquitate & iusticia nata, formidabilis debet esse tyrannis orbis terrarũ, sub principis sui Satanæ signis militantibus. Nam indicat, nullum huius mundi imperium & dominatum diuturnũ fore, quod iniuria & fraude aliorum acquisitum sit: & ea ratione omnia regna mundi interire, solo Messiæ regno, quod ex hoc mundo non est, in omnem æternitatem permanente firmo & stabili, quod nulli ex deserto & austro flantes uenti conuellãt. Nam unũ hoc æquitatem & ius sartum tectum seruat, Satanæ fraudibus nusquam obnoxium, ut ipse Messias regni huius rex his uerbis testatur:
Ioan. 14. Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. quod uidelicet reprehendat ac redarguat: ut in regnis mundi inuenit quod reprehendat, auariciam, ambitionẽ, tyrãnidem, luxum, libidinem. Vnde fit, ut his non mites animantes, sed feræ imanes affingãtur, uno Messia mansueti & omnem iniuriã leniter ferentis agni ingenium & nomen obtinente.

Ascende Elam.) Elamitæ Persæ sunt, qui hic nominantur, suprà non nominati. Cæterùm de regionis Medorum & Persarum & Babylonis situ, apud Geographos: & quando Medi & Persæ rerum potiri cœperint, uideris in Chronicis. Persæ ad aquilonem Medos habent, qui ad occidentem Babylonem terræ sacræ uiciniorem respiciũt. Quò refertur illud ex capite XLI: Suscitaui ab aquilone, & ueniet ab ortu solis: Medos uidelicet, & Persas, aduersus Babylonẽ. Si
Hierem. 50. militer Hieremias: Quoniam ascendet gens contra eam ab aquilone.

Omnem gemitum eius.) Quem Babylon cęteris populis expressit, præsertim populo meo: qui quos gemitus ediderit tam grauí Babylonis iugo pressus, clades qua affectus est indicat. Reducto mysticæ seruitutis uelo, nostræ Babylonis, nobilis meretricis, sęuum imperium occurrit. Quę quoniam ebria sanctorum sanguine, ut id pręter superiora tempora, nostra declarant, non temerè hęc purpurata meretrix: uocatur: cuius nimirum peccata coccini instar rubeant quæq; sanguine piorum, quem fundit, se scelere impiet ac funestet. de quo tam sanguinario furore ut significationem det, purpurea ueste cum suis intimis cõsiliarijs fatali quadam ratione utitur. At Babylon hęc perpetuóne hoc suo graui iugo Israelitas, hoc est electorum Ecclesiam, premet? Absit. legitur enim: Gemitum quem à Babylone infestati edunt, compescam. hac ipsa à Persis & Me
Cap. 11. dis euersa. Nos legimus in Genesi, principium regni Nimrodi fuisse Babylonem.

nem. Non igit̃ mirũ est Medos excitatos, qui Babylonẽ euerterẽt, qui à Iapheto benedicto in Semo ꝓpagati sunt, cum Babylõis regni principiũ Nimrodo assignet̃ à Chus filio Chami, probrosi Noę filij, progenito. Sic em̃ de Iapheto in Genesi scriptũ est: Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem. De Nimrodo aũt & Babylõe: Filius Cham Chus, qui genuit Nimrod, cuius regni principiũ Babylon. Mystica aũt ratio, cur à gentib. in Semo, ex quo nati sunt Israelitę, benedictis Israelitę líberati sint Babylone uastata, suis locis exponetur. 10 9. 11.

Propterea impleti sunt lumbi mei dolore.) μιμητικῶς in persona Babylonis. Nos legimus in Daniele, ut Balthasar rex Babylonis, interprete Daniele scriptum in pariete intellexisset, מנא תקל ופרסין, eorumq; uerborum interpretationem percepisset, eum animo ualde perturbatum fuisse, ut patet ex eodem propheta: Itaq; mutatus est color regis, atq; eum suæ cogitationes ita perturbarunt, ut eneruatis lumbis genua eius inuicem confluxerint. Atq; hoc ipsum est, quod prædicit uates Iesaias euenturum Babylonio: Propterea impleti sunt lumbi mei dolore. Meminit autem lumborum, in quib. robur situm sit, quod sibi omne ereptum conqueritur. Ad amplificandum dolorem adhibet distributionem: aspectum, auditum & cor dolore & cruciatu percelli atq; conturbari. neq; ad illum augendum, circumstantiam temporis præterit. Nam crepusculi ad cœnam destinati, & noctis ad hilaritatem delectę meminit, sub quam hostis irruptione in urbem facta, lætitiam regi in luctum conuerterit, omnia ferro uastans. Daniel. 5.

Angustia.) Cruciatum amplificat per comparationem, eum nimirum cum cruciatu qualis est parturientium, comparans. De quo uideris in Genesi cap. 5.

Emarcuit cor meum.) Errandi uerbum תעה indicat, palpitasse eius cor, ut solet subito terrore perculsis accidere, motu caloris in humidum agentis.

Tenebræ.) In Hebræo non sunt tenebræ, sed tremor.

Babylon dilecta mea.) Ad uerbum: Crepusculũ desiderij mei, posuit mihi in terrorem. Sententia est: Nox quã conuiuijs & hilaritati destinaui, conuersa est mihi in luctum. Nam ea nocte Balthasar interfectus est, cui Darius Medus in regno succesit. Daniel. 5.

Pone mensam.) Non caret hæc Mimesis prophetico sale, quo Babylonis securitas irridetur. quasi diceret: Cum omnino securitas uobis placeat, securè igitur conuiuia agitate, & comessamini, crapula, choreis, cantionibus libidinem uestram explentes. At uerò ô uos Babylonij, aliam uocem audietis: nimirum qua iubebimini parare uos ad bellum, ut sequitur:

Surgite principes.) In medio conuiuio irruptionem in urbe faciente hoste, sic clamabatur. Indicatur à propheta, Babylonẽ in summa securitate de iudicio Dei, uoluptatibus indulgentem, concidisse. Idem nostræ Babyloni euenturum, suprà ostendimus: quę dum securè helluatur, Deũ & eius Euangeliũ contemnens, sanctos atrociter persequens, idololatriam suam defendens, Cyrum suum Messiam Domini benedictum inueniet, à quo in media securitate per hunc claritatis Euangelij sui aduentum euertetur, ut iam cœpit euerti. In quo patefactionis sui aduentu cum omnia reperit miserè à Babylone, hoc est ab Antichristo uastata, merito ipse dicit: Putas ne, cum uenerit filius hominis, eum inuẽturum fidem in terra? Luca 18.

Arripite clypeum.) ungantur arma, ut ad usum facilius expoliantur. Paraphrastes igitur reddit: Detergite & expolite arma. Sic de Sauli clypeo legis: Clypeus Sauli quasi non esset unctus. 2. Reg. 1.

Hæc mihi dixit Dominus.) In uiso expositũ Iesaiæ à Dño, Babylonios inter se dicturos, statuendũ speculatorẽ esse, qui quod uiderit, nũciet. Sunt qui pro speculatore prophetã accipiũt Danielẽ, q Balthassari nũciauit Babylonẽ capiendã illa nocte, qua à Medis & Persis capta est: aut intelligendum, Iesaiam à Dño iussum speculatorem, hoc est prophetã agere, qui in specula oracularí positus, nunciet

Babylo-

Babyloni ſuum interitum. Nam prophetæ in ſacris literis ſpeculatores uocantur, ut Ezechiel exemplo eſt, de quo ſcriptum legimus: Speculatorem te dedi domui Iſraelis. Quò, ſi ita uidetur, referetur illud quod mox ſequitur: In ſpecula Domine mi ego per diem aſsiduè ſto, in'que cuſtodia mea totas noctes permaneo. Ezech. 3.

Vidi currum duorum equitum.) quem par equitum conſcenderat. Notatur exercitus Medorum & Perſarum.

Et clamauit leo.) ſpeculator inſtar leonis rugiens.

Ecce iſte uenit aſcenſor uir bigæ equitum.) Paraphraſtes: Currus hominis, & cum eo par equitum. De Dario Medo, inſtructo ſuo & Perſarum exercitu, accipitur.

Cecidit cecidit Babylon.) Quod nunciandum uidit ſpeculator. Duplicatio uerbi Cecidit, certò Babylonem euerſam indicat. Hæc ad conſolationem populi Dei, Babylone exulantis, dicuntur. Ex uate noſtro hæc conſolatio mutuatur in Apocalypſi Ioannis, de caſu Babylonis noſtræ hodie ſatis notæ: Cecidit cecidit Babylon ciuitas magna. 18.

Et omnia ſculptilia eius.) eam ſuis dijs non iuuantibus, Iſraelem ſuo Deo iuuante & redimente. Hieremias idola Babylonis in hunc modum irridet: Simulacrorum pudebit fictores omnes, quorum falſa, & in quibus nullus ſpiritus ſit, ſint præſidia: uanitas ſunt, opus fallax, ſupplicij ſui tempore peritura. In patefactione & interitu noſtræ Babylonis, ut hæc uera eſſe hodie experiamur, ſatis conſtat. Hierem. 10.

Tritura mea.) Similiter Hieremias Babylonem trituram uocat: Tempus Babylonis quaſi area, tempus triturę eius. Figuratè Babylon tritura, & filius areæ, hoc eſt quod in area triturat, dicitur. Area mundus eſt, in quo trituratio, hoc eſt uaria uexatio afflictionum locum habet. Filij areæ ſunt, qui triturãtur. Si Babylonẽ ſpectes, hęc triturata palea eſt, de qua in Euangelio: Paleam uerò exuret igni inextinguibili. Sin electos, frumentum hi ſunt, in horreum reponendum, de quo idem Ioannes: Cuius uentilabrum in manu ipſius, & repurgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum. Sed qui ſunt triturãtes Babylonem in area? Si Babylonẽ conſideres myſticam, trituratores fuerunt Medi & Perſæ. Sin alteram, trituratores ſunt ſelecti Apoſtoli, Prophetæ & doctores ſpiritu Euangelij cœleſtis uentilabri triturantes, ea trituratione de qua ſuprà propheta noſter: Spiritu oris ſui interficiet impium. Per quam triturationẽ electi ſuperatis afflictionibus, in horreum felicis & beati ſtatus reponuntur. Qui beatus ſtatus uerſatur in cognitione Dei patris, & Meſsię Seruatoris filij, per eius ſanguinem donato ſpiritu amoris, unũ cum Deo nos efficiẽte. Quod unum participationis unum eſt, in quo filij regni participes & conſortes iuſticiæ, ſapientiæ, uitæ & gloriæ Dei in filio Meſsia, unico huius beatæ cõiunctionis arbitro, redduntur. 51. Matth. 3.

Deo Iſrael.) Meminit Iſraelis, propter quem Babylon euertenda erat. Quare Hieremias: Ecce ego uiſitabo regem Babylonis, & terram eius, ſicut uiſitaui regem Aſſur, & reducam Iſraelem ad habitaculum ſuum. Reducendum uelum myſticæ liberationis Iſraelitarũ, & myſticę deſtructionis myſticę Babylonis.

IN DVMAM VATICINIVM.

Onus Duma.) Variant interpretes in explicando hoc oraculo. Paraphraſtes Chaldæus totus uerſatur in allegoria, qui cuſtodem pro propheta interpretãs, dicit eum explicare quæ mortuis olim ſint euentura, iuſtis uidelicet præmia propoſita, iniuſtis ſupplicia: per lucem præmijs, & per noctem ſupplicijs ſignificatis. Proinde dum in hoc ſeculo uiuimus, laborandum nobis eſſe, ut in tempore reſipiſcamus, ad Deum conuerſi per pœnitentiam. Atq; id de cœlo ſpeculatores, cuſtodesq; uates inclamare. Qui etiam pro משא רומה onus calicis maledictionis, qua inebrianda ſit Duma, reddit. Aſcriberem uerba Paraphraſtis, ſi referret.

ſi referret. Sunt aliĳ, qui diſertè Dumam Edom eſſe dicũt, atq; in hunc modum interpretantur: Ad Dominum clamatũ de Scire à uate, aut ab angelo regni Idumæorum deſtructore, quid ſit futurum de nocte illa & tenebris obortis Idumæis: reſpondiſſe Dominum Iſraelitarum, ueniſſe matutinam lucem quæ illis illuceſcat, & noctem tandem euenturam, noctem uidelicet rerum aduerſarum. Redeundum igitur eis per pœnitentiam, ad meliorem uitam. Qui ſic interpretantur, ad Paraphraſtis ſententiam propè accedunt. Similiter LXX de Idumæis intelligunt uatem loqui, qui per Dumam reddunt ἰδουμαίους. Poſtremò ſunt interpretes, quibus Duma non eſt Idumæa, ſed ciuitas aut regio Iſmaelitarum.

10 Nam Duma in Geneſi inter filios Iſmaelis numerari conſtat. Maſma quoq;, & Duma, & Maſſa. Quibus nominibus nos admoneri ueteres dixerunt, multa audienda, tacenda & ferenda ſapientibus uiris eſſe, quæ his uocibus ſignificentur, משמע דומה משא. Itaque dicunt, ex Scire clamatum ad cuſtodem. Sed ad quem cuſtodem? Aliĳ ad cuſtodes Dumæ, aliĳ ad cuſtodes ſuos clamaſſe Idumęos, ex eis percunctatum, quantum ſuperſit de nocte, ut intelligerent, quid ſibi de occupanda ac diripienda Duma faciendum ſit. Aliĳ clamatum ad prophetam uolunt, Idumæis intelligentibus Eſaiam uatem ut ſpeculatorem rerum futurarũ poſitum, quãdo & quo tempore ſit capienda Duma. Aliĳ referunt ad cuſtodes Duma, ciuibus eius percunctãtibus ſuos cuſtodes, quæ hora noctis ſit. Gen. 25.

20 *Dixit cuſtos, uenit mane & etiam nox.*) Appropinquat quidem dies: ſed quid hoc proderit uobis, cum ſequẽtibus noctibus excubandum ſit ob hoſtium qui uobis imminent metum? Aliĳ de propheta Idumæis in hunc modum reſpondente exponunt: Iam eſt mane, & nox: paretis ergo uos ad Dumam occupandam, dum occaſio per Deum uobis offertur. Mirum autẽ non ſit, ſiue Idumęos, ſiue Iſmaelitas duriore oraculo terreri. Nam ut utriq; Iſraelitarum fuerint atroces hoſtes, ex Geneſi & hiſtoria ſacra, atq; Pſalmo LXXXIII patet: Conſpirant uno animo, icto contra te fœdere, tabernacula Idumæorum & Iſmaelitarum. Reducto uelo myſticæ gentis, ut Eccleſiam electorum ab Iſraelitis præfiguratam perſequantur ſui Idumæi & Iſmaelitæ, ſed non impunè, ſatis eſt ma-

30 niteſtum. Quî enim, quos in utero inimica colliſio committit, inter ſe conſentient? ut ĳ qui cum Iſmaele ex ſerua nati ſunt in carnẽ, non in ſpiritũ, cũ eis qui cum Iſaaco ſecundum ſpiritum ex libera Sara, hoc eſt Eccleſia ſponſa Meſsiæ geniti ſunt, inter ſe ſocietatem & coniunctionem tuebuntur? Exempla hodie ſatis nota ſunt: ſuperiora ſecula prætereo. Quos Idumæi Iudæos regno & ſacerdotio per Herodem ex genere Idumæũ ſpoliantes, & quos Iſmaelitæ, quorum ſemina in Mahumetanis falſo ſe Saracenos (cum Agareni ſint) profitentibus, telicta apparent, præfigurarint, ſacrarũ literarũ ſpiritu præditis non eſt obſcurũ.

VATICINIVM IN ARABIAM.

Onus in Arabiam.) Pergit alias Iſmaelíticas gentes graui oraculo perſtringere.

40 Nam Cydarenos, quorum in fine oraculi mentio fit, Iſmaelitas eſſe, ex Geneſi patet, ubi XXV legimus, Cedar filium Iſmaelis eſſe, qui Cedarenis Arabibus proculdubio nomen dedit.

In ſaltu ad ueſperam.) Hoſtium metu in ſyluas ſe, qua itur ad Dedanim, abſconſuros. In Geneſi, capite decimo legimus, Dedan nepotem Chus eſſe, qui fortaſſe regioni illi nomẽ dedit. Fit eius mentio etiam apud Ezechielem, XXVII. Hieremias XLIX uidetur in Idumæis numerare hanc gentem.

Occurrentes ſitienti ferte aquam.) Aliĳ exprobrari per ironiam Cedarenis uolunt, quòd in Iſraelitas profugos uexãte eos Aſſyrio, hoſpitalitatis iure uſi non ſint: ut ſuprà Moabitis quoq; inhumanitas obĳcitur. Aliĳ Thema habitatores mo-

50 neri dicunt, ut Cedarenos aqua & pane reficiant, eorum miſeria per inſultationem propheticam agitata, qui Iſraelitarum populi Dei hoſtes eſſent.

Qui habitatis terram auſtri.) Thema unus ex filĳs Iſmaelis eſt, à quo regionem il-

lam Arabum sic nominatam apparet. De Ismaelis posteritate uideris in loco su prà citato ex Genesi.

A' *facie gladiatorum.*) Vtrò referas, ad fugientes Israelitas, an ad Cedarenos, autores tuæ sententiæ habes. Si refers ad Israelitas, qui hostem Assyrium fugientes, se in solitudinis Arabum latebris abscondere uoluerint, caussam tantæ calamitatis, quam hic Cedarenis imminere prædicit uates, expositam tenes: ab eis uidelicet, tempore rerum aduersarum populo Dei, misericordiam non tributam: quam natura in rebus afflictis etiam exteris & hostibus, cum se dedunt, tribuendam docet. Sin uerò ad Cedarenos fugientes refers, quæ hic legimus, eorum miser status à uate describitur, qui crudelis hostis metu, relictis omnibus à tergo opibus, in turpem fugam se dare cogantur. Tantum malum est inclementia in eos qui miseri sunt, & bonum clementia. Propter hanc regna crescunt & conseruantur, & propter illam decrescunt & pereunt: quòd deficiunt ac degenerant ab eius regis natura, qui puta pura clementia est & amor: de quo illud, 1. Ioan. 4. Deus charitas est. Is porrò amor mundum creauit integrum, & deprauatum reparat, misso amoris spiritu pacificatoris agni in pectora electorum, quo unum inter se & cum Deo efficiantur, ad optimum statum obtinendum.

Adhuc in uno anno quasi anno mercenarij.) qui ut ultra condictum tempus non laborat, sed hoc exacto liber redditur: sic certo & definito tempore omnem gloriã Cedarenorum perituram. Si percuncteris, quo tempore illis hæc à prophe- ta prædicta calamitas acciderit: tempus indicat uates, cum ait, Exacto anno. I. gitur ut annus ab edito hoc oraculo defluxisset, his Ismaelitis sua mala uindice scelerum Deo euenerunt. Vnde efficitur, aliud tempus nostrum uatem, aliud Ieremiam in denunciatione cladis Cedarenorum spectasse. A' nostro uate tempus, quo Assyrius Israelitas & uicina regna bello adortus est: à Ieremia, quo Nabuchodonosor rex Chaldæorum illos uexauit, spectatum.

Et reliquiæ numeri sagittariorum.) Vt ex Israelitis, omnia uastante Assyrio, reliquiæ seruatæ sunt: ita etiam ex Ismaelitis. Eius rei mysticam rationem ex Genesi pe- tant pij: in quo libro legimus, ut quædam Ismaelitæ ex Agare ancilla patre Abrahamo propagati, cum Isaaco & eius sobole communia habeant, non sine umbra rerum futurarum. In qua ut perpendendus sit Abrahamus pater, Agar ancilla Ismaelis, circumcisio, eius in solitudinem Arabum expositio, & propa- Genes. 17. gatio in duodecim gentes, & uox illa Abrahami, Vtinam uiuat Ismael, illic annotatum est.

Deus Israel.) Ex fœdere, quod respiciens Dominus, non sinit inultas gentes, quæ durius & asperius Israelitas tractarint. Atq; hãc consolationem intelligat Ecclesia ad se omnibus temporibus, quibus à suis Moabitis, Ammonitis, Assyrijs & Babylonijs uexatur, pertinere.

IN CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

ONVS *uallis uisionis.*) Gentibus perstrictis grauioribus uaticinijs, iam ad Hierosolymam, cuius uitia reprehendat, & ei suam calamitatem qua à Chaldæis afficienda sit prædicat, reuertitur. Nam Hierosolyma ciuitas in cœlestis Hierosolymæ mysterio, ut finis omnium est: ita diuina oracula etiam quæ in gentes edita leguntur, ad illam referuntur. Huic autem ut regna mundi & eorum casus deseruiant, suprà annotatum est. Et ad hanc occasionem ut gẽtium regnis Hierosolyma obnoxia fieret, Chananæa in medio orbis terrarum sita, à Domino delecta est, in qua diuinus populus ad magna mysteria patefacienda habitaret, expositus ad uexandum omnibus terrarum populis. Vt autem hunc Assyrij, Babylonij, Medi, Persæ, Arabes, Aegyptij, Græci, Romani, Hispani, Afri, Galli, & Germani,

mani, ſub ſignis Romanorum militantes uexarint, exilia eius in cunctis terrarum finibus myſticis notis referta, documento ſunt. Sed de his aliàs. Redeamus ad explicandum uatem Ieſaiam. Is Hieroſolymam uiſionis uallem uocans, primò ſitum eius reſpicit, quòd ea à Sione monte, in quo arx Dauid ſummum locum tenebat, in uallem decliuis deuergeret. Huc ſpectans Paraphraſtes, reddit: Quæ uerſaris in ualle. Aut uallem uocat, deiectionem eius & ruinam perpendens. Tu Hieroſolyma, quæ hactenus florens regno & doctrina cœleſti, elata es ſuper cætera orbis terrarum regna, iam deijcieris ex monte in depreſſam uallem: hoc eſt, tua priſtina dignitate ſpoliata, tota deprimêris & humiliaberis. Quò refertur illud Hieremiæ in lugubri carmine: Quomodo deiecit de cœlo in terram decus Iſraelitarum? item: Humi que ſtratum profanauit eius regnum. Quòd autem uiſionis uallem uocat, id fit partim quòd ſacra ciuitas prophetis abundauit, qui uidentes in ſacris literis, à uiſis quorum luce illuſtrantur, appellati ſunt: partim quòd tota oracularis diſciplina ad illam ut caput, regni que & ſacerdotij totius que cultus Dei ſedem referatur.

Quid nam tibi quoque eſt?) Interrogationem adhibet, ad exprimendam plenam ſtupore lamentationem, de tam graui & acerbo Hieroſolymæ caſu. Atque hæc lamentatio contentione tractanda eſt, qua calamitas cum felicitate qua floruit comparetur. Simile exordium lamentationis ab admiratione inſtituit Hieremias, in lugubri ſuo de ruina Hieroſolymæ carmine: Quomodo ſedet ſola ciuitas populoſa? Dicitur autem tecta conſcendiſſe, quæ uel hoſtes aduenientes ſpecularetur, uel ſe de tectis defenderet, hoſte iam intra mœnia urbis expugnatæ graſſante. Quid, inquit, tibi accidit, ut metu hoſtium tecta conſcenderes, quæ antea horribilis hoſtibus fuiſti? *Thren. 1.*

Clamoris plena.) quæ ſtrepentibus turbis antea plena fuiſti, iam exhauſta uiris calamitate bellica, ſola manes. Hanc contentionem Hieremias, ut citatum eſt, his uerbis explicat: Quomodo ſola manet urbs tam populoſa?

Ciuitas exultans.) ob res proſperas: ut erat rerum abundantia, tranquillitas, uictoria de hoſtibus, ſplendor regius admirabilis cunctis gentibus. Vt etiam profani ſcriptores clariſsimã Orientis urbium, non ludææ modò, fuiſſe Hieroſolymam dicant. Tu, quæ antea regnantibus Dauide & Salomone talis fuiſti, læta & exultans: iam eo ſtatu res tuæ ſunt, ut omnia luctus repleat. Similiter Hieremias: Humi ſedent, conticeſcunt ſenatores filiæ Sionis, impoſito capiti puluere, ſaccis amicti: demittunt ad terram caput Hieroſolymitanæ uirgines. *Thren. 2.*

Non interfecti gladio.) more fortium uirorum: ſed fame, qui metu ſe intra muros continentes, cum hoſte manu conſerere fortiter non ſint auſi. Vt ſuprà: Omnis in tecta conſcendiſti. Et quantum ad famem attinet, legimus in libro quarto Regum: Inualuitq; fames in ciuitate. Similiter Hieremias: Matres ſuas rogant, ubi frumentum ſit, & uinum.

Duręq; legati ſunt.) metu intentorum arcuum ſe dedentes, à ſagittarijs uincti ſunt. Vocanda huc hiſtoria de Zedechia & principibus eius, ex quarto libro Regum, capite uiceſimoquinto.

Amarè flebo.) Propheta ſe ad miſerum Hieroſolymæ ſtatum deplangendum conuertit. Similiter Hieremias: Quis dabit capiti meo aquam? Eodem modo Ezechiel: Heu mihi Domine, delebis ne reliquias Iſrael? Tanto dolore ſe affici dicit uates ex præuiſa calamitate Hieroſolymorum, ut nullam conſolationem admittat. Quo in luctu amplificat miſeriam populi ſui, & oſtendit, ut ſancti uates in eos ad quos prophetas agunt, compoſiti eſſe debeant. Hos debere illorum proſperitatem, ſuam proſperitatem: & infelicitatem, ſuam infelicitatem agnoſcere. Sed cuius exemplo hoc debent facere? Exemplo *Ierem. 9.* *Ezech. 9.*

Messiæ Domini, qui sponsæ suæ cœlestis Hierosolymę, sed in terra peregrinantis, delicta & interitum & omnia eius mala in se recipit, & sua esse reputat, de quò infrà propheta: Attritus est propter scelera populi sui. Sed cur luxit propheta tantopere suę ciuitatis miserum casum? Num is ut accideret ei, ipsa non meruit? Absit. Sciebat enim & hanc meritam illum, & à Deo iusto iudice importatum. Cur igitur in tanto luctu fuit? Quòd populus is semel in diuinum fœdus receptus esset, lege, oraculis, cultu & promissionibus Messię insignis. Quę ornamenta cum uideret Hierosolymę culpa defœdari, & hostē aduersus ipsam & Deum eius insolentius superbire, qui tam potens non esset ut suos Israelitas defenderet, ueluti illos arrogāter gloriatos Hieremias cōquerit, cum ait: Aperuerunt in te os suum inimici tui, & sibilātes dentibus frendunt: Absorpsimus, inquiunt, hęc dies est quam expectauimus, nacti sumus, uidimus. Hęc inquā in calamitatibus Hierosolymorum uidens contingere uates, in tantum se dedit luctum, animaduertens cum pijs populi sui, in ruina sacrę ciuitatis Dei fœdus, gloriam, regnum, sacerdotium, templiq; cultum, & omnia quæ antecesserant ornamenta dehonestari. At uerò non est existimandum, nostrum prophetam suę urbis solum cladem luxisse: sed longius eum prospicientem sub imagine & figura mystice Hierosolymæ, horribilem desolationem alterius Hierosolymæ, qua illam Babylonius tyrannus Antichristus erat deuastaturus, lamentatum credi debet: qui præuideret ex uiso oraculari, illam temporibus Apostolorum Messiæ Euangelio bene extruendam, & in templo, quod sancti sunt, diuinum fidei & amoris Dei cultum peragendum, laudisq; sacrificia offerēda, atq; ciues eius exultaturos præ cœlestium bonorum abundantia. Deinde autem filium perditum per Babylonium regem præfiguratum, omnia illa bona, uastato templo & eius sacris profanatis ablaturum: quem non luctum illi hęc præuisa in oraculo mala in Ecclesiā peruasura attulisse putabimus? Hodie pij homines hæc mala in Ecclesiam electorum misere uexatam & discerptam illata sentiunt & lamētantur: gratiasq; agunt Deo patri, per hunc patefactionis Messiæ aduentum, finem regni Babylonij Antichristi appropinquare, ad redimendos electos, & eos in libertatem cœlestis regni asserendos.

Thren. 2.

Filij interfectionis.) Ad amplificandam cladem incremento utitur, quod his uerbis מהומיה מבוסה מבוכה exprimitur: Tumultus, conculcatio, confusio. Hæc accidunt in expugnatione urbium, primùm motu & tumultu excitato, deinde cæde omnia proculcante, postremò confusione, præ qua nemo intelligat quid agat, omni deliberandi & consultandi ratione sublata. Hæc contigerunt Hierosolymis à Nabuchodonosore captis. Reducto uelo mysticæ cladis, ut hæc alteri Hierosolymæ à suo Babylonio acciderint, & etiamnum accidant, satis manifestum est.

A' Domino Deo.) Dicat aliquis, perniciem Israelitarum ex Deo non esse: sed, ut est apud Oseam, ex illis ipsis. Ab utrisque est. A' Deo, ut iusto uindice delictorum: ab Israelitis, ut miseri status autoribus, per improbitatem & culpam. Hæc sententia in natura scripta, gentium uatibus non fuit ignota. Sic enim Græcus uates Dei uoluntatem perfici canit, cladibus in homines importatis:

Oseæ 13.

Iliad. 1. —— διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

Scrutans muros.) Muris dirutis hostem in urbem irrupisse, fragore clamoreq; excitato, qui ad montes ipsos resonaret. Hac hypotyposi expugnationem urbis depingit. De hac interruptione murorum uideris libro quarto Regum: Et interrupta est ciuitas. Multæ uoces in hac lingua per antiphrasim usurpantur: ut שרש pro eradicare, סקל pro elapidare, & hic קרקר pro murum & mœnia diruere & complanare.

Elam.) Persas etiam cum Babylonijs iunctos, Hierosolymam oppugnaturos. Hi hostes Babyloniorum tum non erant. Itaque qui cum Babylonio sacram urbem

urbem infestarint, eius postea instaurandæ & exilij Babylonij soluendi autores fuerunt. Deponendum uelum.

Et parietem.) Hebræus parietem non habet, sed urbis nomen est חיר, de qua in libris Regum fit mentio. 4. Reg. 16.

Et erunt electæ ualles tuæ.) Rephaim & Hinnon. De quibus uallibus uideris in Iosua capite XV.

Et reuelabitur operimentum.) Figuratè aliena præsidia significantur. Sententia est. In hac calamitate patefiet, quibus præsidijs confiderint: eos non Deo suo, sed armis, munitionibus, & templo confidisse: qui putarint, quamuis fide carerent, se propter templum eius'que cultum tutos fore, quos non sineret Deus ab hoste euerti. Hinc illa iactata uox: Templum Domini, templum Domini. Atque hinc accidit, ut prophetis qui contra Hierosolymam prophetabant, necem intentarint. Res igitur aduersæ, tanquam probator ignis, quæ sint operimenta fidei & hypocriseos, colentis Deum in ceremonijs sine fide, declarant. Tegumentum nimirum proborum esse Deum in Christo: nullam creatam naturam, nullam ceremoniam, sub quocunque prætextu uerbi Dei: improborum uerò, humana præsidia. Atque hoc ipsum est quod hic legimus: Et patefiet operimentum Iudæ. Sic in statu Ecclesiæ his temporibus per res aduersas patefit, quæ sint operimenta nostra: hoc est, quibus subsidijs nitamur: humanis'ne, ut sunt fœdera cum uicinis, munitiones, opes, prudentia carnis, externa symbola: an diuinis, ut sunt, fides qua Deo confidimus, & spes qua Dei promissis nitimur, uni Christo affixis, in quo & per quem præstentur, & de eis unica sphragide spiritu sacro nos confirmante. Quam nobis sub figura carnis circumcisio retulit, cuius ueritatis in spiritu Messiæ unico arrabone corda electorum circumcidente & circumcisa corroborante cernitur. Ephes. 1.

Et uidebitis in die illa.) Explicatur operimentum. In tertio libro Regum, capite septimo legimus, à Salomone Hierosolymis ædificatam domum, in qua arma reponerentur, quæ syluæ domus appellabatur, quòd esset ex materie è Libano apportata extructa. Ad hæc arma & ciuitatis munitiones spectabat Iuda, qui Dominum fide spectare debebat, quem quæreret per pœnitentiam, non eum per impœnitentiã à se abalienaret, contempta hac fœderis lege: Ama Dominum Deum tuum.

Ciuitatis Dauid.) Sionis. De qua secundo Regum, capite quinto.

Et domus Hierusalem numeraſtis.) ad agendum ciuium censum, & ad cognoscendum qui per uices custodias urbis agãt, quotq; sint capita urbem defendentiũ.

Et destruxistis domos.) uicinas muris. Prope muros enim spacia relinquuntur, in quibus præsidia locentur, & munitiones, è quibus hostis à muris repellatur, fiant. Ad hæc dirutæ domus aptam materiem farciendis muris, & munitionibus faciendis præbent. Eodem studio ad aquas conceptaculum intra muros paratur, ne facile hosti in urbem pateat irruptio. Vates ordine enumerat humana præsidia, quæ sit spectatura Hierosolyma, diuinis neglectis.

Et non ſuſpexiſtis ad eum.) in quem ante omnia spectare fide oportebat. Qui si opem ferat, res bene habet: sin secus, stat illud, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilant qui custodiunt eam. In hac uigilia omnia consilia, studia & præsidia huius mundi continentur, quæ omnia frustra tentantur neglecto Deo. Exprobratur perfidia, ad exponendam causam tantę calamitatis. Psal. 126.

Qui fecerat eam.) Dicitur hic Deus formator Hierosolymæ. Vnde augetur crimen Hierosolymæ, quæ suum conditorem neglexerit, qui iam olim ipsam formarit in decretis prouidentiæ suæ. In qua, Hierosolyma electorum ante iacta fundamenta mundi in Messia delecta fuit, quæ Dei sancta ciuitas esset. Sapienter ergo ueteres Hebræorum sapientes dixerunt, hæc ab æterno in præuisione diuina fuisse ante conditum mundum, Messiam, Hierosolymam, Templum, Paradisum, Legem. Ephes. 1.

Et uocauit.) A' contempta pœnitentia reprehensio: ante immissam calamitatem eos ad pœnitentiam per prophetas uocatos. Sed his contemptis, securè uitam pro libidine transegisse.

In die illa.) A' neglecta occasione pœnitentiæ, cum paterêt ante extremam calamitatem redeundi ad Dominum uia. Vt hæc expostulatio in nos, qui pari culpa tenemur, quoque conueniat, res ipsa docet. Hodie in rebus prosperis sine metu Dei securè uiuitur: in rebus aduersis ad Deum per pœnitentiam non confugitur, sed ad humana auxilia. Hoc modo perierunt diluuio, qui Noæ ad pœnitentiam reuocantis conciones aspernati sunt. Sic igni cœlesti Sodoma & Gomorrha conflagarunt, Lotho concionatore despecto. idem Pharaoni temporibus Mosæ, Chananæis sub Iosua, & postea decem tribubus Israelitarum, ut conciones Eliæ, Elisæi, & cæterorum prophetarum contemptsissent, accidit. Atq; quod his accidit, Hierosolymæ quoque pœnitentiam omnem auersanti accidit. Et sub figura Hierosolymæ mysticæ, idem etiam alteri Hierosolymæ euẽturum temporibus Antichristi Iesaias præuidit. Intueamur nostra tempora.

Ad fletum.) Signa pœnitentiæ numerat, lachrymas, luctum, detonsionem capillorum, saccum pro amictu. Dico signa hæc esse pœnitentiæ. Nam uera pœnitentia in his non est sita, sed in odio delictorum, ex amore Dei & fiducia eius misericordiæ nata. Siquidem etiam impij de peccato lachrymantur: ut documento sunt lachrymæ Esai, luctus Cain, Sauli & Iudæ: Achab induit saccum, nõ item pœnitentiam ueram. Hinc illud Ioelis: Scindite corda uestra, non uestimenta uestra.

Vera pœnitentia.

Ioel. 2.

Ecce gaudium & læticiam.) A' securitate reprehensio.

Cras enim moriemur.) A' diuini iudicij contemptu. Primò tales contemptui habere diuinos uates, & oracula per eos denunciata. deinde, quod proximũ est, eosdem iudicij Dei nullam rationem ducere: hoc est, non credere Deum esse, qui in delicta ipsorum animaduertat. quod hæc securitatis de iudicio Dei uox indicat: Comedamus & bibamus. Postremò, neque etiam eos credere futurũ aliquod in altero seculo iudicium, in quo præmijs ornentur probi, & supplicio afficiantur improbi. dicunt enim: Cras moriemur. Qua uoce declarant, corpora pariter & animos bestiarũ ritu interire, nullam q; spem supereesse resurrectionis è mortuis, néue iustorum ad salutem, néue iniustorũ ad exitium. Sic enim Apostolus in priore ad Corinth. epistola, hæc uatis nostri uerba in eos citat, qui resurrectionem mortuorũ negant: Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Similia sentientium & loquentium, magnum numerum inuenies in Antichristi regno: qui post hanc uitam nullam superfuturam credunt. At sic sentire & uiuere, quid aliud est quàm putare aut Deum non esse: & si sit, iustum tamen eũ non esse, ut quem non credant de sceleratis sumpturum pœnam: aut si credunt eum iustum esse: uerbum tamen eius nõ esse, id quod Moses, Prophetę & Apostoli nunciarunt, & ij annunciant qui Mosem Prophetas & Apostolorũ doctrinam explicant, credũt: aut si credũt illorum doctrinã Dei doctrinã esse, ab eius spiritu per illos proditam, eam tamen ad se pertinere non credunt: quod æquè flagitiosum est, Deũ uidelicet putare temerè & frustra sua oracula edidisse, quæ ad ipsos non pertineant. Neq; etiam in eo se purgabunt, si dicant, eos à quibus seuerius ad pœnitentiam inuitantur, à Deo missos non esse, qui admoneant de uitijs deponendis, in quibus etiam ipsis uitia & næui cernantur. Non enim quales sint ij qui docent, spectari debet: sed qualia & quæ sint quæ docentur. Nam personæ quæ docent, auditores non damnabunt & seruabunt: sed doctrina quæ docetur. Sic enim Dominus de suo sermone loquitur: Sermo meus quem locutus sum, iudicabit eum in extremo die. Et de cathedra Mosæ apud Euangelistam: In cathedra Mosæ sedent Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque iusserint uos seruare, seruate & facite, secundum uerò opera eorum nolite facere.

1. Corinth. 15.

Ioan. 12.

Vbi

Vbi non dicit personas spectandas esse, sed doctrinam, & eam Dei, ex cuius præscripto sit uiuendum. Neq; uerò propterea improbis doctoribus patrocinatur Dominus, cum dicit personam doctoris non esse considerandam, sed doctrinam. nam improbos ut redarguat, declarant ab eo grauiter reprehensi hypocritæ pharisæi, qui etiam quales esse debeant, qui docendo fructum afferre uelint, his uerbis indicat: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant bona uestra opera, glorificentq; patrem uestrum qui est in cœlis. Itaq; non solum doctrina cœlestis in ore ministrorũ eius uersari, sed etiam eius lux in pectore ipsorum lucere debet, ut in eos competat illud Domini: Vos estis lux mundi. item: Vos estis sal terræ. quod si sal infatuatum fuerit, quo salietur? A quo sale sapientiæ & ueræ probitatis, quod Messias per suum spiritum est, ministri noui fœderis, spiritus, non literæ, uitæ, non mortis ministri & dispensatores dicuntur. Ad quod munus fungendum, ex halitu Messiæ Apostoli spiritum sanctum acceperunt: Flauit in eos dicens, Accipite spiritum sanctum. Qui in sale illo continetur, de quo iam meminimus: Vos estis sal terræ. Nam ut sal igneum spiritum & uim contineat, satis est ijs compertum, qui salis naturam norunt. Neq; propterea tamen auditores in credendo probi doctoris personam respicere debent, sed doctrinam quam affert: cui, si consentiat cum sacris literis, fides debetur, non homini, quamlibet siue in specie siue uere probo. Matth. 5. Ioan. 20.

Et reuelata est in auribus meis.) Secus quàm uos putatis, qui dicitis: Nemo est qui uideat. Sunt qui relationem primæ personæ, In auribus meis, referunt ad prophetam, hunc percepisse sententiam diuinam in rebelles pronunciatam: in qua sententia Paraphrastes Chaldæus est. Sunt qui ad Dominum referunt, & אדני pronomen subaudiunt, in hunc modum: In auribus meis patefacta est perfidia populi mei: Ego Dominus: si expietur crimen hoc, donec moriamini. ut accipiatur, iureiurando interposito Deum uelle in scelera rebellis Hierosolymę uindicare. Vnde cognoscimus, Dei sententias in utramque partem firmas & ratas esse, siue salus danda sit, siue exitium intentandum. nam utrinq; iusiurandum interponitur. Quod autem inter utrumq; iuramentum intersit, discrimen operum iræ & gratiæ declarat, quorum alterum proprium est, alterum alienum: alterum fine caret, alterum habet.

Donec moriamini.) Aequa sententia in eos qui dixerunt, Cras moriemur, fertur. Sunt aliquot certę notę & indicia, ex quibus intelligimus ad quæ tempora hoc oraculum referendum sit: nimirum nõ ad Sennacheribi & Ezechiæ, sed ad Nabuchodonosoris & Sedechię tempora referendum esse. nam temporibus Ezechiæ fides Domino habita fuit, & pœnitentia adornata: ueluti ex historia Regum patet. Deinde legimus, tempore Ezechiæ Hierosolymam liberatam, & ciues eius hostili ferro non cæsos: contrà quàm hic proditur fore, Donec moriamini. De qua misera clade in hunc modum mentio fit in Paralipomenis: Adduxit em̃ super eos regẽ Chaldæorũ, & interfecit iuuenes eorũ gladio in sanctuario: non est misertus neq; adolescentum, neq; uirginum, neq; senum. Atq; hoc ipsum est quod hic scribitur, Donec moriamini. Paraphrastes interpretatur de ea morte quę improbis in altero seculo accidit. Simplex sententia est, Deum minari mortem, qua gladio & peste sint ex hoc seculo auferendi. Dicas: Qui sic mulctantur, eos in futuro quoq; seculo salutis expertes fore, ut in noxa & crimine morientes. Sed de hac quæstione aliàs.

Si dimittetur iniquitas hæc.) Hebræus expiandi uerbũ habet, si expiabitur: hoc est, expiando dimittetur. Nam peccata non cõdonantur, nisi expiata sint & expurgata, ut ex Mosęa lege liquidũ est, ex cuius præscripto pecudũ sanguine expiata delicta remittebantur ciuili remissione, ac legali: ad præfigurandum, nisi Messiæ sanguine expientur peccata, eis ueniam nullam dari. At quorum expiantur crimina? Illorum sanè, qui Euangelio pœnitentiam agentes fidem habent.

Itaque cum tempore Sedechiæ pœnitentia abesset, & Christi seculo præsenti Euangelium contemneretur à Hierosolyma, necato Christo expiatore, in utrumque tempus conuenit hæc sententia: Si expiabitur improbitas hæc, donec moriamini. Et submoto uelo mysticæ Hierosolymæ, in omnia tempora congruit hæc comminatio, quibus sacræ doctrinæ ad pœnitentiam inuitanti reclamatur, laxato sceleribus freno. Intueamur hæc nostra nouissima tempora, in quæ Mosæ fontis prophetarum, & sequentium prophetarum oculus pro amplitudine & latitudine sua prospexit. Hodie cum Hierosolyma sentiemus indubitata iræ diuinæ in orbem terrarum effundendæ signa esse, contemptum doctrinę cœlestis, & neglectam pœnitentiam, atq; securitatē in male uiuendo.

Hæc dicit Dominus.) Quo tempore hoc oracului in Sobnam sit editum, non constat. Sicut nec explicatur tempus, quo superius editum sit de Hierosolymæ ruina oracului. Apparet tamen eo tempore editum, quo Hierosolyma, soluta Sennacheribi obsidione, liberata fuit, iam Ezechia paulò insolentiore facto: ueluti nos legimus infrà, & in quarto Regum libro, uatem Iesaiam mala Ezechiæ quæ in uaticinio iam relato exponuntur, denunciasse. Tum autem, cum uideret Sobnam, hominē superbum, arroganter se gerere, & insolenter, sibiq; & cæteris uatibus ad pœnitentiam reuocantibus populum, infestum esse: uates noster, ut apparet, hac graui concione eum perstrinxit. De hoc Sobna infrà scriptum est, eum tempore quo Hierosolymam oppugnabat Assyrius, scribam fuisse: hic uerò סבן, hoc est dispensatorem, & regiorum thesaurorum prefectum. Quo munere antea Eliacimus functus fuerat, ueluti infrà capite trigesimoseptimo legitur: Misitq; Eliacimum domus præfectum, & Sobnam scribam. Vnde colligitur, Eliacimum primò præfectum aulæ regiæ, & Sobnam scribam fuisse. Postea uerò deiecto Eliacimo de gradu suæ dignitatis, Sobnam ei succesisse in amplo illo & splendido munere. Quod cum insolenter administraret, se prophetæ monitionibus opponens, iussus Iesaias à Domino est, ut hoc prophetico onere illius fastum & superbiam deprimeret, uindice Deo, qui superbos deiicit, & summissos ac humiles effert. Qualis tum fuit Eliacimus, ut ex hoc oracului discemus.

Qui habitat in tabernaculo.) Non est in Hebræo tabernaculum, sed thesaurorum procurator. Ideo Paraphrastes pro סבן reddit פרגסא. Cæterum demonstratio זה, sale non carens, per contemptum adhibetur: Adi quæstorem istum.

Præpositum templi.) Receptiore sententia, de domo regia בית accipitur.

Quid tu hic?) Insultatio prophetica, qua in Sobnam, ut male de Hierosolymis meritum hominem, insultat. Quid hic tibi in sacra ciuitate Hierosolyma rei est? aut quem habes hic ex familia tua? Obiicit obscuritatem generis. Ex his uerbis colligunt interpretes, alienigenam, non Iudæum fuisse Sobnam. coniecturam confirmant ex eo, quòd genus eius non memoratur, ut hic Eliacimi genus memoratur.

Quia hic tibi sepulchrum excidisti.) quasi hic māsurus, & Hierosolymæ moriturus, perpetuoq; quęstoris munere functurus. Sed falleris, ut sequitur.

Sicut asportatur gallus gallinaceus.) Hieronymus fatetur, cur gallum ex גבר redderet, præceptorem suum Hebræum autorem fuisse. Hebræos nonnullos ita uertere, declarat Hebræus Salomon, qui ex Hebræorū sententia reddit pro תרנגל. At receptior interpretatio est, ut uertatur uir, ex גבר. Sic etiam Paraphrastes, & LXX ἀνδρα.

Es quasi amictum.) Hebræus indicat, conuolutum Sobnam ac contortum tanquam pilam in spacioſam terram, à Domino proiiciendum. Scita similitudine colorat proiectionem Sobnæ.

Et ibi erit currus gloriæ tuæ.) Gloriam in Sobna, in ignominiā & opprobriū conuersum iri. Contraria ratio uicissitudinis ignominiæ & glorię in sanctis cernit.

Nam

Nam in his ignominia in gloriam conuertitur, in impijs gloriæ opprobriũ succedit. Is est exitus eorum quæ ampla & magnifica cernuntur in mundo.

Ignominia domus domini tui.) Ezechiæ aut Manassæ dehonestamento futurum. Nam significat, uel ab Ezechia supplicio afficiendum, uel cum Manasse in exilium translatum miserè periturum.

Et expellam de statione tua.) De dignitatis sede ac gradu illum deturbandum, qui honore & dignitate ad dehonestandum Deum abusus fuisset. Is est finis eorũ qui muneribus diuinis per superbiam abutuntur. Quos nobis in Sobna considerandos proponat uates, facilè cognoscemus, si in superbos illos hypocritas, in Ecclesia ciuitatis Dauidis Messiæ, principem locum sibi uendicantes intuearmur: quos in munere suo non gloriam Dei, sed suam, non utilitates & opes ciuitatis Ecclesiæ, sed sua cõmoda & opes spectare constat. Atq; hi sanè, ut fruantur sua gloria & diuitijs per superbiam, & eorum quibus præsunt pernicie, rectè admonentes prophetas nõ ferunt, doctores pœnitentiæ respuunt, & quantum in ipsis est, perdere student, ut citra reprehensionem pro libidine uiuant. Sed quid his accidet tandem? Sanè id eis accidet, quod Sobnę accidit. Qui cum mortuus per uitia, & non uiuus uita Dei per probitatem, in sepulchro in speciem magnifico, sed quod esset recepturum mortuum cadauer, extruendo occuparetur, de gradu honorum deiectus est, & instar pilæ rotatus, qui uolubilem fortunam ueris & firmis bonis antepositisset, perijt, eius dignitate ad alium translata. In quo suo casu ueram illam Domini nostri sententiam esse declarauit: Et qui non habet, auferetur etiam id quod habet ab eo: hoc est, qui non habet fidei & amoris Dei opes, etiam id quod habet, aut potius se habere putat, ut sunt honores, opes, ingenij ornamẽta, amittet. Hinc illud in Psalmo de Iuda: Episcopatum eius accipiet alius. Itaque ruinæ & miseri magnorum hominum in mundo casus in Sobna spectandi nobis proponuntur. Qui cogitare debent, ut sapienter quidam dixit, fortunam opes & honores non dono, sed mutuò dare: neque quenquam diuitias ut proprias possidere, sed precariò, ut Dei munera. ut id etiam Tragicus intellexit:

ὅτοι τὰ χρήματ' ἴδια κεκτῆσθαι βροτοὶ,
τὰ τῶν θεῶν ἔχοντες ἐπιμελούμεθα.

Vocabo seruum meum Eliacim.) Duo nobis hic exempla diuinæ iusticiæ proponuntur: alterum in deprimendo superborum fastu, alterum in extollendis humilibus ad gloriam cernitur. Et in his exemplis declaratur, quæ uitia præcipuè in superbis ministris publicorum munerum siue ciuilium siue sacrorum reprehendantur, & quæ uirtutes in probis laudentur. Vitia improborum in Sobna explicata sunt, uirtutes in Eliacimo iam explicabuntur. Legitur primò hic, Vocabo: qua uoce admonemur, legitimum ministrum Dei esse, non qui currat non missus, sed qui currat uocatus à Deo, non à mundo & eius principe satana: qualis fuit Eliacimus. Vocantur autem à mundo, quos honorum & pecuniæ cupiditas, non studium amplificandi nomen Dei, & bene merendi de republica, ad publica munera gerenda impellit: quorum omnibus temporibus magnus numerus fuit, maximus autem temporibus Antichristi. Contrà comparati sunt, de quibus Hieremias: Currebant, & non mittebam eos. Intelligunt autem se uocari à Deo, qui aut spiritu doctore cognoscunt se uocari, sine arbitris hominibus: (hoc modo Moses, Prophetę & Apostoli uocatos se nouerunt:) aut qui ab hominibus, sed ex præscripto ordinationis diuinę, se ad munus obeundum accersitos credunt: ut sunt, qui uel ab Ecclesia Christi ad ecclesiasticum munus, uel à magistratu ciuili ad ciuile officium administrandum uocantur. Hi sic uocati, sciunt se honestè & legitimè uocatos, cum non ambitione & auaricia duce, sed benemerendi de repub. studio, ad publicum munus accedunt. *Hieremi. 23.*

Induam

Induam illum tunica tua.) In ueſtitu & cinctu muneris ornamenta notantur, quæ auferenda Sobnæ ſint, & aſsignanda Eliacimo. In ueſtitu uirtutum ornatus, in cinctu cupiditatum & affectuum frenatio ſignificatur. Cinctus nimirũ, de quo
11. ſuprà: Et iuſticia cingulum lumborum eius.

Et erit quaſi pater habitantium.) poteſtate ſua functurus, non ut tyrannus, ſed ut pater. Si reducto uelo conſideres, in ciuitate Dauidis Meſsiæ, Meſsiam ipſum, ut is ſuorum Iſraelitarum cura & adminiſtratione ſalutis à patre ſuo accepta, pater appelletur, uates ſuprà oſtendit, ubi ait: Pater futuri ſeculi. Sin eos perpendis quos Chriſtus ſuarum opum diſpenſatores ordinat, Apoſtolus de ſe dicit: Ego in IESV CHRISTO per Euangelium uos genui. Contrà 10
compoſitus eſt is, quem Sobna, ex Iudæis exiens, cum (ut uolunt) non eſſet Iudæus, homo ambitioſus, auarus, & oraculorum Dei contemptor præfigu-
Antichriſtus. rauit, qui ex nobis prodiens in templo Dei & in ciuitate Eccleſia tyrannum
1. Ioan. 2. agit, non patrem: lupum, non paſtorem: lupum inquam, qui oues mactet, ad ueſcendum earum carne, nõ paſcat ut ſeruentur: & terrenos theſauros quos congreget curat cum Sobna, cœleſtes negligens: & ab eis ne eos conſequãtur, alios abarcens. & hæc faciens, in ſepulchro ædificando, in quo mortuus iaceat, occupatur, qui cœleſti uita in Meſsia careat.

Et dabo clauem domus Dauid.) aperiendi & claudendi regios theſauros poteſtatem. Non leuem autem curam eſſe rectè theſauros procurandi & diſpen- 20
ſandi, figurata de humeris, quibus ferenda onera imponuntur, mentio indicat. Reducto clauium & theſaurorum uelamine, occurrunt claues primò ſcientiæ, quibus cœleſtis domus Dauidis, hoc eſt Meſsiæ theſauri aperiuntur. de
Matth. 6. quibus diſpenſator ipſe: Sed recondite uobis theſauros in cœlo. Sed quos theſauros? Theſauros iuſticiæ, ſapientiæ, uitæ & gloriæ cœleſtis regni. Atque hos Chriſtus ipſe per ſuos Apoſtolos & prophetas, ut myſteriorum regni cœ-
1. Corinth. 4. lorum miniſtros & diſpenſatores, patefacit. de quo Apoſtolus: Sic nos æſtimet homo, tanquam miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Deinde præter claues has ſcientiæ myſteriorum Dei, occurrunt claues iudiciariæ, quæ poteſtatem ligandi & abſoluendi, claudendi & aperiendi cœlum con- 30
Matth. 16. tinent, de quibus Dominus ipſe his uerbis: Dabo tibi claues regni cœlorum: quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis: & quicquid ſolueris in ter-
20 ra, erit ſolutum in cœlis. Item apud Ioannem: Accipite ſpiritum ſanctum: quorumcunque remiſeritis peccata, &c. Quibus uerbis exponitur, quid ſit ligare in terra, & quid ſoluere. Ligare uidelicet eſſe, peccatorem obſtrictum iure peccati tenere: ſoluere uerò, illo liberare. quod fit, cum pronunciatur, ijs qui fidem enunciato Euangelio habent, ueniam delictorum dari, & eos patri reconciliari: fidem uerò non habentibus, ueniam negari. Dicuntur autem hæ ligandi & ſoluendi claues Dauidis, hoc eſt Meſsiæ claues, quòd huic à patre ſit data omnis iudicandi, hoc eſt damnandi & abſoluendi poteſtas, tanquam ſummo 40
cœli & terræ & inferni principi ac Domino. Et uocatur Meſsias Dauid, quòd
3. Dauidi is promiſſus ſit, qui ex eo naſceretur. ueluti legimus apud Oſeam,
37. & apud Ezechielem, Chriſtum Dominum noſtrum diſertè Dauidem appellari. Vnde cognoſcimus primò, quantus & quàm pernicialis error ſit, quo nuper quendam ſatan faſcinauit, qui auſus eſt profiteri, publicè ſcriptis de hoc errore editis, ſe poſt Dauidem primum, & alterum IESVM CHRISTVM, tertium illum & uerum Dauidem eſſe, cuius in ſacris literis toties fit mentio: omnesq; promiſsiones quæ de illo, ut omnium inſtauratore in prophetis expoſitæ ſunt, ad ſe referri debere, cui inſtaurandi omnia munus à Deo mandatum, 50
cuiq; ſoluendi & ligandi, condemnandi & abſoluendi poteſtas conceſſa ſit, qua Eccleſiam his nouiſsimis temporibus reparet in ſpiritu, per doctrinam

quam

quam ipse sit promulgaturus, ad quam Apostolica doctrina imperfecta habeatur. Qui error ut cum apertis fidei articulis pugnet, non est necesse comprobare: ut mirum sit, inueniri qui hunc sequantur. Sed hæc est ingratitudo mundi, per quam liceat Satanæ principi mundi, tam fœdos errores serere, quibus Deus perfidiam ingratorum hominum puniat: ut qui, cum nolint ueritati fidem habere, mendacijs habeant. Digni sanè qui à serpente ueteratore mendaciorum architecto seducti pereant, cum seruari à ueritate ipsa Messia nolint. Scriptura clarè IESVM CHRISTVM Nazareum, conceptum è spiritu sancto, & natum ex Maria uirgine, uerum hominem, & uerum Dei filium unigenam, in quo tota diuinitas habitat corporatè, esse illum Dauidem à Deo promissum, & neminem alium, testatur: atque hunc crucifixum sub Pontio Pilato, & mortuum, & tertio die excitatum è mortuis, in regium thronum patris sui elatum, accepto in omnia cœlestia & terrestria & infera imperio: eum' que solum caput designatum, ex quo spiritus regius & sacerdotalis dimanet, quo eius sponsa Ecclesia regatur, & aduersus omnes aduersarias potestates defendatur. Atque hoc fungi illam officio usquè in finem mundi credere debemus, nemini alteri hoc delegato, qui id obeat: illo ipso ociosum interim spectatorem agente. Sic enim ait: Ero uobiscum omnibus diebus usque ad consummationẽ seculi. Matth. 28.

Præterea Dominum nostrum IESVM CHRISTVM non confitebuntur, contrà quàm sacræ literæ docent, unum illum mortuorum & uiuorum iudicem constitutum, si alteri damnandi & absoluendi, maledicendi & benedicendi ius assignarint. neque doctrinam à CHRISTO IESV per Apostolos diuulgatam satis esse ex qua iudicium proferatur, dicent, contra ipsam ueritatem quæ sic ait: Sermo meus quem locutus sum, iudicabit eum in nouissimo die. Ioan. 12.

non dicit, Sermo quem locutus fuerit nouus aliquis Dauid, Deo & filio eius Christo & sacris literis tum propheticis tum Apostolicis ignotus. Apostolus ait, Deum iudicaturum occulta hominum secundum Euangelium suum, per ipsum Christum: non dicit, per Dauidem aliquem nouum & tertium. Non dicit item Apostolus, secundum aliam doctrinam quàm Euangelij, à se prædicatam, Deum mundum iudicaturum: sed, secundum suum Euangeliũ. Huius doctrina si manca est, & imperfecta, cur hanc Christus quæ ad afferendam salutem mundo satis esset, Apostolis mandauit prædicandam? Euntes in mundum prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, saluus erit. Dicit, eum qui crediderit Euangelio ab Apostolis prædicato, salutem fore: non qui nouæ doctrinæ Dauidis noui crediderit. Apostolus ait, Euangelium quod ipse prædicauit, per prophetas promissum fuisse. Qualis non est doctrina Dauidis huius falsi, quæ prophetarum oraculis & Apostolorum sermoni contraria est, & dissentanea. Apostolus Paulus ait ministros Euangelij à IESV CHRISTO missos, non literæ, sed spiritus ministros esse. Ad quod ministerium obeundum Christus suis spiritum suum inspirauit, dicens: Accipite spiritum sanctum. quem missum etiam de cœlo die Pentecostes legimus. Dominus noster IESVS CHRISTVS dicit, Spiritum sanctum de suo accipere quod det Ecclesiæ: non dicit, de spiritu alterius Dauidis. Quare temerè & frustra funditant uerba de nouo homine induendo, & uetere exuendo, qui ex solo IESV CHRISTO, ut capite suo, spiritum regeneratorem accipiendum esse non docent. Vt faciunt, qui Christum Iesum ab omni docendi officio, uel humana eius natura, uel diuina, uel utraque euersa, uacare somniant. Porrò si is Ecclesiæ electorum caput est, non alius erit caput, nisi aut Christum Iesum euanuisse dicas: aut si non euanuit, duo capita uni corpori iungenda esse existimes. alterum dicere, prorsus impium est: alterum, longè absurdissimum. Quomodo enim eum extinctum affirmabimus, qui dicat abijsse se ex hoc seculo ad patrem, ad

cuius

cuius dextram rex in omnia æternum imperium teneat? Qui præter hunc, alterum quendam Dauidem esse putant, qui iudicem summum & caput corporis Ecclesiæ præstet, hi confitebuntur, priorem non satis esse ad iudicandum & regendam sponsam suam capitis more & ritu: quod esset IESV CHRISTO, cui pater dedit omnem uiuos & mortuos iudicandi potestatem, quemq; caput, & eum unum, supra Ecclesiam constituit, suum honorem detrahere. Hæc de priore errore, qui de clauibus Dauidi Messiæ saluatori mundi datis, committitur. Alter error est illius, qui has claues tanquam summus in Ecclesia antistes sibi arroganter uendicat: ut etiam is nouissimus Dauid sibi, nouus Papa & Pontifex, superbè arrogat ac uendicat. cum unum summum sacerdotem & pontificem Ecclesia agnoscat, IESVM CHRISTVM, cui omnis à patre soluendi & ligandi noxæ reos potestas concessa sit, nemini alteri néue in cœlo, néue in terra: multo minus in terra homini facinoroso, sacrilego, uenefico, fœneratori, idololatræ, & omni libidinum genere infami. Huius error in eo confirmatur, quod tradit sibi potestatem esse quiduis in Ecclesia statuendi pro libidine. Ex quo errore effectum est, ut imperium suum falso prætentis clauibus Petro datis, in cœlum, terram, infernum, & in purgatorium ab ipso quæstus gratia (quem uberē ex illo facit) confictum extenderit. Qua arrogantia inflatus, quosuis sublato Euangelio per sua decreta audet soluere & ligare, damnare & absoluere, impijs ueniam dare se adorantibus, pijs Christum colentibus & sacrum eius Euangelium profitentibus negare: in cuius Euangelij unius administratione regni cœlorum claues continentur, non in cuiusquam creaturæ uerbo & doctrina. De his clauibus quæri hic solet, quàm latè pateat earum potestas? an'ne etiam per eas facinorosi capite plectantur: & ut qui in religione & eius sacra doctrina errant, tractandi sint. Huius quæstionis eam partem explicabimus, qua quæritur, ut tractandi sint in religione errantes. Nam ex huius partis expositione, quid generatim de facinorosis accipiendum sit, intelligetur. Duo genera eorū qui in religione errant, expēdenda erunt. Alterum eorum qui contumaciter errant, nulla admonitione adducendi, ut errorem quo semel se obstrinxerūt, ponāt: alterum eorum qui ita errant, ut parati sint errorem suum relinquere, si eius conuicti, meliora & ueriora docti fuerint. De hoc genere primò loquemur, de altero postea. Qui pertinaciter in doctrina fidei non errant, his, cum cœperint errorem suum agnoscere admissa ueritatis luce, Ecclesia ueniam dat, & eos in cōsortium ac communionem Sanctorum recipit, apertis regni cœlorum portis per claues, quas ad recludendum cœlum resipiscentibus à CHRISTO marito suo accepit. Nam is in mundum hunc à patre missus non propter sapientes & probos, sed propter insipientes ac errantes, quos sapientes, & propter improbos,
53. quos probos efficiat, uenit. De quo apud Iesaiam uatem sic loquitur pater: In scientia sua iustificabit seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. At hæc quoniam confessa sunt, in eis non morabimur. Ad alterum igitur genus, nimirum ad eos qui pertinaciter errant, conuertemur. ad eos inquam, qui non quasuis doctrinas falsas ferunt, sed tales quæ Dei & filij eius IESV CHRISTI nomen apertè opprobrio afficiunt, & perniciem humano generi afferunt. Quales sunt errores qui contra fidei articulos, quos symbolum Apostolicum continet, pugnant: ut, Si prouidentia diuina negetur, Si IESVS CHRISTVS uerus homo & filius Dei unigena totius diuinitatis oleo deunctus non habeatur: Si spiritus sanctus creatura esse doceat: Si quis unius Iesu Christi sanguine partam remissionem peccatorum, & ex eo uno & capite uniuersæ perfectionis spiritualis in Ecclesiā corpus ipsius dona sacri spiritus dimanare inficietur: Si alius statuatur qui sit futurus iudex uiuorum & mortuorum, quiq; ad confi-
ciendam resurrectionem carnis per spiritum suum satis non sit. Hęc inquam qui docent, & hos errores peruicaciter defendunt, ut tractādi sint, facilè licet cognoscere.

gnoscere. Primò, eorum error refutandus est, & uera doctrina testimonio sacrarum literarum confirmanda: deinde aduersus eosdem illos Ecclesiæ gladius, qui in clauium, quas Christus suæ sponsæ dedit, potestate uersatur, stringendus erit: hoc est, qui contumaciter errat, à sanctorum societate, à sacramentorum communione, à salutis comparandæ spe & fructu precationum excludetur. De qua potestate Dominus his uerbis apud Matthæum loquitur: Dabo tibi claues regni cœlorum: quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Item apud Ioannem: Accipite Spiritum sanctum: quorumcunque remiseritis peccata, erunt remissa: & quorumcunque retinueritis, erunt retenta. Exemplum etiam declaratæ huius potestatis, & cœlestis sceptri, in fornicatore Corinthio editum legitur: Tradatur (inquit) ad interitum carnis. Hoc imperio soluendi & ligandi criminosos, qui contempta omni ad resipiscendum admonitione peruicaciter in delictis hærent, Ecclesia utitur alio nullo. Nam hæc, quoniam agnoscit Messiæ regnum cœleste regnum esse, non huius mundi, ciuilem gladium, quo principes huius mundi utuntur, sibi non uendicat. Qua in re quantum interlit inter Israeliticam Ecclesiam, & eam quæ in nouo fœdere administratur, satis liquidum est. In altera porrò mysticum sacerdotium & regnum cernebatur, in altera Spiritu sacro unctum sacerdotium & regnum spectatur. Vnde non leuis error intelligitur esse eorum, qui Ecclesiam, in administratione noui fœderis, plectendi facinorosos capite, ius habere dicunt: eo quòd Israeliticæ Ecclesiæ in uetere testamento ius sceleratos afficere supplicio fuerit. Nam qui hac ratione utuntur in concludendo, umbras ueteris fœderis reuocant, noui luce obscurata, non perpenso illo Apostoli: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Vt ab illo factum est, quem Apostolus in templo Dei, hoc est in Ecclesia, omnia profanaturum prædixit: à quo Leuiticæ ceremoniæ reuocatæ sunt, & ex forensibus legibus de occidendis falsis Prophetis lex repetita. Quare ut sacerdotio Aaronis & regno Dauidis, ut figuræ & umbræ, expressa ueritas legalis sacerdotij Messiæ successit: ita Ecclesia nullum alium gladium sibi sumpserit, quam spiritualem, spiritualis regis Messiæ regno ac imperio consentaneum, qui gladius in clauibus regni cœlorum iam ex sacris literis indicatis continetur. Dicat aliquis: Si ita res habet, quid ergo faciemus ciuili magistratui? abolitus ne est is per Euangelij ministerium? Absit. Nam quamuis CHRISTVS non uenerit ad ciuile imperium & regnum constituendum, sed cœleste, per legem Euangelij cœlestem, non huius mundi legem: non tamen propterea is ciuiles leges & regna in mundo sustulerit, qui Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt iusserit dari: & de se in Prouerbijs Salomonis dicit, Per me reges regnant. Nouit enim is, ciuilem potestatem non à Satana, qui omnis ordinationis priuatæ & publicæ hostis est, sed à Deo ordinatam esse. Quare quos Ecclesia, cœlestis regni clauibus utens, à sua consuetudine, communione & societate abarcet atq; excludit, hi si capitalia crimina commiserunt, iure in ciuilem gladium, quo puniantur, incidunt: ut sunt parentum uiolatores, adulteri, homicidæ, fures, falsa testimonia dicentes, proditores patriæ, criminis læsæ maiestatis rei: & præcipuè qui in primam Decalogi tabulam deliquerint, ut sunt periuri, & qui falsas doctrinas serunt, quibus Deus pater & filius eius apertè & palàm dehonestatur. Qui hoc modo contumaciter errores serunt, quibus gloriæ CHRISTI & Ecclesiæ salus læditur, reiq; publicæ tranquillus status conuellitur: tales sanè egressi ex Ecclesia, iure gentium ciuili gladio ut cæteri facinorosi homines obnoxij reddúntur: qui gladius malis in malum & pœnam ordinatus est à Deo, & bonis in salutem, ut ea de re Apo-

i. Corinth. 5.

16.

20.

8.

13. ſtolus Paulus ciuilem magiſtratum confirmans in epiſtola ad Romanos ſatis clarè diſſerit. Qua autem pœna afficiendi ſint hoc exitiali erroris genere errantes, pio magiſtratui ſtatuendum reliquero, cui potius quid Imperatores, priuſquam Romanus epiſcopus ad ſummum in Eccleſia locum occupandum aſpirauit, de puniendis hæreticis ſtatuerint, quàm quid poſteaquam Pontifex tyrannidem in Eccleſia exercere cœpit, ſuperioribus ſeculis & noſtro tempore acciderit, ſpectandum erit. Omnino pius magiſtratus operam dabit, ut in religione errans, quoad fieri poſsit, ad pœnitentiam reuocetur, ne pariter corpore & animo in præſenti & in futuro ſeculo periclitetur. Nam etiam talem Eccleſia è ſinu ſuo non abijcit ut pereat, ſed ut eo Satanæ ad interitum carnis tradito, ſpiritus eius ad pœnitentiam excitatus ſaluetur. Quod ſi magiſtratus ciuilem gladium intentans operam ſuam terrendo luſerit, triplici ratione pertinaciter ſuo & Eccleſiæ & reipublicæ malo errantem puniendi poteſtatem habet. una, quòd Chriſtum mundi ſeruatorem dehoneſtat: altera, quòd Eccleſiam quantum in ipſo eſt, corrumpit: tertia, quòd pacem publicam per ſuas exitiales factiones labefactat, eius factioſo errore non aliter ſerpente, atque cancer in corpore omnia membra eius depaſcens ſerpit. Exemplum pernicialis factionis atque ſeditionis monaſterienſes Anabaptiſtæ ediderunt. Hæc de uiuis. De mortuis quid decernat Eccleſia, nulla à Domino in ſacris literis lex prodita extat: cui cum uiuis, quos ad pœnitentiam inuitet negocium eſt, non cum mortuis, quibus ignominiam & opprobrium aſpergat. Tria autem occurrunt in mortuis conſideranda: corpora, relictæ fortunæ, & literaria monumenta. In
23. quarto Regum libro, à Ioſia rege mortuorum ſacerdotum, qui in excelſis rem diuinam fecerant, refoſſa oſſa, in turpis idoli Baal ara cremata legimus. Quod exemplum cum apud Iſraelitas ad theſim, hoc eſt ad legem reuocatum non ſit, ut imitetur magiſtratus tanquam legem, non obligatur. Ioſias mortuorum ſacerdotum oſſa cremauit, Ieroboami oſsibus intactis relictis, qui falſi cultus & defectionis à ſacro Dauidis regno autor fuerat. Et quod fecit Ioſias, neque à ſuperioribus regibus, neque à poſterioribus factitatum conſtat. Vnde efficitur, quia ea de re à Moſe lex tradita non eſt, factum Ioſiæ minimè pro lege debere haberi. Quod ſi etiam Moſæa lex de effodiendis criminoſorum oſsibus extaret, ad eam tamen ſeruandam cætera imperia & reſpublicæ non obſtringerentur: ut neç ad alias ciuiles & forenſes Hebrææ ciuitatis leges cuſtodiendas obſtringuntur. ut lex eſt de ſeruis ſeptimo quoque anno manumittendis: de Iubilæis celebrandis: de contrahendo à relicta uidua matrimonio cum mortui mariti fratre: ad tollendam ex eo ſobolem, mortui mariti fratris genus propagantem: & ſi quæ ſunt aliæ eius generis myſticæ leges. Deus enim Iſraeliticam rempublicam ſingularem quandam rempublicam uoluit eſſe, quæ ſingularibus legibus ornata, cœleſtem rempublicam ac ciuitatem Domini noſtri Ieſu figuraret: quemadmodum etiam ei placet uaria in mundo eſſe imperia, regium, optimatum, & populare, quæ diuerſis legibus adminiſtrentur. Quòd ſi Moſes quaſdam ciuiles leges habet, in quas de puniendis ſontibus omnes gentes conſentiunt: eas cætera imperia, non quia Moſes ipſas tradidit, ſed quia Deus in natura eas ſcripſit, ſequuntur. Quapropter magiſtratus quid in ſceleratos ſtatuat, non ex ſacris literis, ſed ex iure naturæ requirat: quæ honeſtis & probis inter honeſtos & probos ſepulturam aſsignat, inhoneſtis & flagitioſis inter flagitioſos.

Hierem. 8. Quod naturæ ius confirmat & illud Hieremiæ prophetæ uerbum: In illo tempore, ait Dominus, eiſcient oſſa regum Iudæ, & oſſa principum eius, & oſſa ſacerdotum & prophetarum, & eorum qui habitarunt Hieroſolymis,

lymis, de ſepulchris ſuis, & expandent ea ad ſolem & lunam & omnem mili-tiam cœli, quæ dilexerunt, & quibus ſeruierunt. Eôdem Ieſaias propheta reſpi-ciens, Iſraelitas in hoc tam diuturno exilio errantes, ſic lamentantes infrà indu-cit: Nos in mundo non aliter habiti ſumus, quàm mortui habentur, qui in locis אשמונים, hoc eſt damnatis deteſtabiles ſepulti iacent. Hæc ea cauſa adduci-mus, ut oſtendamus, naturali iure conſentaneum eſſe, non parem ſepulturam deberi ſontibus & inſontibus, criminoſis & crimine uacantibus. Quod attí-net ad relictas ſceleroſorũ fortunas & facultates, pius magiſtratus ex æquo bo-no de his ſtatuet, ponderata proborum & improborum liberorum perſona.

Qua in re iudicanda, ſequetur potius eorum Imperatorum ſententiam, qui an-te Phocam uixerunt, quàm eorum qui poſt illum Pontificum inſtinctu ſæuio-ra ſtatuerunt. De crematis libris qui impias & exitiales doctrinas continent, extat exemplum in Actis apoſtolorum. Quod ſi ciuilis magiſtratus imitan-dum ſibi exiſtimat, in eius ſententiam inquirendum minimè fuerit, ſi modò ta-les libri errorum Eccleſiæ & reipublicæ pernicialium ex ſacris literis conuicti fuerint. Non memoramus, ab Athenienſibus naturæ ius ſecutis, Protagorę librum, in quo uideretur dubitare an Deus eſſet, crematum. De his hactenus. Pergamus. *Actor. 19.*

Et figam illum paxillum.) Venuſta ſimilitudine Eliacimum clauo aut paxillo in pariete fixo comparat. Futurum, ut in Eliacimo ſuorum ſalus hæreat: non ſe-cus atque in clauo quæ ſuſpenduntur, firmiter hærent. Quem & quos nobis is clauus referat, ſi Meſsiam ſpectes, occurrit illud Petri: Omnem curam in illum coniectam. Sin Meſsiæ miniſtros, occurrit illud eiuſdem: Paſcite quantum in uobis eſt, gregem Chriſti, curam illius agentes. *2. Petri 1.*

In loco fidei.) firmo ad æternitatem, aduerſus omnem uim & iniuriam ad-uerſariæ poteſtatis. Is locus firmus & ſtabilis, in quo clauus Meſsias figitur, ele-ctorum Eccleſia eſt, de qua illud Apoſtoli: Eccleſia Dei uiuentis columna & ſtabilimentum ueritatis, in qua clauus Meſsias firmiter hærens, omnium ſan-ctorum ſalutem nulla ui conuellendam ſuſtentat. *1. Timoth. 3.*

Omnia uaſa minora.) Omnem etiam minimam ſupellectilem, eius curæ mandatam. Manet in metaphora paxilli. Submoto typo, ut Meſsias mino-rum ſuorum uaſorum curam gerat, declarat illud: Linum fumans non ex-tinguam. item: Qui autem offenderit unum de puſillis iſtis qui in me cre-dunt, expedit ei ut ſupendatur mola aſinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris, &c. *Matth. 18.*

Auferetur paxillus.) Redit ad Sobnam: hunc paxillum frangendum. Fir-mitatem paxilli Eliacimi per contentionem amplificat. De Meſsia ſimilia prophetat Zacharias: Ex ipſo Iuda egredietur angulus, ex ipſo clauus, ex ipſo arcus bellicus. Nam CHRISTVS Iudæus natus, angularis ille lapis eſt, in quo Iudæi & gentes fidei compage ac uinculo ferruminantur. De clauo mentio facta eſt a uate noſtro. Arcus bellicus uerè dicitur Meſsias ex Iuda profectus, qui per ſpiritum prædicationis Euangelij regnum Satanæ & aduerſarij ſui filij perditi euertat, ſagittis in eum iræ ſuæ miſsis, de qui-bus illud: Miſit ſagittas ſuas, & diſsipauit eos. iræ uidelicet conficientis impios ſagittas, *Zach. 10.* *Pſal. 17.*

IN CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

ONVS Tyri.) Vates Ieſaias digreſſus à Hieroſolymis, graui oraculo ad Tyrum urbem ſe conuertit: quæ regno, mercatu, opibus & munitione clara fuit. Et quoniam ex negociatione ampliſsimæ opes, & ex his luxus omnium uitiorũ parẽs naſcitur, diuina ira ultrix ſcelerum, tandem in Tyrum quoque inflammari cœpit, quam cum diuitijs & luxu perderet. Qua ex re intelligimus, regna moderatione & probitate conſeruari, improbitate uerò euerti: nullis humanis præſidijs ea tuentibus, quo minus intereant. Tanta uis eſt diuinæ æquitatis in utramque partem, & ad iuuandos bonos, & puniendos malos: ut meritò Deus hunc titulum habeat, DEVS IVSTVS IVDEX. Fœdere olim hæc urbs iuncta fuit cum Hieroſolymæ regibus. Vt igitur Iudæa ob perfidiam ſuam à Deo grauiter punita eſt, ita Tyrus ſuorum delictorum pœnam luit. Qua in re quos rerum futurarum typos diuina ſapientia præformarit, ſub oraculi huius finem ex propheta intelligetur.

Regum 5.

Vlulate naues maris.) Ob interceptum mercatum Tyro capta, more prophetico huiuſmodi imperatiui oraculares miſerum caſum ſignificantes uſurpantur. Tyrus nobile emporium, quò undequaque maritimæ merces aduehebantur, fuit. quò ſpectat Ieſaias in denunciatione huius cladis. Cæterùm תרשיש alijs mare eſt, ut Paraphraſti: quem interpres noſter ſequitur. Sunt qui Cilicum mare à Tharſo metropoli Ciliciæ ſic appellatũ uolunt. Habuit autem Tyrus à ſeptentrione Tharſum, ab auſtro Aegyptum, ab oriente Aſſyrios, ab occaſu Græciam & Italiam.

Quia uaſtata eſt domus.) Redditur cauſſa luctus, quòd Tyrus ita uaſtata ſit, ut non remanſerint domus in quas Cilices mercatores diuerterent. Cilices autem inſtitores fuiſſe Tyri, declarat etiam Ezechiel his uerbis: Tharſus fuit negociatrix tua, omni diuitiarum copia, argento, ferro, ſtanno, plumbo, tuis utuntur nundinis.

27.

De terra Cethim.) Variant hic interpretes. alijs בתים Cyprus eſt, ut Ioſepho, in qua inſula tradunt urbem fuiſſe nomine Citim. alijs Italia eſt, ut Paraphraſti: alijs tota maritima ora Italiæ, & uicinæ inſulæ, atque ipſa Macedonia, præpoſita litera Mem, מבתים. Conſtat ex Geneſi, Citim filium Iauan eſſe, filij Iaphethi. Sententia eſt, profugos in Græcia & Italia rumorem ſparſiſſe in uicinas inſulas, Tyrum eſſe captam. atque hoc eſſe quod hic legimus: De terra Citim manifeſtatum eſt eis.

Tacete qui habitatis in inſulis.) Vicinas inſulas in ſilentio futuras, ob intermiſſam negociationem, inſula more linguæ collectiuè ſumpta. Narrantur inſulæ nominatim ab Ezechiele, capite XXVII.

Negociatio Sidonis.) Eſt & hæc urbs maritima, à Sidone, ut uidetur, filio Canaan ſic nominata: de cuius uetuſtate, ſitu, opibus, multarum'que artium cognitione, plura ſcriptores tradiderunt. Sidonios ferunt propter nocturnam nauigationem, & computationis uſum, quod utrumque mercatorium eſt, & nauale, Aſtronomiæ & Arithmeticæ noticia præcipuè floruiſſe. Quemadmodum Aegyptios Geometriam inueniſſe ferunt, dimenſionis agrorum occaſione inuitatos: eam diuiſionem aucto Nilo, cum ſol æſtiua ſigna tranſit, confundente. Itaque literis proditum eſt, Aſtronomiam & Arithmeticam à Phœnicibus, Geometriam uerò ab Aegyptijs ad Græcos dimanaſſe. Ad amplificandam cladem Tyri, potentiſsimas gentes enumerat, quæ ſuas merces Tyrum conuexerint: quibus hæc iam priuata ſit, cum uicinarum quoque inſularum calamitate & luctu. Cæterùm de Sidone uide-

Strabo 16.

19. ris apud Ioſuam.

In aquis

In aquis multis.) Sementem in aquis multis crescentem, & messem fluuialem, atque eius prouentum ex Aegypto Tyrum deportari solitum: qua negociatione, ob euersam Tyrum, Aegyptum spoliatam in luctu esse. Abundare hanc frumenti copia constat. Hinc Aegyptus horreum Italiæ appellata est. Aegypti autem sementem, fruges atq; messem, sementem & messem Nili uocat, quòd Aegyptius ager non pluuia, sed Nili inundatione ad ferendas fruges fœcundus reddatur. Quo autem tempore Nilus præcipuè crescat & decrescat, uideris apud scriptores.

Et facta est negociatio gentium.) nobile emporium gentium Tyrum fuisse.

Erubesce Sidon, ait mare.) Per prosopopœiam loquentem Tyrum fingit, quam mare, quòd esset maritima urbs, figuratè uocat. Tyrus enim septingentis passibus prælato mari olim diuisa fuit, posteris temporibus ab Alexandro Macedone continens facta. Sunt igitur qui hoc oraculo cladem à Macedonibus Tyrijs illatam significari uolunt. Atqui quæ sub finem oraculi ponuntur, & ipsius Ezechielis nęnia quam iussus est à Domino in Tyrũ edere, reclamat. Iubetur autem erubescere Sidon, quæ neq; uicinæ urbi Tyro, & fœdere secum iunctæ opem ferre, neque ipsa se ab hoste defendere queat. Ea enim pudorem offundũt, quæ turpia æstimantur: ut si quis uicinos suos amicitia sibi & fœdere iunctos, in aduersis rebus iuuare non possit. Distare autem fertur Sidon à Tyro duocentis stadijs. Ex tertio Regum libro patet, Sidonem olim & Tyrum in uno regno regi Tyriorum paruisse. Sidoniarum mulierũ, & operum ab eis magna arte confectorum, meminit etiam Græcus uates:

Ἔνθ' ἦσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν Iliad. 6.
Σιδονίων.——

Et fortitudo maris.) Cladem amplificat à potentia, quam amiserit. De Tyri potentia uideris apud Ezechielem. Declarant etiam Tyri potentiam potentissimæ coloniæ ab ea deductæ. Nam hæc olim partu clara, urbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula, orbis terrarum auida Carthagine: etiã Gadibus extra orbem conditis. 27.

Non parturiui.) Ad augendum luctum, fingitur Tyrus imitari mulierem, lamentantem suorum liberorum miserum casum. Quòd deuastor, perinde mihi est, atque si enixa non essem, non peperissem, non aluissem iuuenes, non uirgines educassem. Aut prædicit propheta fore, ut Tyrus ita uastetur, ut liberos neq; pariat, neq; alat: hoc est, remp. amittat. Nam liberi in domestica societate educati, sunt materies illa, ex qua ciuitatis corpus conflatur.

Dolebunt.) Partim propter amissam negociationẽ: partim quòd & ipsa uicina regna à Babylonio hoste non sint libera futura. Nam ut ex Ezechiele patet, Chaldæi prius Tyrum bello infestarunt, quàm Aegyptum. Solent autem uicina pericula metum iniicere.

Transite maria.) A' mutato emporio augetur luctus. Vos mercatores, qui antea Tyrum mercatus gratia petijstis, iam ea capta, petite Tharsum nobilẽ Cilicum urbem. Sic nonnullis תרשיש urbis nomen est. Paraphrastes in hunc modum: Vos Tyrij in exilium ite, maritima loca petentes. Hæc interpretatio ad sequentia congruet: Ducent eam pedes, &c.

Nunquid non uestra hæc est?) Insultatur in superbiam Tyri, quæ rebus uanis, potentia uidelicet, opibus, sapientia mundi se extulerit, sed frustra. Reuocata hypothesi ad thesim, hanc sententiam proponit orbis terrarum regnis considerandam: Dominus sublimia deijcit.

A' diebus pristinis in antiquitate sua.) Gestientem & exultantem inducit Tyrum, propter antiquitatem & potentiam. De cuius antiquitate uideris apud Iosuam.

Quis cogitauit hoc.) Non humanum decretum de Tyro euertenda fuisse, sed diuinum, cui nulla potentia resistat. ut sequitur:

Dominus exercituum.) Cui omnia cœlestia, terrestria & infera subiecta sunt. Præcesserat mentio de superbia & fastu opulentæ urbis Tyri. his subijcitur mentio de uindice superbiæ, qui arrogantiam & insolentiam superborum inultam nõ relinquat. Ab hoc uindice metuant sibi superbi in orbe terrarum tyranni. Hanc sententiam notam etiam habuit Tragicus, qui Deum uindicem superborum dicit esse:

Eurip. in Heraclid. —ἀλλὰ τῶν φρονημάτων
ὁ Ζεὺς κολαστὴς, τῶν ἄγαν ὑπερφρονούντων.

28. Similiter apud Ezechielem exprobratur Tyro superbia: Fili hominis, dic principi Tyro: Hæc dicit Dominus, qui elato animo dicis, Ego Deus sum, & in diuina sede sedeo, in maris meditullio, cum homo sis, non Deus. item: Pro tua sapientia & prudentia parasti tibi diuitias. Accedebant ad arrogantiam fraudes & impostur ę, quibus alios circumuenire Tyrij soliti sunt: ut est mos opulentorum mercatorum, aliorum iniuria & pernicie opes accumulare. Sic enim legimus Tyrũ ab Ezechiele reprehendi: Tu præ multitudine negociationis tuæ repleto corde iniuria ac impietate, deliquisti. Obijcitur Tyro etiam, quòd male tractarit Israelitas, ut in hostium potestatem uenissent. Sic enim Ioel: Et filios *Ioel. 3.* Iudæ & Hierosolymæ Græcis uendidistis. Hæc enim est beneuolentia Dei, qua Israelitas suos prosequitur, ut nolit eos, cum ob crimina sua puniũtur, inclementius uexari à quouis. Nam erga hos, cum in eos animaduertit, patris affectum non exuit, in castigando nunquam desinens eos amare. Deponendus typus Israelitarum.

Transi terram tuam.) in exilium. De Tyro loquitur.

Quasi flumen.) locum, omnibus post se relictis, mutans. Sic Tyrios, post se relicta ciuitate & fortunis, alios aliò dissipatum iri. Scita similitudine colorat durius oraculum.

Non est cingulum.) quod uendas, ut ad summam inopiam redacta per hostẽ. Suprà legitur: Cuius negociatores principes. hic: Non est cingulum ultra tibi. Per contentionem pergit illustrare cladem. Vel figuratè de robore exponitur, quo destituta sit Tyrus. Nam in lumbis succinctis uirile robur ostenditur. Hinc illustri *Iob 12.* translatiõe transfertur cinctus ac baltheus ad imperiũ, ut est apud Iobum: Baltheum regum dissoluit. Tyrum spoliari imperio.

Manum extendit supra mare.) Figuratè, aduersus Tyrum maritimam ciuitatem, à Domino extentam uindicem manum.

Et conturbauit regna.) commotis regnis aduersus Tyrum.

Dominus mandauit.) Nabuchodonosori: ut sunt principes & reges, orbis terrarum instrumenta, & organa Imperij diuini.

Aduersus Chanaan.) Mercatores, כנען: eiusdem significationis cum illo superiori בנעניה. Aut accipitur terra Chanaan, in qua Sidon & Tyrus urbes sitæ erant.

Non adijcies ultra ut glorieris.) Conuertit se ad Sidonem: hanc quoq; malis infestandã. Similiter Ioel: Vobis quoq; quid rei mecum est Tyrus & Sidon? Et Eze-
38. chiel: Sic dicit Dominus, Ego tibi minitor Sidon.

Ecce terra Chaldæorum.) Per parentheſim calamitatem suam etiam Chaldæis annunciat.

Assur fundauit eam.) In Genesi scriptum est, capite decimo, de Assur, ut exierit & *Genes. 10.* ædificauerit Niniuen. Sed quibus fundauit? Sequitur in Hebræo, לציים. indicato, ab Assur regnum Chaldæorum conditum, quod hostili Medorum & Persarum ui uastetur, sub decretis Dei, non ferentis mundi regna ob tyrannidem, fastum & luxum diuturna esse. Suprà legitur: Et perdam Babylonis nomen, & reliquias & germen & progeniem, dicit Dominus. Secus accidere Hierosolymis & Tyro, ex uate discimus: ut sequitur. Quare consolandi gratia

tia uidetur iniecisse mentionem de hostium Babyloniorum ultione, qua ad internecionem sint delendi, ipsis Tyrijs, qui olim sacro cum Dauide & Salomone sociati fuerunt fœdere, certo exacto tempore liberatis, de quo sequitur:

Sicut dies regis unius.) Variant interpretes, aliter alijs hunc locum interpretantibus. Sed inter cæteras interpretationes probatur ea, quam Hebræorum interpretes afferunt: In exilio futuram septuaginta annos Tyrum: hoc est, tanto tempore, quanto Nabuchodonosor & filij eius sint regnaturi, qui regnarunt septuaginta annos, Nabuchodonosore & natis eius pro uno rege supputatis, atque nomine regis imperio accepto, hoc durasse septuaginta annos. Cognoscimus igitur hic primò, ut Iudæis, ita etiam Tyrijs suum exilium præsignificari, utrorumque captiuitatem septuaginta annorum fore. Nam de Iudæis legimus apud Hieremiam in hunc modum: Quare hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, uisitabo uos. Deinde cognoscimus, hoc uaticinio non Alexandri Macedonis, quibus Tyrum in exilium migrarit, sed Nabuchodonosoris, ut ex Ezechiele & ex numero septuaginta annorum Babylonij imperij liquet, tempora indicari. Postremò accipimus, ut Babylonia tum Iudæorum, tum Tyriorum captiuitas, assignatum in decretorum Dei albo tempus habuit, quo duraret: ita etiam eam captiuitatem Babyloniam, qua electi sub spirituali Nabuchodonosore Antichristo captiui detinentur, tempore euoluto finem habituram. de quo illud: Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. item: Ciuitatem sanctam calcabunt quadraginta duobus mensibus. qui priorem mille ducentorum sexaginta dierum numerum efficiunt. Et illum etiam qui legitur apud Danielem: Tempus, & tempora, & dimidium temporis. hoc est, annum, & duos annos, & dimidium. Quid autem nomine dierum accipiatur, & unde horum initium sumatur, ad cognoscendum quo tempore aduersarius locum sanctum ac templum Dei cœperit occupare, sacrarum literarum spiritu docti homines facilè perpenderint. 29. *Apocal.12.* *Apocal.11.* *Daniel.7.*

Quare canticum meretricis.) Similitudine à meretrice mutuata figurat uaticinium. Quæ in bono, non in malo accipitur. Nam restitutio quæ in hoc oraculo prædicitur, est eius Tyri quæ restituta placeat Deo, ut honesta matrona: non displiceat, ut turpis meretrix. Infrà enim legimus, ut eius negociatio & merces Domino sacra sit futura. Sententia igitur est: Tyrus suo mercatorio cantico mercatores ad se alliciet, ut meretrices suos amatores ad sui amorem pelliciunt. Suprà legimus Tyri negociationem intermissam. hic uerò: Et reuertetur ad merces suas.

Meretrix.) Vt fornicari hic negociari est: ita meretrix dicitur Tyrus, quæ non cum uno mercatore, sed multis commercium in negociando sit habitura.

Et erunt negociationes & merces eius sanctificatæ Domino.) Si mysticam historiam spectes, apparet, ut olim Tyrus operam suam nauauit extruendo templo Salomonis, ita etiam iam eam restitutam, alteri templo exornando non defuturam, quod soluta captiuitate Babylonia, Zorobabele duce non sine mysterij notatione extrui cœpit. Quod mysterium in instauratione templi, quod Ecclesia est, patefit. De quo, interprete Apostolo, aliàs.

Non condentur.) Repositas merces non condendas, sed in usum alendi uestiendi que depromendas. Commendatur hic negociatio Tyriorum, ex qua lucrum & quæstum sacratum Deo faciant: hoc est, talem quo Deus cum gratiarum actione per eius honestũ usum amplificetur. Submota umbra negociationis Tyrię, occurrit negociatio, & ex ea laudabilis quęstus, de quo Dñs apud

Matth.25. Matthæum meminit, ubi talentorum ad lucrandum ex eis mentionem facit. Hæc talenta sunt munera unicuiq; pro modo & mensura donationis diuinæ in Messia credita, ut his negocians sub creditore Christo certum lucrum, quod Deo honori & filijs cœlestis regni usui sit faciat, ad reportādū ex huiusmodi negociatione pręmium, cuius talentorum creditor his uerbis meminit: Super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

IN CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

ECCE *Dominus dissipabit terram.*) Alij hoc oraculum ad uastationis decem tribuum tempora referunt: alij ad ea tempora, quibus Romani Israeliticam gentem euerterunt, terra eius deuastata. Atqui ordo quem propheta in prophetando seruat, & quę sequuntur, comprobāt, hoc uaticiniū de ea afflictione, quæ his postremis temporibus per totum terrarum orbem peruasura est, accipiendum esse. Quę nouissima tēpora, patefactionis regni Antichristi ad eius destructionem, & illuminationis scriptorum in libro uitæ, per restitutam orbi terrarum Euangelij lucem, tempora sunt. Itaque Iesaias pro more prophetico perstrictis certis gentibus grauiori oraculo, subiungit generalem prophetiam ad omnes orbis terrarum populos pertinentem. Vtitur autem hic exhauriendi ac exinaniendi & dissipandi uerbis, quibus significat, terram per bella, famem, pestem, & uarias concussiones ac motus exinanitum & dissipatum iri.

Et *affliget faciem eius.*) forma eius in statum prauum detorta: quod est עיה. Futurum, ut terra quæ antea bene culta fuit, incultæ & uastæ formam & speciem sit habitura, ea ob incolarum uitia in solitudinem redacta, ut sequitur:

Et *erit sicut populus, sic sacerdos.*) In puniendis habitatoribus terræ, Messiam nullum personarum respectum habiturum, sed communibus afflictionibus omnes obnoxios futuros, ut omnes à minimis usq; ad maximos improbi deprehendantur. Veluti suprà uates conqueritur: Totum caput ęgrum est, totum cor languidum, à pedis uestigio usq; ad uerticem nihil est in eo sanum. Intueamur nostra & superiora tempora: non ne in ea congruit grauis hæc uitiorum reprehensio, quæ à propheta nostro hic instituitur: qua pariter in uitio esse sacerdotes & populum, dominos & seruos, ementes & uendentes, mutuò dantes & accipientes, creditores & debitores notantur? Eôdem etiam illa Hieremiæ accusatio referri potest: Perlustrate Hierosolymæ uicos, & uidete quæso ac considerate, perq; eius plateas conquirite, si quem esse comperietis, qui ius faciat, uerumq; quærat: & ego Hierosolymæ popitiabor. Et ut pariter prophetæ, sacerdotes & populus in culpa sint, idem propheta his uerbis declarat: stupenda horrendaq; fiunt in terra, prophetæ uaticinantur in mendacio, & sacerdotes accipiunt munera manibus suis, & populus id fieri uult. Dicas, hęc referri ad Iudæos & eorum terram, non generatim ad omnes habitatores terræ. Vt ea quæ Israelitis acciderunt, in figura acciderint, siue bona, siue mala, aliàs indicatum est.

Hierem. 5.

Dominus locutus est.) Securitas improborum retunditur, qui ita in improbitate securi uiuunt, ut aut suam improbitatem pro improbitate nō habeant: aut eam punitum iri à Deo non putent: aut si credunt eam puniendam à Deo, tamen nondum tempus adesse putant, in quo Deus in ipsorum scelera animaduertat. Ad hāc sec uritatem perstringendam dicit uates: Dominus pronunciauit hanc rem, qui iustus scelerum ultor est.

Luxit & defluxit terra.) Scita paronomasia figuratur oraculum, quæ cernitur in אבלה ונבלה: quā his uerbis interpres exprimere studuit. Luxit et defluxit. Per prosopopœiam inducit terram lugentem, & eam marcescenti arbori cōparat, quæ amisso natiuo humore atq; uigore emarcescit.

Et in-

Et infirmata est altitudo populi terræ.) In orbe terrarũ sublimia deiectũ iri: potentes, sapientes huius mũdi, & tyrãnos orbis terrarũ, cũ eo q se supra id qd est numẽ Dei extollit: uno Messia supra omnia extollendo, ut suprà legimus: Deprimẽtur hominũ superbi oculi, humana deijcieẽ superbia, & solus Dñs extolleẽ tẽpore illo. 2.

Et terra infecta est.) Figuratè simulationis uerbũ חנפה tribuit terræ, quæ etiamsi speciem quandam fructuum ostendat, fructum tamen non sit latura, ut maledictioni propter incolarum scelera obnoxia facta.

Quia trangressi sunt leges.) Si ciuiles leges & naturæ atq; gentium iura spectes, ut passim in hæc tum ab ijs qui ad gubernacula rerump. sedent, tum ab ijs qui illis subditi sunt delinquatur, palàm est. Sin uerò religionem consideres, Decalogi & Euangelij legem uiolari communis piorum querela est.

Dissipauerunt fœdus sempiternum.) fœdus tum domesticæ coniunctionis inter maritum & uxorem, inter parentes & liberos, inter dominos & seruos: tum ciuilis societatis inter ciues, in rebus contrahendis, uiolatum. Intueamur superiora & nostra decepti per Satanam orbis terrarum tempora, in quibus uerè impletur illud Oseæ uatis: Non est ueritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: maledictum & mendacium, & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinẽ tetigit. Quæ scelera Dominus noster IESVS CHRISTVS uno uerbo complectitur: Et refrigescet charitas multorum. Hæc ut omniũ bonarum actionũ, prælucente fidei face, fons est: ita ea absente, omnibus uitijs uia aperitur. In Hebræo legitur בריה עולם, quod uerte re licebit fœdus seculi uel mundi, in quo homines inter se naturæ & gentium iure consociantur. In loco etiam Aeternum sonat: sed sæpius uel mundus est, uel seculum, siue præsens, siue futurum. Occurrit quoq; considerandũ fœdus illud diuinum reconciliationis, quod Deus cum suis in Messiæ sanguine sancit. Hoc quoq; ut irritum per defectionem ab Euãgelio ad Antichristum, factum sit, satis est manifestum. Quod ut esset euenturũ, Zacharias etiam prædixit, ubi sic ait: Et accepi uirgam meam quæ uocatur iucunditas, & abscidi eam, ut irritũ facerem fœdus meum quod percussi cum omnib. populis. Virga autem appellata iucunditas, suauis & iucundi Euangelij uirga est, ac sceptrũ: quo contẽpto, & loco eius dæmoniorũ doctrinis receptis, sacrum illud fœdus ruptum est. De quo Daniel: Cõfirmabit aũt pactum multis una hebdomada. Sed per quẽ irritũ factum est fœdus illud? Per filiũ perditũ, omnia in loco sancto ac templo Dei, quod est Ecclesia, uastantẽ & profanantẽ irritũ factũ est. Itaq; Zacharias uidit Dñm alterã uirgã accepisse, appellatã חבלים: hoc est, uastatoriã uirgam, qua ad perdendũ cuncta Dñs uteretur, in ijs qui contempta ueritate mendacijs fidẽ habent. Qua de re uideris apud Apostolũ, hæc prophetarũ mysteria patefacientẽ in altera quã ad Thess. scripsit epistola. Quare quod hic legimus, in orbe terrarũ legem, institutа & fœdus uiolata: idem propheta Zacharias, sed alijs uerbis effatur: Et succidi tres pastores mense uno. qui sunt, Moses, Prophetæ & Apostoli: ad significandũ, legem, oracula diuina & Euãgeliũ, cõtemptũ in mũdo iri. 4. *Matth. 24.* 11. 12. *Daniel. 9.* 2. *Apocal. 18.*

Ideoq; insanient.) deflagrabunt, ut Hebræus habet, igni uidelicet afflictionũ & iræ diuinæ conficiendi. significatur ignis, quo Babylon cum suis pseudoprophetis & cultoribus sit comburenda. De quo Ioannes: Ideo in una die uenient plagæ eius, & mors & luctus & fames, & igni comburentur.

Et relinquentur homines pauci.) ex hac quæ imminet orbis terrarum afflictione. *Matth. 24.*

Luxit uindemia.) Qui uino abusi fuerãt ad crapulã & ebrietatem iam uindemijs uastatis, pro lętitia luctus omnia occupauit. Tempora nostra cõsiderantes metuamus Deum, & perpendamus admonitionem illam Domini in hæc nouissima tempora congruentem: Cauete à crapula. *Lucæ 21.*

Attrita est ciuitas uanitatis.) Hierosolymã, in qua decus, ordo ac species claritatis diuinę appareat, extruendã esse: ciuitatẽ uerò תהו, hoc est confusionis, in qua omnibus

nibus confusis, nullus ordo, nulla species ac forma cernitur, frangendam. Atq; hæc ciuitas Babylon illa spiritualis est Antichristi, cuncta confundentis, sedes. Hæc interpretatio conuenit uerbis Ioannis, ubi in Apocalypsi Babylonis ciuitatis casum describit. Quem apparet uates noster in hoc oraculo præsignificasse. Si cui uidetur ciuitas collectiuè accipi pro ciuitatibus, per me licebit ita interpretari. Sed proprior interpretatio ad amplificandum ornatum ciuitatis de cœlo descendentis Hierosolymę magis pertinere uidetur. Aut uocatur ciuitas תהו ab exitu, quòd uastanda sit, reducta ad omnem deformitatem. Sic enim Apocal. 18. Ioannes: Cecidit Babylon ciuitas magna, & facta est habitatio dæmoniorum. Propheta noster alio loco ad significandum summam uastitatem, in qua quæ uastantur, omni forma, specie atq; composito ad decus ordine careant, dicit extendendam amusim תהו ובהו. Hæc amusis uastatoria extendetur his nouissimis temporibus, super ciuitatem regni Antichristi. Itaq; suprà: Et ponam eam in possessionem ericij.

Quomodo si paucæ oliuæ.) Similitudine amplificat id quod suprà sine figura dixit: Relinquentur homines pauci. Hos comparat oliuis quæ ex strictis oleis remanent, & botris ex raccolatione collectis. Vnde cognoscimus, impijs pereuntibus quàm gratæ sint reliquiæ Deo, quæ ex electis & scriptis in libro uitæ residuæ sunt. Exemplo sunt reliquiæ hominum, quæ ex diluuio euaserunt. Exemplo Lothus, qui cum suis ex incendio Sodomorum liberatus est. Exemplo reliquiæ Israelitarum, ex Assyriorum tyrannide, & tempore præsentati Messiæ ex tenebris errorum ereptæ. Atq; his postremis temporib. pauci his orbis ex terrarum calamitatibus conseruandi exemplo erunt.

Deserta est omnis lætitia.) hac conuersa in luctum. de quo Ioannes his uerbis: Et Apocal. 18. flebunt illam, & plangent se super illa reges terræ qui cum illa scortati sunt, & in delicijs uixerunt, cum uiderint fumum incendij eius, longè stantes propter timorem eius, dicentes: Væ uę ciuitas illa fortis, quoniam in una hora uenit iudicium tuum, &c.

Leuabunt uocem suam.) Assertæ ex destructo aduersarij regno & afflictionibus orbis terrarum reliquiæ, per hunc redemptoris Messiæ aduentum, quo Israelitis & gentibus per patefactionem Euangelij seruator ueniet, effuso de cœlo spiritu adoptionis, quo afflati agnoscent in orbe terrarum electi liberati, ex quantis malis per Messiam uindicati sint: acclamaturis etiam Israelitis in his nouissimis temporibus, Benedictus qui uenit in nomine Domini. qui uenit inquam ad illuminãda Euangelij luce pectora eorum qui in profundis tenebris, ab aduersario, loco sancto offusis, uersati sunt.

Cum glorificatus fuerit Dominus.) Per spiritum Euangelij destructo aduersarij regno, & suo extructo, tum redemptos ouaturos & iubilaturos. De qua ouatione & iubilatione Ioannes his uerbis: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se: laudate Dominum, quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. Is Dominus Deus omnipotens à patre, & ex patre, ut filius eius unigena & naturalis, non per gratiam adoptionis, Messias est, de quo hic uates: Ad sublimitatem Iehoua uociferabuntur. Intueamur nostra tempora.

In doctrinis.) sacri Euangelij. Ob splendorem & claritatem Euangelij amplificandum nomen redemptoris Messiæ: per quam claritatem accidat, ut in luce cognitionis Dei patris clementer reconciliati uersentur, qui antea in tenebris uersati sunt. De qua luce infrà: Et dedi te in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de domo carceris sedẽtes in tenebris. de domo carceris, uidelicet regni satanæ & Antichristi, in quo nihil reperies præter caliginem peccati & mortis. Relictis igitur uarijs uocis אוריים interpretationibus, ea arridet, qua ex illa redditur lux: quã sequitur Paraphrastes Chald. qui uertit נהורא.

Dei

Dei Israel.) Dei eorum qui ex promissione & electionis gratia Israelitæ sunt, extra quos splendor beneuolentiæ diuinæ non lucet.

Gloriam iusti.) A finibus orbis terrarum audire cantiones, decus & iucunditatem iustorum esse: hos solos dignos, qui facta redemptione exultent & iubilent, ad sublimitatem ac maiestatem imperij Messiæ. Sed qui sunt hi iusti? Iusti sunt, ea iusticia ornati, de qua illud: Vocabitur hoc nomine Iehoua iusticia nostra. & Apostolus: Qui factus est iusticia nobis à Deo. *Hierem. 23.*

Et dixi, secretum meum mihi.) In Hebreo רזי interpretibus tabes est, ac macies, ut sit sententia: Posteaquam audio paucos iustos afflictionum igni probatos superstites fore, dolore tabesco. Omnino enim habitatores terræ præuaricati sunt, alij in alios per uim & iniuriam excursiones & impetum faciẽtes: quod est בגד. Noster interpres non caret suæ uersionis autoribus. Nam Paraphrastes sic uertit: Dixit uates, Recondita merces iustis patefacta est mihi: Patefactum est mihi arcanum de uindicta impiorum. Vbi uul: Paraphrastes, in decretis diuinis piorum & impiorum casus, nouissimis patefactionis Messiæ temporibus euenturos, abditos esse. Nam רזי Chaldæorum lingua abditum sonat, seu arcanum.

Formido & fouea & laqueus.) Venusta paronomasia colorat calamitatem terrarum orbem peruasuram, ob flagitia habitatorum. Apud Lucam, ubi harum calamitatum quæ sub reuelationem Messiæ per Euangelij lumen terram sint infestaturæ, laquei quoq; mentio fit: Tanquam laqueus superueniet in omnes qui sedent super faciem totius terræ. Dicat aliquis, Lucę locum intelligendum esse de aduentu filij, quo is cum maiestate ad iudicandos uiuos & mortuos ueniet. Vt hæc uerba conueniant in hunc CHRISTI aduentum, quo iam cępit uenire per reuelationem Euangelij, ad instaurandam collapsam Ecclesiã, pij satis clarè intelligent, si uerba Christi accuratè expenderint, quę facit de afflictionibus orbis terrarum, & de electis ex illis, ne uniuersa caro intereat, liberandis. Nam in ea concione arcana Prophetarum explicans, ostendit, quo potissimum tempore, occasione patefactionis Antichristi, (quem mysticè desolationem abominationis uocat) omnibus gentibus Euangelium ad instaurandam Ecclesiam electorum prædicandum sit. *21.*

Quæ cataractæ cœli de excelsis.) Fenestras iudicij diuini de excelso Messię throno patefactum iri, ad commouenda fundamenta terræ, ut hęc mota loco non amplius ferat suos habitatores. Alluditur ad diluuium, quo Noæ temporibus mundus ob flagitia deletus est, quod apertis fenestris cœli legitur contigisse. Sic in Apocalypsi Ioannis, aperto templo cœlesti phialas plenas ira diuina angeli in terram effundere dicuntur. *Apocal. 15.*

Sicut ebrius.) Similitudine ab ebrio nutante & uacillante, depingit orbis terrarum quassationem: amplificandi gratia Synonymia adhibita.

Sicut tabernaculum.) Alia similitudo.

Et aggrauabit eam iniquitas sua.) Scitè graui ponderi improbitas comparatur, cui ferendo terra impar sit, & sub quo pondere illa ipsa corruat. Explicatur igitur caussa dissipandæ atq; conterendæ terræ. Sic in Genesi aggrauari scelera Sodomæ scribitur, quibus tanquam non portando pondere terra prematur.

Et non adijciet ut resurgat.) Priusquam onus, quod per eorum qui superstites manebant, probitatem de humeris suis excutiat. Nomine etiam terræ figuratè eius incolæ scelerati accipiuntur: hos peccati pondere oppressum iri.

In die illa.) tempore destructionis regni Antichristi, & reconciliationis ac instaurationis Ecclesiæ.

Visitabit Dominus.) uindictam de hostibus & suis & electorum suorum sumpturus.

Super militiam cœli.) Varia hic affertur interpretatio. Sunt qui de obscu-

ratione

ratione ſiderum interpretantur, quæ ſcriptura exercitum ac militiam cœli uocet. Hi citant quod infrà legitur: Erubeſcet luna, & confundetur ſol. Sunt præterea qui accipiunt de angelis, regnis mundi præfectis, quorum functio ceſſatura ſit, occupato regno à lapide Meſsia, ſine manibus de monte exciſo. ideo ſequi, Et ſuper reges terræ: quorum imperia, ut ex Daniele patet, angelorum curæ à diuina prouidentia mandantur. Sunt poſtremò, qui de ſatana & eius miniſtris dæmonibus interpretantur, qui aeris quoq; nomine cœli appellati, poteſtates dicuntur. Qui huius ſunt ſententiæ, citant illud ex Ioannis Apocalypſi: Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & ligauit eum per mille annos, & miſit eum in abyſſum, & clauſit eum, & obſignauit ſuper illum ut non ſeducat amplius gentes, donec impleantur mille anni. Hos mille annos, quibus regno non mundano & carnali (ut quoſdam ueteres Chiliaſtas appellatos putaſſe tradunt) ſed ſpiritus Euangelij regno regnaturus ſit Meſsias, ex oraculo Ioannis, piſs & doctis ſpiritu Chriſti hominibus conſiderandos relinquo. Hi, quatuor in quibus omnis abditorum oraculorum Moſæ & Prophetarum explicatio uerſatur, expendent. Primò ſpacium, quod in prædicando Euangelio ab Apoſtolis conſumptum eſt. Deinde tempus, quo aduerſarium Meſsiæ in templo Dei ſedere oportuit: tempus inquam dierum mille ducentorum ſexaginta, quorum in Daniele & Apocalypſi Ioannis fit mentio. Tertiò, Dei conſilium de excitato ex profundis tenebris regni Antichriſti, Euangelio. Poſtremò, ut hæc quę in hac reuelatione filij hominis euenient, aduentui in quo Chriſtus cum maieſtate ueniet, ſint præluſura. Hæc qui docente unctione cognouerint, ea quæ in Prophetis occurrunt oracula de reconciliatione Iſraelitarum, & gentium pleniore ſalute edita, ut ſint implenda, & quo implenda ſint tempore, facilè intelligent.

Apocal. 20. *In lacum.*) Hunc Ioannes abyſſum uocat, & ſtagnum ignis ardens ſulphure. In aliis locis interim infernus, interim Gehenna, nonnunquam carcer nominatur. Apud Zachariam legimus: Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti uinctos tuos de lacu. Hic uerò, principatum tenebrarum in lacum mittendum legitur. בור autē propriè foueā, ſiue aquas cōtineat, ſiue ſecus ſignificans, figuratè de orco, & miſero damnatorum ſtatu uſurpatur: qui unde ſit æſtimandus, aliàs explicabitur.

Et poſt multos dies uiſitabuntur.) Similiter Ioānes in Apocalypſi, interpres prophetarum: Et cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit ut ſeducat gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog. Similiter Ioāni & uati Eſaiæ, Ezechiel uaticinatur capite XXXVIII. De myſtica ratione, alio loco meminerimus.

Et rubeſcet luna.) decore luminis ſui amiſſo. Figuratè affingitur ſideribus rubor & pudor, quo ſuffundantur tenebris tecta. Apud Euangeliſtas hæc ſigna præluſura aduentui Meſsię, quo is iudicaturus uiuos & mortuos uēturus eſt, dicuntur. Quomodo autem id intelligendum ſit, ea de re ſuprà mentio facta eſt.

Cum regnauerit Dominus.) Meſsias rex, per Euangelij ſpiritum ligato ſatana, & euerſo filij eius perditi regno. Quę erit reſurrectio prima, prefiguratura reſurrectionem ſecundam. Quid autem inter utramque reſurrectionem interſit, ſuo loco monebitur.

In monte Sion & Hieruſalem.) in Eccleſia electorum, ex Iudæis & gentibus conflata. Hanc Hieroſolymam indicat Ioannes in Apocalypſi, his uerbis: Ego Ioannes uidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo.

Apocal. 21.

Apocal. 5. *Coram ſenioribus.*) De his ſenioribus idem Ioānes his uerbis: Et uigintiquatuor ſeniores procubuerunt, & uiuentem in ſempiterna ſecula uenerati ſunt. Nomine autem uigintiquatuor ſeniorum, accipiuntur omnes diuini legati, quorum munere in adminiſtrando regno ſuo Meſsias utitur. Sed quibus uerbis hi glorifi-

glorificant Regem ſuum Meſsiam: His uerbis, quæ Ioannes in Apocalypſi ſua recenſet: Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam & honorem & uir Apocal. 4.
tutem: quia tu creaſti omnia, & propter uoluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.

IN CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

DOMINE *Deus meus.*) Hæc concio ad ſuperiora cohæret, in qua Meſsiæ laudes celebrãtur, qui de impijs ſumpta uindicta, pios liberarit.

Domine Deus meus.) Laus à declarata ope, per beneuolentiã quam gerat erga ſuos. Quem propheta Dominum Deum uocat, Ioannes λόγον τ῀ θε῀, id eſt ſermonem Dei appellat. Agnoſcunt ſeniores, Apocal. 19.
& cum eis omnes electi, Meſsiam Iehoua eſſe, & ſuum Iehoua eſſe à quo ſeruentur: cum impij Meſsiam quidem Iehoua eſſe fateantur, ſed non ſuum à quo ſalutem accipiant, ſed iudicem à quo damnentur. ueluti legimus dæmones ſic de Chriſto loqui: Fili Dei uenisti ante tempus ad iudicandos nos.

Exaltabo te.) deiecta aduerſarij ſuperbia, qui auſus eſt ſupra omne id quod eſt numen Dei, ſeſe efferre. Extollũt autem pij Meſsiam, cum fide agnoſcunt eum cœleſtium, terreſtrium & inferorum Dominum eſſe.

Et confitebor nomini tuo.) Gratias eos acturos, de tantis beneficijs in electos collatis. De quibus ſequitur mentio.

Feciſti mirabilia.) A' factis & operibus mirabilibus, Meſsiæ laus. Quid autem mirabilius, quàm ab illo mortem per mortem, peccatum per peccatum, opprobrium crucis per opprobrium deletum, per mortem uitæ, per peccatum iuſticię, per probrum & ignominiam crucis ad æternam gloriam cœleſtis regni iter patefeciſſe? & hominem Meſsiam in mundo inermem, conſpectum ſine armis humanis, ſine copijs & exercitu, ſolo halitu & ſpiritu labiorum ſuorum mundi regna potentiſsima delere, terram diſsipare, impios extirpare, ſui aduerſarij qui Antichriſtus eſt potentiam ſceptro ſermonis ſui euertere, & ex eius tenebrarũ regno in regnum lucis ſuos aſſerere? Vnde quoq; nomẽ פלא, hoc eſt admirabilis, adeptus eſt. De quo ſuprà legimus: Vocabitur nomine admirabilis.

Cogitationes antiquas.) Commendatio à cõſilijs iam olim initis, de ſeruandis pijs & perdẽdis impijs initis, & per prophetas prędictis, atq; ab ipſo perfectis. Quę ſic angeli in Apocalypſi celebrant: Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens, iuſtæ & ueræ ſunt uiæ tuæ Domine rex ſeculorum. 15.

Fideles, Amen.) Laus à fide certa & firma, qui promiſſa olim maioribus facta, firma conſtantiq; fide præſtet. Promiſſum olim fuerat in paradiſo, Adamo ipſi, mulieris ſobolem Meſsiam caput ſerpentis Satanæ contriturum. Abrahamo poſt diluuium promiſſum fuit, fore ut in ſemine eius benedicantur omnes gentes. Quæ promiſsio poſteris temporibus ſæpe repetita eſt. Hanc autem tandẽ in Meſsia & per Meſsiam impleri uident angeli in circuitu throni, & animalia, & ſeniores, & millia millium, uoce magna & clara, ut eſt in uiſo Ioannis: Clamãt ad amplificandum Dominum: Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere uir- Apocal. 5.
tutem & diuitias, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. In quo loco Ioannes angelorum facit mentionem, & animalium, & ſeniorum: uates uerò noſter hic ſolum ſeniorum, ſed qui nomine ſeniorum & angelos & animalia comprehendat. Nam ut in uniuerſum animalium nomine legati Dei ſignificentur, ex quadriga Ezechielis cognoſcere licet. Ezech. 1.

Qui poſuiſti ciuitatem in tumulum.) diſsipata terra, ut ſuprà legitur: Dominus diſsipabit terram eius. ciuitatib. deuaſtatis, & præcipuè ea ciuitate deſolata, de qua illud: Cecidit Babylon ciuitas magna. Apocal. 18.

Dominum alienorum.) A' potẽtia. Hoſtium Eccleſiæ Meſsiæ omnia munitiſsima & ſplendidiſsima in tumulum & ruinam redactum iri: ciuitates, palatia, arces.

Nam hostes nomine זרים notantur, ut à repub. sanctorū alieni. Quales hodie sunt qui Ecclesiam infestant, & olim Israelitas infestarunt.

Super hoc laudabit te populus fortis.) Qui antea fortes, & potentes, & qui uiribus quibus alios opprimerent, ualentes habiti sunt, iam posita ferocia & cœlesti Euangelio mitis agni mansuefacti, te uictorem Messiam uenerabuntur & metuent: hoc est, sacro fidei cultu colent. Sunt igitur potentes & præferoces tyranni qui pereunt, ut sunt qui contumaci & peruicaci furore aduersus agnum Messiam & eius cultores feruntur. Sunt item potentia & uiribus ualentes, qui exuta ferocia iugo Christi se submittunt, ex lupis agni facti. De quibus suprà: Habitabit lupus cum agno. Aut in hunc modum interpretari licebit: Etiam tyrannos orbis terrarum præferoces, tandem confessuros Messiam Dominum esse, metu potentiæ eius perculsos, conscientia ipsis etiam inuitis expressura iusticiæ & potentiæ Iesu Christi Domini cœli & terræ laudem, quite nuibus in rebus aduersis sit firmamento. Sunt item diuites, qui ueras diuitias a-
Philip. 2. spernantes, se pauperes non agnoscunt. Hinc Apostolus Messię nomen datum à patre dicit, cui supera & terrestria & infera genua flectant.

Quia factus est fortitudo pauperi.) omni humanæ potentiæ, sapientiæ & probi-
Matth. 5. tatis præsidio destituto. Tales pauperes amplectitur Christus, ubi ait: Beati pauperes spiritu. Itaque sunt pauperes à diuitijs huius mundi, sed diuites opinione sapientiæ & probitatis humanæ: hos non agnoscit Christus. Sunt item pauperes & inopes ab animi probitate & sapientia, qui agnoscūt se sapiētia & probitate quæ Deo probeē carere, omniq; humana ope qua se liberent desertos, in uno præsidio Dei spe posita. Tales pauperes respicit Messias, quos diuites opibus suæ potentiæ, suæ sapientiæ, suæ iusticiæ & uitæ reddat. In his pauperibus numerantur, quibus mundi huius diuitiæ non desunt, sed cupiditas earum deest. Vt exemplo sunt, Abrahamus, & cæteri patriarchę, pij reges & principes. In talibus pauperibus habentur reges, de quibus infrà uates noster: Et reges tibi seruient. Igitur sunt pauperes, quos Christus clementer respicit: sunt item quos aspernatur. quales in bestiæ regno multi reperti sunt, & etiamnum reperiuntur, qui paupertatem & mendicitatem profitentes, animo regum opes
sperant, & hypocrisi angelorum probitatem simulant. Sicut etiam sunt diuites, quos idem Dominus amat: & diuites, quos auersatur. Amat autem eos, qui in ipsis diuitijs se pauperes & inopes cum Dauide diuite rege confitentes,
Psal. 25. orant: Respice me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego. Tales pauperes in diuitijs pauperes sunt, & in paupertate ditiores Crœsis & Crasis. Vt uerum sit hoc paradoxum, Diuites pauperes esse, & pauperes diuites. Sicut etiam hæc uera sunt: Iusti sunt iniusti, cæci uidentes, stulti sapientes, mortui uiui, & contrà.

Spes à turbine.) Scitè comparat Messiæ opem receptaculo & umbræ, hostilem uerò infestationem imbri procelloso & æstui.

Spiritus enim robustorum.) Tyrannorum furorem & insolentem uim simílem esse tempestuoso imbri, quo impulsus paries dissipatur. רוח pro ira & furore accipi, declarat illud אל תנהל ברוחך : ubi spiritus sumitur pro ea parte animi, in qua affectus & perturbationes uersantur, mentem loco mouentes.

Et quasi calore sub nube.) Sententia est: Temporibus illis quibus terrarum orbis maximis afflictionibus infestabitur, calamitatem superbis & ferocibus hostibus euenturam, tanquam æstum in æstuoso loco, ubi omnis refrigerandi spes abest. Pijs tamen & electis tanquam æstum, quem obumbrans nubes frigore temperat: atque ita fore, ut calamitatum æstu consumantur impij, pij autem umbra alarum Messiæ protecti seruentur. Obseruanda sunt hic nomina seruatoris Christi, firmamentum pauperum, receptaculum ac protectio in tempestate,

umbra-

umbraculum in æstu insectantium tyrannorum, & in maximis afflictionum ardoribus umbra densa.

Omnibus populis in monte isto.) Meminit & Ezechiel conuiuij, quod post factam Israelitarum restitutionem sit uolucribus cœli & bestijs agrestibus ex interitu gentium Gog & Magog parandum: de quibus gentibus & Ioannes in Apocalypsi, secutus Ezechielem, mentionem facit. Mysticus sanè locus est: ut autem exponendus sit, Dominus suo tempore patefaciet. Hostium Ecclesię miser interitus significatur, qui potatis fecibus uini furoris diuini, miserè sint perituri: seruata Sion Ecclesia. De hoc calice similiter Zacharias: Ecce ego pono Hieru 12.
10 salem calicem ebrietatis omnibus populis per circuitum. Et erit, in die illo ponam Hierusalem lapidem onerosum omnibus populis, & omnes qui eum leuare contenderint, concidentur, & colligentur aduersus eam omnes gentes. Sed quis est ille lapis onerosus, in se offendentes concisurus? Messias est, & impios perditurus, & electos seruaturus: submoto peccati, mortis & ignorantiæ Dei tegumento, ut sequitur.

Et præcipitabit.) Commemorato beneficio conuiuij, iam celebrat sublatæ mortis beneficium, quo suos ornet Messias. Sententia est: Velamen ac inuolucrum quo omnes gentes teguntur, absorptum & confectum iri. Duplex autem occurrit inuolucrum, quo genus humanum miserè inuolutum & tectum
20 est. Alterum peccati & mortis, quo omnes ex primo Adamo propagati, per originis uitium cooperti sunt. De quo his uerbis Apostolus: Per unum homi- *Rom. 5.*
nem peccatum in mundum introijt, & per peccatum mors. Atque hoc inuolucrum letale & mortiferum uates noster his uerbis explicat: Et præcipitabit mortem. Alterum inuolucrum ac uelamen ignorantię Dei, & eius filij IESV CHRISTI, atque mysteriorum regni cœlorum uelamen est & inuolucrum: quod cum priore connexum est, de quo uideris apud Apostolum in altera ad 3.
Corinthios epistola. Hoc inuolucrum ob oculos animorum nostrorum oppansum, unus spiritus patefacto Messia per sacrum Euangelium submouet & conterit, de quo illud: Idem uelamen in lectione ueteris testamenti manet, *2. Corinth. 3.*
30 nec tollitur uelum quod per Christum aboletur. Hoc uelamen ac inuolucrum, præputium carnis, & eius remotionem quæ fit per spiritum Messiæ, præcisum præputium præfigurauit.

Præcipitabit mortem in sempiternum.) Explicatur inuolucrum quale sit, quod à Messia sit destruendum. Hunc locum Apostolus citans, sic eum interpretatur: Absorpta est mors ad uictoriam. Vbi apostolo Paulo נצח uictoria est, ut sit *1. Corinth. 15.*
sententia: Ita Christus mortem deglutiuit ac absorpsit, ut nullum amplius neque in ipsum, neque in ei insitos per spiritum sacrum, ius habeat. Est enim נצח urgere, & conatu ac impetu in aliquid incumbere, dum ad exitum & finem perducatur. Vnde ea uox uictorem, & לנצח ad uictoriam, perpetuò uictorio
40 se significat. Cæterùm ex Apocalypsi Ioannis, prophetarum interpretis, du- *Apocal. 20.*
plicem mortem & resurrectionem esse cognoscimus. Sic enim ait: Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & CHRISTI, & regnabunt cum illo mille annis. Est autem mors prima, quam omnes *Mors prima.*
ex primo Adamo nati, pariter corpore & animo obeunt. De qua morte Apostolus: Et sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. *Rom. 5.*
Nam ut corpora animis priuata, mortua iudicantur: sic animi uitali Messiæ spiritu carentes, per peccatum, quod priuatio uitalis iusticiæ Dei est, uerè mortui censentur. Sed hæc prima mors talis est mors, quæ Messiæ halitu & spiritu tol-
50 latur, in ijs qui ad uitam æternam destinati sunt. Altera mors est, eorum qui *Altera mors.*
neque corpore neq; animo uiuificandi, in paratum ipsis ignem gehennæ cum *Resurrectio prima.*
Satana & eius ministris præcipitantur. Itaq; quod ad resurrectionem primã

attinet, in hac partem habent, quorum in hoc seculo interior homo regeneratur spiritu Christi ad uitam æternam. Quæ prima resurrectio quamuis in omnibus renatis supernè ex Deo locum habeat, quia tamen ea plenior continget his nouissimis patefactionis Euangelij temporibus, fit, ut à prophetis & Ioanne prophetarum interprete in hæc postrema tempora reconciliationis Israelitarum & instaurationis Ecclesiæ reiiciatur. Altera resurrectio est, in qua electi corpore & animo ad cœlestem uitam, in illo aduentu Christi, quo is uictor & glorioſus triumphator ueniet ad iudicandos uiuos & mortuos, excitabuntur. In quo aduentu uerè & perfectè implebitur, quod hic Iesaias prophetat: Absorpsit mortem לנצח, hoc est uictoriosè & cum triumpho. Atque hæc resurrectio secunda per illam priorem præfiguratur. de qua figura uideris apud Ezechielem capite triceſimoseptimo, & apud Apostolum alludentem ad Ezechielem, ubi in epistola ad Romanos de Israelitarum reconciliatione loquens sic ait: Quæ assumptio nisi uita ex mortuis? Quibus uerbis indicat, reconciliatos cum Deo maiorum suorum Israelitas, non aliter habituros, quàm si essent ex morte ad uitam reuocati: qui tam longo tempore in orbe terrarum exules, cœlestis sacerdotij & regni uita caruissent. Itaque cum gentibus hi per spiritum Messiæ uitæ restituti, alteram mortem quæ barathri & stagni igni & sulphure ardentis mors est, in hac prima resurrectione non sentient, sed eam solum sentiet Satan, cum sobole sua ad interitum destinatus. In his igitur mysterijs enarrandis, exilij Israelitarum & profanationis templi mystici mysticam rationem unctione docente, & discrimen aduentuum Messiæ, & tempora ipsa Antichristi nota habere oportebit: demum, cur patefactio Euangelij longè clarissima in postrema hæc tempora reiecta sit, cognoscendum fuerit. Hæc doctore spiritu Messiæ considerata, ad prophetarum oracula intelligenda & exponenda uiam aperient: quæ alioquin non simus intellecturi, nisi hæc faxit Christo luce electorum præluceat.

Altera resurrectio.

Roman. 11.

Et *auferet Deus lachrymam.*) electis ex tanta orbis terrarum calamitate liberatis. Sed uerius in resurrectione altera hoc continget, filijs regni in glorioſum regnum translatis. In altera porrò resurrectione typus & umbra, in altera expressa ueritas cernitur.

Et *opprobrium.*) peccati, mortis & errorum Antichristi.

Quia *Dominus locutus est.*) Eorum quæ dicta sunt, à sermonis Dei constantia & fide confirmatio: cuius promissa tandem perficiantur, quamlibet diu differri uideantur. Simul igitur hic & pij confirmantur in fide, & impiorum securitas retunditur, qui oracula Dei in dubium uocant, cum uident ea tardius impleri, non perpendentes hunc morem à Domino perpetuum seruari, ut non prius promissa præstet, quàm omnia ita in diuersum abeant, ut nihil minus fore existimetur, quàm quod Deus promisit. Vt exemplo est promissa Israelitis redemptio, qua erant ex Aegypto redimendi: & hæc ultima eorum liberatio per Mosen longè retro seculis à Domino promissa, quæ his nouissimis temporibus expectatur perficienda: quamuis uulgo uerisimile non uideatur, hanc gentem Messiam fide culturam. Idem accidit Ecclesiæ, tot seculis prophanatæ ab Antichristo. Quis enim non ita pridem putasset futurum, ut tam clara Euangelij lux ad patefaciendum regnum Antichristi mundo refulgeret, quam claram hodie incipere fulgere sentimus? Atque etiam in priuatis tentationibus quantum momenti & ponderis ad consolandum habeat hæc uox, Quia Dominus locutus est, norunt qui una fide & spe sub patientia à diuinis promissis pendent. Hic hæret ancora, ad omnem salutem perficiendam per uictoriam quantumuis grauium & difficilium tentationum. Beati qui hæc sub signis Christi militantes, luctante & uincente fide experiuntur.

Roman. 5.

Ecce

Ecce Deus noſter iſte.) Duo confitentur: Meſsiam Deum eſſe: alterum, hunc Deum ſuum eſſe, qui ipſos redimat & ſeruet. quæ confeſsio neceſſaria ad ſalutem eſt.

Quem expectauimus.) Iam olim in paradiſo ipſi Adamo, & deinde patriarchis, & reliquis qui hos ſecuti ſunt pijs hominibus, per Prophetas promiſſum: hunc inquam expectauimus, qui tempore plenitudinis in mundum carne præſentaretur, ad dandum illi ſalutem, & ut denuò his poſtremis temporibus ſe Eccleſiæ ſuæ oſtenderet per lucem Euangelij, ſubmotis tenebris, quas aduerſarius illi offudit. In hoc inquam exultabimus & lætabimur, ob partam nobis ſalutem. Et quantum ad Iudæos attinet, hi iam multis ſeculis expectant Meſsiam, ſed carnali modo, nondum uelo de ipſorum uultu depoſito, quod per ſpiritum Euangelij deponetur: & eo depoſito, talem Meſsiam inuenient, qualem eum deſcribunt Prophetæ: hoc eſt, inuenient eum qui ipſis proderit ſpiritu ſuo, quo eorum corda circumcidet, & circumciſa iuſticia & uita ornabit. De quo ſpiritu Moſes prædixerat capite triceſimo, & noſter uarijs in locis cum alijs uatibus.

Quoniam requieſcet manus Domini.) ab anathemate publicarum afflictionum & motuum: non item à priuatis afflictionibus, quę ante glorioſum aduentũ Meſsiæ electis non deerunt.

In plauſtro.) Solent paleæ non plauſtro teri, ſed in ſterquilinium tundi & proculcari. Paleis comparat Moabitas hoſtes, qui non ſecus opprobrio afflictionum ſint conterendi, atque paleæ in luto & fimo tunduntur. Quare in Hebręo non eſt plauſtrum, ſed ſterquilinium.

Et extendet manum ſub eo.) Figuratè ſignificat, à Domino inſtar natatorum utramque manum pandente, Moabitas non leuiter in extrema aliqua parte, ſed in medio ipſorum regno deprimendos. Legitur enim בקרבו: pro quo noſter interpres, ſub eo.

Cum alluſione manuum eius.) Mariet in ſimilitudine, à natatore ſumpta, qui brachijs ſuis omnia quæ natationem impediunt, diſcutit. Sunt quibus ארבית non ſunt brachia ac cubiti, ſed prædationes, quæ per inſidias fiunt, uoce ab ארב uerbo, quod inſidiari eſt, ducta: prædationibus ſuperbiam Moabitarum deiectum iri. De ſuperbia Moabitarum, & quos hi præfigurarunt, ſuprà capite decimoſexto, & in libris Regum monuimus.

IN CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

IN *die illa.*) Pertinet hoc carmen ad ſuperiora, in quo beneficia quæ in ſanctorum Eccleſiam conferuntur, & conferentur, diuinus ſpiritus celebrare pergit.

Vrbs fortitudinis noſtræ.) Suprà meminit ciuitatum, quæ in orbe terrarum diruendæ ſint: hic uerò ciuitatem, quam Meſsias potentem & bene munitam ſit extructurus, deſcribit. Huic ſuos muros, propugnacula, & portas tribuit. In Apocalypſi Ioannis, ciuitatis huius nomen, ortus, fundamenta, materia, forma, magnitudo, plateæ, & fluuius per aream & plateas eius fluens, atque templum, deſcribuntur. Si nomen ſpectes, ciuitas hæc Hieroſolyma nominatur. Sic enim ait Ioannes: Vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem: ſin ortum, huius origo non ex terra eſt, ſed ex cœlo, eam cœleſti Meſsiæ ſpiritu architectante per regenerationem. De quo ortu Dominus ipſe his uerbis ad Nicodemum: Ne mirere quòd dixi tibi, Oportet uos naſci è ſupernis: Amen dico tibi, niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Huc reſpiciens Ioannes, de origine huius ciuitatis ſic loquitur: Vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam deſcenden-

Apocal. 21.

Ioan. 3.

tem de cœlo. non dicit, Vidi ueterem Hierosolymam, quæ terrena Hierosolyma est: sed dicit, Vidi nouam de cœlo descendentem, & Messiæ noui & cœlestis hominis cœlesti spiritu ædificandam. Materia igitur huius ciuitatis non est ferrum, non æs, non stannum, non plumbum, non saxa ex Libano monte excisa, non lignum ignem non ferens: sed aurum. non quidem ex India aut Arabia felice allatum, sed ex cœlo petitum aurum. Sic enim scriptum est: Ipsa uerò ciuitas aurum mundum. In auro materia pura puta, & aduersus ignis iniuriam firma, atque claritate solis fulgorem referens cernitur. Talis est materia, ex qua electorum Ecclesia ædificatur: ossa nimirum & caro Christi sponsi materia sunt. cuius Christi caput aurum, optimum ipsa sponsa Ecclesia his uerbis in Cantico canticorum confitetur esse: Amicus meus candidus & rubicundus est, caput eius aurum obrizum. Vnde fit, ut hæc ciuitas non in obscuritate, sed in claritate Dei, & in sui architecti Messiæ splendore uersari dicatur, ut est apud eundem Ioannem: Et ciuitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est agnus. Similiter noster propheta infrà: Quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Sed quæ forma est ciuitatis huius? Formam ac figuram habet, quæ ad soliditatem & firmitatem apta sit, quadratam uidelicet; de qua illud, καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται. Magnitudo eius à propheta nostro infrà indicatur, his uerbis: Dilata locum tabernaculorum tuorum, & noli parcere tuorum tentoriorum uelis extendendis: funes tuos proferto. Ad hanc amplitudinem diuinæ ciuitatis Hierosolymæ respiciens Ioannes dicit: Et mensus est ciuitatē per stadia duodecim millia. Qui numerus millenarijs cubis constans, plenam & perfectam magnitudinem cœlestis ciuitatis declarat. Et quoniam undique & ex omni parte absoluta est in Messia capite suo, legimus illam pari altitudine, longitudine & latitudine esse. Sic enim scriptum est: Et longitudo & latitudo & altitudo æqualia sunt. Murus huius sacræ urbis altus est centum quadraginta quatuor cubitos. Quam mensuram sanctus Ioannes dicit mensuram hominis esse, quæ sit angeli. Sed quæ est illa mensura hominis, & cuius hominis? Hominis sanè continentis omnem perfectionem & plenitudinē diuinitatis corporatè. Qui angelus ille est, hoc est missus à patre noui fœderis legatus, de quo Malachias meminit: Et angelus testamenti quem uos expetitis. & is etiã se patris legatum & angelũ uocat, ubi ait: Sicut misit me pater. Infrà item is sic de se loquitur: Misit me, ut mederer cõtritis corde. Huc spectans diuinus spiritus, in uate Isaia dicit, murũ ciuitatis Hierosolymæ ישועה, hoc est salutem esse. Sed quæ est illa salus? Messias hæc salus est, qui se uitam, iusticiam, sanctitatem, resurrectionem electorum suorum uocat. Nemo autem miretur, huius ciuitatis & muri eius mensuram, hominis Messiæ mensuram esse. Etenim hæc ciuitas ut omnibus Dei muneribus referta est, ita nulla mensura ei apta erit, qua mensuretur, quàm IESVS CHRISTVS, homo plenus diuinitate. Nam hęc ciuitas Messiæ complemẽtum appellatur, & ad mensuram donationis Messiæ ut capitis uniuersæ perfectionis spiritualis singulæ partes huius ciuitatis munera suæ perfectionis accipiunt. Sic enim ait Apostolus: Verùm unicuique nostrûm data est gratia iuxta mensuram donationis IESV CHRISTI. Atque hoc ipsum est quod Ioannes dicit: Mensura muri Hierosolymæ mensura hominis est, quæ est angeli. Nam dona diuini spiritus non mensurantur cuiquam, nisi ad numerationem missi à Deo patre Messiæ, qui mensura & norma omniũ est. Præterea quod ad fundamenta sacri muri pertinet, ea duodecim ponuntur, quæ Ioannes his uerbis explicat: Et murus ciuitatis habens duodecim fundamenta, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum agni. Propter duodecim Apostolos, fundamentum Agnum prædicantes, ciuitatis huius cœlestis murus duodecim fundamẽta habere dicitur. Quare

Cantic. 5.

Malach. 3.

Ioan. 20.

Ephes. 1.

Ephes. 4.

Apostolo-

Apoſtolus in epiſtola ad Epheſios, Eccleſiam ſuper Apoſtolorum & Prophetarum fundamentum, quod CHRISTVS eſt, extructam fatetur. ut is ipſe in fundamento Eccleſiæ ſe tanquam petram poſitum eſſe ait: Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quæ petra, Petrus ipſe eſſe non poteſt. ſic enim ait Apoſtolus: Nam fundamentum nemo aliud poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTVS IESVS. Propter precium autem doctrinæ Apoſtolicæ, dicuntur hæc fundamenta duodecim ornata gemmis. Tradunt ueteres, duodenarium cœleſtem eſſe numerum, cœleſtis fœcunditatis indicem, qui duos denarios perfectos numeros contineat, & primo à denario perfecto numero creſcat. Atque hoc nomine eum huc congruere, ut qui celebris etiam ſit duodecim tribubus familiæ Iſraëliticæ, quæ ſummam electorum præfigurant. Celebris item duodecim panibus, præfigurantibus nobis panem cœleſtem Meſsiam, qui ſatis ſit omnibus ſcriptis in libro uitæ nutriendis ad uitam æternam. Præterea duodecim fontes repertos ab Iſraelitis, egreſsis ex Aegypto: qui fontes quem fontem adumbrarint, piſs notum ex Zacharia & alijs prophetis. Nec deſunt portæ noſtræ ciuitati, ut hic legimus apud uatem: Aperite portas. Sed quas portas? Noſter Dominus architectus huius ciuitatis, portas has explicat, ubi ait: Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſeruabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Atqui cum unum ſit oſtium Meſsias, per quod in Hieroſolymam ciuitatem pateat ingreſſus, cur à Ioanne duodecim portæ ponuntur? Ratio eadem aſsignatur, quæ de duodecim fundamentis aſsignata eſt. Sic enim ait: Et in portis angeli duodecim, qui ſunt duodecim Apoſtoli. In quo numero ſumma legatorum Dei continetur, qui aperiunt nobis portam, ut per oſtium Meſsiam, eius ſpiritu purgati, in nouam & ſanctam Hieroſolymam ingrediamur. Portis duodenis duodenæ tribus Iſraeliticæ reſpondent, quarum his uerbis in Apocalypſi fit mentio: Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael. Atque has portas margaritis ornari, eadem ratione qua fundamenta gemmis ornantur, intelligimus. Margaritarum puritas indicat, qua puritate debeant eſſe præditi, qui nobis Euangelium docentes, Meſsiam oſtium oſtendunt: & quales oporteat eſſe, qui per illum in ſacram ciuitatem introire uolunt. Horum cum uaria munera ſint, quorum alij aliud obeant, & quiſque ſuum, nec platea tam ampla urbs caret. quam plateam diuinus ſpiritus aurum purum putum dicit eſſe: ut ſignificet, ſanctorum conuerſationem & uitæ conſuetudinem auri inſtar debere ſplendere, & impuritate carere, atque uitri pellucidi ignea diuini amoris claritate pellucere. Solent ciuitates commendari, fluuios ſuos habentes. neque noſtra ciuitas ſuo flumine caret, de quo Ioannes ſic loquitur: Et oſtendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni. Qualis autem ſit is fluuius, & quas aquas præbeat, exponit noſter uates ſuprà his uerbis: Haurietis aquas cum gaudio de fontibus ſaluatoris. Quæ ſunt aquę uitales ſacri ſpiritus, de quibus illud legitur: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum. His uerbis fluuius, eiuſq; aquæ, & harum fons explicantur, qui fons Meſsias eſt benedictus. Huic quoniam à patre ſpiritus ſacer ſine modo & menſura datur, quem ſuæ ciuitatis ciuibus impertiat, dicitur fluuius diuini ſpiritus aquas fundens, de Dei patris & de agni ſede manare. Sedes autem hæc ſolium bonitatis diuinæ eſt, ex quo tanquam ex perenni fonte omnia bona proficiſcuntur. Neq; præterea cœleſtis hæc ciuitas uitali arbore caret, quæ in medio plateæ ex utraque parte fluminis conſita, ſingulis menſibus ſuum ferat fructum. ſed qualem

Epheſ. 2.
Matth. 16.
1. Corinth. 3.
Ioan. 7.
Zach. 13.

fructum accipitur ferre? Fructum & folia curantia gentes fert. Sic enim in Apocalypsi scriptum est: In medio plateæ eius, & ex utraque parte fluuij arbor uitalis, pariens fructus duodecim, singulis mensibus suum fructum ferens, & folia arboris ad curationem gentium. Hæc uiuifica arbor præfigurata per arborem uitæ in paradiso consitam, Messias est, cuius salutaria folia, diuulgationis sacri Euangelij folia sunt: quæ credentibus per fidem, salutem, quæ in participatu diuinæ iusticiæ & uitæ in Christo Iesu uersatur, afferunt. Ex his patet, in mysterijs diuinæ sapientiæ ut reperiuntur duo Adami, alter terrenus, alter cœlestis: sic duas Hierosolymas reperiri, terrenam & cœlestem: duo sanctuaria & templa, duplicem hæreditatem, duo regna & sacerdotia, duo genera Israelitarum: duos mundos, alterum aspectabilem, alterum inaspectabilem: bipartitam terram, duo genera aquarum, duplicem spiritum, duplicem ignem & lucem, duos item paradisos, duo genera arborum fructiferarum: non item unum genus argenti, auri & gemmarum. nec unum infernum, sed bipartitum: alterum corporatum, in quo mortuorum corpora humantur: alterum spiritualem, in quo qui uersantur, mortui à uita Dei, Messia luce carent, fumo & caligine iræ eius repleti: & si quæ sunt alia. Atque hæc uera Cabala est, ac receptio per manus sanctorum hominum, à primo homine per diuinam reuelationem recepta, & sacris literis indicata.

Aperite portas.) De harum portarum ostio, ostium ipsum Messias sic loIoan. 10. quitur: Ego sum ostium. Per quod ostium cum non ingrediatur in stabu-13. lum ouium pastor ille stultus à Zacharia descriptus, fur is est, & latro: hoc est, aduersarius pastoris Messiæ. Habet & ciuitas inferni suas portas, sed quas ostium portarum ciuitatis Hierosolymæ frangat. Sic enim Matth. 16. scriptum legimus: Et portæ inferni non præualebunt aduersus eum. Sed 52. qui iubentur aperire portas? Illi, de quibus infrà uates loquitur: Quàm speciosi sunt pedes Euangelium nunciantis? Etenim Euangelium claues continet aperiendi has portas: per quas nemo ingredietur in sacram ciuitatem, nisi qui Euangelio seruatoris Messiæ ad ueteris naturæ exuitionem, & induiMatth. ult. tionem noui, fidem habeat. Sicut scriptum est: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Baptismus autem, mortificationis ueteris hominis, & generationis noui sacramentum seu mysterium est: quam mortificationem & regenerationem ex Deo, fidei spiritus efficit. Portas hic cœlestis HierosolyMatth. 7. mæ ciuibus aperiendas esse legimus, & eas duodecim: quæ quidem portæ & angustæ & latæ sunt. Angustæ quidem ueteri homini, per ueterem naturam: & illis temporibus, quibus aut nondum patefit Messias: aut si patefit publicè per Euangelij doctrinam, tale tamen tempus est, in quo pauci Christo fidem habeant: ut fuere Christi præsentati in mundum, & Apostolorum, quibus Euangelium in orbe terrarum diuulgarunt, tempora, in quibus reliMatth. 20. quiæ erant seruandæ. De quo tempore loquitur Dominus: Multi uocati, pauci uerò electi. qui uidelicet sacræ Euangelij doctrinæ obediant. Quilocus non ita accipitur, ut simpliciter paucos electos esse, & scriptos in libro uitæ intelligamus: huic sententiæ nimirum reluctante amplitudine ciuitatis regis Messiæ, quæ in Mose & Prophetis describitur: & de qua in uate nostro, ut suis locis indicabitur, longè clarissima extant testimonia. Itaque sunt tempora, in quibus latæ & amplæ Hierosolymæ de cœlo descendentis portæ apparent: per quas non pauci, sed multi sint in sanctam ciuitatem ingressuri: ut sunt hæc nouissima patefactionis Messiæ, ad destruendum regnum Antichristi, & ad instaurandum cœleste regnum, tempora: in quibus implebuntur quæ de reparanda Ecclesia & restituendis Israelitis à Mose & prophetis prædicta, & à Ioanne in sua sacra Apocalypsi interpretata sunt. De quibus latis & spaciosis

ſpacioſis portis Michęas uates his uerbis uaticinatus eſt: Antecedet diſsipator eos, diſsipabunt, portamq; tranſibunt, & per eam exibunt, præeunte eos ipſorum rege & domino in eorum capite. Is prædicitur omnia diſsipaturus quæ antea iter arctum & portam anguſtam fecerant. Sed de hoc argumento aliàs copioſius. *Mich.2.*

Et ingredietur gens iuſta.) In ciuitate hac improbis locum non futurum. Huc reſpiciens Ioannes dicit: In eam nihil prophanum intrabit, quod ue ſcelus committat, aut mendacium: ſed duntaxat ſcripti in libro uitæ Agni. Sed quæ eſt illa iuſticia, qua qui prædíti ſunt, in ſacram hanc ciuitatem ingrediuntur? Hæc iuſticia, infrà capite quinquageſimotertio explicatur. At uerò ut duplex ratio eſt huius noſtræ ciuitatis: una, qua proponitur de cœlo deſcendere per primam reſurrectionem, & in terra peregrinari, qualis in prophetis & in Ioanne deſcribitur: altera, qua proponitur in cœlum aſcenſura, conformanda glorioſo ſponſo Meſsiæ per alteram reſurrectionem: ut inquam duplex eſt conſideratio Hieroſolymæ, è duplici eius reſurrectione, ita bipartita conſideratio iuſticiæ eſt, qua illa exornatur: altera, quæ peregrinanti pro primitijs ſpiritus congruat: altera, quæ confecto peregrinationis curſu, glorioſo ſtatui conueniet. de qua iuſticia illud: Iuſtus ut ſol ſplendebit. *Apocal. 22.*

Cuſtodiens ueritatem.) אמונים uox opponitur hypocriſi & mendacio atque perfidiæ, eos ingreſſuros in ſacram Meſsiæ ciuitatem, qui ſimulatione & mendacio uacantes, fidem fœderis per Agni ſanguinem ſecum icti, ſeruant. Ioannes in Apocalypſi uatis uerba expendens, ipſi אמונים mendacium opponit, cum ait, non ingreſſuros in Hieroſolymam ciuitatem mendaces. Vbi ſententiam prophetæ per locum à contrarijs exponit. Propheta enim dicit, iuſtos ingreſſuros, & fidem ſeruantes, hoc eſt ſpiritu & ueritate colentes Deum patrem in Meſsia filio: Ioannes uerò dicit, non intraturos iniuſtos & mendaces.

Vetus error abijt.) Hebræus indicat, Dominum fictilis operis ſui, quod nullo alio quàm ipſo fide & ſpe nitatur, pacem tueri. Vocatur autem iuſta gens fictile opus, quam nimirum Deus ſpiritu filij ſui nouum opus fingat, inſpirato non animalis, ſed ſpiritualis, non terrenæ, ſed cœleſtis uitæ halitu, de quo mox uates: Donec effundatur ſuper uos ſpiritus de excelſo. Munus regium Meſsiæ, quo ciuitas iam deſcripta gubernatur, à propheta explicatur. hoc diuinæ ciuitatis pacem ſeruari, ut ſit trāquilla aduerſus omniū ſuorum hoſtiū tentationes. De qua pace Meſsias rex his uerbis: Vt in me habeatis pacem. *Ioan.16.*

In Domino Deo forti.) Ratio ſpei collocandæ in Dominum, à fortitudine & potentia eius. Qui ut ſe propter robur & fortitudinem petram uocet, declarat illud: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. In textu enim legitur צור, quæ uox petram ſignificat. Duo nomina diuinitatem declarantia hic Meſsiæ tribuuntur. alterum integrum יהוה, alterum non integrum יה. In hoc nomine ſapientes homines duplicem mundum uolunt ſignificari, cuius autor & finis habeatur Meſsias: alterum ueterem, alterum nouum. ueterem ſeu præſentem ad interitum uergentem, in ה litera infrà aperta, & ſuprà clauſa: nouum uerò, mundum, uitio carentem, Iod litera denarium numerum denotante. Qui ut finis eſt numerorum, ita Meſsias finis omnium ſit, de ſe dicens: Ego ſum Alpha & Ω. Et ut punctum principium magnitudinis eſt, & unum multitudinis: ita Meſsiam Iodum, quo punctum refert, nobis in ה nomine repræſentat. Accedit ad rationem nominis quinarius numerus in ה litera notatus, qui cum centrum ſit ſpheræ ex denario confectæ, aptè nomen hoc in Meſsiam congruit, ut ad quem tanquam ad caput perfectionis ſpiritualis omnis perfectio & abſolutio referatur: ut lineæ à circumferentia ſphæræ *Matth. 16.*

aut

aut circuli ductæ, in centrum, in quo coeunt, referuntur. Sed hac de re in hiſtoria Regum & in Moſe meminimus.

Quia incuruabit habitantes in excelſo.) Ratio reponendæ ſpei in Domino, à facultate deprimendi potentiſsimos in orbe terrarum hoſtes, cuius potentiæ nulla uis contraria reſiſtat. Hanc in Deo potentiam qua poſsit, & uoluntatem qua uelit, iuuare, conſiderans fides, omnia quæ in mundo ſunt potentiſsima uincit.

Ciuitatem ſublimem.) Præcipuè in mundo eam altam ciuitatem depreſſum iri, de qua ſuprà ex Ioanne facta eſt mentio: Væ uæ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam in una hora uenit iudicium tuum. Hæc Babylon ſublimis ciuitas uocatur, quæ ſolium ſuum ſupra Meſsiæ ſolium audeat collocare, dicens: In cœlum aſcendam, & ſolium meum ſupra aſtra collocabo. Huius ſuperbæ ciuitatis euertendæ meminit diuinus ſpiritus, quo illuſtriorem Hieroſolymæ ædificationem reddat: hanc extruendam, illam deſtruendam: alteram de terra aſcendentem in cœlum, deprimendam: alteram deſcendentem de cœlo, extollendam ad cœleſtis regni ſplendorem. Quare ſequitur:

Vſq; ad terram.) Quæ cum è terra nata eſſet, ſe ſupra terram in cœlum uſq; extulit, immemor ſuæ originis. Contrà infrà de ciuitate Hieroſolyma legimus: Surge, illuminare.

Vſque ad puluerem.) Amplificat deiectionem: Superbos orbis tyrannos in puluere habitantes, cum ciuitate illa ſublimi Antichriſti, quem adorant, in puluerem redigendos, qui ſe terræ puluerem eſſe non agnoſcant: ſecus quàm Abraham fecit, qui cum cinerem & puluerem ſe fateretur eſſe, cum eo familiariter colloqui, ad euehendum eum, non dedignatus eſt Dominus. Sed à quo ciuitas illa ſublimis conculcabitur?

Pſal. 110. *Conculcabit eam pes.*) Meſsiæ pes de quo pede uates Dauid canit: Donec ponam inimicos meos ſcabellum pedum tuorum. Qui Meſsias pauperis perſonam induit in ſtatu crucis, de qua perſona Zacharias: Ecce rex tuus ueniet tibi Zach. 9. iuſtus & ſaluator, ipſe pauper. Et hac pauperis perſona depoſita, iam in ſolio maieſtatis regiæ regnans, ſuam ciuitatem Hieroſolymam quæ aduerſus omnem uim & iniuriam firma ſit, ædificat, ciuitatibus huius mundi deſolatis. Sic monarchia Aſſyriorum, cum Niniue & Babylone ciuitatibus magnis & ſublimibus: ſic Perſarum & Medorum Græcorum'que imperium, cum clariſsimis Græciæ urbibus corruit. Romanum imperium ruinam minatur, cum ſua Roma: cuius miſerabilis interitus, cum beſtia ſuper eius ſeptem colles ſedente, in decretis Meſsiæ regis deſignatus propè adeſt. Tanta potentia pauperis & crucifixi Meſsiæ eſt.

Greſſus egenorum.) qui hactenus ſuperbè ab aduerſario Meſsiæ proculcati fuerunt, iam non humanis, ſed ſacri ſpiritus Meſsiæ armis accincti, eos depriment, à quibus depreſsi fuerunt. Quæ arma, Euangelij arma erunt, cuius ſpiritu ſuperbi hoſtes de gradu & ſolio dignitatis ſuæ deijciuntur. Nam is ſpiritus iudiciarius ſpiritus eſt, quo Deus mundum iudicat, cum ſua ſapientia eum Ioan. 16. perdens, de quo iudex ipſe: Et cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, &c. Paraphraſtes Chaldæus pro egenis iuſtos habet. In probis enim ac iuſtis non diuites, non ſapientes huius mundi, non ſuperbi & arrogantes tyranni, ſed pauperes numerantur, de quibus Meſsias ipſe his uerbis meminit: Beati pauperes ſpiritu. Horum pedibus potentiam & ſublimitatem mundi proculcatum iri. Nam in talium pauperum pectora dimittitur de cœlo regij ſacerdotij ſpiritus, cui omnia in mundo potentiſsima ſubijciuntur, peccatū, mors, infernus, Satan, Antichriſtus, & eius miniſtri tyranni orbis terrarum. Huc pertinet myſtica illa ſupplantatio, qua Iacobus Eſaum eius planta in utero prehenſa ſupplantauit. Qua illuſtri figura præſignificatum eſt, fore ut tandem

electi

electi filij Dei repudiatos filios Satanæ supplantent & proculcent. quod est hic apud uatem nostrum: Gressus inopum conculcabunt, &c.

Semita iusti recta est.) Cum meminisset gressuum sanctorum hominum, iam semitæ quam terant meminit: hanc rectam à Domino esse, quam is ipse dirigat ac libret. Quæ semita Euangelij semita est, in qua per amorem Dei & proximi sancti ambulant: & eam ad præstandam legem non humana ui & ratione, sed diuina teri atque complanari. Nomine autem callis ac semitæ diuinam legem significari, patet ex illo: In uia mandatorum tuorum cucurri. Contraria impiorum uia est, in qua ambulantes, quoniam bestiam adorant, in eius uia, hoc est dæmoniorum doctrina uersantes, meritò legimus hic, eos pedibus iustorum conculcari, qui superbè in uijs Satanæ & Antichristi ambulent. Scita metaphora in uerbo librandi תמילס cernitur. Etenim Deus non secus iustorum callem dirigit, atque si eam ad certam normam & regulam atq; libram dirigat ac libret: quæ norma spiritus sacri Euangelij norma est, qui ne ue errat, ne ue eos quos regit errare sinit. Est enim is spiritus Messiæ spiritus, omnium consiliorum & studiorum in sanctis, ut in semita Euangelij rectè ambulent, rector & gubernator: non humana prudentia, ratio & sapientia, qua superbi in hoc seculo homines ducuntur, immò perturbatè distrahuntur, ut quibus accidat quod hic scriptum est: Eos pes, pedes pauperis, gressus tenuium conculcabunt. Legimus in Genesi, à serpente Satana inuadi calcem Messiæ, & hoc serpentis caput conteri calce uidelicet, & pede, de quo hic propheta: Pes pauperis conculcabit. *Genes. 3.*

In semita iudiciorum tuorum.) Tempore afflictionum, quibus nos in melius castigas, spem non abijcimus. Nomine iudicij castigationes & afflictiones accipiuntur, quibus uel purgantur qui Messiæ regno continentur, uel alieni pereunt. Est enim Dei iudicium purgans ac defendens: est item iudicans & dispergens. Altero pij iudicantur, altero impij, quo Sodomitæ, Aegyptij, Chananæi iudicati sunt, & quo omnes graui hoc iudicio feriuntur, qui Christum & eius Ecclesiam atrociter insectantur. Salutari iudicio filij Dei iudicati, canunt, Et in semita iudiciorum tuorum Domine expectauimus te: scientes nimirum afflictionibus patientiam pari, patientia probationem: hoc est, probatam fidem nasci, & ex hac spem non pudefacientem creari. Vt Apostolus in epistola ad Romanos capite quinto admonet. in quibus Apostoli uerbis uatis, nostri sententiam explicantibus, afflictionis, patientię, probationis, fidei, & spei ex fide excitatæ usus quis sit, ostenditur. In afflictionibus uidelicet apparere patientiam, qua æquè quascunq; res aduersas, ut nobis non malo nostro, sed bono diuina uoluntate euenientes, ferimus: malorum autem tolerantia probari, hoc est palàm declarari & confirmari, ut aurum igni, nostram fidem, qua & quanta erga Deum ualeamus, dum non sinimus nos ab eo & eius promissis per diffidentiã auelli. ex fide tandem sic probata emicare spem, nos Deum certò liberaturum ab omnibus, quibus à carne, à mundo, à Satana principe mundi uexamur, malis. qui est maximus fructus spei non pudefacientis, in expectanda salute à Deo promissa, & ab eo in filio Messia indubitatè præstanda. Atq; id hic Ecclesia in hoc carmine confitetur, & singula eius membra in lucta militiæ Christianę sub signis Messiæ militantia experiuntur. *Rom. 5.*

Nomen tuum.) Spe liberationis è malis non nostri nominis gloriam & memoriam cogitari, sed Dei. Itaque Dominus noster Christus sub finem precationis quam suos docuit, Libera nos à malo, subiungit: Quia tuum est regnum, potentia & gloria, in secula.

In nocte.) rebus aduersis.

Sedet spiritu meo.) Anima nocte afflictionum desiderat salutem: spiritus mane orientem solem Messiam expectat, qui malis liberet. Vigilia significatur, de qua

Apocal. 16. de qua Ioannes in Apocalypsi: Beatus qui uigilat, & custodit uestimenta sua, ne nudus ambulet, & uideat turpitudinem suam.

Cum feceris iudicia in terra.) impijs punitis & deiectis, qui cum florent, accidit id Prouerb. 28. de quo Salomon in Prouerbijs monet: Cum consurgunt, hoc est euehuntur ad imperium impij, latent homines. hoc est, rari sunt iusti: & cum deprimuntur illi & pereunt, multiplicantur iusti. Atq; hoc ipsum est quod hic uates dicit: Cum sunt iudicia tua in terra, discunt habitatores orbis iusticiam. Intueamur bestiæ Antichristi tempora: hoc regnante, ut lateant iusti, palàm est.

Misereamur impio.) Per contentionem discrimen iudicij diuini tractat, quo impij & pij iudicantur: illos deteriores etiam misericordiam adeptos reddi, hos meliores. Tribuitur autem impijs misericordia, partim cum beneficijs uitæ, opum, gloriæ in hoc mundo ornantur: partim cum ob scelera castigantur & puniuntur, ut sic castigati in uiam redeant, pœnitentiam meditantes: partim etiã, cum eis salutaris Euangelij doctrina auscultanda proponitur, ex qua ut iusti reddantur, discant. Atqui hac clementia Dei tantum abest ut meliores euadãt, ut his beneficijs etiam peiores reddantur: qui non secus ad beneficientiæ & castigationis diuinæ lucem, atq; lutum ad solarem splendorem, indurantur. Diuersa ratio piorum est, qui ad iudicij Dei lumen mollescunt, ut cera ad ignem & lucem solis. Hos hic dicit propheta discere iusticiã, illos non discere. Itaq; de Prouerb. 27. his Salomõ in Prouerbijs sic loquitur: Stultũ etiamsi in pila pistillo pinsas inter graneam tritici, non recedet ab eo stultitia. Vocat autem stultitiam improbitatem, quæ uera stultitia sit: ut probitas, sapientia in CHRISTO IESV, qui Dei patris & scriptorum in libro uitæ iustitia & sapientia est.

In terra sanctorum iniqua gessit.) Etiam ubi impij pios orbis terrarum habitatores id quod rectum est uident persequi, ipsi nihilominus nequiter agunt, probitatẽ peruicaciter contemnentes. Intueamur, præter superiora, nostra tempora.

Et non uidebit gloriam Domini.) ut qui malit sua improbitate perire, quàm seruari probitate, admissa pœnitentia: qua contempto splendore salutis quam Messias suis parat, non fruetur. quod est, Nõ uidebit gloriam Dñi, quæ gloria regni cœlestis gloria est. De qua Ioãnes: Conspeximus gloriã eius, gloriã uelut unigenæ a patris. Sed quam & qualem gloriam conspectam intelligit? Gloriam sanè Ioan. 1. gratiæ & ueritatis, qua plenum Messiam esse dicit: Plenus gratia & ueritate. Gloria autem & amplitudo gratiæ IESV CHRISTI, quam in regno suo suis ostendit, in liberali & gratuita condonatione delictorum in donis spiritus sancti, & redemptione electorum ex regno tenebrarum Satanæ & Antichristi, & eorum translatione in regnum lucis spectatur. Quæ translatio partim in priore resurrectione, ablata morte prima: partim in posteriore, deleta utraque morte prima & secunda, cernitur. in qua secunda resurrectione glorię splendor pijs affulgebit, de quo Messias his uerbis meminit: Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant gloriam meam quam dedisti mihi: quæ erit gloria contemplationis qua Deum contemplabimur de facie ad faciem. de qua gloria illud: Scimus autẽ quòd si apparuerit, similes ei erimus, quo 1. Ioan. 3. niã uidebimus eum sicuti est. De qua etiam gloria Apostolus ad Colossenses: Coloss. 3. Quando cũq; Christus manifestatus fuerit uita nostra, tũc & uos cũ illo manifestabimini in gloria: in gloria inq; maiestatis, quã ipse habet, & nobis dabit. Quę beneficia utriusq; resurrectionis, quoniam gratuita sunt, & nullo nostro merito, sed unius sanguinis piacularis IESV CHRISTI merito constant: is plenus gloria gratiæ dicitur esse, quòd & iram patris Dei placat, arbitrum & intercessorẽ agens, & sua liberalitate nobis munera sacri spiritus de sua copia & abundantia largitur. Hanc clementiæ & gratiæ gloriam non conspecturos impios, sed solum pios. Gloria autem ueritatis partim in præstatione promissæ à Deo salutis spectatur, cum promissio in uno CHRISTO IESV etiam & amen est:

partim

partim in eo cernitur, quòd omnes legis Mosææ umbras & figuras implet. Neque etiam hanc gloriam uisuros impios, qui neq; in promissione salutis quam respuunt, continentur: neq; eas res habent, quæ Mosæa lege adumbrantur, ut sunt quæ in regio sacerdotio Domini nostri IESV CHRISTI comprehenduntur. Quo electi filij Dei ornantur, & hi soli de quibus Ioannes: Et fecit nos reges & sacerdotes Deo. Hanc sacerdotij regij Messiæ gloriam & splendorem non aspecturos, quo fruantur, impios: hoc est, scriptos in tabulis inferni. *Apocal. 1.*

Domine exaltetur manus.) Reprehenditur impiorum cæcitas in iudicandis afflictionibus. Sententia Hebræi uersus est: Cum extollis manum tuam ad percutiendum, tanta est impiorum cæcitas, ut afflictiones quæ immittuntur à te, non cernant à te immitti, sed fortuitò eas euenire putant. At tandem cernent à te euenire, cum studium quo electos tuos amplecteris, hostes impios grauis iudicij igni conficere cœperit. Igitur his uerbis quanta sit & cæcitas hostium Messiæ, & amor quo Dominus electos suos prosequitur, & æquitas iudicij diuini, declarat. Meminit diuinus spiritus קנאת, quę uox zelum, æmulationem & zelotypiam, & (ut Latini uocant) obtrectationem significat. Qua indicatur, Messiam sponsum neue ferre, ut sponsa sua Ecclesia ab hostibus durius affligatur: neue pati ut alius eius cũ ipse complexu fruatur. Hinc fit, ut קנא & קרה non parum cognationis & affinitatis inter se habeant. De קנאה, hoc est zelo quem gerat Messias erga Hierosolymam suam, sic Ieremias: לירושלם קנא גדולה.

Exaltetur manus tua.) Dicitur Dominus leuare manum, percussurus. Grauis hęc manus est, pondere eos in quos intentatur, opprimens. Diuersa manus est quã suis ostendit: seruans & alleuans nimirum manus, & uindicans à malis. de qua illud: Alleuat Dominus omnes qui corruunt. Similiter poeta irato Deo graues manus tribuit:

ἀλλ' ὅγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφεῖτο.

Et ignis.) Subijcitur zelo ignis mentio, qui in zelo maximè ardet. Est enim furoris ignis, de quo Salomon in Prouerbijs: Zelus est furor uiri, & non parcit in die uindictæ.

Hostes tuos deuoret.) Sponsæ hostes, sponsi Messiæ hostes appellantur, propter communionis omnium ius, quod inter Messiam sponsum & Ecclesiam sponsam intercedit. Inter quos inquam peccati quod in se receptũ luat Messias, & iusticiæ quam tribuat, mortis & uitæ, opprobrij crucis & gloriæ, infirmitatis & roboris communio intercedit. Quę summa est piorum, in stratagematis militię Christianæ luctantium cum uarijs hostibus, consolatio.

Domine dabis pacem nobis.) Quam mundus, qui per principem suum Satanã perpętuum bellum nobiscum gerit, non dat. Quare tu sic ais: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis. cuius nimirum pax summa perturbatio sit. Quibus autem in rebus pax, quam Messias suis dat, cernatur, ea de re aliàs. Atq; ut hac pace hostes Messiæ & sponsæ eius careant, quamlibet uideantur sibi tranquilli & securi esse in mundo, & à mundo, infrà monebitur, ubi propheta dicit: Non est pax impijs. *Ioan. 14.*

Omnia enim opera nostra.) Per contentionẽ confert pios cũ impijs. hos opera Dei pensi nõ habere, pios habere: qui agnoscãt, prouidẽtia diuina omnia siue bona siue mala accidere. Quod agnoscere fidei opus est, nõ rationis humanæ. Nam si hæc eueniunt bona, suis ea consilijs & prudentiæ ascribit: sin mala, in fortunam aut in malorum hominum studia reijcit, Deum res humanas curæ habere non cogitans. Confitentur autem pij homines, quæ sibi contingunt siue prospera siue aduersa, non fortuita opera esse: quòd quæcunq; fiant à Messia, propter ipsum & sponsam Ecclesiam fieri, fides interpretetur. ideo legitur hic: Omnia enim opera nostra operatus es nobis.

Poſſederunt nos.) in ſeruilem poteſtatem, adempta Euangelij libertate, nos redi gentes. Quod eſt בעלונו.

Domini.) tyranni, de quibus ſuprà: Spiritus tyrannorum quaſi turbo impellens parietem.

Abſq; te.) qui uelis ſeruari tuos, non perdi: ſeruari inquam uero cultu & religione, non perdi falſo: ut uult perdere tuus aduerſarius, dum cogit ſeruire dijs alienis, relicto cultu tuo: dum cogit parêre humanis doctrinis, relicto tuo Euãgelio: dum ſtudet nos addicere ſeruituti elementorum mundi, relicta libertate in quam nos tu ſanguine tuo aſſeruiſti. Atq; hoc ipſum eſt, Abſq; te.

Morientes non uiuunt.) Explicatur tyrannorum, quo ſint afficiendi, ſupplicium: & piorum, quo exornandi ſint, præmium. Tyrannos neq; in priore neq; poſteriore reſurrectione excitatum iri ad uitam & gloriam, electos in utraque excitatum iri. Quos ſuprà uocauit עריצים, hic uocat רפאים, id eſt gigantes, alios ui & iniuria opprimentes.

Propterea uiſitaſti.) Suprà: Viſitabit Dominus ſupra exercitũ ſublimem, in ſublimi, & ſuper reges terræ.

Et perdidiſti omnem memoriam eorum.) Sic ſuprà de Babylone: Perdam Babylonis
Pſal. 111. nomen. Contrà de nomine & memoria piorum, de qua illud: In memoria æterna erit iuſtus. Quòd is æternum Dei nomen in pectore & fronte gerit, quo impij carent, cui nimirũ infeſti ſint, eos qui illo ipſo inſigniti ſunt capitali odio inſectantes: qui in pectore ſigna, manibus & fronte Draconis nomen ad interitum gerant.

Indulſiſti genti.) Ad uerbum: Addidiſti genti Domine, addidiſti genti, & glorificatus es: procul ſubmouiſti fines terræ, hoc eſt auges & tuos afflictione, ſed in quibus te glorificent, ſpe de te non abiecta, dum in tenebris lucem, in morte uitam, in calamitatibus liberationem ſpe præſumunt. Vt ſuprà confitentur: In ſemita iudiciorum tuorum tibi confidimus. item hic: Domine in anguſtia requiſi uerunt te. Quod attinet ad uerbum רחקת, hoc eſt ſubmouiſti omnes fines terræ, ſic ſarciunt defectum: Glorificatus es, quamuis in omnes terræ fines procul eos ſubmoueris. De myſtica diſperſione Iſraelitarum iam ſæpe mentio facta eſt. Hæc interpretatio cohæret ad ſequentia. Eſt altera interpretatio, quæ ſic habet: Perditis impijs, auges gentem tuam, ſubmotis finibus terræ prę amplitudine ſanctorum tuorum, quibus ſalutem paras. Hæc expoſitio quadrat ad ſuperiora, in qua amplificatur amplitudo bonitatis diuinæ, in aucto numero ſanctorum per ruinam impiorum. Sunt qui in hũc modum uerſum hũc explicant: Auxiſti olim gentem tuam magna dignitate, ornans nimirum eam ſacerdotio & regno, in qua glorificarere, poſtea uerò eam in orbis terrarũ fines exulem ſummouiſti. At hæc nec ſic abiecta, ſpem omnem in te abijcit. ut ſequitur:

Requiſiuerunt te.) Fide & ſpe in medijs rebus aduerſis pios à Domino pendere. Contrà de impijs ſuprà legitur: Miſericordiam adeptus impius, non diſcit iuſtitiam.

In tribulatione murmuris.) Vſus crucis exponitur: Exprimi precationem à pijs cum caſtigantur, fidei & ſpei precationi afflictione uiam aperiente, eam rebus proſperis obſtruentibus. Nam ut ferrum rubiginem ducit, niſi exerceatur, atque uſu ſplendeſcit: ſic ſunt filij Dei, in quorum pectore fidei & ſpei ſplendor, crux ſi adſit, excitatur: ſin abeſt, rubigo ſecuritatis carnalis ducitur. Illuſtrandus locus exemplis, quæ infinita occurrunt. לחש pro precatione in loco ſumitur: quòd qui precantur, tacitè aut muſsitantes precantur, non cum elata uoce aut clamore.

Sicut quæ concepit.) Scita comparatio adhibetur, qua in auxilio à Meſsiæ regno miſerè afflictam Eccleſiam prægnanti & parturienti mulieri comparat. Quæ cum párere ante tempus conatur, quid parit? uentũ parit, fruſtra moliẽs partũ.

Sic

Sic Ecclesia cum affligitur regnante aduersario Messiæ, uentum se párere conqueritur, longius absente salute, quam spe præoccupat. Qualis metaphora in uento cernatur, declarant illa Oseæ uerba: Ventum seminauerunt, messuri tempestatem. item, Ephraim pascit uentum: uanitate laborum & studiorum indicata. Similiter apud Ieremiam, Prophetæ tui erunt in uentum: eorum uanis responsis significatis.

Ideo non ceciderunt.) Ratio, cur pariatur uentus, redditur: quòd nondũ appareat in decretis diuinis consignatum salutis tempus, & hostes in terra non concidant de potentiæ gradu deiecti. sed tandem uictoria obtinebitur, ut sequitur:

Viuent mortui.) In prima resurrectione, qui mortui per peccatum, & erroris filij perditi fuerunt, uiuunt ea uita quam Euangelij spiritus affert, qui ueræ iustitiæ & uitæ spiritus est, de quo illud: Spiritus est qui uiuificat. Nam Messiæ spiritus nouo homini in regeneratione id præstat, quod anima corpori animando in generatione prima præstat. In altera autem resurrectione uiuent, qui mortui à corporibus sunt, his è puluere terræ ad uitam excitatis per spiritũ Christi. De quo, & resurrectione per eum conficienda, his uerbis Apostolus: Quod si spiritus eius qui excitauit IESVM à mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit CHRISTVM è mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter ipsius spiritũ habitantem in uobis. Hic legimus mortuos uicturos, suprà mortuos non uictu-
ros. Quæ contentio, quod discrimẽ inter pios & impios ab ipso exitu sit, explicat: pios per spiritũ Agni excitãdos ad uitam gloriosam: hac impios per spiritũ draconis carituros, qui nimirum hostis eius sit, qui de se prædicat, Ego sum resurrectio & uita. hoc est, ego sum is, ex quo excitato è mortuis ad uitam, proficiscitur spiritus, qui electos meos mortuos quoq; excitabit ad uitam. Nam quẽ spiritum uiuificatorẽ ego sine mensura & modo habeo, eum electi mei ad modum donationis meæ tenent, ex quo uitam & gloriam hauriant.

Tui.) à patre Christo dati, quos uiuifices. Sic enim Christus loquitur: Vt quotquot dedisti ei, det eis uitam æternam. Quare sequitur:

Interfecti mei resurgent.) Ad uerbum: Corpus meum resurgent. His uerbis significat Messias, uel cum suo corpore resurrectura corpora sanctorum: uel eorum corpora suũ corpus uocat, propter uitæ & gloriæ societatẽ & cõmunionẽ, quę inter Messiam ut caput, & Ecclesiam ut corpus intercedit. Futurum igitur, ut sicut caput Christus resurrexit è mortuis, ita etiam iustorum corpora resurrectura sint. Christus enim & electi communem patrem Deum habent. ueluti Dominus noster iam excitatus è mortuis, his uerbis testatur: Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: & Deum meum, & Deum uestrum. Similiter Oseas de mortuorum resurrectione uaticinatus est: Viuificabit nos post biduum, die tertia suscitabit nos. Clarissimè de resurrectione mortuorum Iobus diuinus uates uaticinatur: Scio quòd redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra resurget: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum, quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt. Similiter Daniel prophetat: Et multi ex his qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt, alij ad uitam æternam, alij ad opprobrium. Non legimus stirpes & animantia carentia ratione resurrectura, sed scriptos in libro uitæ homines: quòd homine instaurato, uniuersitas hæc instaurata dicatur, quæ in homine continetur. Nam is corpora in suo corpore, uitam stirpium in ea parte quæ alendi uim cõtinet, sensum animantium in anima sensu prædita, mentes angelorum mente sua complectitur: ut uerè dicatur, reliquam naturam, ut sunt stirpes & animãtia, ad uitam excitari, atque à seruili interitu, homine per resurrectionem è mortuis ab interitu uindicato, liberari & uindicari. Etenim toto instaurato, ut partes quoque instaurari affirmentur, necesse est. Totum autem continentiæ omnium esse Messiam, hominem plenum diuinitate, & corpus eius Ecclesiam, manifestum est.

Ioan. 6.

Rom. 8.

Ioan. 11.

Ioan. 20.

Oseæ 6.

Iob. 19.

12.

Quare non est opus, extra Christum & electorum corpus, in stirpium & animantium individuis resurrectionem ponere, & eorum genera in alio quàm in Messia ipso, uiua omnium idea, dicere contineri, & conseruari.

Expergiscimini.) tanquam è somno. Sic enim mors electorũ in sacris literis somno, similitudine plena consolatione, & satis nota, comparatur.

Laudate qui habitatis in puluere.) A' propheta Messias ad suos, qui in puluere terræ iacent, conuertere se inducitur, ad hortandum eos, ut sub horam resurrectionis expergiscentes, ouent & iubilent. quæ ouatio & iubilatio, quanta reuiuificationis gloria futura sit, indicabit. Primò eñ hæc corpora, quę terrena fuerunt, semi nata ad interitum, spiritualia firma & immortalia futura. deinde, ea uitam cœlestem & spiritualem, quæ antea habuissent terrenam & animalem, nactura. tertiò, corpora quæ peccati & uariæ crucis probro ac ignominiæ obnoxia fuerũt, gloriam æternæ iusticiæ & maiestatis regni cœlestis, per conformationem ad glorioſum corpus IESV CHRISTI adeptura, in quibus instaurati sensus claritatem & splendorem Dei patris in filio Messia sint contemplaturi, qui antea hebetes & obtusi ad res creatas cognoscendas fuissent. Postremò, inter corpus è puluere terræ excitatum ad uitam, & spiritum æternam pacem, quam antea discordia exitialis per peccatum in corpore morti obnoxio grassans dissuerat, coalituram. Qua pace constituta, implebitur id de quo Apostolus in epistola quam ad Colossenses scripsit, meminit: Quoniam in illo placuit patri uniuersam plenitudinem habitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius, per eundem, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis. quòd instaurato & pacificato cum Deo homine, omnia instaurata & pacificata dicuntur, qui hanc totam uniuersitatem ambitu perfectionis per partium suorum complexum ambiat. Similiter implebitur quod idem Apostolus ad Romanos scribit: Ea est enim creaturæ expectatio, ut filiorum Dei patefactionem præstoletur. Nam & creatura uanitati subiecta est, non uolens, sed propter eum qui subiecit eam sub spe, fore ut ipsa quoque ab interitu seruitutis in libertatem gloriæ filiorum Dei uindicetur. his uidelicet uindicatis, qui sunt in Messia nexus & finis omnium. Atque hæc gloria, quam resurrectio prę stabit, hanc iubilationem & ouationem expergiscentibus è puluere terræ exprimet, ad quam suos hortatur Dominus: Iubilate qui habitatis in puluere.

Quia ros lucis ros tuus.) Colorat comparatione à rore sumpta, gloriam resurrectionis. Vt ros, qui sereno & claro cœlo in terram cadens, herbas & sata uiuificat: ita filios Dei rore diuinæ gratiæ aspersos reuicturos. In hac similitudine cognoscẽdus fuerit ortus, natura, uis & usus roris. Sunt qui אור pro herbis reddũt. rorem diuinæ beneuolentiæ & fauoris, herbarũ rorem esse, qui fauor nõ aliud sit futurus mortuis quàm languentibus herbis ros est, sereno cœlo cadens. Appellantur autem herbæ אורות, hoc est lumina, propter uirorem, cuius splendor non minus gratus sit nobis quàm lumen solis, à cuius luce herbæ uiroris sui lucem ex temperatione elementorũ accipiunt. Sed percunctetur aliquis, quis
14. ille ros sit, electos reuiuificaturus? Ros est, de quo Oseas meminit his uerbis: Ero quasi ros Israeli. ubi Paraphrastes sic habet: יהי מימרי כטלא לישראל. hoc est, Erit uerbum meum ut ros Israeli. hoc autem uerbũ Messias est. Cur autem Messias ros appelletur, id aliàs indicatum est, in Numeris uidelicet capite decimo.

Et terram gigantum.) Qui suprà meminisset gigantum, eos non reuicturos: hic monet, eos terram abiecturam tanquam abortiuum partum, ut qui sint resurrecturi ad opprobrium, non ad gloriam, ueluti Daniel dicit: Et multi de his qui
12. dormiunt in terrę puluere, euigilabunt, alij in uitã æternam, alij in opprobriũ. Nomine autem gigantum accipi impios crudelitate & fœuitie infames, uolunt LXX, qui reddunt pro רפאים ἀσεβῶν. Similiter Paraphrastes Chaldæus, qui habet רשיעיא, hos in Gehennam detrudendos dicit.

Intrą

Intra in cubicula tua.) Figuratè dicitur de ſpe & fiducia in Dominum, intra quã electos ut tempore afflictionum ſe reſpiciant, hortatur, conſolatione à breuitate temporis quo ſint duraturæ mutuata, ut ſequitur:

Abſcondere modicum.) Breuem afflictionem æterna ſalute conſecutura. ueluti eſt apud Apoſtolum: Non reputo eſſe pares afflictiones præſentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Item: Nam momentanea leuitas afflictionis noſtræ, mirè ſupra modum æternum pondus gloriæ parit nobis. *2. Corinth. 4.*

Donec tranſeat indignatio.) qua pereant impij, & pij in melius caſtigentur, facta purgatione per ignem afflictionum, de qua Zacharias meminit XIII, & Dominus noſter apud Matthæum capite XXIIII.

Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo.) ritu ducis & imperatoris ad prælium accincti: Meſsia duce hoc bellum aduerſus improbos habitatores orbis terrarum gerendum. Quem his uerbis deſcribit Ioannes in Apocalypſi: Et uidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum uocabatur fidelis & uerax, & per iuſtitiam iudicat & pugnat. oculi autem eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum quod nemo nouit niſi ipſe, & ueſtitus eſt ueſte tincta ſanguine, & uocatur nomen eius Sermo Dei: & exercitus qui ſunt in cœlo ſequebantur eum, in equis albis, ueſtiti byſſino albo & mundo: & ex ore eius procedit gladius acutus, ut eo percutiat gentes, & ipſe reget eos uirga ferrea: & ipſe calcat torcular uini furoris iræ Dei omnipotentis. *19.*

Dicit cœlum apertum eſſe, propter ſententias quæ in cœlo ad ſolium Meſsiæ dictæ, in terra per legatos de cœlo non clauſo, ſed aperto deſcendentes expediuntur. ueluti legimus in Geneſi: Deſcendamus, &c. Quoniam autem Meſsias aperto cœlo hic egredi à Vate, ad gerendum bellum aduerſus ſceleratos in orbe terrarum homines dicitur: Ioannes eum inſidentem equo albo uidit. Militare enim animal eſt equus. & quòd albus apparuit in uiſo eius, idipſum eſt quod ſequitur: Et qui ſedebat ſuper eum, uocabatur fidelis & uerax, iuſtè iudicat & pugnat. Nam albor ac candor iuſtitiæ ſignificationem habet. quò pertinet etiã ueſtitus albus, quo cœleſtis angelorum exercitus ueſtitus dicitur, Meſsiam imperatorem ſequens. Et quia iudicis munere fungitur, quo electos ſuos redimat, de impijs uindicta ſumpta, oculos habere flammeos & igneos dicitur, partim propter lucem qui cuncta hominum facta intueatur: partim propter iram, qua in impios exardeſcat, ut hic legimus apud prophetam noſtrum: Et ignis hoſtes tuos deuoret. Hinc etiam thronus Meſsiæ igneus, & miniſtri eius flammei uocantur, & lex ipſa quam dextra ſua tenet, ex qua iudex ſententiã profert, ignea apud Moſem appellatur. Quòd autem in capite diademata multa gerit, ſignificatur eum non in unam ſolum mundi partem, ſed in totam uniuerſitatem imperium gerere, qui non tantum cœli, ſed etiam terræ: non cœli & terræ ſolum, ſed inferorum ſit Dominus, ueluti Ioannes his uerbis oſtendit: Et habet in ueſtimento & femore ſuo ſcriptum nomen, Rex regum & Dominus dominantium. Vnde fit, quia tantus & tam potẽs imperator eſt Meſsias in cœlo & in terra, non etiam uulgare nomen habeat, ſed tale quod Imperatoriæ potentiæ & maieſtati congruat: quod nemo etiam præter illum, & cui ipſe uelit patefacere intelligat. Sic enim ait Ioannes: Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe. Sed quod eſt nomen illud? Dicit in Apocalypſi: Et uocatur nomen eius Sermo Dei. Hoc nomen competit tanto duci atque uiuorum & mortuorum iudici, qui habeat à patre omnem iudicandi in hac uniuerſitate poteſtatem, per quem nimirum & in quo omnia condita ſint, regantur & conſeruentur. Nam nomen eius eſt Sermo Dei, & apud Salomonem Sapientia. Huius uim Ioannes, in Euangelio his uerbis exponit: In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ille ſermo: omnia per ipſum facta ſunt. Hunc autem ſermonem Meſsiam, conceptum è ſpiritu ſancto, & natum *Deut. 33.* *Apocal. 19.* *Prouerb. 8.* *Ioan. 1.*

ex Maria uirgine esse, idem Ioannes indicat sequentibus uerbis: Et sermo ille caro factus est. Huius munus, quo in orbe terrarum iudicando fungitur, hic describitur. Huic, quum rex & iudex omnium regali sacri spiritus oleo unctus habeatur, sui quoq; exercitus, quorũ dux sit, assignantur: non sanè exercitus, quales reges & duces terreni habent, ex latronibus & sicarijs sanguinarijs descriptos: sed is Imperator exercitus uitijs carentis Imperator est, cuius milites sub signis eius merentes, sint mundi, iusti, sancti, & ab omni scelerum labe liberi. Dicit enim: Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, uestiti byssino albo & mundo. Hi angeli sunt puri spiritus. qui ut in suos ordines & legiones distribuantur, dux ipse Messias indicat, ubi ait ad Petrum: An putas quòd non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquã duodecim legiones angelorum? In hoc exercitu etiam sancti homines continentur, qui in terra uersantur quidem exulum & peregrinorum ritu, in cœlo autem spiritu habitant ut ciues. Horum sub duce Messia, contra mundum & eius principem Satanam, militia nota est. De hoc exercitu propheta noster in hoc carmine his uerbis meminit: Ciuitatem sublimem pedes inopum proculcabunt. Sed quibus armis, & qua militari ueste seu sago noster dux Messias uestitus ac sagatus est? Vestitum eius Ioannes tinctum sanguine esse dicit. Sed quo sanguine? Sanguine impiorum, quem ipse in terra fundit, ut qui insontium sanguinem fuderint & fundant. Sic enim ait: Et uestitus est ueste tincta sanguine. De qua ueste, impiorum hostium sanguine aspersa, Propheta noster infrà sic prædicit: Quis est iste qui uenit ab Idumæa, rubicundus uestimentis à Bozra? Arma autem quibus pugnat, sunt, gladius non obtusus, qui non scindat, sed acutus: neque qui à latere ad lumbos pendeat, sed qui ex ore eius prodeat, de quo gladio suprà: Spiritu oris sui interficiet impium. Is sacri oris Messiæ gladius, qui in administratione Euangelij in impios ad seruandos pios stringitur, sceptrum illud ferreum est, quo gentes rebelles & aduersus Euangelium contumaces regentur. Sic enim ait Ioannes: Et eo percutiet gentes, & reget eas uirga ferrea. dum uincat bestiam & pseudoprophetas eius, & reges bestiam adorantes, & exercitus eorum belligerantes cum ipso & exercitu eius, ut his uerbis indicat: Et uidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius. Sed quid bestiæ in illo accidit prælio? Sequitur: Et apprehensa est bestia, & cum illa pseudopropheta qui fecerat signa coram ipsa: quiq; decepetat eos qui acceperunt characterem bestiæ, & adorauerunt imaginem eius, uiui coniecti sunt in stagnum ignis ardens sulphure. Atq; hoc ipsum est quod in carmine hoc legitur: Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut habitantium terras scelera in ipsos uindicet.

Matth. 26. *Apocal. 12.* *Psal. 2.*

Et reuelabit terra sanguinem suum.) Sanguinem innocentum, uindice Messia detegendum: ut Abelis sanguis humi fusus ab impio Caim, detectus fuit à terra, ex ea ad uindicandum tantum scelus in cœlum usque clamore edito. De uindice sanguinis innocentis à bestia fusi, sic Ioannes loquitur: Iustus es Domine, qui es, & qui eras: & sanctus, quia hæc iudicasti, quia sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt.

Genes. 4. *Apocal. 16.*

Et nõ operiet ultra.) ut regnante bestia operuit. Tegitur ergo sanguis sanctorum à terra, cum in impios non ulciscitur Deus: detegitur, cum ulciscitur.

IN CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

IN *die illo.*) patefactionis Messiæ tempore, de cuius interuallis & spacijs iam aliquoties meminimus. Cohærent hæc quæ sequuntur, ad superiora, quæ à capite uicesimoquarto ad hunc locum exposita sunt. Nam ut Dominus ad liberandos electos suos, in impios eorum

rum hostes uindicaturus sit, hic quoque, sed alijs uerbis exponitur.

Visitabit Dominus.) Vt suprà legitur, Visitabit Dominus super exercitum supernum, qui est in sublimi, & super reges qui sunt super terram: ita hic, sed figuratè, dicit se uisitaturum, hoc est uindicaturum in Leuiathanem & Draconem. Sunt autem Leuiatahan & Thanin, marinæ beluæ & dracones. Apud exteras linguas usurpatur Thinni uox, uestigium Hebrææ uocis תנין indicans. Quos autem nobis Leuiathan & dracones significent, declarat Ioannes in Apocalypsi, mysticum oraculum prophetæ nostri explicans: Et uidi angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per mille annos. Et hoc ipsum est quod dicit hic Iesaias: Visitabit Dominus gladio suo magno. hoc est, animaduertet in Leuiathanem, & occidet draconẽ qui est in mari. Itaq; quem Iesaias Dominum uocat, Ioannes angelum appellat, descendentem de cœlo, qui est Messias, clauem mortis & uitę, cœli & abyssi habens in omnia Dominus. Huius autem descensus non existimatur ex loco, sed ex patefactione iudicij: ut idem sit Messiam descendere, quod patefacere iudicium suum aduersus impios, & salutem erga pios. Nam Messiæ potestas & solium iudiciarium tam longè lateq; patet, quam hæc uniuersitas in infera terrestria & cœlestia pertinens. Apoc. 20.

In gladio suo duro & grandi.) gladio prodeunte ex ore eius, qui sub finem superioris concionis ex Ioanne explicatus est.

Super Leuiathan.) Huius mysticam descriptionem uideris apud Iobum capite quadragesimo. Solent reges ac tyranni orbis terrarum, magnorum piscium & belluarum marinarum nomine appellari: ut qui non secus in mari huius mundi procelloso grassari soleant, atque in mari grassantur ceti, thinni, balenæ atque dracones. Sic apud Ezechielem rex Pharao draco appellatur. De draconum autem natura, generibus, magnitudine, malicia, loco, uideris apud scriptores rerum. Inuenias dracones marinos & terrestres. Apparet à Propheta utrunque genus indicari. nam duplex bestia in sacra Ioannis Apocalypsi describitur, cui Satan potestatẽ suam sæuiendi in sanctos dat: altera è mari ascendit, altera è terra. Hæc Antichristus est, totus terrenus, ut è terra natus, & cornua agni plenus hypocrisi gerens, & ore draconis loquens: illa Romanum imperiũ cum suis imperatoribus, Nerone, Diocletiano, Domitiano, & alijs in sanctos sæuientibus tyrannis censetur esse, quos draco Satan ut conuicijs afficiat, Deum ut bellum gerat cum sanctis incitat. Apoc. 13. & 17.

Serpentem uectem.) Similiter à lobo uectis appellatur serpens, translatione à longitudine uectis sumpta, qua figuratur serpens Satan. Huius enim uiciositas ab initio mũdi usque in finem, per totum terrarum orbem longissimè extenditur. De qua longitudine Ioannes sic loquitur: Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui uocatur diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem. Eadem ratione Leuiathan serpens appellatur à propheta tortuosus, propter uarietatem malarum artium & fraudum, quibus humanum genus decipit. De cuius ueteratoris serpentis uersutia Moses antea meminerat: Sed & serpens erat uersutior omnibus terrestribus bestijs, quas Deus condiderat. Apoc. 12. Genes. 3.

Et in die illa uinea meri cantabit ei.) Sententia Hebræi uersus est: Tempore redemptæ & reconciliatę Ecclesię, uicto iam serpente Leuiathane, & occiso dracone Satana, in mari huius mundi, per aduersarium Messiæ omnia in electorum Ecclesia uastante, decantãdam esse uini rubri feracem uineam. Hæc autem uinea, ex Israelitis reconciliatis Deo & gentibus ędificãda Ecclesia est, labefactato Satanæ & Antichristi regno. Hanc uineam suprà capite quinto legimus tulisse labruscas, malis cultoribꝰ eam colentibus: iam aũt temporib. instaurationis laturã

uinum bonum. Per ſpiritum conſolatorium Meſsiæ, cultoris huius uineæ lætificat. Cuius uinitoris figuram Noa præferens, primus poſt quietem finito diluuio mundo redditam, uineam conſeuiſſe legitur.

Ego Dominus qui ſeruo eam.) inuitis eius hoſtibus. Suprà legitur: Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. hic uerò: Ego Iehoua qui ſeruo eam. De uicibus iræ & gratiæ, reiectionis & reconciliationis, deſtructionis & inſtaurationis Eccleſiæ, ſub figura Iſraelitarum, iam ſæpe mentio facta eſt, & ſuis locis per occaſionem repetetur.

Repentè propinabo illi.) Hebr. irrigabo eam. contra ſuprà: Et nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem. Irrigandam uineam Eccleſiam, cœleſtis Euangelij pluuia: qua, cum clauſo cœlo filius perditus, in loco ſancto ad tempus, tempora & dimidium temporis ſederet, caruit. Supputent ſapientes hoc tempus ex Daniele, & Ioannis Apocalypſi.

Daniel. 7. *Apocal. 12.*

Ne fortè uiſitetur.) Hebræus, Ne fortè uiſitet: hoc eſt, ne fortè beſtiæ eam diripiant, ut accidit regnantis beſtiæ Antichriſti tempore, de quibus ſuprà: Et erit in conculcationem.

Nocte & die ſeruo eam.) bene Euangelij mei ſepe ſeptam, & munitam aduerſus lupos, pſeudoprophetas Antichriſti, angeli draconis.

Indignatio non eſt mihi.) Inter uarias interpretationes quæ afferuntur, ſimpliciſsimè uatis noſtri ſententiam uidetur exponere ea quæ ſic habet: Iram in uineam meam non gero. Nam ſi gererem, planè eam quæ mihi pro uuis ſpinas & uepres fert, hoſtiliter incenderem: niſi teneretur fortitudo mea, quò minus periram eam excinderem. Sed quomodo cohibetur ira diuina, quo minus uinea Eccleſia excindatur? Per fidem fœderis & promiſſæ ſalutis cohibetur, ut ſi maximè uelit Dominus perpetuò iraſci, per electionem, qua ſuos ab æterno amat, non poſsit. Quo ita uicto armis fidei, uinea perſuaſum habet id quod ſequitur: Pacem faciet mihi. recõciliatus uidelicet mihi per ſpiritum Meſsiæ, maritì mei: qui ſpiritus diuinæ gratiæ aduerſus peccati & mortis ius, per ſanguinem Meſsiæ reconciliator & confirmator contra omnem hoſtilem uim ſpiritus eſt.

Victoria Dei. *Rom. 8.*

Qui egredientur.) In באים notantur tempora reconciliationis: Venient uidelicet tempora, in quibus placata Dei ira, ita radicem aget Iacobus, ita florebit & fructificabit Iſrael, ut repleatur orbis terrarum prouentu. Hæc copioſi prouentus tempora Apoſtolus ex prophetarum ſententia his uerbis interpretatur: Quod ſi lapſus illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio illorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum? Vbi Apoſtolus, prophetarum fidus interpres, futurum dicit, ut pleno numero Iſraelitæ & Iacobæi cum Deo ſint reconciliandi, cum maximo gentium fructu. Quod eſt hic, Iſraelem repleturum orbem terrarum prouẽtu. Hoc eſt, ſubmota figura myſtici Iſraelis, longè lateq; Eccleſiæ electorum fines proferendos. Hæc doctrina prophetica doctrina eſt, in Moſe, prophetis & noui fœderis ſcriptura fundata, merita ſanguinis Meſsiæ, & miſericordiã Dei patris, & ſalutem Eccleſiæ amplificans, & myſterium mundo ex ſapientibus mundi ab Apoſtolo in epiſtola ad Romanos indicatum patefaciens.

Rom. 11.

Nunquid iuxta plagam percutientis ſe.) Ad conſolandam Eccleſiam, & amplificandã clementiæ diuinæ aduerſus illam magnitudinem, cõfert eius afflictionem cum hoſtium illius afflictionibus: hos perire afflictos & cæſos, illam in media afflictione ſeruari, quæ cædatur ut uiuat, nõ pereat, gratia diuina afflictiones in bonum exitum dirigente. Exemplis locus is illuſtrandus eſt: quæ ſi requiras, occurrunt Caim & Abel, Aegyptus & Iſraelitæ, hi item & Chananæi, Sodomitæ & Lot, Aſſyrius & Hieroſolyma: & his nouiſsimis temporibus cœleſtis Hieroſolyma, & impia Antichriſti ciuitas Babylon.

In menſura contra menſuram.) A' modo affligendi collatio: modicè in ramis caſtigari

gari Ecclesiam uineam, illos auferente uento duro. Manet in translatione uineæ. huic Dominum ad mensuram ac modum irasci, palmites & ramos eius frangendo, & eos per uentum orientalem auferendo. Contrà quàm agit cum hostibus, quorum nõ palmites solùm & ramos demetit, sed radicem etiam cum scapo tollit, ut suprà de Babylone legimus: Perdam Babylonis nomen, & reliquias & germen & progeniem, dicit Dominus. Itaque certus modus iræ diuinæ est, qua electi castigantur: non item qua impij puniuntur, quæ modo caret, ut eorum improbitas modo caret, quæ in infinitum per perfidiam abscedit à Deo summo bono. Afferuntur etiam aliæ interpretationes: sed hæc quam attulimus, satis simplex uidetur esse, & de sententia prophetæ. cuius interpres occurrit Apostolus, ubi ait ramos Israeliticę stirpis per infidelitatem fractos esse: Nam si naturalibus ramis non pepercit Deus, uide ne quà fiat, ut nec tibi parcat. Rom. 11.

Vt autem hoc acciderit, tempora Antichristi documento sunt. Vnde cognoscimus, in uniuersum uerè de Ecclesia electorum ex Israelitis & gentibus descripta, dici quod hic legimus: Modicè in ramis castigat eam. Cæterùm per orientalem uentum aquilo significatur, durior & asperior uentus, qui ab ea parte spirat quæ inter septentrionem & subsolanum interiecta est. Sunt qui de Euro, flante ab oriente solis brumalis reciprocatione seu solstitio, quem Latini uulturnum uocant, interpretantur.

Idcirco super hoc dimittetur iniquitas.) clementia mea iram, qua ad tempus & modicè irascor meis, superante, ut præcesit: Ira non est mihi. Sed quomodo illa sedatur? Sedatur, si, ut in Hebræo est, expiatum sit peccatum. expiari autem, si omnium altarium quæ extructa sunt colendis idolis, lapides eò redegerint, ut simíles sint lapidibus in calcem dissolutis, ita ut luci & simulachra non amplius resurgant. His uerbis significatur, non antea redituros Iacobæos in gratiam cum Deo, quàm eorum culpa per Messiæ sanguinem expiata, omnis idololatria relicta sit. Dicas, in hoc suo ultimo exilio idola & lucos non coli ab Israelitis. Externa quidem idololatria non exercetur, sed interior, qua omnia ab ipsis profanantur. In qua idolomania humanæ iusticiæ, amoris sui & superstitiosę ceremoniarum abolitarum obseruationis aperto cõtemptu Messiæ idola adorantur. Hanc idololatriam cùm in his postremis temporibus patefactionis Euangelij per pœnitentiam Messia his uerbis excepto reliquerint, Benedictus qui uenit in nomine Domini: eorum delicta expiabuntur. Hoc oraculum de Israelitarum in gratiam cum Deo reditu, antea Moses exposuit in Leuitico, & in Deuteronomio, & post Mosem & prophetas clarissimè Apostolus in epistola ad Romanos, & Ioannes in Apocalypsi. At quæ hic de Iacobæis legũtur, ea quoque in uniuersum & toto genere de Ecclesia accipiuntur, hanc expiato peccato per Christum reconciliatum iri cum Deo patre, si Satanæ regnum & Antichristi idololatriam dimiserit. 26. 30. 11. 7.

Ciuitas enim munita desolata erit.) Cur in tantam solitudinem & uastitatem cum suis munitis urbibus redacta sit terra sacra, rationem exponit: hanc esse idololatriam. Porrò propter eam primò decem tribus in exilium, terra deuastata, abactæ sunt: deinde Babylonem translati Iudæi: postremò, hi à Romanis in ultimum hoc & diuturnum & longè grauissimum exilium dissipati sunt, ablato eis regno & sacerdotio, propter contẽptũ & occisum Messiã. Qui contẽptus multo fœdissima idololatria est, ꝙd in uno Messia uerè colat̃ Deus pater per spiritũ illius, qui ueri cultus doctor & autor est. Hoc nõ prædixit, qui colũt Deum extra Messiã, idololatræ sunt: ut Iudæi, Papistę & Mahumetani. Vbi hic uates noster dicit, ciuitates munitas Israeliticas in solitudinẽ redigẽdas, Moses, fõs pphetarũ hęc antea his uerbis prædixit: Eritq; terra uestra deserta, & ciuitates uũræ dirutę. itẽ Dñs, Mosę et prophetarũ interpres, & omniũ uaticiniorũ autor: Erit domus uũra deserta. Videt̃ Iesaias singulari numero meminisse ciuitatis munitę, ꝑpter Deut. 28. Matth. 23.

Hieroso-

Hierosolymam regno & sacerdotio olim claram ciuitatem: cuius figura remota, Hierosolyma Ecclesia occurrit, quæ ut iam multis seculis regnante in ea Antichristo uasta iaceat, ob receptos errores & mendacia, neglecta ueritate Euangelij, palàm est: sed quæ cum Deo reditura sit in gratiam, his extremis temporibus, relicto filio perdito, & suscepto Messiæ cultu.

Et consumet summitatem eius.) Alludit ad uineæ carpenda flagella, de quibus suprà meminit: In flagellis ramisq; eius iudicabit eam.

In siccitate messis.) Manet in semel cœpta allegoria, in qua similitudo mutuata à ramis sic explicatur: Vt arefacti rami facile franguntur, & à mulieribus sine negocio cremantur, sic erunt Israelitæ.

Et docentes eam.) Tropus in בּאוֹרִיתָא à lumine mutuatus est, illuminare pro cremare usurpato: quod lux per coloris uim, quam habet, paratam incendio materiam incendat.

Non est enim populus sapiens.) Stulticiã tantæ cladis caussam esse, quæ cernitur in incredulitate in Messiam, extra cuius spiritum nemo sapiat & prudens sit, ea sapientia & prudentia quæ salutem & uitam afferat. De qua sapientia his uerbis Sapientia ipsa in Salomonis prouerbijs loquitur: Penes me sunt diuitiæ & gloria, firmæ opes & iusticia. item: Ne eam relinque, & te cõseruabit: ama eam, & te tuebitur. Hæc autem sapientia Messias est, ut idem Salomon fatetur, ubi ait: Dominus possedit me in initio uiarum suarum. Hanc sapientiam ut contempsit Israel, in tantam miseriam stultus factus incidit, sapientiæ & prudentiæ laude, qua olim celebris fuit priuatus. de qua laude Moses his uerbis in Deuteronomio: En populus sapiens & intelligens. Vt hic Iesaias Israelitis obijcit stulticiam & imprudentiam, ita etiam Moses ante eum in oraculari prænotione futuram suæ gentis defectionem à Deo præsentiens, sic prophetauit: Gens absq; consilio est, utinam saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent. Subducto uelo mystici Israelis, quæ stulticia Ecclesiam sub pastore stulto Antichristo inuaserit, sæpe iam indicatum est. & apertius est quàm probare oporteat, ut uerè etiam de hac dicatur: Quoniam imprudens est populus, ideo creator conditorq; eius erga eum misericordia & clemẽtia non utitur. Huc respiciens Paulus, cum uideret prælucente oraculari face, Ecclesiam quam templum Dei uocat, fœdissimè per filium perditum omni genere idololatriæ & errorum deturpandam, de gentibus in hunc modum uaticinatur: Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne quà fiat, ut nec tibi parcat. Vide igitur bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te uerò bonitatem, si permanseris in bonitate. alioquin & tu excidêris: & illi rursus, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Sed duo hic obijciuntur. Primum est, non confirmandum Israelem reconciliatum iri cum Deo. nõ enim ab Apostolo simpliciter confirmari reconciliandos Israelitas: sed cum conditione & adiunctione, si uidelicet nõ manserint in incredulitate. At Apostolus quum prænosceret ex Prophetis, omnino futurum ut crederent Euangelio, amanter amplexi Messiam, recitatis iam uerbis subijcit claram sententiam, qua simpliciter, sine ulla adiunctione confirmat, Israelitas suæ propriæ oleæ insertum iri, sic loquens: Etenim si tu ex naturali exectus es oleastro, & propter naturam insitus es in ueram oleam: quanto magis hi qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ? Vt autem Israelitæ omnino & simpliciter Euangelij luce, ad ei credendũ, sint illuminandi, & illuminati redituri in gratiam cum Deo, id aliàs sæpe indicatum est, & in propheta nostro suis locis uberius indicabitur. Alterum est quod obijcitur, Ecclesiam ab Apostolorum temporibus non potuisse Antichristi erroribus profanari: quòd Dominus dicat, Se usq; in finem mundi cum ea futurum. De qua præsentia sui Christus loquatur, & ut etiam præsens sit suis electis in medijs errorum tenebris, quos semper amet, & pro amore & clementi

Prouerb. 8.

4.

Deut. 32.

Matth. 28.

mentia eos seruet ne pereant, ea de re in Deuteronomio meminimus.

Propterea non miserebitur eius.) ad tempus, palàm non declarando misericordiã, non eam ex animo deponendo. Suprà enim dicit: Ira non est mihi. Igitur si mentem Domini spectes, nunquam hac non suæ Ecclesiæ fauet. Sin declarationem fauoris, hunc interdum dissimulans, ad tempus iram, non beneuolentiam præse fert, sed quam tandem sit ostensurus sedata ira. Nam perpetuam inclementiam, quam exhiberet, eius cum Israelitis & cum electorum Ecclesia adumbrata in Israelitis minimè ferret ictum semel cum illis fœdus. Veluti ipse in Leuitico his uerbis testatur: Tunc orabunt pro iniquitatibus suis, & recordabor fœderis mei. Attamen cum essent in terra hostili, non penitus abiecit eos, neq; sic despexit ut consumerentur. Itaq; hæc duo uera sunt, de Ecclesia scriptorum in libro uitæ: Deum misereri, Deum non misereri: Deum irasci, & non irasci suis. Exemplum pete ab iratis parentibus in liberos suos rebelles. Itaq; infra hanc uocem plenam consolatione à Domino edi legimus: Ad momẽtum dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. 26.

Et erit in die illa.) Temporibus reconciliationis, exactis temporibus exilij à regno Messiæ. Scita utitur uates translatione, ad colorandum oraculum: non secus Israelitas ex misero hoc exilio excutiendos esse, atq; triticum ex paleis excutitur. Nominantur hic Assyrij & Aegyptij, ut uicinæ & notæ infestæq; Israelitis gentes: quarum mentione per synecdochen reliqui orbis terrarum fines accipiuntur, in quos Israel dispersus uagatur. Similia suprà capite undecimo loquitur: Et adijciet Dominus secundò manum suam.

Et uos congregabimini.) electi ex Israelitis & gentibus, sub uno pastore Messia, in unum ouile. De mystica congregatione Israelitarum aliàs. Ioan. 10.

Clangetur in turba magna.) Euangelij tuba clangetur, ut in patefactionis Messiæ aduentu, ad plenius implenda prophetarum oracula, quæ de uocatione gentiũ & Israelitarum ad salutem iam olim edita sunt. In aduentu aũt illo glorioso clangetur tuba archangeli, ad congregandos electos per secundam resurrectionẽ, in regnum gloriæ.

Vnus & unus.) Nemine perituro ex ijs quos pater Christo dedit ad saluandũ, sed ad unum omnibus seruandis.

Qui perditi fuerant.) ad tempus, per errores pastoris stulti, omnia in loco sancto corrumpentis.

Et adorabunt Dominum.) Patrem in filio Messia adorabunt in spiritu & ueritate, relicta adoratione bestiæ.

In monte sancto.) De quo monte & Hierosolyma illud: Accessistis ad Sion mõtem, & ciuitatem Dei uiuentis, Hierosolymam cœlestem, ad quam ciuitatem ascenditur fide in filium Messiam, præcinente tuba Euãgelij, de qua Ioannes his uerbis in Apocalypsi mentionem facit: Et uidi alium angelũ, uolantem per medium cœlum, habentẽ Euangeliũ æternum, quod terræ incolas gentesq; & nationes & linguas & populos doceret. Hebr. 12. Apocal. 14.

IN CAPVT VICESIMVM OCTAVVM.

VAE *coronæ superbiæ ebrijs Ephraim.*) In hac oraculari concione, primò decem tribus perstringit, earum ebrietatem, luxum & superbiã seuerè reprehendens, cum intentatione diuinę iræ. Deinde in Iudæam tribum quoq; inuehitur, eius uitijs asperius increpatis: sed quam Dominus, seruata Hierosolyma, cum eius regno & sacerdotio liberaturus sit. Quæ autem rerum futurarũ in hoc oraculo lineæ ducantur, & in quæ tempora, submota figura, uatis nostri diuina luce illuminati oculi intueantur, inter interpretandum admonebimus. Cæterùm nomine coronæ regnum accipitur: ob cuius amplitudinem quoniam Ephraimenses superbiebant, & præ se Iudæam tribum & eius regnũ contemnebãt, tantopere his legitur Dominus indignatus.

Appel-

Appellantur decem tribus Israel, Ephraim, propter Ieroboamū: qui ex tribu Ephraim natus, primus à regno Dauidis & patria religione defectiōis autor fuit.

Ebrijs Ephraim.) Reprehenditur graue uitium in rebelle gente, ebrietas. Per hanc ebrij Ephraimenses diuino spiritu priuati, de Dei uindicis malorum iudicio securi erant, in omnia scelera proni ruentes. Vt solet ebrietas mentem homini auferre, & eam de gradu pietatis, neglecto sacro Dei fœdere, deijcere. Quod fœdus pectus à luxu, crapula, ebrietate, libidine, quam ebrietas parit, præcisum requirit: Deo modestos & temperatos amante, immodestos odiente, ut etiam id Græcus uates intellexit:

—— τὸς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι, καὶ συγῶσι τὸς κακούς.

Est etiam ebrietas, quam sapientia humana & doctrinæ falsorum uatum creant. Sic suprà Aegyptia ebrietas, quam Aegyptiorum sapientibus calix spiritus uertiginis à Domino mixtus, & ab illis epotus peperat, redarguitur. Similiter hæc ebrietas capite sequenti culpatur: Excæcati sunt, & excęcant alios: ebrij sunt, & non à uino. Vtraque ebrietas ut in Ecclesia miserè profanata locum habeat, satis clarè declarant secula Antichristi, in quę uerè hanc reprehensionem Ephraimitarum competere dicas. De qua ebrietate uideris in Apocalypsi Ioannis: Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua scortati sunt reges terræ, & inebrietati sunt fornicationis eius uino incolæ terræ.

Et flori decidenti.) ad flatum asperi uenti, Assyrij: de quo mox mentio fiet. Comparat deciduo flori Ephraimensis regni splendorem, qui mane uigens, sub uesperam marcens decidit. sic sunt omnia quæ in hoc mundo splendida apparēt: opes, potentia, sapientia, & gloria humana. De hoc mundano flore propheta noster infrà his uerbis loquitur: Aret fœnum, marcet flos, quoniā spiritus Domini flauit in illum. Hunc deciduum florem superbi in mundo homines non considerantes, malunt fastu inflati, superbo draconi obtemperantes perire: quàm demissi & humiles agno Messiæ humili obedientes, per humilitatem
Psal. 33. seruari. De quibus illud: Dominus humiles spiritu saluabit. Contrà de superbis: Dispersit superbos, ut florem dissipat durior uentus. Cæterùm ut hic
Oseæ 10. Samaria comparatur deciduo flori, sic apud Oseam cōfertur spumæ & bullæ aquæ: Abolebitur Samariæ rex ut spuma in aquæ extremitate. ut in uniuersum humana uita, qua nihil fugacius & fragilius, inde etiam prouerbiū habeat: Homo bulla. Flori item & foliis comparatur, ut est apud Græcum uatem:

ὄσσοις φύλλων γενεή, καὶ τῶν ἀνθρώπων.

Qui erant in uertice uallis pinguissimæ.) Colorans reprehensionem uertícis uallis opimæ meminit, figuratè regij splendoris sede significata: quam in monte Samariæ fuisse, historia Regum testatur. Atque hunc montem uallis omnis generis fructuum fertilis circumdedit. De monte Samariæ, & eius nominis ciuitate in illo ab Amri rege Israelitarum ædificata, uideris libro tertio Regum, capite decimosexto. Cæterùm uates, qui meminisset primò coronæ, deinde florum ex quibus coronæ contexuntur, postremò capitis cui corona imponitur, figuratum sermonem semel cœptum seruans, mentionem facit regij splendoris per coronam significati. Quoniam autem ex rerum abundantia luxus, & ex hoc securitas & contemptus Dei nascitur, ebrietatis quæ causa fuerit ostendit, uallе opima nominata.

Errantes à uino.) In Hebræa uoce notatur, eos uino ut malleo contusos, animo de sede sua crebris percussionibus moto.

Ecce ualidus & fortis Domini.) Reprehensioni criminis subiungitur iudicij & uindictæ de sceleratis sumendæ explicatio. Si percuncteris quis sit ille fortis & robustus Domini, scias alios de diuini iudicij die, alios de uēto, alios de exercitu hostili

hoſtili interpretari. Si hiſtoriæ myſticæ filum ſequare, accipitur fortis & robuſtus Aſſyriorum exercitus, qui ad decem tribus in exilium transferendas in Regum hiſtoria à Domino immiſſus legitur. Noſter propheta ſuprà dicit: Auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum. Huius hiſtoriæ uelo reducto, occurrit miſer Eccleſiæ ſtatus, in quo cœpit eſſe ut relicto Dauidis Meſsiæ regno ſeſe idololatriæ addixit, & omni uitiorum genere ſe defœdauit, & etiamnum defœdat: ut ſolet falſa religio, autore & impulſore ſatana, in comitatu uaria & horrenda ſcelera habere. Qui ſtatus miſerabilis quidem eſt in ijs qui neglecto Dauide Chriſto, & eius Euangelio, principem hypocritarum paſtorem illum ſtultum colunt. Sed longè miſerabilior eſt in ijs qui Meſsiam quem in ore, eiusq; Euangelium ſonant, pectore Sardanapalos & Epicureos ſpirantes uita longè fœdiſsima dehoneſtant. Hi cum Iudæis meritò audiunt hanc obiurgationem: Atque iſti quoq; obruti uino errant. Intueamur hæc noſtra renaſcentis Euangelij tempora: ut etiam qui uendicant ſibi Euangelij lumen, ebrietate, luxu, libidine, ambitione & auaricia, internis animorum idolis infames ſint, magno Meſsiæ Domini opprobrio manifeſtum eſt. Quare uiſum eſt diuinæ ſapientiæ, typo & umbra Ephraimitarum & Iudæorum hunc miſerum Eccleſiæ in ſuas ſectas conſciſſæ, & uarijs flagitijs contaminatæ ſtatum præfigurare. Qua figura admonemur & nos, qui in terminos mundi incidimus, in ſeueram hanc obiurgationem, qua Ephraimitę & Iudęi obiurgantur, incurrere. & niſi ad meliorem frugem redeamus, futurum eſt ut cum illis pari clade afficiamur. Paribus enim criminibus omnibus temporibus pares pœnæ & ſupplicia diuina æquitate deſtinata ſunt. 4. Regum 17.

Sicut impetus grandinis.) Memínerat ſuprà floris, hic grandinis flores perdituri mentionem facit. Qua ſimilitudine mirificè exornat figuratam oraculi expoſitionem: quam continuans, hoſtilem exercitum turbini omnia ſubuertenti, & diluuio cuncta uaſtanti comparat.

Sicut impetus aquarum multarum.) Hæc redundantium aquarum diluuies ſuprà exponitur: Propterea Dominus adducet aquas fluminis uehemẽtes & abundantes, regem Aſſyriorum.

Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ.) Contentione Propheta cladis magnitudinẽ amplificat. Nã ſuprà coronę capiti impoſitę fit mẽtio, hic eius pedib. pculcãdę.

Et erit flos.) Alia ſimilitudine calamitatẽ depingit. Vt flos decidit, ita Ephraimẽ ſes caſuros: & ut pręmaturi & pręcoqui fructus auidè deuorantur, ſic hoſtẽ Aſſyrium Ephraimitarum opes cupidè deuoraturum. In præmaturis autem fructibus terræ ſacræ, ficus numerantur.

In die illa.) Tempore deiecti ſplendoris regij Ephraimitarum, Dominum glorioſum redditurum Dauidis regnum, ſeruatis reliquijs, quarũ ſuprà capitibus primo & decimo myſtica ratio expoſita eſt.

Corona gloriæ.) Coronam & diadema humilis regni Dauidis glorioſam fore, humi proſtrata corona ſuperbi regni Ephraimitarum.

Et ſpiritus iudicij.) Si Ezechiã ſpectes, legimus lib. 4. Regum, ut is prudenter in omnib. rebus gerendis ſe geſſerit, & Palæſtinã ad Gazã, eiusq; fines à turri cuſtodum ad urbem munitam ſubegerit. Quod eſt hic, Dominum ſedentibus adius dicendum, & pro regia dignitate & fortitudine bellum uſque ad portam auertentibus iudicij ſpiritũ fore. Sin uerò noſtrum cœleſtem Ezechiam, Meſsiã Ieſum Chriſtũ conſideres, ut is ſpiritu diuino prędituſ, iudicet ſuos: hoc eſt, ius dicat, & cœleſtẽ ſuã remp. regat, ſuprà cap. 11. explicatur. Hęc expendẽs Paraphraſtes, de Meſsia hanc oraculi partem interpretatur. בעידנא ההיא יהי משיחא דייי צבאית לבלילא דהדרא ולבתרא דתישבחתא לשארה דהמיה.

Verum hic quoq; præ uino.) Altera pars concionis huius, in qua Iudæam & Beniamenſem tribum quoq; ſuorum ſcelerum reprehendit. At uerò ita reprehendit

illas, ut ſedem regni Hieroſolymam hoſtis Aſſyrius non ſit occupaturus ſed ab eo liberanda ſit ad uerum Dei cultum reuocata. Cæterùm ut Iudæa tribus idololatria & flagitijs infamis fuerit, ex Regum hiſtoria licet cognoſcere.

Sacerdos.) Munus docendæ legis Moſeæ, & ex ea de uero cultu Dei & falſo iudicandi, deq; controuerſijs componendis munus prætermittens. de quo munere uideris apud Moſem Deuteronomĩ capite 17.

Et propheta.) munere caſtigandi ſcelera ex ſententia legis Moſeæ fungens.

Neſcierunt uidentem.) Reprehenditur in populo cõtemptus doctrinæ ſacræ, qui falſis prophetis prophetãtibus, ueros deſpectui habuerit. Porro uulgare eſt nomine רואה, id eſt uidentis, prophetam accipi. Hanc reprehenſionem cõfirmat Ieremias: Prophetę uaticinantur falſa, & ſacerdotes accipiunt munera, & populus ſic fieri uult. Cuiuſmodi corruptis ſacerdotib. & pſeudoprophetis tempora Achaz, & poſt Ezechiam impiorum regum tempora referta fuerunt. *Ier. 5.*

Ignorauerunt iudicium.) Meminerat temulentiæ: hic, ut illam comitetur error in iudicando, indicat.

Omnes enim menſæ.) Qui temulentiæ meminiſſet, iam uomitus mentionem facit. Figuratè etiam uomitus accipitur: menſam Moſæa lege & oraculorum ferculis inſtructã, ab illis neglectam: & menſas quas humanarũ doctrinarum ſordibus conſpurcarent, adornatas. Itaq; diuinus ſpiritus in Pſalmo precatur, ut ſacra menſa à ludęis contempta, ipſis captioſa & pernicialis reddatur: Fiat menſa eorum corã ipſis in laqueum. De quo laqueo mox loquitur propheta noſter. *Pſal. 69.* Apoſtolus Paulus hunc uatis Dauidis locũ ad tẽpora ſua refert, quib. Iſraelitæ menſam Euãgelio inſtructã ſuo exitio cõtemſerint. Vt his poſtremis tẽporib. eadẽ illa imprecatio locũ habeat, in eos qui ſacerdotũ & ꝓphetarũ munera ſibi uẽdicantes, ſub ſpecie Euãgelij, Euãgeliũ hoſtiliter perſequunt, nõ eſt obſcurũ.

Quẽ docebit ſcientiã.) ex his ebrijs, q doctrinę diuinę per temulẽtiã capaces nõ ſint.

Quem intelligere facit auditũ.) Auditus pro doctrina ſacra à prophetis expoſita accipitur. cui quoniam auditus ſenſus deſtinatur, pro diuino ſermone & doctrina uſurpatur. Similiter infrà accipit: Quis credidit auditui noſtro? Apoſtolus, ut homo Hebræus, Hebræam loquendi figuram retinens, ſic loquitur: An ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? hoc eſt, ex ſermone Euangelij, qui auditur ad fidem ei habendam. Sed ita ei fides habetur, ſi interiores aures diuino ſpiritu perculſæ, interius loquentem Meſsiam audiant.

Ablactatos à lacte.) Amplificat rerũ diuinarũ ignorantiã, per cõparationem cum infantibus. Eos non magis ſapere & intelligere, q infantes à lacte & uberibus ſubmoti ſapiũt: quib. ut parẽtes eaſdẽ uoces, ut balbutire cœperint, ſubinde repetũt, & pręcepta pręceptis pro illorũ captu addũt, quod eſt hic צו לצו. Deinde manus eorum ad ſcribendum formantes, lineam aliam poſt aliam ducere ipſos docẽt, quod eſt קו לקו. Sic mihi cum populo iſto planè puerili, hoc eſt legis & doctrinæ cœleſtis experte, agendum eſt. Hac eruditus uates comparatione utitur, ad depingendam rerum ſacrarum in Iudæis imperitiam. Quàm latè autẽ hæc reprehenſio pateat, Apoſtolorum & hæc noſtra tempora indicant.

In loquela enim labij.) Manet in comparatione ſemel cœpta. Cum hoc populo loquendum balbutiente lingua, quali nutrices cum infantibus ſæpe ex alia lingua faciliora & ſuauiora petentes, loquuntur. Vt Apoſtolus hunc locum in priore ad Corinthios epiſtola citet, illic uideris. *1. Corinth. 14.*

Hæc eſt requies mea.) quam meus ſermo facilis ad intelligendum uobis declarauit: qui tñ à uobis receptus nõ ſit, ſed reprobatus. Sed q tẽpore propriè hęc impleẽ reprehẽſio? Tẽpore patefactionis Meſsię, qui ut per ſuauẽ & amabilẽ Euãgelij ſermonẽ, alia et noua lingua declaratus, ut à rebelle gẽte reprobeẽ, Apoſtolorũ et hęc nſra reuelatiõis Euãgelij tẽpora documẽto ſunt. Quid aũt ſuauius & dulcius eſſe poteſt, q ſermo q nobis, ut beneuolẽtiã & fauorẽ Dei ſentiamus in filio, oſtẽdit, & unde nouũ amoris ſpũm, q Deũ & ꝓximũ amemus, hauriamus,

commonstrat? At talis sermo Euangelij sermo est, quem Apostolus reconciliationis sermonem uocat: & infrà propheta noster, pacis Euangelium.

Et noluerunt audire.) saxeis eorum pectoribus recusantibus audire de fide & amore sermonem, quem cerea, non ærea pectora audiuerint: qualia sunt, quæ Christi cœlestis spiritus emolliuerit. De quibus Ezechiel his uerbis: Et auferam cor lapideum de carne (hoc est, uetere & terreno homine uestro) & dabo cor carneum. Sed ad quem usum? Sequitur inibi: Vt in præceptis meis ambuletis. In quibus præceptis? in præceptis de amore Dei, per fidei lumen accenso. Sed quid accidit rebellibus? Sequitur. 30. 6.

Et erit eis uerbum Domini.) Diuinum sermonem eis offendiculum fore, & laqueum: offendiculum quidem, in quod impingant rebelles euntes, & retro ruentes frangantur: laqueum autem, quo improbi irretiti capiantur. Metaphora à uenatoribus & aucupibus, feris & auibus laqueos ponentibus, quas capiant, sumitur. Accipiuntur exilij & captiuitatis, mortis & interitus laquei. Intueamur, reducto miseri Iudæorum status uelo, tempora Ecclesiæ sub Antichristo.

Propter hoc audite uerbum Domini.) durum & asperum, qui suaue audire noluistis.

Viri illusores.) doctrinæ cœlestis, & eius doctorum. Talibus illusoribus Antichristi regnum plenum est.

Qui dominamini.) Notatur Achaz, & eius senatores. Sed quàm latè pateat hæc notatio, clarum est.

Populum meum.) Quem sanctè regere oportebat, ex diuini fœderis legibus.

Percussimus fœdus cum morte.) Reprehenditur hac mimesi improborum de iudicio diuino, in medijs sceleribus securitas, qui neque Dei bonitatem ad meliorem frugem reuocantem, neque minas in rebellionem intentatas, pensi habeant, dicentes se non perituros, qui cum morte fœdus inierint. Explicatur hac forma loquendi irrisio uerorum uatum. Suprà memínerat ebrietatis: hic securitatis, quæ ex ebrietate nascitur. Intueamur his temporibus miserum statum Ecclesiæ. ut hæc à securis iudicij diuini regatur. & ut qui reguntur securi sint, satis manifestum est. Denunciatur hodie calamitas, qua simus infestandi, nisi resipiscamus: surdo fabula recitatur. Hi enim uerbum uerorum uatum irridentes, cum ludæis audent dicere: Cum morte percussimus fœdus, & cum inferno fecimus pactum. Vbi noster pactum habet, sequutus Græcos, Hebræus habet חזות. ut sit sententia: Cum orco iniuimus fœdus oraculari ratione, hoc est per nostros uates inducti sumus, ut credamus ab hostili calamitate nos tutos fore. Sed quæ est illa oracularis ratio, cui principes uiri in Iudæa tribu se confidere dicunt? Promissione nitebantur, Salomoni his uerbis facta: Istud à te extructum templum consecraui, ut ibi nomen meum ponam in sempiternum. Huic promissioni quum homines ebrietate, luxu, adulterijs, auaricia, rapinis, ambitione & idolomania, infames confiderent, dicit uates eos in mendacio præsidia ponere, & in uanitate latitare. quos his uerbis inducit loquentes: Quoniam posuimus mendacium præsidium nostrum, & in uanitate latitamus. Hæc quidem dixerunt & cogitarunt, non quòd putarent se mendacia persequi, sed quod uitæ improbitate & malefactis se mendaces & uanos esse, & in mendacio spem collocare ostenderent: qui nimirum profitentes ore Deum, & eius promissa usurpantes lingua, corde eum negarunt, fide carentes, qua sola uerè colitur Deus, & ea absente falsò. Quales homines reprehendit Apostolus, ubi ait: Deũ profitẽtur se scire, cæterùm factis negant. Ex uatis igitur nostri seuera obiurgatione, quam diuinus spiritus sale condit, discimus, falso ab ijs Dei promissa ostentari, qui improbè, sine pœnitentia scelerum uitam degunt. in quos his uerbis inuehit̃ Ieremias: Nolite confidere sermoni mendaci, dicentes, Templum Domini. Quibus autem promissa salus præstetur, & quem ordinẽ seruãs Dominus eam præstet, ea de re aliàs meminimus. Alterum est, quod ex hac 3. Regum 9. Tit. 1. 7.

obiurgatione discimus, Fidem in promissa diuina uanam fidem esse, quæ in comitatu pœnitentiam uitiorũ, & amorem Dei atq; proximi non habet. Ea enim fides nõ magis fides est, quàm pictus in pariete leo, leo est, & mortuus bos, bos. Etenim fides uera lux est, in qua qui uersantur, inflammati amore Dei & filiorum eius, ea quæ Deo placent facere, & quæ displicent omittere studẽt. In qua luce, nouum hominem, & sobolem Dei per spiritum sacrum regenerante, non sunt, qui neque Deum, cuius naturæ participes reddit fides, neque proximum, qui Dei familia genere & cognatione tenetur, amant: sed sui studio omnia faci-
1. Ioan. 2. entes, in quæuis scelera præcipites ruunt. Sic enim ait Ioannes: Qui dicit se in luce esse, & fratrem suũ odit, in tenebris est. item: Qui diligit, ex Deo natus est. 10
hoc est, qui diligit, sacrum spiritũ amoris habet, ex quo nouus homo natus est, prælucente luce fidei, quæ amoris spiritum regeneratorem à patre in filio, & per filium Messiam in electorum animos in ipsa iustificatione fundit. Itaque ut falsæ fidei à uate Iesaia principes Iudææ & populus reprehenduntur: ita in eadem reprehensione hodie sunt, qui sine pœnitentia uitam agentes, de Euangelio gloriantur. & cum Iudæis clamantes, Templum Domini, audent securi de malis dicere: Flagellum cum grassabitur, non inuadet nos, qui posuimus mendacium refugium nostrum, & in uano latitamus.

Flagellum inundans.) Hostis in omnia grassans flagello comparatur: ut suprà flumini aquis inundanti.

Idcirco hæc dicit Dominus.) Ostendit uates rectum principatum, cuius rectione 20
populus sit seruandus, qui per principes præsidia sua in mendacio collocantes miserè periturus erat. Sed quis est ille principatus salutaris? Si tempora Ezechiæ spectes, huius tenuis umbra illo regnante apparuit: sin tempora Messiæ per Ezechiam adumbrati, ueritas lapidis in fundamentis cœlestis Sionis positi cernitur, de quo sequitur:

Ecce ego.) Nemo alius, non Moses, non propheta aliquis, non ullus cœlestis
Daniel. 2. angelus. Meæ manus opus hoc erit. Hinc is lapis fundatus in Sione, lapis Dei appellatur, & sine manibus humanis de monte abscisus in Daniele legitur: qui in fundamento Hierosolymæ non terrenæ, sed de cœlo descendentis ponatur. 30
Is lapis Messias benedictus est, de quo etiã Chaldæus Ionatham interpetatur:
חא אנא ממני בציון מלכא משיחנא.

In fundamentis Sion.) non Samariæ: in domo Dauidis, non Ieroboami: multo minus in fundamento Damasci & Babylonis. Hoc fundamentum Ecclesiæ electorum IESVS CHRISTVS est. de quo Apostolus: Nam fundamen-
1. Corinth. 3. tum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est IESVS CHRISTVS. Qui lapis his uerbis de se loquitur: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Non dicit, super Mosem, super Eliam, super angelum aliquem, super natiuas liberi arbitrij (quod fingitur, cum seruum sit peccati) uires, aut partim super has, partim super Christum ædificabo Eccle- 40
siam meam. Multo minus super hominem aliquem superbum in terra, dominatum sibi in omnia uendicantem (quem Christus significarit his uerbis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam) fundatam Ecclesiam affirmabimus. Sed credimus Christum affirmare uoluisse, super se petram diuinam & sacrosanctam Ecclesiam ab æterno in cœlo consignatam extru[illegible]. Quod est hic: Ego sum fundaturus in Sione lapidem. Ex physica cognoscenda est origo lapidum, natura, firmitas & usus: quo melius intelligatur, cur Messias & eius membra lapidibus comparentur. Qui Messias cum suis ut se in natura uariè præfigurari uoluerit, in Mose id ostenditur. 50

Lapidem probatum.) Commendatio lapidis Messiæ, à probatione, qua & ipse sit probatus, & suos electos probet. In hoc enim lapide ignis explorans, &

probans,

probans & purgans ineſt.ignis nimirum,de quo Malachias: Ipſe enim quaſi ignis explorans,ſedebit explorans & expurgans argentum.Hinc Meſsias probator & purgator lapis,ſuam Sionem, cuius fundamentum eſt ſpiritu & igni abluere ac purgare,dicitur. De quo ſuprà capite quarto: Cum abluerit ſordes filiarum Sion ſpiritu ardoris. Sunt etiam interpretes, quibus בחן munitio ac propugnaculum eſt,à probando appellatum. Propugnaculum futurum hunc lapidem Sioni Eccleſiæ,aduerſus hoſtem. Paraphraſtes pro lapide regem fortem reddit,quem paulo ſuprà appellat Meſsiam. Et quem uates ſuprà coronã gloriæ & diadema decoris appellauit,eum hic lapidem בחן uocat.De hoc lapide etiam Zacharias uaticinatus eſt:Ecce ego adducam ſeruum meum germen, ecce lapis quem dedi coram Iehoſua,in quo uno lapide ſeptem oculi ſunt: ego eum ſculptura ſua ſculpam, dicit Dominus exercituum: & eius terræ iniquitatem una die delebo.Is uates primò Meſsiam germen uocat, de quo ſuprà capite quarto mentio facta eſt:deinde lapidem ornatum ſeptem oculis,cuncta perluſtrantibus in cœlo & in terra,qui ſuprà capite undecimo explicati ſunt.tertio in cælatura ſua cælatum dicit,quæ ſculptura ac cælatura in muneríb. diuini ſpiritus,quibus citra modum expolitus eſt,ſpectatur.Poſtremò huius germinis & lapidis ſacroſancti uſum exponit,qui cernitur in delendo peccato.Atque is lapis longè retro ſeculis præfiguratus fuit per lapidem à Iacobo erectum,& perfuſum oleo,de quo in Geneſi cap.28. Malach.3.

Angularem.) In angulis firmi lapides, qui muros ſolida commiſſura committant,poni ſolent. quò ſpectat Eſaias. Apoſtolus Paulus lapidem hunc angularem his uerbis explicat:Iam igitur non eſtis hoſpites,ſed incolæ,ſed ſanctorum ciues, domeſtici Dei, ſuper Apoſtolorum & Prophetarum fundamentum extructi ſummo angulari lapide ipſo IESV CHRISTO:in quo quæcunq; ſtructura coagmẽtatur,ea creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & uos unà ædificamini,in habitaculum Dei,per ſpiritum. His uerbis Apoſtolus lapidis, fundamenti,anguli,Sionis atque templi rationem explicat.In quo templo muros ex Iſraelitis & gentibus, in uno anguli lapide Meſsia cõmiſſos extrui dicit, ad domicilium Dei,per afflatum diuini ſpiritus,qui Meſsiæ ſpiritus eſt, in quo & per quem totum ſacrum ædificium abſoluitur.De hoc angulari lapide antea prædixerat Dauid: Lapidem reprobauerunt ædificantes, qui factus eſt in caput anguli.

Precioſum.) precia huius lapidis ab origine,natura, ſplendore ac dignitate, ab uſu quem affert,æſtimantur.

In fundamento fundatum.) Anadiploſis Hebræa מיסר,ſatis firmiter & probè fundatum lapidem,quem nulla uis & potentia conuellat,ac loco moueat.

Qui crediderit, non feſtinet.) Explicatur ratio utendi hoc in Sione fundato lapide,quæ in fide cernitur.Per fidem nobis lapidem hunc ſalutarem effici. Vt domus ſuper bonum fundamentum ædificata, non facilè loco mouetur: ſic ſuper Chriſtum petram qui fide extruuntur,non properaturos, hoc eſt properando non offenſuros:ut impingere ſeu offendere in uia ad ſaxum facile ſolent, qui feſtinant & properant.Itaque LXX interpretes pro יחיש, feſtinandi uerbo,reddunt μὴ καταισχυνθῇ,id eſt non pudefiet:hoc eſt,non fruſtrabitur ſua ſpe.Hanc interpretationem citat Apoſtolus in epiſtola ad Romanos capite decimo.Quin & Dominus noſter apud euangeliſtam Matthæum, in parabola de prudente uiro ædificante domum ſupra petram indicat, quàm firmus ſtatus eorum ſit, qui ſuper ſe fundamentum per fidem extructi ſunt,quos nulli fluctus & procellę rerum aduerſarum in mari huius mundi conuellant. 7.

Et ponam in menſura iudicium.) Excellens uſus Meſsiæ lapidis probatoris oſtenditur:hoc regnante,rectum iudicium & æquum in ſua Hieroſolyma locum habiturum,ad amuſsim æquitatis quam diuinus ſpiritus præſcribit,omnibus con-

formatis. In קו uoce, quę mensorium funiculum notat, quo magnitudines mensurantur à fabris materiarijs, figuratè iudicia ad normam ac regulam æquitatis diuinæ mensuranda significantur. In Ezechia huius æqui & recti iudicij umbra cernebatur: cuius in iudicando æquitas iniquis iudicijs, quæ Achaz exercuit, per contentionem opponitur: ueritas ueræ æquitatis & iudicij cernitur in regno Messiæ. Quæ primò in eo spectatur, quòd omnia in administratione cœlestis regni cum norma diuini spiritus consentiunt, nihil ab eo discrepat. Deinde quòd Messias rex ita Ecclesiam ciuitatem suam ueræ iusticiæ spiritu regit, ut in ea cuncta quoq; ad amussim & regulam eiusdem spiritus & doctrinæ à Christo proficiscentis respondeant, nihilq; in ea feratur quod à regula illa dissentiat.

Apocal. 21. Veluti suprà uates noster dicit: ingrediatur gens iusta, & seruans fidem. & Ioannes in Apocalypsi: Neque in eam intrabit quicquam immundum, neque quod scelus committat. Demùm æquitas in eo quoque apparet, quòd Messias oris sui flatu & spiritu, ciuitatis suæ hostes perdat: ut est Satan, & filius eius Antichristus: ut ante Hierosolymam, regnante Ezechia, Assyrius typus Antichristi miserè diuino afflatus halitu, non armis humanis, perijt.

Et iusticiam in pondere.) Qui meminisset amusis, iam retinens cœptam translationem à fabris & structura mutuatam, ponderis meminit, alludens ad perpendiculum, ad quod & ad normam structura ut quadret & respondeat, fabri laborant.

Et subuertet grando spem mendacij.) Colorat oraculum alia similitudine, à grandine sumpta. Si historiæ mysticæ filum sequare, notatur Assyrius hostis, mendacij præsidium in Iudæis euersurus. Ea grando suprà in Ephraimenses quoq; missa legitur. Sin uerò ea quæ historia hac figurantur spectes, quæ tempora significentur, aliquoties suprà indicatum est. Ex physicis cognoscenda origo & natura grandinis, & eius nocumenta, quo melius similitudo intelligatur, & intellecta explicetur. Scitè grando à separando & dissipando ברר appellatur, quæ separet & dissipet res in quas inciderit. In uerbo ישח indicatur, à grandine non secus uana præsidia amotum iri, atq; à scopis & palis sordes & cineres amouentur, quibus subsidia quæ in rebus uanis collocantur comparat.

Et delebitur fœdus uestrum cum morte.) hoste uos euersuro: à quo tutos uos putastis fore, uanis promissis lactati. Suprà legitur, Iniuimus cum morte fœdus. hic uerò, Delebitur fœdus uestrum cum morte initum. Qua contentione spem in mendacio positam reuellit, & oracula diuina in rebelles edita confirmat. Vtitur autem expiandi uerbo יכפר, ad significandum securitatem & spem uanam in res uanas, contempto iudicio diuino, publica calamitate expiari, non secus atq; scelera uictima expiantur. Est autem כפר propriè operire, obtinere & abscondere. Inde sumitur pro expiare, quòd scelera quæ expiantur, non apparent amplius, abscondita nimirum & tecta diuinæ misericordiæ tegumento, quod Messias est, de hoc tegumento Psalmus: Beati quorum tecta sunt peccata.

Vexatio intellectum dabit auditui.) Hebræus significat, securos iudicij diuini, non prius fidem habituros auditui, hoc est oraculis Prophetarum, quàm commotio, hoc est uexatio & calamitas à uatibus prædicta ingruerit, sed quæ improborum fides nimis sera sit eis & pernicioſa futura: quam nimirum non studium & amor Dei sed præsens calamitas sensu percepta eis extorqueat, dum cogun tur credere uera esse, quę falsa mallent. Exemplo sunt, qui diluuio perierunt, Sodoma item & Gomorrha, Aegyptij, & alij. Nostra tempora prætereo.

Coangustatum est eius stratum.) In Iudæa, si historiam spectes, parum superfuit quod hostis Assyrius non occuparit. Quam angustiam, in qua fuerunt Iudæi, breui lecto, in quo quis se non exporrigat, & angusto tegumento, in quo quis se comprehendere nequeat, comparat. Hunc breuem lectum, reducto uelo, ut grassante spirituali Assyrio Antichristo sentire cœperit Ecclesia, defunctis Apostolis

postolis suo munere,res ipsa docet,& id sæpe est indicatum:& à patribus, non sine lamentatione tam horrenda defectio memorata.

Sicut enim in monte decisionis.) Exemplis concionem illustrat,sed contrarijs. Vt in Pharizimo Dominus hostes Palæstinos duce Dauide profligauit, & ut in Gabaonia ualle postea eosdem Palæstinos eodem Dauide duce dissipauit, & olim tempore Iosuæ Chananæos grandine oppressit: sic eos quos antea defendit ab hostibus, per hostes prosternet. *Iosuæ 10.* De hac historia uideris apud Iosuam, & in historia Regũ. Sed cùm in suos irascitur, quale opus facit? proprium ne, an alienum? *2.Regum 5.* Sequitur.

Vt faciat opus suum, alienum opus suum.) Per occupationem occurrit illi, quod suprà dixit:Ira non est apud me. Si igitur in suum populum iram non gerit, cur ergo tantam cladem illi intentat? Respondet,non suum proprium opus esse irasci & affligere,sed alienum. Quibus uerbis significat, se natura clementem & misericordem esse,propensum ad benefaciendum, ut ipse de se prædicat apud Mosem:Dominus Deus tuus misericors.Proprium igitur eius opus fuerit,benefacere:alienum,lædere & nocere.Si quæras, cur ergo suos affligit? Caussæ afflictionis alijs locis expositæ sunt. Ex hac uatis concione discimus, Iudæos tempore Ezechiæ,non Dei odio in ipsos, graui clade affectos: neq; temporibus Christi cœlestis Ezechiæ, gentem istam ad magna mysteria patefacienda electam,paucis seruatis reliquijs,ita relictam, ut odio quod in ipsam Dominus gereret,relictam se intelligeret. Etenim is alienũ opus in affligendo, non proprium se facere fatetur.Beneuolentiam autem diuinam in semel electum populum non depositam,clara de eius reconciliatione oracula testantur. Quum hic legimus,nocere alienum opus Dei esse, & proprium benemereri, percunctetur aliquis,cuius lædere & malefacere proprium opus sit? Eius proprium opus est,quo autore peccatum in mundum peruàsit,qui Satan est:ut peccati,ita malorum quæ peccatum consequuntur,machinator. Stat enim illud: Nolo mortem peccatoris. *Exod.34. Ezech.18.* & de diabolo Sapiens: Diaboli inuidia mors in mundum intrauit,& cum morte uariæ calamitates & afflictiones. *Sapient.2.* Proprium etiam Dei opus esse benefacere,& clementiam ostendere, documento est mundus diuina bonitate conditus.Non enim alia caussa & ratio mundi conditi est, quàm Dei bonitas. Quæ ut sese effunderet, mundus is in uerbo Dei & exemplari quod Messias est,ab æterno latẽs,tandẽ in lucẽ prodijt,ut certæ notæ & signa diuinę bonitatis,sapientię & potẽtię apparerent. Veluti id architectus ipse mundi hac sententia comprobat: Vidit Deus cuncta quæ fecerat,& erant ualde bona: ut à summo ipso bono Deo,qui solus à se bonus est, cætera ab ipso profecta. Documento præterea est,Deum natura clementem & bonum esse, instauratus à casu primi hominis mundus per filium Messiam. Quem pater Deus ut collapsum mundum repararet,in mortem tradidit,eius sanguine sacrosancto omnibus tum quæ cœlo tum quæ terra continentur,pacificatis. *Ioan.1. Genes.1.* Huic contrarius Satan est, ad nocendum & perdendum natura sua uiciosa procliuis, ut ab initio malus. Sic enim Ioannes: Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.Nam in eo nunquam fuit spiritus Messiæ:sed in momento creationis suæ illo carens,præuaricari cœpit: Sicut cõtrà boni angeli sanctè cogitare & agere,illo ornati ab initio studuerunt. *1.Ioan.3.* Dicat aliquis, si Deus bonorum autor est, & Satan malorum, duo ergo principia statuentur, alterum bonorum, alterum malorum. Vnum solum primum principium bonorum & malorum Deus statuetur: qui nisi esset, neque bona neque mala essent, & Satan faber mendaciorum in rerum natura locum non inueniret. At uerò aliter malorum Satan, quàm Deus, siue de malo quod in culpa,siue de eo quod in pœna cernitur, loquamur, autor iudicatur esse. Quòd autem hic discrimen accipiatur, ea de re aliàs mentio facta est, & suo loco repetetur.

Cæterùm uox זר propriè alienum significat, ideo alias interpetationes prætermitto. Nam sunt quib. זר idem est quod diuersum. In Gabaone & Pharizimo pugnasse Dominum aduersus hostes, per suos, hoc est Israelitas: hic uerò contraria ratione, contra suos, per alios quàm Israelitas pugnaturum. Sunt demum quibus זר est rarum & insolitum opus, cuiusmodi frequenter non sit editum à Deo. Prima sententia simplicissima est, & apta ad clementem Dei naturam exprimendam. Hanc imitantur filij eius in benefaciendo: ut Satanæ ingenium imitantur ex eo nati, in malefaciendo.

Et nunc nolite illudere.) uatum oracula, & eorum minas: & nouissimis temporibus Euangelij sermonem, pijs salutem annunciantem, impijs interitum. Suprà: Propter hoc audite uerbum Domini uiri illusores. Hos ad pœnitentiam, per intentationem calamitatum, reuocat.

Ne fortè constringantur uincula uestra.) Ex periculorũ loco dehortatio sumpta. מוסר castigatio est, qua reuocantur improbi ad pœnitentiam. Eis redeundum in uiã, ne ipsorum pœnæ inualescant, uindice scelerum Deo. Sapienter ergo Hebræorũ sapientes uiri dixerũt, tria esse quæ nos à peccãdo auocent: primũ, originis nostri cõsiderationem, qui ex luto terræ ficti simus: alterũ, quòd tandem simus rediturí ad locum pulueris & uermium. demum, si consideremus coram quo iudice rationem nostrorum factorum simus reddituri, coram rege nimirum omnium regum. Sic enim dicunt: הסתבל בשלשה דברים ואין אתה בא לידי עבירה דע מאין באת ולאן אתה הולך ולפני מי אתה עתיד להתן דין וחשבון מאין באת מטפה סרוחה ולאן אתה הולך למקום עפר רמה ותולעת ולפני מי אתה עתיד ליתן דין וחשבון לפני מלך מלכי המלכים הקדוש ברוך הוא.

Attendite.) Attentionis loco utitur, ad reuocandos rebelles ad pœnitentiam. atque asperam concionem pro more prophetico consolatione temperat, monens non perpetuam fore afflictionem in populo semel electo, non malo suo, sed bono calamitatibus uexando. Quam præclaram consolationem scita parabola ab agricultura sumpta figurat, de qua sequitur.

Nunquid tota die arabit agricola ut serat.) Rationem qua suum populum tractat, laboribus agricularum arantium & serentium & triturantium comparat. Vt agricola non semper arat, neque in quouis agro quoduis semen serit, sed in alio aliud: in alio nimirum uiciam, in alio cuminum, in alio triticũ, in alio hordeum, in alio zeam, quoduis semen finibus suis deponens: neque etiam ut maturuerunt, semper ea triturat: neque quouis instrumento quoduis triturat, sed alio aliud. neq; enim tribula trituratur gith, aut plaustri rota super cuminum uoluitur: sed pertica gith, & baculo cuminum uerberatur: & frumentum ex quo panis conficitur, teritur quidem, sed non perpetuò. Sic Dominus cum agro suo, semine & tritura populi sui agit.

Seret gith.) קצח alijs papauer est, alijs semen nigellæ. Videris de eo apud Columellam & Plinium. Semen subnigrum est. Semina ut non sunt eiusdem generis, sic quodq; in suo solo seritur. Non secus habet uerbum Dei. hoc aliter in alio agro humanorum pectorum seminatur. alijs enim legis doctrina, alijs Euangelium conuenit: alijs alius modus legis, alius Euangelij. Nam alijs durior pars legis quæ in condemnando, alijs lenior quæ in hortando & lenius reprehendendo uersatur: alijs item Euangelij pars quæ lac, alijs quæ solidum cibum continet, congruit. Quæ ratio docendi & seminandi si non seruatur, operam luserint qui sacram doctrinam seminant. Verbum autem ac sermonem diui-
Matth. 13. num esse semen, declarat Dominus noster IESVS CHRISTVS in parabola de semine.

Et cuminum.) Vestigium Hebrææ uocis כמון, Græci, Latini, & Romani retinuerunt.

Et milium.) נסמן, speltam esse uolunt.

Et cru-

Et erudiet illum in iudicio.) Agricolam colendi agros artem à Deo doceri, qua ritè & ordine cuncta agat. Quæ agriculturæ magna laus est, ut etiam cæterarum honestarum artium, communi uitæ hominum utilium. Non igitur temerè inuentæ sunt artes, sed Dei munere hominibus tributæ, quas ad amplificationem nominis eius & hominum utilitatem exerceant.

Panis autem comminuetur.) Panis nota figura pro frumento, ex quo panis conficitur.

Sed non in perpetuum triturans.) Figuratè afflictio notatur: hanc finem habituram. Hierosolyma bene triturata per Assyrios & Babylonios, de ipsorum manu redempta est: & cœlestis Hierosolyma temporibus patefactionis Messiæ bene per hostes suos Satanam & filium perditum triturata, ut redimatur, satis manifestum. Huc parabola hęc mystica pertinet, in qua arator Dominus, ager Israel, semen oracula diuina, ferentes semina Prophetæ & Apostoli, tritura, afflictio & uaria crucis uexatio, frumentum è gluma excussum fructus afflictionum est, amoris uidelicet Dei & dilectionis sanctorum inter se fructus. Quem excipit panis, quo aluntur bene triturati ad uitæ æternæ participatum. Panis inquam qui de se dicit, Ego sum panis uitæ: qui est Messias benedictus. Huic parabolæ non dissimilis parabolica explicatio est, quæ de nucum horto in Cantico canticorum Salomonis legitur: Descendi in hortum nucum. cuius non sine mystica ratione fit mentio. Porrò nuces duos habent cortices: alterum amarum, de quo illud, Vos flebitis & lugebitis: alterum durũ, de quo Dominus, Arcta uia est quæ ducit ad uitam: intus uerò nucleus est suauis & dulcis, qui significat nobis illud, Tristicia uestra conuertetur in gaudium, ut trituratum frumentum nobis dulcem panem parat. Quare ut in proscisso agro, & eo sato salutari semine, & in triturato excussoq; è gluma frumento, duplex filiorum Dei status prę figuratur, crucis & gloriæ: sic in nuce duo quoq; illi status adumbrantur, crucis uidelicet amarus & asper status, & gloriæ suauis ac dulcis. Hæc sacra sacrarum & cœlestium rerum symbola nobis in hac mystica doctrina consideranda proponuntur. Itaque quod est fornax auro, lima ferro, & triturans plaustrum frumento: id est flagellum crucis electis Dei. *Ioan. 6.*

Et hoc à Deo exercituum exiuit.) Crucis mysterium à Domino proficisci. quod hac parabola significat: cuius mirũ sit consiliũ, & sapientib. huius mũdi abscõditũ.

Et magnificaret iusticiam.) Et consilio esse mirum, & ui exequendi magnum & præpotẽtem. תושיה enim uox à ישׁ uerbo decisa, uim & efficaciã notat. Quam laudem nulli-alij principatus merentur.

IN CAPVT VICESIMVMNONVM.

ARIEL.) Retexit propheta mysticam concionem de statu, quem Iudæa Hierosolymis regnante Ezechia habitura sit. atque de more suo, quæ temporibus præsentationis & patefactionis Messiæ euentura erant, sub typis Ezechiæ & Assyrij præsignificat, de quo inter interpretandum admonebitur. Cæterùm quid Ariel sit, ex illo Ezechielis patet: Et super Ariel quatuor cornua erunt. ubi mentio de ara fit. Quò spectans Paraphrastes Chaldæus, pro Ariel hic aram reddit, מדבחא. Et quoniam sacra ara in Sione erat, per Ariel propheta Sionem aut Hierosolymam accipit. Meminit autem araę, quòd in ea Achaz tempore aliena sacra fieri solita sint, in qua oportebat hostias Domino immolari, ritu à Mose præscripto. Quare in hac lamentatione quam propheta Hierosolymis instituit, uox Ariel lamentationum more geminatur.

Ciuitas quam expugnauit Dauid.) in qua Dominus uero cultu & religione coleretur, nõ falso cultu dehonestaretur. A' persona Dauidis, primi expugnatoris Sionis, amplificat perfidia rebellis ciuitatis, de qua etiã suprà ab initio: Quomodo facta

facta est meretrix ciuitas fidelis? Per contentionem, miseræ Hierosolymæ statum opponit statui, quo, cum eam Dauid rex gubernaret, fuit. Meminit etiam Dauidis propter aram primò Dauidi ab angelo indicatam, quam in Sione mõte extrueret, ut ex secundo Regum libro sub finem liquet. Submoto uelo mystici Dauidis & Hierosolymæ, quò hæc concio pertineat, tempora profanationis qua altera Hierosolyma quæ à Dauide Messia expugnata & ædificata est, profanatur, satis clarè indicant.

Additus est annus ad annum.) In improbis reprehendit, singulis annis Hierosolymam ueniendi ad rem diuinam faciendam studium, & in reprehendendo imperatiuo illudendi gratia utitur: Addite annum anno. Quid uobis prodest, quòd singulis annis uenitis Hierosolymam ad sacrificandum, qui in Deum fide & in proximum amore caretis, non perpendentes illud: Misericordiam uolo, non sacrificium? Ieremias simili forma loquendi ad illudendum utitur: Addite sacrificijs uestris holocausta, & comedite carnem. Hæc reprehensio ut ad tempora Antichristi, plena hypocrisi & simulatione referatur, pij norunt, tam miserum Hierosolymæ Ecclesiæ statum lamentantes.

Oseæ 6. & 7.

Solennitates euolutæ sunt.) Hebr. Agni iugulentur. Qui meminisset aræ, iam hostiarum mentionem facit: quas frustra mactent, qui fide in Messiam hostiam, ad peccata mundi expianda à Deo patre destinatam carent, contemnendi falsum cultum gratia, propheta falsè, non immolandi ac mactandi, sed iugulandi uerbo utitur. Perinde esse si agnos mactent, atque si canes iugulent. Veluti infrà sic scriptum est: Qui ouem sacrificat, iugulat canem. Vbi uerbo שׁרח utitur, hic uerò יגקפי, quod idem ualet. Simili suprà diuinus spiritus reprehensione plena stomacho, in eodem oracculo explicando uersans utitur: Quid mihi cum uestris tot sacrificijs? satur sum arietum.

Circumuallabo Ariel.) Sententiam in rebelles dicit, eorum ciuitates circumuallatum iri, per hostem uidelicet Assyrium, instrumentum diuinę iræ. Legitur enim hic: Ego obsidebo Hierosolymam. Quare legitur suprà: Cùm Dominus omne opus in Sionem Hierosolymamq; perfecerit.

Et erit tristis & mœrens.) Quæ læta & hilaris atque secura malorum dixeras, Cum morte inij fœdus.

Humiliaberis.) quæ superbè gloriabaris de templo & regia sede.

Et circundabo.) Dicat hic aliquis, Hierosolymam non obsessam ab Assyrio. Sic enim infrà legi: Non ingreditur urbem hanc, neq; mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circundabit eam. Contra uerò hic scribitur: Et circundabo. Respicitur hic ad consiliũ hostis, quod inierat de obsidenda urbe iam ad eam accedẽs: sed quod eius consiliũ ab angelo irritũ factum sit in ea nocte, qua Hierosolymam erat obsidione cincturus, & machinis oppugnaturus.

De terra loqueris.) terrena sapiens, non cœlestia, quæ selecta eras, in qua cœlestia oracula personarent, non humana doctrina de terra orta mussaret, recepto cultu Deorum alienorum, meo neglecto. Accommoda ad tempora Antichristi. In hunc modum etiam interpretari licet: Fastu tuo depresso, humiliter demisseq; sentiura & locutura es, ut submissè loquuntur, qui deiecti & contempti in puluere iacent.

Quasi Pythonis.) Similitudine deiectionem amplificat. De hoc spiritu uideris in historia de Samuele, in libris Regum.

1. Regum 28.

Et erit sicut puluis tenuis.) Explicata uexatione Hierosolymæ, iam de hostis profligatione oraculum aliquoties suprà expositum repetit, sed alijs uerbis: Profligandum hostem Assyrium, ne capiat Hierosolymam regnante Ezechia, exponit. Aliquot appositis similitudinibus utitur, quibus hostis potentiam eleuet & extenuet: una à puluere & stipula, altera à nocturno somnio petitur. Vt puluerem & stipulam uentus dissipat, ita impios Hierosolymæ hostes, quamlibet

sibi

ſibi potentes uideantur, ſpiritu diuini iudicij flante diſsipatum iri, de quo uideris Pſalmo primo. Duo igitur nos hic conſolari debent. Alterum eſt, ſi uexamur, à Deo nos uexari: atq; ita afflictionem non in hoſte, ſed in benigna uoluntate Dei conſiderandam eſſe, qui nos affligat, non ut perdat, ſed afflictos ſeruet. Legimus enim: Ego obſidebo Ariel. Alterum, hoſtes Eccleſiæ non aliter reputandos eſſe, quàm puluerem terræ & ſtipulam, quæ facile quouis uento agitatur. Sic ſtipula & puluis fuit Pharao, Chananæi reges, Aſſyrius, Babylon, Græcus, Romanus. Sic ſtipula Antichriſtus eſt, cum tyrannis orbis terrarum, in quos ut aſperior halitus Meſsiæ flauerit, ſtatim diſsipantur, & inſtar puluerís terræ diſsijciuntur.

Eritq; repentè.) Conſolatorius locus, hoſtium furorem non eſſe diuturnum, ſed momentaneum. Quod ad Sennacheribum Aſſyrium attinet, legimus infrà capite XXXVII: Et manè ubi ſurrectum eſt, ecce omnes mortui erāt. Et de Hieroſolymæ Eccleſiæ hoſte Antichriſto per Aſſyrium & Babylonium adumbrato, ſic Ioannes ait: Væ uæ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniā una hora uenit iudicium tuum. *Apocal. 18.*

In tonitruo.) Auget ſuperlatione horribilem hoſtis cladem, qui tonitru, terræ motu, tempeſtate, turbine & flamma ignis ſit puniendus.

Et flamma ignis.) Similia ſuprà capite decimo: Et lux Iſrael in ignem, & ſanctus eius in flammam. ſcilicet hoſtem deuorantem, per eius uidelicet ignis flammā de quo illud: Deus ignis conſumens. Suprà Aſſyrius uepribus, quas uorax ignis facile conſumat: hic uerò paleæ & ſtipulæ comparatur. Sic enim legimus: Atque comburet uepres. Itaq; ut hoſtes ſtipulæ & ſpinis comparantur, ita ſancti Iſraelitæ auro igni perficiendo, nō cōburendo, cōparantur apud Malachiā. 3.

Et erit ſicut ſomnium.) Altera ſimilitudo.

Et prævaluerunt.) Non prævaluerunt in Hebræo, ſed urgendi premendiq; uerbum legitur. Non enim hoſtis Aſſyrius prævaluit aduerſus Hieroſolymā. Qua re hic liquet ad quæ tempora, Babylonis ne uexantis Hieroſolymam, an ad Aſſyrium, aut ad Romanorum tempora referendum ſit hoc oraculum: & ut reducto uelo hoc ſit explicandum, conſiderato, Antichriſtum non pariter Eccleſiā temporibus Apoſtolorum & ſequentibus ſeculis infeſtaſſe.

Sic erit multitudo.) Infrà legitur: Egreſſus eſt angelus Domini, & percuſsit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinq; millia. Vbi uanitas ſomnij comedētis & bibentis, de quo mox fiet mentio, explicatur.

Obſtupeſcite.) Redit ad Iudæos, quos hortatur, ut cum animis accuratè & cum mora admirabundi perpendant arcanum huius oraculi, quod de futuro Hieroſolymæ ſtatu proponitur. Reprehenduntur falſi uates & improbi ſacerdotes, atq; principes uiri, qui tempore Achaz oracula uerorum prophetarum contemptui habebant, quos ſuprà his uerbis taxauit: Sacerdotes quoq; & prophetæ errant in uiſione, impingunt in iudicio. & de principibus: Audite illuſores.

Quoniam miſcuit Dominus.) Ita ueterni ac ſoporis ſpiritu obrutos fuiſſe dicit, ut rerum cœleſtium nihil intelligerent. In uoce תרדמת grauis ſomnus accipitur, qualis in Adamum miſſus legitur, cum ex eius latere Eua depromeretur: & quali Ionas in mari oppreſſus ſcribitur. Sed diſcrimen hic cernitur. In Adami & Ionæ ſomno diuinarum rerum myſterium cernitur, in Iudæis ſopor uituperatur. Hoc uaticinium Apoſtolus ad ſua tempora accommodat. unde diſcimus, quàm aptè typis qui Ezechiæ tempore firmati ſunt, ex altera parte ueritas quæ Chriſti & Apoſtolorū tempore effulſit, reſpondeat. In quo tempore apertè in Chriſtum & eius Euangelium à Iudæis ad tempus reijciendis, impingebatur. Cæterùm ut Dñs animi oculos excæcet, & corda obduret, alio loco indicatum eſt. *Genes. 2.* *1. Ionæ.*

Claudet oculos.) uelamine eis impoſito, de quo Apoſtolus his uerbis mentionē facit: Sed cęcati ſunt ſenſus illorū. Nam uſq; in diem hodiernū idē uelamē in lectione *2. Corinth. 3.*

ctione ueteris teſtamenti manet, nec tollitur uelamen, quod per Chriſtũ aboletur. ſed ad hunc uſq; diem, quum legitur Moſes, uelamen cordibus illorũ impoſitum eſt. At ubi conuerſi fuerint ad Dominum, tolletur uelamen. In his uerbis Apoſtolus Ieſaiæ oraculum expendit, mentionẽ faciens excæcationis ludæorum, & uelaminis oculis cordis illorum impoſiti, per quod gloriam Meſsiæ intueri nequeant, quam unus illius ſpiritus ſubmoto uelamine patefaciat. Atque duo tempora indicat Apoſtolus in uerbis iam adductis: alterum cæcationis, alterum illuminationis eſt. Sublato uelamento, cæcationis tempus fuit, quo primùm reliquijs ſeruatis fuerunt cæcati, atq; hoc tempus Ezechiæ & Aſſyrij temporibus reſpondet. Alterum illuminationis, quo per gratiam reconciliationis ſint lumine claritatis Euangelij Ieſu Chriſti illuſtrandi. Hoc tempus indicat, ubi ait: At ubi conuerſi fuerint ad Dominum, tolletur uelamen. Hoc uelamen monſtrat propheta in uerbo נסה, quod operuit ac texit, eſt. Quid autem ſit uelamẽ, & quid oculos mentis uelamento tegi, utq; id uelamen deponatur ad contemplandam gloriam iuſticiæ & uitæ in Meſsia, ea de re aliàs mentio facta eſt. In uerbo אמן notatur firma clauſio, quam non auferat neue lex Moſæa, neue naturæ facultas, neue ulla alia quàm ſacræ doctrinę lux, quam in electorum pectora Meſsiæ ſpiritus immittit. De hoc ſpiritu ſic Apoſtolus in loco iam citato loquitur: Nos autem omnes retecta facie gloriã Domini in ſpeculo repræſentantes, ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini ſpiritu. Paraphraſtes Chaldæus oculorum obſtructionem his uerbis explicat: Excitabit in uobis Dominus ſpiritum erroris, & abſcondentur à uobis prophetæ, ſcribæ & doctores, qui docuerunt uos doctrinam, legem abſcõdet. Vbi duo commemorat, quibus obſcurantur oculi mentis, ne gloriã gratiæ Dei uideant. Vnum, ſpiritus erroris eſt, in errore detinens. Is Satanæ ſpiritus eſt, de quo Apoſtolus his uerbis: luxta principatum ſpiritus aeris, qui in rebellibus agit. Alterum eſt, ſpoliare prophetis & doctoribus ueritatis: cuius lux quum abeſt, tenebræ pectora obducunt, & eorum oculos obſtruũt, ut uidere claritatẽ ſalutis in Meſsia fulgentem nequeant.

Et erit uobis uiſio omnium prophetarum.) Vt fuerunt oracula ſanctorum prophetarũ tempore Achaz & Ezechiæ in improbis, & tempore Chriſti atque Apoſtolorum Euangelium in rebellibus.

9. *Libri ſignati.*) cæcatis cordibus. Referenda huc quę ſuprà propheta dixit: Liga teſtimonium, obſigna legem.

Quem cum dederint ſcienti literas.) Vt erant tempore uatis Ieſaiæ, falſi prophetæ & ſacerdotes, quos ſuprà his uerbis reprehendit: Sacerdotes & prophetæ uino errant, labuntur iudicio. Hi ut uaticinio de clade Hieroſolymæ & eius liberatione edito offendebantur, ita Euãgelium docens IESVM CHRISTVM ſeruatorem mundi eſſe, offendiculo eſt ludæis, & ſtulticiæ gentibus: atque ita utriſque liber ſacrorum oraculorum obſignatus, hoc eſt clauſus eſt, & ijs ſolum patefit, qui fidei lumine illuminantur. Quare ut diffidentia ac incredulitas librum prophetarum & Euangelij claudit: ita eum fides quæ illi habetur aperit. de quo loannes in Apocalypſi his uerbis: Ecce uicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, ut aperiat librum, & ſoluat ſeptem ſignacula eius. Sed qua claue aperit librum & ſignacula eius? Subijcit Ioannes: Et uidi, ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnus ſtans tanquam occiſus, habẽs cornua ſeptẽ, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſsi in omnem terram. Hi igitur ſeptem ſpiritus in terram miſsi, librum & eius ſignacula aperiunt. Nam continent hi ſeptem ſpiritus omnem illuſtrationem, qua animi ſanctorum illuſtrati, oracula diuinæ ſapientiæ intelligũt. ut eſt apud Apoſtolum: Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei. Vt autem ſpiritus Meſsiæ ſeptenarium in illuminandis electorum mentibus admittat, ea de re ſuprà capite undecimo mentio facta eſt.

Apocal. 5.

1. Corinth. 2.

Ore

Ore suo.) Ore confitens Deum, & factis negans. Sabbata, sacrificia, circumcisionem, lotionem carnis ostẽtans: & animi cultũ, qui fide & amore cernitur, negligens: hoc est umbram persequens, lucem posthabens, ut sequitur.

Cor autem eius.) spiritu sacro Messię carẽs, in quo uno accedit ad Deũ patrẽ. De quo illud: Quoniã aũt per illum habemus aditũ utrięq; in uno spiritu ad Patrem. Exponitur ratio obsignati libri, mysteriũ salutis continentis. Etenim is aperit ijs, quorum cor cum Deo per spiritum filij coniũctum est: clauditur, quorum pectora ille nõ afflarit. Firmum enim est illud Apostoli: Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Spirituali igitur homini liber mysteria regni cœlorum continens patefit; animali clausus est, & obsignatus.

Et timuerunt me.) Eorum religionem constare præceptis humanis. Si statum in quo Iudæi tempore Achaz fuerunt, & quem postea tempore Christi habuerunt, & Antichristi tempora quæ cõsecuta sunt intuebimur, intelligemus sanè quàm latè hæc reprehensio pateat.

Ideo ecce ego addam ut admirationem faciam.) Se admirabiliter cum isto populo acturũ. Quid porrò in mũdo admirabilius est, q̃ efficere ut sapientia reddat̃ stultitia, & per stultitiã patefiat sapiẽtia Dei mũdo? Vt aũt id cõtingat, sequẽtia indicabũt.

Peribit enim sapientia à sapientibus.) Sed quæ & qualis sapientia peribit? Mundi sapientia peribit, quæ est ueteris hominis nondum sacro spiritu innouati sapientia. Hæc suam stulticiam in eo prodit, quod religionem qua colatur Deus instituit, quòd sua decreta diuinis anteponit, quòd ex lege & eius factis ueram (quæ Deo satisfaciat) iusticiam audet quærere, quod in elementorum mundi obseruatione pietatẽ collocat. Qualis sapientia à Christo cum in terra uersaret, & ab Apostolis in scribis, pharisæis & sacerdotib. grauiter reprehẽsa est: & qualis sapientia hodie ab eodẽ Christo per spiritũ ipsius in pastoris stulti regno redarguitur. Talem sapientiã de terra, nõ de cœlo ortam, perituram hic prædicitur. Sed qua ratione mundi sapientia, stulticia esse declarabitur? Rationẽ ostendit Apostolus in priore ad Corinth. epist. nostrum uatem citans, & eum explicãs; ubi ait: Nam postq̃ in sapientia Dei nõ cognouit mũdus per sapientiã Deum, uisum est Deo, per stulticiã prędicationis saluos facere credentes. Itaq; per prædicationem Euangelij Christus sapientia Dei, qui stulticiæ in mundo habetur, sapientiam sapientũ huius seculi euertit. Atq; hoc ipsum admirabile illud opus est, quod Dñs se facturum dicit: sapientiam uidelicet per stulticiam perditũ iri, & declarari stulticiam Dei sapientiam ueram esse, & imbecillitate Dei omnia fortissima & robustissima in mundo uinci & superari. Quod opus mirãdum in Christo crucifixo ostenditur, q̃ offendiculo Iudęis est iusticiã legis sectantib. & iusticiam Dei Messiam contemnentib. stulticiæ uerò gentib. est, mundi sapientiam admirantib. Dei spernentibus. De quo idem Apostolus sic loquitur: Stulticia Dei sapiẽtior est q̃ homines, & imbecillitas Dei robustior est q̃ hominẽs. hoc est, CHRISTVS IESVS filius Dei, qui pro stulticia in mundo habetur, sapientior hominib. in mundo uersantibus & eum despicientib. est: & idem crucifixus, qui in mundo infirmus abiectusq; ducitur, potẽtior & fortior est omni in mundo principatu, de quo in cruce pendẽs triũphauit. Hæc admirabilis uis cõtemptę formę crucis in Christo, cernitur & in electis Dei filijs, qui in Christo & per Christũ, cuius mẽbra sunt, infirmi cum sunt, firmissima & robustissima uincunt, in morte mortem, in inferno infernum, in tenebris tenebras, in ipso peccato peccatum superantes, per eum qui peccati & iusticiæ, tenebrarum & lucis, inferni & cœli, mortis & uitæ Dominus est. Sed quid his admirabilius cogitari potest? Beati, qui admirabile hoc opus fide experti sunt.

Abscondetur.) Hac figura loquendi notatur, sapientiã humanã deletũ iri. Nam quæ latent & occultata sunt, quoniã nusquam cõparent, perinde habentur atq; si nõ essent. Adhæc, sapiẽtia & prudentia mũdi dicitur se abscondere ac latẽre,

i. Corinth. 1.

cum amplius, ut pudefacta est à sapientia Dei Messia benedicto, ostẽdere sẽ audet, uicta nimirũ charitate sapiẽtię cœlestis doctrinę. Postremò dicit abscõdi ac perdi, cũ sapientes huius seculi cũ suis cõsilijs miserè in mũdo pereũt. Intueamur interitũ regnorũ mundi, & tẽpora hęc nouissima patefactiõis Antichristi.

Væ qui profundi estis corde.) Hac reprehensione generatim oẽs reprehenduntur, qui sua cõsilia & facta mala Deum latêre arbitrant. Sunt qui clam designant scelera, quæ ut homines, ita etiã Deum latêre existimant. Sunt item qui mala animo cõsilia meditantur, atq; ea exequuntur: quæ cum colorãt honesta quadam specie ad fallendum iudicium humanũ, putant etiam se Deum fallere. Hoc diuinus spiritus his uerbis redarguit: Populum tuum Domine opprimunt, & hæreditatem tuã affligunt, uiduam & peregrinũ occidunt, atq; pupillos interimunt. & dixerunt: Non uidebit Dñs, neq; intelliget Deus Iacob. Intueamur tẽpora Achab, Achaz & Manassę, Christi item & Apostolorũ seculũ, & nostra hęc tẽpora: quãtus occurrat taliũ hominum cõsilia sua altè celantium Dñm numerus, satis manifestũ est. Sunt postremò qui foris se ostendunt probos, legis & factorum iusticiã ostendentes, corde aũt filium Messiam negãt, ore & factis ad Deũ accedentes, corde discedentes. Tales hypocritæ hic nõ leuiter taxant, & à Christo acriter his uerbis reprehendunt: Vę uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, qa similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidẽ apparent speciosa, intus uerò sunt plena ossib. mortuorũ, omniq; fœditate. Qua reprehensione Christus etiã pharisæos hypocritas in tot sectas diuisos, quorũ in regno Antichristi infinitus numerus est, notare uoluit. Qui cõsilia sua profundè celantes, dum peccata sua nõ agnoscunt, & de uana iusticia gloriant, in corde suo dicũt: Nõ uidet, neq; intelligit Dñs. Quæ occultatio quoniã summa cõtumelia est, qua Deũ dehonestanc, legimus hic: Vę qui Dominũ cõsilia sua profundè celant, quorũq; facta sunt in tenebris, qui latêre existimãt sua cõsilia & facta Dominum. Vt sequitur.

Psal. 93.

Matth. 23.

Peruersa est hæc cogitatio uestra.) Similitudine à luto, quod figulus tractat & fingit, sumpta, declarat ueseniã eorum qui Deum cogitationes & facta sua celare student. Simili reprehensione utitur diuinus spiritus in Psal. Intelligite insipientes in populo, & stulti quando sapietis? Scilicet sator aurium non audiet? aut oculorum fictor nõ cernet? Hoc negatæ prouidentiæ diuinæ scelere qui se obstringunt, uerè peruersi dicuntur, qui uerum contra ipsum naturæ testimonium in mendacium cõuertunt, Deum sapientia, qua omnia in cœlo & in terra administrat, & iusticia, qua de sceleratis hominib. cogitatiões & facta eorũ nõ ignorãs pœnas sumat, spoliãtes. Quod planè est, Deũ de mundo tollere, & dicere eũ nõ esse. Nam quid aliud est sapientiã omnia intelligentẽ & prouidè administrantẽ tollere, q; Deũ de mundo tollere & auferre? Quod hoc modo cęcati faciũt, q; audẽt dicere: Nõ est Deus. ut in Psal. legit: Dicit stultus in corde suo, Nõ est Deus.

93.

Psal. 13.

Nonne adhuc in modico.) Reprehensis improbis, probos consolatur: indicans paulopòst fore, ut superbi, quos Libani cedris cõparat, deijciantur: & demissi humilesue attollãtur. Quod est hic, Et Carmelus, hoc est ager in humili loco cõsitus, uertetur in saltũ Libani: cedris in humiles arbores, & humilibus arboribus in cedros cõuersis. Præcesserat paulo suprà: Peribit sapiẽtia sapiẽtũ. Hęc sentẽtia hic figuratè explicat, metaphora à cedris mutuata. Si tẽpora Achaz spectes, & Ezechiæ, ut superborũ fastus deiectus sit p Assyriũ, & humiles deuicto Assyrio de puluere elati sint, ex historia Reg. patet. Sed in his umbra cernitur, in reuelati Messię temporib. ueritas. Nos legimus, qd is apud Euangelistã de superbis & humilib. dicat: Gratias tibi ago pater Dñe cœli & terræ, q; hæc abscondisti à sapientib. & prudẽtib. & patefeciſti ea paruulis. Hoc ipsum est cedros Libani cõuerti in Carmelũ, & hũc in saltũ mõtis Libani cedris clarũ mutari. In cedris pharisæi, scribæ, pontifices, & gloriã iusticiæ & sapiẽtię humanæ ostentãtes, notantur. in Carmelo indocti piscatores, miseri peccatores, ut publicani, meretrices & latrones significãtur, de quib. Dñs: Publicani & meretrices præcedẽt uos in regno

Matth. 10.

regno Dei. Et de latrone in cruce pendente: Hodie mecum eris in paradiſo. hoc eſt, beato ſtatu eris, in quo liceat frui luce cognitionis, fauoris & beneuolentiæ Dei, per ſapientiæ, quæ ipſe Deus eſt, per ſplendoris, qui ipſius diuinitatis ſplendor eſt in CHRISTO IESV, participatum: hoc eſt, per intimam cum ipſo ſummo bono coniunctionem. Is ſtatus, paradiſus cœleſtis eſt, paratus electis & ſcriptis in libro uitæ, per filium Dei uiuentis IESVM CHRISTVM.

Et audient in die illa ſurdi uerba libri.) Pergit conſolari ab audiendi & intelligendi libri, qui clauſus fuerat, uerba conceſſa facultate. Tempora Ezechię nota ſunt, ut in his qui ſurdi fuerant ante interitum Aſſyriorum, cœperint uerba libri oraculorum à uate Ieſaia propoſitorum illis deuictis intelligere: quę ſacerdotes & falſi uates, qui uidebantur ſibi ſapere, & auditu ualere, non intelligebant. Tempore autem cœleſtis Ezechiæ Meſsiæ Domini noſtri, ut pariter corporata & animorum ſurditate & cæcitate laborantes cœperint audire & uidere, indicat Dñs ipſe apud euangeliſtã, ubi ad Ieſaię oraculum ſpectans ſic ait: Et reſpondẽs Ieſus, dixit illis: Ite renũciatũ Ioanni ea quæ auditis & uidetis: Cæci uiſum recipiunt, & claudi ambulant, leproſi mundantur, & ſurdi audiunt. de qua medendi facultate quæ cernitur in Chriſto, etiam Sibylla cecinit: *πᾶσαν νοῦσον θεραπεύων.* Matth. 11.
Atq; hoc ipſum eſt admirabile illud opus, quod uates prędixit Dominum effecturum: fore uidelicet, ut ſapientes ſtulti, & ſtulti ſapientes, audientes ſurdi, & ſurdi audientes, uidentes cæci, & cæci uidentes reddantur. In hoc admirabili opere non pugnat uidere & cæcum eſſe, audire & ſurdeſcere. audire quidem auribus noui hominis, & ſurdeſcere ueteris auribus: his abnegatis per mortificationem, illis confirmatis per regenerationem. Videre item per lumen diuinitatis, (de quo illud: In lumine tuo uidebimus lumen) & cæcum eſſe per luminis naturæ ueteris defectionem, lumine ſupremo inferius lumen obſcurante, ut ſolaris lux lunarem lucem & reliqua ſidera obſcurat.

Et addent mites Domino lætitiam.) Conſolatio à promiſsione lætitiæ, qua ſint, qui oppreſsi fuerunt & afflicti, afficiendi. Nititur hæc promiſsio ordine, quẽ Dominus in crucis myſterio perpetuũ ſeruat, qui promittendo ſalutem, eam nõ prius præſtat q̃ uarijs tentationibus afflictionum fides probata ſit per illarũ patientiam, per quam mortificata uetere natura, noua generatur, promiſſę ſalutis particeps. Atq; hinc fit, ut ſalus nemini affulgeat, priuſquam contraria ſaluti ſeſe oſtenderint, uaria crux, mors, tenebræ, infernum. Hic locum habet myſterium crucis, filijs Dei reuelandum, & alienis occultandum. De quo Dauid canit: Arcanum Dominus, & fœdus timentibus ſe patefacit. Pſal. 25.

Et pauperes homines.) pauperes ſpiritu, de quibus Dominus: Beati pauperes ſpiritu. quales ſunt, quos neq; opes, neq; potentia, neq; ſapientia, neq; iuſticia humana effert, ſed ex ſolo Deo in Meſsia filio pendẽtes, cum Apoſtolo cõfitent: Non me iudicaui quicquã ſcire, niſi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum. In horum pauperũ numero non ſunt, qui cum Aſſyrio arroganter gloriantur, Fortitudine manus meæ feci: neq; qui cum Babylonio dicunt, In cœlũ aſcendã: neq; qui ſuperbè affirmant, Non mouebor. Multo minus pauperes ſpiritu habentur phariſæi illi hypocritæ, his uerbis de ſua iuſticia gloriantes: Gratias tibi agimus, quòd non ſumus ſicut cæteri peccatores. qui Moſæ miniſtri, mortis & irę diuinę diſcipuli malunt eſſe, q̃ ſeruatoris Meſsiæ, dicentes: Nos aũt Moſæ diſcipuli ſumus: Nos ſcimus quòd Moſę loquutus eſt Deus, hunc aũt neſcimus unde ſit. In horũ numero cõtinentur hodie diuites illi iuſticia operũ & ſapiẽtia carnis, de qua gloriantur: pauperes à iuſticia & ſapientia fidei, quã cõtemnunt. Hi non inopes, ſed ſua opinione diuites ſpiritu, audent dicere: Nos pontificis Romani filij ſumus, & diſcipuli: ſcimus illi mãdatas claues regni cœlorũ, eumq; ius tenere in cœlũ, terrã, & infernũ: hunc aũt Chriſtũ, quem uos docetis, & eius Euangelium unde ſit ortũ, ignoramus. Non aliter diuites ſpiritu ſunt, atq; ita Ioan. 9.

infelices quālibet ſe illo pauperes eſſe fingant, qui ſe ditari opibus ſacri ſpiritus profitētur, quas diſpēſet nouus ille & tertius Dauid, qui ſibi imperiū in omnia, & poteſtatē maledicendi & benedicēdi uendicans, meliore genitura genitū ſe gloriatur cꝫ ſit IESVS CHRISTVS, quē dicūt ſecundū Dauidem eſſe, genitū ex muliere, literę doctorē, qui per Apoſtolos mancam doctrinā, quę abolita ſit, in mundū diuulgarit: cum ille tertius Dauid totus è ſpū natus, doctrinam ſpargat nunc̄ antiquandā. Quaſi Ieſum Chriſtum nō confiteantur ſacrę literæ è ſpiritu ſancto nouū & cœleſtē hominem cōceptū, quo is ſine menſura unctus, de ſua plenitudine ſolus omnib. mēbris corporis ſui, quod eccleſia eſt, à principio uſcꝫ in finē mūdi, ſapientiā, iuſticiā & uitam cōmunicet, nullus alius Dauid. Nam ut unius corporis non duo, ſed unū caput poteſt eſſe: ita tantum unus uerè unctus Dei erit, qui ſecundum ſpiritum ſanctū, ex quo conceptus eſt filius Dei, ſecundum carnem uerò filius Dauid è uirgine, nō ex muliere uirili ſemine ſata, natus declaratur. Quali conceptu & genitura nullus alius Dauid conceptus, natus & genitus in ſacris literis legitur, nec creditur. Ex quo conceptu & genitura accidit, ut huius Dauidis Ieſu Chriſti caro corruptionē nullam ſenſerit: & ex mortuis excitata, integra ad ſolium paterni regni elata ſit: cum ficti illius tertij Dauidis caro interitum ſentiat, à uermibus erodenda, & ad ſolium in quo Chriſtus Ieſus rex regum ſedet nunquam extollenda. De quo ſcriptum eſt: Dixit
Pſal. 110. Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponā inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Hoc teſtimonium IESVS CHRISTVS Dominus noſter, cœleſtis Dauid, de ſe citat: non de alio Dauide. Itaqꝫ hunc nobis ſacræ literæ proponunt tanquam unicum ſeruatorem, unum ad patrem patronum & reconciliatorem, unum caput, ex cuius copia & plenitudine ſpiritum æternæ iuſticiæ & uitæ, & nemine alio, omnes electi uſcꝫ in finem mundi accipiāt: & in quo, & per quem, afflicti & inopes oppreſiꝫ peccato, morte & inferni terroribus homines liberent, ad iuſticiā, uitā & cœleſtē ſplendorem translati. Hunc ſeruatorem & arbitrum ſalutis & largitorē ſpiritus ſancti nobis eripere ſtudēt, qui tertium Dauidem, regem omnium & iudicem uiuorum & mortuorū Eccleſię pernicie fingunt. Si unus unigena filius Dei eſt Ieſus Chriſtus, nullus alius erit. Nam ſi alter aliquis eſſet, ille ſatis nō eſſet, & ita plenitudine ſpiritus & copia omnis ſpiritualis perfectionis careret: contrà quam de IESV CHRISTO ſacræ literæ teſtantur, & fides ſanctorū agnoſcit. Si unus iudex uiuorum & mortuorū eſt Ieſus Chriſtus, cui pater oēm poteſtatem in cœlo & in terra dedit: nullus alius Meſsias talis erit, etiā teſtimonio dæmonū, qui confiteri nō dedignantur, Fili Dei ueniſti ne ante tēpus ad nos iudicādos?
Matth. 8. Si Ieſu Chriſto teſtimoniū dat cœleſtis pater, ipſum ſuū eſſe filiū, ſuū dilectum, qui ſit audiendus: neqꝫ aliū indicat, quem agnoſcat Eccleſia doctorē ſuū & lucem: ſi nullū aliud nomen ſub cœlo eſt, in quo oporteat nos ſeruari, cꝫ huius: falſo tertius Dauid fingitur, cuius doctrina ſalutem ſit allatura. Si ſuper huius doctrinā fundatur Eccleſia, Apoſtolorū & Prophetarū doctrina infirmū fundamentū fuerit. Hoc futurū intelligens Ieſus Chriſtus, præmonuit his uerbis: Iam ſi quis uobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, aut illic, nolite credere. Neqꝫ quia Ieſu Chriſti cœleſtis Dauidis doctrina ad tēpus per Antichriſtū occultata eſt, ideo tertius Dauid excogitādus erit, per quē & eius doctrinā cuncta reparent. Nam ſecundus Dauid Ieſus Chriſtus ad inſtauranda omnia per ſpūm reſtituti euāgelij, & per aduentū ſuū glorioſum ſatis erit. Quod etiā ueteres quidam Hebræorum ſapientes uiri ponderātes, dixerunt Meſsiā filiū Dauidis redemptorē ultimū ad tēpus occultatū iri, & deinde reuerſurū: hoc eſt, orbi terrarū reuelādū: תגואל מאחרין בגלה וחיזר שיתבכה

In ſancto Iſraelis.) In Meſsia Ieſu Chriſto, q dicit: Venite oēs ad me qui onerati eſtis, ego reficiā uos. dicit, Venite ad me, nō ad aliū quēuis, quę eius uox durat in finem uſcꝫ mundi. Cur autē Meſsias ſanctus Iſraelis uocet, id aliàs indicatū eſt.

Quo-

Quoniam defecit.) Qui se deletum iri non putabat, potentia sua inflatus. Exponitur caussa consolationis.

Qui prævalebat.) Assur, si filum mysticæ historiæ sequare.

Consummatus illusor.) Suprà: Propter hoc audite uerbũ Domini, uiri illusores.

Qui peccare faciebant homines in uerbis.) non contenti suis peccatis. Notantur pseudoprophetæ & falsi doctores, malas doctrinas spargentes: qualibus Ephraimensis tribus & Iudæi abundarũt, & hodie his regnum stulti pastoris plenum est. Aut accipitur de his, qui cum redarguuntur, uerbis suis condemnant rectè monentes & docentes, ut prophetis tempore impiorũ regum, & CHRISTO ipsi, & eius Apostolis accidit: & etiamnum accidit ijs qui Euangelium ad redarguendum mundum, & ex mundo natum Antichristum de peccato & falsa iusticia atq; sapientia, deq; peruerso iudicio prædicant.

Et arguentem in porta.) In publico iudiciorum loco, in quo iusticiã & ius regnarè oportebat. Ab attributo loci amplificat crimen.

Supplantabant.) quærentes uenantesq; occasionem, qua rectè monentes euertant. Interpretes decidunt יקושין à uerbo קשש, quod est colligere, ut patet ex illo לקרשש קש. Sententia igitur erit: Calumniatores peruersos non secus colligere undiq; probra, quibus perdant uerè rectèq; castigantes, atq; stipulæ ac paleæ colliguntur, quæ unum in fascem colligatæ in ignem conijciantur.

Et declinauerunt frustra à iusto.) Paraphrastes: Subuertunt uane caussam iustorum. deprauatur autem ius iustorum, tum in ciuilibus negotijs, tum in religione, cũ falsa religione defensa, uera tollitur. Si tempora prophetæ respicis, utrinq; peccatum est. Nam si ciuilia negocia spectes, suprà his uerbis reprehensio iustituitur: Pupillis ius non reddunt, uiduarum caussas non admittunt. Sin religionis caussam cõsideras, ut diuina oracula deriserint Israelitæ, falsorũ prophetarũ uaticinia amplexi, cõmunis nostri prophetę & aliorũ querela est. Nõ secus accidit Christi & Apostolorũ temporibus. Nam ut Christus ipse iustorũ caput ini quis iudicijs dãnatus sit cũ doctrina Euãgelij, satis cõstat. Nostra hęc postrema tempora prætereo. Propheta ad uanitatem malarũ artium quibus insontes opprimuntur declarandam utitur uoce תהו, pro qua Paraphrastes שקר reddit.

Propter hoc hæc dicit Dominus.) Pergit suos cõsolari à promissis Abrahamo & Iacobo factis.

Qui redemit Abraham.) Quem, ut ex Vr Chaldæorum redemit, ita nos redimet quibus in Abrahamo benedictio & salus promissa est. De qua promissione in Genesi his uerbis mentio fit: Vt sim tibi Deus, & semini tuo post te. Vt Abrahamus ex improborum consortio & consuetudine abstractus sit, qui sanctè Deum coleret, ex Genesi & Iosua patet. Nam tum, Nino regnante idololatria Chaldæa infamis fuit: in qua etiam maiores Abrahæ deos alienos coluerunt. sic enim in Iosua Scriptum legimus: Trans fluuium habitauerunt maiores uestri ab initio, Thare pater Abrahã & Nachor, coluerũtq; Deos alienos. 17. 24.

Non modò confundetur.) Non iam Assyrio grassante, Iacobum pudore suffusum iri. Nos in historia Regum legimus, ut Assyrius hostis superbè Deũ & Hierosolymam ciuitatem illius irriserit dicens: Num poterit Dominus Hierosolymam de manu mea uindicare? Qua igitur maiore ignominia notari potuisset Iacob, quàm si arrogans hostis uictoriam obtinuisset? In qua nõ solũ opes & regni gloria, sed etiã animorũ salus periclitatura fuisset, submota & promissione, & eius fide, qua uigente, salus conficitur: non uigente, amittitur.

Nec modò uultus eius erubescet.) Metu periculorum imminentium pauor in uultu ostendi solet. Itaq; hic pallendi & albescendi uerbum יחורו usurpatur.

Sed cum uideris filios suos.) Iacobum, cum sanctè se gerentes opusq; admirandũ ante Hierosolymã editũ deleto Assyrio animaduerterit, gaudio affectũ iri, non pudore & metu: ut solent probi liberi parentibus suis lætitiam afferre, improbi

Prouerb.10. triſticiam. ut eſt in Prouerbijs: Filius ſapiens lætificat patrem. Inducit prophe-
ta Iacobum patriarcham uiuentem, & omnes caſus filiorum ſuorum intuentē,
quorum ignominiā & opprobrium in ipſos maiores redundare ſignificat. Me
minit autem Abrahami, cui primo ut patri credentiū, ſit promiſsio facta: dein-
de Iacobi meminit, qui primò Eſaum ſupplantatum primogenituræ iure ſpolia
rit, & Deum impetrata benedictione in poſteros uſq; dimanante uicerit. Vn-
de ei duo nomina memorabilia ſunt data: alterum Iacobi eſt, alterum Iſraelis.
Vtrumq; hic Iſraelitis ſalutare, ob uictoriam illam, ad conſolandū proponitur.

Et errantes ſpiritu.) Iam edito tanto ante Hieroſolymam miraculo per angelum
Domini ſapient, aperto eis ad intelligendum myſterium ſalutis libro, qui antea
clauſus fuerat. De quo libro ſuprà: Audient ſurdi uerba libri, & cæci uidebunt.
Vt errantes ſpiritu, uarijs animi erroribus liberentur, uicto noſtro Aſſyrio ſpi-
ritu oris Meſsiæ, ſatis clarum eſt, electorum maxima conſolatione.

Et muſsitatores.) Qui antè obtrectandi & obloquendi uitio laborarant, iam po
ſito illo diſciplinam diſcent.

IN CAPVT TRICESIMVM.

VAE *filij deſertores.*) Repetitur eadem concio, ſed alijs uerbis enuncia-
ta: in qua partim redarguuntur, qui diffidentes præſidio diuino, ad
Aegyptium præſidium, quod contra hoſtem Aſſyrium ferretur, ani
mum adiecerunt: partim hortatur ſuos, ut uni Domino fidentes, trā-
quilli ſint & pacati, qui ipſos ſit liberaturus hoſte profligato. Atq; hæc concio
durat uſq; ad narrationem, qua infra Aſſyriorum interitus & Hieroſolymæ li-
beratio narratur. Accuſatio ex genere iudiciali inſtituit, perfidiæ locos cōtinēs.

Vt faceretis conſilium.) Quos ut filios, meo conſilio, non ueſtro regi cōueniebat,
quibus in eum uſum ſacerdotium gerens Thumim & Vrim contecraui: & qui-
bus Prophetas, ex quorum reſponſis gubernemini in rebus gerendis, tribuo.
Exprobrat neglectam diſciplinam oracularem. Hæc expoſtulatio monet, Dei
filios diuino, non ſuo ſpiritu, in omnibus rebus gerendis debere duci. Ducun-
tur autem ſuo ſpiritu, qui ueteris hominis prudentia & carnis ſapientia, Deum
& quæ Dei ſunt aſpernante, utuntur. Quæ prudentia ac ſapientia gloriam & o-
pes & uitam præſentem ſpectat, cœleſtem gloriam & opes & æternam uitam
negligit: atq; omnia ex libidine animi metiens, nihil ad amplificationem nomi
nis diuini refert. Hoc ipſum eſt filios rebelles conſilia ſua inſtituere non autore
Deo, abditas & occultas conſultationes inire in conſilium Deo non adhibito.
Quæ abdita conſultatio nomine מסכה, quod tegumentum ſignificat, figuratè
indicatur. Qui ſuprà reprehenduntur, quod conſilia ſua profundè cælant: hic
redarguuntur, qui abdita conſilia, quæ Deum latère putant, ineant. Græci pro
tegumento pactum reddunt, reſpicientes ad fœdus cum Aegypto factum, de
quo mox fiet mentio, Iudæos uoluiſſe ſe tegere præſidio Aegypti, Dei negle-
cto. Hebraica forma loquendi uidetur etiam ſignificari, Iudæos prætextum ua
num ſuis conſilijs prætexuiſſe, qui indicatur in מסכה.

Et non per ſpiritum meum.) ſe per prophetas declarantem. Paraphraſtes: Et non
ſciſcitati ſunt prophetas.

Vt deſcendatis in Aegyptum.) Ex qua aſcenderatis, ex grauiſsima ſeruitute eius libe
rati, ut Deū ueſtrum fide & amore in ſacra terra coleretis, non ab Aegypto o-
pem contempta diuina petieretis. Deſcendendi uerbū myſticū negligendū hic
non fuerit. Si quis hic percunctetur, quo tempore, & quo regnante rege Ae-
gyptia præſidia poſtulata ſint: ſacra narratio non indicat diſerte, neque Achaz
neq; Ezechia regnante miſſos in Aegyptum legatos petitum eius auxiliū con
tra Aſſyrium. Quare ſunt qui uatem de tempore quo Zedechias imperauit, lo
qui uolunt, qui ad Aegyptiorum auxilia animum adiecerit. At ea quæ ſequun
tur,

tur, ad Zedechiæ tempora non quadrant, sed ad prophetæ Iesaiæ secula. Itaq; quamuis signatè narratio non exponat, tempore uel Achaz uel Ezechiç Aegyptiorum auxilia implorata, tamen ex superioribus & ex oratione legatorum regis Assyriorum cognoscere licet, Iudæos animum suum ad Aegypti præsidia conuertisse. Sic enim infrà legatum Assyriorum dicere legimus: Sed qua tandem spe fretus in me rebellasti? An confidis confracto isti arundineo baculo, uidelicet Aegyptijs: cui si quis innitatur, & manum perforet. talis est Aegypti rex Pharao, in omnes qui ei confidunt. Suprà autẽ legimus: Et confundentur ab Aethiopia, & ab Aegypto in qua gloriati sunt. Argumẽto est clades qua Iudæi ab Assyrijs affecti sunt, bonam Iudææ & Beniamensis tribus partem confidisse Aegyptijs. De qua calamitate suprà mentio facta est: Et ibit per Iudam inundans, & transiens usq; ad collum eius ueniet.

Et os meum non interrogastis.) oracula & responsa mea scisscitati nõ estis. Responsa autem & sententiæ aut somnijs, aut per ephodum uestitum sacerdotalem insignem Vrim & Thumim, & duodecim gemmis: aut per prophetas perquirebantur. De his modis scisscitandi responsa diuina, uideris libro primo Regum, capite uicesimooctauo. In usum dandi responsa propitiatorium erat, in penitiori sacrario tẽpli repositũ, ad quod oracula exponebãtur, ut ex illo Exodi patet: Inde responsa reddam. At ut hoc propitiatorium σκιαγραφικὸν fuit, ita Messias cœleste illud & uerum propitiatorium est, ex quo uno, responsa & oracula de uera salute petuntur. De quo pater hoc dat testimonium: Ipsum audite. Hunc qui audiunt temporibus difficilibus & rebus aduersis, non descendunt in Aegyptum huius mundi, ut ab eius opibus & potentia opem quærant, sed ex Aegypto ascendentes perpendunt illud Apostoli: Itaque si resurrexistis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens: superna curate, non terrestria. Atque ibi sedentem, & in omnia regnantem, proponunt nobis sacræ literæ Christum, nos in omnibus rebus aduersis consolari, & salutem dare, idq; liberè, ad nullas externas res & elementa mundi alligatum. 25. *Matth.* 3. *Colos.* 3.

In fortitudine Pharaonis.) Cuius olim potentia, ut uos liberaremini, à me fracta fuit, ut meam unius potentiam celebraretis, & ea sola in omnibus rebus aduersis niteremini.

In umbra Aegypti.) in ope Aegyptiorum, non mea. Cum Iudæis descendunt in Aegyptum, qui præsidijs quæ in cœlo, in quod ascenditur, apud Messiam cœlestem regem reposita sunt, posthabitis, in terra opem ad comparandam salutem quærant. Sed quid his accidit? Sequitur:

Et erit uobis fortitudo Pharaonis.) Pharaonis potentiam probro & ignominiæ futuram, cum senserint illam non solum nihil prodesse, sed etiam obesse & nocere. Vt sunt omnia mundi subsidia uana. Sic sapientibus huius seculi sapientia sua, iustis sua iusticia humana, potentibus sua potentia ignominiæ & opprobrio est tempore rerum aduersarum: ut declaretur, unam sapientiam Dei quæ Christus est, unam iusticiam Dei quæ Christus est, unam potentiam Dei quæ Christus est, cœlestis imperator, non Aegyptius, hoc est mundi huius, salutem nobis conficere. Beati qui hanc Dei opem in filio Messia, in suis omnibus tentationibus, per sui, mundi & eorum quæ in mundo apparent præstantissima atque utilissima, abnegationem, experiuntur & sentiunt.

Vsq; ad Hanes.) Hieronymus arbitratur hanc urbem iuxta Aethiopes fuisse, ex quo hic legimus: Et legati eius usq; ad Hanem peruenerunt. quò facere putat quod suprà scriptum est: Ipsosq; pudebit Aethiopiæ suæ spei.

Omnesq; confusi sunt.) non confundentibus diuinis auxilijs, de quibus Dauid: In te Domine speraui, non confundar in æternum. *Psal.* 31.

Onus iumentorum.) Qui dixerat legatos peruenisse in Aegyptũ, itineris iã periculosi descriptionẽ adhibet, in q̃ terrã feris infestã peragrãtes cũ asinis & camelis,

thesauros ad euocandos in auxilium Aegyptios portantibus, periclitati sint, & in Aegypto nihil effecerint. Vnde rectè admonemur, permolestum iter in Aegyptum & perniciale tentari: sed Messia duce, ex Aegypto huius mundi, in cœlum suauẽ & expeditã uiã muniri, qui dicat: Onus meum leue, & iugum suaue, pro משא Græci reddunt ὄρασις.

Ideo clamaui super hoc, superbia tantum est.) Hebræus habet: Propterea clamo ad istã, robur eorum remansio. hoc est, robur eorum ad bonum statum in quiete fore, si pacati in uno præsidio Dei acquiescant. Victoria igitur sanctorum duabus rebus constat: quiete ab extranea ope, & fiducia ac spe auxilij diuini, ut sequitur: In quiete & fiducia fortitudo uestra erit. 10

Nunc ingressus scribe super buxum.) Mandatur oraculũ inscribendum tabulæ, & imprimendum libro, ut in posteritatem extet testimonium de rebellis populi cõtumacia, propter quam iustè tantis cladib. alijs super alias afficiatur. Quoniam autem ea quæ Iacobæis acciderunt in figura, in usum Ecclesiæ, quæ nouissimis temporibus à Messia erat ædificanda acciderunt, prophetia hæc propter nos, ut tabulæ inscriberetur à uate, placuit Domino. Quæ Ecclesia ut pares Israelitis casus experiretur, propter defectionem ab Euãgelio, superiora secula & nostra satis declarant. Itaq; si unquam expostulatio hæc cum Iudæis facta, locum habuit in Ecclesia, hodie habet: Quoniam populus iste rebellis est, & filij mendaces, & filij recusantes audire Domini legem: qui dicunt uidentibus, Nolite uidere, & nolite nobis dicere recta: sed loquimini nobis blanda. Cæterùm pro לוח, hoc est tabula, interpreti nostro, LXX secuto, buxus placet: quòd ueteribus buxeæ tabulæ in usum essent, in quibus literarum elementa formarent. Firma enim materia, & aduersus cariẽ tuta & fidelis est buxus. Vt iubetur Iesaias hoc oraculum cum alijs prophetijs libro imprimere: ita Ieremias testatur, peccatum Iuda stilo ferreo & in ungue adamantino scriptum esse. Voculam אתם alij referunt ad oracula: oraculum hoc cum alijs, literis mandatum. Alij ad personas hoc uaticinium apud Iudæos, & in præsentia eorum referendum in literas ac tabulas. Sic Paraphrastes בינתחון.

Populus enim ad iracundiam prouocans.) Redarguit à rebellione, qui uiolata fœderis fide rebellionem meditetur.

Et *filij mendaces.*) A' degenere natura, qui à Dei parentis sui ingenio degenerẽt, non facientes quæ γνησίους, hoc est legitimos liberos facere deceat. Huiusmodi in loco significat בשא, Kinder die fälen/vnd auß der art schlahen.

Filij nolentes audire legem.) Explicatur, in quo sita sit rebellio & degeneratio, à natiua filiorum Dei indole.

Qui dicunt uidentibus.) Ab odio in uates rectè docẽtes & admonentes reprehensio. Et legem & doctores legis despectui & odio haberi, & assentatores amari, quibus tum in ciuili tum in ecclesiastica gubernatione nihil pestilentius est. Vt olim interrogatus quidam, quæ bestia nocentissimum haberet morsum: rectè respõdisse iudicatur, Si de fera interrogas, obtrectator: sin de cicurib. adulator.

Loquimini nobis placentia.) Vt facere soliti sunt pseudoprophetæ, auribus principum & populi adulantes, dicendo Pax pax, cùm immineret calamitas à ueris prophetis in sceleratos denunciata. Hac mimesi propheta noster declarat, ut comparati sint, qui dura uerorum prophetarũ oracula respuunt. indicat enim hos contemptores illa aut pro oraculis diuinis non habere: aut si habent, ad se tamen ea non pertinere, qui Dei populus habeantur, quibus felicia promissa sint, non infelicia, ut quorum sit regnum, sacerdotium: quorum sit templum & eius cultus. Proinde tales prophetas pro Domini prophetis ad se missis non habendos: ut Israelitæ Mosem in solitudine Arabum pro legato Dei cœperũt non habere, cùm secus res eis caderent quàm uellent. Quòd si etiam ueros uates ad se missos esse, & uera docere non negant: tamen aspernantur eos, & doctrinam

ctrinam quam afferunt, quòd hãc & eius doctores ſuis cupiditatib. repugnare uidẽt. Horum hodie magnus numerus eſt, ut ſemper fuit. Vt cum, exempli gratia, auari homines malunt diuitias cum aliorũ fraude coaceruare, q̃ ex præſcripto legis diuinæ omnia ſua cõſilia & ſtudia ad amorem Dei & proximi cõponere: hi repudiato uerbo Dei, quod pecuniæ cupiditatẽ alteri pernicioſam dãnat, dicunt uidenti, hoc eſt uati diuino aut pœnitẽtiæ doctori, Noli uidere: hoc eſt, noli prophetare ac dicere quæ recta ſunt, ſed loquere nobis ſuauia: Videte errores, auferte à nobis ſanctũ Iſraelitarũ. Similiter ambitioſi, qui gloriæ & potentiæ ſtudio ducuntur, & libidinoſi ac intemperãtes, ſimiliter odijs & inuidia flagrantes homines cõpoſiti ſunt, in hanc reprehenſionem quam propheta μιμητικῶς inſtituit, incurrentes. & quo quiq̃ potentiores ſunt, eo minus ferunt uerè & rectè admonentes. quod etiam Græcus uates de ſuo rege in uatem irato teſtatur: μαίνεται κακῶς, ὁ πάππα μοι τὸ κρήγυον οὐκ ἐρεῖς, Homer. Iliad. 2.
αἰεί τοι τὰ κακ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι,
ἐσθλὸν δ' οὔτέ τι πω εἶπας ἔπος, οὔτ' ἐτέλεσας.

Videte nobis errores.) Hæc exprobrat uates: non quòd apertè dicant errores, hoc eſt falſas doctrinas ſe expetere, & Moſę doctrinam non eſſe ueram doctrinam, Euangelium item Chriſti eſſe mendacium, & ſanctum Iſraelitarum è medio tollendum: ſed quòd teſtentur ſceleroſa uita ſua, errores ſe malle ſequi quàm rectã & ueram doctrinam, ſe mũdum & mammonam magis amare quàm Deum: & ſe doctoribus conſentanea ſuis cupiditatibus docentibus delectari, non aduerſa admonentibus. ueluti ab Achabo legimus his uerbis prophetam diuinum reprobatum: Eſt adhuc unus, inquit, quem liceat de Domini reſponſis percunctari: ſed quem ego propterea odi, quòd mihi nihil bonum, ſed malum uaticinatur. Sic ueri omnes uates male audiunt apud improbos, falſi bene. Sic Apoſtoli male excepti ſunt in mundo, à mundo. Sic Meſsias ipſe ſanctus Iſraelitarum toleratus in mundo non fuit, nec etiamnum toleratur, ſed in eum ab eius aduerſario & pſeudoprophetis hoc iactatur: Auferte à noſtro conſpectu ſanctum Iſraelitarũ. Aduerſus quem ut conſpiret mundus, propheta Dauid teſtatur: Conſpirant reges terræ, & principes ineunt cõſilium aduerſus Dominum & Meſsiam eius: dirumpamus uincula eorum, &c. 3. Reg. 22. Pſal. 2.

Pro eo quòd reprobaſtis uerbum hoc.) hanc ſcilicet concionem, qua ueſtra rebellio aduerſus Deum, quæſitis contra fœderis diuini legem alienis præſidijs reprehenditur.

Et innixi eſtis ſuper eo.) non Deo ueſtro uno nixi, contra legem: Ama Dominum Deum tuum ſupra omnia, Dominus Deus tuus unus eſt. Sunt qui nec Ezechiam omni diffidentiæ labe liberant. legi enim de eo, libro quarto Regum, capite XIII. Tunc miſit rex nũcium ad regem Aſſyriorum in Lachis dicens: Peccaui, recede à me: & omne quod impoſueris mihi, feram. dedit q̃ Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in theſauris regijs. Si peccauit, cur ergo tantopere laudatur à fide & ſpe, qua nixus ſit Deo? Si non peccauit, cur ergo puſillaminis faſſus eſt ſe peccaſſe, & fretus diuitijs libertatem redimere conatus eſt, quam fide obtinere poterat: ut poſtea fide obtinuit, cum fidem fefelliſſet tyrannus Aſſyrius.

Sicut interruptio cadens.) Explicata improbitate, iam pœna qua ſit punienda illa, per aliquot ſimilitudines explicatur. quarum una à muro corruente ſumitur, eos non ſecus caſuros, atque murus ruinoſus protumente eius parte cadit. Altera ſimilitudo à fictili urceo, quem iratus figulus ita frangit, ut ne teſta quidem in eius fragmentis inueniatur, ad capiendum ignem de foco, aut ad hauriendam aquam ex lacuna. Eadem ſimilitudo à Dauide uſurpatur: Tanquam uas figuli confringã eos. In hac duplici ſimilitudine oſtẽditur, quales ſint ij qui aliunde quàm à Dei præſidijs in rebus aduerſis pendẽt: & qualia ſint Pſal. 2.

aliena

aliena præsidia. Vtroſq;, & fidentes, & eos quibus confiditur, murum ruinoſum & caducum, urceumq; fictilem esse, quē figulus pro nutu & arbitrio facile frangat. & rursus, eos qui fidei spiritu muniti, uni Deo in filio & per filium Messiam cōfidunt, firmas petras & lapides esse, quos nulla aduersaria uis frangat, ut qui
Psal. 17. non Aegyptia fortitudine fulciantur, sed ea de qua Dauid: Diligo te Domine fortitudo mea, Dominus petra mea & arx mea est.

Si reuertamini.) ad me, per pœnitentiam scelerum.

Et *quieſcatis.*) in me, per fidem, sabbathum ab humanis consilijs per abnegationem uestri sanctificantes.

Salui eritis.) Promissio hæc locum commodi & salutis continens, quàm salutaris sit pœnitentia & sanctificatio interioris sabbathi, quod in fide & spe celebratur, ostendit. Ideo sequitur:

In silentio.) abnegatis alienis subsidijs.

Et *spe.*) in unum Deum, non Aegyptum fiducia.

Erit fortitudo uestra.) quæ Deus ipse in Messia est, qui una fide & spe nobis cōiungitur. Est enim fiducia, qua Deo confiditur, diuinū illud uinculum, quo cum Deo unimur, unum cum ipso facti, per principatum fortitudinis, sapientiæ, iusticiæ, & uitæ eius: quæ summa electorum dignitas est, & consolatio.

Sed noluiſtis.) per perfidiam & rebellionem, quæ silentium, hoc est ueram tranquillitatem animi excutit.

Sed ad equos.) non ad Deum, contempta diuini fœderis lege.

Confugiemus) Non perpendentes illud: Fallax equus ad salutem. nō autem, fallax Deus ad salutem.

Ideo fugietis.) eos qui uos fugerant, ut antea prædixerat Moses: Fugietis nemi-
Leuit. 26. ne persequente.

Mille homines.) deserti à Deo. Contra hoc subnixi per fidem habent, de quibus in eodem Leuitico: Persequētur quinq; de uestris centum alienos, & centū de uobis decem millia. Millenarius cubus denarij perfectum numerum indicat: de quo, & quinario, centro denarij, aliàs.

Donec relinquamini.) Similitudo paucas reliquias residuas māsuras, uastatis omnibus per Assyriū, indicat. Hic à nauis malo in mōtis uertice, & à pertica in colle relicta, sumitur similitudo: suprà à casa in uinea, & tugurio in horto cucumerario relicto, & à baccis quę stricta olea in summa arbore remanēt, ducitur. Mystica reliquiarū ratio sæpe indicata est. Scita autem similitudine hic utitur, qua sanctorum reliquias, quæ ex calamitatibus euaserint, arbori ex sylua restanti, & in uertice eius conspicuæ, cōparat. Quæ non secus patientia, fide & Dei ostentis conspicuæ sint futuræ, atq; malus in naue, & arbor in summo mōtis uertice conspicua est. Quæ malus ut fixa in naue manet, quamlibet uentis agitetur: ita sancti in huius mundi pelago uarijs calamitatū procellis agitati, in naui Ecclesia cum Noa tuti seruantur, per eum qui maris & uentorum imperium habet, qui Messias est rex cœlestis Sionis. Huc pertinet, quod de naui in mari periclitante, & dormiente in ea Christo, apud euangelistam Marcum legitur.

℣ 4.

Propterea expectat Dominus.) explorando probandoq; per afflictiones fidē uestrā, & spem, ex probata cōfirmataq; per ignē crucis fide natam, de qua præcesserit: In tranquillitate & fiducia robur uestrū positū est. Atque hoc ipsum est expectare Dñm, ἀνθρωποπαθῶς propheta de eo loquente. In Hebræo יחכה est, quod uerte re licet, facit expectare, uidelicet uos: hoc est, in uno ipso spem ponere, dum calamitatibus infestati, cernitis humanis præsidijs uos falli: & unam superesse diuinā opem, qua cōseruemini. Vbi tria indicantur: Vnū est, afflictiones probantes electos à Deo immitti, & eas de manu eius ut patris accipiēdas esse. Alterū,
Rom. 5. afflictionū usus est: eas à diuina bonitate destinari, ut diuini spiritus ui patiēter toleratæ, fidem confirment, & ex hac spem non pudefacientē pariant de conse-

quenda

quẽda ſalute. Tertiũ, fidei & ſpei ſpũm Dei donũ eſſe, nõ naturę opus. Dũm per antecedentẽ ſuã grãtiã efficere, ut promiſsis ſuis fidẽ habeamus, & ſpe promiſſam ſalutẽ prę ſumamus, ad amplificãdũ nomẽ miſericordię diuinę, ut ſequitur.

Vt miſereatur ueſtri.) non ſpectans quibus ſupplicijs nos digni ſimus, ſed quid ſua miſericordia & bonitate dignũ ſit. Quare finis afflictionũ eſt declaratio clementiæ Dei, erga peccatorem uarijs calamitatibus uexatum. Vbi Deus patris affectum oſtendit, qui in caſtigandis ſuis liberis non perſonas, quas amat, ſed eorum peccata quæ odit, delere ſtudet: perſonis ſeruatis per miſericordiam, quas amore ut ſeruet, nõ odio ut perdat, caſtigat. Hinc illud: Beati quos Deus caſtigat. Itaq; peccata bifariam conſiderantur. Vno modo in ſua natura: quàm horribiliter turpia ſint, & fœda, & à Dei amicitia nos ſeparantia: hoc modo accuſante lege, ſeuũ damnãdi perdendiq; ius habent, in quo iure Deus non ut pater amãter caſtigãs, ſed ut iudex ſeuerẽ condemnans ſentitur. Altero modo cõſiderantur peccata in eo, qui ea in ſe trãslata luit et expiat, qui eſt Meſsias benedictus. Sic põderata peccata in ſtatu pœnitẽtiæ, tẽpore afflictionum excitatæ, uiã ad eum aperiunt, de quo hic ꝓpheta: Propterea expectare facit uos Dominus, ut miſereatur ueſtri: patris uidelicet perſona ſuſcepta, iudicis depoſita.

Et exaltabitur.) deiecto depreſſoq; Aſſyrio: qui uos, quos perdat, non ueſtra uitia odit: qui religionem à me uobis traditam delere, non ueſtra peccata, ut ſeruemini, caſtigare ſtudet, ueſtrũ exitium quærens: & qui me ſuperbè cõtempto, ſuã gloriã amplificare molit. Quod cũ elaborat Aſſyrius, meus & ueſter hoſtis, facere: tẽpus eſt, ut eius faſtu depreſſo, meũ honorẽ cum ueſtra ſalute cõiunctũ aſſerã. Atq; hoc ipſum eſt, quod hic legimus: Ideo exaltabit Dñs parcẽs uobis.

Quia Deus iudicij eſt Dominus.) Ratio ab æquitate, cur ſuperbos tyrannos deijciat, & deiectos Iſraelitas ſuo præſidio nixos per fidẽ, extollat atq; ſeruet. Submoto typo Aſſyrij, tempora Meſsiæ & ſpiritualis Aſſyrij occurrunt, in quib. ſacri Euãgelij armis impij deprimuntur, & pij exaltantur. Qua de re ſæpe iam mentio facta eſt. Extollitur autem Dominus hoſtibus proſtratis, & electis liberatis. In alteris iuſticia, in alteris miſericordia declaratur. Quæ in ſacra Hebræorum lingua in רחם notatur, quod non eſt leuiter miſereri, ſed parentis more commotis uiſceribus intimam miſericordiam oſtendere.

Beati omnes qui expectant eum.) Acclamatione ſpei uſum explicat. In hac beatitatẽ conſiſtere, quam certò ſperantes in Deo, conſequantur. Nititur enim ſpes promiſsione eius, qui ut ſumma ueritas, mẽtiri & fidem fallere neue uelit, neue poſſit. Vnde intelligitur quanta fidei & ſpei uis in ſanctis ſit: & q̃ certa eos, quam nulla cõtraria uis labefactet, ſalus maneat. Eſt porrò ſpes huiuſmodi diuini ſpiritus uis, quæ cum fide, ex qua naſcitur, Deum intimè credentib. & ſperantib. in filio Meſsia, cum diuitijs gratię eius iungat. fides enim ſacrum diuini ſpiritus lumen eſt, quo Dei promiſſa pateſiunt, & quo pectora noſtra inducuntur, ut promittenti Deo cõtra ſenſum & iudiciũ carnis atq; mundi credatur. Spes aũt eſt eiuſdẽ ſacri ſpũs uis, qua ꝓmiſſa ſalus fidei lumine patefacta, certò expectatur. Legitur hic in epiphonemate: Beati oẽs qui ſperãt in eo. per cõtentionẽ id opponit ſuperiori illi reprehẽſioni: Quoniã calũnię & prauitati cõfiditis. Heu filij rebelles, qui pergunt in Aegyptũ deſcẽdere, ſperãtes in umbra Aegypti. Si felices ſunt cõfidentes Domino, ut quem qui poſsideãt, ſibi ſatis ſint, omni bonorum copia affluentes, q̃d eſt eſſe beatum: contrà infelices erũt, qui Deo ſummo bono carentes, creaturis, in quib. omnib. natiua uanitas dimanationis è nihilo ineſt, fidunt. firmum enim eſt illud: Maledictus qui ponit carnem brachiũ ſuũ.

Habitabit in Hieruſalem.) non Aſſyrius: & reducto uelo, non Antichriſtus, per ſuperbum Aſſyrium adumbratus, in Eccleſia electorum regis ritu habitabit.

Plorans nequaquam plorabis.) Vt plorarunt, qui in Aegyptijs ſpẽ ſuã ponentes, ab Aſſyrijs miſerè uaſtati ſunt. Quod ſi etiam in luctu fuiſti, Aſſyrio te obſidẽte, luctus tũ tuus per ſpẽ in gaudiũ cõuertetur, & gaudiũ hoſtis tui uindice Deo tuo in lu-

Matth. 5. in luctum. firmum enim est illud: Beati qui lugent. & suprà, Beati omnes qui expectant eum: in rebus uidelicet aduersis, eius unius opem implorantes.

Miserans misereburtur tui.) non merita tua respiciens, sed suam natiuam clementiã, & promissionis fidem.

Ad uocem clamoris tui.) precationis tuæ, per nubes ad thronum usq; clementiæ
19. meæ penetrantis. Si historiã spectes mysticã, legimus lib. 4. Regũ, ut Ezechiæ precationẽ aduersus Assyriũ factã Deus exaudierit. Vt temporib. cœlestis Ezechiæ, Messię Dñi nostri, preces aduersus aduersariũ exaudiant, superiora & nostra secula cõprobant, & sequentia cõprobabunt, in hunc ꝓmisso spũ precũ, de quo apud Zachariã uideris. Cæterùm ענה respondendi uerbũ pro exaudiẽdi usurpatur: q̃, qui non dignantur alteri respõdere, odiũ præferũt, aut cõtemptũ.

Et dabit uobis panem angustiæ.) obsidente Hierosolymam Assyrio, & omnia circa eam uastante: at soluta obsidione, rerum penuria nõ laborabitis. Sic enim in hi
4. Regum 19. storia Regum scriptũ est: Viuite hoc anno segete restibili, altero item anno eo quod sponte sua proueniet: tertio aũt anno sementem facitote, & uineas conseritote, earũq; fructu uescimini. Assyrius Hierosolymã pane & aquis mysticis, quantũ in ipso fuit, priuare studuit: Assyrius spiritualis Hierosolymã alterã, hoc est Ecclesiam electorum pane illo spoliare studet, de quo panis ipse: Ego sum
Ioan. 6. panis uitæ. item aquis, de quibus idem ille ad Samaritanam: Quisquis biberit
Ioan. 4. ex aquis quas ego dabo, &c. Sed quid, cum id tentat facere, efficit? Sequitur.

Non faciet auolare à te doctorem.) Si tempora Ezechiæ spectes, ut is per sacram doctrinam, prophetante Iesaia, in melius, quæ per Achazum & eius improbos sacerdotes & falsos uates deprauata fuerunt, restituerit, ex Paralipomenis patet. Sin tempora Messiæ per Ezechiã præfigurati cõsideres, qualis is doctor sit, nõ
Ioan. 6. auolaturus à sua Hierosolyma, declarat Petrus his uerbis: Verba uitæ æternæ
Ioel. 2. habes. De quo etiam Ioel: Quia dedit uobis doctorem iusticiæ, qui est Messias benedictus. Paraphrastes: Non auferetur diuinitas eius à domo sanctuarij, & uidebunt oculi diuinitatem eius. Hæc diuinitas Messiæ doctoris diuinitas est. Nam is doctor præsens corpore annis tribus & dimidio, in Iudæa Euangelium ouibus perditis in Israel prædicauit. triginta enim annos natus, à Ioãne baptizatus est, & inde doctoris munere fungens Euangeliũ tres annos & dimidiũ ferè cum docuisset, mortẽ obijt. ab obitu aũt cõfirmato nouo fœdere, & deleto peccato ipso, iam in cœlũ translatus, spũ præsens, doctorẽ electis suis in finem usq; mũdi præstat, eos per sacrũ Euãgelij spiritũ ad uitam æternam erudiens. Sunt quib. pro מטרה pluuia placet, inter quam & doctrinã magna similitudo cernit. Nam quod ad agros fœcundãdos cœlestis pluuia præstat, id pluuia uerbi Dei, ꝙd sacri Euãgelij doctrina est, in uberandis animis electorũ præstat atq; efficit.
23. De qua pluuia Moses in Deuter. Destillabit in modum pluuiæ doctrina mea.

Et aures tuæ.) patefactæ per diuinum spiritum. Præcesserat de doctore: iam de uerbo quod doctor docturus sit, & de auribus cœlestem doctrinam, sacro spiritu eas percellente, percepturis, mentio subiungitur. Hoc uerbum, si doctorem Messiam spectes, Euangelij uerbũ est. Sed quid docet hæc doctrina? Sequitur:

Hæc est uia.) Sed quæ & qualis hæc uia est, in qua qui ambulant, neq; ad dextrã neq; ad sinistrã deflectũt? Via hæc se explicat, ubi dicit: Ego sum uia, ueritas, & uita. de qua in Psal. Mitte lucẽ tuã, & ueritatẽ: quæ Messias est. A' qua uia Messia benedicto, & eius Euãgelio, declinãt ad dextrã quidẽ, qui illi pietatis specie de suo addũt: ut sũt doctrinę de ieiunijs, de delectu ciborũ & uestiũ, de uita monastica, &c. Ad sinistrã uerò deflectit, cũ aperte ea quæ Euãgelio aduersa sunt, docent: ut est doctrina de iustitia factorũ, de fidei iustitia doctrinã euertẽs: doctrina de meritis diuorũ, merita sanguinis Iesu Christi irrita & cassa reddẽs: doctrina præterea de libero arbitrio, seruo peccati, gratiã Dei in filij Messiæ sacro sancto sanguine mũdo patefactã labefactãs: doctrina de auctis sacramẽtis ultra

nume-

numerum à Christo institutum, & de usu eorum quem afferant in conficienda salute ex opere quod uocant operato: de missis præterea, quibus uiuorum & mortuorum peccata deleantur: de purgatorio item impuro doctrina impura, qua docetur in illo locum patêre satisfaciendi pro delictis in hoc seculo commissis. Ad quod purgatorium confirmandum, excogitatum est uanum indulgentiarum commentum, literis plumbo à plumbeis hominibus obsignatis corroboratum, cui fidem habentes Satanis ludibrio fascinati homines, peccatorum remissionem pecunia redimerent, quam gratis poterāt sua cum salute precio sanguinis IESV CHRISTI redimere. Omitto manifestam idololatriam, qua omnia opplerunt, à recta uia IESV CHRISTI declinantes ad sinistram & dextram, & alios quoq; ab illa abducentes, cæci cæcorum duces. Sed quid faciunt, qui in uia Messia gradiuntur? sequitur:

Et contaminabis.) Historię simplici filo cōsiderato, occurrit illud in Paralipomenis: Extulerat omnem immundiciem, quam repererūt in uestibulo domus Domini, ut erant idola & sculptilia quæ fecerat Achaz. Vt autem noster Ezechias Messias suum templum electorum Ecclesiam ab humanę iusticiæ & sapientię, ambitionis, auaritiæ, & cæterorum uitiorum idolis repurget, Apostolorum tēpora declararūt, & hæc nouissima secula declarabūt. Hebræus pro laminis habet עצבי, indicatis idolis ligneis uel lapideis, sed auro & argento uestitis: in quibus significatur omnis Dei cultus ex uerbo eius nō institutus, omnisq; humana doctrina religionis ergò excogitata. Quæ quoniam colore quodā pietatis atq; simulatæ probitatis fuco coloratur, meritò idolum argento uel auro obductum appellatur. Intueamur regnum stulti pastoris, quod præter externa simulachra, humanarum doctrinarum præstigijs, iusticiæ & sapientiæ carnis fuco oblitis, plenum est. Hæc idola fœdantur, cùm palàm fœda esse per Euangelij doctrinam declarantur. Quo nomine mirum est, esse qui inter ἀδιαφορα ea simulachra in templis numerant, his à diuino Spiritu tantopere reprobatis tū in uetere, tum in nouo fœdere. De uetere constat. In nouo scriptum est, Cauete ab idolis. Quare sequitur: *1. Corinth. 10.*

Sicut immunditiem menstruatæ.) Memorabilis cōparatio. Vt porrò mēstrualis mulier, propter menstrui impuritatem uenenosam à mariti consuetudine separatur: ita idola à templo ipsi Deo, in quo habitet, sacrato separari debere. Submoto mystici templi uelo, occurrit templum de quo Apostolus: Vos templum Dei estis, in quo non liceat prętęr Deum quicquam aliud uersari, quod fide colatur & adoretur. Quòd si quid aliud colatur, id non aliter immundum haberi, atq; menstrualis habetur. In Paralipomenis legimus scriptum, omnia idola in Salomonio templo in atrium elata, atq; inde in torrentem Cedron exportata. Quòd propheta noster idola menstruatæ comparat, idem facit Ezechias, ubi ait, הוציא את הנדה *2. Corinth. 6.* *Lib. 2. cap. 29.*

Egredere.) ex templo, in quo diuinitatem cum respōsis & oraculis uersari conueniat, nō turpia idola. Per prosopopœiam idolis affingit gressum, & obedientiæ facultatem.

Et dabitur pluuia.) formula benedictionis à Mose in Leuitico & Deuteronomio descripta proponitur. Infra tritici sterilitas, qua Hierosolyma Assyrio omnia in Iudæa deuastante laborauit, memoratur: quam hic fertilitate compensatum iri prædicit. *Leuitic. 26.*

In die interfectionis.) exercitus Assyriorū per angelum Domini interfecti præfiguratur hic triumphus, quem noster Ezechias Messias de suo aduersario, qui Satan est, & eius filius Antichristus, reportat. de quo triumpho his uerbis Apostolus: Sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum huius seculi, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Quæ nobis hîc figuratè per turres significantur à propheta. Sic enim ait: *Ephes. 6.*

Cùm ceciderint turres.) De his turribus, si mysticam historiam spectes, his uerbis
2.Paralip.32. in Paralipomenis scriptum est: Et misit Dominus angelum suum, qui omnem fortem militem, duces & principes in castris regis Assur interfecit.

Et erit lux lunæ.) Figurate res prosperæ significantur nomine lucis, tenebris afflictionum sublatis, quas Hierosolymis obtuderat Assur. Et profligato spiritu Assyrio patefactionis Messiæ temporibus, prædicitur hic eam lucis claritatem
2.Corinth.4. Hierosolymæ cœlesti affulsuram, de qua Apostolus: Quoniam Deus est qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris, ad illuminationem agnitionis gloriæ in facie IESV CHRISTI. Qua luce splendente, lunæ Ecclesię & membrorum eius, ut solis lux erit. Sic enim Dominus lux mũ 10
Matth.13. di de sanctis loquitur apud Euangelistam: Fulgebunt iusti quasi sol. Sed quis
Malach.4. est ille Sol, cuius fulgorem hæc Luna accipiet? Sol sanè est, cuius apud Malachiam fit mentio: Timentibus Dominum orietur sol iusticiæ. qui Dominus noster IESVS CHRISTVS est. Is sol efficit, ut suæ diuinitatis splendore luna Ecclesia splendeat. Et quoniam Christus septem oculos claritate illustres,
Zach.4. quibus omnia in cœlo & in terra (ut est apud Zachariam) perlustrat, habet: le gitur hic apud nostrum prophetam, Solem Messiam septuplicem, ut septem dierum, lucem habere. De quo septenario uideris suprà capite undecimo.

In die qua alligauerit.) Submota umbra eorum quæ temporibus Ezechiæ acciderunt, occurrit medicus Messias, quem infrà capite LXI. propheta noster descri 20
bit. Is quę uulnera & fracturam electorum suorum sanet, peccati & mortis deletio, restituta iusticia & uita documento est. De his uulneribus & contritione
30. sic loquitur Ieremias: Sanitatem tibi pariam, & tuum uulnus curabo.

Ecce nomen Domini.) Consolatur Hierosolymam uates, à uindicta quam Dominus sumpturus sit de hoste Assyrio. Quàm latè pateat hæc consolatio, reuelationis Messiæ tempora testantur.

Venit de longinquo.) patefaciens iram & furorem suum, iam pridem in Assyrium conceptum, & per prophetas prædictũ. Sic Paraphrastes: הא שמיא ריי מיהגלי קמיא דאיהנביאי נבייא מלקדמיין. Aut dicitur uenire procul Dominus, quòd 30
eum hostis longè abesse putaret, qui nimirum suos iuuare non posset: ueluti
4.Reg.18. hostem, ut indicatum est, impudenter de Deo Hierosolymæ locutum, ex Regum historia patet. Depingitur à propheta impiorum hostium cogitatio, quam de sanctis, cùm calamitatibus afficiuntur, habent. qui insolenter dicunt: Non mouebimur. de afflictis uerò sanctis: Dominus eos non uidet. Similia
Matth.27. audiuit Messias ipse: Si filius Dei es, descende de cruce. Dicitur Deus procul uenire ipsis quoq; electis filijs, cùm onere crucis grauati cum Messia clamant:
Psal.22. Deus Deus meus cur deseruisti me? Postremò dicitur Deus procul uenire, ultionem de hostibus expetiturus, & salutem daturus suis: quòd de cœlo uenire & descendere dicatur. Sic enim de cœlo descendisse legitur, cùm eorum
Genes.18. factum qui Babyloniam turrim extruere moliebantur, puniturus esset. At 40
quomodo is descensus accipiendus sit, & quale cœlum sit, in quo diuinitus cum angelis uersatur, & ut intelligatur distare à terra procul: an hoc interuallum ex loco, an alia ex re accipiendum sit, ea de re aliàs mentio facta est. Si respiciantur nouissima tempora, quibus Messias uenturus prędicitur, destructor regni Antichristi, is procul uenire dicitur: ut iam antea à condito mundo à patre destinatus, qui aduersariam potestatem destruat, & suum regnum extruat.

Ardens furor eius.) Affingitur Deo species hominis irati, cuius uultus ardeat ira, labia plena sint furore, lingua igni uoraci & halitus inundanti fluuio si-
Apocalyp.1. milis sit. Hęc species tribuitur Messię in Apocalypsi Ioannis, quam sit exhibi- 50
turus illo tempore, quo de Antichristo ultionem sumet. Sic enim Ioannes loquitur: Oculi eius ut ignis flamma, pedes chalcolibano similes tanquam in

fornace

fornace igniti, uox eius quasi aquarum multarum uox.

Et grauis ad portandum.) Diuinam iram, qua hostis opprimendus sit, graui oneri comparat. De onere quo alter Assyrius oppressus perituru sit, Ioannes sic loquitur: Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & ultrà non inuenietur. Apoc. 18.

Quia ignis deuorans.) Similiter suprà capite XXIX. Et flamma ignis deuorantis. De aduersario cœlestis Hierosolymæ per ignem furoris diuini interituro, legitur illud in eadem Apocalypsi: Ideo in una die uenient plagæ eius, mors & 18.
luctus & fames, & igne comburetur.

Spiritus eius.) halitus oris & labiorum eius, de quo suprà: Spiritu oris sui interficiet impium. Itaque qui de labijs præmisisset mentionem, iam flatus & spiritus meminit. Neque enim Assyrius humanis armis uictus est, de quo his uerbis Dominus infrà loquitur: Et cadet Assur gladio non uiri. 28.

Velut torrens inundans.) Assyrius, qui suprà fluminis diluuio comparatur, hic fluminis iræ diuinæ diluuio delendus accipitur. Suprà porrò de Assyrio sic scriptum legimus: Propterea Dominus est eis adducturus. &c.

Ad perdendas gentes.) Hebræus scita translatione utitur. sic enim habet: Ad uentilandas uanitatis uentilatione seu cribro gentes. Præcesserat de flatu mentio: hic de agitatione ac uentilatione, qua immissus uentus infestas Hierosolymis gentes uentilaturus sit, mentionem subiungit: cribro uidelicet uanitatis eas uentilaturus, ut non secus dissipentur atque paleæ à uento inter uentilandum dissipantur. Atque id uanitatis uannus significat. Ad hanc similitudinem, pernicioſam sanctorum hostibus, spectat propheta Dauid, ubi canit: Impij contrà Psal. 1.
similes sunt paleæ quam uentus agitat. Talis palea ante diluuium fuerunt tyranni ex Cain familia nati: talis palea post diluuium fuerunt Nimbrotus, Chã, Chanaan, Pharao, Assyrius & Babylonius. Talis palea erit his nouissimis temporibus Antichristus Babylon, nobile illud orbis terrarum scortum, cum suis amatoribus sæuis tyrannis. quam Babylonem à uento ex ore Messiæ flante uanitatis cribro uentilandam, ex uate nostro reducta umbra agnoscimus.

Et frenum erroris.) quo ferantur per errorem in exitium. De Assyrio infrà: Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labijs tuis. Frenum ponitur in ore equorum, quo in rectam dirigantur uiam. in hostium autem ore ponendum dicit uates, quo per præceps ad interitum agantur. Hoc frenum, decretum & imperium Dei est, quo atroces Hierosolymæ hostes ex arbitrio eius & nutu eò feruntur, quò ferri minimè uolunt. Loquendi ergo hæc phrasis indicat, tyrannos orbis terrarum sui iuris non esse, sed omnes imperio Dei subijci. Ponitur etiam in sanctorum labijs frenum, sed quo coercita libidine ueteris hominis, nouus quò Deus uelit, ducatur, non suo interitu, sed salute. Hoc frenum uerbum ueritatis est, de quo Dauid canit: Ne auferas de ore meo uerbum Psal. 118.
ueritatis.

Et canticum erit uobis.) Apparet alludi ad festum Pesah, sub noctem ab Israelitis celebratum, cum eis exeundum esset ex Aegypto: quæ nox ut funesta fuit Aegyptijs, & læta Israelitis: ita noctem etiam Assyrijs tristem futuram, qua ante Hierosolymam perituri sint. In utraque nocte admirabile Dei auxilium declaratum fuit: in altera primogenitis Aegyptijs per angelum cęsis, in altera ducibus & principibus Assyriorum cum exercitu per angelum profligatis. Quãto maius gaudium pariet Assyrij spiritualis interitus cœlesti Hierosolymæ? De quo gaudio idem Ioannes: Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli & Prophetæ, quoniam iudicauit Deus iudicium uestrum. hoc est, iniurias uestras ultus est, supplicio de eis sumpto.

Et lætitia cordis.) Qui tristes fueratis, & in luctu, & Assur in gaudio: iam con-

uersa uice is tristicia afficietur, uos lęticia. Igitur non una ratio est lætitiæ & luctus piorum & impiorum. Hi lugent, ut consolationem accipiant, in qua seruentur: illi lugent, ut luctu pereant. In alteris, lætitiam luctus letalis excipit: in alteris luctum temporarium lætitia salutaris, & ea æterna comitatur. Exemplo post Cain & Sethi familiam, post Sodomam & Lothum, post Pharaonem & Israelitas, hic Assyrius est. Non alius casus Assyrij aduersarij Christi & Hierosolymæ nostræ futurus erit.

Vt intrent in montem Domini.) in templo Dominum celebraturi.

Ad fortem Israel.) Translatio in צור uoce, quæ petram significat, nota est. Quæ autem firma petra domus Israeliticæ, hoc est, Ecclesiæ electorum hic significetur, ostendit petra ipsa dicēs: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et apostolus Paulus: Petra erat Christus.

Math.16. *1. Corinth. 10.*

Auditam faciet Dominus gloriam uocis eius.) Suprà meminerat linguæ & labiorum, hic uocis meminit. Hæc uox terrifica uox fuit, qua per angelum ante Hierosolymā Assyrius periit. De uoce qua noster Assyrius sit periturus, his uerbis Ioannes præmonuit: Et uidi alterum angelum uolantem per medium cœlum, habentem Euangelium æternum, ut euangelizaret habitantibus super terram. & alius angelus secutus est, dicens: Cecidit Babylon.

Apocal.14.

Et terrorem brachij sui.) Brachium ergo Domini piis salutare est, & impijs letale: quo nimirum oppressi pereunt. De salutari brachio Dauid: Redemisti brachio tuo populum tuum. Suprà meminerat oneris, quod secum ferret iratus Dominus: hic, ut eo opprimendus sit hostis, mentionem facit. Non est terror in Hebræo, sed נחת: qua uoce significatur brachium Domini in hostem demittendum, hoste in terra uersante tacitè uincendo, Deo in cœlo omnium inuicto imperatore. Et graue atque onerosum brachium impios suo onere opprimens significatur.

Psal.77.

Allidet in turbine.) Tempestatis descriptio adhibetur, qua figuratè iræ diuinæ magnitudo indicatur, quam dissipatori fulmini & procelloso imbri comparat. Primò mentionem facit tonitrui, quod Domini uox appellatur. Deinde flammæ ignis, quæ cum tonitruo cōiuncta, fulgur est: & fulminis dissipatoris, præterea nimbi, postremò grandinis. Talis diuinę iræ descriptio proponitur etiam in Psalmo.

23.

Virgis percussus.) Ambiguum est utrò referas יהוה. Ad uerbum, Feriet fuste, uel enim de Domino licet accipere, qui fuste sit uerberaturus Assyrium, quę interpretatio cōsentit cum illo quod capite decimo legitur: Et fuscitabit Dominus exercituum super eum flagellū. Vel referre licet ad Assyrium: is qui furoris diuini uirga fuit, te Hierosolymam inclementer feriens, iam pauefiet & terrebitur à uoce Domini. Sic porrò suprà legitur de Assyrio: Væ Assur uirga furoris mei. Prior interpretatio ad sequentia congruit.

Et erit transitus uirgæ fundatus.) Virgam furoris diuini fixam, quam nemo amoliatur, per castra Assyriorum transituram. Quò spectat tropus in מוסרת.

In tympanis & citharis.) Angelum cœlestem cum gaudio ad liberandam Hierosolymam, & bellum aduersus Assyrios gesturum. Quantum gaudium afferat angelis electorum de manu sui Assyrij liberatio, ostendit Dominus in Euangelio: de quo etiam uideris in Apocalypsi Ioannis. In numerum angelorum, sacri Euangelij ministri, Dei legati referendi sunt.

25.

Et in bellis præcipuis expugnabit eos.) Ad uerbum: Et in prælijs leuationis manuum pugnabit contra eum. Qui cithara ludunt, subinde manuum digitos mouent. quò uidetur uates alludere. Nullis laboribus constituram angelo uictoriam de Assyrio: sed ludum citharæ futurum, prælium cum hoste gerendum. Sed cur cum lęticia prælium initurus aduersus hostem legitur? & cur Hierosolyma deleto Assyrio hoste gratulatorium carmen canet? Num ne propter priuatam in-

iuriam

iuriam, quam uideat ultam? At hanc libenter ignoſcit ciuitas ſacra, pronior ad ignoſcendum, quæ diuinam naturam referat, quàm ad uindicandum. Num lætitia afficitur propter profligatum hoſtem, quòd inuideat ei ſalutem? At ſancta Hieroſolyma urbs inuidia caret, propenſior ad optandum cuique ſalutem, quàm interitum: quæ imitatur rectorem ſuum Deum, qui fatetur alienũ ſuum opus eſſe affligere & perdere, proprium miſereri & ſalutem dare. Cur igitur lætabitur Hieroſolyma uicto hoſte? & cur angelus cum gaudio eum profligabit? Propter aſſertam gloriam Dei, quam ſuperbus hoſtis uiolarat: & ob ſeruatam fidem promiſſæ ſalutis, & ob reſtitutam libertatem, in qua liceat Dei nomen amplificare, gaudium illud exiſtet: reſtituta nimirum religione per Ezechiam, quæ regnante Achazo collapſa fuerat. Vt per ſuauiſsimum ſonum & modos quos Euangelij cithara edit, per angelos, hoc eſt, Meſsiæ legatos & Apoſtolos, magna cum eorum & Hieroſolymæ de cœlo deſcendentis lætitia corruat Antichriſti regnum, hodie pij ſentiunt & experiuntur. Sed quid hoſti illi paratum eſt? Sequitur:

Præparata eſt enim ab heri Thophet.) Si hiſtorię filũ ſequimur, occurrit Thophet locus circa Hieroſolymam in ualle filij Hinom ſitus, in quo exitium paratum fuit Aſſyrijs. Sin uerò ſubducto uelo myſticæ cladis Aſſyriorum, eam cladẽ ſpectes, qua Meſsiæ & Eccleſiæ cœleſtis Hieroſolymæ hoſtis filius ille perditus afficitur, Thophet gehenna, hoc eſt orcus ſeu infernus in hoc oraculo corporata ſpecie uallis profundæ, ardentis igni, quem lignorũ uis nutriat, & Domini flatus quaſi ſulphureo quodam fluuio incẽdat, occurrit. Talis ſtatus cum impiorum futurus ſit, furoris diuini igni per ſcelerum cõſcientiam in eos exarſuro, apta figura ad ſpiritualem orcum depingendum Thophet locus à prophetis deſumptus eſt. Nam in hac ualle liberi Molocho cremari, & re immundæ in eam conijci ſolitæ ſunt. Quò ſpectans Chriſtus, æternum ignis ſupplicium גיא הנום, hoc eſt gehennam, quod ſonat uallem Hinom appellauit. Atque in hanc Hieroſolymis uicinam Sion mons qua parte præruptus eſt, ſpectat. Cur autem in libris Regum, & hic, Thophet hæc uallis uocata ſit, ea de re alias mentio facta eſt.

Præparata eſt,) nõ temerè & caſu, ſed diuina ordinatione gehennã extitiſſe, de qua Dominus apud Euangeliſtam: Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. In his angelis accipiuntur dæmones, & impij homines, ut eſt Antichriſtus filius Satanis, cum mẽbris eius. Nam ut cœleſte regnum electis paratum eſt in Meſsia ab exordio mundi, imò ante iacta fundamenta mundi, ita repudiatis infernus. *Matth. 25.*

Regi.) Aſſyriorum, ſi literam ſpectes: ſubmoto uerò literæ uelo, filio perdito, cum corpore impiorum, Gehennam paratam eſſe.

Profunda.) Vt in excelſo pijs felix ſtatus, ita in profundo infelix impijs deſtinatur. Qui duo diuerſi ſtatus præcipuè ex acceſſu & receſſu ad Deum æſtimandi fuerint. In altero porrò beati Deo fruuntur, eius uitæ, ſapientiæ & gloriæ cœleſtis regni conſortes: in altero ſtatu impij, ſplendore Dei priuati, in profundum tenebrarum barathrum præcipitantur. Qui infimus infernus eſt, de quo illud: Et ardebit uſque in infimum infernum. & Dauid: Liberaſti me ex inferno inferiore. *Deut. 32.* *Pſal. 85.*

Dilatata.) Sub uelo reſpicitur ad latam uiam, ad exitium perducentem: de qua Dominus apud Euangeliſtam loquitur. *Matth. 7.*

Nutrimenta eius ignis.) Orcum ardere igni. Sed quo igni? Propheta explicat ignem, ubi dicit hic: Et impreſsionem brachij ſui oſtendit cum furore uultus, & flamma ignis edacis. Et Moſes in Deuteronomio: Quoniam ignis incenſus in ira mea eſt. Accipitur ergo ignis iræ diuinæ, quo infernus ſcriptis in libro mortis deſtinatus ardet: quem ſentiunt, qui in miſero ſeparationis à Deo ſum-

mo bono, ſtatu uerſantur: eos conſcientiæ ſcelerum igne uri, in quo lex accuſans & condemnans ignea eſt, thronus ad quem fit condemnatio igneus, & Deus iudex ignis conſumens eſt. Aliter igitur is ignis afficit pios, aliter impios: alteros ſuo ſplendore lætificat, & felices reddit, quos nimirum luce uitæ & gloriæ illuminet: alteros ad tenebras & letalem caliginẽ damnat. Vbi admirabile eſt, ignem qui natura lucet & ſplendet, tenebras impijs quos urit offundere, luce uerò & ſplendore pios circundare. Veluti igneus & flammeus ſolis fulgor lutum indurat, id atrum & obſcurum reddens: ceram uerò mollit, aurum'que liquefacit, & ad ſummam claritatem abſterſa ſcoria adducit. Non ſecus agit diuinus ille ignis, quem ſacer Meſsiæ ſpiritus continet, in pijs & impijs: in quorum alteris cœleſtis & noua natura, ferens amabilem Dei ad beatitatem fulgorem, cernitur: in alteris infecta terrenis cupiditatibus natura ſpectatur, in qua fertur igneus Dei ſplendor, non qui uiuificando exhilaret, ſed mortificando per triſtem cruciatum uexet: non aliter atque ſolaris radius in cauum ſpeculum incidens, materiam ad comburendum aptam incendit atque conſumit. Is urens ignis ab exordio mundi maledictis paratus hîc legitur, quem nunquam extinctum iri Propheta noſter infrà dicit: Ignis eorum nunquam extinguetur. Si quis igitur percunctetur, qualis futurus ſit ignis, quo corpora impiorum è terræ puluerib⁹ excitata, crucianda ſint, ſpiritualis ne & inaſpectabilis, an corporatus & aſpectabilis, reſponderi poteſt: Si eorum quoque corpora ſpiritualia, non naturalia & animalia futura ſunt (ut electorum ſpiritualia erunt, de quibus Apoſtolus: Seminatur corpus animale, reſurget ſpirituale: quamuis in alio ſtatu impij ſpirituale corpus, in alio pij ſint habituri) ſi inquam ita res habeat, qualis ignis maledictos tum corpore tum animo uexaturus ſit, facilè intelligẽt docti diuino ſpiritu homines, ſi ex felici piorum ſtatu in quo erunt, infelicem impiorum perpenderint: alteris fruituris ſummo bono Deo: alteris eò priuandis, & contrarijs malis, tenebris, morte, malæ conſcientiæ uermibus infeſtandis, de quibus uermibus infrà: Quoniam uermes eorum non morientur. Qui ſcriptos in libro inferni, ſub iudicio iræ diuinæ in ſcelera eorum accenſæ, arrodentes uermes ſunt, ex natura peccato uitiata corrupta'que nati. Accedet ad infelicitatem maledictorum, quòd totam hanc uniuerſitatem & omnia eius elementa infeſta ſibi ſunt ſenſuri, quæ Dei miſericordiam & bonitatem in electis, & iuſticiam in repudiatis & condemnatis ad infernum celebrabunt.

1. Corinth. 15.

Et ligna multa.) quibus foueatur & nutriatur ignis. In his nutrimentis perpetuum impiorum in Deum & ſanctos eius odium ponitur. Nam ut ignis æternus eſt quò urantur, ita materia ignem fouens æterna eſt. Hæc materia odium, quo impij in Deum & electos eius filios flagrant, indicatur eſſe.

Flatus Domini.) flatus diuinæ iræ. Edacem conſcientiæ culpæ ignem oris diuini flatu ac halitu uelut flabro ſuſcitari.

Sicut torrens ſulphuris.) Figuratè hęc ut dicantur, ſatis eſt clarum. Ad prophetam
19. Ioannes in Apocalypſi ſpectat, ubi ſic ait: Viui cõiecti ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardens igni. Legimus hîc, infernum Thophet dici: non unum ergo nomen eius eſt. nam alicubi בור, hoc eſt puteus: alicubi מצולה, hoc eſt profun-
69. dum. ut apud uatem Dauidem: Neque abſorbeat me profundum, neque claudat ſuper me puteus os ſuum. Nominatur item שאול, id eſt foſſa ac ſepul-
Pſal. 6. chrum. ut apud eundem uatem: In inferno quis celebrabit te? Cur autem orcus שאול appelletur, alijs locis indicatum eſt. Vocatur præterea דומה,
Pſal. 14. hoc eſt ſilentium. ut idem Dauid: Neque omnes qui deſcendunt in דומה. quòd ibi ſummum ſilentium à ſummo bono & eius uita & gloria ſit. Hinc illud Latini uatis: *Loca ſilentum*, Vocatur item אבדון, id eſt interitus. de quo no-
9. mine in Apocalypſi Ioannes: Et habebant ſupra ſe angelum abyſsi, cui nomen

men אבדון. Dominus noſter infernum etiam nominat Gehennam, alludens ut indicatum, ad uallem filij Hinom, de quo ſuprà mentio facta eſt. Cæterùm ut nomine שאול ſepulchrum & infernus accipiatur, & is bipartitus ſit: alter piorum, in quo hi ante patefactam clarius lucem Meſsiam uerſantur: alter impiorum omnium, diuinæ lucis expertium: ea de re ſuo loco meminerimus.

IN CAPVT TRICESIMVM PRIMVM.

Vae *qui deſcendunt in Aegyptum.*) Eadem eſt hæc concio cum ſuperiori, ſed aliis uerbis contexta: in qua dehortatur Propheta ciues Hieroſolymæ, ne diuinis præſidijs neglectis, humana & aliena quærant, in Aegyptum conuerſis animis: ſed uni Deo Iſrael fide & ſpe innitantur, qui Aſſyrium ante Sionem deleturus ſit. Quæ altera concionis huius pars eſt. Hortatio quibus locis inſtructa ſit, inter interpretandum monebimus.

In equis ſperantes.) Meminit equorum Aegyptiorum, quibus Aegyptus nimirum abundaret, & eos cæteris gentibus præberet: ut licet intelligere ex hiſtoria Regum. 3. Reg. 10.

Super quadrigis quia multæ ſunt.) non ponderantes eum de quo Moſes: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus unus eſt: in quo uno omne ſalutis robur poſitum eſt. Deuter. 6.

Quæ præualidi ſunt.) non perpendentes illud: Fer nobis auxilium, uana enim eſt ſalus hominis. Pſal. 59.

Et non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael.) Meminit ſancti Iſrael, quem per contentionem ad amplificandam perfidiam Iſraelitarum, opponit uanitati alieni præſidij. Sanctum enim eſt integrum, labe & uitio quod interitum afferat carens.

Et Dominum,) præſidia & opem, doctrinam & oracula Domini. Itaque Paraphraſtes ראלפן בירן קרם יי.

Ipſe autem ſapiens:) ad ſapientiam ueſtram perdendam: qui mea ſapientia contempta, uobis ſapientes uidemini. Huc pertinet illud: Perdam ſapientiam ſapientum.

Adduxit malum.) Per Aſſyrium, uirgam furoris ſui: quo ueſtris conſilijs irritis caſsis que factis, ſuæ ſapientiæ conſilia rata & firma eſſe comprobet, ut ſequitur:

Et uerba ſua non abſtulit.) per ſuos prophetas denunciata oracula de uobis puniendis non reſcindit, quæ quæſitis alienis auxilijs reſcindere moliti eſtis. חסיר auferendi uerbum, pro reſcindendi & euertendi. Ideo Paraphraſtes לאבטיל. Reuocata hypotheſi ad theſim, communis locus occurrit, à Dauide propheta explicatus: Dominus gentium conſilia diſsipat, populorum conatus reddit irritos: conſilium autem Domini in ſempiternum manet.

Et conſurget contra domũ peßimorum.) pro iuſti iudicis more & iure, de quo Dauid: Deus iuſtus iudex. Qui Dei titulus improbos intra certos quos in nocendo non tranſgrediantur terminos continet: & probos in metu & timore Dei retinet, dum cogitant Deum quidem ita bonum eſſe, ut etiam iuſtus ſit, qui ſcelera impunè habere non ſinat, etiam in ſuis. & niſi per iuſtitiam impiorum funeſta ad nocendum conſilia reprimeret, per ea mundus ſubuerteretur: & cuius iuſtitia, ſi miſericordia uacaret, nemo in hac rerum natura ſubſiſteret, qua nimirum tota hæc uniuerſitas conſeruatur. Pſal. 33.

Et contra auxilium operantium iniquitatem.) Aegyptiorum auxilium, hos quoque profligandos: ut experiantur Iacobæi, & ſe cum ſuis præſidijs uanos eſſe, & unum Dominum ab omni uanitate liberum.

Aegyptus homo.) Aegyptium auxilium uanum esse confirmat, à uanitate hominis argumento ducto, de qua illud: Omnis homo mendax. item, Vana
Psal. 60. hominum salus: hoc est, tutela & præsidium. itaque Ieremias: Maledictus qui
Ierem. 17. spem habet in homine, & ponit carnem brachium suum. Hominis autem quãta uanitas sit, eius origo ex puluere terræ, & uitiata corrupta'que & tot malis ac calamitatib. obnoxia natura comprobat, ut uerè uulgo dicatur: Homo bulla est. Tale est præsidium, quod ab homine homini speratur. De uetere homine, originis labe & uanitate deprauato, sermo hîc fit. de nouo aliter res habet, qui non est huius mundi lubricum & fragile, sed cœleste opus, tutum aduersus interitum, & ad iuuandum aptum. Messias sanctus Israel, is nouus homo est, θεάνθρωπος homo, hoc est homo plenus diuinitate. Tale etiam in Christo opus sunt sancti homines, qui cognatione illius tenentur, ex spiritu eius nati, ut de quibus dicatur: Vos dij estis, & filij excelsi omnes. Item: Ex Deo nati sunt.

Et non Deus.) In hac hortatione illustri utitur contentione, quæ ad mouendum pios magnam uim & pondus in utranque partem habet: ab Aegypto nempe, hoc est à mundo auxilium non esse petendum in rebus aduersis: & eam mala intentantem non esse formidandam, quæ Deus non sit, ut pro nutu & arbitrio suo commodet & incommodet. Hoc solum Deum, quem sancti colunt, in potestate sua habere. Quare Macedo ille, cùm in obsidione cuiusdam urbis sagitta grauiter ictus esset, miseram suam conditionem tandem agnouit, dicens se hominem esse, non Deum: quem Deum & Iouis filium, ob res feliciter gestas prædicauerant.

Caro.) A'uanitate & infirmitate carnis, qua nihil uanius & fragilius, argumentum ducitur. Ortus carnis ut ex solubili terræ, aquæ, aeris & ignis temperatione constet, ex Genesi notum est, & ex Physicis.

Et non spiritus.) firma natura: qualis in Deo, angelis, & in mentibus humanis spectatur. Cernitur & in animantibus ratione caërtibus suus spiritus, ut est spiritus animæ mouendi, sentiendi & generandi facultate præditæ: & in eorũ corporibus spiritus animalis, qui in cerebro: naturalis, qui in epate, & corporis uenis, qui sanguis est: & uitalis, qui in corde sedem suam habet. At omne hoc genus spiritus, in carne hæret, & cum ea oritur & emoritur. secus spiritus habet, qualis in mente & intelligentia à corpore separata spectatur.

Et Dominus inclinauit manum.) Phrasis de nutu diuino, quo & adiutor, & is qui opem eius implorat, me contempto corruit. Verè igitur propheta dicit: Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.

Et corruet auxiliator.) per Assyrium, de qua clade uideris suprà capite decimono no. A'comparatione maiorum & minorum dicitur argumẽtum: Si Aegyptus se non iuuat quo minus pereat, quanto minus alios iuuet?

Simul'q; omnes consumentur.) Etiam Assur uirga furoris diuini ut sequitur.

Quia hæc dicit Dominus ad me.) Altera pars concionis, qua casus Assyriorum denunciatur.

Si rugiat leo.) Comparatione colorat concionem, in qua Dominus leoni comparatur, ab animositate & fortitudine: & Assur prædæ. Leoni sua uitia, qui
1. Petri 5. prædatrix fera sit, & uirtutes insunt. Ob uitia, ei Satan, ut ex Petro patet, &
Apocalyp. 5. tyranni orbis terrarum comparantur: ob uirtutes, Messias, de quo illud, Vicit leo de tribu Iuda. Inter laudes ingenij leonum refertur, eos cum in uirum & mulierem incidũt pro generoso spiritu suo mulieri, ut infirmiori sexui parcere, uirum adoriri, quod serpens Satan non fecit, qui primò mulierem malitiosè adortus est. Referuntur ab autoribus, etiam gratitudinis exẽpla ab hoc animãte in bene de se meritos edita, de quibus uideris apud rerum scriptores. Neque enim Dominus fortis heros, imbecilla & infirma in mundo, sed potentissima

quæ

quæ deñciat, ſnuadit: ut Pharao, Aſſyrius rex, quem Rabſaces legatus magnum eſſe confitetur, Nabuchodonoſor & alij exemplo ſunt: & noſtris his temporibus Antichriſtus, ſe ſupra Dei nomen extollens, documento cum tyrannis orbis terrarum erit. In ſacra Ezechielis quadriga hæc animantia ponuntur, leo, bos, aquila & homo. homine inter ratione præditas naturas, aquila inter uolucres, boue inter manſueta animalia, leone inter feras principatum tenente. Leoni hîc comparatur Dominus; qui cum ſuis agens manſueti agni ſpeciem præfert: cum hoſtibus uerò pugnans, leonis animum gerit, aduerſus eos rugiens non aliter atque leo in prædam, quam diſcerpat, intentus rugit. Ezech.1.

Alia uox editur in pios, amabilis & ſuauis uox, in qua lenitas & clementia ſentitur, quę ſacroſancti Euangelij uox eſt, fumans linum non extinguens, & arũdinem quaſſatam non confringens.

Multitudo paſtorum.) leonem, coacta in ſe quantauis paſtorum manu, non pauere: ſicq; Dominum, hoſtium potentia & multitudine non moueri, quo minus Hieroſolymam ciuitatem ſuam liberet, qui Dominus exercituum ſit, ſupernè & infernè in omnia imperans. Vt ſequitur: Sic proteget Dominus exercituum Hieruſalem. Quod argumentum à potentiſsimo Domini in uniuerſitatem hanc imperio ductum, maximum pondus ad conſolandum in omnibus afflictionibus habet.

Vt prælietur.) aduerſus Aſſyrios per angelum. Militandi uerbum נלחם congruit Domino, qui appelletur uir bellator & Dominus exercituum. Quæ præſtans dignitas eſt Sionis, hoc eſt Eccleſiæ electorum, pro qua defendenda Dominus armet cœleſtes illos ſpiritus aduerſus Satanem, & eius inſtrumenta tyrannos orbis terrarum. Neque hoc mirum ſit de Sione eccleſia, cuius membra electi homines terram quidem corpore calcant, mente autem ac ſpiritu in cœlo, ut eius ciues inter angelos uerſantur.

Sicut aues uolantes.) altera ſimilitudo ab auibus; pullos ſuos magna cura protegentibus, mutuata. Sic apud Moſem in Deuteronomio, capite XXXII, aquilæ ſe comparat: Expandit alas ſuas, & ſuſcepit eos. Et Dominus noſter Ieſus gallinæ ſe conferens, ſic ait: Quoties uolui uos congregare, ut gallina, &c. quæ quanta cura foueat pullos ſuos, uulgo notum eſt, & etiam à ſcriptoribus rerum accuratè obſeruatum. Matth.23.

Similitudo à leone rugiente ſumpta, impijs terrorem incutit: ab auibus uerò protegentib. pullos ſuos alis, comparationẽ mutuans, conſolationem pijs affert. Vtrunque cum altero coniunctum, in rebus aduerſis nobis ſalutare eſt, & neutrũ ſine altero prodeſſet. Nam quam ſalutem Deus ſuis afferret, ſi ſolum rugientem leonem præſtaret terrendo & dilacerando: & parum etiam momenti haberet eius cura ad iuuandum, ſi ritu auium ſuos pullos benignè fouentium, nullam uim ad aduerſarios profligandos haberet. Igitur & leonem in hoſtes exhibet, & aues amabili cura leniter pullos ſuos alentes in conſeruandis electis ſuis imitatur. Huc ſpectant duæ hæ ſalutares comparationes, à uate noſtro inſtinctu diuini ſpiritus uſurpatæ: quæ pijs, in rebus aduerſis, contra tyrannos orbis terrarum & aduerſarias tenebrarum poteſtates, in fidei & ſpei uſu ponderandæ ſunt.

Tranſiens.) In Hebræo uerbo uidetur alludi ad tranſitum, quo in Aegypto angelus, Iſraelitarum domos agni ſanguine ſignatas tranſiens, Aegyptiorum primogenita interfecit. Sic parſum Hieroſolymis, profligato Aſſyrio. Vnde cognoſcimus magna noſtri cõſolatione, non eſſe perpetuam hoſtium ſæuitiem, quam in pios exercent: ſed tandem finem habituram, pijs ſeruatis, impijs diſperditis. Sic Noa cum ſuis in arca ſeruatus eſt, diluuio improbis deletis. Sic Lothus Sodomis & Gomorris cœleſti incendio conflagrantibus, euaſit. Simile accidit Iſraelitis in Aegypto, & Hieroſolymæ tempore prophetæ Ieſaiæ. Idem Hieroſolymę de cœlo deſcendenti eueniet, quæ diuina cura in tanta orbis terrarum Exod.12. Geneſ.9. Geneſ.19.

rarum ruina, Antichristo cum tyrannis orbis terrarum per spiritum oris Messiæ pereunte, liberabitur.

Conuertimini.) Hortatur ad pœnitentiam, qua ad Deum conuertantur fide, qui perfidia ab eo auersi fuerant. Ad quem, ut fide & spe in cœlum ascenditur, ita perfidia ab eo in profundum descenditur. Vtitur diuinus spiritus hic uerbo העמיקו. Quo uerbo etiam suprà propheta usus est, cùm mentionem de consiliis altè & profundè in animo celatis faceret. Vsus est item in descriptione infernj, quē Deus profundè parauit. Vnde intelligitur, rebellione à Deo in profundum mortis & tenebrarum demergi impios: contrà pios fide in cœlum clarum luce & uita extolli.

In gladio non uri.) sed angeli.

Et fugiet non à facie gladij.) Hebræus indicat, hostem fuga sibi consulturum, metu stricti in se ab angelo gladij: exitium tamen nō effugiturum, ut qui à liberis suis (ut mox ex propheta nostro intelligemus) Niniue interficiendus esset.

Cuius ignis in Sion.) Alij interpretantur de igni hostem deuorante, qui suprà descriptus est: Et erit lumen Israel in ignem, & sanctus eius in flammam: & succendetur & deuorabitur spina eius. Alij aræ & luminis splendentis in templo Domini ignem significari uolunt. Itaque utrique diuinum ignem, Israelitæ & hostes illorum, sed non uno modo splendentem, sentiunt: alteris ad salutem, alteris ad interitum fulgentem: ut qui aliter in Sione, aliter in ualle profunda, hoc est, in orco fulgeat. Vnde autem discrimen tam diuersi fulgoris petendum sit, suprà indicatum est.

IN CAPVT TRICESIMVM SECVNDVM.

ECce *cum iustitia regnabit rex.*) Cohærent hæc ad superiora, sed ita, ut si sequare historiæ filum, de Ezechiæ regno, & ea tranquillitate quæ deleto Assyrio consequuta est, tenuis umbra earum rerum quę hic à uate describūtur, appareat: res ipsa uerò & corpus in Messię Domini nostri regno, in Ezechiæ regno præfigurato, cernatur. Itaque huc pertinent quæ suprà à propheta nostro capite uicesimooctauo exponun-
18. tur. Vt autem Ezechias iustè regnarit, ex quarto libro Regum, & ex altero Pa-
30. ralipomenum patet. Sed aliter rex Messias iustus est, aliterq; pro iustitia sua regnat. Ezechias quidem iustus fuit, sed ita, ut labe & uitio non caruerit: neque iustitia ipsa esset, qua alios iustos redderet: qui in quod crimen insolentiæ inci-
4. Reg. 20. derit, ut post res aduersas, prosperas cœpisset experiri, ex Regum historia patet. Contrà uerò de Domino nostro IESV CHRISTO cœlesti rege legimus: eo quòd scelus non fecerit, & dolus non fuerit repertus in ore eius. Qui non solùm absolutè iustus est, uitio omni carens, sed etiam ipsa iustitia est: cuius
33. participatu, qui iniusti sunt, iusti ac probi redduntur. Sic enim de eo Ieremias uaticinatur: Hoc nomen eius, quo uocabunt eum, Dominus iustitia nostra. Quo nomine nemo alius ne ue angelorum, neue diuorum ornatur: qui omnes
Apocalyps. 4. probitatem & sanctitatē quam habent, huic nostro cœlesti Regi acceptā referunt, dicentes cum uigintiquatuor senioribus: Dignus es Domine accipere gloriam & honorem & uirtutem, &c. Vt autem is iustus rex alios etiam iustos
53. reddat, propheta noster infrà testatur, ubi ait: Et cognitione sui seruus meus iustificabit multos. Huius iustitia qua Ezechias ex improbo probus efficeretur, indigens, eum adorās his uerbis appellauit: Domine exercituum, Deus Israel. At is Dominus exercituum Messias est, fide ab Ezechia agnitus. De quo illud:
Apocal. 19. In cuius fœmore scriptum est: Rex regū, & Dominus dominantium. Huius imperio angeli in cœlo, in terra pariter pij & impij, sed nō pari ratione, in inferno principatus tenebrarū cū peccato & morte subiecti sunt. Ezechias externam

idololatriam

idololatriam è regno suo eliminauit: noster uerò Ezechias ambitionis, auariciæ, sapientiæ carnis, iusticiæ legis & operum idola in animis suorum destruit: adoratione patris, quæ spiritu & ueritate constat, in pectoribus electorũ suorum instituta. Ezechias externum regnum ad ciuilem pacem conseruandã gubernauit: Messias internum regnum, quod in spiritu cernitur, ad pacem contra peccatum, mortem & potestates tenebrarum tuendam administrat. Cuius regnum ab elementorum mundi, & rerum externarum obseruatione liberum est: contrà quàm comparatum fuit Ezechiæ regnum, in quo Mosea lex publicè docebatur, & oracula de uenturo Messia exponebantur. Is autem nouissimis temporibus mundo repræsentatus est, qui legem uitæ, quæ sacri spiritus adoptionis lex est, in pectoribus ciuium cœlestis Hierosolymæ scriberet, antiquato legis Moseæ iure, quod in saxeis cordibus, non mollibus ac carneis scribitur. Itaq; regnante Ezechia, ueteris fœderis ministerium (quod literæ, non spiritus: mortis, non uitæ: ueli, non apertæ faciei ministerium erat) uigebat: regnante autem Messia, noui fœderis ministerium (quod spiritus, non literæ: retectæ, non uelatæ faciei, in qua gloria ueræ iusticiæ & uitæ fulget, ministerium est) locum habet. Quare quæ hîc leguntur de iustè regnaturo rege, & de principibus ex æquo & iure imperium administraturis, si Ezechiam spectes, & eius principes, umbra ueri regni & iusticiæ nobis ostenditur. Sin Messiam, & eius principes, spiritualis & cœlestis regni administrorum expressa ueritas & ipsum corpus exhibetur. Sed ne quis eos qui uetere continebantur fœdere, spiritu diuino priuet: hæc quæ diximus, scias per comparationem accipienda esse, de qua sæpè aliâs. *Ezech.36.* *2.Corinth.3.*

Ecce cum iusticia regnabit rex.) Ordine à propheta nostro describũtur, quæ regno bene constituto cernuntur. Primò, ut rex iustus reipub. præsit, qui eam rectè & legitimè regat. Iustus autẽ rex est, qui Deum metuens & amans, ad præscriptũ legis de amãdo illo, & diligendo altero editæ, imperium administrat. Rex autem hoc modo comparatus, studet ut religio uera locum habeat, & subditi inter se probè pacateq; uiuant, probis defensis, & improbis punitis. Quod est iustè ac legitimè, & (ut ille dicit) θεοφιλῶς καὶ ἀνθρωποφιλῶς regnare. Quòd si nostrum regem Messiam spectes, ut is iustus sit, Deum patrem suum amans, & ei obediens, documento est tota eius uita: & ut suos, in quos cœlesti imperio regnat, amet, sanguinis pro eis fusi precium declarat. Hos ut seruat & tuetur à ui & iniuria aduersariarum potestatum, ita de improbis & sontibus supplicium sumit, cui à patre regia ex sacrosanctæ unctionis iure iudicandi potestas data sit. Qua unctione unctus is rex & iudex, imperium in omnia infera, terrestria & supera obtinet.

Et principes eius in iudicio præerunt.) Alterum est quod in regno bene cõstituto, & in rege iustè regnante consideratur, si principes uiri ex æquo imperent, personarum in iudicando rationem non habentes, neq; munera captantes: hoc est, si tales sint, quales Moses in lege describit. In principibus quibus Ezechias in suo gubernando regno usus est, tenuis umbra spectatur. Verè principes sunt, quorum munere Messias cœlestis Ezechias regnum suum moderatur, quos Apostolus his uerbis describit: Et idem dedit alios Apostolos, alios uerò Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores, & doctores. Sed in quem usum dedit? Sequitur illic: Ad instaurationem sanctorum, & in ædificationem corporis Christi. Tales principes, Princeps principum & Rex regum Messias, ut rectè iudicent regantq; suam remp. cœlesti spiritu exornat, & ab eis spiritum terrenum tollit, atq; sic exornatos his uerbis suæ ciuitati præficit: Accipite spiritum sanctum. Sed in quem usum eos diuino suo spiritu afflat? Sequitur apud Ioannem: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittentur eis: quorumcunque retinueritis, retenta erunt. Facessant igitur ex huius Ezechiæ regis regno, eius *20.*

spiritu

ſpiritu carentes. Quo præditi nimirum, bonos principes agunt: eo carentes
Pſal.49. non item. Sed in eos hæc expoſtulatio ſtringitur: Impio autẽ dixit Deus, quare tu enarras inſtituta mea, & ſumis teſtamentum meum in os tuum? Qualibus iudicibus & principibus, hoc eſt, pſeudoprophetis, Antichriſti regnum plenũ eſt: qui cœleſte Meſsiæ regnum perosi, beſtiam ex terra natam, & draconem eius parentem adorant: & eos qui agnum colunt, occidunt.

Et erit uir ſicut qui abſconditur à uento.) Tertium eſt, ciues pacatè trãquilleq; uiuere, qui ex finibus bene inſtituti regni non poſtremus eſt: ut ciues regni aduerſus hoſtes & mala quæ ingruant, tuti ſint. Typus in regno Ezechiæ cernitur, de cuius regni, iam Aſſyrio profligato, tranquillitate, gloria, opibus, in altero Paralipomenon libro uideris. In CHRISTI IESV Domini noſtri regno uera, non adumbrata tranquillitas ſpectatur, peccati & mortis principatu deuicto, de quo illud legitur: Princeps mundi iam iudicatus eſt. Ad hanc tranquillitatem deſcribendam utitur propheta appoſita ſimilitudine, in qua regem receptaculo contra uentum, & latebrę contra procellam, & aquæ riuis in arido loco, umbræq; rupis in ſiticuloſa terra comparat: afflictionem uerò uento & turbini, locisq; aridis. Vt Meſsias ſuis electis latebra ſit aduerſus turbinem & tempeſtatem, quæ in mundo hoc, procelloſo ſanè mari, à Satane principe mundi excitatur, & ut eos tempore æſtus perſecutionum uiuis aquis ex ipſo ut perenni cœleſtis uitæ fonte manantibus reficiat: & ut ſuis umbroſa petra ſit, in qua molliter afflictionum tempore requieſcant: ſatis compertum habent, qui hæc experti ſunt. Paraphraſtes Chaldæus non de rege, ſed de ijs qui regis imperio parẽt, comparationem interpretatur: Et erunt iuſti qui liberantur ab impijs, ſicut qui liberantur à tempeſtate.

Non caligabunt.) Quartò commendatur regnum, ſi ciues prudentes ſint, & earum rerum intelligentes, quę regni Dei legib. continentur. In regno Meſsię ciues commendantur, quorum animorum oculi illuminantur luce de ſe prædicante, Ego ſum lux mundi. Hæc craſsis ignorantiæ Dei tenebris abſterſis efficit, ut mentis oculi uideant, quę ſapientiſsimi huius mundi non uideant. Quorum ſapientia uelum illud eſt, quo animorum acies tecta eſt. Locũ habet illud
Ioan.9. Domini noſtri: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: iam uerò cum dicitis Videmus, peccatum ueſtrum manet.

Et aures audientium.) patefactæ per ſpiritum eius, de quo uates: Audiam quid loquatur in me Dominus. Quo ſpiritu qui carent, in eos illud congruit: Vos nõ
Ioan.8. auditis, quia ex Deo nõ eſtis. Suprà ſimiliter legimus: Et audient in die illa ſurdi uerba libri. Nominantur hìc duo ſenſus ad res percipiendas apti, aſpectus & auditus, qui ad animum, propter cognationem quæ inter ſenſum & intelligentiam intercedit, transferuntur. Vt uita ſtirpium ſe habet ad uitam quæ in ſenſu cernitur, ita ſenſus ſe habet ad mentem, & hæc ſua ratione ad ſpiritum Meſsiæ cuius proxima ſedes eſt.

Et cor ſtultorum intelliget.) In regno Meſsiæ non ſurdos, non ſtultos, non balbos, non auaros & ſordidos locum habituros: ſed qui fidei lumine illuminati, regni cœlorũ arcana uideant: qui aures ad diuinas res percipiendas præparatas Dei ſpiritu habeant: qui cœleſti ſapientia prædìti, non temerè de ijs quæ non intelligunt iudicent, ut faciunt ſtulti in mundo homines etiam ſapientiſsimi habiti. Quales non fert in regno ſuo Meſsias, ſed fert quales infrà deſcribuntur: Omnes filios tuos doctos à Domino. per unctionem uidelicet, de qua Ioannes: Si-
Ioan.2. cut ipſa unctio docebit uos de omnibus. Dicas, Meſsiam uenìſſe in mundum, non propter uidentes, ſed propter cæcos: non propter eos qui auditu ualent, ſed propter ſurdos: non propter eos qui loquendi facultate prædìti ſunt, ut dicit ſe non uenìſſe propter iuſtos. Bene quidem & rectè obijcis: ſed tales non ſinit eſſe cæcos, ſurdos, balbos, non ſinit eſſe ſtultos & iniuſtos: ſed beneficio regenerationis

generationis ex cæcis uidentes, ex balbis eloquentes, ex ſtultis ſapientes, ex im probis probos efficit. Sed qualem linguam ciues regni ipſius Meſsiæ habent? Sequitur:

Et linguam balborum.) Qui antea balbi fuerũt, iam expeditè & eleganter loquen tur. Hominem duo præcipuè commendant, intelligentia & oratio. Vtrumque in regno Chriſti exornatum iri. intelligentiam exornari diuino ſpiritu, ut ea intelligat & ſapiat quæ Dei ſunt: linguam uerò poliri, quæ expeditè planeq; & ſa pienter exprimat, quæ mente diuinitus percepta ſunt: lingua animo, hoc ſpiritui Meſsiæ ita conſenſuro, ut omnia ad amplificandum nomen Dei patris in filio Meſsia, referantur ad normam huius precationis, Sanctificetur nomen tuũ: hoc eſt, ſanctè mente, ore, & totius uitæ ſtudijs & actionibus colatur. Quod cũ fit, uerè iudicamus, cor ſtultorũ intelligere, & linguam balborum planè loqui: eloquentiam in eis formante illo, de quo diuinæ & cœleſtis eloquentiæ parens Meſsias Dominus noſter ſic loquitur: Non uos eſtis loquentes, ſed ſpiritus pa- *Matth.10.* tris ueſtri, &c.

Non uocabitur ultra is qui inſipiens eſt.) In regni Meſsiæ ciuibus non habituram locum adulationem, ut habet in regno beſtiæ, in qua indocti docti, carnales ſpirituales, improbi probi, turpiſsimi ſanctiſsimi, ſtulti ſapientes appellantur id in regno Chriſti non accidere, ut ſimulationibus & adulationibus infeſto. Cæterùm ſtulti in ſacra lingua ſcitè appellantur נבזים, quorum nimirum & præceps ſit iudicium & conſilium. Sic conſilium peruerſorum hominum נבזרה, apud Iobum dicitur. Appellantur item, ut hic נבלים, tropo ab eo ſumpto, quòd marcet, & natiuo ſucco caret. Sic ſtultos eſſe, qui ſapientiæ uigore deſtituti ſint.

Principes.) A liberalitate & beneficentia principes נדיבים appellantur, quos beneficos & liberales eſſe deceat. Ea uox retenta eſt ab euangeliſta Luca: Qui 22. dominantur, benefici appellantur. Et Pſal. רוח נדיבה. pro quo reddunt LXX *Pſal.51.* πνεῦμα ἡγεμονικόν: hoc eſt, Spiritus principalis, qui regio more nos muneribus lucis cœleſtis ſapientiæ, iuſticiæ & uitæ ornet.

Neq; fraudulentus.) Parcum non appellandum liberalem. Homines ſordidos & illiberales, ut ſunt fœneratores, monopolium exercẽtes, & fraude per auariciã alios circumſcribentes, & qui inopibus panem ſuum non frangunt, in Meſsiæ regno inuentum non iri: ſed tales, qui regis ſui Chriſti ingenium referentes, de omnibus benemereri ſtudent, nocere nemini. Vitia numerat præcipuè contraria amori, de quo Ioãnes: Deus amor eſt: & qui manet in amore, in Deo manet. *1.Ioan.4.* Amoris eſt, ſeſe diffundere per bonitatem. Cõtraria facit בילי, hoc eſt auarus ac parcus, qui quæ habet bona, ſibi retinet, prohibens ne alijs communicentur. unde à prohibendo uidetur parcus בילי appellatus. Notum porrò eſt uerbum בלא.

Fatuus enim fatua loquitur.) Deſcriptio fatui, hoc eſt improbi, ab ore, animo, & actione. in qua, deſcriptione hęc duo uera ſunt, ſapientiſsimos in mundo fatuos eſſe, & fatuos ſapientes.

Vt perficiat ſimulationem.) Notatur hypocriſis & ſimulatio, qua qui polluti ſunt, ſpeciem præferunt ſanctitatis, per ſimulationem improbitatem celantes. Tales, & Deum & homines latêre putant ſuam animorum turpitudinem. Quod ſcelus longè fœdiſsimũ eſt. Nam hoc ſpoliatur Deus rerum ſcientia, qui abſcondi tos animorũ forulos & receſſus cognitos nõ habeat, & quem hypocritarũ malicia lateat, & uerę iuſticię & ſanctitatis honore priuatur, quem ſibi aſſerunt hypocritæ: Dei iuſticiã, quæ Meſsias eſt, quantũ in ipſis eſt, euertentes. Tales quidem locũ habere in regno aduerſarij, conflato ex ſimulatione, hypocriſi & mẽdacijs: ut exemplo ſunt tot falsò religioſorum ſectæ. Locum autem habere in regno Chriſti, in quo Deus pater ſpiritu & ueritate colitur à cœleſtis Hieroſo-

lymæ ciuibus, qui omnem honorem Deo patri in filio Meſsia ſapientiæ & iuſticiæ tribuunt, ſibi nullum: qui animo, ore & uita Deum glorificant, nequaquam ſimiles ſunt ſepulchris dealbatis, quæ foris ſpecioſa uidentur eſſe, intus uerò cadaueribus fœtidis repleta ſunt.

Fraudulenter.) Stultos, errores loqui de Deo, & falſa, qui neque pios curæ habeat, neque impios puniat. Sic enim Pſalmus de ſtultis: Dixit ſtultus in corde ſuo, Non eſt Deus. Qui error omnes errores ſuperat. Is enim diuinam prouidentiam è mundo tollit, qua cuncta in cœlo & in terra ſapienter regantur. Hoc ipſum eſt, aduerſus Dominum loqui errores. Etſi aperte hoc non dicunt, eorum tamen ſceleroſa uita clarè oſtendit, eos carentes luce diuinæ ſapientiæ, non aliter animo ſentire, quàm hic redarguũtur. Quòd ſi ore tegunt animi malitiam, uita tamen turpi prauos ſuos animos exprimunt & declarant. Hac ſtulticia notantur auari, ambitioſi, luxu & libidine perditi homines, qui omnes per ſtulticiam ea cogitant, loquuntur & uiuunt, quæ eorum errores, quos aduerſus Deum deſignant, & quibus ut alij à Deo deerrent efficiunt, comprobant. Contraria ratio ſapientum hominum eſt, de quibus illud in Prouerbijs: Cor ſapiens prudenter regit os ſuum. Eſt autem ſapiens cor, in quo ſapientia Dei Meſsias benedictus, per fidei, agentis per amorem, ſpiritum ſpirat, uiuit & agit.

Pſal.13.

Prouerb.16.

Et uacuefaciat animam eſurientis.) per auariciam. Dicuntur auari homines, cum homines ſpoliant neceſſarijs ad uictum rebus, eorum animam exhaurire: hoc eſt, eis uitam adimere, dum eos ijs priuant, quibus uita ſuſtentatur. Quare præclarè dixit Romanus ille ſenator, idem fœnerari eſſe, quod hominem occidere. Propheta, qui meminerat erroris aduerſus Deum deſignati, iam amoris in alterum prætermiſsi mentionem facit. cum amore enim Dei per fidei lumen in noſtris animis accenſo, proximi amor coniunctus eſt, qui Dei cognatione ut ad eius imaginem conditus, & à contracta noxa & ad eãdem meliore nota ſpiritu Meſsiæ renouatus, teneatur. Cæterùm auaricia quam uates noſter damnat, latiſsimè priuatim & publicè patet. quæ pernicioſa quidem eſt in priuatis hominibus: ſed pernicioſior in publicis, ac in illis qui ad gubernacula reipublicæ ſedent, cum hi munera captant ad ius peruertendum, & cum peculatus crimen in publica pecunia diripienda committitur. Longè autem pernicioſiſsima eſt in illis, qui ſe pontifices, cardinales, epiſcopos, paſtores & doctores Eccleſiæ profitentur: quibus cum remiſsio peccatorum, cœlum, infernus, ſacramenta, ſacerdotia, matrimonia, profana & ſacra per inexplebilem pecuniæ cupiditatem uenalia ſint, non ſolum per eos famelici iacturam faciunt in neceſſarijs ad uictum rebus, ſed etiam in ijs quæ ad æternam uitam parandam tuendamq; pertinent. ut uerè dicatur, hoc auarorum hominum genus eorum eſurientium animam exinanire, qui fame, de qua Amos uates meminit, laborant: Mittam famẽ in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi uerbum Dei. Intueamur ſuperiora & noſtra Antichriſti tempora. Cæterùm auarorum hominum arma deinceps deſcribet.

Amos 8.

Arma.) Vt ſunt flagitioſa conſilia auarorum hominum, & eorum malæ artes, quibus inopes circumueniant.

Et ſermone mendacij.) Alterum armorum pernicioſorum genus, ſermo & lingua mendax, ad perdendum inſtructa. Duo arma numerantur à propheta, quibus auari & ſordidi homines ad euertendum alterum utuntur, mala conſilia, & ſermo falſus. Quibus armis quid quæſo exitialius? Vt contrà honeſtis conſilijs ad ſeruandos alios conceptis, & ſermone quo bona conſilia efferuntur, quid ſalubrius? Vt eſt apud Salomonem in Prouerbijs capite decimo: Os iuſti, uena uitæ. Mentem nobis ſacra lege exornatam Deus dedit, qua, quæ ad amplificandum diuinum nomen & alteri ſalutaria ſunt,

sunt, meditemur: mentiq; adiunxit loquendi facultatem, qua quæ prudenter sapienterq; cogitata sunt, in eorum usum quos Deus nobis naturali societate coniunxit, eloquamur. At contrà flagitiosi homines hæc arma & munera quibus homo præ cæteris animantibus exornatus est, ad imminuendam gloriam Dei, & ad perdendum alterum, perturbato confusoq; naturæ ordine conuertunt, ut eos meritò Dauid his uerbis execretur, Obmutescant labia mẽdacia: labia uidelicet, quæ falsi animi falsus interpres sint. *Psal.31.*

Ad perdendos mites.) afflictos & oppressos non miserantibus ijs, quibus natura tribuit misericordiam. Vox Hebræa afflictos significans, nota est. Aliter comparati sunt boni & pij, qui exprimentes patrem suum Deum natura bonum & clementem, hanc sententiam in pectore suo scriptam sequuntur: Qui sequitur iusticiam & bonitatem, inueniet uitam, iusticiam & gloriam. *Prouerb.21.*

Cum loqueretur pauper iudicium.) non contentus falsis uerbis eum circumscripsisse, nisi etiam in portis ut damnetur à iudicibus, efficiat. Hebræus habet: Et loquatur contra pauperem in iudicio. Quod cum facit, non perpendit horribilẽ illam in se sententiam à Deo pronunciatam: Pauperem ne diripe, ne' ue inopem opprime in porta. Nam Dominus eorum causam iudicabit, & conculcabit, qui animam eorum conculcarunt. Hæc sententia suauis est pijs, qui afflig̃untur: & dura atq; exitialis impijs, qui affligunt. *Prouerb.22.*

Princeps uerò ea.) Per contentionem explicat naturam liberalium hominum, quos confert cum sordidis & auaris: hos consilia pernicioſa inire, illos per diuinam liberalitatem utilia. Sunt alij munifici in largiendis opibus terrenis, alij in cœlestibus. In hoc genere Apostoli & Prophetæ, & diuini spiritus diuitijs præditi homines liberales sunt: in illo, quos Deus opulentos reddit, ut aliorum inopiam releuent, facientes sibi ex iniusto mammona amicos, se in æterna tabernacula recipientes. Quæ uera exaltatio est, & euectio ad summum cœlestis beatitatis splendorem, de quo sequitur:

Et ipse super duces stabit.) Eum per munificentiam ac largitatem euehendum. Quæ euectio, si ueram munificorum exaltationem spectes, cernitur in euectione ad regnum, de quo Dominus apud Euangelistam loquitur: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi. Sed quibus paratum est? Sequitur inibi: Esuriui enim, & dedistis mihi edere: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Atque hoc ipsum est quod uates noster hic dicit: Beneficus de beneficentia decernit, & beneficentia euehetur. Quò pertinet illud sapientis Salomonis: Qui miseretur pauperum, beatus est. *Matth.25.* *Prouerb.14.*

Mulieres opulentæ surgite.) Descripto bono, quem Ezechias profligato Assyrio, & sub uelo eius, Messiæ regnum habiturum sit, statu: iam quo Dauidis regnum posteris temporibus futurum sit statu, per adumbrationem eorum quæ Ecclesiæ euentura sint, ostendit. De mysticis lineis inter interpretandum monebimus. Nomine mulierum, Iudæorum ciuitates accipiuntur. Ideo Paraphrastes pro נשים, reddit מדינן.

Filiæ confidentes.) non in me, sed in opibus & tranquillitate uestra.

Eloquium meum.) Oraculum de calamitatibus quæ uobis accident: ut fuerunt clades, quibus Babylonij, Græci, & postremò Romani Iudæos afflixerunt.

Obstupescite opulentæ.) Quæ tranquillitate uestra ad luxum abusæ estis, oblitæ Dei conditoris uestri, ut antea prædixerat Moses futurum: Incrassatus est, recalcitrauit. Cæterùm pauorem & commotionem ex mali metu ortam, per contentionem tranquillitati & securitati opponit. Notum enim est הרר tremendi & pauendi uerbum, eos in hostilis incursionis metu & pauore futuros, qui antea quieti & pacati per pacem, ingrati & tanti beneficij immemores uixerunt. *Deut.32.*

Exuite uos.) Imperatiui oraculares sunt, minantes opum & regni spoliationem: Vos qui splendore regni & opibus floretis, priuati regno & opibus, exilio & inopia mulctabimini. Si externa consideres, sacerdotio & regno per Romanos Iudæi, in hoc miserum & diuturnum exilium missi, spoliati sunt. Sin interna, ut uero illo & spirituali sacerdotio & regno Messiæ spoliati sint, eorum cæcitas documento est. Si uerò Ecclesiæ statum consideres, quem illa sub Antichristo habet, ut hæc quoque suo exilio puniatur, ut regno & sacerdotio priuetur, satis clarum est. & de externis cladibus, quibus afficitur, bellis, fame, peste, exilio, uarijs morborum generibus, superiora & nostra tempora satis manifestè declarant. 10

Accingite lumbos.) parantes uos ad exilium, in quo propter perfidiam uestram peregrinabimini, qui per fidem terram uestram possidere poteratis. Aut luctus significatur: lumbos lugubri ueste succingendos. Qui lumbis uestris discincti, abusi estis ad libidinem & uoluptates carnis, iam eos in luctu & plangore succingentes.

Super regione desiderabili.) Distributionem ad amplificandam calamitatem adhibet: omnia uastatum iri, agros, uineas, domos, palatia, arces, propugnacula: & hęc in tantam solitudinem redigenda, ut speluncas feris, & pascua bestijs sint præbitura, id quod accidit Romanis sacram terram deuastantibus: ea uastitate non sine mysterio ad hæc usq; tempora durante. 20

Super humum.) non ferente hac uestram malitiam, quæ uobis diuina bonitate assignata est: in qua sanctitate fidei & uitę Deum honestetis, nõ perfidia dehonestetis. De hac terræ Chananeæ uastatione antea Moses in Leuitico & Deutero. prædixerat: Eritq; terra uestra deserta. & ciuitates uestræ dirutæ: terra inquam, quæ uobis, cum coleretis Deum uestrum fide & amore, fluxit lacte & melle: post hac, ob perfidiam uestram, sentibus & spinis, in desertum redacta, opplebitur. Tantum malum est improbitas, ut aduersus hanc cœlum & terra, & cętera mundi elementa armentur: in probitate uerò, clementiam & benignitatem ostendant. Agnoscit enim uniuersitas hęc, mundi fundamentum probos esse, non improbos, ut aliàs ex Salomone indicatum est. Quod primò 30 quidem de Messia, à quo cuncta in cœlo & in terra tanquam firma basi sustentantur: deinde de electis, Messiæ capitis membris, propter quos in Christo omnia condita sunt, accipitur.

Leuit. 26. *Deut. 28.*

Populi mei.) Populum, quem reiecturus erat, populum suum magna consolatione electorum uocat: quorum Israelitæ secundum carnem figuram præferũt. Populum autem suum uocat, ut quem non in æternum reiecturus, sed sibi olim in filio Messia recõciliaturus esset. ut sequitur: Donec effundatur spiritus, &c. Dicat hic aliquis: Deum pro populo suo non habere, qui ipsum fide & amore non colat: Iudæos igitur à Deo pro suo populo minimè numerari, à quo nimirum reiecti sint, & qui fide (sine qua nemo Deo probetur) careant. Duo 40 hæc de Iudæis, si qui ex eis in libro uitæ scripti sunt, & de alijs electis qui ad præsens cognitione Dei patris in filio Messia carent, perpendenda sunt. Vnum est, eos à Deo pro suis, quantum ad electionis gratiam attinet, agnosci: quæ omnia circa scriptos in libro uitæ præcedit. nam hi antequam nascuntur, ante conditum mundum, chari & grati sunt Deo: & cum nati sunt, priusquam noui homines per spiritum Christi generantur, chari Deo sunt, per antecedentem illum amorem, de quo apostolus Paulus his uerbis meminit: Cõmendat aũt suã charitatẽ erga nos Deus, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. & Ioãnes: In hoc est charitas Dei, nõ quòd nos dileximus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filiũ suũ ꝓpitiationem ꝓ peccatis nostris. Dicas, neminẽ placere Deo sine fide. Verum id quidẽ est, neminem Deo sine fide placere, quam uel iam Deo habeat in reuelato filio, 50

Rom. 5. *1. Ioan. 4.*

uel

uel eo reuelando. Etenim electi ut extra Christum non eliguntur, iuxta illud, Quemadmodum elegit nos in ipso: ita in eo uel patefacto uel patefaciendo, Deo patri grati sunt. Alterum est, electos, cum adhuc in ueteris naturæ erroribus sunt, lumine noui hominis priuati, Deo in mundo carere, neq; in eius amicis numerari, quatenus Deum patrem suum in IESV CHRISTO nõ agnoscũt: & hoc modo neque Deus eos pro suis habet, quatenus erga eos beneuolentiã suam non declarat. Quapropter uerè iudicant, qui confirmant Deum electorum etiam errantium & hallucinantium Deum esse, quãtum attinet ad scriptionis in libro uitæ gratiam: non uerò, si præsentis fauoris declaratio spectetur. Sicut pater filium cui irascitur agnoscere, & non agnoscere pro filio dicitur: agnoscere quidem secundum naturalem paterni animi amorem, qui in pectore erga ossa, carnem & sanguinem suum exolescere nequit: nõ agnoscere autem, dum ira percitus, & tanquam abdicato & ex hæredum tabula expuncto benefacere non studet. Atque hæc in uniuersum in omnes electos, ad tempus tenebris & erroribus permissos, conueniunt. Ephes. 1.

Spina & uepres.) qui ipse pro bonis fidei & amoris fructibus, uepres & spinas perfidiæ: & pro uuis labruscas, malorũ studiorũ & idololatriæ omnis generis tulisset. Vt suprà ei exprobratur: Et cum speraret editurum uuas, edidit labruscas.

Ascendent.) In hac sacra lingua stirpes ascendere dicuntur, quòd humi radices agentes, ramos & folia sursum cœlum uersus mittant, originem uitæ unde ducant ostendẽtes. De cœlo enim uiuifica lux per spiritum in terræ sinum, ad eam fœcundandam, cum cœlesti humore funditur. De qua stirpium & animantium origine uideris in Genesi capite primo. Itaque huic linguæ ascendere est crescere.

Domus dimissa est.) Paraphrastes ארמין, hoc est palatium, de templo interpretatur: hoc desertum fore.

Gaudium onagrorum.) qui desertis locis delectantur.

Pascua gregum.) ubi antea frequentes urbes fuerunt.

Donec effundatur spiritus.) reconciliationis & uiuificationis spiritus, de quo Ezechiel his uerbis: Et mittam in uos spiritũ, & uiuetis. Qui spiritus uiuificus Messiæ spiritus est, de quo is ipse: Spiritus est qui uiuificat. Is Christo de humili crucis statu in glorioſum translato, de cœlo in Apostolos demissus primò est, reliquijs Israelitarum per prædicationem Euangelij seruatis. at quoniam per illas non stetit, quo minus dicerentur Israelitæ excæcati: his postremis temporibus ante glorioſum aduentum Messię futurum erit, ut in familiam Iacobęam Messiæ spiritu effuso, impleatur quod Moses & prophetæ omnes reliqui de reconciliatione Israelitarum prædixerunt, & eorum interpres apostolus Paulus his uerbis confirmat: Excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & sic totus Israel saluus erit. hoc est, omnes qui ex hac gente scripti sunt in libro uitæ. Dicas, Si futurum est, ut Israel cum Deo per Messiam, ab ipso agnitum redemptorem, reconcilietur: quid ergo faciemus Oseæ, ubi sic loquitur Dominus: Propter malefacta eorum expellam eos de domo mea, nec addam diligere eos: item illi, quod legitur apud Amos: Cecidit, nec addet resurgere uirgo Israel: His Dominus noster respondet, ubi ait: Manebit domus uestra deserta, donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Vnde intelligimus, non accipi debere ita repudiatos Israelitas, ut nunquam cum Deo in gratiam non sint redituri: sed eos non prius redituros, quàm resipiscentes Messiam cœperint amplecti. Fore autem ut hunc amplectantur, impletis temporibus profanationis, ex Mose & prophetis demonstratum est. Ezech. 37. Ioan. 6.

De excelso.) ex cœlo claritate & splendore diuinitatis illustri, in quod mutato crucis statu translatus Messias, de sua copia & affluentia in electorum pectora sacrum spiritum fundit. Cuius maiestas & gloria nullo neue loco neue tẽpore,

neue ullis elementis mundi circumscripta est ac definita, sed unà cum throno maiestatis atque dextra patris, ad quam sedet, in uniuersitatem hanc diffunditur ac spargitur. Vt autem humana natura in Messia omni diuinitate perfusa, & oleo sacri spiritus deuncta, supra omnes creatos & materiatos cœlos dignitate & amplitudine euecta & exaltata sit, omnia in omnibus per sacrum spiritum implens, ea de re aliàs sermo institutus est. Quod hic propheta dicit, ex sublimi spiritum effundendum, qui mortuis Israelitis uitam restituat: hoc mysterium Apostolus, Ezechielis mysticum oraculum de mortuis Israelitarum ossibus per Messiæ spiritum uiuificandis explicans, his uerbis indicat: Quæ erit assumptio, nisi uita ex mortuis? Et quod hic legimus, spiritum è sublimi fundendum: idem dicit Dominus noster Iesus Christus, ubi ait è supernis confici regenerationem è spiritu sacro: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Sed unde proficiscitur is regenerator spiritus? E supernis, dicit Dominus eum proficisci: ut hic uates noster, è sublimi. Sic enim ait: Nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnum Dei. Sed quando è supernis cœpit is spiritus fundi? Dauid tempus indicat, canens: Ascendisti in sublime. hoc est, ex humili & abiecto crucis statu, in amplum & glorioſum euectus. & dona, scilicet spiritus sacri, dedisti hominibus Quod est hic apud prophetam, de excelso effundi spiritum sanctum: & apud Ioannem legimus, non prius datum spiritum, quàm Christus esset glorificatus. Ergo excitationis Christi è mortuis ad uitam, & eius glorificationis opus est, donatio spiritus adoptionis, iustificantis & regenerantis nos in nouos homines. Re enim iustificatio & regeneratio non differunt, sed nomine. Spiritu enim, quo regeneramur, etiam iustificamur: de quo Apostolus, Spiritu estis iustificati. Quò pertinet ministerium Euangelij, ordinatum à promulgatore eius Christo, ad iustificationem impij: quòd nimirum sit spiritus, non literę ministerium. Huc spectant quoque omnia diuina oracula, quib. nobis Messias proponitur, qui salutem electorum per spiritũ suũ merito sanguinis sui in nos fusum perficiat, & amissam uitio primorum parentum iusticiam per illum restituat: ut qui spiritus, ueræ iusticiæ, uitę, sanctitatis & glorię spiritus sit. Quò etiam eum infrà propheta noster unctũ dicit, ut per eum suos seruet. Sed de hac re infrà suis locis copiosius disseremus.

Rom. 11.

Ioan. 3.

Psal. 68.

7.

Et erit desertum in Carmelum.) Suprà legimus: In terra populi mei sentes spinæq; ascendent. hic per contentionem, Et cõuertetur desertum in Carmelũ: hoc est, inculta reddentur culta, de cœlo nimirum Messiæ spiritu, unà cum uiuifica luce & fœcundantibus aquis fuso. Submoto igitur uelo mystici Israelis, & eius terræ in squalidam solitudinem redactę, in quam solitudinem redacta sit Ecclesia per uastatorem Antichristum, satis clarè hodie incipimus cernere, expectantes plenius impletum iri quod hic uates prænunciat fore, Donec effundatur spiritus de sublimi, & ex deserto fiat Carmelus: adhibito cultu sacri Euangelij, per eum de quo apud Ioannem: Ego sum uitis uera, pater meus agricola est: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.

15.

Et Carmel in saltum reputabitur.) Conuersa ratione, ea quæ in mũdo uidentur bene culta, inculta erunt. Antichristus cum suis pseudoprophetis & tyrãnis orbis terrarum, qui opibus, potentia & gloria in orbe terrarum florent, hos in saltum & syluam commutandos: eorum potentia & gloria delecta, & omni eorum mundanæ sapientiæ apparatu euerso. Similia suprà capite 29 leguntur.

Et habitabit in solitudine.) In ijs q in mũdo hactenus solitudo & desertũ habiti sunt.

Iudicium.) Qui meminisset spiritus de excelso effundẽdi, iam operis quod faciet spiritus meminit: quod est, iudicium & iusticiam facere. Facere iudicium quidẽ diuini spiritus opus est, cum eo autore peccatũ cognoscimus: & id, pœnitentia eius tacti cõdemnamus. ad idem iudicandi munus pertinet ultio & uictoria Sa-

16. tanis, de quo munere apud Ioannẽ: Spiritus arguet mũdũ de iudicio, quia princeps

ceps mundi iam iudicatus est. Iudiciũ igitur dicitur facere spiritus Messiæ, cum satanẽ & mundũ, cuius satan princeps est, uincit, & ministros eius profligat, sæuos hostes peccatũ & mortem delet, efficit ne in nobis peccatũ dominetur, sed id in nobis nos dijudicantib. mortificetur, ne à Domino iudicemur: hoc est, graiter puniamur & dãnemur. Quod est apud Apostolũ in priore epist. ad Cor. διακρίνεσθαι. Etenim si nos dijudicassemus, haudquaq; iudicati fuissemus. Dicit, Si nos dijudicassemus, hoc est uitia nostra agnita per pœnitẽtiã reliquissemus. 11.

Et iustitia in Carmel.) Coniungitur iusticia cum iudicio, ut cum pœnitentia ac uitiosæ naturæ mortificatione regnum cœlorum coniungitur. Sic enim Ioannes Baptista de his duabus partibus loquitur: Pœnitentiam agite uitæ prioris, in propinquo est regnũ cœlorum. *Matth. 3.* Sed quale id regnum est? Iusticia & pax est, in spiritu sancto. Sic enim ait Apostolus: Regnum Dei iusticia & pax est, in spiritu sancto. *Rom. 14.* Quale hic describitur à propheta, mentionem spiritus iusticię & pacis faciente. Est autem iusticia, qua diuinus spiritus electos exornat, non ciuilis & morum iusticia, quam philosophi in libris quos de formandis moribus componunt, describunt, & quam iurisconsulti in tractatione rerum ciuilium explicant, quam lex siue naturalis, siue Mosæa prælucente rationis lumine creat. Nam hanc Dominus dicit à spiritu ueritatis redargui, ut quæ Deo ad expurgãdum peccatum non satisfaciat. Sic enim ait: Et arguet mundum de iusticia, qui suam sapientiam & iusticiam extollat, diuinam deprimat ac deijciat. Est autem Dei iusticia, quæ in Carmelo à uate dicitur sedere: hoc est, qua electi filij Dei iusti pronunciantur esse: primò, agnoscere per fidem Deum nobis placatum, per meritũ sanguinis filij: deinde, sentire filij iusticiam nobis ascribi, perinde atq; si nostra esset. Est autem filij iusticia, illa obediẽtia qua patri in omnibus obediẽs legem implet & perficit, nusquam ab ea abscedens. Demum iusticia Dei iusti reddi dicimur, cum ex Christi plenitudine sacrũ spiritum accipimus, per quem ad diuinam uoluntatem incipimus conformari. De quo dono iusticiæ, reparantis in nobis probitatẽ, quæ primorum parentum culpa perdita fuerat, uideris apud Apostolum in epistola quam ad Romanos scripsit. Hæc cerni in iusticia Dei, ad absoluẽdam iustificationem nostri, infrà clarius ex Propheta nostro cognoscemus. Itaque quoniam hoc donum iusticiæ de cœlo tribui cœpit ministerio prædicationis Euangelij, iam Messia glorificato: dicit is se uadere ad patrem, ut hoc iusticiæ donum suis mittat, condemnato mundo, qui illud condemnat sua iusticia inflatus. 5. 53.

Erit opus iusticiæ pax.) Explicatur diuinæ iusticiæ usus, qui pax est, & tranquillitas animorum, aduersus peccatum & mortem & seuerum iudicium Dei, quo peccatum & eo obstricti condemnantur. Qua pace quid quęso suauius & amabilius? At hæc pax non in una solum uniuersitatis parte cernitur: sed per terram & cœlum, & per ea quæ terra & cœlo continentur, diffunditur. Sic enim ait Apostolus in epistola ad Colossenses: Placuit patri, per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eũdem siue quę in terra sunt, siue quæ in cœlis. Nam ut hæc uniuersitas laborare cœpit, ut homo laborauit conuulso rerum ordine per culpam: ita eadem uniuersitas restituto ordine per iusticiam, pacem suam & integritatem tueri incipit: pacificato homine cũ Deo patre per filium Messiam, reconciliatorem & pacificatorem. Vt autem omnes rerum ordines & perfectiones in homine contineantur, ea de re alio loco mentio facta est. Cæterùm ut propheta cum iusticia pacem coniungit, idem & Apostolus facit: Regnum Dei iusticia & pax in spiritu sancto. *Coloss. 1.*

Et cultus iusticiæ silentium.) Meminit pacis, quietis, & securitatis, quæ consequuntur iusticiam, quam fides de capite Christo suis communicet. Nam per hanc iusticiam scripti in libro uitæ, in cœlo cum scripti ciues sint, sentiũt se in Domino Messia mortis & uitæ, peccati & iusticię, inferni & cœli dominos esse, O beata

tranquillitas & ſecuritas, per quam liceat agnoſcere, mũdum & omnia in mundo potentiſsima eſſe ſuperata. Mundus per ſuam ſapientiam, iuſticiam & ſecuritatem, peccato, morti, & diræ poteſtati ipſius inferni ſubiectus eſt: conſpectũ Dei fugiens, ſolium gratiæ non agnoſcens, ſed iudicium eius extimeſcens, quo impij territi, inſtar maris, quod quieſcere nequit, feruere dicuntur. Contrà pij in hoc participatu diuinæ iuſticiæ comparati ſunt.

Et ſedebit.) quietus, & loco non mouendus.

Populus meus.) electi mei, conſignati in tabulis cœleſtis regni: non illi, qui ab exordio mundi in tabulis mortis & inferni notati ſunt.

In pulchritudine pacis.) Sacrum populum, in habitaculo & manſione pulchra & amœna habitaturum: in cœlo nimirum, diuinitatis ſplendore ad fruendum æterna uita & gloria pleno: non in hoc mundo fluxo & mobili, & ritu maris procelloſo. De hac cœleſti manſione Dominus noſter: In domo patris mei multæ ſunt manſiones. quæ pro uarijs ſpiritus ſacri muneribus, & diſcrimine membrorum corporis Meſsiæ, quod eſt Eccleſia electorum, diſtinguuntur. Ioan. 14.

Grando autem in deſcenſione ſaltus.) Figuratè indicat, calamitatum grandinem non nocituram pijs. eos tutos fore, ut ſegetes tutæ ſunt grandinationis tempore, in ſyluam decidente grandine, ubi nullum malum ac damnum dat.

Et humilitate humiliabitur ciuitas.) Amplificat ſecuritatem, figura loquendi mutuata ab illis, qui ſecuri ab hoſtibus, urbes ſuas non ædificant in munitis locis. aut tectè indicat, ciuitatem Dei, quæ electorum Eccleſia eſt, in humili crucis ſtatu uerſantem, tutam fore à ſuis hoſtibus, tutante eam qui eius hoſtes omnes uicit. Hanc ſententiam confirmat illud: Humiles extollit Deus. ut intelligamus, nullam aliam uitam eſſe, & iter ad ueram ſecuritatem de ſalute, quàm noſtri demiſſionem & deiectionem per crucem. Quod etiam in capite ſanctorum Meſsia declaratum eſt, de quo his uerbis Apoſtolus: Humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis: quapropter Deus illũ in ſummam extulit ſublimitatem. Et de Eccleſia, ciuitate Dei, idem Apoſtolus: Siquidem ſimul cum eo patimur, ut unà cum illo glorificemur. Philip. 2. Rom. 8.

Beati uos qui ſeminatis.) Acclamatione concludit felicem ſtatum, quem perfecturus ſit Meſsias.

Super omnes aquas.) Myſticè aquæ fœcundantes agrum Eccleſiam accipiuntur, de quibus ſecundum prophetas Ioannes in Apocalypſi his uerbis: Et oſtendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & agni. Quæ ſunt aquæ diuini ſpiritus, manantes ex fonte de quo Zacharias: In die illa erit fons patens domui Iacob, & habitantibus Hieruſalem. Qui fons Chriſtus Ieſus eſt, de quo illud, De uentre eius fluent aquæ uiuæ: agrum Eccleſiam ita uberantes, ut non facile ſeges eius depaſcatur. Vt ſequitur: 22. 23. Ioan. 7.

Immittentes pedem bouis & aſini.) Fœcunditas agrorum paſcuorum indicatur, qui non temerè depaſcantur. Meminit autem myſticè bouis & aſini, notatis Iſraelitis & gentibus, qui in uno Eccleſiæ agro ſatis ſint inuenturi, quo nutriantur & alantur ad uitæ, & eius æternæ conſeruationem. De boue uideris ſuprà capite undecimo.

IN CAPVT XXXIII.

VAE *qui prædaris.*) Conſolatoria concio à uate inſtituitur, qua Hieroſolymam conſolatur, quæ in magno periculo uerſabatur, iam decem tribubus in exilium miſsis, earum regno euerſo, cum & Aſſyrius hoſtis in Iudæam graſſans, ab urbe Hieroſolyma non procul abeſſet. At uerò ita conſolatur Hieroſolymam, ut ea conſolatio ad Eccleſiam quoque pertineat, ſuis hoſtibus eam quoque infeſtantibus: ut eſt draco, beſtia Antichriſtus,

ſtus, os draconis habens, cum crudelibus orbis terrarum tyrannis. Quorum hoſtium ut figuram prætulerint Iſraelitarum & Hieroſolymæ hoſtes, iam ſæpe eſt indicatum. De conſolationis locis inter interpretandum meminerimus.

Væ qui prædaris.) Ad Sennacheribum regnorũ populatorem ſe cõuertit, cõſolandi Hieroſolymã gratia. Conſolationis locus petit̃ ex hac talionis lege in natura ipſa ſcripta, & à Domino noſtro Ieſu Chriſto his uerbis expoſita: Qua menſura metimini, eadem mentietur uobis alij. Exemplo ſunt mundi regna, per hanc diuinæ iuſticiæ & æquitatis interpretem legem euerſa. Quare Abacuc ſic minatur Babyloni: Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te qui reliqui ſunt de populis. Exemplo Perſæ ſunt, & Græci à Romanis profligati. Exemplo Romani, à Gothis, Vandalis, Hunis, Germanis, Turcis deuaſtati. Exemplo erit his poſtremis temporibus Antichriſtus, qui ut totum terrarum orbem omni idololatriæ genere ſeduxit atque uaſtauit, ita ipſe quoque uaſtabitur per angelum Meſsiam à Malachia deſcriptum, ut Aſſyrius per angelum perditus eſt. Myſtica igitur hæc uatis noſtri plena conſolatione oratio, ut ad noſtra tempora à pijs referatur, ſatis clarè ex locis quibus inſtruitur patet. Vocat hic Ieſaias Aſſyrium uaſtatorem. Nam ut hoc regnum, terras & regna depopulatum ſit, Aſſyrius ipſe ſuperbè de ſua tyrannide glorians quarto Regum libro, capite decimonono confitetur. ut meritò Aſſyrium & Babylonium regnum à Daniele ſæuæ beſtiæ leoni comparatum ſit: ueluti etiam reliquæ monarchiæ feris ab eodem propheta comparantur, Medorum & Perſarum imperium urſo, Macedonum pardo, Romanum terribili beſtiæ dentes ferreos & decem cornua habenti. Sic ſunt regna mundi, Satani principi mundi, qua parte per libidinem & furorem ſe propugnant, ſubiecta.

Matth. 7.

Abac. 2.

Non'ne & ipſe prædaberis.) Hebræus habet: Et tu non uaſtatus. Indicatur uaſtandi libido in Aſſyrio, qui nulla iniuria laceſsitus, ſed ſola regnandi libidine, regna euertat, ad imperij ſui fines proferendos. Is ortus & propagatio regnorum mundi eſt, ſub principe mundi ſatane. Quem ſi ſpectes, regna in uitio ſunt: ſin Deum autorem, in laude. Nam is in ordinandis imperijs legitimam rationem, quæ orbi terrarum ſalutaris ſit, propoſitam habet: ille libidinem & furorem, quo omnia uaſtet. Itaque ſi ſepares uitia à diuina ordinatione, regna laudem ſuam præſtantem habebunt. Stat enim illud: Poteſtates à Deo ordinatæ ſunt. Laudantur igitur ab ordinatione diuina, à dignitate hominis, à muneribus mentis & ſermonis ad gubernandum aptis, ab uſu conſeruationis ſocietatis hominum inter ipſos, & à cuſtodia iuris & legum naturæ, quas Decalogus continet, punitis improbis, & ſeruatis probis. Præterea à cuſtodibus angelis, ſanctis illis & cœleſtibus animis, qui regnis conſeruandis à Deo aduerſus ſatanam præficiuntur: poſtremò à figura & imagine, qua cœleſtem potentatum præfigurari in imperijs terræ placet Deo.

Rom. 13.

Et qui ſpernis.) Excurrendi uerbum eſt in Hebræo. Notatur, excurſionem & manſionem hoſtilem in aliorum terras faciendi libido.

Et conſummaueris deprædationem.) Vt in decretorũ Dei tabulis certos fines crudelium tyrannorũ ſæuities præſcriptos habet, extra ꝙs nõ egrediat̃: nõ ſecus atq; mare ſuis terminis, ꝙs nõ trãſit, cõcludit̃. de quib. Iobus: Terminos circũdedit aquis.

Deuaſtaberis & tu.) à Medis & Perſis. Nam ut Niniue metropolis Aſſyriorum à Medis expugnata ſit, ab Herodoto libro primo narratur: & de ea expugnatione apud Naum uatem extat oraculum. Vt autem Aſſyriorũ exercitu ante Hieroſolymam deleto, rex ipſe turpi fuga ſibi conſulens, à filijs ſuis interfectus ſit, ut̃ domum redijt, in Regum hiſtoria exponitur.

4. Regum 19.

Domine miſerere noſtri.) Hortatus à clementia diuina, cuius in perſona populi à propheta admonetur Deus, quã uelit ex ꝓmiſſo potius reſpicere ad ſeruandũ, quàm populi delicta & merita ad perdendum; qui nimirum hanc miſericordiæ laudem

Exod.34. laudem peculiariter ſibi uendicet, Dominus miſericors & clemẽs. Tum autem expenditur & ſentitur clementia Dei, cum miſer noſter ſtatus à peccato, à calamitatibus & ærumnis ponderatur, & agnoſcitur, quẽ una miſericordia diuina ſubleuet. Atq; hac demiſsione proxima ad ſalutem uia munitur, ut ad exitium per ſuperbiam & arrogantiam uia ſternitur. Exemplum in Pharaone, Aſſyrio, Babylonio, & reliquis ſuperbis in mundo tyrannis.

Te enim expectauimus.) Hortatio firmatur, loco à ſpe promiſsionis diuinæ ſumpto. Admonetur Deus fidei, quam in præſtandis promiſsis, qui uerax ſit, & fallere non poſsit, liberet. Qui promiſisti te Deum fore noſtrum, ſpe promiſſam ſalutem præſumentes, te inuocamus, ut nos ſeruare uelis. tibi enim, non nobis, non ulli humano præſidio confidimus.

Eſto brachium.) robur aduerſus Aſſyrium, ex promiſsione tua, quæ Dauidis re-
Pſal.88. gno quod nunc laborat, his uerbis facta eſt: Et brachium meum confirmabit eum.

Mane.) maturè & tempeſtiuè.

Salus noſtra.) Non quicquam aliud, neue in cœlo, neue in terra. De hac ſalute
Actor.4. Petrus: Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Dicitur Dominus ſuorum ſalus eſſe, idq; ex promiſsione quæ ſic habet: Inuoca me tempore afflictiõis, & eruam te. Item: Deus noſter adiutor in afflictionibus. Atque hæc eſt uera ratio confirmandi fidem, cum Deus apprehenditur in uerbo promiſsionis ſuæ, quam irritam facere nequeat in eo, & per eum, in quo omnes promiſsiones ſunt Amen & etiam, qui eſt Meſsias benedictus, hic in ישועני indicatus, & per angelum de quo ſequitur mentio, præfiguratus.

A uoce angeli fugerunt.) à uoce fremitus ac ſtrepitus angeli, quo is Aſſyriorum caſtra profligauit. Eſt & ſua uox Meſsiæ, plena fremitu, quo caſtra ſpiritualis Aſſyrij Antichriſti conturbat & diſsipat. Quæ uox ſacri Euangelij uox eſt, per ſpiritum Meſsiæ efficax ad liberandam Eccleſiam cœleſtem Hieroſolymam, & ad deſtruendũ regnum aduerſarij. Conſolatur ciues Hieroſolymæ, à potenti præſidio aduerſus hoſtem afferendo.

Ab exaltatione tua.) Figura & umbra cernitur in temporibus Ezechiæ: ueritas in temporibus, quibus Dominus noſter Meſsias ex humili ſtatu crucis, in quo ludibrio mundo & eius principi Satani fuit, elatus ad maieſtatem cœleſtis regni, de ſuæ Hieroſolymæ hoſtibus ultionem ſumit. Exaltatus autem Chriſtus eſt per reſurrectionem ex mortuis, & aſcenſionem in cœlum: extollitur item per prædicationem Euangelij, & per credentes Euãgelio amplificatur ac celebratur tanquam ſeruator mundi, & Rex regum, & Dominus dominantium: extollitur demum, ſuos & ſponſæ ſuæ Eccleſiæ hoſtes deprimendo.

Et congregabuntur ſpolia.) Si figuram ſpectes, Aſſyriorum ab angelo deletorum ſpolia occurrunt. Sin ea ſpolia quæ præfigurata ſunt, legimus infrà de Meſsia: Et fortium diuidet ſpolia.

Sicut colligitur bruchus.) Scita ſimilitudine hoſtilem exercitum bruchis & locuſtis, ſata & arborum flores depaſcentib. comparat. Quæ exitialia animantia ut magna cura colliguntur, ne noceant: ſic ſpolia uaſtantis omnia exercitus Aſſy-
Plin.lib.11. riorum collectum iri. De damno quod locuſtæ dant, uideris apud ſcripto-
cap.29. res rerum.

Velut cum foſſæ.) Ad uerbum in Hebræo: Sicut excurſio locuſtarum, excurrit in illum. גבים interpretibus ſunt locuſtæ. Sic enim Syrorum lingua locuſtas no-
20. minari, ex Exodo patet: ubi Chaldæus interpres pro ארבה, reddit גובא.

Magnificatus eſt Dominus.) quem hoſtis deprimere molitus eſt, dicens: Quis eſt
4.Regum 19. ex omnibus diis terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea, ut eruat Dominus Hieruſalem de manu mea? Hoſte igitur depreſſo, Dominus dicitur

citur extolli, cum declarat potentiam suam aduersus superbum hostem, audentem dicere, In cœlum ascendam: in quo Dominus habitat, ut habitaculo & mansione sua, non aduersarius, ut sequitur. 4 Regum 19.

Quoniam habitauit in excelso.) unde spiritum fundit, iudicantem mundum de peccato, iudicio & iusticia. Contentione consolationem amplificat. Hostis superbus se effert: at Dominus extolletur, hoste deiecto. hostis Sionem, quantum in ipso est, iudicio & iusticia spoliare studet: at fallitur, Sion iudicio & iusticia replebitur, illo ipso miserrimè iusto Dei iudicio perituro, dum Deus castigatam & emendatam pro æquitate sua & iure fœderis sui Sionem seruat, & arrogantem hostem pro iusticia sua perdit. Præterea hostis cum animo suo consilia de Hierosolyma euertenda agitat: cõtrà Dominus, de ea conseruanda. Quantum momenti in hac consolatione situm sit, nos hodie experimur, cum hostium Euangelij conatũ aduersus Ecclesiam, nihil aliud quàm stipulam & paleam parientem, igni comburendam, irritum fore confidimus.

Et erit fides in temporibus suis.) Consolatur à bonis, quæ profligato hoste Sion sit habitura: eam florentem fore fide, robore, salute, sapientia, scientia, timore Domini. De singulis ordine.

Fides.) Quam & Deus sit seruaturus, stans promissis: & tu eam illi sis habitura, credens eius promissis. aut אמונת constantia & firmitas est. In Sione omnia firma & stabilia fore, non infirma & fragilia, ut sunt hostibus eius.

Diuitiæ.) Alijs חסן thesaurus est, alijs robur. Vtra interpretatio accipiatur, non est periculum. Si thesaurus placet, submota figura occurrunt thesauri cœlestes, de quibus horum dispensator Messias meminit apud Euangelistam.

Salus.) Quæ cernitur in illa parte præcipuè, de qua illud: Et saluum faciet populum à peccatis suis. restituta iusticia & uita, quæ amissa primi hominis uitio fuerat.

Sapientia.) Non huius mundi, sed cœlestis, quæ in cognitione Dei patris, & eius quem pater misit Iesu Christi uersatur. In cognitione inquam Dei patris, qui nos amet, reconciliatus nobis: in cognitione item filij à patre missi, per quẽ nobis pater sit reconciliatus. Hæc sapientia est illa uera sapientia, æternam uitam ijs qui ea prædíti sunt, afferens. Est enim hæc sapientia, ipsa uita æterna in sanctis habitans: Messias nimirum, nobis à Deo patre sapientia, iusticia & uita, non terrena fragilis & lubrica, sed cœlestis & æterna factus.

Scientia.) de hac facultate diuini spiritus uideris suprà capite 11.

Timor Domini.) Liberalis ueneratio Dei, quali filij patrem uenerantur, non quali serui Dominum metuunt, seruili metu & degenere. Vt is principium sapientiæ sit, ut in eo omnes thesauri tanquam in fonte uitæ repositi sint, ea de re aliàs. At is diuinus timor gradus suos habet. Nam aliter is ante patefactum Messiam in puerili electorum ætate, quam pædagogia legis format, agit: alitériam patefacto Messia in adultiore eorum ætate, quam adoptionis spiritus regit, sese ostendit. Nam is timor ante reuelatum Christum, cum legis seruili metu de damno peccati & mortis coniunctus cernitur: quo qui ornati sunt, partim reuerenter, partim seruiliter metuunt Deum. ut in filijs dum pueri sunt mixtus timor se profert, quo partim parentes uenerantur ritu filiorum, partim more seruorum metu ferulæ se rectè gerere studeant. Atque hoc ipsum est quod Apostolus dicit, filios cum adhuc pueri sunt, parum differre à seruis, quamuis hæredes sint. Hoc timore laudato, qui diuini spiritus uis & donum est, non à natura uitiata originem ducens, omnes scripti in libro uitæ prædíti sunt, priusquam cognitum Messiam teneant. Vt autem is timor uiam reuelando Euangelio præparet, ut is semina fidei puerili electorum ætati congruentis contineat, aliàs indicatum est. Huiusmodi fides quæ ex spiritu timoris, antegredientis cognitionem Euangelij nascitur, primordia animad-

animaduertere licet in Iethrone, Raaba, Gibeonitis, Vaamane Syro, uidua Sareptana, & in uulgo Israelitarum, & in omnibus de quibus Petrus in Actis loquitur: Nunc scio quòd in quauis gente qui timet ipsum, &c. Deinde in electis exhibet se timor liberalis, à metu peccati & mortis liber, quo Deus ueneranter spiritu & ueritate in Christo colitur, amore ipsius, non metu pœnæ & seruitutis. Hunc timorem format spiritus adoptionis. Priorem, ex gratia electionis insitum, pædagogiæ legis ministerium excitat. is continet fidem uelatam, ille reuelatam, de qua Apostolus: Concluſi in eam fidem, quæ erat reuelanda, &c. Hactenus de diuinis muneribus quæ in Sione ecclesia, ad bonam gubernationem eius sub rege Messia spectantur, quibus contraria in regno aduersarij reperiuntur: perfidia, inopia à diuitijs cœlestis regni, exitium à peccato & morte, stultitia, ignorantia Dei, & contemptus eius.

Et uidentes clamabunt foris.) Describit calamitatem quam legati Hierosolymæ, de pace ad hostem frustra missi, denunciarũt: idq; à propheta sic à diuino instincto spiritu fit, ut Dei potentiam in aduersis rebus declarandã, consolandi gratia amplificet.

Angeli pacis.) Ab Ezechia & Hierosolymæ ciuibus missi ad Sennacheribum, ad agendum cum eo de pace. Sic enim in libro Regum scriptum legimus: Ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad uniuersas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas. tunc misit Ezechias rex Iuda legatos ad regem Assyriorum in Lachis dicens: Peccaui, recede à me: & quicquid imposueris mihi, feram. Itaque indixit rex Ezechias regi Iuda trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. deditque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regijs. Ad hanc legationem uidetur propheta spectare. Sed quid legati ad hostem de pace missi renunciant? Sequitur:

4. Reg. 18.

Irritum factum est pactum.) hoste fidem non seruante. Vt autem Sennacheribus fidem non seruarit, ex Regum historia iam citata patet: in qua legimus, illum iam auri & argenti talentis acceptis, exercitum Hierosolymis admouisse. Hæc denunciantes legati dicunt, fœdus à Sennacheribo fractum. Bifariam igitur tentata fuit principum Ezechiæ fides: uno modo, quòd auro & argento, quod in templo Deo consecratum erat, pacem redimere uoluerunt: altero modo, quòd eam neque hoc modo obtinere potuerunt, fidem uiolante perfido tyranno. Quia in re quanta sit perfidia hostium Ecclesiæ, & infirmitas ciuium eius, declaratur: qui cum eo hoste pacem facere sustineant, prodito auro & argento uerbi Dei, cum quo fœdus non nisi suo maximo periculo sanciant. Itaque mirum non est ut ea calamitas denuncietur, qualis à uate mystice hic explicatur. Si exempla nostrorum temporum requiris, considera quid superioribus annis Germaniæ de INTERIM acciderit. Non audimus hic legatos consolari Hierosolymæ ciues, eósque erigere in spem comparandæ salutis à Deo, qui potentior esset ad seruandum, quàm hostis ad perdendum: sed res aduersas ab illis, ad deijciendam afflictorum spem, exaggeratas legimus: qui quales legatos præfigurarint, temporibus Antichristi spiritualis Assyrij hostium potentiam amplificantes, & cœlestis Ezechiæ Messiæ uires extenuantes, palàm est. Non absimiles fuerunt illi legati, quos Moses ad Chananæam terram explorandam, ex Arabum solitudine miserat: qui ut redijssent, non quæ in spem occupandæ promissæ terræ Israelitarum animos adducerent, sed quæ illos prorsus deijcerent annunciabant, dicentes: Terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos. Has Satan machinas admouet in tentando, ut de fidei gradu electos dimotos, ad desperationem de salute adipiscenda adducat.

Luxit terra.) Luctum terræ figuratè affingit, prophetico more. Similiter Oseas: Luge terra. item Hieremias: Lugebit terra. Vt terra in luctu esse dicitur, cùm deuasta-

deuastatur, quæ ad ferendas fruges, & ad sustinenda animantia condita sit: ita frugibus exornata, & animantibus, præsertim homine frequentata, in gaudio esse intelligitur. Aut per paronomasiam, terra pro incolis terræ accipitur.

Confusus est Libanus.) Hostem in omnia grassari. In Libanum ab aquilone, in Carmelum à meridie: ab occasu in Saron, locum nobilem bonis pascuis. ab oriente in Basanem, pascuum locum transiordanensem, qui Manassi cessit de ditione Og regis.

Nunc consurgam.) Expositis periculis, in quibus Hierosolyma uersatur, iam à præsidio & ope à Deo afferēda, consolatur. Dicitur autem Deus surgere cùm ad liberandos suos, contra hostes se parat, potentiam suam ostensurus: qui uideatur iacere & dormire, cùm suos nō seruat. ueluti superbus hostis his uerbis Deo Israelitarū exprobrat: Non seducat uos Ezechias, non enim poterit eruere uos de manu mea: neq; cōfidere uos faciat Ezechias Domino, dicens, Eruet uos Dominus, &c. Itaq; cum talis existimatur esse Dominus ab hostibus, & pij eius auxilium non cernunt, dicit is: Surgam. Vnde discimus, Deum in tabulis decretorum prouidentiæ suæ certa tempora consignata habere, quibus hostium libidini suos permittat uexandos: habere item, quibus suos grauiter uexatos fortiter liberet, qui omni humana & diuina ope destituti uidebantur. Quod cum facit, suam bonitatem & potentiam illustrem, & fidem suorū promissorum constantem declarat, erga eos qui his uerbis precātur: Miserere nostri. qua precatione exaudita, ipse dicit: Surgam. quem hostes dormitare putarunt, non perpendētes illud: Nō dormitabit neq; dormiet, qui custodit Israel. *Psal. 121.* hoc est, electorū in Messia, ecclesiam. Metuat ergo sibi Antichristus his extremis temporibus, ab hac uoce: Iam surgam, iam euehar, iam extollar. Qui Antichristus cum iam multis seculis secure omnia in Ecclesia uastet, putans dormire Messiam: hoc surgente experietur, quæ in mystico hoc oraculo sequuntur. Et rursum, ij qui se liberatum iri sperant de manu aduersarij per Dominum, elaborare debent, ut tales se præstent, quales Dominus dicit se liberaturū: hoc est, afflictiones patienter ferant, per pœnitentiam ueterem hominem exuentes, & nouum induentes. Quales contra mundum, & principē mundi Satanem, contra carnem & eius cupiditatem bellum gerent, sub signis ducis CHRISTI IESV militantes, nō ambitioni, auaricię, ebrietati, libidini studebunt: non ad fundendum sanguinem current, non conuicijs nomen Dei dehonestabunt. Quibus uitijs cum Germania in hoc postremo patefactionis Euangelij tēpore horribiliter defœdata sit, hoc Euangelium quod eis prędicatur, sentient sibi in diuinæ irę & uindictę testimonium prædicari: contra quàm eius ratio est, quod natura plenum gratia & uita uerbum est.

Concipietis ardorem.) Hostium consilia stuppæ, facile igni comburendę, comparat. Cogitationē ac consilium conceptū, uocat opus, quod consilio adornatur, partum: in utrisq; uanitatem cerni. Quòd cōsilia de capienda Hierosolyma frustra inita sint, & opus non succedat: impeditum nimirum ab eo, de quo Dauid *Psal. 32.* canit: Dominus dissipat consilia gentium. Intueamur nostra tempora.

Spiritus uester.) animus improbitatis igni accensus, de quo illud: Succensa est *Suprà 9.* quasi ignis impietas. Hoc ipso igni, uindice Deo per angelū, paleam & stipulā malorū consiliorū exustum iri: parantibus impijs sibi sua improbitate exitium.

Et erunt populi.) in exercitu Assyrij regis: & submoto uelo, militātes sub signis Antichristi aduersus Messiam, & sacram eius ciuitatem Hierosolymam, ex scriptis in libro uitæ descriptam.

Quasi de incendio cinis.) Colorat cladem hostium scita comparatione, qua illos lapidibus in calcem crematis comparat, quos infusa aqua in puluerem soluat. Nota est enim uox יקד. Si miraris quòd durissimi lapides igne ita coquuntur & molliuntur, ut in calcem resoluti propter elementorum terræ, aquæ, aeris

& ignis, quibus constant, temperationem liquescant: quanto magis mireberis metalla, & ea quæ uidẽtur aduersus ignis iniuriam firmissima esse, ut sunt aurum, argentũ & argentum uiuum, non uulgari modo in calcem solui, sed ita solui, ut separatis secretisque ex quibus conflata sunt elementis, ea in talem calcem & puluerem redacta cernas, qui in liquidum oleum, per aquam in eum soluendi usum paratam conuertatur, quòd non solùm ignis omnem uim superet, sed etiam cætera impura metalla in quę infunditur, tuta aduersus ignis iniuriam efficiat. Atqui hæc calx singularem diuinæ sapientiæ & bonitatis significationem præferens, & ad abstrusa sacrarum literarum mysteria explicanda reseruata, à propheta nostro hîc in comparatione non adhibetur, sed uulgaris illa calx quam cementarij tractant.

Spinæ cõgregatæ.) Alia similitudo: similes fore hostes spinis succisis quę igni cõburuntur. Alludit ad ea quæ suprà in mystica Orci descriptione memorauit.

Audite qui longè estis.) Ad consolandum Hierosolymam, miraculum futuræ liberationis amplificat, dum prænunciat, etiam remotos admiratione tantum salutis opus prosecuturos. Similia suprà capite XIIII. sub finem propheta prædicit. Nos etiam in Paralipomenis capite XXXII. legimus, in quanta dignitate cœperit haberi Ezechias apud exteras gentes, ut percepissent ab hoste Assyrio Hierosolymam uindicatam in libertatem, excusso seruitutis iugo.

Meam fortitudinem.) depressa illius fortitudine, qui gloriari audet: in fortitudine manus meæ feci.

Conterriti sunt in Sion peccatores.) uersante in periculo Hierosolyma, uates per cõtentionem probos ciues cum improbis conferens, alteros perfidiæ redarguit, alteros in officio fidei & spei ad eos consolandos retinet: atq; utrosque quales sint describit. Improbos & hypocritas tempore rerum aduersarũ in aliena præsidia propendêre, qui suprà his uerbis à propheta reprehensi leguntur: Heu filios rebelles, qui consilium ineunt non ex me: qui pergunt in Aegyptum descendere, non sciscitantes os meum: Pharaonis fortitudine nixi, & Aegypti umbræ confidentes. Quæ summa est rebellium & hypocritarum perfidia: qui rebus secundis fortes se ostendunt, probitatem præ se ferentes, in rebus aduersis summam improbitatem declarant, dum ipsi Deo confidere non student, & alios à fide abducere moliuntur. Talibus hypocritis ut ecclesia regnante Antichristo plena sit, res ipsa comprobat. Vt autem comparati sint, utq; se gerant probi, propheta quoq; mox indicabit.

Quis poterit de uobis.) uox desperantium de salute, qui hostem edaci igni omnia deuoranti cõparant, obliti eius ignis de quo illud: Deus ignis consumens. consumens inquam tanquam scoriam impios, & sanctos tanquam aurum & argẽtum purgans & perficiens.

Qui ambulat in iusticia.) in fide, per amorem Dei & proximi agente: iusticia, quæ fides per amorem agens omnium rectè cogitatorum, dictorum & factorum, quæ quidem Deo probentur & satisfaciant fons est.

Et loquitur ueritatem.) consentanea legi diuinæ de amore Dei & proximi. quia mor per fidei lumen accensus, norma & regula est omnis recti & æqui. Nam is amor est Deus ipse, in sanctorum pectore per spiritum ueritatis habitans, qui neue falli neue fallere potest. De quo Ioannes: Deus amor est: & qui manet in amore, in Deo manet. Nam ut solem per lucem eius uidemus, ita Deum per lumen eius cognoscimus. de quo uates: In lumine tuo uidebimus lumẽ. Et Deus per lumen suum, quod Messias est, cernitur: sic ipse quoque per se & in se amatur, per spiritum nimirum amoris, quo impulsi uersamur in iusticia: & מישרים, hoc est, recta quæ consentiant cum Dei uoluntate, loquimur.

Qui proijcit auariciam.) fontem omnium scelerum, quæ ab Hebræis בצע appellatur, quòd ritu gladij hominem uulneret & interimat. Quò spectans Salomon

mon in Prouerbijs, sic de auaris loquitur: Est genus hominum, quorum dentes gladij sunt, quorum genuini sunt enses, quibus inopes & pauperes deuorent. Hinc fit ut fœnus נשך uocetur, quòd mordeat & iugulet eos in quos exercetur. Hoc uitio laborantes, in Deum perfidi, ut ab eius fide ad mamnonam iniquum, quem tanquam Deum colunt, deficientes, & in homines qui Dei cognitione tenentur, iniurij sunt. Nam hoc uitio qui tentantur, patriam prodere, parentes & amicos dehonestare, furta committere, innocentem sanguinem fundere, falsa testimonia dicere, ius omne peruertere, & omnino omnia diuina lege prohibita scelera committere audent. Quare meritò ab Apostolo, ut supra quoque indicatum est, auaricia idololatria appellatur, & ab ipsis gentilibus hominibus arx & metropolis omnium malorum uocatur. Auari enim homines & alios & se pessundant. Etenim hi multa possidentes extra Deum, se cum non possideant, ut mancipia pecuniæ, se cum alijs, quorum cum fraude opes congerunt, perdere studeant. Quapropter ueteres non temerè ipsi Plutoni in tenebris & caligine inferni, & in sulphureo solio sedenti, suas Furias & Harpyias affinxerunt: quibus si ulli homines misere uexantur, auari homines uexantur, Satanis in orcum damnati mancipia.

Qui excutit manus suas ab omni munere.) Non per auariciam illud captans, ad euertendam causam afflictorum & inopum: ut solent munera corda cæcare, & prudentum censuram ac iudicium corrumpere. Si profana exempla spectes, laudatur Phocion, qui Alexandri Macedonum regis munera recusarit accipere. quamuis legati ostenderent, ideò à rege ad illum centum talenta missa, quòd iudicaretur bonus & honestus uir esse. Is autem inde recusandi muneris occasione arrepta, dixit, se ideo nolle munus accipere, ut honesti uiri existimationem tueretur: indicans, muneribus humanos animos facilè deprauari. Non plures Phociones inter illos reperias, qui nomine Christianorum cēsi, ex professione Christianæ religionis imperium in Mammonam iniquitatis habere deberent.

Qui obturat aures suas.) Vt pedes proborum laudat, qui in uia iustitiæ ambulāt, & linguam recta loquentem, & manus abstinentes à muneribus: sic aures commendat sanguinem non audientes: hoc est, illis non parentes qui ad fundendum innocentem sanguinem hortantur. Nomine sanguinis accipitur omnis noxa, qua alter iniuriosè lædit. Sic Psaltes: Libera me de sanguinibus. Vt igitur pij clausas aures ad lædendum habent, ita ad benefaciendum apertas tenent, qui afflictis pes, manus, oculus & os sunt, ut est apud Iobum. *Psal. 51.*

Et claudit oculos suos, ne uideant malum.) Laudat demum oculos piorum hominum, qui malum non uideant: hoc est, probent, & ei consentiant. Hebræus חזק corroborandi uerbo utitur, significans fortis hominis esse, cupiditates cohibere, ne excusso iugo legis diuinæ, eas expleat. Numerat uates noster oculos, aures, linguam, manus, pedes, præcipua, in corpore humano membra, quæ probi custodiant, ne per ea grassantes in corpore mortali affectiones, ad dehonestandum nomen Dei, & ad nocendum alteri se proferant. Hinc apud Mosem legitur, ut iussi sint Israelitæ legem manibus alligare, & eam ob oculos uersantem habere. Hanc legem Fabricius ille Romanus sine lege scripta exprimere uolens, grandem pecuniam à Samnitibus oblatam accipere renuit, & manibus ab auribus ad oculos, ab his ad nares, ad os & gulam, & inde ad uentrem deductis, respondit: Sibi nihil defuturum, dum membris illis imperare possit. Sed ut quis uerè his dominetur ex sententia legis diuinæ, unde uim & facultatem accipiet? Vis hæc & facultas à propheta nostro indicata est, ubi ait: Qui ambulat in iustitia. Quæ autem sit illa iustitia, suprà explicatur: Ecce in iustitia regnabit rex. & hic: Dominus implet Sionem iustitia, & ut impleat, infrà ostendit: Seruus meus iustos reddet multos. cognitio- *Rom. 7.* *Deuter. 11.* *Esa. 32.*

ne sui. Quæ cognitio ac scientia, fidei cognitio & scientia est.

Iste in excelsis habitabit.) Consolatur à secura & tuta habitatione. A' pijs metum hostium, edacis ignis instar omnia cõficientium, abfuturũ. Locutio sumpta est ab arcibus, in præruptis saxis extructis: in quas qui confugerint, putant se ab hostili ui tutos fore. Quare significatur, tuto præsidio custoditum iri, qui in Domino innocentiam & probitatem per fidem seruarint, ab illo ipso solo spe pendentes. Itaque hæc excelsa, in quibus pios habitaturos propheta dicit, po-
Prouerb.18. tentiæ diuinæ nomen sunt. De quo nomine Salomon: Nomen Domini turris fortissima. Quod nomen salutare Messias est, nomen exaltatum supra omnia
Matth.16. nomina, & petra illa excelsa ac sublimis, de se prædicans: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. In hac petra qui habitant, tuti & securi habitant aduersus omnem hostilem peccati, mortis, inferni, Satanis, Antichristi & tyrannorum orbis terrarum uim. qui Messias & ipse in excelso ad dextram potentiæ & imperij in omnia habitat. De quibus excelsis post Mosem & pro-
Coloss.3. phetas, clarissimè Apostolus noster: Itaque si resurrexeritis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens. Arbitratur & hostis se in excelso habitare, ab omni iniuria tutum, qui audet dicere: In cœlum ascendam. Sed quid huic accidit? Id accidit, quod suprà indicatum est: Detraheris in infernum, in profundum laci.

Sublimitas eius.) Hæc sublimitas ex firmo statu æstimanda est, non ex loco. Repetitur eadem sententia, sed alijs uerbis amplificandi gratia enunciata.

Panis ei datus est.) Consolatur à uictu, quo carituri non sint, etiam in periculo hostilis obsidionis. Exemplo est Hierosolyma, ab Assyrio infestata: quæ, soluta obsidione, quanta rerum copia cœperit affluere, mox infrà patebit. At in temporibus Ezechiæ umbra cernitur, ueritas in temporibus reuelationis Messiæ ostenditur, qui se uitalem panem suæ Hierosolymæ exhibet, qui ex se manantes firmas & fideles aquas suis præbet, ad sedandam sitim illo tempore, quo draco per spiritualem Assyrium Antichristum Ecclesiam infestat. Intueamur nostra tempora.

Regem in decore suo uidebunt.) Consolatur à florenti regno, quo rex sacræ ciui-
2 Paral.32. tatis regnaturus sit. Præcesserat de tuta & firma habitatione mentio: iam subijcit promissionem de rege, quo imperante in pulchritudine ciues tranquillum statum sint defensuri. De Ezechia rege, ut eius regnum deuicto hoste Assyrio floruerit, in Paralipomenis annotatum est. De nostro rege Messia, ut eum Hierosolyma Ecclesia splendidè regnantem cœperit cernere, cum in cœlum ex humili crucis statu fuisset elatus, documento est doctrina Apostolica in terrarum orbẽ sparsa, & miraculis confirmata, & ad eum gentium aggregatio facta. Vt autem his postremis temporibus eadem Ecclesia abiecto Antichristi iugo, suum regem Messiam in pulchritudine & maiestate sua per Euangelij lumen illustrata, spectatura sit: iam eius splendoris initia animaduertere licet. In quibus extremis temporibus plenius implebitur, quod hic propheta Iesaias præmonet.

Oculi eius.) cernent terram de longinquo. Sed qualem terram cernent? remotas nationes ad regem Messiam, fidem Euangelio eius habentes, confluxuras cernent. De quibus Dominus rex noster IESVS CHRISTVS, maiestate & regio splendore illustris, apud Euangelistam his uerbis meminit: Amen dico uobis, quòd multi ab Oriente & Occidente uenturi sunt, & accumbent cum Abraham & Isaac in regno cœlorum. Meminit autem horum patriarcharum, quòd eis præcipuè promissiones de gentium salute in Messia exhibenda factæ sint. Scriptum est de Abrahamo: Et eris pater multarum gen-
28. tium. & de Isaaco, emine Abrahami: In semine tuo benedicentur omnes gentes. in semine nimirum Messia, ex Isaaco procreato. Item ad Iacobum in Genesi:

neſi: Et benedicentur in te cunctæ tribus terræ. Cæterùm Paraphraſtes Chaldæus, ubi hîc mentio fit de regio ſplendore, ipſe ſic reddit: Maieſtatem diuinitatis regis ſeculorum in gloria eius uidebit oculus tuus, contemplabitur & cernet deſcendentes in terram Gehennæ. Is intelligit Dominum Hieroſolymis regnantem, ciuium proborum oculos uiſuros, & improbos ad Gehennam damnatos miſerè perditum iri. Idem Paraphraſtes, ubi ſuprà legimus, ſontes & hypocritas deſperabundos dicere: Quis noſtrûm cum igni deuorante habitabit, & quis noſtrûm ignem æternum accendet? interpretatur de ſplendore ignis diuinitatis, in ſacro Hieroſolymæ templo uerſantis: & de Gehennæ, hoc eſt inferni igne. Porrò ſplendor ignei throni cœleſtis ut pijs ſalutaris ignis eſt, ita impijs, qualis inferno tribuitur, pernicioſus redditur. Sic enim habet Paraphraſtes: מן ירור ולנא בציון רבת וחור שבנתיה כאשא אבלא מן יתוהב לנא בירושלם עתידן רשיע אלא תרנא לאתמסרא לגהנם יקידות עלם. Quod attinet uerò ad pulchritudinē noſtri regis Meſsię, de ea ſic Dauid propheta canit: Specioſus forma præ filijs hominum. Hæc autem pulchritudo ſpecies atque uenuſtas cernitur in eo, quòd omnia in humana regis huius natura cum diuina conſentiunt. Et quoniam hæc pulchritudo omnibus numeris perfecta atq; abſoluta in rege Meſsia ſpectatur, de ea cæteri ſancti ſuam pulchritudinem ſumunt: pulchritudinem uidelicet iuſticiæ, ſapientiæ, uitæ, gloriæ. Hinc etiam Meſsias pulcher, ſuam quoque ſponſam pulchram prædicat: Quàm pulchra es amica mea. Vt hæc ſponſum ipſum prædicat: Pulcher es dilecte mi. *Pſal.44.* *Cantic.4.* *Cantic.1.*

Cor tuum meditabitur timorem.) Stupore quodam correptos Hieroſolymæ ciues, dicturos quæ ſequuntur:

Vbi eſt ſcriba.) ab Aſſyrio deſignatus, qui tributa ſcribat & exigat, capitumq; cenſum peragat?

Vbi legis uerba ponderans?) Hebræus: Vbi ponderator? qui uidelicet argenti penſum ponderet. Argentum enim & aurum non numerari, ſed ponderari ſolita ſunt.

Vbi doctor paruulorum.) Hebræus: Vbi qui ſplendidas & magnificas domos annotet? quæ plus tributi pendere ſolent, quàm obſcuræ. Hactenus de literæ: quam ſi conſideras, propheta loquitur de onere ab Aſſyrijs Hieroſolymæ impoſito: huius ſolutionem admirabilem futuram ciuibus illius. Apoſtolus Paulus, ut myſteriorum Moſæ & Prophetarum gnarus, ſubducto uelo ad pateſacti Chriſti tempora oracului hoc refert, ſapientes huius ſeculi Euangelij doctrinam inſectantes perſtringens, ubi ait ex prophetæ ſententia: Perdam ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentum reijciam. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſpenſator ſeculi huius? Habet mundus & Antichriſti regnum ſuos ſapientes, ſuos ſcribas, doctos literis homines: habet de magnis rebus diſſerentes, qui de prophanis & ſacris ad diſputandum audent quæſtiones proponere, quibus ciues ſacræ Hieroſolymæ de uera ſapientia, deq; uera religione abducant ad falſam, atque eos Antichriſti Sataniſq; illius parentis tributarios ſeruosq; reddant. Sed quid efficiunt hi? Nihil efficiunt: ut qui per angelum, hoc eſt, per legatos ſapientiæ cœleſtis Euangelium annunciantes, perdantur. uelut ex ſententia noſtri prophetæ Apoſtolus ait: Perdam ſapientiam ſapientum. *1.Corinth.1.*

Populum impudentem non uidebis.) Cõſolatio à profligatis Aſſyrijs, quos נרעז, hoc eſt obfirmatum ad nocendum populum appellat. In Daniele additur huic uerbo, מזים, hoc eſt obfirmatus & impudens uultu: Antiocho Epiphane notato. Reducto uelo, occurrit aduerſarius Meſsiæ, ab utriſque Aſſyrio & Antiocho adumbratus. Quem contumacem, impudentem & ſæuum regem, cum exercitu eius, ut Meſsias ſit ſpiritu oris ſui interempturus, ſuprà indicatum eſt.

Populum alti sermonis.) quem non intelligas. profundiora enim, ut abstrusa, non uidentur. Si historiam spectes, Syrorum sermo uulgo ignotus occurrit. Infrà porrò legimus: Loquere ad seruos tuos Syra lingua, intelligimus enim. Ne loquaris ad nos Iudaicè in auribus populi. Sin uerò tempora Antichristi consideras, huius abstrusus & barbarus sermo est, quo nimirum ea dicuntur, quæ sancti homines ut à regno cœlorum aliena non cupiunt: ut est doctrina de iustitia humana, quæ Deo satisfaciat, de meritis, de indulgentijs, de purgatorio, de missis pro uiuis & mortuis celebrandis, de uotis monasticis, & de id genus alijs piorum intelligentiam fugientibus: qui quæ Deo probantur capiunt, quæ improbantur non capiunt.

Respice Sion.) Iam Assyrio deuicto, quem impudentem hostem non amplius uidebis, sed Sionem, solennitatũ nostrarum: quæ ut tempore Achaz & incursionis Assyriorum in sacram terram interceptæ fuerunt, ita profligato hoste & restituta religione solennitates pristinæ repetentur. Nos in Paralipomenis legimus, quomodo Ezechias per totam Israeliticam terram reliquias Hierosolymam euocarit, ad Pesah festum celebrandum. At in his umbra cernitur, ueritas in regno Messiæ. Hoc regnante, cultus Dei solennis peragitur spiritu & ueritate, non cum obseruatione elementorum mundi.

2. Paralip. 30.

Tabernaculum quod nequaquam auferri poterit.) Dicas, Hierosolymam dirutam à Chaldæis esse: bene quidem, sed quæ sit instaurata regnante Cyro. Sed perges obijcere, illam per Romanos ita dirutam, ut nunquam hactenus instaurata sit: neque ulla spes sit, eam instauratum cum templo iri. Quod hic legitur, firmam fore mansionem ac tabernaculum Hierosolymorum: id in cœlesti Hierosolyma impletur, quam nobis terrrena præfigurauit. Similia de regno Dauidis, de sacerdotio Aaronis, & figuris ueteris testamenti leguntur: quæ omnia in his rebus firma iudicantur, quas adumbrarunt: umbris abolescentibus, corpore & rebus ipsis quę adumbratę sunt, durantibus. ut in omnem æternitatem Messiæ regnum, Hierosolyma cœlestis & templum ex electis ædificatum, unctio sacri spiritus, & per hunc fœdus initum, hæreditas cœlestis per terrenam adumbrata, ignis supracœlestis amore & luce diuinitatis ardens, & si quæ sunt eius generis, perdurant.

Et auferentur claui eius.) Qui meminisset non transferendi tabernaculi, iam clauorum & funiculorum meminit. Cùm transferuntur tabernacula, claui eximi & funiculi complicari solent. ad quem morem, gratia amplificandi firmum Ecclesiæ statum, spectat propheta. Quod legimus hîc, Hierosolymæ statum firmum fore, id accipitur de eo firmo statu, quem tueatur contra aduersarias potestates, à quibus non sit euertenda: non de seruando in perpetuum statu, quem in cruce degit. Hunc enim in glorioſum commutatum iri, ipsa sponsa Ecclesia nouit, & de eo sibi gratulatur. Itaque nominatur hic à propheta tabernaculum & tentorium, alludente ad peregrinationem Ecclesiæ, qua in his seculis peregrinans ad cœlestem patriam aspirat. Similiter infrà capite quinquagesimoquarto, tentorium dilatare, & tabernaculorum pelles extendere dicitur.

Qui solummodo ibi magnificus est Dominus noster.) Explicatur ratio firmitatis Hierosolymæ, unde hæc æstimanda sit. hanc non à muris, turribus, arce, humana prudentia, iustitia, fortitudine & potentia: sed à Domini præsentia metiendam esse, qui præsens communicatione suæ sapientię, iustitiæ & fortitudinis in Messia illā defendat & tueatur. Quæ præstans laus est Hierosolymę. Nam tali præsentia solum in Ecclesia electorum, è spiritu sacro natorum, magnificè & amplè præsens est.

Dominus noster.) nobis per filij Messiæ sanguinem reconciliatus, & beneficio regenerationis è spiritu adoptionis pater nobis factus.

Locus

Locus fluuiorum riui latißimi.) Colorat amplificandi gratia munitionem Hieroſolymæ, ſimilitudine à flumine ſumpta: cui comparat Dominum, qui inſtar fluuij Hieroſolymam circundet, ut ab hoſtili ui tuta ſit. Solent porrò urbes munitæ iudicari, quæ fluminibus ambiuntur. Quare ut hic Dominus fluuio abarcenti hoſtilem impreſsionem comparatur, ita apud Zachariam muro igneo confertur: Ero ei (dicit Dominus) murus ignis. Memoratur item apud Ioannem fluuius, qui per plateas Hieroſolymæ nouæ de cœlo deſcendentis, ad irrigandam eam, & eius ſordes abluendas fluat. Sed unde fluit is fluuius? Idem Ioannes eius ortum explicat his uerbis: Et oſtendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ, ſplendidum tanquam chryſtallum, procedentem de ſede Dei & agni. Huius fluuij aquis ciues Hieroſolymæ & potantur, & purgantur, & defendun tur ab hoſtili ui & iniuria, de qua ſequitur:

Non tranſibit per eam nauis.) Nauis inquam mũdo, Satana & Antichriſto, eiuſq; defenſorib. tyrannis inſtructa, ad nocendum ſacræ Hieroſolymæ ciuibus: quã ſi ſtudeant lædere, ſuo ipſorum exitio ſtuduerint lædere: quos nimirum murus ille igneus conſumat tanquam paleas, & cœleſtis fluuius abſorbeat, Hieroſolyma ſeruata.

Dominus enim iudex noſter.) aſſertor & liberator noſter, & ultor hoſtium noſtrorum. Is iudex Meſsias eſt, à patre habens omnem iudicandi poteſtatem.

Dominus legifer noſter.) non Aſſyrius, non Antichriſtus. Meſsiam legislatorem ſuum agnoſcit Hieroſolyma Eccleſia, legis inquam latorem, de qua ſuprà: Ex Sion exibit lex, lex ſcilicet ſacri Euangelij, in carneis ſcribenda tabulis: non ſaxeis, in quibus Moſes ſuam legem ſcripſit. Quanto minus agnoſcetur legislator aduerſarius Chriſti, cuius ille ſe uicarium, ſed uana oſtentatione iactat? Legimus enim hîc, Dominũ ipſum doctorem & legislatorem Eccleſiæ fore, neminem alium: non Mahumetum, non paſtorẽ ſtultũ ſuper ſeptẽ colles ſedentem.

Dominus rex noſter.) Per ſacrum ueritatis & iuſticiæ ſpiritum in nobis regnans: non Antichriſtus, per ſpiritum mendacij & errorum.

Dominus ipſe.) Meſsias, in fœmore ſcriptum habens: Rex regum, & Dominus dominantium.

Ipſe.) nemo alius neue in cœlo, neue in terra: non angeli, non diui.

Saluabit nos.) à iure peccati, mortis & inferni, & ab omnium poteſtatum aduerſarum ui ac iniuria. Ad conſolandũ afflictã Eccleſiam, quatuor nomina præſtãtia, & nobis ſalutaria, tribuunt Meſsiæ: iudicis, legislatoris, regis & ſeruatoris.

Laxati ſunt funiculi tui.) Ad hoſtem Aſſyrium apoſtrophe, conſolandi gratia inſtituta: huius conatus & conſilia irrita fore. Loquendi figura mutuata à nauis funiculis, ita remiſsis & luxatis, ut malum tenere nequeant, & in qua uelum nõ explicetur. Præceſſerat de liberatore & conſeruatore Domino mentio: hic de hoſte ſubiungitur ſermo, à quo Hieroſolyma ſit liberanda. præceſſerat item de fluuio Hieroſolymam muniente: hic retenta figurata de fluuio locutione, nauis habentis funiculos remiſſos & uelum ſolutum meminit: indicans hoſtilẽ exercitum uentorum ui agitatum in fluuio, miſerè diſsipatum iri, nauium funiculis laxatis, uela firmare aduerſus procellas non ualentibus.

Tunc diuidentur ſpolia prædarum multarum.) In captis Aſſyriorum ſpoliis umbra cernitur. in ſpoliis ueritas, quæ Dominus ſpoliator apud Lucam explicat his uerbis: Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſsidet: ubi uerò fortior eo ſuperueniens uicerit eum, uniuerſa arma eius aufert, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuit. Is autem fortior, Meſsias eſt: uictus hoſtis, Satan, de quo eius uictor: Princeps mundi iam iudicatus eſt. Atrium hoſtis, mundus is eſt, cum Antichriſto, & eius falſis prophetis & doctorib. Arma, quibus pugnat hoſtis Satan, peccatum eſt, fraude ipſius in mundum importatũ: & lex ipſa, uis peccati cõdemnans: mala item doctrina, à uero Luce xi.

Dei cultu ad falsum auertens: odia, inuidia, dissidia. Spolia uerò cernuntur in ijs, quæ hostis ipse occupauit per iniuriam: ut cum efficit per falsos doctores, ne Euangelium regnet, ne ius iusticię & uitæ locum habeat, spolians quantum in ipso est Ecclesiam iusticia, sapientia & uita Dei. Hæc spolia fortior Christus aufert Satani, dum uicta morte uitam, uicto peccato iusticiam, fractis inferni portis cœlum suis restituit, & muneribus quæ uisi sunt habere hostes spoliat, de quibus illud: Et quod habet, auferetur ab illo. ut sunt ingenij celeritas, artes, eloquentia, opes, potentia: hæc ademptum iri hostibus: & electos, quos prædatus fuit Satan, tanquam spolia illi eripiendos. ea uictoria de illo parta, de qua Apostolus his uerbis ad Corinthios: Absorbta est mors in uictoria. Vbi tuus mors aculeus? ubi tua inferne uictoria? aculeus autem mortis peccatum, potentia uerò peccati lex. Sed Deo gratia, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Quod uoluit propheta noster, cum ait: Dominus rex noster seruabit nos.

Claudi diripient rapinam.) non fortium mundi esse, prædam hanc dirípere: sed infirmorum, sed quos ex infirmis Christus fortes firmosq; reddat. de quibus Apostolus: Et quæ erant imbecilla in mundo, delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta, &c. Hæc præstans consolatio infirmorum est.

Nec dicet Elanguí) Dicturis habitantibus Hierosolymis, se per medicum Mes-
Psal.103. siam sanatos. De quo medico Dauid canit: Qui sanat omnes morbos tuos. & infrà de se medicus: Vt medear fractis corde. Sed quæ est illa sanitas, quam affert Messias medicus? & qui sunt præcipui morbi quos medicatur? Sequitur:

Auferetur ab eo iniquitas.) Explicatur morbus ipse, & eius sanatio, quæ est condonatio ac remissio peccatorum per sanguinem Messiæ piacularem facta, & reparatio amissæ iusticiæ per spiritum eiusdem Messię, iustificatorem, sanctificatorem & uiuificatorem. Hebręa uox נשא, quæ sonat leuatus, indicat peccatum à nobis tolli ac leuari, tanquam graue onus, ut quod oneret peccatorum mortis & diuinæ iræ onere: quo, in accusante & damnante conscientia nihil intolerabilius est. Sed qui leuantur onere noxæ & culpæ? Qui habitant in Hierosolyma, non extra eam. Solùm Ecclesiam scriptorum in libro uitæ participem esse ueniæ peccatorũ: quales sunt omnes credentes in filium, & clamantes per eius spiritum Abba pater, &c.

IN CAPVT TRICESIMVM QVARTVM.

ACcedite gentes.) Prophetia exponitur de generali afflictione, qua terra extremis temporibus reuelationis Messiæ afficienda sit. quale etiam oraculum supra capite uicesimoquarto explicatur. Ex quo, quæ in illo loco memorata sunt, huc quoq; afferri possunt. At quoniam admirandam calamitatem in orbem terrarum immittendam prænunciat, utitur exordio, in quo attentionis locum adhibet. terram, & omnia quæ in ea continentur, ad auscultandum excitans. Non enim leuem rem agi, sed magnam ruinam: nimirum terræ, hoc est improborum in ea cladem, ad asserendam seruandam'que sanctorum Ecclesiam. Quare qui superiore concione Assyriorum interitus & liberationis Hierosolymæ meminisset: iam generatim hostium cœlestis Sion & Hierosolymæ, reducto uelo, prophetico more mentionem facit, ut in illos ad liberandos electos sit uindicaturus: in quibus hostibus Satan, Antichristus, pseudoprophetæ, tyrannię orbis terrarum Antichristum bestiam adorantes numerantur.

Audiat terra.) Per prosopopœiam terræ testis personam affingit, ut aliàs cœlo: Audite cœli. Terram autem hic præcipuè ad attẽdendum excitat, ut in qua hostes

stes Sion uersentur, eam nullo iure possidentes: cuius nimirum possessio, & eius plenitudo, ut sunt metalla, stirpes, animantia, iurè non ad impios, sed ad pios pertineant, in eo & per eum de quo Propheta Dauid canit: Omnia subiecisti pedibus eius, oues & boues omnes, & animalia campi, uolucres cœli & pisces maris. *Psal.8.*

Plenitudo eius.) copia & abundantia earum rerum, quas terra diuina benedictione fœcundata, edere his uerbis iussa est: Germinet terra. item: Producat terra animantia. Itaque uocantur ea quæ terra cœlesti luce & pluuia præparata profert מלואה, hoc est plenitudo, quòd sua copia & abundantia terram impleant, ad decus uniuersitatis, & usum humani generis. Sic enim in Genesi legimus: Crescite & multiplicamini, & replete terram. ubi מלאו uerbum usurpatur. Ab Apostolo retinetur uox illa etiam in nouo fœdere, ubi plenitudinis, hoc est, abundantiæ gentium seruandarum meminit, & ubi de plenitudine temporis mentionem facit: hoc est, de eo tempore quo præsentato in mundũ Messia, omnia in Mosæa lege præfigurata, & per prophetas prędicta sint, luce & ueritate noui fœderis implenda. *Genes.1.* *Rom.11.* *Galat.4.*

Quia indignatio Domini.) Messiæ, iudicis omnium à patre designati.

Super omnes gentes.) De quibus Christus apud Euangelium sic ait: Prædicabitur hoc Euangelium omnibus gentibus, in testimonium. uidelicet iustæ iræ, & ultionis de improbis sumendæ, & beneuolentiæ erga probos declarandæ. In gentibus accipiuntur, partim hostes Ecclesiæ, partim qui per Euangelium uocati ad pœnitẽtiam, scelera non ponunt: sed in eis perdurantes, ad Dominum, relicto mundo, se non conuertunt: ore sonantes Christum, uita & morib. eum negantes: quorum quantus sit numerus, nostra etiam secula in hoc restitutionis Euangelij tempore documento sunt. Qui uerò in gentibus Christum, fide per amorem agente, exprimunt, ijs Euangelium fauoris diuini exhibet. *Matth.24.*

Interfecti eorum proijcientur.) sepultura prohibiti, quod in opprobrio ponitur. de quo opprobrio Hieremias: Neq; sepelientur, neq; lugebuntur.

Tabescent montes.) Superlatione amplificat calamitatem. Qualis hyperbole cernitur etiam in illo: Tabescet omnis exercitus cœlorum. Qui exercitus sidera continet, duce sole in cœlo incedentia. Figuratè nomine montium notantur potentes in orbe terrarum tyranni. hos tabe confectum iri à Messia, recturo eos sceptro ferreo, de quo in altero Psalmo uideris.

Complicabuntur sicut liber cœli.) Cœlos, quos uates Dauid canit, tẽtorij instar extendi: eos hic compl..catum iri, uaticinatur propheta. Cœlum, quod super terram expansum, per luminaria sua lumen præbet cuncta uiuificans & exhilarans: nunc irato Domino conuolutum, lucem terræ subtracturum. Omnem hanc rerum naturam infestã fore impijs: hos existimaturos, montes ruere, cœlum libri instar cõplicari, stellas obscuratas de cœlo cadere. Quo spectat ὑπερβολικὴ calamitatum descriptio. Sed quo gladio ultore tanta calamitas terram obruet? Sequitur:

Quoniam inebriatus est sanguine.) impiorum cruore, qui piorum sanguinem fuderunt. Quare Ioannes: Et uidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Itaque ut ista mulier inebriatur sanguine piorum, ita gladius Messiæ inebriati hic legitur sanguine impiorum.

In cœlo.) in quo, non in terra, solium iustitiæ positum est, quo decreta de interitu impiorum patefiunt. Indicatur, Messiæ iudicia cœlestia, non terrena esse: contrà quàm bestiæ, è terra ascendentis aduersus Deum, iudicia sunt, terrena nimirum, contra iudicia Dei in cœlo concepta, pugnantia. Quæ qualia sint, fæpè indicatum est, & pij experiuntur.

Gladius meus.) De hoc gladio Ioan. Et datus est ei gladius magnus. Et quoniã is impiorũ sanguine impleri dicitur, apud eundẽ Ioann. sup rufũ equũ Christus

sedere

Apocal.16. ſedere legitur: Et exiuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei ut tolleret pacem de terra. Sed ut pugnabitur hoc gladio? Quia Chriſtus oris ſui ſpiritu cum impijs ſanctorum hoſtibus pugnat, legitur gladius is, de quo propheta hic meminit, de ore Meſsiæ egredi, ut eſt apud eundem Ioannẽ: Et de ore eius gladius utraq; parte acutus exibat.

Ecce ſuper Idumæam.) Infeſti Iſraelitis, iam inde ab initio, populi meminit. Notũ enim eſt odium, quo Eſau Iacobum, ob ereptum primogenituræ ius, proſequutus eſt. Quo odio & diſsidio, quoniam diſsidium piorum & impiorum adumbratum fuit, nomine Idumæorum generatim Eccleſiæ hoſtes accipiuntur, qui Chriſtum, eiusq; Euangelium, & huius ſectatores inimicè inſectantur. Huc ſpectans uates Abdias, de Idumæis in hunc modum uaticinatur: In mõte Sion erit ſaluatio, & erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula, & non erunt reliquiæ domus Eſau. In quo oraculo indicatur, ante mundi finem Eccleſiæ hoſtes miſerè affligendos: illa ipſa per ſeruatorem Meſsiam, caput Iacobæorum, hoc eſt electorum, ſeruata. Vnde non temerè accidit, ut cum Eſau & Iacob ex utero ſacræ Rebeccæ ederentur in lucem, planta Eſau à Iacobo apprehenderetur: ſignificato, poſtremis temporibus electos in Chriſto per Euangelij ſpiritum regio ſacerdotio regnaturos. Quorum temporum poſt Apoſtolorum ſecula hodie initia habemus, incipiente patefieri Antichriſto, capite Idumæorum, hoc eſt impiorũ, Chriſti & ipſius Eccleſiæ capitalium hoſtium.

Deſcendet.) Is deſcenſus non æſtimatur ex loco, ſed patefactione iræ diuinæ. Nam quò deſcenderet Dominus, cuius ſedes ſit cœlum, & ſcabellum pedum eius terra, cuiusq; maieſtate cœlum & terra & infima terræ repleantur? Dequo Pſal. 23. Quò ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si aſcẽdero in cœlum, tu ibi es: ſi deſcendero in infernum, ades.

Super populum interfectionis meæ.) De hoc interitu Dauid propheta: Semen impiorum peribit. & ſuprà myſticè de Babylonio Antichriſti regno: Excindam Babylonis nomen & reliquias. quod eſt עם חרמי, id eſt, populus anathematis mei. Apud ueteres anathemata dicti ſunt ſacri homines, quorum capita dijs inferis deuota eſſent. Notatur hac uoce interitus, quo funditus impij delentur.

Ad iudicium.) ad eos per Euangelium, quod ipſi perſequũtur, condemnãdos: Hoc enim pios per fidem in ipſum ſeruat, & impios per perfidiam ipſorũ perdit. Dicas, Euangelij munus non eſſe condemnare quenquam, ſed docere unde condemnatus noxæ abſoluatur. Continet enim Euangelium doctrinam de remiſsione peccatorum, & donanda iuſtitia Dei per fidem in filium Meſsiam, qui Euangelij promulgator dicit ſe non ueniſſe ut damnet quenquam capite: Ioan. 3. ſed Moſem eſſe, qui per legem ſuam accuſet & damnet ſcelere. Quod Euangelium, iudicare & condemnare fidem ei non habentes dicitur. de quo ſilud: Ioan. 12. Sermo meus quem locutus ſum, iudicabit uos. item: Cum iudicabit Dominus iuxta Euangelium meum occulta hominum, per IESVM CHRISTVM. Rom. 2. non id facit proprio munere, neq; id eius proprium opus eſt, ſed alienum. proprio munere enim cum fungitur, credentes iure peccati & mortis ſoluit: alieno non credentes iudicat, hoc eſt, damnat & perdit, quod munus ſcelus perfidiæ in perfidis ei imponit, non natura ipſius. Sicut etiam Deus dicitur apud noſtrũ prophetam alienum opus facere, cum affligit & perdit: proprium, cum beneficit & ſeruat. Hoc Dei ingenium & naturam exprimit Euangelium, quod promulgatum eſt ab illo qui fatetur ſe in mundum ueniſſe ut ſeruet peccatores, non interimat.

Agnorum & hircorum.) Figuratè nomine agnorum, hircorum & medullatorum arietum, reges, principes, & potentia atq; opibus florentes homines accipiuntur: quos ſua ipſorum potentia, quo minus pereant, non ſit liberatura.

Victima

Victima Domini in Bozra.) Manet in metaphora agnorum, hircorũ, & arietum. Qui antea pios mactarunt crudeliter tanquam uictimas, iam eos uictimas Domini, quos mactet gladio iręsuæ, futuros. Vt autem pij uictima sint impiorum, declarat Apostolus ex uate Dauide: Quemadmodum scriptum est: Propter te tradimur tota die morti, habiti sumus uelut oues destinatæ mactationi. & de capite sanctorum IESV CHRISTO, infrà propheta noster: Quasi pecus ad mactationem ducetur. Bozra in Idumeæ ditione fuisse sitam, ex Genesi patêre uolunt, ubi sic scriptum est capite XXXVI: Et mortuus est Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zerach de Bozra. Similiter infrà capite LXIII. Bozræ fit mentio, in descriptione uictoriæ de Idumæis referendæ. Rom. 8. Psal. 43.

Et descendent unicornes.) Interitus notatur in descendendi uerbo. Tyrannos orbis terrarũ miserè perituros. Itaq; pro descendere Paraphrastes reddit יהקטלון, & pro unicornibus גבריין, hoc est potentes. Sicut econtrariò ascendère huic linguæ est, amplum & splendidum statum adipisci. ueluti de Christo legimus: Ascendit in altum. ubi notatur, ex humili crucis statu eum in sublimẽ, hoc est in glorioſum statum euectum. Itaq; ut Christus, & eius electi descendunt per opprobrium crucis humiliati: ita impij, cùm ascenderint, aduersus Christum & eius membra elati, descendent in infernum per probrosum exitium deiecti, ex lege talionis diuinæ iusticiæ.

Dies ultionis.) Improbis bello, fame, peste, terræmotibus & spiritu oris Dei delendis. De quibus cladibus iam aliquoties ex Euangelista Mathæo & Ioannis Apocalypsi, ex Mosæ & prophetarum sententia meminimus.

Et annus retributionis iudicij Sion.) Annus uindicationis in hostes, ad redimendam Sionem Ecclesiam electorum.

Et conuertentur torrentes eius in picem.) Superlatione uastationem orbis terrarum amplificat. Alluditur ad Sodomę & Gomorrę interitum, quæ urbes sulphureo incendio perierunt. Paraphrastes Romæ flumina in picem conuertenda dicit. Qui si intellexit, & post hunc Hebræi homines, Romanos per Idumæos significari, quòd grauissimi hostes populi Dei ex Romanis essent excitandi, eorum sententia tolerabilis est: & nos eam hac ratione pręcipuè non refellimus, quòd ex Romanis orti sunt primò capitales hostes Ecclesiæ, & deinde ex illorum imperio bestia Antichristus extitit: cuius interitum sub figura Edom, hostis Iacobæorum, noster uates hîc & infrà præsignificat.

Et possidebunt illum onocratali.) Immundæ uolucres memorantur, quæ habitaturæ sint, ubi antea potentes homines habitarunt: in quibus funestis & impuris auibus numerantur onocratalus, nocturæ, bubones, corui, &c.

Et extendetur super eam.) Funiculum ac normam inanitionis ac uastitatis super terram extendendam. Eleganti loquẽdi figura à fabris mutuata describitur terræ uastatio. Voces, quibus Moses usus est, cùm terram inanẽ & informem describeret, hic uates usurpat, significans terram ob incolarum improbitatem ad summam uastitatem redigendam à Domino, ultore & uindice improbitatis, qui ad desolandam terram amussim & perpendiculum sit adhibiturus: ut qua diligentia is terram quasi ædificarit, eam exornans omni genere arborum & animantium & hominum frequentia, uarijsq; urbibus & ciuitatibus: eadem sit usurus ad deuastandam illam, adhibita norma uastatoria, non ædificatoria.

Nobiles eius non erunt ibi.) Numerus uerborũ est: Nobiles eius, & non ibi regnũ uocabunt. Sententia est: Principes uiri regno spoliabuntur. Huc pertinet Danielis oraculum: In diebus autem regnorũ illorum suscitabit Deus cœli regnũ, quod in æternum non dissipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur. comminuet autem & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Quod est hîc apud prophetam: Principes eius regno priuabuntur, & primates ad nihilum redigentur; Dicat aliquis, præsentati in mundum Messiæ tempore, Daniel. 2.

tempore, in mundo regna floruisse, & ipsum Romanũ imperium amplissimũ Augusto Cæsare regnante fuisse. Deinde neq; Messiæ regnum integrum durasse, quod nimirum Antichristus interuerterit locum sanctum, hoc est Ecclesiam, desolans & uastans contrarijs cœlestis regni Euangelio erroribus. His obiectionibus hoc modo occurrimus. Quod attinet ad regnorum mundi destructionem temporibus, quibus Apostoli in terrarum orbem missi, Euangelium prædicarunt, Romanorum monarchia iam antea Assyriorum, Persarum & Græcorum monarchijs euersis labefieri cœpit, ab ea prouincijs deficientibus, & in eam barbaris nationibus crebras incursiones facientibus, ut translato eius imperio lacerum regnum ex Danielis oraculo cernatur, dum sub finem mundi regnante Messia per Euangelij spiritum, in restituta gentium & Israelitarum Ecclesia impleantur ea, quæ de regnorum mundi bestiam Antichristum adorantium inclinationi prædicta sunt. Quod ad alteram obiectionem attinet, qua obiectum fuit, Messiam ut præsentatus in mundum est, æternum regnum non inchoasse, quod per Antichristum in orbe terrarum errorum tenebris Ecclesiæ per illum offusis obscuratum constet: nõ propterea dicetur Christi regnum æternum non esse, quia id splendorem suum ad tempus occultat, ut per occasionem tenebrarũ regni aduersarij clarius se ostendat. Veluti sol non propterea splendorem suum amittere iudicatur, quia interpositis nubibus ad tempus illum nostris oculis contemplandum non exhibet, quem depulsis nubibus sit exhibiturus magna cum gratulatione in terra degentium. Non aliter Christi regnum, etsi aliquanto tempore fulgorem Euangelij sui abscõdit, æternum tamen nihilominus est. Primò, quòd suam Ecclesiam in caligine etiam errorum Antichristi uersantem, ne per illos pereat, conseruat. nam is cæcat, ut uidentes reddat: mortificat, ut uiuificet: inferni tenebris inuoluit, ut clarissimam diuinitatis lucem monstret, & quanta sit eius gratia declaret: & aduersarij erroribus suos profanari sinit, ut restituto sacrosancto Euangelio experiantur, quã ta dignitas & amplitudo sit sanctificationis per redditum ueritatis suaue & amabile lumen. Hæ sunt uices, quas pro admirabili sua in mysterio crucis sapientia & bonitate tẽperat Deus, in Messiæ filij sui sponsa Ecclesia. Quas uices admirantur ipsi principatus cœlestes, quibus ut ministris salutis piorum in terra uiuentium, per hanc uarietatem casuum, qui in terra peregrinanti Ecclesiæ electorum accidunt, uaria Dei sapientia, teste Apostolo, patefit. Demũ idem Messiæ regnum æternum est, quòd nulla aduersaria uis efficere possit, ut hi quos Deus pater in libro uitę scripsit, cum fœnore tandem æterno regno Christi nõ potiantur. Quod in eo die absoluetur, quo per resurrectionem secundã omnibus renouatis, electi perpetua luce & splendore cœlestis regni sunt fruituri.

Et orientur.) Alia descriptione terræ futuram uastitatem amplificat. Similia supra in Babylonis excidij descriptione leguntur, quod excidium nostræ Babylonis excidium adumbrauit.

Et occurrent dæmonia.) De יעיים suprà capite tredecimo mentio facta est. Syluestres bestiæ sunt à siccis & aridis locis, in quibus degunt, sic appellatæ יעיים. Paraphrasti feles sunt, qui reddit תחלין. Alijs sunt ferales siue bestiæ siue aues, in desertis & siccis locis uersantes.

Et pilosus.) Interpres uocis uim expressit. nam ut שעיר generatim pilus est, ita שעיר pilosum sonat, & hircum, à pilis ac uillis sic appellatum. Satyrorum uox non abludit ab Hebręa שעירים. Paraphrasti dæmones sunt. Ioannes in Apocalypsi, in descriptione uastationis Babylonis, hoc est regni Antichristi, dæmonũ quoq; meminit: Cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dęmoniorũ. Apoc. 18.

Lamia.) לילית alijs noctua est, sic appellata, quòd noctu uolet. alijs striges sunt, quas tradunt infantium labris ubera immulgere: quod fabulosum esse arbitratur Plinius. Quæ autem sit auium strix, in maledictis habita, idem Plinius constare

constare non existimat. Alijs nocturnũ dæmonium est. Sunt qui, quòd fœminino genere hic affertur, in dæmonibus quoq; sexum putant inueniri, atq; eos generandi uim habere. Qua de re aliàs disputatio instituta est. *Genes. 3.*

Requirite diligenter in libro Domini.) Accipiunt interpretes de hoc quem Iesaias scripsit libro. Sunt nonnulli qui de libro interpretantur, in quo sententiæ Dei & decreta de perdendis impijs & seruandis pijs, in cœlo, Dei digito annotata sunt.

Alter ad alterum non quæsiuit.) Apud Hebræos דקר. in loco idem ualet quod apud Latinos desiderare: Nullam ex his inuisis auibus desideratum iri, indicata figuratè plena mensura miseri status impiorũ, quam non sint ullo modo euitaturi, ut sequitur:

Quod ex ore meo procedit.) cuius oracula nulla uis, quo minus impleantur, impediat. Diuini oris & spiritus mentio fit. Per uerbum Messiam interpres diuinitatis patet omnia decernit & mandat: per spiritum Messiæ, quæ decernit & mandat fieri, perficit. Itaque legimus hic: Os eius mandat, & spiritu congregat.

Et ipse misit ei sortem.) ut in hæreditatem, quæ impiorum sunt, accipiant. Solent enim hereditates sorte distribui. Sed quibus distribuit? terram feralibus auibus & bestijs, quam impij nullo iure possederunt, diuidet.

IN CAPVT XXXV.

LAETABITVR *deserta.*) Ad superiora hæc cohærent, afflictioni succesturum lætum redemptionis exitum. De quo Dominus noster meminit, ut sæpe citatum: Et erit tanta afflictio, quanta non fuit à primordio rerum conditarum, quas condidit Deus, usq; ad hoc tẽpus, nec futura est: & nisi Dominus dies illos abbreuiaret, salua non fieret ulla caro: sed propter electos, quos elegit, abbreuiabit hos dies. Hi autem electi sunt sanctorum Ecclesia, ex Israelitis & gentibus per spiritum Euangelij seruanda. *Matth. 24.*

Deserta.) Quæ antea per Antichristum omnia perdentem in solitudinem redacta fuerunt, iam restituto Euangelij splendore reuiresc ent, luctum afflictionum exceptura lætitia rerum prosperarum per Christum redemptorem. In rebus autem prosperis hæc numerantur: Euangelium, eius que reconciliationis cum Deo spiritus, uerę probitatis & uitę ęternæ reparator, pax conscientię aduersus peccatum, mortem & inferni portas: hoc est, condemnatoriam per legis iudicium uim & potestatem, atq; rerum cõditarum legitimus usus cum gratiarum actione: quas res prosperas absoluet tandem altera resurrectio, corporibus ad uitam gloriosam excitatis è puluere terræ.

Gloria Libani.) clari cedris, ex quibus Salomonium templũ magno cum splendore fuit ædificatum. Hoc autem ut à Babylonijs dirutum fuit, magna cum gloria à Zorobabele reparatum est: ita templum Messiæ, quod Antichristus uastauit, his postremis temporibus ex proceris cœlestis Libani cedris, hoc est ex scriptis in libro uitæ, instaurabitur ad gloriam, de qua sequitur.

Et decorem Dei nostri.) maiestatis & amplitudinis regiæ ornatum, quem ut aduersarius extollens se supra omne id quod est numen Dei, imminuere studuit: ita ipse deiectus à uindice gloriæ & decoris sui Iesu Christo, miserè interibit, cernens Messiæ regiam gloriam suo exitio, quam pij sua cum salute aspicient.

Confortate manus.) Auersio ad ministros Euangelij, quos uates in spiritu oraculari uidet incitari, ut electos in magnis periculis & communibus orbis terrarum calamitatibus uersantes consolentur, ne animum pusillanimes deijciant. Itaque quemadmodum instaurationis secundi templi tempore accidit, ut fortes uiri altera manu ædificium molirentur, altera gladium gestarent, ad prohi-

bendam hostium uim, qui diuini operis extructionem impedire tentabant: ita in spiritualis templi Ecclesiæ, quod Nabuchodonosor Antichristus uastauit, reparatione, his postremis temporibus opus erit, ut ædificãtes inter se alij alios hortentur, ut alteram manum operi extruendo strenuè adiungant, altera gladium doctrinæ cœlestis Euangelij in hostem Antichristum, & eius pseudoprophetas fortiter stringant. Quod est hic apud prophetam nostrum: Confirmate manus languidas, & labantia confortate genua. In utrisq; membris mirabilis flexus cernitur, ad uarium motum & agitationẽ aptus, qui in afflictis infirmatur, languentibus manibus, & labantibus genibus: quò figurata locutio spectat.

Dicite pusillanimes, confortamini.) Similiter pro ממהרים Græci ὀλιγόψυχοι reddunt. Hebræa uox festiuos significat. pusillanimes autem iurè festiuos uoces, qui nimirum tempore periculorum consilij inopes, per præceps ferantur properando. Itaq; de cauendo metu sequitur:

Nolite timere.) uobis, de hostibus, mundo, principe mundi Satane, de Antichristo, & eius ministris falsis prophetis & tyrannis orbis terrarum. fortior enim est qui à uobis stat, quàm mundus, & potentissima in mundo, ut sequitur.

Ecce Deus uester.) uobis ut caput cum corpore, ut sponsus cũ sponsa, arctissimo amoris uinculo coniunctus. Deum autem uocari Christum, hæc uerba indicãt: Ipse ueniet seruatum uos. Is autem seruator Messias est: qui tam bonus est, ut uelit uos seruare: & tanta potentia, ut possit. Qui loci uoluntatis & facultatis continentur in his uerbis: En Deus uester.

Deus ipse ueniet.) Qui primò in humili & abiecto crucis statu uenit, ad peccata mundi sanguine suo luenda: & excitatus è mortuis, elatusq; in cœlum, mundo uenisse & uenire, cum patefit spiritu, dicitur, per sacri Euangelij prædicationẽ.

Hebr.13. *Deus ipse.*) non alius. Idem ergo Messias, qui hodie & heri est, præsens patriarchis & cæteris electis in fide & spe fuit: & nouissimis temporibus, quem spe præsumpserant patres in mundum præsentatus est, cum cœlestium diuitiarum dispensatione: quas his ultimis seculis largiter & copiosè fundet: demum aderit declaratione maiestatis suæ illo die, quo in altera resurrectione uiuos è mortuis ad cœlestem uitam excitabit. Quare magno & pernicioso errore tres Dauides statuuntur: primus, filius Isai: alter, IESVS CHRISTVS, qui totum suum munus per Apostolos absoluerit, cuius Euangelium (ut imperfectum) per Antichristum antiquatum sit: tertius Dauid, qui è sacro spiritu natus, omnia sit instauraturus, per absolutam & perfectam, quam traditurus sit, doctrinam: qui idem demũ iudicaturus sit uiuos & mortuos. Is error fœdior est, quàm ut debeant pij eius meminisse: & manifestior, quàm ut egeat refutatione. IESVM CHRISTVM sacræ literæ illum uerum & cœlestem, & eum unum Dauidem, ut naturalem & unigenam filium Dei proponunt fide amplexãdum esse: qui Euangelium perfectum & absolutum, quod ad ueram iusticiam & uitam comparandam satis sit, per Apostolos iusserit prædicari: & per eandem Euangelij doctrinam, è tenebris Antichristi reuocatam Ecclesiam suam sit instauraturus: non alius, neque per aliam quàm semel traditam doctrinam. De quo hic propheta: Deus ipse ueniet.

Saluabit.) sacri Euangelij ministerio, extra quod nemini salus contingit. De quo Euangelio, iam his nouissimis temporibus cœpto mundo ipsi restitui,

Apocal.14. his uerbis Ioannes in Apocalypsi: Et uidi alterum angelum uolantem per medium cœlum, habentem Euangelium æternum, ut euangelizaret habitantibus super terram, & omni genti & tribui & linguæ & populo, dicentem magna uoce: Timete Deum, & date ei honorem, quia uenit hora iudicij eius. hoc est, de impijs expetendi pœnas, & pios liberandi tempus. Quod est hic: Ecce Deus uester ultor ueniet, ueniet seruatum uos. Sed quæ salus parabitur electis? Sequitur:

Tunc

Tunc aperientur oculi.) per lumen Euangelij: quo priuati antea, clausi illi fuerant, appenso eis errorum uelamine per aduersarium. Hoc oraculum, repręsentati in mundum Christi tempore impleri cœpit. his autem temporibus ut perficiatur, res ipsa docet. Similia suprà leguntur: Et audient in die illa surdi uerba libri, & oculi cæcorum uidebunt. Est lux corporata & aspectabilis, est item lux animorum spiritualis & inaspectabilis: sed neq; hæc unius generis est. Est enim insita animis lux naturalis intelligentiæ captum non superans: est item quæ illam superat, quam in pectora electorum demittit Messiæ spiritus. Ab altera luce homines cæci sunt ad res diuinas cernendas, ab altera uerò reddũtur uidentes. De hac luce hic loquitur uates, quæ sapientibus huius mundi non lucet, ut qui sibi cæci esse non uideantur. de quibus apud Ioannem Dominus his uerbis: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc autem cum dicitis Videmus, peccatum uestrum manet. Ioan. 9. Lucet ergo ijs, de quibus hic uates, Tunc aperientur oculi cæcorum: hoc est, eorum qui suam cæcitatem agnoscunt, & ab ea per lucem quæ de se prædicat, Ego sum lux uera, liberari cupiunt. Qua luce qui carent, per suam naturalem lucem in tenebris uersantur, & caligine miserè pereunt: quale est philosophorum & sapientum huius mundi lumen. Cæcitate autem liberati uident, quorum interioris hominis oculi patefacti, cernunt quæ sit ratio comparandæ iusticiæ & uitæ æternæ. Rationem in eo uersari, ut Messiã credant suam esse iusticiam, sapientiam, uitam, resurrectionem ad gloriam cœlestis regni, quam electis suis merito precioq; sacrosancti sanguinis comparavit. Hæc qui uident, sciunt ex cæcis se uidentes factos: qui verò non uident, neq; uidere uolunt, in cæcitate manent, & pereunt per suum lumen naturæ, quod ueteris naturæ & hominis lumen est, non nouæ naturæ & hominis supernè è sacro spiritu illius nati, de quo hic Iesaias: Ecce Deus uester, Deus ipse ueniet, & saluabit uos.

Et aures surdorum patebunt.) per spiritum fidei: quem qui habent, in eorũ numero sunt, de quibus Messias patefaciens surdorum aures: Oues meæ uocem meam audiunt. Sunt ergo surdi, quorum aures ad audiendum doctrinam cœlestem aperiũtur statim, ut ad illam auscultandam uocati sunt. de quibus Apostolus his uerbis: Quos prædestinauit, eos uocat: & quos uocat, iustificat. Prædestinatos uidelicet uocari ad auscultandum Euangelium cum fructu, & sic uocatos iustificari: hoc est, donari spiritu sacro. cuius ui credant sibi condonata peccata, & amissam iusticiam & uitam reparari. Rom. 8. Talium surdorum aperientur aures, quorum surditatem antecedit gratia electionis diuinæ in IESV CHRISTO, ex qua dimanat beneficium uocationis & iustificationis. de quo beneficio illud: Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Ioan. 8. Sunt autem ex Deo, de quibus illud: Crediderunt quotquot ordinati erant ad uitam. Actor. 13. Sunt deinde surdi, quorum aures nunquam patefient. quales denotat Dominus his uerbis: Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. hoc est, ex eorum numero, quos pater mihi dedit, quorum aures spiritu meo aperiam, ut audiant: hoc est, fide accipiant doctrinam Euangelij. In horum numero est Satan, & soboles eius maledicta, de qua Messias uictor Satanis: Vos ex patre diabolo estis, ideo non potestis audire sermonem meum. Beati igitur sunt, quorum cum surdæ fuissent aures, fidei spiritu perculsæ audiunt sermonem Messiæ cœlestem. Nam hi in eorum numero habentur, de quibus ille ipse, in quo & per quem nomina in cœlestis regni tabulis scribuntur: Gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. Luce 10.

Tunc saliet sicut cervus.) qui antea clausi fuerant, ut in semita & uia legis diuinæ non ambularent, de qua uates: In lege eius noluerunt ambulare. iam autem eorum oculis & auribus patefactis per spiritum diuinum, recti incedunt, in nouitate uitæ ambulantes. Comparatio à ceruis sumpta, alacritatem innuit,

cum uelocitate & celeritate coniunctam: eos alacriter & cum lætitia, ceruarum instar salientes, in Euangelij semitis ad bene rectèq; agẽdum cursuros. Ceruorum uelocitas satis nota est, de qua uates canit: Efficit pedes meos similes ceruorum pedibus. Tradunt scriptores rerum, ceruas celeritatis fiducia secus uias párere, putantes se homines effugere posse. Tradunt quoque, ceruis cum serpentibus, perpetuum bellum geri, & fumo excitato ex ceruini cornu puluere in ignem coniecto serpentes fugari. Quare hac quoque parte pij, quibus cum serpente, sed spirituali, qui est diabolus, pugna committitur, ceruis comparantur. Quæ hic leguntur de cæcis, surdis, claudis & mutis, ut hi in corpore sanati sint, ex Matthæo patet. At quoniam exterior illa morborum corporis sanatio nobis interiorem animorum medicationem figurauit, ob quam perficiendam Messias medicus præcipuè in mundum à patre missus uenerat, de ea etiam uatis nostri oraculum exponi debet. Huc enim pertinent, quæ Iesaias de saluatore Christo, de eius gloria ac maiestate meminit. & ea apud Euangelistam interpretatur angelus, ubi ait: Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis, quorum labe uerè sumus cæci, surdi, claudi, muti.

Et aperta erit lingua mutorum.) ad prædicandam gloriam seruatoris Christi, quam absterso animi per fidei lumen cæcitate, cœperunt uidere. De hac celebratione
Rom. 10. gloriæ seruatoris noster Apostolus: Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Is, ut Iesaias, cum illuminatione cordis per fidei lucem, Christi confessionem quæ ore & lingua conficitur coniungit. Sed unde cæcis uisus, surdis auditus, claudis incessus, mutis sermo comparatur? Sequitur: Quia scissę sunt in deserto aquæ, &c. Quatuor hic præcipuè memorantur, quæ à Messia sanantur: oculi cæci, aures surdæ, pedes claudi, lingua muta. Nam his uitijs tota uitiositas ueteris naturæ denotatur, in qua mentis oculi ad ueræ salutis cognitionem caligant, aures surdæ sunt ad audienda ea quæ Deo probantur, pedes (quibus affectus notantur) ad ambulandum in lege Dei claudicant: lingua ad celebrandam & amplificandam gloriam Dei muta est, ad dehonestandum nomen eius planè loquax. De medicatione porrò hac, cuius noster propheta meminit, prædixit etiam Sibylla:

καὶ τότε δὴ νοσεροὺς ἰήσεται, ἠδ' ἐπιμῶμους
πάντας, ὅσοι τότε πίσιν ἐνὶ ποιήσονται.
βλέψασιν δὲ τυφλοί, ἀτὰρ βαδιδοί τε χωλοί.
κωφοὶ τ' ἐισαΐσουσι, λαλήσουσ' ὅ λαλέοντες.

Quia scissæ sunt in deserto aquæ.) De his aquis suprà: Haurietis aquas cum gaudio, ex fontibus saluatoris. de quo hic: Spe ueniet, & saluabit uos. Hæ sunt cœlestis Euangelij cœlestes & diuinæ aquæ, ex petra Messia in diserto huius mundi tam quam ex perenni fonte expressæ, quas aquę in solitudine Arabum ex Mosaica
Exod. 17. petra expressę præfigurarunt. Atque hę salubres aquę aspersę cæcorum oculis, eos aperiunt, claudis gradiendi facultatem concedunt, mutis loquendi facultatem parant.

Dracones.) Rectè significatur draconis Satanis imperium, quod Antichristo sedente in loco sancto uiget, & nouissimis temporibus Domino per Euangelium in electis suis regnante euertetur. Sic enim Ioannes de Satane dracone
Apocal. 12. seductore loquitur: Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui uocatur Diabolus & Satã, qui seducit totum terrarum orbem. Et hoc est quod hic legimus: In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant. Sed in talibus locis & cubilibus quid habitabit? Sequitur:

Orietur uiror calami & iunci.) Memineram aquarum & fluminum. iam arundinis & iunci in humectis nascentis meminit: notato sanctos ex uiuifico sacri Euangelij humore natos habitaturos, ubi antea Satã draco in arido & deserto à diuinis aquis cœlestis sermonis loco habitauit.

Et erit

Et erit ibi semita & uia.) Sed quæ uia? Via sanè, quæ de se prædicat: Ego sum uia, ueritas & uita. De qua uia sequitur: *Ioan.14.*

Et uia sancta uocabitur.) Partim quia ipsa natura sancta sit, ab omni uitio & labe libera: partim quòd eos sanctos efficiat, qui in ea gradiuntur. Contraria uia est de qua propheta: Et in uia peccatorum non stetit. *Psal.1.*

Non transibit per eam pollutus.) in libro uitæ non scriptus, de quo suprà: Sanctus uocabitur omnis, qui scriptus est in uita, in Hierusalem. Similiter Ioannes in Apocalypsi: In eam non ingredietur quicquam profanum, quod'ue scelus faciat. *21.*

Ita ut stulti non errent.) sed sapientes per Euangelij sapientiam facti, de quibus stultis Apostolus: Quæ erant stulta secundum mundum, delegit Deus, ut pudefaceret sapientes. *1.Corinth.1.*

Et non erit ibi leo.) Figuratè de leone accipitur, cuius meminit Petrus: Aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Leonis Satanis, & eius cui Satan ad seducendum orbem terrarum potestatem dat, imperium labefactum iri per seruatorem Messiam. de quo hic uates: Ipse seruabit uos. *1.Petri 5.*

Et redempti à Domino.) per Euangelium.

Et fugiet dolor & gemitus.) qui temporibus afflictionum & anathematis, quo percussa terra est, editus fuit.

IN CAPVT XXXVI.

In quartodecimo anno regis Ezechiæ.) Iam restituto Dei cultu, & euerso falso. Nam in Paralipomenis legimus, anno primo regni sui, mense primo, ab Ezechia ostia templi Domini patefacta, quæ Achaz rex clauserat. Vnde cognoscimus, ut semper pietatis studia & conatus consequatur crucis uexatio, qua impij pios uexant. ut hic præter cæteros Ezechias exemplo est. Quò spectans, reuocata hypothesi ad thesim, Apostolus in altera ad Timotheum epistola, sic ait: Sed & omnes qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. *5.* Cæterùm quæ hucusq; uates Iesaias mysteria, pphetice explicauit, sub Assyrij, Ezechiæ & Hierosolymæ typis, iam historicè exponit, in summam perbreuem, sed mysticis notis refertam, narrationem de reconditis regni Christi & Antichristi & liberationis Ecclesiæ cœlestis Hierosolymæ oraculis collatis: de quibus inter interpretandum meminerimus.

Ascendit Sennacherib.) ut prædixerat uates eum ascensurum. Sic enim suprà scriptum est: Adducet Dominus contra te, & contra populum tuum regem Assur. Item capite VIII: Dominus adducet eis aquas fluminis uehementes & abundantes, regem Assyriæ. Prætereo alios locos, in quibus idem illud oraculum retexitur. Legimus autem hic, non descendere Assyrium, sed ascendere: quibus uerbis situs Hierosolymæ, Sionisq; montis, & fastus atq; arrogantia superbi hostis notatur, qui ausus sit Hierosolymam, ciuitatem oraculis & cultu Dei inclytam inuadere. Similis superbia in Nabuchodonosore suprà reprehenditur: In cœlum ascendam, & supra astra cœli collocabo sedem meam, & sedebo in monte testimonij. Ascendendi uerbum usurpatur mysticè, figurateq;, ad significandum Assyrium & Babylonium, de quo Apostolus: Effertur aduersus omnem qui dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo Dei sedeat, ostendens se ipsum esse Deum. *2.Thess.2.* Hic uidere licet, quantum inter umbram ac imaginem, & res ipsas adumbratas conueniat. Assyrius & Babylonius ascendunt ut occupent Hierosolymam, & templum in Sione positum: Antichristus ascendit ut templum occupet: de quo Apostolus mysticum templum explicans loquitur, Vos estis templum Dei. *2.Corinth.6.* Quantum autem rursus interfit inter umbras,

& res umbris significatas, pios & diuino spiritu doctos homines non latet.

4.Reg.18. *Rabsacen.*) In historia Regum legimus, tres legatos missos, Tarthanem, Rabsarim & Rabsacen. Apparet hic Rabsacen nominari, ut præcipuum legatum.

De Lachis.) Huius urbis mentionem facit Iosua, in descriptione tribus Iudææ.

17. In historia Regum scriptum est, ab ipso Ezechia ad Assyriorum regem Lachis legatos missos, petitum pacem: atque hanc trecentis argenti talentis, & triginta auri redemptam: sed Assyrium uiolata fide, bellum perfidè Ezechiæ intulisse. De qua perfidia apud Iosephum libro decimo Iudaicarum antiquitatũ uideris. Non refero, esse quosdam interpretes qui tradunt, Ezechiam, ut pendisset summam illam talentorum, deinde iterum rebellasse. Quæ rebellio Assyrium, ut hoc bellum Ezechiæ inferret, impulerit.

In manu graui.) Hostis potentia narratur, quo miraculum diuinæ uictoriæ de hostili exercitu partæ, maius appareat. Si quis percunctetur, quę causa fuerit, cur Assyrius hanc grauem expeditionem in Iudęam fecerit: Si hostem spectes, eum regnandi libido ad bellum excitauit: sin Deum, ab hoc illa suscitatus est, partim ut emendaret uitia populi sui, partim ut potentiam suam erga potentem hostem, & misericordiam aduersus Hierosolymam ciuitatem suam declararet. 8. Sic enim legimus suprà: Propterea quòd abiecit populus iste aquas Siloe, quæ placidè fluunt, adducet eis aquas fluminis uehementes, hoc est regem Assyriæ. De potentia Dei in hostem, & clementia in Hierosolymam declarata, mox subijcietur narratio. Postremò excitatus est Assyrius, qui bello adoriretur Hierosolymam: ad eum hostem adumbrandum, qui sæpe indicatus est. Quæ causa mystica est ab occasione casus electorum in deliberationem sapientiæ diuinæ uocata, & in tabulis mysteriorum cœlestis regni consignata: ut solet occultorum consiliorum Dei materia esse ad res maximas figurandas, & reuelandos electorum casus. ut uidere licet in primo Adamo, Noa, Lotho, Mose, Dauide, Israelitis, & Hierosolyma ciuitate Dei.

Hæc dicit rex magnus Assyriorum.) Oratio ex genere deliberatiuo paratur, in qua primò metum incutere conatur, à potentia regis loco mutuato. At non perpendit cæcus legatus, Hierosolymis uersari, cuius potentiæ omnia in cœlo & in terra subiecta essent: & fides in eum, mundum & omnem eius principatum superaret. Qua munitus Ezechias, fortiter suos consolans dicit: Nolite timere, nec pauere regem Assyriorum, & uniuersam multitudinem eius: multo enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo. Cum illo enim est brachium carneum, nobiscum Dominus Deus. Quoniam hæc oratio explicata est in historia Regum, non uidetur interesse ut eius expositio retexatur.

Quæ est ista fiducia, qua confidis.) cum desint tibi omnia humana præsidia: & Deus, quo tu niteris, te iuuare non possit: & si possit, non uelit, qui eius sacra uiolaris, ut sequitur:

Quo consilio.) Partes præsidiorũ amplificandi gratia ordine numerat: neq; cõsilium, neq; robur, neq; externã à rege Aegypti, neq; Dei opẽ tibi expectandã.

Quòd recessisti à me.) negato tributo, & instaurata uera religione, falsa sublata, quam Achaz in gratiam regis Assyriorum instituerat. Quos legatos, & quales præfigurarit is legatus, hodie incipit manifestum fieri.

Ecce confidis super baculum arundineũ.) Verè uocat Aegyptũ arundineũ baculũ esse, qui moliretur, sed non uero animo, ad summã desperationẽ adducere Ezechiã.

Quid si responderis mihi.) Per occupationem occurrit Ezechię, prætexenti opem Domini Dei Israelitarum.

Cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria.) Argumẽtum, iratum Deũ Ezechię esse, à uiolatis ab ipso illius sacris. Sed qua captione uersutus sophista utat, ad eximen dã fiduciã in Dñm, ex animo Ezechiæ & ciuiũ Hierosolymæ, aliàs est indicatũ.

Coram altari isto.) Hæc demonstratio contemptus gratia adhibetur.

Et dabo

Et dabo tibi duo millia equorum.) Non perpendit ſuperbus legatus, in hac derſione tenuitatis Ezechię, illud: Dominus humilia reſpicit in cœlo & in terra. item: Fallax equus ad ſalutem. *Pſal. 115.* *Pſal. 33.*

Et quomodo ſuſtinebis faciem iudicij unius.) Firmat dehortationem, loco comparationis maiorum & minorum: non conſiderans, à ſua ſponſa Hieroſolyma ſe ſtare, in cuius fœmore ſcriptum eſt, Rex regum & Dominus dominantium. *Apocal. 19.*

Et nunc, nunquid ſine uoluntate Domini.) A uoluntate diuina, quæ à ſe contra Hieroſolymam ſtet, fiduciam in Dominum excutere nititur. Proculdubio nouerat illud Ieſaiæ uatis de Aſſyrio editum oraculum: Dominus adducet contra te regẽ Aſſyriorum. At fallitur, qui fallere conatur. Falſus enim orator omiſit alteram oraculi partem, quæ pro Ezechia faciebat, & Hieroſolyma: cuius fide ille muniſtus, omnem aduerſariam poteſtatem nihili faciebat. Sed quæ eſt illa altera pars quam uanus legatus omiſit? Hæc eſt: Accingite uos, & uincemini. Item: Noli timere populus meus habitator Ziõ flagellum. Imitatur igitur Rabſaces magiſtrum ſuũ & doctorẽ Satanẽ: qui ut in cœleſti Ezechia Chriſto Ieſu tentãdo, partem ſcripturæ ſacræ citarit, partem prætermiſerit, ex Euangeliſta patet. *Matth. 4.*

Dominus dixit ad me.) Agnoſcit imperium in omnia Domini, cuius nutu & uoluntate contra Hieroſolymam aſcenderit. At in hac ipſa confeſsione ſe iugulat & confodit, & Ezechiam cum ſuis conſolatur. Nam etiam ex hoſte pius rex intelligebat, hoſtes ipſos non plus poſſe incommodare, quàm eis permitteret Dominus, quem fide colebat. Quare impius orator ueritatem ſic confitendo, in improbitate detinebat, quòd quem hic confitetur Dominum, infrà eum nõ ſolum non glorificat, ſed etiam his uerbis contemnit: Nolite audire Ezechiam, quoniã decipit uos dicẽs, Dñs liberabit nos. Nunquid liberarũt dij gentiũ, &c.

Loquere ad ſeruos tuos Syra lingua.) Hi perpenderunt, quàm mobile eſſet uulgi ingenium, quòd facile tempore periculorum flectatur ad defectionem, præſertim ſi defectionis cauſæ commodæ adductæ ſint, & in odium adductus ſit is à quo reguntur. Vtrumq; facere plauſibili uulgo oratione ſtuduit Aſſyriorum legatus, ut præcedentia & ſubſequentia demonſtrant.

Nunquid ad Dominum tuum.) Vt inuiſum reddat regem Ezechiam plebi, dicit ſe huius gratia, cui miſericordiam daret, ueniſſe, quam rex Ezechias perdere uellet. Sic enim in Paralipomenis legimus Rabſacem loqui: Nónne Ezechias incitat uos, ut in mortem & famem uos tradatis? Hunc qui in regno ſpiritualis Aſſyrij, qui Antichriſtus eſt, imitentur, ſatis hodie manifeſtum eſt. *2. Paralip. 32.*

Non uos ſeducat Ezechias.) Ezechiam impoſtorem & ſeductorem uocat. Vt legati Antichriſti, præfigurati in Aſſyriorum regis legatis, noſtrum Ezechiam Meſſiam ſeductorem & impoſtorem uocẽt, declarat illud: Recordati ſumus, quòd impoſtor ille dixit adhuc uiuens, &c. Intueamur noſtra tempora: quid aliud noſtri Aſſyrij & Babylonij legati, Chriſtum & eius Euangelium contemnẽdo faciunt, quàm quod Rabſaces Ezechiam & eius ciues illudendo fecit? *Matth. 27.*

Quia non poterit eruere uos.) deſtitutus omni præſidio humano & diuino. Hoc mendaciũ fingit ad terrendũ populũ. Sed ut mẽtiat mẽdax orator, declarat uox illa: Non intrabit in ciuitatẽ hanc, nõ iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam.

Et non tribuat uobis fiduciam ſuper Domino.) Hoc erat caput ſalutis petere, fidem uidelicet & ſpem in Dñm reuellere, qua licebat hoſtẽ uincere, uictoria parta de qua illud: Hęc eſt uictoria ueſtra quę uincit mundũ, fides noſtra. Quid hodie aliud faciunt legati Antichriſti, quàm ut fidem in Dominũ tollant, defectione à ueritate ad mendacia, à uita ad mortem, à ſalute ad exitium facta? Omnia poteſt fere Satan, potius quàm fidem ac ſpem, qua Dominum Deum adores & colas. Itaq; ut hic tentat Satan per Rabſacen, Ezechiam & ciues Hieroſolymę: ita tentauit etiã ipſum Meſsiã Dominum noſtrum IESVM, cũ diceret, Si adoraueris me, omnia regna mundi tibi dabo. Sed cur tantopere molitur Satan fidem ex *1. Ioan. 5.* *Matth. 4.*

ſanctorum animis euellere? Cauſa eſt primò, quòd nouit fide per amorem efficaci Deo ſummum honorem tribui, quem ipſe ſibi arrogat: deinde quòd ſcit, per fidem nobis Deum in filio intimè coniungi, & nos cum ipſo unum fieri: & in hac coniunctione diuinæ iuſticiæ, ſapientiæ, fortitudinis, uitæ nobiſcum uictoriam noſtram conſiſtere, qua ipſe ſuo opprobrio uincatur, qui uictor cuperet eſſe, throno ſuo ſupra Meſsiæ thronum poſito.

Facite mecum benedictionem.) Ad defectionem ſollicitat, propoſitis locis utilium & commodorum. Benedictio, pro pace: Pacem inite mecum, dedite uos mihi. Sic pro ברכה reddit Paraphraſtes שלמא. Ex hac hortatione Rabſacis diſcimus, mundum & eius principem Satanem duobus uti armis, quibus electos ut ſibi ſe dedant alliciat: alterum blandities eſt, alterum minæ. blanditiem primò adornat, deinde uim & minas. Intueamur tempora noſtri aduerſarij: ut pariter utriſq; armis legati illius ſint inſtructi, nos hodie experimur.

Et tollam uos in terram quæ eſt ut terra uestra.) Vtilitatis locos proponit in ſuadendo, qui antea periculorum propoſuiſſet: & eos repetet. Terram regis plenam idololatria & flagitijs, comparat ſacræ terræ, oraculis diuinis & uera religione, regnoq; & ſacerdotio, quo Meſsiæ ſacerdotium & regnum figurabatur, inclytæ.

Terram frumenti & uini.) Sed carentem uino cœleſtis ſapientiæ, exhilarante pectora electorum uero & æterno gaudio: cuius terra ſacra Iſraelitarum fertilis fuit, in qua una promiſsiones de ſalutari uite conſeruabantur, de qua uitis ipſa:
Ioan. 15. Ego ſum uitis uera. Hac ſpiritualis Aſſyrius ſuos Iſraelitas ſpoliare ſtudet, ut eos inebriet uino erroris & uertiginis. de quo uino Ioan. in Apocalypſi: Et inebriati ſunt qui inhabitant terram, de uino proſtitutionis eius.

Terram panum.) ſed carentes pane Meſsia cœleſti, quem terra ſacra habet. De
Ioan. 6. quo ille ipſe: Ego ſum panis uitæ, qui de cœlo deſcendi.

Nunquid Dij gentium.) Comparationis maiorum & minorum loco utitur, cum aperta blaſphemia nominis diuini, qua audet uanos gentium deos cum Deo uiuente ſanctorum Iſraelitarum conferre. Qui tales dij ſunt, quales deſcribit Da-
Pſal. 96. uid: Omnes dij gentium idola. & Ezechias infrà: Verè Domine diſsipauerunt reges Aſſyriorum gentes, & miſerunt deos eorum in ignem. Non enim erant dij, ſed manuum humanarũ opera, ex ligno & lapide, quos perdiderunt. Quàm aduerſarius cœleſtis Ezechiæ, Meſsiæ Domini noſtri benedicti, blaſphemus ſit in Deum ſanctorum Iſraelitarum, declarat eius ſæuities, qua inimicè inſectatur eos qui illum adorant, uanis dijs contemptis.

Vbi eſt Deus Hemathi.) Diſtributionem amplificandi gratia adhibet, ſubiectis partibus deorum gentium.

Et ſiluerunt.) memores ſancti ſilentij, quod in ſabbatho abnegationis ſui fide & ſpe ſanctificatur. De quo illud: In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra.

IN CAPVT XXXVII.

SCIDIT *ueſtimenta ſua.*) Dans ſignificationem luctus & indignationis, de nomine Dei Iſraelitarum dehoneſtato, ab impio legato regis Aſſyriorum.

Et obuolutus eſt ſacco.) pœnitentiæ & luctus de rebus aduerſis notam præferente. In hiſtoria Regum legimus, Ezechiam indutum ſacco, Domini templum ingreſſum. Non ignorans pius rex, ſanctorum præſidia in rebus aduerſis in pœnitentia, precatione, fide per ſpem omnia uincente ſub patientia & tolerantia malorum poſita eſſe. Quod ſi hæc nouiſsima tempora conſideres, non alia occurrunt arma ad uincendum ſpiritualem Aſſyrium
Lucæ 21. Antichriſtum. Quò ſpectat illud: In patientia poſsidebitis animas ueſtras. quæ eſt uis & facultas ſacri ſpiritus, qua afflictiones ut à Deo nobis, noſtro bono,

non

non malo immissas toleramus æquè, persuasi ex his probari fidem, & ex probata fide spem nõ pudefacientem nasci, quã certò promissa salus cõsequatur. Hæc nemo intelliget melius ita se habere, quàm qui similia in conflatorio ac probatorio afflictionum igni expertus est.

Ad Iesaiam.) de prophetico munere, quale sit, & quotuplex, aliàs meminimus.

Dies tribulationis.) castigationis nostri ob delicta: horum confessione uiam ad pœnitentiam, hac duce ipsa fide & precatione uiam ad salutem sternente.

Et blasphemiæ.) ab Assyrio in Dominum Deum Israelitarum iactæ.

Venerunt filij usq; ad partum.) Amplificatur afflictio, similitudine à parturientis nixu mutuata, cuius fœtus ad uuluæ fauces uenerit, quem edere per infirmitatem nequeat. Qua comparatione summa angustia & calamitas significatur. Qualis autem angustia premat Ecclesiã ab Antichristo obsessam, & uallo peccati, mortis & inferni circundatam, declarant nostra præcipuè secula, Satanæ omnem per illum uim & tyrannidem conante ostendere, dum hanc Euãgelij lucem ferre cogitur: pugnante cum eo & cum bestia os draconis habente, ipso Agno, & in magna angustia temporis uincente.

Audiat.) ad ea ulciscenda, cuius hic gloria agitur, cum nostra salute cõiuncta. Nam pariter & Hierosolymam, quam perdat, & Deum eius blasphemando adoritur: non tam hostis noster, quàm Dei uiuentis.

Tuus.) Indicatur singularis familiaritas, quæ Deo cũ ꝓphetis suis intercedit. De qua Amos uates: Nõ est arcanũ, ꝙd Deus nõ patefaciat seruis suis ꝓphetis. Quę dignitas est sanctorũ prophetarũ, eos decretorũ & consiliorũ Dei cõscios esse. *Amos 3.*

Verba Rabsacis.) dehonestantia nomen tuum: quod in tota rerum natura, qua cœlum quà terra patet, honestari & amplificari conueniat. Oratio Ezechię indicat, sanctos homines hoc unum elaborare in precando, ut Dei honor asseratur & amplificetur. Itaq; Dauid: Adiuua nos Deus seruator noster, propter gloriã nominis tui. & Messias ipse, cœlestis Ezechias: Sanctificetur nomen tuum. *Psal. 79.*

Deum uiuentem.) qui ipse perennis uita sit: & aliis, ut uiuant, naturã, uitam & motum largitur. qualis Deus ab Apostolo in Actis describitur: In quo uiuimus, sumus, & mouemur. Quanto ergo turpius est, nomen Dei ab impijs blasphemari? qui nisi ab illo uitam, motum & naturam haberent, non uiuerent, non mouerentur & essent? Vt autem Deus aliter in alijs sit: & ut aliter impij in eo uiuãt, sint & moueantur, aliter pij: & ut diuersa ratione rès cõditæ, naturæ diuinæ sint participes, alio loco id indicatum est. Vbi legimus, Deum ab Ezechia חי, hoc est uiuentem appellari, epithetum hoc soli Deo in uerbo Messia competit, nemini alteri: ut qui solus à se uiuat, & cęteris ut uiuant uim suppeditat, de uitę suę, qui Messias est, thesauris. *Actor. 17.*

Quos audiuit Dominus.) eius auris. & oculis omnia in cœlo & in terra lustrantib. secus ꝙ putant impij, qui audent dicere, nõ uidet Dñs, nõ intelligit Deus Iacob. *Psal. 94.*

Leua ergo orationem.) Pro munere prophetico, quæ oratio leuata per nubes usq; ad thronum clementiæ diuinæ ascendat. Quò spectat uerbum leuandi.

Pro reliquijs.) Ne diuinus populus semel in fœdus receptus, totus pereat. Et hostis glorietur, te tam potentẽ non esse, qui tuos serues, & hostilem uim frangas.

Quæ repertæ sunt.) in Iudæa decem tribubus in exilium & captiuitatem ab Assyrio abductis, sola Hierosolyma ut tugurio in uinea relicta.

Hæc dicit Dominus.) Rabsaces nomen regis sui, quem magnum uocat, prætendit: Iesaias nomine Iehoua, Domini & regis huius uniuersitatis, cuius imperio cœlestia, terrestria & infera sunt subiecta, nomen prætendit. Nomẽ inquã salutare Dei, qui uelit & possit iuuare suos, & hostes euertere. Quare sequitur:

Ne timeas.) à te & Hierosolyma stante potentiore, quàm sit Assyrius, & omnis principatus huius mundi.

Ecce ego.) quem Assyrius his uerbis audet blasphemare: Qui'nam illi sunt in uni-

in uniuersis terrarum diis, qui eruerunt terram suam de manu mea, ut posit eruere Dominus Hierosolymam de manu mea? Hanc blasphemiam ulturus Dominus, sequentia minatur flagitioso hosti.

Dabo eis spiritum.) qui eum loco moueat, ut uentus puluerem terræ mouet. Notatur nomine spiritus, motus & concitatio Dei: qua is pro nutu & arbitrio cuncta mouet & agitat. Alio igitur spiritu mouet impios, alio pios. Hos amabili & suaui spiritu, quo seruentur: illos iræ & uindictæ spiritu, quo pereant.

Et audiet nuncium.) De fama interpretantur regis Aethiopum, de quo mox fiet mentio. Aut si ita placet, exponere licebit de fama quæ in exercitu increbuit, de misera clade ab angelo Dei importata. Hanc porrò ut percepit, statim turpi fuga se in terram suam recepit, ut sequitur:

Et corruere eum faciam gladio.) in eum à filijs stricto.

Aduersus Sobnam.) Iosephus de Pelusio Aegypti urbe interpretatur, ludææ ulcina. Fit etiam mentio Libnæ, in tribus ludææ descriptione apud Iosuam. Itaque nonnullis uidetur, Lachis relicta ad Libnam urbem castra, ab Assyrijs admota. 25.

Misit nuncios ad Ezechiam.) qui oraculum Iesaiæ de liberanda Hierosolyma infirmarent, à Sobna, ut uidetur, proditum.

Non te seducat Deus tuus.) Grauis tentatio exponitur, qua per impios legatos Satan & promissionem diuinam mendacem reddere, & in eam Ezechiæ & piorũ hominum qui Hierosolymis uersabantur, fidem euertere studuit. Quæ tentatio longè grauissima est, ut in qua contra diffidentiam in carne ac uetere homine hærentem, nouo homini ac interiori sit pugnandum, fide in eo contra fidem & spe contra spem sperante: quòd in media lucta tentationum accidunt res, quæ promissæ saluti fide & spe percipiendæ, planè contrariæ & aduersæ uideantur. Quod genus probationis fidei & spei per ignem afflictionum, multo maximè uexat uritq; eos qui tentantur. Quale tentationis probationisq; fidei exemplum ostenditur in Abrahamo, iusso immolare filium suum: in Iacobo, pugnante contra angelum Dei: in Dauide, persequente eum rege Saulo: in Iobo, ut opes, liberos, corporis ualetudinem, uxoris & amicorum gratiam amisisset: & hic in Ezechia, ei subductis omnibus humanis præsidijs, diuinum etiã moliente ei auferre Satane, per impios legatos regis Assyriorum, & mendaces proditores qui Hierosolymis erant. Qui in hoc probatorio igne durant, uerè armati omnium uictrice fide, cum Iobo dicere audent: Etiam si interimat me Dominus, in eo sperabo, & seruabit me.

Ecce tu audisti omnia quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris.) Argumentum ducit à feliciter propagato imperio, Deum à se cultum uerè Deum esse. non quem Ezechias colit: Deumq; conditorem cœli & terræ à se stare, non à Hierosolyma. At fallacem conclusionem struit. Non enim res prosperę probant, eos ueram religionem habere, quibus illæ accidunt: neq; Deum conditorem cœli & terrę eos odisse, quorum res aduersæ sunt. Nam omnibus temporibus inuenti sunt improbi, quib. in hoc seculo secundæ res fuerũt: & probi, quib. aduersæ. Futurũ porrò seculum, certum discrimen inter pios & impios faciet, non pręsens. quod indicauit Salomon in Ecclesiaste, ubi ait: Dixiq; in corde meo, iustum & impiũ iudicabit Deus, & tempus omni rei tunc erit. in uocula עת, altero seculo indicato. Falsus igitur Assyrius est, se uerum Deum colere colligens, quòd res prosperas haberet: & Hierosolymam non uerum, cuius res aduersæ essent: Deumq; creatorem cœli & terræ sibi fauere, non Ezechiæ. Falsus est Babylonius, idem argumentum fabricans: & falluntur alij tyranni orbis terrarum, similia concludentes. Vt hodie fallitur Turcarum imperator, ex feliciter aucto imperio rationem ducens, suam Mahumeticam religionem cęterarum gentiũ religioni antecellere. Si bestiam quę ex terra ascendit, Pastorem illum stultum, Eccles. 3.

qui

qui non leuem causam Mahumetanæ sectæ origini dedit, consideres, hæc gloriatur non solum Deum à se stare, sed etiam sibi diuinum numen asserit, quod imperium teneat feliciter partum, propagatum, uictum & confirmatum: quem gentes, principes, reges, Cæsares, eius pedes osculantes adorent. Qua potesta te longe lateq; patente, & Abbatibus, Episcopis, Cardinalibus, tot Academijs in uerba eius iuratis tenebrarum hæc potestas corroborata, confidens, & arroganter superbiens, non solum suam falsam religionem Satane autore excogitatam pro uera religione profitetur, & ueram à Messia traditam damnat, sed etiam se super omnem religionem & Dei numen insolenter extollens, cum Assyrio, à quo præfigurata fuit, audet dicere: Non seducat uos Messias cœlestis Ezechias, quia non poterit liberare uos: neque ab eo persuaderi uobis sinite, ut Domino confidatis, quasi uos Dominus sit defensurus. Hoc cogitare, loqui & facere aduersarium lucis, hodie experiuntur pij homines, quos is ob confessionem sacrosancti Euangelij Christi, carcere, exilio, reste, aquis, gladio, igni persequitur, implens oraculum illud Danielis: Sermonem loquetur contra excelsum, & sanctos altissimi conteret. 7.

Ascendit in domum Domini.) in hanc promissionem oculos intendens: Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ, ad orationem eorum qui in isto loco orauerint. Hæc fiebant ante præsentatum mundo Christum, pro ratione ueteris fœderis, quod in adorando respectum loci & elementorum mundi admittebat. Secus res habet in noui fœderis administratione, in quo precatio fit spiritu & ueritate, nulla corporati templi habita ratione, sed eius de quo illud: Dominus Deus omnipotens templum illius est, & agnus.

Coram Domino.) in templo ad arcam propitiatorio tectam præsente. Subducto uelo, in noui fœderis administratione nobis præsens est Deus pater, in propitiatorio arcam Ecclesiam tegente, Messia benedicto: hanc præsentiam conficiente illius spiritu, per quem clamamus Abba pater, qui pater per spiritum uitæ, sapientiæ, iustitiæ, fortitudinis suæ nobis intimè præsens est in Christo, ad omnem salutem nobis perficiendam. Nam ex hoc nati, uerè eius filij, non metaphoricè: uerè dij, non similitudine quadam: uerè eius naturæ, non tropo quodam participes reddimur, beneficio regenerationis os ex ossibus, caro ex carne Messiæ geniti. Sed hac de re alio loco commodius disseremus, ijs quæ solent hic obijci occursuri.

Domine exercituum.) qui es uerè non unius alicuius partis uniuersitatis, sed totius uniuersitatis magnus rex & imperator: parentibus tuo imperio exercitibus angelorum, stellarum, hominum in terra, inferorum. ut nimis superbè hunc titulum Assyrius sibi arroget, Rex magnus: & Antichristus triplici corona coronatus insolenter glorietur, se in cœlum, in terram & inferos habere potestatem: quin potius tu, nemo alius, huc titulum iure creatoris obtines, Dominus Deus Israel, Dominus exercituum.

Dominus Israel.) In hortando admonet Deum fœderis sui, cum Israele iniri, quod ipse fallere non possit. Si uetus fœdus spectes, occurrit terra Chananæa in hæreditate mystico Israeli promissa: occurrit benedictio cœli & terræ: occurrit promissio de liberatione ab hostibus Assyrijs, Babylonijs, Idumæis, Moabitis, Amonitis, Amalechitis, Palestinis: occurrit etiam spiritualis benedictio, sed qua Israelitæ, qui secundum carnem & spiritum sunt Israelitæ, pro ratione ueteris fœderis, hoc est pædagogiæ & puerilis ætatis ornentur. Sin uerò nouum fœdus submoto typo mystici fœderis & Israelis consideras, occurrunt generatim electi & scripti in libro uitæ: ad quos ut hæc oratio Ezechiæ contra spiritualem Assyrium & Babylonem conueniat, pij homines facile animaduerterunt.

Qui sedes super Cherubin.) quibus insidens tuos Israelitas, hoc est electos, ueros

Israelitas

Israelitas ad te preces fundentes, propter propitiatoriũ tuũ Messiam exaudies: suprà quod propitiatorium, Cherubin legati tui, administratorias uoluntatis tuæ perficiendæ alas explicant.

Tu es solus Deus.) non dij gentium prophanarum: non ille qui audet impudenter se supra omne id quod numen est Dei extollere, ostentans seipsum esse Deum.

Daniel.2. *Omnium regnorum terræ.*) quæ des & auferas quibus uelis, ut Daniel dicit: Ipse mutat tempora & ætates, transfert regna & constituit. Assyrius alios deos numerat, qui potentiores Deo Israel sint. hic Ezechias dicit: Tu es solus Deus. Idem dixerat se magnum regem esse, & multa regna redegisse in ditionem suam: nec Deum Ezechiæ effecturum, quo minus Hierosolyma in suam potestatem ueniat. Contrà Ezechias ait: Tu quem Assyrius conuicijs insectatur, omnium regnorum Deus es.

Tu fecisti cœlum & terram.) non dij Assyriorum. A' facultate, qui possit ut conditor omnium liberare suos, & euertere superbum hostem. Quare sequitur:

Inclina Domine aurem tuam.) aurem clementiæ & bonitatis, ad exaudiendas preces tuorum, contra tyrannum conuicijs proscindentem nomen tuum. Noue-
Psal. 50. rat pius rex promissionem illam: Inuoca me tempore afflictionis, & liberabo te, ut illustres nomen meum. Qua promissione per fidem nixus pius rex precabatur, & quæ precabatur impetrabat.

Aperi Domine oculos tuos.) amoris & beneuolentiæ, quos iratus ad tempus clausi sti. Humano more oculi clausi & aperti Deo tribuuntur, humanis rebus & affectibus in ipsum translatis, ut diuina nobis patefiant.

Et audi omnia uerba hæc.) Ad asserendam gloriam nominis tui, ab hoste dehonestati. Quam si uindicaris, etiam Hierosolymæ ciuitatis tuę salus defendetur, quæ cum gloria tua copulata est: quam nimirũ negligere si sustineas, etiam bonitatem tuam, qui nolis tuos seruare, & potentiam, qui non possis, & fidem ac ueritatem, qui temerè fœdus cum tuis ictum uioles, promissa tua rescindens, periclitari sustineas. quod tuum summum dedecus esset, & ignominia.

Verè enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum.) Occurrit aduersario, gloriantí de uarijs à se terris uastatis, & earum dijs crematis: sed qui dij non essent, quibus falso te Deum uiuentem maximo opprobrio tuo comparauit: putans, si cæteras regiones sui dij non liberassent, nec te posse Hierosolymam ciuitatem tuã de sua manu liberare.

Et nunc Dominus Deus noster.) qui nos pro singulari beneuolentia tua præ cunctis gentibus selegisti, cum quibus amoris & beneuolentiæ fœdus percuteres. Concludit precationem.

Vt cognoscant omnia regna terræ.) eorum superbia depressa, & electis tuis seruatis, & gloria nominis tui defensa.

Pro quibus rogasti me de Sennacherib.) Exemplum de ui precationis: hanc fide instructam ad solium clementiæ diuinæ penetrare, & omnia à Deo impetrare. Neque id cuiquam mirum uideatur. precator enim spiritus, qui Messiæ spiritus est, intimè Deum in Messia eum inuocantibus coniungit, unum illud ex
Ioan.18. ipsis efficiens, de quo huius diuinæ coniunctionis conciliator sic ait: Oro ut sint unum, sicut nos unum sumus. Etenim in fidei lumine amor Dei continetur, non secus atque calor in igni. qui amor, amantes inter se Deum & eius filios arctissimo necessitudinis uinculo connectit. Qualis diuinus amor in spiritu adoptionis ostenditur, quo afflati clamamus: Abba pater. Hunc autem interpellantem spiritum non magis reijcere potest Deus pater, quàm suam naturam, cuius consortes sunt filij ex amore nati, de quo illud: Deus amor est, & qui manet in amore, in Deo manet. Item: Qui diligit, ex Deo natus est. Dicas, propter filiũ Christũ nos amari & exaudiri. Bene quidẽ: at is spiritus precator

filij

filij ſpiritus eſt, in nobis precans, quem indeſinenter precantem cum exaudit Deus pater, filium exaudit, qui omnem ſalutem nobis per ſpiritum ſuum in nobis uerſantem perficit.

Spreuit te.) ſponſam meam, quam ego ut amplificarem, oraculorum meo ſpiritu exornaui. Virginem ſub typo Hieroſolymæ & Sionis, Eccleſiam uocat, quę alium maritum non agnoſcat quàm ſanctum Iſraelis, qui eſt Meſsias benedictus. De quo Apoſtolus: Deſpondi uos uni marito, tanquam uirginem. 2. Corint. 2.

Poſt te caput mouit.) deridens te. Pſal. Mouerunt caput. quod eſt derident ium. Germani dicunt, **über einen mupffen.**

Cui exprobraſti.) Auerſio ad ſuperbum hoſtem, quem per ſubiectionem exagitat, confitens, deſpectionem Sionis, ſui eſſe deſpectionem. Ex qua confeſsione magna noſtri conſolatione cognoſcimus, ſponſum Meſsiam omnia cum ſua ſponſa Eccleſia habere communia: opprobrium & gloriam, peccatum & iuſticiam, mortem & uitam, infernum & cœlum. Quare is ſponſus apud Zachariam ſic ait: Qui tetigerit uos, tanget pupillam oculi mei. Metuat ergo ſibi filius ille perditus, hoſtis Sionis Eccleſiæ, & mariti eius Meſsiæ. Hic enim audit hanc uocem: Quem probris affeciſti? in quem uocem extuliſti? & in altum oculos tuos eleuaſti? In ſanctum Iſraelitarum. Zach. 2.

Et eleuaſti altitudinem oculorum tuorum.) Faſtus in elato ſupercilio notatur. Quem conueniebat ſub maieſtate diuina deijci, aduerſus illam uocem ſuam elato ſupercilio extuliſti. Tales oculos ut odiat Dominus, oſtendit Salomon in Prouerbijs: Sex odio habet Dominus: oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes ſanguinem inſontem, cor machinans cogitationes prauas, pedes ueloces ad currendum ad malum, teſtem falſum qui loquitur mendacia, & ſerentem inter fratres diſsidia. Hæc uitia in Aſſyrio, & eius legatis deprehendas. Sed longè ueriſsimè in illo quem præfigurauit Aſſyrius, hoc eſt in ipſo cœleſtis Hieroſolymæ & eius regis Meſsię aduerſario, & huius pſeudoprophetis, hæc iam memorata uitia, & alia quæ his continentur, diuinus ſpiritus damnat & reprehendit. Porrò ſi elatos oculos ſpectes, quid quæſo ſuperbius illo, qui ſe ſupra omne id quod eſt numen Dei extollit? Si linguam mendacem, hãc mendaces ſermones quos effutit contra excelſum, & falſę quas ſpargit doctrinæ, ex quibus falſa religio & idolomania nata eſt, declarãt. Si manus inſontem ſanguinem fundentes perpendas, quantus innocentum ſanguis fuſus ſit ab illis, & et iamnum fundatur, tot in Germania, Anglia, Gallia, Hiſpania & Italia martyres teſtantur: quorum ſanguis cum Abelis ſanguine de terra clamans, & per nubes in cœlum uſq; ad thronum diuinæ iuſticiæ penetrans, certam uindictam Dei in ſanguinarios iſtos armat. Præterea mentem improbas cogitationes & conſilia machinantem, oſtendunt facinora ac flagitia, improbarum cogitationum fructus: ut ſunt, prohibitis matrimonijs promiſcuæ libidines, opes malè per auariciam partæ, per quam omnia profana & ſacra uenalia habent. Et quoniam draconis ſanguinario ſpiritu aguntur, cuius pectus & os habent, bella aut ipſi gerunt, aut alijs illorum gerendorum autores ſunt: qui pro re nata, hoc eſt, pro libidine ſua potentiſsimos mundi principes inter ſe tanquam furiales faces committunt. Sed his non contenti, bellum etiam aduerſus agnũ Meſsiam, imperatorem cœli & terræ, & eius ciues facere audent, ut cœleſti regno (quãtum in ipſis eſt) labefactato, terrenum ſuum imperium, ut ex terra nati homines, ſtabiliant. Ad hæc crimina patranda non lento greſſu incedunt, ſed celere currunt. Quod ad falſa teſtimonia attinet, his obrui ſe pij homines lamentãtur, dum per ea fortunis ſpoliantur, exilio mulctãtur, carcere torquentur, reſte, gladio, aquis, igne è rerũ natura tollũtur. Vt demũ inter fratres ſerant diſcordiam, parentẽ ſuum Satanã, diſcordiæ & diſsidiorũ architectũ imitãtes: præter bella, & tam uariæ ſectæ, quas difficile ſit enumerare, documento ſunt. Apoc. 17.

In multitudine quadrigarum mearum.) Per prosopopœiam Assyrius superbè res suas prædicare inducitur.

Ascendi in altitudinem montium.) Regiones uicinæ Libano notantur.

Et succidam excelsa cedrorum.) Figuratè de potentibus & principibus hominibus accipitur. Qui meminisset Libanorum montium, mentionem de cedris in Libano nascentibus subiicit. De situ Libani, & eius iugis longè latèq; sparsis, uideris apud Geographos.

Et introibo altitudinem summitatis eius.) Hebræus: Ad summitatem extremi eius in syluam Carmeli eius perueniam. Significatur Hierosolyma, quã Assyrius iam decem tribubus in exilium abductis, & Iudæa uastata, in suam potestatem redigere statuit. Vocatur autem summitas & altitudo Hierosolyma, propter Sionem montem inclytum templo, & propter regiam sedem. Extremum item appellatur, quæ finis ad austrum terræ sacræ ferè esset, & quam Assyrius finem suę uictoriæ in sacra terra proposuisset. Carmeli autem fit mentio, quòd circa Hierosolymã ager bene cultus esset, rerum copia affluens. In altero libro Regum, pro summitate extremi eius, habitaculum extremi eius legitur. Similis fastus in Babylonio suprà à propheta reprehensus est: Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.

Nunquid non audisti quæ olim fecerim?) Vanam Assyriorum regis gloriationem refellit. Quid tu de tuis partis uictoriis gloriaris, contra Deum sanctum Israelis? Nunquam'ne audisti iam me decreuisse, quòd nunc ad rem contuli me, in rudera uastæ solitudinis munitas urbes redigere, earumq; incolas tam pudendo metu percellere, ut essent similes herbis, stirpiumq; uiriditati, & tectorum gramini, quod arescit priusquam ueniat ad maturitatem? Admonemur hoc loco, omnia quæ eueniunt, siue prospera, siue aduersa, iam olim & ab æternitate ita destinante & decernente Deo fieri: ut nemo possit gloriari, à se quicquam aliter quàm ab instrumento diuinæ potentiæ fieri: neque aliter fieri, quàm Dei prouidẽtia prouisum sit. Hæc sententia à Iesaia his uerbis suprà posita est: Nunquid gloriatur securis contra eum qui secat in ea? an extolletur, serra contra eum à quo trahitur? Vnde efficitur, non quia Assyrius uastaturus erat munitas populorum urbes, ideo præsciuisse Deum id ab eo futurum: sed concludendum fuerit, quia Deus præsciens decreuit ab æterno per Assyrium gentes uexare, ab hoc illas bello infestatas, & imperio eius subiectas. Legimus enim hic, Dominum his uerbis redarguere insolentiam regis: Nunquam'ne audisti, iam cum animo meo cogitasse me, ut per te populos affligerem? Non autem dicit, quia afflicturus esses, me præsciendo id statuisse ac decreuisse. Absurdus ergo error est illorum, qui ad confirmandum Liberum arbitrium, diuinam præscientiam humanis consiliis & actionibus tum bonis tum malis subiiciunt, affirmantes, non quia præsciat Deus, nos uelle aut renuere aliquid, ideo nos id uelle aut renuere: sed quia uolumus quicquam agere, aut secus, ideo Deum præscire id nos uelle aut renuere: contrà quam sacræ literæ docent, & in grauibus tentationibus sanctorum fides sentit & experitur, quæ tanquam suburra contra tempestatem afflictionum prouidentia Dei armata, omnia decretis & consiliis præscientiæ diuinæ subiicienda esse agnoscit: quam præscientiam infallibilem & certam rerum præsentium & futurarum causam esse, & humanam uoluntatem ab illa pendere confitetur. Atq; sic per fidem comparati pij, contra omnes aduersos casus quieti redduntur, sentientes se fide ab eo pendere, cuius consilia & uoluntatem de nobis seruandis nulla uis impediat & interuertat: nostram autem uoluntatem & consilia multa impediant & perturbent. Vnde quoque non mediocris error eorum demonstratur, qui in explicatione ac tractatione Liberi arbitrij, putant prouidentiæ & prædestinationis diuinæ non debere fieri mentionem: cum nihil errores, quos aduersarij in defensione

Liberi

Liberi arbitrij designant, firmius euertat, quàm recta prouidentiæ & prædestinationis diuinæ expositio: & ad consolandos nos nulla doctrina maius momentum & pondus habeat, contra peccati & mortis tentationes, & in cæteris afflictionibus, quàm ea cuius Christus meminit, Gaudete quòd nomina uestra Luc. 10.
scripta sunt in cœlo. & Apostolus: Quis intentabit crimina aduersus electos? Hanc igitur doctrinam non sinant sibi pij eripi, cui Satan cum primis infestus est, & eam omnibus artibus euertere studet: qui ferre nequit, ut mortificata uetere natura cum sua ratione & eius uoluntate, eiusq; uiribus, toti à sapientia & uoluntate Dei in Messia & per Messiam pendeamus: huius spiritu, non ratione & uolũtate nostra gubernati. qui spiritus electionis diuinæ hunc mundum præcedentis sub præscientia Dei æterna donum est, non uoluntatis nostræ, non meritorum nostrorum opus. Quare sunt interpretes qui hunc locum sic interpretantur: Num nescis me iam olim parasse תחתיה, hoc est, eam Hierosolymam, uidelicet in qua, ut sacra mea ciuitate, præsens oraculis meis uersarer? qui fieret igitur, ut eam ad id discrimen adducerem, ut ipsam more cæterarum urbium uastarem? Quibus uerbis indicari uolunt, Hierosolymam inde à condito mundo electam, quam sua beneuolentia & fauore Deus contra omnem hostilem uim & tyrannidem prosequeretur. Submoto autem uelo mysticæ Hierosolymæ, quæ Hierosolyma significetur, declarat illud Apostoli: Quem- Ephes. 1.
admodum elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi.

Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum ego noui.) oculis prouidentiæ meæ omnia lustrantibus.

Ascendit in aures meas.) de terra in cœlum usq; ad thronum iusticię meæ, in quo ego iustus rex sedens, de sceleratis pœnas expeto, & eorũ fastum defensis electis meis deprimo, ut sequitur:

Ponam ergo circulum in naribus tuis.) Similitudo à bubalis, ad cõsolandum apta ducitur, quibus principes & orbis terrarum tyranni similes sint: qui non secus Dei nutu, quò is uelit, trahuntur, atq; bubali unco naribus inserto, equi lupato ori iniecto aguntur, quò placeat agitatori. Monemur ergo hac similitudine primò, diuinæ potentiæ omnem principatum subiectum esse. Deinde discimus magna nostri consolatione, non plus crudelibus tyrannis, & eorum parenti Satani in electos Dei filios licere, quàm Deus eis permiserit: permittere autem tantum, quantum interfit ad gloriam suam illustrandam, & ad suorum salutem procurandam. Postremò ex misera Pharaonis, Assyrij, Babylonij, & aliorum tyrannorum casu discimus, prosperas res quas ad tempus habent qui Hierosolymam, hoc est electorum Ecclesiam uexant, ipsis exitium afferre, uexationes uerò pijs salutem: atq; ita afflictiones, quibus Dei fœdere comprehensi infestantur, diuinæ beneuolentiæ, non iræ signa esse: Satanemq; & eius ministros Antichristũ & pseudoprophetas cũ tyrannis orbis terrarum, filijs Dei maximè prodesse, quos perdere uolunt: ut ignis auro quod perficit, eius scorijs consumptis prodest, non obest. Aliter ergo affliguntur impij, aliter pij. hos afflictiones purgant & probant, ut aurum ignis: illos consumunt, ut scoriam, stipulam ac stuppam ignis consumit. alteri enim ad gloriam ab æterno selecti sunt in Messia: alteri ad opprobrium, cum suo parente Satane, cui ab exordio mundi consumptor ignis paratus est: ut illuminator, probator, Matth. 25.
& perficiens ad splendorem claritatis diuinæ Hierosolymæ, hoc est scriptis in libro uitæ ante conditum mundum paratus est. Vbi idem accidit, quod in luto & cera accidit, alterum solari igne indurante, alterum molliente & perficiente. Qua de re suprà etiam meminimus. Exemplo hic sit Hierosolyma & Assyrius.

Tibi autem hoc erit signum.) Diuinus spiritus ostendit hic nobis considerandum, Deum suos in media afflictione consolari, promittendo eis liberationem, tem-

pore certo, quo liberandi sint, indicato. Iesaias enim tertio anno Hierosolymam liberatum iri prædicit. Sic suum quoq; tempus, quo altera Hierosolyma ab Antichristo liberanda sit, in sacris literis annotatum est: de quo aliàs. Deinde ad consolandum prædicit, Hierosolymam interea in tanta rerum penuria ab Assyrio omnia deuastante importata, fame non perituram, sed conseruandam. Primo quidem anno, quo per Assyrios serere non licuerit, sponte nascentibus; altero, ijs quæ ex deciduis prioris anni nata fuerint: tertio uerò anno, iam hoste profligato sementem sacræ ciuitatis ciues facturos, & messem. Vnde cognoscimus, uerum esse quod in Deuteronomio scriptum est: Non solo pane uiuit homo, sed omni uerbo quod ex ore Dei proficiscitur. Hoc uerbum benedictionem etiam in exiguis rebus auget, ut auxit in sponte nascentibus & deciduis, quibus uixit Ezechias cum suis ciuibus. Idem uerbum Israelitas in deserto Eliam ad fluuium Carethum, & Elisæum in domo uiduæ aluit. Hoc autẽ ipsum uerbum salutare Messias est, qui quinque panibus & duobus piscibus quinq; hominum millia pauit. Postremò hoc mystico signo admonemur, ut tempore famis uerbi Dei, spirituali Assur Antichristo grassante, Hierosolymæ ciuitatis el ectorum ciues aluntur, ne fame pereant, & siti. Vt hi quoque primò sponte nascentibus per electionis gratiam uescantur, salutem timoris spiritu, sapientiæ diuinæ principio, in omnibus destinatis ab æterno ad uitam moliente. Deinde, ut fructibus ex illo spiritu residuis nutriantur. Demum, ut uicto Antichristo liceat palàm sementem Euangelij & messem facere, quam facere illo sæuiente non licuit. Nam electos nunquam ita deseri, quin diuinæ electionis fauore in CHRISTO IESV occulta benedictione seruentur, illud apud Ioannem comprobat: Oues meas nemo rapiet de manu mea. Hæ autem oues electi sunt: quorum nomina ut nunquam delentur de libro uitæ, ita semper in fauore & gratia Dei sunt. Superiora secula & hæc nostra, mysticũ hoc signum Ezechiæ exhibitum explicant.

Ioan. 10.

Et *mittet id quod reliquum fuerit.*) à rege Assyriorum.

Mittet radicem deorsum.) Memorabilis similitudo ab arboribus sumitur, quæ ramis, foliis & fructibus spoliatę, radices in terra agunt, per quas ad ferendos suo tempore fructus repullulant: sic reliquias populi diuini habere. Etenim arbores in terra superne de cœlo præparatæ, radices agunt, per quas uitali humore tracto fructus edunt sursum cœlum uersus, à cuius calore & humore terra & arborum radices, scapus, rami, folia atque fructus uim suam ducũt, luce & aquis cœlestibus cuncta inferna fœcundantibus. Hinc fit, ut etiam originem suam cœlum arbores respiciant. Itaque legimus hic: Et ferat fructus sursum. Sic sancti in terra uersantes se habent, quibus quoque fœtifica lux Messias, & aquæ cœlestes ex illo manantes, & terra ad fructificandum fœcundata non desunt, quæ ijs qui ueteris naturæ trunco cum ramis & fructibus suis resecto in nouam per regenerationem repullulant, ignota non sunt. Similis comparatio suprà sub finem capitis sexti legitur, in qua seruandæ reliquiæ quercui comparantur, quæ tempore hyemis foliis destituta, in radice uitam tuetur, per quam suo tempore reuirescens fructum ferat. Idem euenturum liberatis reliquijs.

Quia de Hierusalem.) ut ciuitate Dei, unica sacerdotij regalis sede. Submoto uelo mysticæ Hierosolymæ, occurrit cœlestis Hierosolyma electorum Ecclesia, in qua sola salus cernitur, & ex ea proficiscitur. ut sequitur:

Egredientur reliquiæ.) seruandę, Assyrio deleto. Reducta umbra rerum Ezechię temporibus gestarum, ut hæc uerè, sineq; figura, IESV CHRISTI cœlestis nostri Ezechiæ tempore, Antichristo tum incipiente sæuire, contigerint, suprà indicatum est.

Zelus Domini.) zelus Messiæ pro spõsa sua Ecclesia, qui riualem & socium non ferat:

ferat: qualis Assur esse moliebatur, & Antichristus spiritualis Assur in nouissimis temporibus esse studet.

Exercituum.) in fœmore suo scriptum habens: Rex regum, & Dominus dominantium. cui facile sit sponsam suam deleto hoste in libertatem uindicare.

Faciet hoc.) nulla aduersaria potestate eius facultatem cum uoluntate coniunctam impediente.

Quamobrem hæc dicit Dominus.) cuius sententia semel pronunciata rescindi & irrita fieri nequeat, qui Deus sit, non homo: ut Assyrius hostis, & olim Aegyptius, de quo suprà: Aegyptus homo, non Deus. & qui uerus Deus sit, non falsus, ut dij Assyriorum. Cæterùm diuinus propheta opponit uerbum Domini, uerbo regis Assyriæ, de quo suprà Rabsaces: Hæc dicit rex meus Assyriorũ. Cum Iesaia omnes legati Dei, spirituali Assyrio Antichristo se opponentes, dicunt: Hæc dicit Dominus.

Non intrabit ciuitatem hanc.) ut mihi consecratam, in qua uerser, non Assyrio: mihiq; arctissimo matrimonij uinculo deuinctam, non Assyrio: & selectam, quæ meam uocem audiat, non Assyrij, non Antichristi, quamlibet regis magni, summi sacerdotis & pontificis nomina ostentet.

Per uiam qua uenit.) reuersurus Niniuem, ut mox patebit.

Ego.) nemo alius, nulla humana uis & sapientia.

Protegam ciuitatem hanc.) Contrà quam Assyrius existimat, dicens: Liberabit'ne uos Dominus? Vt talem uocem iactet Antichristus, aduersarius cœlestis Hierosolymæ, hodie experimur.

Propter me.) ad asserendam gloriam meam, quam mihi detrahere conatur superbus tyrannus, dicens: Non te decipiat Deus tuus, cui confidis. Locus is admonet, ut omnia fiunt à Deo propter sanctificationem nominis sui, ita omnia studia in electis ad patris & filij gloriam referri debere. Contrà faciunt superbi hostes, Assyrius, Babylonius, Græcus, Romanus, bestiæ ex mari natæ: & Antichristus ex terra, terrena sapiens, non cœlestia, ortus: qui ut Dei gloriam deprimat, & suam extollat, satis notum est.

Et propter Dauid seruum meum.) Submota mystici Dauidis umbra, occurrit illud: Et erunt mihi populus, & ego ero eis Deus: & seruus meus Dauid rex super eos. Is autem Dauid rex Messias est, in quo & per quem & propter quẽ Deus pater suos liberat, & hostes euertit. *Ezech. 30. 7.*

Et egressus est angelus Domini.) Suprà capite trigesimoprimo, Dominus descendere ad delendum Assyrium legitur: hic, angelus egredi, hoc est amandari à sedente in throno, qui perdat Assyrium, & seruet Hierosolymam. suprà iudicis, hic ministri & legati fit mentio. Dominus porrò in cœlo ex angelis descriptas legiones habet, quas aduersus hostes suos armet, & mittat ad defendendam suam Hierosolymam in terra peregrinantem, contra Satanem & principatum reliquum tenebrarum. De quibus legionibus cœlestib. Dominus ipse meminit ad Pilatum. *Math. 26.*

Et percussit in castris.) non humana ui, sed diuina, Assyrius ante Hierosolymam deletus est. Sicut etiam suprà legitur: Et cadet Assyrius, non uirorum gladio, non humano confectus ense. De nostro Assyrio, ut conficiatur, suprà diximus: Spiritu oris sui interficiet impium. Et Apostolus: Et tunc patefiet iniquus ille, quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & claritate aduentus sui. claritate uidelicet lucis Euangelij, cuius semina iam spargi cœpta sunt. In qua luce aduentus patefactionis Messiæ cernitur, de quo is ipse loquitur: Donec dicatis, Benedictus qui uenit in nomine Domini. In quo aduentu patefactionis sui per prædicationem restituti Euangelij, Messias per spiritum suum sese præsentem ostendit, ad destruendum regnum Antichristi & liberandam suam *31. 11. 2. Thess. 2.*

Hierosolymam de cœlo descendentem, ut impleantur oracula de conuersione gentium ad Euangelium, & reconciliatione Israelitarum cum Deo maiorum suorum.

Centum octogintaquinque millia.) Exemplum horrendæ cladis in omnem posteritatem memorabile, ad terrendos impios, & ad consolandos pios, eosq; in fide & spe per patientiam retinendos. Hac clade non solùm uulgares homines, sed etiam potentissimi quique extincti sunt ab angelo, ueluti scriptum
2. Paralip. 32. est in Paralipomenis: Et misit Dominus angelum, qui ad internecionem deleuit omnem fortem militem, ducem ac principem. Quòd si quis hîc percunctetur, qua clade hostium exercitus deletus sit ab angelo: sacra narratio cladis nomen non explicat. Iosephus ex Beroso refert, peste hostilem exercitum deletum. Locus is admonet, angelorum legationi mundi elementa, quæ in hostes sanctorum arment, & potentissima in mundo regna, quæ euertant, subiecta esse. Sic angelus ignem cœlestem armauit in Sodomam & Gomorram, mare rubrum in Pharaonem, & hic luem angelus potentissimo Assyriorum exercitui intentasse legitur. Sic angelis præsidibus regna contra regna excitantur. ut angelus præses regni Persarum documento est, quos ille aduersus Assyrios & Babylonem excitauit. idem de Græcorum angelo in Persas armato, ex Daniele cognoscere licet. Dicas, angelos angelis aduersos non esse: quare, uni imperio præpositus angelus, alterius imperij angelo contrarius non erit. Angelus imperium cui præfectus est, non diutius tuetur quàm placeat Domino, gubernatori uniuersitatis. qui, cum regna ut ad fastigia scelerum peruenerint, dissipare uult, idem angeli ut uelint, par est. sunt enim cœlestes illi spiritus non ad tyrannidem, sed ad ordinationem in mundo diuinam, qua pij bene habeant, impijs euersis, seruandam destinati.

In Niniue.) De uetustate & magnitudine huius urbis, uideris in Genesi, capite decimo.

Et ecce omnia cadauera mortuorum.) Qui Deum uiuentem Israelitarum dehonestarunt conuicijs, uita spoliati, in cadauera redacti sunt. is est blasphemantium Deum, & eius ciuitatem Hierosolymam infestantium exitus. In hac lingua cadauera פגרים appellantur, quòd uitæ expertia, pigra & inertia iacent. Notum enim est uerbum פגר, cuius aperta uestigia in Latina uoce Piger seruata sunt.

Cum adoraret.) sed frustra, Deo Hierosolymæ & impium regem & uanos eius Deos confundente.

Percusserunt eum gladio.) Qui filios Dei perdere uoluit, à suis filijs in suo regno perijt. Si Antichristum spectes, ut is à suis quos educauit liberis interimatur, nostra tempora indicant. Nam is potissimum ab ijs inuaditur, quos in filijs suis habuit, quósque erroribus suis imbutos uarijs beneficijs ornauit. Facilè enim doctores, episcopos, principes & reges, quos tanquam filios suos olim amplexus est, numeres, qui eius hostes facti, ad Messiam defecerunt.

IN CAPVT TRICESIMVM OCTAVVM.

IN *diebus illis ægrotauit.*) Quo tempore ægrotarit, in Annotationibus ad historiam Regum editis indicatum est.

Morieris.) A Propheta naturæ uia spectatur, non diuina præscientia, & in ea numerus annorum uitæ Ezechiæ designatus.

Obsecro Domine.) Letalem quidem morbum, quo laboro, agnosco esse, qui naturam laborantem, & medicinam quam medici faciant, uincat: sed non letalem

talem, si tuam curam & bonitatem, morbum omnem superantem, quam scio sanitatis & ægritudinis, uitæ & mortis, cœli & inferni dominam esse, considerem. Hæc agnoscere, in Ezechia fidei, non naturæ opus erat. Exemplo Ezechiæ primò discimus, prophetis denunciantibus nobis res aduersas nomine Dei, nobis animum non ad iram, quam in diuinos legatos declaremus, conuertendum esse: sed ad fletum & preces, quibus Deum flectamus, ut afflictiones aut tollat, aut minuat: aut si secus statuerit facere, eas futuri seculi felicitate penset. Deinde ostendit, afflictiones quas Deus minatur suis, precibus posse aut tolli, aut minui: ut exemplo hîc sunt preces & fletus Ezechiæ. exemplo item Niniuitæ sunt. Demum discimus, non omnes diuinas sententias & minas immutabiles & infallibiles esse: ut minæ in Niniuitas, & in Ezechiam editæ, de eo uita spoliando satis clarè docent. Neque propterea Deus mutabilis est, si ea quæ iusserit per prophetas suos denunciari, non implentur. Nam inter sententias oraculares Dei discrimen est. quædam simpliciter, sine adiunctione aut conditione pronunciantur: qualis fuit sententia de delendis Chananæis, de mutandis regnis mundi, & dando regno ac imperio in omnia Messiæ, de abolendo regno Antichristi, de liberandis electis per semen mulieris Messiam, de scribenda noua lege in pectoribus scriptorum in libro uitæ, de innouando mundo & resurrectione mortuorum, de iudicandis uiuis & mortuis ex Euangelij libro. Quæ omnes sententiæ sine adiunctione enunciantur. Sunt deinde sententiæ diuinæ cum conditione datæ. qualis fuit sententia de Niniuitis perdendis edita, nisi resipiscerent: qualis item hæc fuit in Ezechiam comminatio, Morieris. quæ tacitam hanc adiunctionem habuit: Nisi, ne moriaris, precibus & fletu impetraris. Quales sententiæ si non implentur, id fit nulla uoluntatis diuinæ mutatione, sed eorum in quos dicuntur. Quare tales minæ fiunt à Domino, ut ij ad quos fiunt, ad agnoscendam miseriam suam, ad preces, per quas fidei lumine prælucente diuinam opem implorent, excitentur. [Ierem. 31.] [Ionæ 3.]

In ueritate.) non simulata probitate ac hypocrisi, sed probitate quam fides in te mihi conciliat. Non hic iactat Ezechias merita sua, sed fidem qua se rectè gesserit: neque gloriam suæ uel prudentiæ. uel probitatis se quæsiuisse ostendit, sed gloriam amplitudinis diuinæ. Iactant hypocritæ facta sua, cum Pharisæo illo se iustificantes: Gratias tibi ago, quòd non sum sicut cæteri. Hæc factorum prædicatio fide carens, Deo gloriam misericordiæ in filio Christo declarandæ derogat, quam ei fides sanctorum tribuit ac arrogat. [Luce 18.]

Et in corde perfecto.) Pro mensura primitiarum spiritus fidei, & amoris diuini erga Deum & proximum. Est enim sua perfectio in uiatore: est item in eo qui confecto itinere quietem & portum nactus est. Sed omnino & absolutè perfectum cor CHRISTI IESV est, cuius perfectio per fidem nobis imputatur, & eius de plenitudine Messiæ nobis certus modus communicatur. Nam imputatio qua nobis Christi iusticia & integritas ascribitur per fidem, ociosa non est, sed per Christi spiritum in nobis agit: quo qui carent, ut Christi non sunt, ita neq; iusti, neq; ullo modo perfecti sunt. Christi autem non esse, est in damnatione peccati & mortis esse. Confitetur hic Ezechias, se coram Domino fideli & integro animo uersatum, quod cum facit, cõscius sibi est iusticię nõ humanæ, nõ legis, sed diuinę, cuius spiritu afflatus sanctè se gesserit.

Coram te.) in oculis tuis, non mundi, non hominum, quorum hypocritæ oculos curant, non Dei.

Fecerim.) tuo spiritu ducente me, non uoluntate ueteris hominis.

Et fleuit Ezechias fletu magno.) fletu ostendens, una misericordia diuina salutem constare: & miseriam humani generis, quam fletu suo testantur scripti

in libro uitæ, sanari. Fleuit autem Ezechias, partim quòd uideret Hierosolymam in magno periculo uersari, quam nollet suo imperio destitui: partim quòd liberis careret, qui regni essent hæredes usq; ad Christum, quem pereperat ex posteris Dauidis procreandum.

Audiui orationem tuam.) qua per fidem, mihi gloriam bonitatis tribuas, qui uelim meos iuuare: & potentiæ, qui possim: (omnibus etiam in natura & aduersarijs potestatibus reclamantibus) & ueritatis ac fidei, qui promissionem qua inuocantibus me tempore afflictionis salutem promitto, præstem, & benefacta ex fide per amorem agente edita præmijs ornem. Et hæc summa gloria est, quæ tribuitur Deo: quod est iusticiæ, quæ in fide cernitur, opus.

Et uidi lachrymas tuas.) ex animaduersione periclitantis gloriæ meæ per Assyrium, & tuæ miseriæ luctu expressas. Quales lachrymas ego respicio, oculis meis humilia & deiecta respectantibus, elata auersantibus. Hinc illud: Beati qui lugent. Cæterùm lachrymam humorem esse qui ex calefactione humidi cerebri per oculos fluat ex miseratione, cùm quis se aut alterum miseratur, nos ipsi experimur. Flent & impij, sed horum fletum Dominus non exaudit. ut exemplo est Esau, de quo legimus in Genesi: Et fleuit. Item Dominus de repudiatis: Ibi erit fletus & stridor dentium. Sed cur aliorum fletum respicit Deus, aliorum non item? Discrimen in personis, & earum fide & diffidentia cernitur. Alia piorum persona est, alia impiorum. Dicas: Si ita res habet, Deus dicitur habere rationem personarum: contrà quàm natura eius fert, & sacræ literæ de eo loquuntur. Deus personarum, quales ipse gratia sua efficit, ut piorum persona est, rationem habet: non quas natura fingit, & fortuna, ut est potentium, sapientum, fortium, iustorum huius mundi, puerorum, senum, mulierum, uirorum, pauperum & diuitum persona.

Matth. 5.
Genes. 27.
Luc. 13.

Ecce ego adijciam diebus tuis quindecim annos.) Sed quibus diebus? Diebus quos morbus finiturus erat, sub dispositione causarum in natura repertarum: non diebus quos mens diuina, ultra quos non uiueret Ezechias, ab æterno designarat. Hi igitur quindecim anni complerunt annorum numerum, qui in diarijs decretorum Dei ante conditum mundum & hanc naturam annotatus fuit. Si nostrum Ezechiam Messiam benedictum spectes, eius perennem uitam, quam perresurrectionem è mortuis tertio die habiturus erat, per septenarium & octonatium significari hîc monemur: quorum numerorum alter quieti, alter immobili & stabili perfectioni, qui cubicus numerus sit, quem bis bina bis sumpta efficiunt, consecratur.

Hoc autem erit tibi signum à Domino.) In hoc signo reuocatæ umbræ, eius umbræ reuocatio significabatur, de qua Apostolus: Quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Huius umbræ retractio, supposito corpore lucis, ut contigerit, cum Messias cœlestis Ezechias in cruce uitam deponens, ad septenarium & octonarium perennis uitæ numerum erat transferendus, declarat scissum in templo uelum, quod omnes ueteris fœderis umbras denotabat. Signum Ezechiæ datur salutare, quo conualesceret, quòd reducta figura ac imagine, Messias erat, qui sol ille diuinus est, umbras atque tenebras ignorantiæ Dei mortisque & inferni caliginem appulsu suo depellens & retrò uoluens, suaq; luce uiuifica ueram uitam & sanitatem afferens. Hoc admirando signo & Ezechiæ fides confirmabatur, illius animo ad eum reuocato, cuius fide ueri animi confirmantur: & Domini potentia ostendebatur, qui lucis & tenebrarum, mortis & uitæ, cœli & inferni Dominus esset. Huius enim amplificandi gratia, & ad hũc glorificandũ, ut sanctorũ animi per fidẽ reuocẽtur, signa atq; miracula eduntur. Quare signa cuiuscunq; generis sint, admonendo & repræsentãdo confirmant, & salutem ostendunt: res uerò, quarum admonent, uerè & natura

Coloss. 3.

confirmant

confirmant & consolantur. Cæterum breuis orationis, sed pondere fidei magnę, exemplum hic proponitur. Vnde intelligimus, in precibus non uerba precantis à Domino numerari, sed fidem ponderari. Breuis quidem oratio narratur ad Dominum facta, sed quæ magnam uim ad impetrandam salutem habuerit. Quare huc spectans Dominus, unicus ueræ precationis doctor, quales nostræ orationes debeant esse, his uerbis monet: Verùm orantes ne sitis multiloqui, ut ethnici. Legimus hic exauditas preces Ezechiæ. non igitur hæ pugnarunt cum hac sententia Dei à propheta indicata: Morieris, & non uiues. Nam orando Ezechias uoluntati diuinæ se non opponebat, sed ei subijciebat: si ita uideretur ipsi, se precari, ut restituta ualetudine uita sibi prorogaretur: sin secus, faceret quod sibi probaretur. Hanc precandi rationem Dominus ipse suo exemplo cõfirmauit. sic enim precatum eum legimus: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste: ueruntamen non sicut ego uolo, &c. Ad hęc, cuius generis fuerit sententia hæc: Morieris & non uiues, suprà indicatum est. *Matth. 6.* *Matth. 26.*

Ecce ego reuerti faciam umbram.) In quarto Regum libro scriptum est, ab Ezechia petitum signum his uerbis: Quod erit signum, me à Domino sanandum? & ei datam optionem alterutrum eligendi, ut uel progrederetur umbra decem gradibus, uel decem gradibus regrederetur in solario. à rege autem postulatum, ut umbra decem gradibus retrocederet. Dissentiunt hic interpretes, alijs solem regressum, alijs umbram, nõ solem affirmantib. qui ne cogantur fateri mutatam solis ratam & firmam conuersionem, potius umbrã, non sine tamen miraculo reuocatã affirmant, quàm solem relicto suo certo motu retrogressum. Vtrũ statuatur, non est curiosius inuestigandum. In Regum historia umbræ reuocatæ, non solis fit mentio: hic etiam solis. sic enim scriptum est: Et regressus est sol decem gradibus, per quos gradus descenderat. si etiam de sole accipitur, potuit nihilominus sol diuina ui ad constantis suæ conuersionis normam reuocari, rationibus motus & temporum non mutatis. 20.

Scriptum Ezechiæ.

Carmen sacrum, gratiarumactionem de restituta ualetudine continens, ab Ezechia canitur. Itaque Paraphrastes sic habet: Scriptum gratiarumactionis de signo quod editum est Ezechiæ. Hoc carmen in Regum historia omittitur: sicut de reuocatæ umbræ miraculo quædã illic copiosius explicãtur, quàm hic.

Ego dixi in dimidio dierum meorum.) Hebręus: Ego dixi in præcisione dierum meorum, ibo per portas inferni, priuatus sum residuis annis meis. Sententia est: Ego cogitaui mihi ætate præcisa, actum esse de uita mea. Primò igitur mortis periculum, in quo fuit, narrat: quo restitutæ uitæ à Deo beneficia in maius extollat, & amplificet. Duas enim partes hoc gratulatorium carmen habet. in altera, angorem de indicata morte conceptum: in altera, diuinæ clementiæ magnitudinem, qua superata morte uitam consecutus sit, explicat.

Ibo per portas inferni.) Periphrasis mortis. שאול propriè sepulchrum est, ac locus in quo mortui reponuntur: cui Ezechias affingit suas portas, per quas lege naturæ in interiores terræ recessus ingrediantur uita hac defuncti. De qua communi lege illud: De terra es, & in terram reuertêris. Hac figura loquendi quoque Dominus noster utitur, dicens: Portæ orci ac inferni non præualebunt ei. At ibi de misero statu eorum qui luce beneuolentiæ diuinæ, qua uita æterna continetur, carent, loquitur. Atque is status cur שאול à sepulchro, in quo mortuorum corpora ponuntur, appelletur, aliàs indicatum est. De quo autem inferno accipienda sint uerba Ezechiæ, pij & sancti regis, lector ipse intelliget, & ea de re infrà monebimus. Cæterùm ut Ezechias sepulchrali mortuorum loco suas portas tribuit: ita infelix status eorum qui luce & uita *Genes. 3.* *Matth. 16.*

Dei

Dei priuantur, suas mortis portas quoque habet, ut contrarius status portam
Ioan.10. & ostium uitæ æternæ. De quo ostio, ostium ipsum: Ego sum ostium: per me quisquis introierit, seruabitur.

Residuum annorum meorum.) Qui tum, cum in morbum inciderat, nondum ætatẽ naturæ lege præscriptam nactus erat.

Non uidebo Dominum Deum.) in templo se per oracula & responsa præsentantem. Quod uocat Deum uidere, qui se præsentem in templo colentibus & inuocantibus adfore promiserat. Hoc cultu præsens Dei numẽ ut afferebat pijs pro statu puerilis ætatis, quam pædagogus lex regebat, gaudium: ita eo priuari, dolo-
Psal.27. rem. Quare Dauid sic canit: Vnum petij à Domino, ut habitem in domo Domini, ut uisitem templum eius.

In terra uiuentium.) Conqueritur, se inter uiuentes in templo sacro non celebraturum Dominum cum cæteris sanctis. Sic terra uiuentium infrà quoq; accipitur: Excisus est ex uiuẽtium terra. hoc est, ex terra in qua homines uiuunt, pro-
Genes.2. pagati ex primo homine, ex terræ limo formato, in animam uiuentem.

Non aspiciam hominem.) Se et Dei & hominũ consuetudine spoliatum iri. Vt meminisset Dei, iam hominis meminit, qui Dei cognitione teneatur proxime, nullo interiecto meliore opere ad diuinam naturam accedens. Et eorum hominũ meminit, qui præ cæteris sacro cum Deo fœdere coniuncti erant.

Habitatorem quietis.) Hebræus, cum incolis seculi. Est חדל seculum, sic dictum, quòd deficiat. Inter seculi huius mortales incolas, se hominum aspectu & consuetudine priuari indicat. Itaq; Ezechias de præsenti seculo disserens, futuri seculi uitam non negat, neq; uult in altero seculo uitæ & Deo celebrando locum non fore. Etenim pius rex sentiebat, se principia uitæ alterius seculi in pectore suo gerere, primitias nimirum spiritus sacri, qui ad æternam uitam fungendam id præstat interiori homini, quod anima corpori ad animalem uitam & mortalem præstat. Quare in hac sua lamentatione hoc significat Ezechias, pios hac uita defunctos, in cœtu sanctorum non amplius Deum amplificare, & Ecclesiæ suam operam in propaganda & conseruanda uera religione & extirpanda falsa nauare. Quod studium inter uiuentes locum inueniat, non mortuos. Ad eos enim qui in hoc seculo uitam degunt, mitti prophetas & Apostolos diuino spiritu ornatos, qui uerum cultum Dei doceant, & rationem amplificandi nomen eius monstrent. In hoc item seculo diuina prouidentia reges creari, qui respub. rectè administrent ad gloriam regis uniuersitatis & salutem piorum. Hæc considerans Ezechias, dicit infrà: Quia infernus non confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Itaque sancti in terra homines expetunt uiuere, partim quòd natura ipsa mortem auersetur, uitã expetat, ut qua præcipuè Deus perennis uita exprimatur: partim uiuere optant, ut in Ecclesia Deum glorificent.
Philippen.1. Quare Apostolus huc spectans, in epistola ad Philippenses dicit, magis necessarium esse in carne se manere propter Ecclesiam, ut gloria illius exuberet per CHRISTVM IESVM. Vnde efficitur, hæc duo inter se non pugnare: Bonum est solui ex corpore, & ex hoc seculo migrare in alterum: Bonum est non solui, & manere in carne. In altero enim spectatur à molestia & laboribus libera in Christo uita, quæ uacans uitiositate & lege peccati pugnãte in carne cum lege diuini spiritus, degitur in paradiso, de quo huius cultor Messias ad latro-
Luc.23. nem: Hodie mecum eris in paradiso. In altero uerò pronunciato expenditur usus, qui à uiuentibus in hoc seculo ipsi Ecclesiæ docendi, hortandi, & ueram religionem tuendi, falsum'que euertendi munere præstatur. Proinde mors si eo aspectu aspicitur, quem natura præbet, horribilis sanè ipsa est. Sin autem aspicitur in CHRISTO IESV seruatore mundi, pollicente uitam his uerbis: Transibit de morte in uitam, dicunt pij homines
Rom.7. cum Paulo, Nam mihi uita est Christus, & mors lucrum. item: Cupio

pio dissolui, & esse cum Christo. Cupio inquam interiorem hominem, è sacro Rom. 7.
spiritu superne a l consortium diuinæ sapientiæ, iusticiæ & uitæ natum, à corpore, peccato & morti obnoxio solui, ut liberam à peccato & morte in altero seculo uitam in Christo, & cum Christo uiuam, cum spe excitandi corporis ex puluere terræ ad eam uitæ claritatem, quam glorioſum Christi corpus habet. Atq; hoc ipsum est, Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi, hoc est electorum uiuen Math. 22.
tium, non mortuorum Deum esse.

Et conuoluta est quasi tabernaculum pastorum.) Similitudo à pastoribus, tentoria sua cum pascuis mutantibus. Nostram uitam non secus migrare & auferri, atq; tentoria pastorum migrant, & auferuntur. Hanc celerem migrationē non perpendunt securi orbis terrarum tyranni, dicentes: Non mouebimur.

Præcisa est uelut à texente uita mea.) Aliud simile, à textore telam de staminis simbria præcidente mutuatum. Dicit se sibi sua culpa uitam præcidisse, non secus atq; textor filum abrumpit. Quod abrupti fili meminit Ezechias, eò nō ineptè referetur, quod uetustas de tribus finxit Parcis: quarum una Clotho nominata, colum tenens, uitæ filum ducebat: altera Lachesis appellata, illud uoluebat: tertia filum abrumpebat, Atropos uocata. Quibus nominibus munera, quibus diuina prouidentia in administranda humana uita fungitur, indicantur.

De mane usq; ad uesperam.) Sic cogitabā, sæuiente pestifero ulcere, & in animum subeunte responso Iesaiæ.

Sperabam usq; ad mane.) ubi appetijsset uespera, usque ad matutinum, posuit mihi terminū: adeò omnes artus, quasi à leone, mihi perfringuntur. Morbi grauitas similitudine hac amplificatur, qui sub noctem grauius, absente uitali solis luce, ægrotos infestat.

Sicut pullus hirundinis.) Hebræus gruem & hirundinem habet. Conueniunt Hebræa uerba stridorem & gemitum edentibus, qui morbo grauiter affecti, potius musitant gemebundi, quàm disertè uociferantur. Columbarum uox proximè gemitum exprimit.

Attenuati sunt oculi mei.) Suspicientes in altum, hoc est in cœlum, præ ægritudine oculos sibi tabuisse queritur: aut elatis oculis in altum ad Dominū, clamorem hunc per ægritudinē expressum: ô Domine, uim patior. hoc est, dirus morbus mihi uim facit, & me uiolēter opprimit. Leni quæso hunc ingentem dolorem, mihi placatus.

Sponde pro me.) Fac me quietū, uel suauiter mecum age. tropo mutuato ab oppignorandi & spondendi uerbo, quòd suauia sensus uelut deuinciant ac obligent. Agnoscit sanctus Rex, in solo Domino spem de quiete ac tranquillitate comparanda collocandam esse. Quæ sententia pij Regis indicat, aliter in grauibus tentationibus compositos esse Cainos, Saulos & Iudas: aliter Dauidas, Ezechias & Petros: hoc est, aliter pios, aliter impios. Hos in tentationibus ad desperationem se couertere: illos ad fidem & spem de salute, qua freti superant grauissimum Dei de peccato & morte iudicium. Nam de culpa tentatum Ezechiam, declarant sequentia uerba: Reiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Quare nec absurdè etiam redditur ערבה, sponde pro me: significato fideiussore Messia, qui pro nobis debitoribus creditori patri uadem se fistit, in sanguinem suum pacatorem debita nostra recipiens.

Quid dicam.) Expositis doloribus, quos ex morbo & animi ægritudine concerpebat, iam cōsolationem explicat, qua diuinis promissis per Iesaiam expositis, affectus sit. Quid loquar? quibus uerbis bonitatem Dei celebrem? qui me mortis periculo, uita restituta, liberauit. Reticentia colorat gratulationem, amplificandi gaudium gratia, post dolorem acceptū. Duo, quæ præcipua sunt in conficienda salute, coniungit hic Ezechias: diuina promissa, & eorum præstationem: cùm dicit, Qui dixit, hoc est promisit, & fecit ac præstitit.

Qui

Qui inquam promiſit per prophetam Ieſaiam, ſe quindecim annos uitæ addi-
turum: id præſtat pro ſua in ſuos fide, quam hic deprædicat. Nam in promiſsis
liberalis gratia Dei cernitur: in eorum præſtatione, ueritas & fides. Quæ duo
ſeruant electos in omnibus tentationibus, non ipſorum merita.

Reputabo omnes annos.) Sententia eſt, ſe non ſine motu immemorem fore ſequē
tibus annis mœroris ex morbo concepti, & eius clementia diuina ſublati. Ver
Pſal. 42. bum דרה ſolum hic, & Pſalmo XLII inuenias. Sunt qui in hunc modum in-
terpretantur: Mouebor in poſteros annos præ lætitia, cum recordatus fuero
mœroris mei, Dei bonitate abſterſi. Notum porrò eſt uulgare illud: Dulce
meminiſſe malorum. Reliqui mihi anni, quos tu mihi donas, recordatione tan-
ti doloris quo affectus ſum, ſuauiſsimi mihi erunt, ad celebrandam tuam beni-
gnitatem, qua tot & tantis cladibus liberatus ſum. Accedet huc reputatio tuæ
ſapientiæ, cui placeat mirabili ratione uices rerum aduerſarum & proſperarū,
triſtitiæ & gaudij, ignominiæ & gloriæ, mortis & uitæ, tenebratum & lucis,
Eccleſ. 3. iræ & gratiæ temperare. Quò ſpectans ſapiens Salomon, has uices quoq; miri
ficè expertus ſapienter dicit: Omnia tempus habent. Eſt tempus flendi, & tem
pus ridendi.

Domine ſi ſic uiuitur.) Ad uerbum: Domine in his uiuent. Sunt Hebræi interpre
tes, qui piè & eruditè in hunc modum interpretantur: In his, uidelicet uerbis
tuis, & factis, uiuunt qui ſperant: quod agnoſco & experior. Fatetur pius rex,
Dei uerbo uitam conſtare. Refertur ergo עליהם, hoc eſt, In his, ad illud ſupe-
rius: Dixit, & fecit.

Et in talibus uita ſpiritus mei.) Heb. Et anni in eis uita ſpiritus mei: hoc eſt, omni tē
pore in eis, uidelicet promiſsis ac dictis atq; factis tuis, ſpiritus mei uita conſi-
ſtit. Alij aliter interpretantur: ſed hæc ſententia uidetur ſimplex eſſe, & aper-
ta, & quadrare ad ſuperiora, & ad præſentem gratulationem: atq; exprimere,
quibus conſtet grauiſsimarum tentationum uictoria, promiſsis uidelicet Dei,
& eorum præſtatione, quam pij fide & ſpe præſumpſerunt. Hæc interpretatio
oſtendit, quòd ſperamus, debere nos uerbo Dei, non naturæ legibus. Quod a-
gnoſcere, noui hominis, non naturæ opus eſt.

Corripies me, & uiuificabis me.) In Hebræo uerbo conſopiendi uis notatur: Quòd
me conſopieris, & in uitam reuocaris. Scripturæ ſacræ more, mors ſopori com
paratur. cur autem hoc fiat, alio loco indicatum eſt. Dei bonitatē & potentiam
1. Reg. 2. celebrat: qui mortuis uitam tribuat. Sic Anna prædicans Domini laudem ca-
nit: Dominus mortificat & uiuificat. Hæc ex contrarijs conflata ſententia, totū
crucis myſterium continet. Quod intelligunt, qui fidei face prælucente, ſen-
tiunt in probatorio afflictionū igne Deum, in morte uitam, in opprobrio glo-
riam, in ira gratiam, in peccato iuſticiam ſuis meditari, & in inferno cœlū. Hunc
ludum aperit crucifixus Chriſtus, nulla philoſophorum ſchola. Cæterùm uer
bo Viuificandi generatim conſolatio rebus aduerſis in proſperas cōuerſis ac
cipitur: & magno ſolatio piorum, afflictiones, morbos, mortem, ſomnium uo-
cat: quòd non ſecus ab illis euigilent filij Dei, atq; ex ſomno ac ſopore, qui dor-
mit, euigilat ac expergiſcitur. Vanam igitur rem eſſe piorum afflictiones, quæ
ſomnij inſtar diſpareant. Quò ſpectat Apoſtolus, ubi illas momentaneas eſſe
dicit. Hac parte quidem uanæ ſunt: ſed pondera ſua quoq; in illis ſentiuntur, in
omnem æternitatem durantia, ſi illarum exitum & finem diuina ſapientia pro-
uiſum ſpectemus. De quo pondere Paulus in eodem loco ſic loquitur: Nam
momentanea leuitas afflictionis noſtræ, mirè ſupra modum æternum pondus
gloriæ parit nobis. ubi breuem & leuem calamitatem, ponderoſam uocat, pro-
pter gloriam cœleſtis regni, quam illa pariat.

Ecce in pace.) Amplificat bonitatem diuinam, qua florentibus rebus ut incidiſ-
ſet in grauiſsimas afflictiones, uita ſua ex putredinis fouea liberata ſit. Vbi hęc

à ſancto

à ſancto & ſapiente rege conſiderantur. Primò, res proſperas in comitatu res aduerſas habere: igitur has pijs debere eſſe ſuſpectas. Deinde ex rebus aduerſis moliri Dei bonitatem felicem exitum, ijs qui uices has intelligunt, quas Deus diſponit noſtro bono, & ad commendandam gloriam ſapientiæ, potentiæ & bonitatis ſuæ. Poſtremò perpendit, in hoc ſeculo nullam firmam pacem & tranquillitatem ſperandam eſſe, ſed in futuro, confecto curſu militiæ de quo Iobus monet: Militia hominis uita in terra. Dicit enim Ezechias, ſibi acerbos eueniſſe caſus, ſaluis ſuis rebus. Horum meditatio in curſu crucis, patientiam parit ſalutarem, qua mortificato uetere homine ad cœleſte regnum expeditum iter munitur. Cæterùm duæ uoces hic à propheta uſurpantur, quæ corporum in ſepulchrum repoſitorum diſſolutionem indicant בלי & שחת: altera perditionem, altera putredinem denotat, à uetuſtate ſic nominatam, quòd uetuſta putredinem ducant. Corpora porrò uita ſpoliata in ſepulchris putrida reddi, & in terræ puluerem ſolui conſtat. Vnde à perdendo ſepulchrum שחת appellatur, in quo cadauera elementorum mundi compage ſoluta ita corrumpuntur, ut de ipſis nihil præter terram relinqui uideas. Quare iam memoratæ uoces indicant, qualis humanorum corporum, in quibus tanta inſolentia, faſtus, luxus, libido, & reliqua uitia deſignata ſunt, exitus ſit. De quo his uerbis Iobus: Qui quaſi putre quiddam conſumendus ſum, uelut ueſtis quam corrodit tinea.

Proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea.) Celebrat beneficium remiſſorum delictorum, quorum oblitus ſit. Humano more de Deo loquitur. Homines porrò facile eorum recordantur, quæ in oculis uerſantur: contrà uerò obliuiſcuntur, quæ poſt tergum reiecta ſunt. Quòd hic agnoſcit Ezechias peccata ſua, non pugnat cum illo ſuperiore: Recordare quòd ambulauerim coram te corde integro. Nam ſuprà, de conſcientia bene regij muneris geſti: hic uerò de uitioſa natura ueteris hominis loquitur, per quam cogitatione, dictis & factis committuntur, quæ cum diuina lege non conſentiunt: quæ conſenſio non prius ſit ſancienda quàm corpus ut in terram diſſipatum eſt, in poſtremo conſummationis omnium die, ad uitam excitatum ſit, conformatum corpori Chriſti. Similiter Apoſtolus dicit: Nullius rei mihi conſcius ſum, ſed non per hoc iuſtificatus ſum: confitens, ſe in ſuo munere Apoſtolico innocenter coram Deo & hominibus uerſatum. nec tamen ſe uitio & labe ueteris hominis carere, quam una iuſtificatio per fidem in filium aboleat, qui electorum iuſticia ſit, per imputationem ipſis aſcripta, & per ſpiritum ſuum amiſſam iuſticiam, ſanctitatem & uitam reparans. Itaque ex hac confeſsione Ezechiæ diſcimus, nos non merito probitatis noſtræ, quæ ex lege, hoc eſt naturæ facultate & ui manat: ſed liberali clementia Dei, qua fides in Meſsia nititur, nos ſeruari. Liberatum enim ſe dicit, quia Deus pro miſericordia ſua peccatorum ſuorum oblitus ſit. Qua in confeſsione ponderatur illud: Beati, quorum remiſſa ſunt peccata.

Quia non infernus.) Ratio liberationis exponitur: Liberatum ſe à morte, ad Deum prædicandum: quod infernus, hoc eſt mortui & ſepulchro mandati non poſsint. Dicas, animum ſepulto corpore ſupereſſe, qui celebret Dominum. Celebrat quidem: ſed is totus homo non eſt, qui in Eccleſia in terra uiuentium laudet Dominum. De toto autem homine loquitur Ezechias, non de eius parte. Hominem autem non animus ſolus, ſed corpus & animus conficiunt. Sic enim legimus in libro de Origine mundi: Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſecundum ſimilitudinem noſtram. Vbi neque de animo loquitur, qui ſit cõditus ad imaginem Dei, neq; de corpore: ſed de natura quæ ex corpore & animo conflata eſt, ueluti id demonſtrauimus in *Geneſ. i.*

Commentarijs in Moſem editis. Quæ natura ſic condita eſt, ut non ſolum animo fieret conſors gloriæ cœleſtis regni, ſed etiam corpore è terræ puluere excitando, & conformando glorioſo corpori Chriſti: qui eſt illa imago Dei patris, ad quam homo effictus eſt, eam corpore, ſenſu, mente, & ſacro ſpiritu referens. Quare quantum attinet ad myſterium incarnationis Verbi, hoc non animus, ſed caro, hoc eſt homo corpore & animo conſtans, factum dicitur: ea nimirum natura factum eſt Verbum, quæ totam hanc uniuerſitatem complexa, ambitu perfectionis ſuæ omnia in cœlo & in terra inſtauraret. Qui ambitus in corpore, uita, ſenſu, mente, & ſpiritu ſancto oleo illo diuinitatis cernitur, quę omnia in homine minore mundo cõprehendi uideas. Hinc fit, ut homo à corpore cum naturis ſenſu & uita carẽtibus participet: uitali ui, quæ in creſcendo & alendo ſpectatur, planta ſit: ſenſu brutũ animans, intelligentia ac mente angelus, & prædítus ſpiritu ſacro Meſsiæ, diuinæ naturę particeps appelletur. Quò pertinent nomina filiorum Dei, & Deorũ: Dixi, uos dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Quare cũ præſtans hominis pars ſit corpus, excitatio eius ex terrę puluere ad uitã declarabit. Quo conformato ad glorioſum corpus Chriſti, tota creatura cõfitebitur ſe liberatã ab interitus ſeruitute. Nã homine à corpore & animo inſtaurato, tota uniuerſitas iudicabit inſtaurata eſſe: quæ tota in homine, quantus eſt à corpore, animo & diuino ſpiritu, continetur: ut præclarè hac de re Apoſtolus in epiſt. ad Rom. diſſerit. Atq; hoc ipſum eſt quod canit hic Ezechias, mortuos non celebrare Dominũ, qui ab integro homine, non ab altera ſolum parte plenè laudetur, in cœtu ſanctorũ. Firmum enim eſt illud: Corde creditur ad iuſticiã, ore fit cõfeſsio ad ſalutẽ. Quocirca uidetur occultè Ezechias ad eam etiam uitam reſpexiſſe, quam corpora ex terra ſuſcitata ſint habitura, ad glorificandum Deum in templo illo, de quo Ioannes: Dominus enim Deus omnipotens templũ eſt, & agnus. Cæterum ut infernus, hoc eſt in buſtum repoſiti, per exteriorẽ hominem laudandi & celebrandi beneficia Dei munere non funguntur: ita multo minus infernus, hoc eſt ij qui beneuolentiæ diuinę luce carentes, horribiles tenebras letalis iudicij Dei de peccato ſentiunt, Deũ laudabunt. In hoc inferno qui uerſantur, nõ ſolum nõ amplificant nomẽ Dei, ſed id etiã ut aduerſum ſibi odiũt & execrant: ut exemplo eſt Satan, & mẽbra eius impij, tum dęmones tum homines. Deſcẽdunt & electi in infernum, ſentientes graue iræ diuinæ iudicium de noxa ac peccato, & lamẽtantes cũ Dauide & Iobo: Sagittę tuæ infixæ ſunt mihi, quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meũ, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Sed ex hoc inferno liberantur, canentes cũ Dauide: Liberaſti me ex inferno inferiori. quòd Dominus electionis ſuæ in Meſsia clementẽ manum ſupponit, ne concidant, linum fumans non extinguens, & arundinem quaſſatam non confringens.

Myſterium incarnationis uerbi.

Pſal. 82.

Rom. 10.

Apocal. 21.

Pſal. 17.

Iob. 6.

Pſal. 85.

Viuens uiuens.) Contentionẽ per geminationẽ uerborũ intẽdit, & à ſuo exẽplo ꝙd ꝓpoſuit cõfirmat. Vt ego hodie uitæ reſtitutus, te celebro in cœtu ſanctorũ: nõ celebraturus tantum beneficiũ humatus. Indicat pius Rex, præcipuum munus uiuentiũ eſſe, Deũ inuocare, & de beneficijs acceptis ei gratias agere, & in hũc uſum mundũ hũc deſtinatũ à Deo, in quo hominũ carnẽ peccato & uarijs calamitatib. expoſitã circumferẽtiũ, fides tanq; in ꝓbatoria fornace ꝓbaret: & hac probata, pij ſalutẽ nacti, Dei nomẽ grati & memores celebrarẽt.

Pater filijs notam faciet ueritatem tuam.) Docendi uerbum Dei munus parentibus mandari, quo ſungentes cœleſti doctrina liberos erudiant, & id hoc ſeculo locum habere. Quæ doctrina continet legem, & promiſſa de Meſsia & Euangelio. Hanc doctrinam liberis à parentibus debere magna cum diligentia in hoc ſeculo explicari. Vnde fit, ut parentes ſecundum Deum proxime iubeantur coli in Decalogo: Honora parentes. Et quod domi præſtant parentes, id publi-

id publicè in scholis præceptores morum, & in cœtu sanctorum prophetæ & ministri Euangelij patrum nomine appellati præstare debent.

Domine saluum me fac.) Ad uerbum: Domine ad saluandum me. Defectum hoc modo sarciunt interpretes: Dominus promisit se mihi salutem daturum, quam dedit. Suprà legitur: Promisit Dominus, & præstitit. In hoc enim carmine tributam salutem prædicat. Rectè igitur Hebræi interpretes sic dicunt, יהוה אמר להושיעני מן חחלי ובן עשה שהושיעני. Concludit igitur carmen repetita laude ueritatis ac fidei Dei, seruatæ in præstatione promissæ salutis. Sed cur promissam & præstitam dicit? Sequitur: Vt decantemus carmina mea per omnem uitam meam, in templo Domini. Quæ glorificatio ultimum illud est, ac finis tributæ salutis. ueluti Dominus in Psalmis Dauidis ait: Inuoca me in die afflictionis, & liberabo te, ut glorifices nomen meum. *Psal. 50.*

Et iußit Iesaias.) Hæc uerba non pertinent ad hoc carmen, sed ad ea quæ suprà narrata sunt: Die tertio ascendes in domum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Vbi in historia Regum subiungitur: Dixit què Iesaias: Afferte massam ficuum. quam cum attulissent, & posuissent super ulcus eius, curatum est. Indicatur igitur, Deum in curando ulcere Ezechiæ medicinã, quæ fieret ex ficu, non neglexisse: deinde, medicum præstitisse Iesaiam. Nam uerisimile est, sacerdotes & prophetas doctos & eruditos fuisse in ea scientia, quæ rimatur occulta & abscondita in natura. doctores enim fuerunt legis Moseæ, cuius ea pars quæ in ceremonijs uersatur, continet tractationem operum quæ in hoc aspectabili mundo cernuntur: ut sunt metalla, sales, gemmæ, herbæ, stirpes, arbores & earum fructus, uariaque animantium genera, quæ terra aquis & aere continentur.

IN CAPVT TRICESIMVM-nonum.

IN *tempore illo misit Merodach.*) Si quis uelit uidere, legat illa quæ in hanc narrationem annotata sunt in historia Regum, libro quarto, capite uicesimo.

IN CAPVT QVADRAGE-simum.

CONSOLAMINI *populè.*) Quæ de Hierosolyma ex Assyriorum potestate liberata narrauit, ea ad tempora Messiæ accommodat, per quem redemptio uera perficienda sit: hostibus, peccato, morte, inferno, Satane & Antichristo sublatis. Hortatio instituitur ad Apostolos & doctores Euangelij, ut Hierosolymam Ecclesiam electorum consolentur de redemptione, quã Messias eam sit redempturus. Figurat autem hortationem conduplicatione, uehementer incitandi gratia. Sed quibus in rebus Ecclesia consolanda est? Sequitur:

Quoniam completa est militia eius.) Hierosolymam consolandam, quòd eius siue militia, siue tempus impletum sit. Nam utrumque significat in loco צבא. Si cui militia placet, consolandam esse Hierosolymam per Euangelij prædicationem: finem militiæ, quam sub lege condemnante de peccato, & sub signis Antichristi pastoris illius stulti agit, appropinquare. Quàm grauem autem militiam iam multis seculis, electorum in orbe terrarum Ecclesia faciat, dracone uetere mulierem in deserto huius mundi diebus mille ducentis & sexagenis persequente, satis clarum est. Sin uerò tempus placet ex צבא, magna afficitur consolatione Hierosolyma: tempus sæui imperij peccati & mortis, &

ipsius legis uirtutis peccati & mortis, tempus item captiuitatis sub Antichristo toleratæ, impleri atque finiri. Quod tempus ut cœpit impleri tempore illo quo Apostoli prædicarunt Euangelium: sic his nouissimis temporibus plenius implebitur, patefacto aduersario sedẽte in loco sancto, & per spiritum claritatis Euangelij interimendo. Quanto uerò maiorem consolationẽ in illo die, quo tota hæc uniuersitas renouabitur, Archangelus afferet, buccina personaturus electorum militiam impletam esse, quæ contra peccatum mortem & omnem aduersariam potestatem susceptа fuit? Quo die tandem uerè dicetur: Absorpta est mors in uictoriã, ubi tuus mors aculeus? ubi tua inferne uictoria? aculeus autẽ mortis peccatũ, potẽtia uerò peccati lex. O quã suauis erit hæc dies scriptis in libro uitæ: quales oẽs sunt, qui per sacrũ fidei spiritũ Messiæ insiti sunt.

1. Corinth. 15. Oseæ 13.

Et remissa est iniquitas eius.) Alterum est, in quo consolanda sit Hierosolyma, ei remissam esse ac condonatam culpam. In נרצה indicatur fauor ac beneuolentia diuina, per quam facta sit peccatorum Hierosolymæ condonatio. Et mentio fit Hierosolymæ, quòd extra Ecclesiam electorum nulla sit remissio culpæ, nulla iustitia, nulla uera & cœlestis uita. Eximium beneficium explicatur, gratuita condonatio noxæ & culpæ. de quo beneficio apud Lucam his uerbis fit mentio: Et sic oportebat Christum pati, & resurgere è mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes.

Lucæ 24.

Susceptа de manu Domini.) Variæ interpretationes afferuntur hic. Sunt qui interpretantur, Hierosolymam de manu Domini duplicia accepisse: hoc est, duplici captiuitate punitam, Babylonia & Romana. Sunt item, qui quoniam Hierosolyma tulit & patrum & sua peccata, dicatur duplicia accepisse. Citant locum illum ex Hieremia: Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos peccata eorum portauimus. Sunt præterea, qui in hunc modum explicant: Quoniam Hierosolyma duplicia accepit, hoc est graues pœnas suæ culpæ dedit, pro misericordia Dei redimetur, remissa eius noxa. Atque hac interpretatione exponi illud quod præcesit: Impleta est militia eius: dura scilicet, & aspera, tot afflictionum procellis iactata militia. Hæc sententia satis simplex iudicatur esse. Sunt quartò, qui hoc modo exponunt præsentem locum: Consolamini Hierosolymam, quæ sit pro peccatis suis duplicia accepturа. hoc est, maius diuinæ bonitatis beneficium, quàm fuerit peccatum, & eius pœna. Graue quidem & magnum peccatum eius est, sed maior in delendo illo gratia affulgebit, ut est apud Apostolum: Vbi exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia. cuius magnitudinem filius unigena Dei, Messias in mortem ad luenda peccata Hierosolymæ traditus, declarat. Postremò sunt qui duplicia hoc modo explicant: Pro peccatis accipere Ecclesiam remissionem illorum, & iusticiam Messiæ, per spiritum regeneratorem, ueram iusticiam & uitam electis afferentem.

Thren. 5. Rom. 5.

Vox clamantis.) Exponuntur media, quibus ad salutem, de qua instituitur consolatio, Ecclesia pertingat: hanc esse Euangelij uocem, quæ continet prædicationem pœnitentiæ, & regnum cœlorum. hoc est, remissionem peccatorum, & donationem spiritus sancti: ut mox monebitur. Sed quæ est illa uox clamantis in desertò? Vox Ioannis Baptistæ est, non submissa, sed alta & seuera uoce pœnitentiam denunciantis, de quo his uerbis prophetauit Malachias: Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam. Quod oraculum de Ioanne Baptista editum Dominus noster interpretatur apud Matthæũ, ubi ait: Et si uultis recipere, ipse est Elias, qui uẽturus erat. Quod quidem non de persona Eliæ accipitur, sed de uirtute & spiritu Eliæ. Sic enim angelus ad Zachariam, Ioannis Baptistæ patrem loquitur: Et ipse præcedet ante illum cum spiritu & uirtute Eliæ, ut cõuertat corda patrum in filios, & obedien-

Malach. 3. Matth. 11. Lucæ 2.

obedientes ad prudentiam iustorum, & Domino plebem perfectam. Quod an tea prædixerat etiam Malachias propheta: Ecce ego mittam uobis Eliam pro- *Malach. 4.*
phetam, antequam ueniat dies Domini magnus & terribilis, qui parentum animos liberis & liberorum animos parentibus reconciliet. Dicas, hæc tempore Ioannis Baptistæ impleta non fuisse, quòd Iudæis solum salus effulserit, illo pœnitentiam prædicante: neq; tanta salus affulserit, quanta hic affulsura prædicatur. Spiritus Eliæ latè patet, quo omnes prædíti dicuntur, qui regno cœlorum per sermonem pœnitentiæ uiam præparant. Qualis fuit Ioannes: quales etiam sunt, qui his postremis temporibus sub patefactionem filij perditi, uirtute & spiritu Eliæ exornati, ab erroribus & uitijs ad pœnitentiam reuocant, cum Ioanne in tanta errorum solitudine clamantes: Pœnitẽtiam agite uitæ prioris, *Matth. 3.*
in propinquo enim est regnum cœlorum. hoc est, regnum spiritus Messiæ, nobis testimonium dantis de placato patre per sanguinem filij, & amissam iustitiam & uitam reparantis.

In deserto.) Si Ioannem Baptistam spectes, occurrit desertum prope Iordanẽ, in quo is concionatus est: non Hierosolymis, non in templo Hierosolymitano. Sic enim apud Matthæum legitur: In diebus illis accedit Ioannes Baptista, præ *Matth. 3.*
dicans in deserto Iudææ. Conueniebat autem desertum asperæ prædicationi pœnitentiæ, quæ mortificationem ueteris hominis cum suis cupiditatibus, sapientia, iustitia, gloria continet: & innouationem noui. Quocirca asperior etiã uictus & habitus Ioanni congruebat, de quo apud Matthæum euangelistam mentio fit: Ipse uerò Ioannes habebat indumentum suum è pilis camelorum, & & zonam pelliceam circa lumbos suos: porrò cibus eius erat locustæ, & mel syluestre. Qualis uestitus & uictus Eliæ etiam prophetæ fuit, quem spiritu & uirtute nouissimorum temporum pœnitentiæ ministri exprimere debent. Qui in quo deserto prædicent pœnitentiam, regnum aduersarij & uasta errorum solitudo satis clarè indicat. Nec latuit Sibyllas uox clamaturi in deserto:

ἀλλ' ὁπόταν φωνὴ τὶς ἐρημαίης διὰ χώρης
ἵξει, ἀπαγγέλλουσα βροτοῖς, καὶ πᾶσι βοήσει
θνδάας ἀτρεπτὸς ποιμάνιλα, καὶ ἀπορίλας
ἐκ πεδίλης κακίας, καὶ ὕδασι φωτίζουσα
πᾶν γένος ἀνθρώπων, &c.——

Sed quid clamantis in deserto uox sonat? Sequitur:

Parate uiam Domini.) Figuratus prophetæ sermo his uerbis à Ioanne Baptista explicatur: Agite pœnitentiam uitæ prioris, in propinquo enim est regnum *Matth. 3.*
cœlorum. Quod est hic: Parate uiam Domino, rectam facite in solitudine semitam Deo nostro. Quod fit in pœnitentia, in qua salebræ uitiorum & errorum tolluntur, & plana iustitiæ & ueritatis uia paratur. Quæ enim uia salebrosior & asperior est, quàm illa quæ in uitijs & ueteris hominis delictis teritur? quæ contrà magis plana atque expedita, quàm illa in qua iusti & probi sine ulla offensione uersantur? De qua uia Salomon: Via proborũ uia plana, ac bene *Prouerb. 15.*
strata. Nam in hac uia cum omnia inter se & ad normam diuinæ legis quadrẽt, nihil excurrat, reperietur nihil in quo quis offendat & impingat. Contraria uitiorum uia est, tenebris errorum obsita.

Omnis uallis exaltabitur.) Alia loquendi figura explicatur pœnitentiæ uis, Per pœnitentiam ualles attolli, & montes colles q; deprimi. In montibus & collibus significantur sublimia huius mundi: ut est eius sapientia, iustitia, potentia, opes, gloria. Sic sapiens huius seculi cum Assyrio montis ritu se attollens, au- *Mons.*
det arroganter dicere, Sapientia & potentia mea tantas res effeci. Iustitia sua inflatus hypocrita, cum Pharisæo illo gloriabundè iactitat: Gratias tibi ago, *Lucæ 18.*
quòd non sum sicut cæteri peccatores. Monachorum in regno filij perditi superbia, suam iustitiam in cœlum, in purgatorium & inferos penetrare glo-

riatur. Hos colles & montes depreſſum iri, per pœnitentiam: ut aditus ad regnum Meſsiæ patefiat, clamantium in deſerto uox indefeſsè perſonat. In ualle autem ſignificantur, in mundo deiecta & humilia: ut ſunt deiecti & humiles ſpiritu, inſtar profundarum uallium depreſsi. Tales attollendos, cum miſeriam ſuam agnoſcentes, ſeſe ad Dominum conuerterint, qui ſublimia deprimit, & humilia extollit ac eleuat. Sic latro ille depreſſus inſtar uallis, in cœleſtem paradiſum eleuatus eſt. Similiter publicanus, & alij qui ſua peccata cum Dauide cõfitentes, miſericordiam diuinam his uerbis implorant: Miſerere mei Deus, pro magna miſericordia tua. Mons autem Aſſyrius ille & Babylonius deiectus, de quo ſuprà legimus, In infernum detrahêris: & mons ſuperba Babylon, ut deprimatur, hodie incipimus cernere. Sed parantibus uiam Domino quid patefiet? Sequitur:

Vallis. *Lucæ 23.*

Et reuelabitur gloria.) gloria miſericordiæ Dei erga electos, & iuſticiæ erga impios. Sed per cuius doctrinę lucem reuelabitur? Per Euangelij lucem reuelabitur, de qua illud: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluabitur: qui non crediderit, condemnabitur. Ex his patet, quem uſum pœnitentia habeat, & quæ in ea ſpectentur. In hac conſiderari afflatum diuini ſpiritus, quo amore Dei, odiũ peccati per legem agniti ſuſcipitur: & ad clementiam diuinam, qua delictorum gratia per ſanguinem Meſsiæ fiat, aſpiratur. Poſtremò fructus digni pœnitentia, hoc eſt pietatis officia, & honeſtæ actiones, quæ uerè nos peccatorum pœnitere declarent, ſpectantur. Huc ſpectans Ioannes Baptiſta, pœnitentiæ prædicator, ad phariſæos ſic ait: Edite igitur fructus qui deceant pœnitentiam. hoc eſt, innouationem uitę, depoſita exutaq; uetere. Cuius innouationis, per mortificationem ueteris naturæ, baptiſmus à Ioanne adminiſtratus ſacramentum eſt ac myſterium. Primò dicimus, pœnitentiam ab afflatu diuini ſpiritus, non à conatu & ui uoluntatis noſtrę inchoari. Deus enim in excitanda pœnitentia antecedit omnem conatum naturę, per motum ſpiritus ſui, per eum noſtra pectora ad ſe conuertens, ut eſt apud Hieremiam: Conuerte me, & conuertar. & Salomon in hiſtoria Regum: Sed inclinet corda noſtra ad ſe per ſpiritum, uidelicet ſuum, illa ſuauiter allicięs. Quæ ſuauiter allicięs uis impulſio illa eſt, de qua Dominus noſter loquitur apud Ioannem: Nemo ad me ueniet, niſi quem pater traxerit. Trahit autem omnes illos, quos ipſe per electionis gratiam filio dedit ſeruandos. Deinde diximus, afflatu diuini ſpiritus odium peccati Dei amore ſumi in pœnitentia. Vnde liquet, aliam in Cainis, Pharaonibus, Saulo, Iuda, & reliqua impia impij draconis ſobole pœnitentiam cerni: aliam in ſcriptis in libro uitæ, in Adamo, Moſe, Dauide, Salomone, Manaſſe, Petro & alijs. hos pœnitere ſuorum peccatorum amore Dei, illos amore ſui & metu pœnæ. alteros pœnitentia ſua ad deſperationem agi, ut dicant cum Cain, Maior eſt iniquitas mea quàm ut ueniam merear. alteros ad ſpem condonandæ culpæ duci, qui cum Dauide canant: Quia apud Dominum miſericordia. Item: Magnificata eſt miſericordia tua uſque ad cœlos. Et hæc miſericordia præuenit electos, ut pœnitentia tangantur. de qua præuentione illud: Miſericordia Domini præuenit me. Quare cum duplex ſit pœnitentia, falſa & uera: ueram hic explicamus. Tertiò, legis in deſcriptione ueræ pœnitentiæ fit mentio, qua diuinus ſpiritus utitur ad peccatum, & ſeuerum Dei iudicium, quo damnatur noxa, patefaciendum: quòd pœnitentes ſuorum criminum agnoſcunt, & ab eo liberari cupiunt. Vt autem cupiant, antecedens ille motus ac flatus diuini ſpiritus incitat, & ſic deiectos fractos'que animo uelut manu ducit ſub pædagogia legis ad Meſsiam, quo & per quem credentes fidentes'que miſericordiæ Dei patris, hunc ſibi placatum & reconciliatum ſentiant. Poſtremò dicitur, in pœnitentia fructus ſuos cerni, quos edant reſipiſcentes. Nam fruſtra de pœnitentia & remiſsione peccatorum gloriantur, qui ueteris

Matth. ult.

Matth. 3.

Ierem. 31.

3. Regum 8.

Ioan. 6.

Ioan. 17.

Geneſ. 4.

Pſal. 56.

Pſal. 58.

Gal. 3.

uitæ

uitæ cursum tenentes, nouam non moliuntur. Sic enim uox clamantis in deserto sonat: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Sed per quem, & cuius ui eduntur fructus boni? Per quem edantur, ostendit idem ille sonorus prædicator pœnitentiæ: Ego quidem baptizo uos aqua, ad pœnitentiam: at ille qui post me uenturus est, fortior me est, ipse uos baptizabit spiritu sancto & igni. de quo quoque noster propheta mentionem faciet. Vnde monemur, in pœnitentiæ explicatione coniungi debere doctrinam de Christo, immò doctrinam Euangelij pœnitentiam & remissionem peccatorum in Christo continere, ut indicatum est, & infrà suo loco fusius indicabitur. Sic enim Ioannes ipse Baptista coniunxit, & noster Iesaias coniungit. Quod non faciunt, qui neglecto Christo, & eius Euangelio, in contritionibus & satisfactionibus, & superstitiosa scelerum confessione (quæ ad sacrificuli aures fiat) magna conscientiæ excruciatione occupantur. *Matth. 3.*

Et uidebit omnis caro.) Euangelium, quod annunciatur, cœleste Euangelium esse, à CHRISTO IESV filio Dei uiuentis de cœlo profectum. Quod Euangelium doctrina est, quæ ostendit, ut reconciliemur cum Deo patre, & unde accipiamus per fidem promissum in Mose & prophetis spiritum sacrum, qui ex terreno homine cœlestem, ex carnali spiritualem, ex uetere nouum formet: hoc est, ex improbo ac iniusto probum & iustum, ex sonte insontem, ex profano sanctum reddat. Hoc Euangelium ex ore Domini profectum aliter audiunt pij, aliter impij. hi suo exitio, dum illo contempto, sua praua uoluntate, sine pœnitentia perire malunt, quàm per fidem, quam illi habeant, seruari. illi uerò, sua salute agnoscunt cœlestem doctrinam esse Euangelium, quod sit potentia Dei omni credenti: hoc est, cuius fides peccatum, mortem, & portas inferni, & omnem tenebrarum principatum, donata iustitia & uita Dei in filio, uincat. Hoc modo qui uident Domini os locutum esse, uident non oculo sapientiæ humanæ, sed oculo diuinæ sapientiæ, quem spiritus Messiæ format & aperit: qui si aperiat, cernitur uis & potentia Euangelij: sin secus, non cernitur, sed sapientissimis in mundo absconditum & occultatum manet. Itaque cum tribuitur ab Apostolo uis efficax Euangelio, ea uis cernitur in credentes in filium fide. Quem filium quoniam monstrat Euangelij scripta aut uoce enunciata doctrina, in ea uis salutis parandæ uersari dicitur: cum illa neque natura sua seruet ipsos auditores, quorum multi pereunt illa audita: neque ab eius auscultatione externa salus simpliciter pendeat, cum Deus alia ratione suos interdum seruet. Atqui de hoc loco, ac de oculo & aspectu noui hominis, de noua luce, de rebus nouis & cœlestibus, quas noua lux monstrat, & oculi noui uident, alio loco monebimus. *Rom. 1.*

Et dixi, quid clamabo?) Interrogatio ostendit, legatos Dei nihil temerè, de quo nõ moniti sint à diuino spiritu, dicere. De duobus igitur certiores se legati Dei fieri intelligunt. unum est, se à Deo missos: alterum, quòd annunciant, nõ esse suũ, sed Dei uerbũ. Quare hic qui ad clamandũ mittitur, inquirit quid clamandũ sit. ex quo etiã, quę nota sit falsorũ legatorũ & prophetarũ, cognoscitur: hos nõ curæ habere, à Deo ne mittãtur: deinde, quod proximũ est, nõ studere ut Dei uerbũ & oracula exponãt. in quos iacitur illud: Non mittebã prophetas, & ipsi currebant. His ergo nouissimis temporib. qui publicè docẽt diuinã doctrinã, se explorent quomodo missi doceãt. Inuenias enim hodie magna querela bonorũ hominũ non paucos, qui nõ magis ad sacrarũ rerum explicationẽ, ob imperitiã earũ & morũ uitia apti sunt, cũ asinus ad lyrã. Huic malo ut medeat magistratus de Ecclesiasticis bonis, ipse uiderit. Sed quid clamãt ueri legati? Sequitur: *Ierem. 23.*

Omnis caro fœnum.) Sermone pœnitentiæ debere perstringi omnia. in uetere homine esse gramen, etiam quæ in illo amplissima cernuntur: ut est prudentia, sapientia, & iusticia humana. Quę scitè herbæ mox arescenti. & flori marcẽti ut

afflatus uento fuerit, comparantur. Itaq; si quis locum in nouo & cœlesti homine Christo habiturus est, is ut se totum pro herba in fœnum arescente & flore deciduo habeat necesse est. Vnde intelligimus, quid doctor pœnitentiæ rationis lumini naturali, quid uoluntati quę lumine illo illuminata regitur, ad patefaciendam gloriam reconciliationis, & ad regenerationem noui hominis tribuere debeat: omnia in uetere natura gramen, & mox casurum florem esse: & unum Messiam propositum, qui per spiritum suum sacrum, merito sanguinis sui, salutem omnem conficiat.

Omnis gloria eius.) Similiter LXX. pro חסד uertunt δόξα, quos citat Petrus. Hebræa uox misericordiam, beneficentiam, bonitatem & pietatem, quæ uerè bonitas & charitas est, significat. Indicatur igitur, omnẽ pietatem & probitatem carnis, hoc est omnem iusticiam & religionem, quæ Dei iusticia & religio ab eo instituta non sit, flori ad uẽti flatum deciduo similem esse: ut probitas quam fides in Christum affert, amplificetur: iusticia legis & operum, quam infrà panno menstruato comparat, depressa. de qua Apostolus his uerbis admonet: Quod autem in lege nullus iustificetur apud Deum, palàm est. item: Nã quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Quod iusticia, quam uis legis per facultatem naturæ ueteris præstat, neq; iram Dei placet, neq; cor mundum efficiat, extincto amore sui, & accenso Dei: sed id relinquat sibi, non mutatum in melius. Quæ duo, una iusticia qua fides nititur, præstat. CHRISTVS enim IESVS, unica electorum iusticia & sanctitas, fide apprehensus, expiato peccato per sanguinem suum, patris noxam sedat: & per spiritum suum, quem nobis de plenitudine sua cõmunicat, ueteris hominis uitia expurgat, & ueram probitatem & sanctitatẽ regenerationis beneficio in nouo homine creat, quæ legi illi (Ama Dominum Deum tuum, & alterum) pro primitijs respondeat.

Quia spiritus Dei flauit in eo.) Is est uehemens & grandis ille spiritus ac flatus Dei, qui penes Mosem & Eliam in monte Orebo cum igne & terræmotu se exhibuit: ad significandum, Mosæ & Eliæ, hoc est doctorum pœnitentiæ seueram & grauem administrationem esse. Nam à Mose lex, quæ peccata patefaciens terret, prosternit, interimit, exponitur. Elias pœnitentiam, terrentis legis ministerio utens, prædicat: & cum hæc non suscipitur, in sceleratos bella, fames, pestis, & uariæ calamitates intentantur. Quid sublimius in oculis carnis, mundi potentia & sapientia? At hanc sublimitatem rempore clamantium in deserto, Pœnitentiam agite, uehementior seueri iudicij Dei uentus deijcit, ut hic legimus: Omnis mons atq; collis deprimetur. item alio loco: Sublimes oculi hominum deijcientur, & deturbabitur altitudo hominum. Est igitur spiritus uehementior, omnia dissipans: est item spiritus lenior. altero Messias per suos Elias, in mortificando uetere homine, & in intentanda ira diuina in eos qui scelerum pœnitentiam agere recusant, utitur: altero ad nouum hominem generandum per suauem Euangelij sonum, uitam & gloriam afferentem, de quo mox mentio fiet. Per hunc dulcem & amabilem sonum linum fumans non extingui tur, & arundo quassata non perfringitur: per illum asperi in deserto montes dejiciuntur, herbæ arescunt, & flores facile scentes decidunt.

Verbum Domini manet in æternum.) Memorabili contentione, quæ in mundo & uetere natura ampla & speciosa cernuntur, deprimit: ut amplificentur ea quæ Messias architectus noui mundi in opere regenerationis adhibet: ut est sacrosanctum Euangelium, quod ratum & firmum in sempiternum fore dicitur: cui qui fidem habeant, non sint gramen mane uirens, & uesperi exarescens: non sint flos, mox ut floruit marcens: sed ex uerbo Dei uiuentis geniti, firmi cum uerbo in æternum maneant. Hoc uerbũ, si literam & uocem spectes, uoce pronunciatum & ex literis consignatum Euangelium est, quod cum uoce transit, & litera facilè obliteratur, sin id quod illo annũciatur, hoc uerbum Messias benedictus

nedictus est, æternum Dei patris uerbum, quod nos è spiritu eius natos in omnem æternitatem firmos & stabiles, & à nulla aduersaria ui labefaciendos reddit. De quo uerbo, & genitura ex eo, Petrus his uerbis: Renati ex semine non mortali, sed immortali, per sermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. Et hoc ipsum est quod hic legimus, uerbum Domini non ut gramen & florem marcere, sed manere in æternum: & cum eo, qui ei, ut annunciatum est, fidem habent. De qua annunciatione sequitur: 1.Petri 1.

Super montem excelsum ascende.) Quoniam suprà dixerat propheta: De Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem: hic, in hoc de annunciando Euangelio oraculo, Sionis montis & Hierosolymæ mentionem facit. De mystica ratione suprà meminimus. Et quod attinet ad excelsum montem, suprà in eandem sententiam sic scriptum legimus: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini, in uertice montium, & leuabitur super colles. Itaque quoniam ex Sione & Hierosolymis sacrum Euangelium diuulgatum est, nominatur Euangelicatrix Sion, & Euangelicatrix Hierosolyma: quòd Apostoli Hierosolymis, iam elato in cœlum Christo, sancto spiritu exornati, iussi sunt Euangelium Iudæis & gentibus publicè patefacere. Sic porrò legimus apud Lucam, capite uigesimoquarto: Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, initio facto à Hierosolymis. Item: Eritis mihi testes non solum Hierosolymis, uerùm etiam in uniuersa Iudæa, Samaria que, denique usque ad extrema terræ. Quod est hic, Euangelij doctores altum conscendere montem, ut ualidè uocem in omnes populos & nationes peruadentem edant. De qua uoce Dauid propheta antè prædixerat: In omnem terram exiuit sonus eorum. Hic in uoce בת etiam notatur efficax uis & uigor diuini spiritus, qui sub annunciationem Euangelij, cuius ministri spiritus ministri & dispensatores appellantur, sese ostendit. Quæ uis quanta sit, indicat Apostolus his uerbis: Siquidem arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem quæ se extollit aduersus cognitionem Dei. Captiuam ducimus omnem cogitationem, ad obediendum Christo, & in promptu habemus uindictam aduersus omnem inobedientiam. Sed quæ potestas tanta ui Euangelij doctores armat? Annunciandi Euangelij potestas, qua Apostoli accepto iam spiritu sancto his uerbis iussi sunt fungi: Prædicate hoc Euangelium omni creaturæ. Vt autem in prædicationis Euangelij munere uis & potestas moliendi & demoliendi, extollendi deprimendiq; contineatur, indicat Christus ipse, cum ait: Quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis. quorumcunque retinueritis, retenta sunt. Atque hæc potens & ualida uox est annunciantium Euangelium in mundo, cui peccatum, mors, infernus, Satan, mundus, & ex eo natus Antichristus cum ministris suis, ut uicta & superata cedunt. Itaque sequitur: Actor.1. Psal.18. 2.Corinth.10. Ioan.20.

Noli timere.) à te, Messia seruatore tuo stante: qui fortior est omnibus aduersarijs potestatibus. Sic enim consolatur suos is apud Ioannem: Bono estote animo, ego uici mundũ. Si ad Euãgelij ministros hanc consolationẽ referas, ut cõstanter & fortiter Euangeliũ prędicent, nihil sibi metuẽtes ab eius hostibus: occurrit præsidium, quo muniti legati diuini, sine metu cœlestem doctrinam in mundo diuulgent. De quo præsidio his uerbis Dominus meminit: Non enim uos estis loquẽtes, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis: cui omnia sub iecta sunt, cœlestia, terrestria, & infera. Sed quid euangelizandum? Sequitur: Ioan.16. Matth.10.

Ecce Deus uester.) Messiam Deum esse prædicandum, qui per diuinitatem in eo corporatè habitantem, imperium in omnia habeat: sed quem non solum

ſolum Deum cõfiteamur, ſed qui ſit noſter Deus: hoc eſt, qui nos ſeruet & tueatur, qui nobis mortem ſuſtulerit, uita reſtituta: qui nobis inferni portas perfregerit, cœlo pleno ſplendore diuinæ beneuolentiæ & amoris, quem nos ſentiamus, patefacto: qui diaboli imperium nobis diſſoluerit, ſuo imperio cõſtituto, in quo in omnia cum ipſo regnemus & dominemur: qui nobis Deus ſit in eo, quòd unctus diuinitatis oleo præ conſortibus & citra menſuram, nobis quoq; cuiq; ſuum modum de ſua abundantia largiatur: ſpiritum inquã ſapientiæ, iuſticiæ, & uitæ, quo uncti deos & filios Dei ex ipſo natos nos eſſe iure gloriemur. Sic agnoſcere Chriſtum, eſt uerè eum ſeruatorem, & noſtrum ſeruatorem agnoſcere. Sed ne quis hunc ſolum ſocietate quadam & coniunctione amoris Deum eſſe, non natura putet, ſubijcitur:

Ecce Dominus Iehoua ueniet.) Iehoua nomen Meſsiæ tribuitur, quo nomine etiam apud Ieremiam Meſsias appellatur: Vocabitur Iehoua iuſticia noſtra. de Meſſia loquẽs. & noſter propheta ſuprà: In die illa erit Iehouę exercituum corona gloriæ, & diadema reliquijs populi ſui. Vbi Paraphraſtes Chaldæus habet משיחא. Similiter ſuprà legimus, gentes allaturas munus Iehoua exercituum. Vbi Hebræi etiam interpretes nonnulli de Meſsia accipiunt: futurum, ut gentes afferant munera Meſsiæ filio Dauidis. Meſsiam autem Deum dici, in nouo fœdere manifeſtum eſt. Sic enim Thomas de eo loquitur: Dominus meus, & Deus meus. item apoſtolus Paulus: Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnẽ, qui eſt in omnibus Deus benedictus in ſecula. Et Ioannes: Hic eſt uerè Deus, & uita æterna. de Ieſu Chriſto filio Dei loquens. Vt autem pater cœleſtis, Deus & Iehoua appelleẽ, & Chriſtus Deus & Iehoua ex Deo Deus, & Iehoua ex Iehoua, filius ex patre, & lumen de lumine, ea de rẽ alias.

In fortitudine ueniet.) de peccato, morte & inferno triumphaturus, atq; ſuo tempore patefactum Antichriſtum ſpiritu oris ſui interfecturus: & tandem cum maieſtate ad electos ſuos in regnum gloriæ transferendos uenturus.

Et brachium eius dominabitur.) Hebræus ſignificat, Meſsiam ſuo ſibi brachio dominari: hoc eſt, ſua ipſius ui & fortitudine, non alieno præſidio fultum, in omnia dominari, ut ſua ui reſurrexit è mortuis, ſicut apud Ioannem de ſe loquitur: Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus ſumendi eam. loquens de reſurrectione, per quam ſumpturus eſſet uitam corpori glorificando dandam, ad ineundum in omnia imperium hic deſcriptum, de quo ipſe à reſurrectione: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quæ uerba indicant, patris poteſtatem & uim, qua imperet in omnia, non excludi his uerbis: Brachio ſuo ſibi dominatur. Meſsias enim, ut filius, agnoſcit ſe omnia quæ habet, à patre habere, & à ſe nihil.

Ecce merces eius cum eo.) Explicatur regis huius munificentia. hunc ampliſsimis muneribus ciues regni ſui ornaturũ, pro regia liberalitate & beneficentia. quę munera in uoce mercedis notantur. Non enim merces hic accipitur, quæ ſanctorum hominum operibus ſeu benefactis tanquam merito ex debito rependatur: ſed liberale præmium, quo Chriſtus ſua in ſuis dona benignè exornat.

Meritum. Meritum enim locum habet, cum quis de altero benemeretur in eo genere officiorum, ad quæ præſtanda non obligatur. Nam meritum debiti officij rationem excludit, non debiti includit. Iam autem lege diuina, ea officia quæ quiſq; alteri poſsit præſtare, ut præſtemus tenemur. Hinc Dominus, qui hic cum mercede, qua ſuos remuneret, uenturus dicitur, ita ait: *Lucæ 17.* Sic & uos cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite, Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. Quocirca ubi merces in ſacris literis nominatur, accipienda illa non fuerit ut conferatur cum merito: ſed ut ualeat idem quod præmium, quo ſua Meſsias in nobis munera gratuitò muneratur: cui omnia debemus accepta referre, quòd ſumus, quòd ſpiritu eius agimur, quòd ſanctè cogitamus & facimus.

facimus. Ab hac gratia, qua nos dignatur pater prosequi, excidendum illi fuerit, qui Christi meritorum oblitus, sua arroganter iactat: cui non præmium, nō merces æternæ uitæ, sed pœna & mors debebitur.

Et opus illius coram eo.) merces & præmium operis, noto tropo. Christi opus esse sanctorū opera, hic intelligimus: quæ ipse ut sua, ne quis glorietur, præmijs exornet. Est inter Hebræos interpretes, qui ita interpretatur: Dominum ea liberalitate esse, ut pro laboribus suis non petat præmium aut mercedem mercenariorum pastorum ritu, sed suam mercedem penes se esse: ab illis quos ut pastor regit, nullam ipsum exigere, qui bonus sit pastor, non mercenarius. ueluti Messias apud Ioannem de se profitetur: Ego sum ille bonus pastor, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oues non sunt illi curæ. Ad hanc interpretationem congruunt quæ sequuntur: *Ioan. 10.*

Sicut pastor gregem suum pascit.) Descripto Messiæ imperio, iam eius cura, qua suos curat, describitur: quæ nobis in pascendi & pastoris nomenclatura plena consolatione indicatur. Sic enim hic loquitur spiritus: Pascet ciues suos tanquam ouium gregem. In hac pascendi ratione, pastoris ingenium, natura, habitus pastoricius, arma quibus abarcet lupos, ouile quale sit, & ouium quę pascuntur qualitas, qualia pascua, & pastus ipse qualis, quo oues pascuntur, & si quæ alia sunt, consideranda hic fuerint.

Congregabit agnos.) Quos dispersos non congregat pastor ille stultus, de quo Zacharias: Et dispersum non quærit. *Zach. 11.*

In sinu suo.) pleno gratiæ & beneuolentiæ sinu, in quo congregatos agnos in ouile Ecclesiæ suæ gestat, defendens eos à lupis, falsis doctoribus, & tyrannis, in agnos & oues pastoris Christi pseudoprophetarum suasu sæuientes. Intueamur, præter superiora, nostra secula.

Fœtas ipsas portabit.) Boni pastoris munus quod sit, indicatur: ipsum ab ouibus suis non discedere, sed eas præ se agere. quod est הנהג. Deinde, dispersos agnos congregare, tum infirmos in sinu suo gestare. Vnde cognoscimus, Messiam pastorem non solum sanos & firmos curæ habere, sed etiam ægrotos & infirmos: & quo quisque infirmior sit, eo maiore cura & diligentia ab ipso foueri, dum conualescat & roboretur. ut infrà scriptum legimus: Linum caligans non extinguit, & arundinem quassatam non perfringit. Demum, pastoris fidelis apud Ioannem addit: Bonus pastor est, qui animam suam ponit pro ouibus suis. *Ioan. 10.* Contrà facit pastor ille mercenarius & stultus Antichristus, qui tantum abest ut ægras oues sanet, & imbecillas erigat & corroboret, ut etiam eas deuoret. de quo scriptum legitur: Oues contritas non sanat, & quod stat, non nutrit. Non legimus hic, sæua animantia, ursos, leones, pantheras, lupos, non contumacis ingenij asinos, non militare & superbum animal equos: sed innoxium, mite & tranquillum animans, oues à Messia pastore pasci: quæ bonum suum pastorem innocentia, tranquillitate, patientia, & bene merendi de altero studio referunt. Balantum innoxia natura uulgo nota est, qua nemini nocentes, nobis eas oues quas noster cœlestis pater pascit apta imagine reddunt, de quibus illud dicitur: Beati pacifici. Si patientiam spectes, traduntur oues ea patientia esse, ut cum pluit, ningit, grandinat, immotæ stent, cœli tempestatem & iniuriam patienter ferentes. Tales sunt oues, quas Messias pastor curat, crucis iugum æquè portantes, quæ nimirum non ignorent illud: In patientia possidebitis animas uestras. ut pastor ipse animam suam sibi seruans per crucis tolerantiam, ad splēdorem cœlestis regni euectus est. De his suis ouibus sic loquitur pastor apud Matthęum: Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Si usum quem afferant balantes spectemus: compertum est, omnia in hoc animante humano *Luc. 21.*

generi

generi usui esse, carnem, lanam, lac, neruos, fimum. Quare meritò Messias pastor appellatur, & electi oues.

Quis mensus est pugillo aquas.) Qui iussit suis ministris & legatis, ut electos suos ut ris calamitatibus uexatos consolentur: iam modo & ratione qua sint redimendi exposita, pergit suam Hierosolymam consolari, argumentis à potentia & facultate seruandi sumptis, quibus suorum fidem corroborat aduersus potentes in mundo hostes, exitium electis machinantes, autore & duce Satane. In Deo autem per Messiam suos defendente, hæc in hoc oraculo ad considerandum nobis proponuntur: Mens diuina, omnium conditrix: Sapientia diuinæ mentis, qua omnia conduntur, & uelut mensura, trutina atq; statera ponderantur & mensurantur: demum spiritus, quo diuina opificis mens per sapientiam suam Messiam cuncta creat, & creatas res gubernat atq; conseruat. De singulis ordine inter interpretandum meminerimus.

Pugillo.) Non esse Hierosolymæ metuendum ab hostibus suis, quæ Deum, qui aquas uola metiatur, cœlum palmo aptet, & telluris pulueremem triente comprehendat, trutinaq; montes & lancibus colles ponderet, defensorem habeat. Sed quæ est illa uola, qui palmus, quæ trutina? Messias benedictus est, qui æqua mensura omnium est, quo cuncta in cœlo & in terra tanquam iusta trutina
Apocal. 21. mensurantur, ponderantur & numerantur. In Apocalypsi Ioannis mensuræ hominis mentio fit, quæ sit angeli. Sed quæ est illa mensura hominis, & cuius hominis? de hoc suprà capite uicesimosexto mentio facta est. Is Messias est, sacri templi Ecclesiæ & huius uniuersitatis mensura. Mensuræ, earum rerum ad quas mensurandas adhibentur, magnitudinem notam reddunt. Talis mensura, omnia patefaciens & manifestans, CHRISTVS IESVS est, æternum il-
Ioan. 1. lud uerbum, Dei patris interpres, de quo illud: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quod legimus hic, Deum aquas uola mensum: locutio sumitur ab ijs, qui aquas in utrem uola aut pugno modicè compresso indunt.

Quis audiuit spiritum.) Spiritus mentionem facit, qui uis sit diuinæ potentiæ & sapientiæ, qua quæ opificis Dei uerbo concepta sunt, priusquam conderentur, cõduntur. Quem spiritum in utroque, in Deo & eius uerbo IESV CHRISTO, uim confitemur esse, qua mundus is fabricatus est. De quo illud: Et spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Igitur ô Hierosolyma, is liberabit & defendet te, cuius spiritum, creando mundum, nemo direxit & aptauit.

Aut quis consiliarius eius fuit.) Amplificat laudem opificis Dei, qui solus, nullius adiutus ope & consilio, tanta opera in cœlo & in terra faciat, mundumq; solerter ædificatum regat atque gubernet. Opificem Deum eadem laude Sibylla ornat:

ἀλλὰ θεὸς μόνος ἐστὶ παντιέρτατος, ὃς πεποίηκεν
οὐρανὸν, ἠέλιόν τε, καὶ ἐσιέρας, ἠδὲ σελήνην,
καρποφόρον γαῖαν τε, καὶ ὕδατος οἰδματα πόντου.

Semitam iusticiæ.) Nomine משפט accipitur ratio condendi, & moderandi omnia. A' nemine rationem & uiam, qua cuncta ordine crearet, didicisse.

Ecce gentes sicut stillæ situlæ.) Prædicata sapientia Dei, potentiæ eius laudem repetit, consolandi afflictam Hierosolymam ergò. Tantam esse potentiam Dei stantem à Hierosolyma, ut ad eam omnes gentes sint aquę guttula, in situla hærens, & stateræ granulum ac puluis.

Ecce insulæ.) Insulas quoque, quæ uideantur firmam tenere sedem in terra, immoto mundi centro, tam facile eas mouente Iehoua, moueri loco, quàm puluis uento mouetur: quanto facilius hostes tuos, ô Hierosolyma, qui fœnum sint, sti pula & puluis, dissiparit?

Et Libanus.) Et ut uanæ sunt gentes, ita etiam eorum sacra uana esse. Quæ si mihi sua holocausta parare uelint, neq; Libani ligna suffectura sint adrogum, neque

que eius animalia ad uictimam. Mentio hic fit holocausti, ut præcipuæ uictimę. Extra Hierosolymam non esse cultũ, qui Deo probetur: & eum qui quidem uerus habeatur, nullis elementis mundi contineri: sed Deum, qui spiritus sit in omnia permeans, spiritu coli. Qui si absit, neq; externum sacrificiorũ cultum ab illo ipso mandatum probari. probari autem, si animus intẽtus infixusq; sit in eum quem illa præfigurarunt, qui est Messias benedictus, corpus umbrarum in hoc theatro aspectabilis mundi, in quo solo ueritas est, cætera uanitas, gentes etiã ipsæ Messia carẽtes, cũ sua sapientia, iustitia, religione. ut sequitur:

Omnes gentes quasi non sint.) ut ex nihilo creatæ. Qui has suprà guttulæ adhęrenti situlæ comparauit, iam prorsus eas, extenuandi gratia, pro nihilo & re inani duci indicat. Vbi utitur uoce תהו, qua Moses utitur, ubi terram, qualis ab initio fuerit, describit. Diuinus spiritus, qui suprà omnem carnem fœnum esse dixerat, iam eam guttulæ, pulueri, nihilo, & תהו comparat. Sic est humanum genus, à uetere natura, nondum è sacro Messiæ spiritu in nouam naturam formatum. In naturam inquam, quæ non cõparetur pulueri terræ, sed stellis cœli, non nihilo & ex nihilo operi ficto, sed operi de quo illud: Ex Deo nati sunt. Quod quoniam solum confusione caret, decentem ordinem seruans, תהו non est: hoc est, indigestum & confusum. Tale enim per antiphrasin apud Hebręos sonat uox hæc. Notum quippe est figurandi & disponendi uerbum יצר. In hac extenuatione gentium, omnia quæ præstantissima habent, continentur. ut est earum, sicut iam monuimus, sapiẽtia, iustitia, potẽtia, opes, gloria, diȷ. hęc omnia uana esse, & nihilum. Cõtrà in Deo, & eius Hierosolyma de cœlo descendente, non de terra ascendente, (ut eius aduersaria bestia Antichristus ascendit) omnia distincta, & decenter ordinata, firmaq; ad omnem æternitatem cernuntur, sapientia, iustitia, uita, gloria. Ex mentione quam propheta de תהו facit, discimus, ante cœptam regenerationem in homine suum תהו & בהו, hoc est informe & inane cerni. inchoata autem regeneratione, id quod informe & inane fuit, sua specie exornatum, & luce Messia illustratum apparere. ut terra, quæ primò carens specie & ornatu, תהו fuit: deinde illluminata per spiritum illata luce, speciosa, & uario stirpium & animantium ornatu decorata apparuit.

Cui ergo similem feciſtis Deum.) Gentium uanitate declarata, iam etiam eorum deos, quos colunt, uanos esse ostendit. ubi per occupationem tacitæ obiectioni occurrit: hostes Hierosolymæ potentia & opibus florere, per suorum deorum cultum. hunc igitur in uanis non habendum. Huic obiectioni, quæ etiam his temporibus sæpe mouetur, ut diuinus Spiritus occurrat, ex sequentibus patebit.

Aut quam imaginem ponetis illi?) Ex rebus cõditis, in quibus nihil reperiatur, quod exprimat eius diuinam naturam, infinitis partibus omnia superantem, quæ ab ea creata sunt. Itaque Moses suos Israelitas uocem audiuisse de Deo loquentem, speciem non uidisse, dicit: ideo eum in nulla imagine adorandum, quæ quidem humana arte & opera fabrefacta sit: quem nulla similitudo & species effingat, præter eam quæ Dei manu effecta, omnem diuinitatem eius exprimit, quæ IESVS CHRISTVS est. de qua imagine illud: Qui sit splendor, gloria, & expressa imago substantiæ illius. Hæc imago cum stultitia sit gentibus, earum stultitia in eo declaratur, quòd mutant gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, uerùm etiam uolatilium & quadrupedum & reptilium. Quæ dementia sapienter à diuino spiritu, per uatem nostrum sequentibus uerbis illuditur.

Nunquid ſculptile conflauit faber.) Sannis & sarcasmo stultitiam uanarum gentium exagitat, quæ deos colant ligneos aut lapideos, à fabris sculptos, & ab aurifabro auro aut argenteis bracteis obductos.

Figurabit illud.) In uerbo Hebræo notatur auri in tenuem laminam diductio.

unde cœlum, ab extensione in liquidum ריבע appellatum à Mose est.

Forte lignum.) Heb. Pauper in donarium lignum, quod non putrefiat, delegit. De inauratis idolis præcesserat mentio, quæ ditiores deligant, hîc ligneorum, quæ tenuiores deligant, meminit. Naso & roncho non caret mentio ligni à putredine liberi, & periti artificis, qui magna solertia & arte ex ligno fabricetur idolum, quod non moueatur. Stulti dij, quos artifex elaboret, & quorum cura ne putrefiant & loco moueantur habenda sit. De uoce תרומה uideris in Exodo. Est munus, ab eleuando sic appellatum: quod cum offerretur, in sublime leuaretur. Paraphrastes Chaldæus huiusmodi donaria appellat אפרשותא, hoc est, à communi usu Deo parata. Sibylla etiam sanctè hoc carmine idolatras irridet:

εἰκόνα θειώσῃ θείαν λιφθεῖσαν ἀφ' ὕλης
χερσίτε μορφώσαντες ἐκὰς καθὰ εἰδωλολάτρων
δοξάζουσι λιτὰῖς καὶ θρησκείαισιν ἀναγνοις,
τὸν κτίσην πολιπόντες —

Nunquid non scietis.) Dementiam stultarum gentium comprobat à conscientiæ testimonio, quæ ipsas per naturalem legem erroris redarguat. De quo testimonio Apostolus prophetam explicans meminit: Qui ueritatẽ in iniusticia detinent, propterea quod id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis. Deus enim illis patefecit. Siquidem quæ sunt inaspectabilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur: ipsaq; æterna eius potentia & diuinitas, in hoc ut sint inexcusabiles. Atq; hoc ipsum est de quo diuinus spiritus per Iesaiam expostulat cum profanis gentibus: Has per lumen naturæ nosse conditorem mundi, qui omnia sapienter condiderit, & ratione conditas res administret: atq; hunc conditorem Deum esse amore colendum, & eum unum, non alium. quod cum non faciunt, eius ueritatem, hoc est testimonium ueritatis in earum animis consignatum per legem naturalem, in improbitate uitiosæ uoluntatis, legi naturæ non obtemperantis, detinere. Ex qua reprehensione intelligitur primò, lumen rationis innatum quod de ueritate testimonium dat, non esse mendax in ulla natura quæ quidem intelligentia prædita sit: sed uerum lumen, siue dæmones, siue improbos homines spectes. Deinde cognoscimus, hanc lucem ac facem eam uim non habere, ut ea prediti Deum glorificent, per illam cognitum. Sic enim ait Apostolus: Propterea quòd cum Deum cognouerunt, non ut Deum glorificauerunt. Vnde consequitur, alio lumine, aliaq; lege quàm sit naturale lumen, & lex, ad cognoscendum Deum, & ad eum ut cognitus est amplificandum: quod fidei lumen est, & lex noua, lex sancti spiritus Messiæ. De qua luce & lege aliàs sæpe mentio facta est.

An non audistis.) ab alijs, si uos parum sapitis. Verus enim cultus Dei, qui in mea Hierosolyma uiget, tot signis & miraculis confirmatus, uos latêre non potest. & à maioribus uestris percipere potuistis, quę religio mihi probetur. Non enim Noa, Semus, Iaphetus, & ex his prognati, uobis ignoti sunt.

Nunquid non intellexistis fundamenta terræ!) quis eam posuerit. Si neq; per uos, neq; per alios intelligeretis: fundatio tamen terræ monere uos posset & deberet, mundi opificem colendum esse, non idola. Fundatam terram dicit, quæ in medio uniuersi librata, firmum & immobilem situm teneat, cui undique cœlum ut cardini incumbat. De qua fundatione etiam Dauid: Initio tu terram fundasti. & Salomon: Quando appendebas fundamenta terræ. Argumentum ducit ab admirando sapientiæ potentiæq; diuinæ opere, quod in fundatione terræ declaratum est: Deum sanctorũ Israelitarum uerũ Deum esse, & deos alienos, qui tale nihil efficere possint, falsos deos esse comprobat: & suæ Hierosolymę spem excitat, quę tam potentẽ & sapientẽ defensorẽ habeat. Quò spectat, toties in sacris literis opificis Dei, à creatione cœli & terrę descriptio.

Psal. 102. *Prouer.* 8.

Qui sedet

Qui ſedet ſuper gyrum terræ.) A' prouida adminiſtratione terræ. Deum, quẽ Hieroſolyma colit, terræ globo inſidere, tanquam rectorem & gubernatorem: quem uanæ gentes, in quo ſint, moueantur & uiuant, non agnoſcant. De qua præſentia Apoſtolus ſic in Actis loquitur: Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus uitã & halitũ per omnia: fecitq; ex uno ſanguine omne genus hominum, ut inhabitaret ſuper uniuerſam faciem terræ: præfiniſq; ſtata tempora, & terminos ad inhabitandum præfixit, ut Deum quærerent, ſi forte palpent eum, & inueniant: quamuis non longè abſit ab unoquoq; noſtrũm. per eum enim uiuimus, mouemur & ſumus. His uerbis Apoſtolus, ut Deus inſideat globo terræ, utq; eam curet, & quæ in ea habitãt regat & adminiſtret præſens, explicat. Propheta, qui terram ut ſolidum fundamentum fundatam dixerat, iam eam globoſam facit: quam nimirum ſciret non tetragoni uel trigoni, ſed orbis ſpeciem tenere, non quidem abſoluti, in tanta montium excelſitate, tanta camporum planicie, ſed cuius amplexus ſi capita linearum comprehendantur ambitu, figuram perfecti orbis efficiat, cœli conuexitate in ſe uergente, & cardini ſuo, hoc eſt terræ undiq; incumbente: terra autem, ut ſolida atq; conferta, aſſurgente: cœlo in centrum uergente, & terra è centro exeunte. Actor. 17.

Et habitatores eius quaſi locuſtæ.) ſi compares eos cum opifice Deo. Per hanc comparationem depreſſo faſtu ſuperborum in terra uerſantium hominum, Dei amplitudo extollitur, ad conſolandum contemptam in mundo Hieroſolymam: hanc ſibi non debere metuere à multitudine hoſtium: eos enim locuſtas eſſe, quorum uis & robur facilè labefiat, per potentiam diuinam, conditricem cœli & terræ. Suprà hominẽ flori, gramini, guttulæ aquæ comparauit: hic locuſtis cõparat, quæ etſi ſatis ſint pernicioſæ, facilè tamẽ eorũ uim exitialẽ debilitari.

Qui extendit uelut nihilum, cœlum.) A' terra in cœlum attollitur: in hoc quoq; creando, & præparando ad uſum ſtirpium & animantium in terra naſcentium & habitantium, diuinam ſapientiam & potentiam elucere. Dicit cœlum inſtar pellis ac membranæ extentum, ſub quo tanquam tentorio animantia in terra habitent, ut ſequitur: Ad inhabitandum. In Geneſi uſurpatur רקיע uox, hic נטה. Quod uerbum antea uſurparat Dauid: Extendens cœlum ſicut cortinam. Similiter Iobus, נטה שמים. Dei prouidentia & bonitas hic celebratur, qui domum prius ædificarit, quàm animantia & hominem conderet: cuius ædificij paumentum terra, quam animantia terunt: & tectum, cœlum eſſet, tentorij ritu expanſum. Vnde probat, diuinæ ſapientiæ nihil in hac uniuerſitate aſsimilari, & ei electos tutò aduerſus omnem aduerſariam poteſtatem confidere poſſe. Nam ad confirmandam fidem & ſpem ſanctorum, Dei ſapientia & potentia prædicari debet: non ſolùm ut ex mundano opificio cognoſcatur, quæ cognitio etiam impijs communis ſit: fides uerò & ſpes, diuina potentia & ſapientia nixa, piorum propria.

Qui dat decretorum ſcrutatores.) Commendatio potentiæ diuinæ, à principibus terræ in nihilum & uanum redactis: quos deijcere dij uani uanarum gentium nequeant, ad ſuos cultores liberandos: qui dij & ipſi miſerè iudicentur, hoc eſt pereant & aboleãtur. Vt de dijs Aegyptijs in Exodo. legimus: Et in cũctis dijs Aegypti faciam iudicium, dicit Dominus. Sæpè in ſacris literis Dei poteſtas, quam in terræ principes habet, pijs conſideranda proponitur, qua illorum animi confirmentur aduerſus tyrannorum, qua affligũtur, tyrannidem. Hanc diuturnam non fore, neq; diutius durare & plura poſſe, quàm ferat is qui terræ globo inſidet, & cœlum inſtar tabernaculi extendit, omnia ſupernè in cœlo & infernè in terra pro nutu & arbitrio faciens. Intra has diuinæ prouidentiæ alas pij homines ſeſe illatebrantes, ſecurè & tutò degunt: non item, qui Deum uniuerſa qui-

ſa quidem curare, non autem ſingula, dicunt: neq; , qui à ſua uoluntate & conſilijs pendentes, ſe & ſua omnia Deo certis, firmis & immutabilib. conſilijs ſuis moderanti, ſubijcere non ſuſtinent.

Equidem neq; plantatus.) Scita loquendi figura tyrannorum orbis terrarum deſcribit interitum, qui intereant quaſi non plantati, quaſi non ſati, quaſi non actis eorum caudicis radicibus: quos leuiter Dei halitus in ipſos flans arefaciat, & turbo furoris eius tanquam ſtipulam uento agitatam auferat. Si exemplare quiris, occurrunt ſæui tyranni, qui diluuio perierunt: occurrunt à diluuio diſſipata Nimroti conſilia, & conatus: occurrit Aegyptius Pharao, reges Chananeæ: occurrit Aſſyrius Sennacheribus, & Babylonius Balthaſar, Græcus Antiochus, Romani tyranni. Noſtra tempora prętereo. Et cum tantus ſim, cui me comparabitis? aut quem mihi Deum parem fingetis? Nullum ſanè. Hinc Da-
Pſal. 85. uid piè canit: Non eſt ſimilis tibi in diſs. Idem, potẽtiam Dei uindicantis à ui tyrannorum prædicans, canit: Domine quis tibi par eſt? qui inopes à potentioribus, pauperes & egenos à prædatoribus liberas.

Leuate in excelſum oculos ueſtros.) Redit ad celebrationem potentiæ diuinæ, quæ in cœli creatione declarata eſt, in qua hęc commemorantur: cœleſtis exercitus, certa ſiderum, quibus uocantur, nomina, & uires, quibus in cœlo lucentes ſtellæ exornatæ ſunt. In exercitu admiratur ſiderum copias à Deo ſuo imperatore gubernari, ad ſtatum firmumq; curſum conficiendum. Quod autem ſidera ſuo quodque nomine uocat, in eo diuina bonitas declaratur, qui quodque aſtrum ſuo muneri & functioni ad uſum uiuentium in terra deſtinarit. De quo uſu Mo-
Deuter. 4. ſes his uerbis in Deuter. Quę dominus (de aſtris loquẽs) omnibus populis qui ſub cœlo ſunt partitus eſt, ut lucem uidelicet, calorẽ, & uim genitalem ſtirpib. & animantib. afferrent, dierumq; & noctium diſcrimen facerẽt, & partium anni uices temperarent. Et hoc eſt, à Deo ſtellas ſuo nomine uocari & numerari.
Pſal. 147. De qua numeratione iuxta diſpenſationem uirium, ſic Dauid canit: Qui numerat ſtellarũ numerum, omnes uocans nominatim. Sæpè in ſacris literis piorum animi in cœlum euocantur, ut in eo ſtellas & earum lucem atq; ſtatam conuerſionem contemplentur, ad diuinam ſapientiam, potentiam & bonitatem celebrandam: quæ præcipuè in cœlo ſeſe oſtendit, in quo tum fixę tum uagæ ſtellę ſplendentes, in hæc inferna uiuificam lucem & calorem omnia in terra animantem fundunt. Vnde piorũ animi ſubducuntur in contẽplationem ſtellarum, in cœlo diuinitatis fulgentium, quarum meminit Daniel, & quib. Abrahami cœleſte ſem cõparatur. Subducũtur item ad conſiderationẽ lucis, quæ de ſe prę-
Ioan. 6. dicat: Ego ſum lux mundi. quæ in ſanctorum cordib. lucens, ignem in eis & calorem amoris accẽdit: quę lex diuina requirit, & unà fides de luce Meſsia in credẽtium animis excitat, ad regenerationem neceſſariam. Nominatur hic exercitus ex ſtellis deſcriptus, cuius exercitus contẽplatione admonemur eius exercitus, ex diuinis illis ſiderib. quæ ſancti ſunt, deſcripti. Vnde Dominus iuſsit Abraham: um oculos attollere in cœlum, ad confirmandam eius fidem de propa-
Geneſ. 15. ganda in immenſum ſobole: Aſpice in cœlum, & ſtellas, ſi potes, numera: iam numeroſa erit progenies tua. Multitudinis igitur ſiderũ contẽplatione tanquam ſacramẽto monemur, numeroſam Eccleſiæ fore ſobolẽ, quæ ſiderum numerum magna noſtri cõſolatione æquet. Veri Iſraelitę, hoc eſt ſcripti in libro uitæ, à uate Hieremia ad firmas illas quę in ſolis & lunę curſu ſeruãtur leges reuocãtur: ut inde diſcant, quàm ſtabilis eorum in omnem æternitatem cõditio
Ierem. 31. ſit, quam nulla uis labefactet. Hæc dicit Dominus, qui dat ſolem in lumen diei, ordinem lunæ & ſtellarum in lumen noctis: qui findit mare, & ſonat fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges hæ apud me, dicit Dominus, etiam ſemen Iſrael deficiet, ut non ſit gens coram me perpetuò.

Quare dicis Iacob.) Concionem de potentia & ſapientia Dei, ad conſolandam afflictam

afflictam Ecclesiam accommodat, aspersa correctione, qua eius de diuina prouidentia diffidentiam corrigit: quæ dum aduersis reb. premitur, cogitet se Dei in mundi huius administratione occupati cura desertam. Typus in mystico populo cernitur, ueritas in Ecclesia electorũ: quam misere persequẽte eam draco ne per filium perditũ, per prosopopœiam inducit sequentib. uerbis cõqueri.

Abscondita est uia mea à Domino.) mei curam non habet, fastidit me, tot tantisq; malis infestatam negligit. Neque Messias Ecclesiæ caput ab hac querela liber fuit, cum in cruce pendens clamaret: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Oportuit enim eum similiter corpori Ecclesiæ, cuius caput esset, excepto peccato, tẽtari. Nomine uiæ ratio uitæ in afflictionib. actę denotatur. *Psal. 21.*

Et iudicium meum.) uindicatio & assertio mei ab infestis hostibus.

Transibit.) animum non tangit, præterit & fugit eius uindices oculos. Describitur Ecclesiæ cogitatio, quã de Deo in statu crucis habet, florentib. hostibus.

Nunquid nescis.) Querelæ Deus eam diluens, occurrit, cõparatione minorum & maiorum utens. Si reliquum mundum curo, quanto magis te curo, ô sponsa mea Ecclesia, propter quam mundus conditus sit.

Non deficiet.) Indefatigata Dei cura omnia in cœlo & in terra administrari. Quòd autem rebus prosperis sępe impios uti, & aduersis pios uexari sinit, non est cur propterea quisquam in eius iudicium inquirat: cuius ratio ab humana sapientia inuestigari nequeat, ut sequitur:

Non est inuestigatio sapientiæ eius.) quam declarat in cura & prouidentia, qua omnia moderatur: cur uidelicet peccatũ inuaserit in humanum genus, & id à contracta noxa in tot mala inciderit; impijs res prosperas habentibus, pijs aduersas: & quare horum liberationẽ, & illorum ultionem differat. Hęc quidem Dei iudicia humanam intelligentiam latent: non item Deum, & eos quibus Deus per filium Messiam patefecit, ut sequitur:

Qui dat lasso uirtutem.) suo tempore, ei noto. Non igitur tu ô Hierosolyma, tuo malo afflictionib. premeris, sed bono, Deo in infirmitate suorum robur suum perficiente. Quare non est cur cõquerare uiam afflictionum tuarum Domino absconditam esse: quæ ei nota sit, quam cõuertat in rerum prosperarum uiam, contraria agens cum hostibus tuis, ut sequitur:

Deficient pueri.) Robore ualentes deficere, & infirmos roborari. iuuenes enim uiribus & robore ualent, ut senes imbecilles sunt ac infirmi. Notatur hac forma loquendi, potentia in mundo florentes homines, confisos suo robori, uindice Deo concidere. De quibus Dauid: Vidi impium fortem, & instar frõdentis lauri uirentem, & præterijt, & non erat: quæsiui eum, & non est inuentus. *Psal. 36.* Exemplis hæc consolatio illustranda est. Contrà pij habent, quamlibet infirmi in mundo habeantur. sequitur enim:

Qui autem sperant in Domino.) Contentione consolationem auget. Hostes suę potentiæ, uiribus & robori fidentes perire: in Domino autem spem habentes, mutare robur, hoc recuperantes. Mutandi uerbum, pro uirescere & innouare. Similiter apud Iobum, יחליף אם ירבת רעיר ישלוחו: hoc est, arbor succisa rursus uirescet. Itaq; quoniam quæ renouantur mutantur, inde hęc loquendi forma mutuata est.

Assument pennas sicut aquilæ.) Similitudine ab aquilis sumpta, Dei in suos beneuolẽtiam declarat. Aquilarũ senectutẽ mutatis pẽnis reiuuenescere tradunt. de quib. Dauid: Renouabitur ut aquilæ iuuẽtus tua. Sic propheta indicat, Ecclesiam spõsam Messiæ ad nouã naturã regenerationis beneficio renouari. Tradũt scriptores rerũ, aquilas splẽdorem solis, solas inter aues intueri: & has suos pullos assuefacere, ad inspiciendũ solis lumẽ. quod si qui non ferant, abijci tanquam degeneres. Sic sunt filij Dei, aquilis comparati: qui fulgorem solis, qui Messias est, in oculis ferunt. eum auersantibus, de quibus sol ipse: Omnis qui *Psal. 102.*

Ioan.3. malè agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius.

Current, & non laborabunt.) Hanc consolationem explicat Apostolus: In omnibus premimur, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecu-
2.Corint.4. tionem patimur, at non deserimur: deijcimur, at non perimus. Duo ergo occurrunt memorabiles consolationis loci. Vnus est, filios Dei non grauius uexari rebus aduersis, quàm ferre possint. ut hic scriptum est: Currunt, & non de-
1. Corinth. 10. lassantur. Hinc idem Apostol. Fidelis Deus est, qui non sinet uos tentari suprà quàm possitis: sed cũ tẽtatione huiusmodi euentũ faciet, ut sufferre possitis. Itaque sicut diuina prouidẽtia mari terminos, extra quos nõ egrediatur, statuit: ita suis finib. Ecclesię & mẽbrorum eius afflictiones determinat, quos hostes trãsi re nequeant. Alter locus est, tãdem finem fore afflictionum, has exceptura glorioſi regni Dei tranquillitate. quod innuitur his uerbis: Et renouabunt uires.

IN CAP. QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Taceant ad me.) Cum gentibus deos uanos colentibus congreditur, experturus iudicio utri potentiores sint: ipse ne an earum dij. In exordio disputationis, attentionis loco utitur: ut ipsi de rebus magnis dicturo, aures cum silentio præbeant.

Et gentes mutent fortitudinem.) Dominus caussa bona fretus, aduersarios hortatur in hac humano more instituta disputatione, ut bene animati & uiribus aucti accedant, ad disceptandum secum.

Et tunc loquantur.) tandem, me audito, respondeant.

Qui suscitauit.) Per exordium præparatis animis, narrat potẽtiam, quí ui sua ab Oriente excitarit, per quem magnas res & præclaras faceret, quales nulli dij per ullos suos cultores facerent. Sed quis est ille, quem dicit ab Oriente excitatum? Interpretes alij de Abrahamo accipiunt, de quo in Genesi sic scriptum
Genes.12. est: Egredere de terra tua, quæ ad Orientem ad Chananæam sita est. Alij de Cyro, de quo infrà his uerbis mentionem fieri uolunt: Suscitaui ab Aquilone, & ueniet ab ortu solis. Persia indicata, quæ ab angulo orientali & aquilonari Babylonẽ spectat. Prior interpretatio uulgarior est, probata etiam Paraphrasti Chaldęo. Sed posterior non malè uaticinio de euertenda Babylone per Cyrum regem Persarum, & prædicandæ potentiæ diuinæ congruit. Vbi mystica redemptione anima duersa, quanta consolatio accipiatur, in hęc postrema tempora cadens, ex sequentibus cognoscetur.

Et uocauit eum.) Sunt interpretes, quibus Hebręum uerbum uertitur, Occurrit ei, ut sit sententia, Iusticiam ei occurrisse ad pedem suum: hoc est, quo cũq; pergeret, iusticiam comitem habuisse. Si de Abrahamo interpretere, præterita cõgruunt: sin de Cyro, iusticiæ diuinæ executore, futura. Nam uaticinari uates de Cyro intelligetur, Babylonium regnum deuastaturo, ad liberandum populum Dei: & summota umbra, de Messia IESV, regnum Antichristi spiritualem Babylonem euersuro, ad redimendam electorum Ecclesiam. In qua redemptione quoniam præcipuè diuina potẽtia aduersus idololatriam declarabitur, hęc quę hic in disceptationẽ ueniunt, ad ea tẽpora pertinẽt. Babylõ uetus, idololatria famosa fuit: at nostra Babylon quãta idololatria fœdata sit, superiora & nostra tempora cõprobant. aduersus quam ut hæc contentio Dei instituatur, ex Ioannis Apocalypsi constat, & eam nostra secula patefaciunt.

Dabit in conspectu eius gentes.) Si de Abrahamo hæc accipiantur, quid propter illum acciderit Aegyptiorũ regi, quid Abimelecho Gerarorum regi, quid quatuor regib. ab illo deuictis, ex Genesi patet. Sin de Cyro rege Persarum, huius uictorię literarũ monumentis celebratę sunt: cuius uictore gladio & armis hic legimus Deum, tanquã puluerem, & uẽto impulsam agitatamq; stipulam, populos abiecisse. De qua uictoria Cyrus gratus & memor erga Deum Israelitarũ, apud Esdram his uerbis meminit: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus.
2.Esdr.1.

Semitã

Semita in pedib. eius.) abesse itineris molestiam & fatigationem: aut feliciter rem ei successuram, etiam ubi iter non fecerit: gētes nimirum fama eius perterritas, sese in potestatem eius tradituras.

Quis hæc operatus est?) ut Messias meus Cyrus Babylonem euertat, & subiecta illi regna. De Babylonis rege Daniel sic uaticinatus est: Tu rex regum es, & Deus cœli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi. Amplificat potentiam suam Deus, à potentissimo in orbe terrarum regno euerso: illudens eius Deos, qui neq; regnum, neq; se tueri, quo minus perirent, potuerint. Quæ amplificatio potentiæ diuinæ, ut cernatur in euersione regni Antichristi & idololatriæ eius, hodie huius illustris uictoriæ initia fieri uidemus: exitum autem, qui sit gloriosus Messiæ, & salutaris Hierosolymæ sponsæ eius futurus, spe certa & indubitata præsumimus, aduersus tyrannos osculantes bestiæ pedes, cum admiratione tantæ potentiæ quam agnus habet dicturi: Quis hoc egit & fecit? Eum nimirum egisse & fecisse, de quo sequitur: *Daniel. 2.*

Vocans generationes ab exordio.) Interrogationi per subiectionem respondet: tantas res illum efficere, qui ab exordio secula rerum gignēdarum arcesciit: hoc est, qui clarè futuras rerum generationes prænoscens, ut quæq; suo tempore appareant, constituit: quod uocare est. Hac ratione loquendi Hebræa Apostolus, ut homo Hebræus utitur, ubi ait: Vocat ea quæ non sunt, ut sint. hoc est, constituit, & ut sint in rerum natura efficit. In qua forma loquēdi Dei potentia declaratur, qui uocando, nominando, & loquendo omnia facit. De qua potentia uates: Dixit, & facta sunt. Sed quis est ille, qui à capite & exordio cuncta ordine suis temporibus uocat? Sequitur: *Psal. 33.*

Ego Dominus.) non Dij, opera manuum uestrarum.

Primus.) ante quē nemo fuerit. Potentiam suam aduersus Deos alienos confirmat, qui primus & solus & æternus Deus, omnia ab initio creet, & conseruet usq; in finem: post quem etiam nemo futurus sit, qui quicquam sit moliturus. Atque hoc ipsum est quod hic dicit: Et nouissimus ego sum. Hac ergo descriptione Deus primò declarat, se omnium creatorem esse ab initio: deinde, à se res creatas cōseruari: postremò, rerum generandarū seriem in ipso finiendum: neq; futurum alium, qui ambitum rerum conditarum tāquam finis circumscripturus sit. Vnde colligitur, deos alienos, quos gentes colunt, uanos esse: & electorum animi in fide & spe confirmantur, qui Deum colant, mundi huius creatorem & conseruatorem, omnia gubernationis suæ præsentia implentem, & suis intimè cura & prouidentia aduersus potētissima in mundo præsentem.

Viderunt insulæ & timuerunt.) Accommodat narrationē operum potentiæ diuinæ, ad idolorum, & eorum qui illa colunt, uanitatem demonstrandam. Nota est interpretatio illorum, qui de Abrahamo, quæ præcesserunt & sequuntur, interpretantur. De Cyro uerò qui exponunt, ita accipiunt: Videre insulas, quæ per Cyrum ago: & metu tantorum operum perculsas, se non ad me, sed ad idola, à quibus in rebus aduersis defendūtur, magna suæ stultitiæ significatione cōuertere. Quæ stultitia sequentib. uerbis explicatur, nō sine irrisionis sale. Intueamur nostri Cyri tēpora, quo hodie pugnāte aduersus suam Babylonē & tyrānos ei subiectos, ut hi cū insaniæ suæ declaratione ad idola se conuertant, quæ opē afferāt, satis est clarū. Quos sua ipsorū cōscientia redarguens, ostendit religionē, quā sequūtur, esse falsam, & cōtrariam, ac cœlestis nostri Cyri ueram.

Appropinquauerunt.) Narrantur coire & conuenire magno studio, ad falsam religionem stabiliendam, & ueram euertendam.

Vnusquisq; proximo suo auxiliatur.) Non sine sarcasmo, illudente uanitatem idolameditantium, hæc dicuntur.

Confortabit faber ærarius.) Sentētia Hebræi uersus est: Faber lignarius aurificem confirmat, ut aureis uel argenteis bracteis idolum ex ligno factum tegat, in

eas auro diducto, ut malleo bene polito super incudem contusum est.

Dicens glutino.) dicens ferramen bonum esse, quo aureæ bracteolæ cum idolo ferruminatæ sunt. Hæc prosopopœia plena sannis est.

Et confirmat eum.) uel simulachrũ, uel bracteolas. Describitur concors uariarum gentium in simulachrorum cultum, hoc est falsam religionem studium: & hanc ab eis nõ leuiter sarciri, sed ipsorum decretis acriter defendi. legimus enim hic: Alij alijs opem ferunt, & inter se ad rem fortiter gerendam cohortãtur. Intueamur in regno Antichristi cõsilia: quàm in his ad tuendã idololatriã uarij generis uno ore, iam multis seculis fortiter conspiratum sit, palàm est. At cũ hoc moliuntur hostes, Ecclesia nõ deseritur: sed hãc, quę sequitur, cõsolationem audit.

Et tu Israel.) Consolatio à nomine. Tu qui appellaris Israel, à uictoria quam parens tuus Iacobus per fidem in promissionẽ ei factã, de me retulit: nõ est quod
Genes. 32. ab hostib. tuis, à quibus uexaris, tibi metuas. De qua uictoria uideris in Genesi. Quoniam aũt omnes qui filij Iacobi secũdum promissionẽ sunt, ut in nominis, ita etiam in uictoriæ illius participatũ ueniunt: inde hæc cõsolatio petitur, quã qui fidem in promissum Iacobo semen, In semine tuo benedicẽtur omnes gentes, habent, capiunt. Quæ uictrix in Messiam fides, omnib. scriptis in libro uitę nomẽ Israel indit. Quod quidem primò Israelitis secũdum carnem, sed qui sint etiam secundũ spiritũ promissionis Israelitę, ut naturali oliuę conuenit: deinde uerò omnibus fidelibus ex gentibus, per insitionis gratiam communicatur. Ad utranq; igitur Ecclesiam, quæ legis macerie diruta, una redditur, ex Israelitis & gentibus descriptam, hæc consolatio pertinet, quam his postremis temporibus in misero exilio uagantes Iudæi suo tempore accipient.

Serue meus.) Consolatio à statu & conditione. Qui non delectus ad colendos deos alienos sis, sed qui me Euãgelij cultu per fidẽ in Christo meo colas. Nam subducto uelo mysticæ redẽptionis ex Babylone factæ per Cyrum, propheta pro latitudine oracularis præuisionis, eius Babylonis euersionẽ præuidit, quã Ioann. in sua Apoc. describit. In qua ut utriq;, & Israelitæ & gentes detinentur: ita futurũ, ut utriq; ex ea liberẽtur, nõ per Cyrũ illum Persarum regem, sed per
21. Messiam regẽ cœli & terræ. De qua redẽptione clarè Apostolus in epistola ad
7. Roman. & Ioann. in Apoc. ex sententia nostri prophetę & ceterorũ loquitur.

Quem elegi Iacob.) Cõsolatio à nomine Iacob, cui nomẽ supplãtatio Esai nõ sine mystica ratione, ad consolãdos ueros Iacobæos peropportuna dedit. In qua cõsolatione admonemur primò, ueros Israelitas à Deo prius diligi, quàm ipsi Deum diligãt. Diligũtur enim per electionẽ, priusquam intelligũt se deligi. Legitur enim hic: Iacob, quẽ elegi. Electio aũt, eos qui eligũtur, & eorũ fidem qua
Ephes. 1. Deum colãt, imò ipsum mũdum cõditum præcedit, ut est apud Apost. Quem-
2. Ioan. 4. admodum elegit nos in ipso, anteq; iacerẽtur fundamẽta mũdi. Quare Ioann. dicit: Hæc est charitas Dei, non quòd nos dileximus eum, sed quòd prior nos dilexit, per electionis uidelicet gratiam, de qua hic uates: Iacob, quem elegi. Deinde admonemur, quia firmum & cõstans est eligẽtis Dei propositũ, quod nulla uis cõtraria irritum faciat, salutem eorum quos Deus ab æterno elegit, firmam esse, quam neq; peccatum, neq; mors, neq; inferni portę cõuellant. Vnde noster Dominus consolationẽ ab electione sumptã, & à propheta hic exposi-
Lucæ 10. tam, ad suos apud Luc. his uerbis repetit: Nolite gaudere quòd spiritus uobis subijciuntur, sed gaudete q nomina uestra scripta sunt in cœlis, ex quib. deleri illa nequeant. Quod est hic: Iacob, quem elegi. Tertiò discimus ex hac cõsolatione, quis usus sit electionis. Vsus indicatur in uoce Seruus meus, ut intelligant pij se electos, qui Deum colant fide & amore. Quẽ usum his uerbis Apostolus clarè explicat, Elegit nos in ipso, ut essemus sancti per charitatem. quæ finis est & perfectio legis, & illa iusticia cõformationis animorum nostrorum ad diuinam uoluntatem, quam de capite Christo fides electis communicat.

Quare

Quare in nomine Seruus, non abiectus notatur ſtatus, in quo Iſraelitæ tanquã mancipia cõtineantur, hæreditatis diuinæ non capaces: ſed ſtatus ſubiectionis liberalis, in quo Deo ſeruiant, ingenuo & generoſo adoptionis filiorum ſpiritu. Eſt enim עבר Deum colere, ut patet ex illo: Omnes gẽtes ſeruient tibi, id eſt colẽt te, cultu ſcilicet Euãgelij. Itaq; hæc uox, Si electus ſum, quicquid fecero, ſeruabor: ſin ſecus, fruſtra ſalutem tẽtauero: electorum uox non eſt. Sed hæc illorũ uox eſt: Si fide Meſsiam amplexus fuero, certior reddor, me ex electorum numero eſſe, quem Deus elegerit, cui in tẽpore ſpiritum adoptionis donaret, cuius afflatu Euãgelio crederem, & ſanctè per amorem Dei & proximi me gererem. Poſtremò monemur hac cõſolatione, Elegi te, omnia quæ nobis conficiunt ſalutem, ex liberali electionis gratia proficiſci: nõ ui & facultate noſtræ rationis & uoluntatis, non meritis actionum noſtrarum: proficiſci inquam ex gratuita electione, ſub infallibili præſcientia diuina, fidem in Meſsiam, amorem Dei & proximi, bonas actiones legi diuinæ conſentaneas, patientiam in cruce, confirmationem fidei, & ex hac ſpem non pudefacientem, & inde indubitatam ſalutem & gloriam. Atq; hoc ipſum eſt quod Apoſtolus dicit: Quos præſciuit, prædeſtinauit: quos prædeſtinauit, uocat: quos uocat, iuſtificat: & quos iuſtificat, glorificat. In quibus uerbis tota ratio & uia abſoluendæ ſalutis comprehenditur, quæ quinque membris conſtat. Primum præſcientia eſt, qua Deus prænoſcit quos ſtatuat glorificatum iri. Alterum, prædeſtinatio ſeu electio ad ſalutem. Tertium, uocatio, qua electi ad auſcultandum Euangelium, & ad uocem interiorem loquentis ſpiritus ſancti uocantur. Quartum, iuſtificatio, qua ex auſcultatione Euangelij excitato in electorum cordibus ſpiritu ſancto, merito ſanguinis IESV CHRISTI, amiſſa iuſticia per fidem accipitur. quam glorificatio, quæ quintum & ultimum membrum eſt, comitatur, electorum propria. *Rom. 8.*

Semen Abraham.) Conſolatiõ ab Abrahamo, cuius progenies ſint, quæ hanc promiſsionem in Geneſi expoſitam habet: Statuam pactum meum inter me & te, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Vbi ſub carnalis ſeminis figura adũbratur ſemen ſpirituale, quod ſecũdum promiſsionem ſemẽ Abraham ſit, de quo Apoſtolus in hæc uerba: Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſraelitæ: neq; qui ſunt ſemen Abrahami, ſtatim filij: ſed per Iſaac nominabitur tibi ſemẽ. hoc eſt, Nõ qui filij carnis, filij Dei: ſed qui ſunt filij promiſsionis, recẽſentur in ſemen. Ex quib. uerbis diſcimus, ad quos pertineat cõſolatio hæc, ſemẽ Abrahã amici mei: ad eos ſcilicet pertinere, qui uerè ſemẽ Abrahã ſunt, è ſacro Meſsię ſpiritu nati, & Abrahamũ fide per amorẽ agẽte referẽtes. de qua fide iuſtificãte & generãte filios Dei, illud: Credidit Abraham Deo, & reputatũ eſt ei ad iuſticiam. *Geneſ. 17.* *Rom. 9.*

Amici mei.) Conſolatio ab amicitia, qua Deus Abrahamum, & omnes eius filios, hoc eſt electos, proſequitur. Nam per hanc amicitiam intelligunt pij, ſe in participatum & communionem bonorum quæ Deus habet, uenire: quòd amicorum ſint omnia communia. Hinc illud: Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Et Petrus: Vos eſtis conſortes diuinæ naturæ. Hunc participatum amor efficit, de quo apud Ioannem: Deus amor eſt, & qui manet in amore, in Deo manet. in quo cum eſſet Abrahamus, de eo hic legimus, ut Dei amicus appellatus ſit. Cuius amicitia qui tenentur, diuinam iuſticiam, uitam, ſapientiam, fortitudinem, gloriam in Meſsia participant. *Ioan. 17.* *1. Petri 1.* *1. Ioan. 4.*

In quo apprehendi te.) Conſolatur ſuos, quos depreſſa tyrannorum orbis terrarum tyrannide, euocare atq; aſſerere in libertatem uelit. Si liberationem ex Babylone ſpectes, tenuis redemptionis umbra occurrit. Sin redemptionem ex uera illa & ſpirituali Babylone, occurrit redemptio quæ in his recõciliationis temporib. per ſpiritum Euangelij Domini noſtri IESV CHRISTI cõficietur:

Non

Non abieci te.) Præceſsit, Elegi te: electionem neue peccatis tuis, neue exilio, neue ſeruitute ſiue exteriore ſiue interiore, quã filius perditus intentat, irritam reddente, quo minus, qui ea cõtinentur, tandẽ ſeruentur. Per occupationẽ taci tæ obiectioni reſpõdet: Nõ propterea quòd exilio à regno meo, & Antichriſti ſugo iam aliquot ſeculis premeris, ideo abieci te, & amorẽ meum erga te exui. Non aliter in Moſe, fonte prophetarũ, legitur in Leuitico: Attamen cũ eſſent in terra hoſtili, non penitus abieci eos: neque ſic deſpexi, ut conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Qui igitur ſuper immobile fundamentum electionis in Chriſto ædificant, ſuper petram ædificant: qui ſuper uires liberi arbitrij, ſuper conatum, ſtudia & opera ſua ædificant, ſuper arenam ædificant. Quales omnes ſunt, qui ſalutis partem facultati uoluntatis, partem gratiæ diuinæ aſcribunt, & electionem mobilem aiunt eſſe: & eos qui ſemel ſcripti ſunt in libro uitæ, ex eo deleri pernicioſo errore poſſe cõfirmant. Nec multo ſaniores ſunt, qui de neceſsitate decretorũ Dei, qua omnia neceſſariò eueniunt, nihil cõtingẽter, ſermonẽ fieri nõ debere docẽt. Sed hi alio loco reprehẽſi ſunt.

Ne timeas.) ab ullis, quamlibet potentibus hoſtibus. Præceſsit: Euocabo te à principibus.

Quia tecum ſum.) qui poſsim & uelim te liberare, tum ex myſtica tum ex uera Babylone. ex myſtica quidem, per Cyrum: ex uera, per IESVM CHRISTVM, temporibus reconciliationis. Metum de periculis ponimus, ſi adſint quorum ope cladem effugiamus. Ideo hic: Ne timeas, tecum ſum. Quæ uox cum primis conſolatoria uox eſt, indicans nimirum, Deum nobis præſentem affore, præſentia præſidij per ſpiritum filij Meſsiæ, in omnibus rebus aduerſis. Sic conſolandi gratia ad Moſem ea uoce utitur: Ero tecum. item ad Ioſuam: Ero tecũ. Similiter ea uoce Ieremias cõfirmatur: Ego tecum ſum, ut eruas, &c. Demũ Chriſtus implens prophetiam noſtri prophetæ, ad ſuos nomine Eccleſiæ ſic loquitur: Ero uobiſcũ uſq; ad conſummationẽ ſeculi. Vt autã eſt cum ſuis, eos defendẽdo ne per hoſtes crudeles pereãt, ut ſunt peccatũ, mors, infernus, draco, ſatã & Antichriſtus cũ ſuis falſis pphetis & doctoribus. ita cũ alienis non eſt, in quos hæc uox iacitur, Non noui uos. quę uox, odij & inimicę abiectionis uox eſt.

Exod. 3. *Math. 28.* *Math. 7.*

Ne declines.) à meo præſidio, ad aliena ne te auertas. Paraphraſtes Chaldæus, Ne frangare: uidelicet animo, in calamitatib. quę animos frãgere ſolent. Sunt qui ſic uertunt, Ne liqueſcas: ceræ uidelicet inſtar, ad ſolis calorem liqueſcentis. Prior interpretatio ſatis ſimplex eſt.

Geneſ. 17. *Quia ego Deus tuus.*) ex fœderis iure, de quo ad Abrahamum: Vt ſim Deus ſeminis tui poſt te. Quod fœdus nunquam ſoluero, pro bonitate & fide mea.

Et ſuſcepit te dextera iuſti mei.) Hebr. indicat, Iacobæos dextra iuſticiæ Dei fulciendos & ſuſtinẽdos eſſe, ne cadãt. A' qua cõſolatur illos. Sed quæ eſt illa iuſticia Dei, qua fulciuntur pij? Apoſtolus eam explicat, dicẽs: Qui factus eſt nobis iuſticia à Deo. qui Meſsias benedictus eſt, cũ quo cõiungitur mẽtio dexteræ diuinæ, qua notatur potentia filij Meſsiæ, in omnia imperium habentis.

1. Corinth. 1.

Et confundentur.) qui te pudore & ignominia uoluerũt afficere, ipſi ignominia & pudore afficient. Cõiungit pudorẽ cũ ignominia: q̃ pudor animi ægritudo ſit, de malis p̃teritis aut futuris, q̃ ignominiã aut dedecus afferre uideant, nata.

Qui pugnant.) In uoce Hebræa notatur furor, quo mundus, & qui ex mundo ſunt in Dei filios qui ex mũdo non ſunt, exardeſcũt. Nam הרה nõ eſt leuiter iraſci, ſed furore incendi ac incandeſcere. Quanto hodie furore incenſus ſit aduerſarius ille, aduerſus ſanctos Iſraelitas, res ipſa docet. Nullum enim genus tormentorum prætermittitur, quo in cœleſtem Abrahami ſobolem non ſeuiatur. Sed dum tanta rabie graſſatur beſtia illa, quid ei tandem accidet? Sequitur:

Erunt quaſi non ſint.) Qui in nihilum redigere Dei filios ſtudent, ipſi in nihilum, qui ex nihilo ſint, & nihilum, hoc eſt peccatum & deos uanos ſequantur, redacti peri-

cti perſbunt: non perituris filijs Dei, qui non ex nihilo ſint, ſed ex Deo. de quo illud: Ex Deo nati ſunt. Quò ſpectat per cõtentionẽ locus conſolatorius. Ioan.1.

Quæres eos.) Periphraſis exitij & interitus.

Quia ego Deus tuus.) Conſolatur à loco uoluntatis, cum facultate coniuncto.

Apprehendẽs manũ tuam.) Hęc ἀλοστοσία ſummã Dei curã in ſuos Iſraelitas declarat.

Dicens tibi.) interpellatore ſpiritu Meſsiæ.

Vermis Iacob.) ſic habitus in Babylonio, & hoc ultimo quartæ beſtiæ exilio: & Apocal.19. in uniuerſum Eccleſia electorum in exilio ſpiritualis Babylonis uermis habetur. Quid contemptius uermibus in terra prorepentibus? quos cernas pedib. proculcari. Talis eſt ſtatus Eccleſiæ, regnante filio perdito, hoſte Meſsiæ & ſanctorum eius. Qui Meſsias ut etiam uermis appellatus ſit, quum in crucis ſtatu uerſaretur, indicat ipſe apud Dauidem prophetã: Ego ſum uermis, & non homo. Pſal.21. At ut is uermis glorioſus leo factus eſt, de quo illud, Vicit leo de tribu Iuda: ita eius membra leonum uictricem fortitudinem, poſita uermium contempta ſpecie induent, de qua fortitudine mox loquetur. Apocalyp.5.

Qui mortui eſtis ex Iſrael.) In uoce מתי infirmũ quiddã, & puſillum notatur. Huc uidetur Dominus ſpectaſſe, ubi his uerbis ſuos conſolatur: Noli timere puſille grex. Vel hac uoce notantur Iſraelitæ, hoc eſt electi morti obnoxij, hos per tyrannos dracone perſequente, de quib. in Pſal. Propter te trucidamur tota die.

Et redemptor tuus.) Meſsias.

Sanctus Iſrael.) ipſe natura ſanctus, & ſponſam ſuam Eccleſiam per gratiam adoptionis ſpiritu ſanguinis ſanctificans.

Ego.) in fœmore meo ſcriptũ habens: Rex regũ, & Dominus dominantium.

Poſui te.) regij ſacerdotij ſpiritu uictore omnium ornatam.

Quaſi plauſtrum triturans.) quæ antea triturata uario calamitatũ genere à tyrannis orbis terrarum fuiſti. Præceſsit, Noli timere uermis Iacob. hîc ſequitur Ego efficiam ex te traham et tribulam nouã dentatam. מגר trahere & detrahere eſt, ſemel lectum in Pſalmis. unde ארמ tranſpoſitis literis ducitur, traham ſignificãs. Pſal.89. Hæ ſunt uices crucis & gloriæ, deiectionis & amplificationis, quas Dei bonitas in electis ſuis temperat. Eccleſia quidẽ in mundo, ab ijs qui ex mũdo ſunt, premitur, ſed non opprimitur: uarijs cladib. oppugnatur, ſed non expugnatur. Contrà accidit illius hoſtib. qui prementes opprimentur, ita ut in nihilum redacti pereant: qui oppugnantes ſanctos Iacobæos uarijs machinis, ipſi expugnabuntur, breui eorum gaudio quod capiunt ex piorum afflictionib. conuertendo in æternũ luctum, ut in Iobi libro admonetur: Exultatio impiorũ breuis eſt, Iob.20. & gaudium hypocritarũ momentaneum. Similitudinẽ ut hic diuinus ſpiritus à traha & tribula dẽtata mutuat, ita Dauid in ſceptro ferreo, quo hoſtes Eccleſię ſint à ſancto Iſraelis regẽdi: Et reget eos uirga ferrea. Quam poteſtatẽ ut ſancti Pſal.2. etiam habeant, indicat hic Ieſaias, & poſt eum Ioann. in Apoc. Qui uicerit, da- Apoc.2. bo ei poteſtatem in gẽtes, & reget eas uirga ferrea. Quod ſceptrũ ferreum, ſpiritus Euangelij, ſceptrum erit: quod amabile pijs ſceptrum eſt, & ſalutare, durum & pernicioſum impijs. de quo ſuprà: Spiritu oris ſui interficiet impium. Quam poteſtatem Meſsiæ & ſanctorum eius figuratè ad conſolandam Eccleſiam uates hic explicat, ſub figura plauſtri & tribulæ.

Triturabit montes.) Si myſtica ſpectes, excelſus mõs regnum Babel per Cyrum uaſtatorem ad liberandos Iudęos occurrit: ſin res adũbratas, occurrit ſublimis mons regnum Antichriſti, triturandum & comminuendum per Chriſtum, ad redimendos electos qui captiui in ſpirituali Babylone detinentur. Qui hunc montem non humanis armis, ſed diuinis & ſpiritualibus deijcient. De quibus Dominus: Dabo uobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere. Hæc ſapientia continet ſpiritum orationis, quo electi filij Dei freti triturabunt montes: hoc eſt, potentes hoſtes ſuos conterent, dum hoc interpellatore omni genere

genere afflictionum & cladium bellis, fame, peſte, terræmotibus, & ſpiritu oris ſui Meſsias aduerſarij regnum potentiſsimum in orbe terrarum euertet. Di uinus ſpiritus ſcita figura loquendi colorat conſolationem, in qua ſancti trahæ & tribulæ, tyranni montibus & collibus in paleam & puluerem comminutis, quos Iſraele uentilante uentus diuini furoris auferat, comparantur. Quid quæſo hac conſolatione ſuauius & dulcius, his præſertim nouiſsimis temporibus, afflictæ Eccleſiæ accidere poteſt?

Matth. 5. *Et tu exultabis.*) quæ luxeras: illi lugebũt, qui exultarunt. Vt ſtet illud: Beati lugentes, quoniam conſolationem accipient. Vt contrà infelices ſunt, gaudentes & exultãtes in miſeria electorũ: quoniam ſpoliati omni cõſolatione, lugebunt. 10

In Domino.) non in mundo, & in ijs quæ mundus, hoc eſt improbi ſuſpiciunt & admirantur.

Egeni & pauperes.) agnoſcentes ſe opibus diuinæ ſapientiæ, iuſticiæ & uitæ egere: humanam ſapientiam, iuſticiam, & huius ſeculi uitam pertæſi. Atq; hi uocantur à Meſsia pauperes ſpiritu: Beati pauperes ſpiritu.

Quærunt aquas.) diuinæ ſapientiæ & iuſticiæ aquas, quas Euangelium fundit de uentre IESV CHRISTI, & earum fontem ad tempus aduerſarius obtu-
3. rauit, ciſternis humanarum doctrinarum, de quibus Ieremias meminit, foſsis.

Et non ſunt.) per aduerſarium interceptæ.

Amos 8. *Lingua eorum ſiti aruit.*) ſiti, de qua Amos propheta: Ecce dies uenient, & mit- 20
tam famem in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi uerbum Domini. Hanc ſitim hic deſcribit uates Ieſaias. Qua ut hodie incipiant electi Dei in Italia, Hiſpania, Gallia, Anglia, Polonia & Germania affici in hac inſtauratione Eccleſiæ per Euangelium Meſsiæ, ſatis liquidũ eſt: hac ſiti & fame peruaſura totum terrarum orbem. De qua, & aqua Euangelij illam ſedatura, loan-
Apocal. 21. nes in ſua Apocalypſi: Ego ſitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis.

Exod. 34. *Ego Dominus.*) Hunc titulũ habẽs: Dominus Deus tuus, clemẽs & miſericors.

Exaudiam eos.) Qui hanc bonitatis laudem mihi uindicem, quam ſeruus meus
Pſal. 9. Dauid celebrat: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. Suprà: Inopes & pauperes quærent aquas. hic uerò: Exaudiam eos. 30

Ego Deus Iſrael.) Nemo alius, neue in cœlo, neue in terra: non Antichriſtus, qui ſe efferens ſupra omne id quod eſt numen Dei, ſe in loco ſancto ſedẽs pro Deo Iſraelis, hoc eſt Eccleſiæ adorandum oſtentat.

Non derelinquam illos.) reiectionis & profanationis temporibus impletis.

Aperiam.) per claram Euangelij prędicationem.

Flumina.) ſacri ſpiritus Meſsiæ, de quibus illud: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Quæ regenerantes in nouum hominem, & ſitim regeneratorum ſedantes aquæ ſunt.

Ioan. 4. *Fontes.*) De quibus Dominus: Aqua quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquę ſalientis in uitam æternam. 40

Ponam deſertum.) Figuratè ſignificatur deſertum, in quod mulier Eccleſia, ut filius eius IESVS CHRISTVS ad thronum Dei patris raptus fuiſſet, fugit: in quo tẽpus, tempora, & dimidium tẽporis, hoc eſt dies mille ducẽtos & ſexagin ta cõſumeret. In hac ſolitudine, quàm parat draco per Antichriſtum, fontem aquarum uiuentium aperiendum eſſe. De quibus etiam ſuprà uates noſter meminit: Et bibent aquas de fontibus ſaluatoris.

Dabo in ſolitudine cedrum.) Commemorat arbores partim aduerſus putredinem tutas, partim odoriferas: quarum mentione figuratè ſignificat, Eccleſiam adbonum & firmum ſtatum in Chriſto inſtauratum iri.

Quia manus Domini fecit hoc.) tam illuſtrem ex regno aduerſarij redemptionem. 50

Propè facite iudicium ueſtrum.) Declarata potentia ſua, ad inſtitutã diſceptationẽ redit. In qua ut uanorũ deorum cultores pro dijs ſuis cauſſam dicant hortatur,

& firma

& firma si quæ fortè habeant, afferant. Non caret scommate uox עצמותכם.

Accedant & nuncient.) idola, dij uestri.

Quæcunq; euentura sunt.) Vt ego res futuras præsignifico, qui primus & nouissimus sum, uocans generationes ab exordio. Qua præscientia rerum futurarum dij uestri carent.

Et sciemus quia dij estis uos.) præteritorum & futurorum noticiam habentes. Quæ noticia diuinitatis propria est, & eorũ qui diuinitatis spiritu afflati eam habẽt.

Benè quoq; & malè si potestis facite.) Quemadmodum ego benefacio meis Israelitis, quos tueor: & eorum hostibus malè, sicut præcesit: Pudore & ignominia afficientur omnes in te ira succensi, redacti in nihilum peribunt.

Aut malè.) hostibus illorum qui uos colunt. Quod tantum abest ut possitis facere, ut etiam ipsi pereatis: ueluti dij Aegyptiorum, Chananæorum & Babyloniorum suam ruinam experti sunt, & hodie nostra Babylon experiri incipit. In hac disceptatione ostenditur, numinis diuini esse, benefacere & benemereri de suis cultorib. & eorum hostibus declarare, quid illud sit quod legitur apud Zachariam: Qui uos tetigerit, pupillam oculi mei tetigerit. *Zach.2.*

Ecce uos estis pro nihilo.) Apostolus Paulus huc respiciens, idolorum uanitatem indicans ait, οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ. Si uerè iudices, idolum est qui[illegible]quid præter Deum Israel adoratur, in eo fide & spe collocata: ut sunt opes, potentia, & sapientia humana, diui, sidera, angeli. Hęc & eorũ opera nihil esse, & ad iuuandũ uana: unũ uerò Deum, Domini nostri IESV CHRISTI patrẽ, in Christo, & per Christũ, colẽdum & adorãdum. Quòd si diui & angeli salutaria opera faciunt, hęc non ipsorũ, sed Dei esse credimus. Et si dij multi in cœlo & in terra, & domini multi: nobis tamen unus est Deus, qui est pater ille ex quo omnia, & nos in illũ: & unus Dominus IESVS CHRISTVS, per quẽ omnia, & nos per illum. *1.Corinth.8.*

Et opus uestrum ex eo quod non est.) Sic quoq; ferè interpretes, אפס pro אפע. Sunt quibus sibilus est: Idola minus esse quàm sibilum. ut sit decisa uox à מעה, quod est sibilare. Sunt præterea quibus אפע serpens est: opera uanorum deorum esse opera serpentis. ut enim serpentes ueneno perimunt eos quibus adhæserint, ita deorum alienorum cultum pernicioſum esse. Atq; ita rectè significari, idololatriam opus serpentis ueteris esse, qui Satan est, omnis falsæ religionis ab origine mundi inuentor & autor.

Abominatio est qui elegit uos.) Horribilis in idolorum cultores sentẽtia editur: Detestabiles eos esse. Detestabilis igitur aduersarius Christi, detestabiles pseudoprophetæ, detestabiles tyrãni bestiæ pedes osculantes, qui studio idololatriam probant & sequuntur: uero Dei patris in uno & per unum arbitrũ salutis IESVM CHRISTVM cultu, qui spiritu & ueritate perficitur, contempto.

Suscitabo ab Aquilone.) De Cyro, legimus: Dicit Cyro, pastor meus, & omnẽ uoluntatẽ meam perficiet. Pergit Dominus duo de se prædicare: futurorũ prænotionem, & uim ea perficiendi. utrisq; carere deos alienos. Dicit enim: Excitabo ab aquilone, & ueniet ab ortu solis. Oraculũ uobis propono de uẽturo Cyro, & ui mea excitato uẽturo. Quod oraculũ ut Babyloniis & eorũ diis funestũ & exitiale proponit, quò eos magis confundat & perturbet. Referamus hæc, excusso typo, & figura rerũ futurarũ, ad hæc postrema dissipationis spiritualis Babylonis & eius deorũ tẽpora: in quib. cũ maxima ignominia fœdæ bestiæ, audiet hęc uox: Cecidit Babylõ cũ diis suis. De quorũ casu suprà his uerbis noster uates p̃dixit: In die illa, pĳcient homines idola argẽtea et aurea sua quę fecerũt.

Et uocauit nomen meum.) Inuocantem Cyrum nomen Dei Israel, principes Babylonis non secus proculcaturum, atq; figulus lutum proculcat. De Christo per Cyrum præfigurato sic canit Dauid: Conteres eos uirga ferrea, & tanquã uas figuli confringes. Vt autem Cyrus nomen Domini agnouerit, ex Esdra patet, ex quo locus suprà hac de re citatus est. *Psal.2.*

Quasi lutum.) Luto comparat principes & primates Babylonis, ut qui ex luto ficti, terreni, non cœlestes & ex Deo nati homines essent: ut ipsa Babylon spiritualis bestia ex terra orta describitur à Ioanne in Apocalypsi, quę terram, non cœlum, carnem, non spiritum sapit. Quare & hanc tãquam lutum Messias cœlestis Cyrus proculcaturus est, in terrę limum ea redacta, quę temerè in cœlum supra Deum se extollere est ausa.

Quis.) deorum alienorum.

Annunciauit ab exordio.) res futuras, priusquam euenirent, ut ego prænuncio. Repetit argumentum, ab oraculari præscientia, & prænotione rerum futurarum sumptum.

Vt sciamus.) ut ex ipsis cognoscamus res euenturas: quæ prædicendi facultas si eis inest, ea diuinitatem in ipsis esse declarabit. sicut suprà legimus: Et intelligemus Deos esse uos: & ueros esse uates, per quos illi futura enũciant: ut Deus Israelitarum futura per Danielẽ Nabuchodonosori, & Balthasari prænũcians, uerus Deus declaratus est, & Daniel uerus propheta: sapientes autem Babyloniorum falsi uates, & eorum dij uani & falsi dij. Dicat aliquis, multa per idola & eorum uates & dæmones prædicta fuisse: ut Delphica, Delia & Claria oracula documento sunt. Fatemur ita esse: sed quales illæ fuerunt prædictiones? ueræne an falsæ? Falsæ fuerunt, ut quæ aut dubiæ essent, quas in utranq; partẽ auditor interpretaretur, ut est illud ad Pyrrhum regem Epirotarum editum oraculum, Aio te Aeacida Romanos uincere posse. aut quæ ueri speciem præ se rentia, mendacio non carerent. præterea, si quæ mendaces uates deorum alienorum cultores uera prędixerunt, ea instincti à Deo Israelitarum prędixerunt (ut Deus per Bileamum & dæmonem à Saulo Samuelis specie euocatum uera prædixit) qui si per falsos prophetas uera prædicit, laus ea illorum & uanorum deorum, quos colunt, non fuerit: sed Dei, quem sancti Israelitæ adorant in filio Messia benedicto. Demum si quæ mala dæmones idolis assidentes inferant, ea non de sua potestate, sed Dei inferũt: ut ex Iobo patet, & ex illa deprecatione qua dæmones in Euangelio deprecantur Deum, ut faciat sibi potestatem in porcorũ gregẽ ingrediendi. Quare Deus pater Dominus noster IESVS CHRISTVS, uerè & solus futurorum præscientiam, eiusq; perficiendæ uim, & benè de pijs & malè de impijs in filio & per filium merendi facultatem sibi uendicat.

Non est.) ex dijs uestris.

Neq; annuncians.) qui os habentes, non loquantur.

Neq; audiens sermones uestros.) qui aures habentes, nihil audiant.

Primus ad Sion.) Dominum primum esse, qui quæ instent, Sioni denunciet, & qui lætum nuncium illi afferat. contrà ex dijs uanis & eorum cultoribus nemi nem animaduerti, qui uel bonum consilium det, uel interroganti quicquam respondeat. ut sequitur:

Ecce omnes inusti.) hoc est, per prauam cupiditatem ficti & excogitati. Nota enim est uox אין, deducta à concupiscendi uerbo, quæ propriè uitiosam illã concupiscentiam & cupiditatem aduersam legi diuinæ denotat. Epiphonemate concludit uanitatem deorum alienorum.

Ventus.) Figuratè, pro re uana. Sic apud Oseam, Ephraim uentos pascere dicitur: pro, in uanis laborare.

IN CAP. QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Ecce seruus meus.) Pro more propheta rem adumbratam adhibita luce illuminat. Præmiserat mysticum, de populo diuino Babylone per Cyrum regem Persarum redimendo, oraculũ. Iam de CHRISTO IESV per Cyrum præfigurato, claram prophetiam subiungit, qui suos electos ex spirituali Babylone, hoc est ex regno draconis & Anti-

christi

christi sit liberaturus. de qua prophetia, & munere quo fungitur, inter interpretandum monebimus. Atq; ut hic cum mentione regis Persarum, qui Babylonem euertit, & Iudæis instaurandi templum potestatem fecit, de Christo cœlestis templi instauratore oraculum coniungitur: ita in Sibyllinis uaticinijs Persarum mētio fit, ubi prophetia de Christo reparaturo spirituale tēplum texitur:

καὶ τότε δὴ θεὸς οὐρανόθεν πέμψει βασιλῆα,
κρινεῖ δ' ἄνδρα ἕκαστον ἐν αἵματι καὶ πυρὸς αὐγῇ.
Εσι δὲ τις φυλὴ βασιλήιος, ἧς γένος ἔσαι
Απῆσιον, καὶ τοῦτο χρόνοις περιτελομένοισι
Αρξῇ, καὶ καινὸν σηκὸν θεῷ ἄρξετ' ἐγείρῃ.
καὶ πάντες Περσῶν βασιλεῖς ἐπικρήσουσι,
χρυσόν τε, χαλκόν τε πολυκμήτου τε σίδηρον
αὐτὸς γὰρ δώσει θεὸς ἔννυχον ἀγνὸν ὄνειρον.
καὶ τότε δὴ ναὸς πάλιν ἔσεται, ὡς πάρος ἦπερ.

Cæterùm Messiam seruum suum uocat, propter redemptionis ministerium, quod erat obiturus nomine patris: in quo quoniam talem se gessit, qualis capite 53. & ab ipso Apostolo ex prophetarū sententia describitur, legimus hic, Ecce seruus meus. Sic aūt ab Apostolo Messiæ seruilis conditio, quam in crucis statu gessit, exponitur: Qui cū esset in forma Dei, nō rapinā arbitratus est, ut esset æqualis Deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominū cōstitutus, & figura repertus ut homo, humilē præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortē. Dicit, Cū esset in forma Dei. Nā cū filius Dei unigena esset, & in eo diuinitas corporatè, hoc est uerè & natura habitaret, nō rapinæ habuit suam cū Deo æqualitatē: hoc est, nō cogitauit ut eam ad tyrānidem & sæuitiem cōuerteret: sed demisse se gerere statuit, serui forma sumpta: in qua maledictum & peccatum factus, nos à peccati & mortis maledictione liberatos, benedictioni iusticię & uitę restitueret. Hoc munere cum fungeretur Messias ad redemptionis opus perficiendum, serui Dei patris nomen tenuit.

Suscipiam eum.) Hebræus habet אתמך, hoc est, cui innitar, aut sustinebo in eo. Chaldæus, Cui adero. Cōmendatur à patre fides filij Messiæ, qua subnixus, electos suos sit seruaturus. quæ obedientiæ fides infrà capite 53 exponitur. Vnde à Ioanne is super equū albū sedēs, in Apocal. uocatur fidelis, quo duce & imperatore pater Babylonē regnū Antichristi destruit, & tēplum suum electorū Ecclesiam instaurat. Paraphrastes Chaldæus quoq; de Messia interpretatur hoc oraculum his uerbis, האעבדי משיחא אקרבניה Ecce seruus meus Messias, cui adero. Quam interpretationem sequentia comprobant, ex quibus ab Euangelistis testimonia citantur. *Apocal. 6.*

Electus meus.) præ cæteris tum angelis, tum hominib. quem oleum diuinitatis spiritus sanctus sine modo & mēsura ungeret ad regiam & sacerdotalē dignitatē. Deinde electus, ex quo tanq; ex capite in Ecclesiā corpus eius, iusticia & uita manaret. Hæc est electio Messiæ, patri dilecti filij, de qua dilectione sequitur:

Complacuit in illo anima mea.) Hoc testimonium de Christo, ut placeat Deo patri, ab Euangelista adducitur: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacitum est. hoc est, qui mihi placet, quem beneuolētia & fauore prosequor. Sentētia eadē est prophetæ & Euangelistæ, apud quem uis uerbi רצתה exprimitur Græco uerbo εὐδόκησε. Neq; uerò una caussa est, cur pater Messiæ filio tantopere faueat: qui unigēna filius sit, qui primogenitus uniuersę creaturę sit, qui uiuum uerbum & exēplar rerum conditarum sit, quod Deus intuitus omnia sapienter creauit, et creata administrat: qui is sit, cuius sacrosancto sanguine pater cuncta in cœlo & in terra sibi recōciliet & pacificet, & in quo & per quem electorum Ecclesiam sacro amoris spiritu sibi intimè coniungat. Quare sequitur: *Matth. 3.*

Dedi spiritum meum.) Similiter suprà: Requiescet super eum spiritus Domini. &

Quasi lutum.)Luto comparat principes & primates Babylonis, ut qui ex luto ficti, terreni, non cœlestes & ex Deo nati homines essent: ut ipsa Babylon spiritualis bestia ex terra orta describitur à Ioanne in Apocalypsi, quę terram, non cœlum, carnem, non spiritum sapit. Quare & hanc tāquam lutum Messias cœlestis Cyrus proculcaturus est, in terrę limum ea redacta, quę temerè in cœlum supra Deum se extollere est ausa.

Quis.)deorum alienorum.

Annunciauit ab exordio.)res futuras, priusquam euenirent, ut ego prænuncio. Repetit argumentum, ab oraculari præscientia, & prænotione rerum futurarum sumptum.

Vt sciamus.)ut ex ipsis cognoscamus res euenturas: quæ prædicendi facultas si eis inest, ea diuinitatem in ipsis esse declarabit. sicut suprà legimus: Et intelligemus Deos esse uos: & ueros esse uates, per quos illi futura enūciant: ut Deus Israelitarum futura per Danielē Nabuchodonosori, & Balthasari prænūcians, uerus Deus declaratus est, & Daniel uerus propheta: sapientes autem Babyloniorum falsi uates, & eorum dij uani & falsi dij. Dicat aliquis, multa per idola & eorum uates & dæmones prædicta fuisse: ut Delphica, Delia & Claria oracula documento sunt. Fatemur ita esse: sed quales illæ fuerunt prædictiones? ueræne an falsæ? Falsæ fuerunt, ut quæ aut dubiæ essent, quas in utranq; partē auditor interpretaretur, ut est illud ad Pyrrhum regem Epirotarum editum oraculum, Aio te Aeacida Romanos uincere posse. aut quæ ueri speciem præ se rentia, mendacio non carerent. præterea, si quæ mendaces uates deorum alienorum cultores uera prędixerunt, ea instincti à Deo Israelitarum prędixerunt: (ut Deus per Bileamum & dæmonem à Saulo Samuelis specie euocatum uera prædixit) qui si per falsos prophetas uera prædicit, laus ea illorum & uanorum deorum, quos colunt, non fuerit: sed Dei, quem sancti Israelitæ adorant in filio Messia benedicto. Demum si quæ mala dæmones idolis assidentes inferant, ea non de sua potestate, sed Dei inferūt: ut ex Iobo patet, & ex illa deprecatione qua dæmones in Euangelio deprecantur Deum, ut faciat sibi potestatem in porcorū gregē ingrediendi. Quare Deus pater Dom ini nostri IESV CHRISTI, uere & solus futurorum præscientiam, eiusq; perficiendæ uim, & benè de pijs & malè de impijs in filio & per filium merendi facultatem sibi uendicat.

Non est.)ex dijs uestris.

Neq; annuncians.)qui os habentes, non loquantur.

Neq; audiens sermones uestros.)qui aures habentes, nihil audiant.

Primus ad Sion.)Dominum primum esse, qui quæ instent, Sioni denunciet, & qui lætum nuncium illi afferat. contrà ex dijs uanis & eorum cultoribus nemi nem animaduerti, qui uel bonum consilium det, uel interroganti quicquam respondeat. ut sequitur:

Ecce omnes iniusti.)hoc est, per prauam cupiditatem ficti & excogitati. Nota enim est uox אין, deducta à concupiscendi uerbo, quæ propriè uitiosam illā concupiscentiam & cupiditatem aduersam legi diuinæ denotat. Epiphonemate concludit uanitatem deorum alienorum.

Ventus.) Figuratè, pro re uana. Sic apud Oseam, Ephraim uentos pascere dicitur: pro, in uanis laborare.

IN CAP. QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

ECce *seruus meus.*) Pro more propheta rem adumbratam adhibita luce illuminat. Præmiserat mysticum, de populo diuino Babylone per Cyrum regem Persarum redimendo, oraculū. Iam de CHRISTO IESV per Cyrum præfigurato, claram prophetiam subiungit, qui suos electos ex spirituali Babylone, hoc est ex regno draconis & Antichristi

christi sit liberaturus. de qua prophetia, & munere q ro fungitur, inter interpretandum monebimus. Atq; ut hic cum mentione regis Persarum, qui Babylonem euertit, & Iudæis instaurandi templum potestatem fecit, de Christo cœlestis templi instauratore oraculum coniungitur: ita in Sibyllinis uaticinijs Persarum mētio fit, ubi prophetia de Christo reparaturo spirituale tēplum texitur:

καὶ τότε δὴ θεὸς ἐρανόθεν πέμψει βασιλῆα,
κρινεῖ δ' ἄνδρα ἕκαστον ἐμ αἵματι καὶ πυρὸς αὐγῇ.
Εσι δὲ τις φυλὴ βασιλῆος, ἧς γένος ἔσαι
Απσαιον, καὶ τοῦτο χρόνοις περιτελλομένοισι
Αρξῃ, καὶ πανόμ σηκον θεῦ ἄρξετ' ἐγείρῃ.
καὶ πάντες Περσῶν βασιλῆες ἐπικρήσουσι,
χρυσόντε, χαλκόντε πολυκμητόντε σίδηρον
αὐτὸς γὰρ δώσει θεὸς ἔννυχον ἀγνὸν ὄνειρον.
καὶ τότε δὴ ναὸς πάλιν ἔσσεται, ὡς πάρος ἦπερ.

Cæterùm Messiam seruum suum uocat, propter redemptionis ministerium, quod erat obiturus nomine patris: in quo quoniam talem se gessit, qualis capite 53. & ab ipso Apostolo ex prophetarū sententia describitur, legimus hic, Ecce seruus meus. Sic aūt ab Apostolo Messiæ seruilis conditio, quam in crucis statu gessit, exponitur: Qui cū esset in forma Dei, nō rapinā arbitratus est, ut esset æqualis Deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominū cōstitutus, & figura repertus ut homo, humilē præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortē. Dicit, Cū esset in forma Dei. Nā cū filius Dei unigena esset, & in eo diuinitas corporatē, hoc est uerē & natura habitaret, nō rapinæ habuit suam cū Deo æqualitatē: hoc est, nō cogitauit ut eam ad tyrānidem & sæuitiem cōuerteret: sed demisse se gerere statuit, serui forma sumpta: in qua maledictum & peccatum factus, nos à peccati & mortis maledictione liberatos, benedictioni iusticię & uitę restitueret. Hoc munere cum fungeretur Messias ad redemptionis opus perficiendum, serui Dei patris nomen tenuit.

Suscipiam eum.) Hebræus habet אתמך, hoc est, cui innitar, aut sustinebo in eo. Chaldæus, Cui adero. Cōmendatur à patre fides filij Messiæ, qua subnixus, electos suos sit seruaturus. quæ obedientiæ fides infrà capite 53 exponitur. Vnde à Ioanne is super equū albū sedēs, in Apocal. uocatur fidelis, quo duce & imperatore pater Babylonē regnū Antichristi destruit, & tēplum suum electorū Ecclesiam instaurat. Paraphrastes Chaldæus quoq; de Messia interpretatur hoc oraculum his uerbis, האעבד משיחא אקרבניה Ecce seruus meus Messias, cui adero. Quam interpretationem sequentia comprobant, ex quibus ab Euangelistis testimonia citantur. *Apocal. 6.*

Electus meus.) præ cæteris tum angelis, tum hominib. quem oleum diuinitatis spiritus sanctus sine modo & mēsura ungeret ad regiam & sacerdotalē dignitatē. Deinde electus, ex quo tanq; ex capite in Ecclesiā corpus eius, iusticia & uita manaret. Hæc est electio Messiæ, patri dilecti filij, de qua dilectione sequitur:

Complacuit in illo anima mea.) Hoc testimonium de Christo, ut placeat Deo patri, ab Euangelista adducitur: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacitum est. hoc est, qui mihi placet, quem beneuolētia & fauore prosequor. Sentētia eadē est prophetæ & Euangelistæ, apud quem uis uerbi רצתה exprimitur Græco uerbo εὐδόκησε. Neq; uerò una causa est, cur pater Messiæ filio tantopere faueat: qui unigēna filius sit, qui primogenitus uniuersę creaturę sit, qui uiuum uerbum & exēplar rerum conditarum sit, quod Deus intuitus omnia sapienter creauit, et creata administrat: qui is sit, cuius sacrosancto sanguine pater cuncta in cœlo & in terra sibi recōciliet & pacificet, & in quo & per quem electorum Ecclesiam sacro amoris spiritu sibi intimè coniungat. Quare sequitur: *Matth. 3.*

Dedi spiritum meum.) Similiter suprà: Requiescet super eum spiritus Domini. &

Psal.44. infrà: Spiritus Domini ſuper me, eo quòd unxerit me. & Dauid: Vnxit eum præ conſortibus. Sed unde habet hunc ſpiritum? Ex cõceptu in uirgine habet. ſic enim ſuprà ſcriptum eſt: Ecce uirgo concipiet. Sed ex quo concepit? Non ex ſemine primi Adami, ſed è ſpiritu ſancto. Sic enim angelus ad Mariam locutus eſt: Nam quod in illa concœptum eſt, à ſpiritu ſancto profectum eſt. Item in Symbolo: Cõcœptus è ſpiritu ſancto, & natus ex Maria uirgine. Itaq; cum hic legimus, Meum ſpiritum dedi ei, aliter intelligimus datum ſpiritum Meſsiæ, aliter eum dari eius membris. His enim donatur ſpiritus per gratiam adoptionis: IESVS uerò natura eum habet, nimirum è concœptu. is item è patre habet ſpiritum ſanctum ſine mẽſura: illi à patre per Chriſtum, & de Chriſto, ad modum donationis illius. Hi enim ut mebra eum habent, ille ut caput. Vnde illud: Nos Chriſti, Chriſtus uerò Dei. Chriſtus inquã Dei, à quo ſpiritu citra modum unctus ſit: nos uerò Chriſti, per quem eodem ſpiritu ungimur, ſed per Chriſtum, ad certum modum & menſuram. Quare ſequitur:

Matth.1. Ioan.3. 1.Corint.3.

Iudicium gentibus proferet.) Regij ſacerdotij ſpiritu unctus, ius Euangelij gentibus patefaciet, quod ſequentibus uerbis explicabitur. Meminerat ſpiritus, iam muneris eius mẽtionem facit. in quo ſpiritu quoniam neue ſexus, neue ætatis, neue gentis, neue conditionis uitæ, ſed nouæ naturæ habetur ratio, quàm latè pateat ſalus per Meſsiam, hic indicatur: eam ad gentes, diruta macerie ueteris fœderis, quæ Iſraelitas à gentibus ſepararat, pertingere.

Non clamabit.) Lenis Euangelij uox notatur: Regis Meſsiæ orationem placidam, plenamq; beneuolentiæ & gratiæ eſſe: non qualis Moſea uox, in monte Sina detonãs, fuit: nõ qualis beſtiæ, cui draco os ſuum dat, ſæuus & crudelis ſermo eſt, gladios, laqueos & ignẽ ſonãs. De hoc placido & mãſueto rege Meſsia Zach. his uerbis uaticinatus eſt: Ecce rex tuus ueniet tibi mitis & manſuetus.

Zach.9.

Calamum quaſſatum.) Explicatur clementia & manſuetudo Meſsiæ, qui uenerit in hunc mundum, ad ſalutem ijs dandam, qui per culpam primi Adami perierant. ueluti de ſe ſic prædicat: Filius hominis uenit ut ſeruet quod perierat, & in eis igniculos diuinæ lucis per electionis gratiam, non natura inſitos, ſuſcitet, non extinguat. Calamus igitur quaſſatus, & linum obſcurum ſunt, quorum pectora conſcientia peccati miſerè ſunt perculſa: in quibus uix tenuis fidei ſcintilla emicat. Tales humiles, fracti & pauperes ſpiritu ſunt. Quò reſpiciens Paraphraſtes Chaldæus, figuratum ſermonẽ ſic explicat: Humiles, qui ſunt ſicut calamus fractus, non confringet: & pauperes, qui ſunt inſtar lini obſcuri, nõ extinguet. Talis calamus quaſſatus, latro in cruce pendens fuit, quẽ non frangẽs Meſsias, his uerbis conſolatus eſt: Hodie mecum eris in paradiſo. Tale linum obſcurũ ac ellychnium langueſcens fuit publicanus ille, qui pectus ſuum percutiens precatus eſt: Deus propitius eſto mihi peccatori. Hoc linum non extinguens Chriſtus, ſic de eo pronunciauit: Dico uobis, deſcendit hic iuſtificatus, magis quàm ille. Hanc igitur arundinem quaſſatam, & hoc linũ obſcurum his uerbis exponit: Nõ ueni propter iuſtos, ſed propter peccatores, ut eos uocem ad pœnitẽtiam. Talis ſeruus Dei Moſes non fuit, cuius adminiſtratio iræ, non gratiæ, mortis, nõ uitæ, exitij, nõ ſalutis fuit adminiſtratio. Qui ellychnium langueſcens extinguens, & arundinem fractam cõterens, hanc horribilem & pernicioſam ſentẽtiam edit: Maledictus omnis qui non manſerit in omnib. uerbis legis huius. Contrà Meſsias, ab hac maledictione ſtuppam ſuam fumantem, & calamum quaſſatũ liberans, dicit: Benedictus qui in me crediderit. Is mulierem illam miſerè affectam, hac blanda uoce appellauit: Vade, Fides tua te ſaluam fecit. quam Moſes miniſter legis ſua terribili uoce condemnauerat. Locus is ualde cõſolatorius eſt, ex quo infirmi & imbecilles in magnis afflictionib. diſcũt, quãlibet exiguas & ſubgliſcẽtes fidei ſcintillas in miſerè quaſſatis & fractis nunq; extinctũ iri, ſed tandẽ in ignẽ ſplendentẽ exarſuras, ſuperata omni tentatione

Galat.3. Luce 18.

Luce 23. Luce 18. Luce 5.

tione Satanis. Nam hi diuinæ lucis igniculi de luce Meſsia in pectora filiorum includuntur, qui potentiores peccato, morte & inferno, mundo & principe mũdi Satana ſunt. iuſticiæ enim & uitæ Chriſti igniculi ſunt, qui tã extingui nõ poſſunt, quàm Chriſtus ipſe.

In ueritate educet iudicium.) fideliter per Euangelij ſpiritum redempturus electos ſuos, & impios euerſurus. De quo ſpiritu legimus: Arguet mundum de peccato, iudicio & iuſticia. & de piorum uindicatione in libertatem cœleſtis regni noſter propheta ſuprà, Et iudicabit pauperes: hoc eſt, eos redimet & ſeruabit.

Non erit triſtis, neq; turbulentus.) Præceſſerat: Linum obſcurum, hoc eſt ferè extinctum ellychnium non extinguet: & calamum quaſſatũ nõ perfringet. Hic uerò ſequitur, neq; hunc Meſsiam obſcuratum & fractum iri, ſed per crucis obſcuritatem & afflictionum quaſſationem, ad claritatem & ſtabilitatem regni ſui cœleſtis peruenturũ, in cuius ſolio tantiſper ſeſſurus ſit rex & Dominus omnium, dum per cœleſtis & æterni Euangelij ſui legem iudicium ſuum perficiat: quãlibet impij cogitent eum obſcuratum & fractum, tanto tempore aduerſario permiſſo ſuæ libidini, per quam in orbe terrarum omnia uaſtat. Græci pro negatione, Obſcurus non erit: affirmationem ponunt, ἀναλάμψει, ſplẽdebit: ſplẽdore Euangelij ſui in orbe terrarum, ad pellendas tenebras errorum filij perditi, undequaq; fuſo. ut ſequitur:

Et legem eius.) Euangelium, quod ut cœpit tẽpore Apoſtolorum in terra promulgari, & interiectis temporib. per aduerſarium ſedentem in templo Dei obſcuratũ eſt: ita his poſtremis temporib. illius ſplendor reſtitutus, omnia illuſtrabit, occaſione ſumpta per patefactionem Antichriſti: ut ſolet lux per tenebras, uita per mortem, ueritas per mendacia ſeſe oſtendere & declarare. Vnde fit, ut clariſsima Euangelij & myſteriorum Moſæ & prophetarũ manifeſtatio in hęc poſtrema tẽpora à diuina ſapientia reiecta ſit: & hi dies, quorum iam initia habemus, patefactionis filij hominis, qui Meſsias eſt, dies appellentur.

Creans cœlos.) Confirmatur ſpes perficiendi opus redemptionis per Meſsiam, à facultate: qui ut uelit, ita etiam poſsit illud perficere. Hac conſolatione hodie ut opus habeant, qui Antichriſti tyrannide premuntur, ſatis clarum eſt.

Et extendens eos.) ad commodè ſub eo tanquam tecto habitandũ, & ad lumen uitale atq; ſpiritum animalem ex eo in uſum naſcentium ex terra fundendum.

Firmans terram.) eam expandens, aquis quæ terram operuerãt, in ſuum locum repoſitis, ut pateat illa animantibus ad inhabitandum, & ad ſe propagandum. Sic porrò in Geneſi, ut expanſum cœlum, & lucis atq; ſpiritus beneficio liquidum fuiſſet factum, & terra aquis nudata, legimus terræ mandatum ut germinaret: Germinet terra. Quò uates noſter ſpectans, mentioni de præparata terra ſubijcit de germinibus & uitali flatu ſermonem: Dans halitum populo incolenti eam, & ſpiritum uerſantibus in ea. De quo flatu & ſpiritu Moſes his uerbis: Et inſpirauit in nares eius halitũ uitæ. Huc reſpiciens Apoſtolus in Actis, eiuſdem uocis נשמה mentionem faciens ſic ait: αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα. ubi pro נשמה, reddit πνοήν. *Geneſ.1.* *Geneſ.2.* *Actor.17.*

Vocauite.) Apoſtrophe patris ad filium Meſsiam, de qua uocatione ſic loquitur filius: Sed qui me miſit, uerax eſt: & ego quæ audiui ab eo, loquar in mũdo. *Ioan.8.*

In iuſticia.) Qua iudices orbem terrarum, & eam tribuas electis tuis. ut infrà dicit, Seruus meus iuſtus multos iuſtificabit: reparata in eis per ſuã obedientiam, amiſſa per inobedientiam primorum parentum iuſticia & uita, in ipſa iuſtificatione improbi.

Apprehendi manum tuam.) Te in crucis ſtatu uerſantem, contra mundum & Satanem principem mundi, tuens & defendens per ſpiritũ fortitudinis, quo te regali & imperatoria unctione omnia uincẽte ungit. de quo fortitudinis ſpiritu ſuprà his uerbis: Requieſcet ſuper eum ſpiritus fortitudinis. Vt aũt pater tueatur

filium Messiam, is ipse de patre suo testatur: Et qui me misit, mecum est: Non
Ioann.8. reliquit me solum pater, quia ego quæ placent ei, facio semper.

Et dedi te in fœdus populi.) Israelitici, cuius salutem hic cum gẽtium salute prophe-
31. ta coniungit. Sed quale fœdus accipitur? Fœdus sanè, de quo Hieremias memi
nit: Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel, post dies illos dabo legem
meam, &c. Sed qualis est hæc lex? Non est Mosea lex, quæ seruata non fuit,
ut in tabulis saxeis durorum pectorum scripta: sed Christi lex est, hoc est lex spi
ritus uitæ, in carneis electorum cordibus scribenda: quæ, quòd lex Mosæa se-
uerè requirit quæ faciamus, præstat ut faciamus & exequamur promptè & ex-
36. peditè. Sic enim de hac spiritus lege, exequente Mosæam legem, Ezechiel lo- 10
quitur: Dabo uobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio uestri.
Sed quid is spiritus efficit, quod Mosæa lex non efficit? Sequitur in Ezechiele:
Et faciam ut in præceptis meis ambuletis. hoc est, fidei face prælucente Deum
ametis, & proximum. Qui spiritus fidei per amorem agentis, quoniam nouum
hominem generat, nouus spiritus, & noui fœderis spiritus, & administratio e-
ius noui fœderis administratio appellatur. Noui inquam fœderis, de quo hic
propheta: Dedi te in fœdus populi. Dicitur Christus in fœdus populo suo da-
ri, propterea quòd reconciliationis cum Deo patre fœdus, merito sanguinis
Messiæ & per spiritum eius feriatur. Qui sanguis noui fœderis sanguis uoca-
tur, quòd merito eius spiritus sanctus adoptionis per quẽ clamemus Abba pa- 20
ter, in ipsa iustificatione nostri in pectora nostra funditur.

In lucem gentium.) Hoc testimonio Iesaiæ usus Christus, sic de se prædicat: Ego
sum lux mundi. Ex uate nostro Simeon psalmum suum composuit, cum canit:
Luc. 2. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Is Simeon non
uulgaris homo, sed excellens legis doctor fuisse traditur, qui Gamalielem, ad
cuius pedes Paulus legem didicit, auditorem habuerit.

Vt aperires oculos cæcorum.) cæcitatem suam per pœnitentiam agnoscentium.
Ioan.9. Nõ illorum cæcorum, de quibus Dominus apud Ioannem: Si cæci essetis, non
haberetis peccatum: nũc autem cum dicitis, Videmus, peccatum uestrum ma-
net. Hæc igitur in mysterio pœnitentiæ inter se non pugnant. Cæci sunt qui ui 30
dent sua pernicie, cęci sunt qui non uident sua salute: item, est lumen quod me-
ræ tenebræ sit, & est in quo nullæ tenebræ sint, salutem afferens. Præterea, cæ-
citas est quam filius Messias sanet: est item quam nunquam sanet, qua uidẽtes
pereant. Alterum lumen habent sapientes huius mundi, & præsentis seculi filij,
cæci à noui mundi luce: alterum lumen tenent extra hunc mundum positi filij
Dei, à sapientia & luce ueteris mundi cęci. O felices, qui cæci sunt: & infelices,
uidentes. Horum enim oculi clausi manent, illorum aperiuntur. ut hic scriptum
est: Ad aperiendos oculos cæcos.

Et educeres de conclusione uinctos.) ex ergastulo & carcere peccati & mortis, ad li-
bertatem, de qua Apostolus: Vbi spiritus, ibi libertas. Qui est lex illa ueræ iusti- 40
2. Corinth.3 ciæ & uitæ, de qua idem Apostolus: Lex spiritus uitæ liberum me reddidit à iu
Rom.8. re peccati & mortis. Dicit, Lex spiritus uitæ, qui Messiæ spiritus est, asserens
nos à iure peccati & mortis, quo uincti tenebamur, in libertatem ueræ iusticiæ
& uitæ. Quare idem Apostolus dicit, Secundum Adamum IESVM CHRI-
STVM de cœlo cœlestem in spiritum uiuificantem, qui uitam electis liberatis
ex carcere peccati & mortis daret, de quo spiritu per quem Messias omnem sa-
lutem perficit, paulo suprà: Dedi ei spiritum meum.

Sedentes in tenebris.) rationis & sapientiæ humanæ tenebris, de quibus illud: Et
Ioann.1. lux in tenebris lucet. In tenebris item accipiuntur afflictiones, quas lux Mes- 50
sias suo tempore cum luctu & lacrymis ex afflictionibus obortis discutit.

Ego Dominus.) præter me nemo alius, qui Iehoua uocor. Quod naturæ diuinę,
quo omnia in cœlo & in terra sunt & consistunt, nomen est. Hæc autem de se

Pater

Pater prædicat, ut ſpem electorum ſuorum confirmet de redimendis ipſis per filium Meſsiam, per quem uelit & poſsit ſuos liberare, & hāc ſuam bonitatis & potētiæ gloriam & laudem nemini alteri ſe daturum. Deinde hanc laudem ſibi aſſerit, ut ab idololatria, qua ſuos prænouerat in Antichriſti regno retētum iri, reuocet ad uerum ſui cultum. Qui quoniam in adoratione, quæ ſpiritu & ueritate conſtat, uerſatur, Iehoua IESVM CHRISTVM ſeruum ſuum tantopere hic celebrat, ut in quo & per quem ſolus ipſe uerè colatur, cultu ad uitam æternam ſalutari. Quapropter cum ſubiicitur, Gloriam meam alteri, laudem'ue meam ſimulachris non dabo: non indicat pater, à participatu gloriæ & laudis ſuæ filium excludi: ſed ſimulachra, hoc eſt quicquid extra patrem & filium Meſsiam colitur & adoratur. Gloriam autem patris communicari cum filio, declarant filij uerba: Pater glorifica me, gloria quam apud te habui, priuſquam mundus eſſet. Item: Pater diligit filium, & ei omnia dat in manum. item: Et mea omnia tua ſunt, & tua mea. Ergo etiam gloria ſapientiæ, bonitatis & potentiæ paternæ, filij eſt. quam gloriæ & laudis communicationem indicat pater, ubi dicit filio: Sede à dextris meis. Quapropter etiam Iehoua nomen diuinitatis filio tribuitur, ut aliàs indicatum eſt. Aliter autem hoc nomen & eius gloria patri tribuitur, aliter filio. patri, qui à ſe Iehoua ſit, & genitor omnium: filio, qui à patre Deus ſit, ut filius Deus ex Deo, & lumen de lumine, & Dominus omnium. ſicut ipſe IESVS CHRISTVS fatetur: Pater diligit filium, & dedit ei omnia. Igitur quòd filius eſt, à patre habet: quòd Meſsias eſt, à patris ſpiritu habet, oleo diuinitatis, de quo præceſsit: Dedi ei ſpiritum meum. Quòd Dominus præterea omnium eſt, à patre habet, qui ſic confitetur, Matth. ult. Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. à patre uidelicet data eſt. ut genitus à patre eſt. Proinde gloria bonitatis & potentiæ patri tribuitur, quam à ſe habeat: filio uerò, quam à patre: non gratia tamen, ſed natura, ut naturalis filius Dei. Hinc fit, ut filius Meſsias omnia ad gloriam patris referat, à quo ſe genitum, glorificatum, principem & iudicem uniuerſitatis conſtitutum fatetur. Hæc agnoſcens, in hæc uerba auſus fuit cum quodam, cùm uocaretur Magiſter bonus, expoſtulare: Cur me uocas bonum? non eſt bonus niſi unus, nempe Deus: non inquam niſi unus Deus pater bonus, à ſe ſcilicet. Quod ſi ego bonus, potens, ſapiens & iuſtus ſum, à patre talis ſum. Quare Apoſtolus hæc animaduertens, ſic de Chriſto loquitur: Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiicietur, qui illi ſubiicit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus. hoc eſt, filius agnoſcet à patre origine uniuerſitatis, habere parem potentiam, gloriam & amplitudinem: quod eſt, filium hæc agnoſcendo patri ſubiici, non ſubiectione detracti ſibi in omnia imperij, ſed confeſsionis ſubiectione, qua ſit confeſſurus à patre ſe habere, quòd ſubiecta ſint ſibi omnia.

Ioann. 17.

Pſal. 13.

Marci 10.

1. Corinth. 15.

Quæ prima fuerunt, ecce uenerunt.) Ab ijs quæ ut promiſſa fuerunt, præſtita ſunt, conſolatio, ad fidem & ſpem ſuorum confirmandam. Promiſſum ſcilicet longè retro ſeculis Meſsiam, qui ſeruaret collapſum mundum, & omnia ſacroſancto ſuo ſanguine pacificaret & inſtauraret. Ecce hæc impleri uidetis. de qua impletione carmen ut electi canant, deinceps oſtendetur.

Antequam oriantur.) Sicut germē in terra cœleſtis lucis & pluuiæ beneficio creſcit: ſic fore, ut ſalus per Meſsiam electis ſuccreſcat, cum agrum ſuum & hortū Eccleſiam cœleſtis Euangelij luce & pluuia cœperit fœcundare. Similis figura loquēdi cernitur in illo אצמיח קרן לדוד: hoc eſt, Germinare ac creſcere faciam cornu Dauid. hoc eſt, inſtar germinis, eius regnum ut creſcat curabo.

Pſal. 132.

Cantate Deo.) Explicatur carmen gratulatorium, in quo ad amplificandam bonitatem diuinam, celebratur redemptio per Meſsiam ſeruatorem mundi facta.

Canticum nouum.) nouo fœderi, nouoq; redemptionis operi aptum. Quæ redemptio in dissolutione Aegyptiæ seruitutis, in qua sub peccatum & mortem uenditi, captiui à principatu Satanis detinemur, notatur: ut in euersione Babylonis mysticæ, qua spiritualis Babylonis euersio, & ex ea redẽptio indicat, cernitur. Ex qua Babylone in libertatem regni Dei uindicati, carmen nouum etiam in Ioannis Apocalypsi canere leguntur: Et cum accepissent librum quatuor animalia, & uiginti quatuor seniores, prociderunt coram agno, habentes citharam & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt precationes sanctorum, & canunt canticum nouum, dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo per sanguinẽ tuum, ex omni terra, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super terram. Hoc carmen apud Ioannem expositum nobis, quod à propheta nostro canendum proponitur, explicat.

Apocal. 14.

Laus eius ab extremo terræ.) Vt in omnes fines orbis terrarum peruasura salus est, ita ubiq; Dominum prædicandum esse. Sic in Apocalypsi: Omnes gentes uenient, & adorabunt in conspectu tuo. omnes inquam electi, & scripti in libro uitæ.

Qui descenditis in mare.) Distributione utitur, amplificandi gratia: in continẽte, in mari, in desertis locis, in montibus, uallib. & insulis uersantes, celebraturos Deum in Messia: ut antea regnante Antichristo celebratus non est, sed per idolomaniam eius nomen profanatum.

Et plenitudo eius.) Quæ uaria piscium genera sunt: ut plenitudo terræ, animantia terrestria, herbarum, fruticum & arborum genera sunt. Terra, maria, & res quibus abundant, per prosopopœiam eis afficto sermone, ad gratulandum redemptioni electorum, qui finis mundi in Messia sunt, inuitantur.

Habitatores petræ.) in arcibus præruptis, in petris ædificatis. Sunt quibus Petra urbs Arabiæ Petrææ est.

Ponent Domino gloriam.) nemini alteri: non humanæ sapientiæ, probitati & potentiæ, non angelis, non diuis, sed uni Domino, memores illius quòd is de se dicit: Gloriam meam alteri non dabo. Hoc carmen non canet bestia ex terra nata Antichristus, qui Domino derogans suam gloriam, sibi eam arroganter arrogat, uendicata sibi in omnia potestate. Non canent hypocritæ, cum pharisæo illo gloriantes his uerbis: Gratias tibi ago, quòd non sum sicut cæteri homines. Non canent superbi orbis terrarum tyranni, cum Assyrio gloriantes: Fortitudine manus meæ feci, sapientia mea intellexi.

Dominus sicut gigas egredietur.) Exponitur caussa celebrãdi Dominum, qui in bellum aduersus hostes electorum suorum, quos redimat, heroïs & uiri bellicosi ritu sit profecturus. Hostes autem, quos hostili uociferatione & clamore adorietur, non sunt leues hostes, sed graues: mundus ipse, & princeps mũdi Satan, & huius filius perditus Antichristus: cuius regnum quibus Draconis artibus ortum, auctum, & hactenus conseruatum sit, norunt quibus id exploratum est. Quantum autem sit prælium, quod heros Messias gerit aduersus hostes suæ sponsæ, experti sunt Apostoli, & qui fidem Euangelio illorum temporibus habuerunt: experti sunt sancti martyres: & experiuntur hodie Germani, Itali, Galli, Hispani, qui ex Antichristi regno liberantur: experientur etiam breui Turcæ & alij populi, quàm excellens & memorabilis sit uictoria, quam bellicosus & uictor agnus albo insidẽs equo de hostibus suis reportaturus sit. Qua parta uictoria, & ira Dei finita, canetur carmen de quo Ioannes in Apocalypsi meminit: Magna & memorabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens, iustę & uerę sunt uiæ tuæ Rex sanctorũ: quis non metuat te Domine, & nomẽ tuum celebret? quia solus sanctus es. Duo epitheta tribuit Domino, maximã uim ad consolandũ habẽtia, alterũ, Heros est: alterũ, Bellicosus. In Heroe præ-

Apocalyp. 15.

stans

ſtans & ſingularis uirtus, & benefactorum claritas notatur: in bellicoſo uerò militaris ars, prudentia, fortitudo & felicitas, qua hoſte profligato, ſuos ſeruet.

Suſcitabit zelum.) Indicatur hac locutione impetus & ardor, quo ſit ultionem ſumpturus de hoſtibus, ad ſuam ſponſam ſeruandam.

Vociferabitur.) hoſtili uociferatione & clamore, ut fit in prælijs. Præceſſerat enim: Herois modo egredietur in bellum. Suprà legitur, Nõ uociferabitur: hic, Vociferabitur. Suprà porrò de ſuis loquitur, erga quos leni & placido ſermone ſit uſurus: hic uerò de hoſtibus, in quos clamorem hoſtilem ſit editurus.

Super inimicos tuos confortabitur.) Suprà גבור, hic יתגבר legitur: Dominatum in ſuos hoſtes habiturum.

Tacui ſemper.) In carmine hoc inducit Eccleſia Dominum confitentem, ſe aliquanto tempore tacuiſſe: hoc eſt, diſtuliſſe liberationem ſuorũ electorum: iam autem accinctum eſſe ad redimendos eos. Quanto autem tempore Eccleſia tyranni de Antichriſti prematur, id in Daniele & in Apocalypſi Ioannis explicatum eſt.

Patiens fui.) Indicatur in uerbo אתאפק, Dominus ui quadam ſe continuiſſe, ne uindictam de hoſtibus ſuorum ſumeret. Vnde colligitur, in diuinis decretis ſuum tempus Antichriſti & Chriſti regno eſſe deſtinatum: ut ſuum tempus tenebris & luci, mendacijs & ueritati, iræ & gratiæ diuina prouidentia conſtitutum eſt. Eccleſ. 3.

Sicut pariens loquar.) Scita figura loquendi, ſe more parturientis ſub tẽpus edendæ ſalutis clamaturũ. Mulieres, quæ fortiter ſe gerunt in pariendo, prementes clamorem, uocem ſummiſsiorem edunt: quam hic uates in ſibili uoce אפע indidicat. Hac ſermonis forma indicatur, liberationem Eccleſiæ non ſine magna anguſtia afflictionũ cõfectum iri. De qua anguſtia ſæpè ex propheta noſtro, & Domini noſtri IESV CHRISTI interpretis prophetarũ uerbis meminimus.

Deuaſtabo.) terram, impios in ea abſorpturus. Ad conſolandos ſuos, per occupationem tacitæ obiectioni hoſtium dehortantium à ſpe in Dominũ, reſpondet, cum hic aiunt: Non eſt quòd ſpem in Domino reponatis, qui uos tantopere hoſtium libidini permiſſos deſeruit. Quibus reſpõdens Dominus, uerũ quidem eſſe, ſe hactenus ſiluiſſe, dilata liberatione: ſed non malo ſuorũ electorum ſiluiſſe, opem non afferendo, ſed bono eorum, ut uarijs afflictionibus infeſtati, ad me ſe conuerterent, & ego ad eos conuerſus tanto illuſtriore uictoria eos liberarem, quanto ipſi maiore contemptu in mundo habiti fuiſſent, & hoſtes inſolentius ſe geſsiſſent.

Et deſertos faciam montes.) Et uerè & figuratè hæc interpretari licet. Verè quidẽ, de terra in ſolitudinem redigenda: & figuratè, de principatu mundi aduerſus Meſsiam ſe extollente, obterẽdo. Hi colles & montes ſunt, Draco, mundi princeps, Antichriſtus excelſus in mundo mons, ſe ſupra omne id quod eſt numen Dei extollens: & quicquid in mundo ſublime eſt, quod ſe Meſsiæ & eius Eccleſiæ hoſtiliter opponit.

Et omne gramen eorum exiccabo.) Figuratè de potẽtia hoſtium loquitur, quam gramini mane uirenti, & ſub ueſperam arẽti cõparat. Suprà: Omnis caro gramen.

Et ponam flumina.) Figurata locutio, de ſumma uaſtatione.

Et educam cæcos.) acto triumpho de principatu tenebrarũ. Suprà: Vt aperirem oculos cæcos. Hebræus: Et ducam cæcos per uiam quam ignorarunt. per uiam inquam iuſticiæ & uitæ cœleſtis, animali & terreno homini ignotam. Via accipitur, quæ de ſe dicit: Ego ſum uia, ueritas & uita. Ioan. 1.

Ponam tenebras.) quas Satan per filium eius perditum loco ſancto offuderat.

In lucem.) prælucente Euangelij face.

Et praua in recta.) Ne offendant in uia, de qua præceſsit mentio. Hos inoffenſè in recta uia agendos, quos antea draco per Antichriſtum in praua

& obliqua atque erroribus falsæ doctrinæ perplexa egerat.

Hæc uerba fecieis.) Acclamatione confirmat, se hæc eis facturum, neque eos se derelicturum.

Conuersi sunt retrorsum.) Contentione illustrat electorum redemptionem. hos seruatum iri, patrem in filio Messia colentes spiritu & ueritate: idololatras per idola sua perituros: Turcas per idola Mahumetana, ut est falsa eorum religio: Iudęos per idola superstitionis suę, & negationis Christi: falsò Christianos per idololatriam apertam, & falsum Dei cultum, in quo idolum Missa pro uiuis & mortuis celebrata præcipuum locum obtinet: reliqua, quæ infinita sunt, prætereo. per hæc idola, fœdam Babylonem interituram, cum suis pseudoprophetis & sacrificulis Baalim.

Surdi audite.) Apostrophe Christi & Apostolorum, ad Iudæos: & temporibus reuelationis Antichristi, ad cæcos & surdos, satis hodie notos.

Quis cæcus nisi seruus meus.) Sic primis temporib. patefactionis Euangelij, Christus & Apostoli habiti sunt. non meliore conditione sunt, qui his nouissimis temporibus reconciliationis Euangelium prædicant, & prædicabunt. CHRISTVS IESVS interdum helluo, interdum Samaritanus, modò dæmoniacus appellatus est. quod ut fieret, antea prædictum fuerat: Ego sum uermis, & non homo, opprobrium hominis. *Psal. 21.*

Nisi ad quem nuncios meos misi.) Hebræus: Et surdus, nisi nuncius meus, quem misi? Ego, qui hortor uos, ut posita surditate seruum meum Messiam, & eius legatos audiatis, & cæcitate exuta in Euangelij lucem uobis accensam intueamini: at mihi sic hortanti tantum abest ut pareatis, ut etiam meum seruum Messiam, quem uobis mitto, & eius ministros, pro surdis & cæcis illudatis.

Quis cæcus nisi qui uenundatus est.) perfectus, non Venundatus, est in Hebræo: Messiam, omnibus numeris sapientiæ & iusticię perfectũ esse ac absolutum, ut criminosum & stultum traducere non sunt ueriti: quem etiam tandem inter latrones numeratum, in crucem contumelioſè adegerunt. Sic infrà: Sceleratis an numeratus est.

Qui uides multa.) Hebræus indicat, cernere multa populum suum, nec obseruare. Cernere inquam tot miracula, & admiranda opera, nec tamen his moueri ut resipiscat. Huc pertinent illa quæ suprà expositа sunt: Videte uisum, & nolite cognoscere. De his Apostolus in epistola ad Romanos: Reliqui uerò excæcati sunt. *Rom. 11.*

Qui apertas habet aures.) externas corporis, non internas animi. Suprà: Audite audientes, nolite intelligere.

Dominus uoluit.) Hebræus, Iehoua fauet, pro iusticia sua magnam reddet legem, & amplificabit. Sententia est: Dominus iusticiam suam in exhibendo Messia, non uestram probitatem spectans, pro suo in uos fauore liberabit uos, per Euangelij legem, quam magnam & amplam reddet in orbe terrarum.

Ipse autem populus direptus est.) bipartita direptione: altera spirituali & cœlesti, altera corporata & terrena. Spiritualis direptio cernitur in eo, quòd spoliatus est regno & sacerdotio Messiæ, in tenebras ignorantiæ regni cœlestis abiectus, prædæ factus Satani, regnanti in eorum pectore per decreta humana. Terrena direptio in eo spectatur, quòd in horribili hoc exilio uagans, omnibus populis & gentibus fabula & ludus factus est. Submoto mystici populi, mystici exilij uelo: ut suum exilium, sua direptio cernatur in Ecclesia electorũ, palàm est, & id sæpè indicatum est.

Nec est qui dicat.) hosti.

Redde.) prædam.

Quæ est in uobis.) induratis & excæcatis.

Qui dedit

Qui dedit in direptionẽ Iacob.) Indicantur tẽpora recõciliationis, in quib. diuinus ſpiritus ſignificat Iſraelitas confeſſuros peccata ſua, ob quæ in tantam calamitatem inciderint: & reducta umbra, idem electorum Eccleſia generatim confitebitur, & hodie incipit confiteri, ſe ob defectione ab Euãgelij fide, filio perdito ac Antichriſto prædæ eſſe factam. De qua defectione uideris apud Apoſtolum in epiſtola ad Theſſalonicenſes, & in priore ad Timotheum capite 4. 2. Theſſ. 2.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Noli timere.) Conſolatur ſuos, quos ut cœperint agnoſcere peccata ua, & eorum pœnitentiam agere, redempturus ſit, ſibi reconciliatos. Idem per Moſem antea promiſerat. ſic enim in Leuitico ſcriptum eſt: Tunc ueniam iniquitatis ſuæ petent, & recordabor fœderis mei, &c. Delicta inquam ſua, ut præceſſit, confitentes in his extremis temporibus placationis iræ diuinæ, ea ut remittantur ſibi merito ſanguinis Meſsiæ precabuntur. Hæc igitur quę ſequũtur, ad ſuperiora cohærent. 26.

Vocaui te nomine tuo.) Conſolatur à beneuolentia & fauore, quo proſequitur Iſraelitas ſuos, qui nominatim eos appellet: ut contrà maleuolentię eſt, & reprobationis, non appellare. de qua illud: Non noui uos. Itaq; quos nomine ſuo uocat, eos ſuos eſſe dicit, Meus es tu: filijs nimirum & hæredibus meis annumeratus, donato tibi ſpiritu adoptionis, per quem uiciſsim me nomine meo appelles, clementem uidelicet Iehoua, & patrem miſericordem.

Cum tranſieris per aquas.) Conſolatur à promiſsione ſalutis, quam Iehoua ſuis in medijs calamitatibus ſit daturus. Huic promiſsioni fidem qui habent, & ea nituntur, omnia uicerint: ut uerè dicas, fidem non eſſe creatam naturam & uim, ſed efficacem ſacri ſpiritus in credentium animis uim & facultatem, uexatis cruce intimè iungentem Dei fortitudinẽ in Meſsia, ad uincendas quãlibet graues tentationes. Cæterùm duo elementa mundi hic nominantur, quæ aduerſarum rerum ſigna ſunt, aqua & ignis. De aqua legimus: Intrauerunt aquæ uſque ad animam meam. & hic, Si per aquam tranſeas. De igni uerò: Igni nos examinaſti. Sed ita res aduerſas notant, non quæ fœdere Deo iunctos perdant: ſed probent, purgent & perficiant. illo nos per aquam & ignem ſeruante, qui hic dicit: Si tranſeas per aquam, tecum ero: ſin per flumina, te non ſubmergent: ſi per ignem uadas, non cremabere, ſed purgabere & perficieris. Vt eſt apud Malachiam: Sedebit' que explorans & purgans argentum, & expurgabit Leuitas. In utroque enim elemento, aqua & igni, purgandi uis ineſt, & perdendi ea quæ purgari nequeunt. Altero ſordes abluuntur, altero ſcoria metallorum conſumitur. Sic aquæ & ignis afflictionum habent, has dirigente eo qui ſuos Iſraelitas ex aqua & igne diuini ſpiritus regeneratos, ad claritatem ſuę naturæ perficit. Atque hoc ipſum eſt quod hic legimus: Tecum erit. Aliter ergo in aqua & igni uerſantur pij, aliter impij: hos igni & aqua extinguentibus, illos purgantibus & ſeruantibus. Exemplo eſt Noa cum ſuis, in diluuio aquarum ſeruatus: impijs eo deletis. Exemplo Lothus, qui ignem quo Sodoma & Gomorra extincta ſunt, euaſit. Exemplo Iſraelitæ, qui mare rubrum illæſi tranſierunt, Pharaone cum ſuis illius aquis abſorpto. Pſal. 65.

Quia ego Dominus Deus tuus.) Cõſolatur à nominibus ſalutaribus, qui ſit Iehoua, à quo omnia ſint & ſubſiſtant: qui אלהים, hoc eſt Deus fortis ſit, & potens: qui ſanctus Iſraelis ſit, ab omni aduerſaria ui inuiolabilis, & ſuos Iſraelitas à labe & uicio, quo corrũpantur, immunes & liberos reddens: qui demũ ſeruator Deus ſit, ſuos à peccato, morte, inferno & omnib. tenebrarũ poteſtatib. liberãs: eis in

ueræ

ueræ iuſticiæ, uitæ, cœli & lucis, ac claritatis conſortium diuinitùs translatis. Hæc nomina ſeruatoria uni Iehoua fides electorum aſcribit: excluſis angelis, diuis, & omni reliqua natura condita. Vnus Iehoua pater, qui per filium à patre Iehoua, ui ſpiritus ſacri ſeruet, relinquitur à te adorandus & colendus.

Dedi propitiationem tuam Aegyptum.) Ab exemplo olim tributæ ſalutis, hoſtibus profligatis, conſolatur. coniungit autem Sabæos & Aethiopes cum Aegypto, cui parerent, & imperio eius tenerentur. Magna conſolatione electorũ oſtendit diuinus ſpiritus, potentiſsima in orbe terrarum regna, ut ſui ſeruentur, grauiter affligi, & euerti tandem. Exemplo Aegyptus, Babylon & Græci ſunt: exẽplo Romanorum imperium, quod propter Eccleſiam miſerè ab eo uexatam, iampridem cœpit imminui, per crebras barbararum gentium incurſiones: nec ceſſabit imminui, dum tandem unà cum Antichriſto, qui in illo & ex illo cum Mahumetico imperio exortus eſt, faceſſat, ut regnum cedat Meſsiæ, & electis eius. Vt enim crudeles tyranni, Nero, Tiberius, Caligula, Maximinus, Diocletianus, Iulianus miſerè perierunt, ut Eccleſiam crudeliter uexaſſent: ex hiſtorijs notum eſt. noſtra tempora prætereo. Sunt qui in hunc modum interpretantur: Aſſyrios in Aegyptios, Sabæos & Aethiopes fuiſſe auocatos, ut ſuæ Sioni & Hieroſolymę parceretur. Sic prouidentia diuina accidere, ut Eccleſię hoſtes ab externis hoſtibus impediantur, ne ſuum in illam furorem effundãt. Noſtris temporibus ut id contigerit, Turcis adoratorum Papæ ſæua in Chriſti Euangelium & eius cultores conſilia remorantibus, palàm eſt.

Quia honorabilis factus es.) Conſolatur Eccleſiam à precio & honore, in quo ſit coram Deo. Quod precium quantum ſit, primò à ratione redemptionis electorum æſtimatur, quos pater redimere dignetur unigenæ filij piaculari morte: deinde precium hoc in eo cernitur, quòd ſuos in participatum ſuæ iuſticiæ uitæ & gloriæ, communicata eis cœleſti hæreditate, hoc eſt ſeipſo, aſſumit. Poſtremò, quòd pro uita & incolumitate ſuorum, potentiſsima in mundo regna & monarchias addicit: hoc eſt, miſerè ſub ſeruitutis iugum mittit & diſsipat. Idq; cœleſtis pater per filium Meſsiam perficit, quem Daniel lapidem ſine manibus exciſum è monte uocat: quem cuncta mundi regna, ut cœleſte regnum cedat electis, euerſurum prædicit.

Ego dilexi te.) prior, non offenſus labe & uitioſitate tua.

Noli timere, quia tecum ſum.) Repetit conſolationem à præſentia ſua ductam, confirmandæ fidei & ſpei gratia. Suauiſsima uox eſt, Tecum ſum: cuius ſuauitatem nemo ſentiat, niſi qui rebus aduerſis infeſtetur. Eſt autem Deus, pariter in aduerſis & proſperis rebus, cum ſuis. In proſperis quidem, cum agente eos ſpiritu Meſsiæ, memores & grati intelligunt, res proſperas Dei donum eſſe, quibus utantur ad amplificandum nomen Dei, & uſum proximi, non ad libidinem explendam. In aduerſis autem, ſuis adeſt primò, cum intelligunt ſe calamitatibus affici, per quas ſuam miſeriam agnoſcentes, ad unius Dei opem & auxilium aſpirent: experti uerum eſſe, quod hic de ſe enunciat Deus: Ego ſum Iehoua Deus tuus, ſanctus Iſraelis, ſeruator tuus. Deinde adeſſe ſentitur, cum per afflictiones eò ducuntur pij, ut terrenis bonis neglectis, cœleſtia expetant: qui crucis magnus uſus eſt, in qua fouetur ſpes futuræ uitæ, ut ea in rebus ſecundis & proſperis ſæpè obſcuratur. Poſtremò per calamitates ſecum eſſe Deum pij ſentiunt, cum Deum per afflictiones immenſa futurę gloriæ pondera atque momenta moliri perſuaſum habent, qui pro bonitate ſua, quæ mala per ſe & horribilia ſunt, in bonum conuertat exitum, ijs qui ſecundum propoſitum æternæ electionis ad ſalutem uocantur. Quæ maxima conſolatio in omnibus rebus aduerſis eſt piorum, ſi ſentiant, ex morte uitam, ex tenebris lucem, ex inferno cœlum, Deum pro ſua miſericordia oſtendere. Itaque calamitates, & mors ipſa, ſi in ſua natura oculis rationis humanæ inſpiciantur, nihil durius

durius & triſtius illis appareat. Sin uerò eas fidei aſpectu in prouidentiæ diuinæ conſilijs & decretis intueris, in bonis & ſalutaribus rebus habebũtur. Hinc illud: Beati flentes. item: Bonum eſt mihi, quòd humiliaſti me Domine. *Matth. 5.*

Ab oriente adducam ſemen tuum.) Clariſsimum & plenum conſolatione oraculum exponitur, de colligendo ab extremis finibus populo diuino, ſoluta eius captiuitate: ad cuius ſoluendæ ſpem confirmandam neceſſaria eſt hæc conſolatio, quæ præceſsit, Tecum ſum. De hac collectione his extremis temporibus per patefactionem Euangelij conficienda, Moſes propheta antea prædixerat his uerbis: Congregabit te de cunctis populis, in quibus te antè diſperſit. Quam congregationem ut intellexerit Moſes referendam eſſe in ultima patefactionis Meſsiæ tempora, declarant hæc quæ Moſes ſubijcit uerba: Circuncidetur cor tuum, & cor ſeminis tui. Circumciſio autem præputij cordis, quoniam adoptionis ſpiritu conficitur, oraculum prophetæ noſtri & Moſæ, de cuius captiuitatis ſolutione accipiendum ſit, non eſt obſcurum. Myſtica myſtici Iſraelis collectio aliàs eſt explicata: uera, à Domino noſtro Ieſu Chriſto apud Euangeliſtam Matthæum explicatur. *Deut. 30.* 24.

Dicam aquiloni.) Proſopopœia colorat de collectione diſsipati Iſraelis uaticiniũ. Quæ loquendi forma, fines orbis terrarum, & quæ his continentur, in poteſtate Dei Iſraelitarum poſitos eſſe declarat: ab his, retentũ ad magna myſteria populum Dei, dimiſſum iri ſuo tempore, pro nutu & arbitrio eius qui mundum hunc & fines eius creauit.

Et omnem qui inuocat nomen meum.) Omnes Dei nomine nuncupatos, ſaluos fore: hoc eſt, omnes qui diuina familia & cognatione tenentur. Quod eſt, nomine alicuius nuncupari. Sic de Manaſſe & Ephraim legimus in Geneſi, ut in eis nomen Iacob ſit uſurpandum: hoc eſt, ut ſint inter hæredes eius nuncupandi. Igitur nomine Dei appellantur electi, cum tanquam filij eius è ſacro ipſius ſpiritu nati, hæredes omnium cœleſtium bonorum ſcribuntur. Quę magna eſt eorum dignitas & precium, de quo præceſsit: Quoniam apud me tu in precio es. *Geneſ. 48.*

In gloriam meam creauieum.) Ad gloriam Dei creatos electos. quod bifariam accipitur. Vno modo, quòd gloriæ Dei participes redduntur, ad amplitudinem cœleſtis regni deſtinati, ut filij & cohæredes Chriſti. de quo gloriæ participatu Apoſtolus: Sic cum eo patimur, ut cum illo glorificemur. & ab eodem Apoſtolo electi uaſa ad gloriam parata appellantur. Altero modo ad gloriam Dei accipiuntur creati, quam celebrent partim fidei confeſsione, partim inuocatione nominis diuini, partim ſanctitate uitæ. de qua glorificatione illud: Vt uideant bona ueſtra opera, glorificentque patrem ueſtrum qui eſt in cœlis. Gloria igitur Dei agitur in creatione electorum, & eorum in nouos homines formatione. *Rom. 8.*

Educ foras populum cæcum.) Hi ſunt, qui iam aliquot ſeculis oculos habentes cæci, & aures habentes ſurdi in terrarum orbe uixerunt. Intueamur Antichriſti tempora: quàm latè pateat hæc cæcitas & ſurditas in Iſraelitis & gentibus, manifeſtum eſt.

Omnes gentes congregatæ ſunt.) Conſolandi gratia diſceptatio, quæ capite quadrageſimoprimo cum dijs gentium & eorum cultoribus inſtituta eſt, & repetita capite quadrageſimoſecundo, hic retexitur. In qua diſceptatione ad confirmandos ſuos in uero ſui cultu, ſuam diuinitatem aſſerit, à facultate pręterita indicandi, & ſignificandi futura argumento ducto: qua facultate careant dij alieni, & eorum cultores.

Dent teſtes eorum.) certo teſtimonio probent, ſe idem poſſe facere, quod ego facio. Quod teſtimonium ſi dederint, quod de me dant mea opera, pronunciabitur eos iuſtos, hoc eſt ueraces Deos eſſe. Sin uerò non dederint, confiteãtur uera eſſe quæ de me prædico, & ſe hac laude carere. Humano more diſceptans,

aduersarijs testes cedit: ut etiam ipse testes producere ad defendendam causam suam non dedignatur, ueluti Messias ipse citat apud Ioannem, ubi ait: Si mihi non uultis credere, operibus meis credite: quę in conscientijs uestris testificabũtur, uera esse quæ de me dico: & falsa contraria, quę uos sentitis, & contrà me loquimini: qua de re uos etiam testes non recuso. Quare sequitur:

Vos estis testes mei.) Vos, qui caretis testimonio, quo probetis deorum, quos colitis, diuinitatem, appello testes meæ maiestatis, de qua testimonium feratis, in animis uestris gerentes scriptam digitis meis legem de mea diuinitate testificantem. Nam ex mundo hoc tam sapienter condito, & eius prouidente gubernatione intelligitis, unam esse æternam mentem, qua uniuersitas hæc administratur & regitur. De hoc testimonio uideris apud Apostolũ, in epistola quam ad Romanos scripsit.

Et seruus meus quem elegi.) Israel oraculis & uerbo meo excultus. Hunc fidelem diuinitatis meæ testem adduco, ut quem elegerim, & fœdere eum mihi iunxerim, qui testis & custos uerę religionis de uno colendo & adorando Deo esset. Huc enim scriptorum in libro uitæ uocatio spectat, ut testimonium de Deo uero & filio Messia ferant. Vnde de Apostolis in Actis legimus: Et eritis mihi testes. Trium igitur testimonio probatur diuinitas Dei, patris Domini nostri IESV CHRISTI: mundi huius, legis naturalis in omnium animis scriptæ, & legis spiritus sancti in sanctorum Israelitarum, hoc est filiorum Dei cordibus testificantis per gratiam regenerationis, quæ Deus hic uerus contra uanos uanorum gentium deos pronunciat.

Actor. 1.

Quia ego ipse sum.) Quatuor ordine de se prædicat, quæ nemo alius de se prædicet. Primum est, se illum ipsum Deum esse, ante quem nullus creatus sit Deus, et post quem nullus alius sit: hoc est, qui primus & nouissimus sit, neq; initiũ neq; finem habens: ut unum in numeris nec principiũ neq; finem habet, & τὸ ἄλογον, hoc est potestate infinitum est, sic etiam se Deus habet.

Et non est præter me saluator.) Alterum, præter Deum, primum & nouissimũ, non esse alium qui rebus aduersis infestatos consolando & liberãdo seruare possit. Atq; talem Deum seruatorem agnoscere, in omnibus afflictionibus certã spem salutis consequendæ affert: non agnoscere, desperationem & exitium. Agnoscere autem, Deum seruatorem Deum esse, ex primo nascitur: agnoscere scilicet, unum Deum æternum esse, principio & fine carentem, & præter hunc neminem esse alium.

Ego annunciaui & saluaui.) Vnum esse, qui futuras calamitates per prophetas suos significet, & ab eis liberet: ut prædixit, suos Israelitas in Aegyptum profecturos, & ex ea liberandos: ut significauit, Iudæos in Babylonem translatum iri, & ex ea impletis septuaginta annis educendos: ut prænunciauit, se filium suum Messiam in mundum missurum seruatorem: ut missus est, qui suos electos ex misera Satanis & Antichristi seruitute liberaret, & in ueram iusticiæ & uitæ libertatem assereret. Et hoc est, quod hic scriptum legimus: Ego indicaui & saluaui te. Prætereo, quod quisque piorum in priuatis tentationibus experitur, à Deo sibi quibus uexatur afflictiones indicari, & salutem promitti in filio, & per filium assignandam. Quare magna nostri consolatione hæc cognoscimus, Deum ab æternitate decreuisse & statuisse de ærumnis, quibus suos probet & exerceat: sed ita statuisse, ut etiam de modo & ratione qua seruet, & è malis uindicet, constituerit: neque aliter statuerit calamitatibus suos afficere, quàm ut maiora bona quàm illi abstulerint, ostendat. ueluti dicit Apostolus: Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ, mirè supra æternum pondus gloriæ parit nobis. Si exempla requiris: occurrit Abrahamus, Iacobus, Iosephus, Israelitæ in Aegyptum abacti & reuocati: occurrit Iobus, & caput sanctorum Messias cum membris corporis sui Ecclesiæ.

Et non

Et non est qui de manu mea eruat.) Quartum est, quod de se prædicat contra uanitatem deorum alienorum: suum numen ita potens esse, ut de manu eius nulla contraria uis quicquam eripiat, siue seruandi sint pij, siue perdendi impij. De pijs legimus: Et oues meas nemo rapiet de manu mea. Si impiorum supplicia spectes, nemo Cain familiam liberare potuit, quo minus diluuio aquarum periret: nemo Sodomam & Gomorrham ab incendio cœlesti uindicauit, nemo Pharaonem in mari rubro tutus est, ne absorberetur. idem de cæteris Dei & eius sanctorum hostibus patet. Hanc potentiam Dei sui agnoscentes pij, ei se tutò in omnibus reb. aduersis credũt. Ad eandem laudem potentiæ pertinet, quod sequitur: Agam ego, & nemo id aduertet. hoc est, si quid statuero facere, nemo id impediet, quo minus fiat. Quæ uerba indicant primò, consilia & decreta Dei firma esse, & ineluctabilia, quæ nulla aduersaria potestas rescindat, quo minus perficiantur. Deinde, quæ per secundarias causas fiunt, immutabili decretorum Dei dispositione fieri, regente, mouente & agente causas secundas, ita diuina mente, ut hac ipsa mouente, necessariò, hoc est immutabiliter illæ agitentur & moueantur. Tertiò intelligimus, in ratione prædita natura liberam uoluntatem non esse definiendam ex facultate, qua liberum ei sit uelle aut nolle aliquid, non statuente Deo ut uelit & nolit: sed sentiendum, Deo statuente uoluntatem humanam quicquam expetere aut fugere: eo non statuente aut decernente, nihil ab illa ipsa expeti aut renui. Atque ita humanam uoluntatem decretis & consilijs Dei subiectam esse: neque finiendam aliter liberam uoluntatem, quàm ex facultate qua quæ uult aut renuit fieri, ea liberè, hoc est sua sponte, non coacta, uelit aut renuat: ut liberum opponatur necessitati coactionis, non necessitati ineuitabilitatis. Postremò discimus, piorum fidem infallibili prouidentia Dei tanquam ancora, quæ cuncta in omnibus agat, pro ineluctabilibus suis decretis, fulciri: certò persuasum habentem, omnia euenire electis Dei bono ipsorum, siue mala, siue bona, siue aduersa, siue prospera, quæ Deus solus pro nutu & uoluntate disponat & temperet, nemo alius. ut stet hoc firmum, quod hic de se dicit: Agam, & nemo id auertet: & ego ipse ab initio, & nemo est qui de manu mea eruat.

Propter uos.) liberandos, ad præstandam promissionem de soluenda Babylonia captiuitate, impletis septuaginta annis: & ex regno Antichristi, finito tempore quod ex Daniele & Apocalypsi Ioannis aliàs explicatum est.

Misi in Babylonem.) Cyrum regem Persarum, & in alteram Babylonem ad euertendum eam Messiam, qui eam claritate reuolutionis aduentus sui per spiritũ sacrum Euangelij aboleat: ut hodie incipit aboleri ex pectoribus electorum.

Et detraxi uectes uniuersos.) potentiam & robur Babylonis. Translatio à uectibus mutuata, quibus portæ firmantur. Alij pro uectibus fugitiuos reddunt: Babylonios in fugam uersos. citãt illud: Fugitiui eius usq; ad Zoar. ubi legitur בריחיה. uectis etiam בריח à fugiendo appellatur in hac lingua, quòd ab extremo ad extremum quasi eius partes fugiant.

Rex uester.) Messias, non Babylonius tyrannus, non Babylon illa nobilis meretrix, supra septem colles imperium sibi in omnia uendicans.

Qui dedi in mari uiam.) Ab exemplo Aegyptiorum in mari rubro deletorũ, confirmat spem suorum de soluenda captiuitate Babylonia.

Et in aquis torrentibus semitam.) Ab exemplo traducti exercitus Israelitici, per ualidas aquas Iordanis semita facta.

Qui eduxit quadrigam & equum.) Ab exemplo deleti exercitus Assyrij ante Hierosolymam, quem stuppæ extinctæ per ignem cõparat. Hæc quidem magna & præstantia opera fuerunt Dñi: sed nihil ad ea quæ Messias faciet suis, ut sequit.

Ne memineritis priorum.) beneficiorum antea in uos collatorum, quæ umbram & imaginem prætulerunt eorum quæ per Messiam filium meum in uos sum

exhibiturus: ut est beneficium liberationis ex Aegyptia seruitute, in qua peccati & mortis & Satanis principatus cernitur. ut est item beneficium, quod declaratur in redemptione ex captiuitate Antichristi. Quod hic legitur, Ne memi-
Ierem. 31. neritis priorum: idipsum est quod apud uatem Ieremiam scriptum est, Propterea dies uenient, dicit Dominus. non dicent amplius, Viuit Dominus qui adduxit nos de terra Aegypti.

Ecce facio noua.) Sed quae sunt illa noua? Donatio spiritus noui, ut est apud Eze-
36. chielem: qui noui fœderis, de quo Hieremias meminit, spiritus est: noua item redemptio ex Aegypto & Babylone spirituali, ad formandam nouam Hierosolymam de cœlo descendentem: & demum per secundam resurrectionem è mortuis, innouatio huius uniuersitatis.

Ponam in deserto uiam.) Figuratè explicat noua nouæ redemptionis beneficia.
Apocal. 12. Hoc desertum paulo suprà ex Ioannis Apocalypsi explicatum est.

Et flumina in inuio.) flumina ex perenni uitæ fonte Messia manantia, de quibus sæpe.

Glorificabit me bestia agri.) Qui antea ferarum ingenium prætulerunt, iam curati per spiritum mitis agni Messiæ, exuto efferato animo, Deum in filio celebrabũt. Has bestias & feras, quas efferauerat inanis bestia sæpe nominata, & hodie nota, uates ipse explicat subiungens: Vt darem potum populo meo electo.

Quem formaui.) Quem per Euangelij spiritum fingo in nouum & cœlestẽ populum, ueteris populi prauo ingenio mortificato per pœnitentiam & uarias afflictiones. Sed cur fingitur nouus populus? Sequitur:

Laudem meam narrabunt.) ut meæ sapientiæ, bonitatis & potentiæ laudes cele-
1. Petri 2. brent. Quare Petrus sic loquitur: Regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucem accesit, ut uirtutes prædicetis illius, qui è tenebris uos uocauit, in admirabilem suam lucem. Contraria studia hostium electorum sunt, qui hoc unum laborant, ut se & sua celebrent, suam inquam iusticiam, suam sapientiam & potentiam.

Non me inuocasti.) Ad amplificandam gratiam redemptionis: neq; inuocationi quę fide careret, neq; holocaustis & reliquis sacrificijs, neq; incensis, neq; ulli humanæ iusticiæ & meritis redemptionem tribuendam, sed uni (ut mox patebit) clementiæ Dei.

Nec laborasti in me Israel.) Hebræus: Laborasti in me Israel. Israelitas fatigatos in seruãdæ legis studio: eius cultũ ab illis ut fessis remissum. Sic Paraphrastes Chaldæus, ארי לאיתון באולפן אוריתי ישראל. Itaq; neq; redemi illos propter studium seruandæ legis, quòd fatigati relaxarint. Diuinus spiritus rectè iudicat, in legis
Actor. 15. obseruatione laborem sumi fatigantem, cuius iugum graue sit, & onerosum, ut
Matth. 11. Petrus in Actis indicat: ut contrà Messiæ iugum leue, & eius onus suaue est.

Non adduxisti ad me.) Per distributionem partes sacrificiorum enumerat, holocausta, pacificas & piaculares uictimas, Minham, incensa: his non placatum Deum, ut redimerentur.

Non te seruire feci in oblatione.) in qua uerum mei cultum poneres, qui non sacrificijs delector, sed misericordia. Quod si ego mandaui fieri sacrificia, non mandaui ut per ea quis putet se iustificari coram me: sed ut per eorum tractationem, uelut quadam pædagogia, manu ad Messiam per sacrificia adumbratum duceremini, ex quo ueram probitatem peteretis. Vtitur autem diuinus spiritus seruiendi uerbo, propter seruile studium, quod in Mosæa lege seruanda extra Messiam ponitur. De qua seruitute Apostolus in epistola ad Galatas capite quarto sic loquitur: Sic & nos cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus, in seruitutem redacti. In elementis autem mundi numerantur, quæ hic commemorantur sacrificiorum genera, & totus ceremoniarum Mosaicarum cultus.

Veruntà

Veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis.) Ego te non feci ſeruire in faciendis ſacrificijs, in quorum cultu iuſticiam & probitatem mihi probatam collocares: tu uerò me feciſti ſeruire in peccatis tuis, hoc eſt, ut his grauiter onerarer tanquã ſeruili iugo & onere. Quæ tua peccata effecerunt etiam, ut ego ſeruus, hoc eſt obnoxius legi fierem, ad culpam tuam expiandam, quæ per ſacrificia tua expiari non potuerunt. Hanc ſeruilem conditionem, quam Dominus propter electos ſuos luſtrandos & expiandos ſubijt, Apoſtolus his uerbis explicat: At ubi uenit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperent. Item in epiſtola ad Philippenſes: Semetipſum inaniuit forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominis conſtitutus. Atq; hoc diuinus ſpiritus hic indicat dicens: Veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, quæ uidelicet expiarem ſeruus factus, ſubiectus peccati & mortis maledictioni, qua uos liberarem. *Gal. 4.* *Philip. 2.*

Præbuiſti mihi laborem.) Sub laborioſum legis iugum per peccata tua me miſiſti, à cuius condemnatorio iure in libertatem te aſſererem, in cruce deleto chirographo contrario conſcientijs ueſtris per decreta. Labor igitur Chriſti in uarijs afflictionibus, in horribili peccati & mortis tyrannide in ſe recepta, quam ſanguine ſuo aboleret, in morte quam ſubijt ad delendam mortem, in inferno in quem deſcendit ut cœlum aperiret, inferni ferreis portis fractis cernitur. Quare quantus is labor fuerit, pij cum ſumma animi gratitudine meditari debent, ut ad imitationem ſeruatoris ſui quiſque ſuam crucem patienter portent, qua uetus homo caſtigatus, iugum diuini ſpiritus ferat: & formam crucifixi Chriſti in mortificatione carnalis & terreni hominis gerentes nos, eiuſdem glorificati formam olim geramus. De quibus crucis & gloriæ formis in hunc modum Apoſtolus: Siquidem ſimul cum eo patimur, ut unà cum illo glorificemur. *Coloſſ. 2.* *Rom. 8.*

Ego ſum.) nemo alius, non lex, non opera legis, non merita cuiuſquam diui, quamlibet ſancti. Reiectis igitur quæ iuſtificare non poſsint, iam quis iuſtificet, clarè oſtendit. Sequitur enim:

Qui deleo iniquitates.) Per ſanguinem Meſsiæ, unigenæ filij mei: non per ſanguinem mutarum pecudum. Itaque Ioannes: Et ſanguis Ieſu Chriſti filij eius, emũdat nos ab omni peccato.

Propter me.) non propter merita ueſtra propter meam clementiam inquam, & miſericordiam, quam in eo uolui apparere, & oſtendi, quod ad delenda delicta filium meum unigenam in mundum miſi, qui mundi peccata tolleret. Sic enim legimus apud eundem Ioannem: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quòd filium ſuum unigenam miſit in mundum. Deletur autem diuina clementia peccatum primò, cum remittitur, de qua remiſsione illud: Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates. Et Apoſtolus: Per quem habemus redemptionem, per ſanguinem ipſius, remiſsionem peccatorum, iuxta diuitias gratiæ ſuæ. *1. Ioan. 4.* *Pſal. 31.* *Epheſ. 1.*

Deinde deletur peccatum, cum de copia & plenitudine IESV CHRISTI donatur ſpiritus ſanctus, qui in nobis contemptu Dei deleto, amorem per fidei lumen creat, & in corpore morti obnoxio concupiſcentiam ac uitioſam cupiditatem refrenat, ne expleatur, dum corpore in terræ puluerem redacto, toto peccati onere leuemur.

Et peccatorum tuorum non recordabor.) quæ te ſub accuſante & condemnante lege morti addicant. Dicas: Si non recordatur, cur ergo credentes in filium Meſsiam tot afflictionibus expoſiti ſunt? cur mortem tandem obeunt? Si culpæ ſuorum immemor eſt Deus, cur non cum culpa remittit etiam pœnam culpæ impoſitam? Reſponſio. Quod ad afflictiones attinet, his afficiuntur pij non ut pœna peccati, ſed eius medicina, quibus nimirum cupiditates, in uetere

tere homine aduersus legem diuini spiritus in nouo uersantem rebellantes coerceantur, & per quas pij pondera futuræ gloriæ moliantur. Quod autem moriuntur sancti homines, id in pœnæ loco non ducunt. Sciunt enim, temporariam mortem in comitatu habere æternam uitam, ut pro pœna non habeant mortem, sed pro beneficio. Hac enim liberari se sciunt, corporis peccato obnoxij graui onere, & transferri per eam animum in cœlestem paradisum, de quo Luc. 23. Dominus ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso. Aeterna mors pro pœna ducitur: at hac liberantur, quibus pater cœlestis in filio & per filium Messiam condonat culpam, & eis impertit suam & filij iusticiam per fidem.

Reduc in memoriam.) Disceptationem parat, in qua per communicationem permittit ijs cum quibus disceptat, ut si quid habeant unde probare possint se sua iusticia iustificari, & si putent fortasse se ipsorum iusticiæ oblitum, admoneant de ea, eiusq; memoriam sibi refricent.

Vt iudicemur simul.) ut iudicio periclitemur, num alia ratione iusticia uobis contingat, quàm misericordia mea delictis uobis remissis, & eis per sanguinem filij Messiæ deletis.

Narra si quid habes, ut iustificeris.) quomodo & qua ratione probes te ex lege & eius factis iustum effici, non fide in Messiam.

Pater tuus primus.) Ab originis uitio argumentum ducit, omnes esse uitiosos, neminem probum. Primum enim parentem humani generis fuisse improbum, cuius improbitas in omnes ex eis natos homines peruaserit ac propagata sit. Rom. 2. Hoc argumento utitur Apostolus in epistola ad Romanos, ubi comprobat, omnes pariter Iudæos & gentes ad iusticiam comparandam egere gratia Dei, qui omnes per inobedientiam primi hominis uitiositatem contraxerint. Itaque ordine hæc fuerint hic consideranda. Primò, ut contraxerit uitium primus parens, qui integer fuerat conditus. Deinde, quid uitium originis, utq; finiendum sit. Tertiò, ut id propagatum sit in totum genus humanum, an ne pariter ab ipso Adamo uitiosa corpora & animos posteri accipiant, ut non minus in seminibus uitiosis animi contineantur, quàm corpora. Quartò, ut originis labes nos uitiet, & Dei iusticia spoliet: & quæ sit hæc Dei iusticia, qua spoliat: an ne pariter electi & repudiati hoc uitio uitientur. Quintò, ut sanetur hoc uitium. Hæc quoniam alio loco in Mose explicata sunt, nihil intererit eorum explicationem hic retexere. Cæterùm in parente primo, post primum Adamum, Abrahamus quoque à nonnullis accipitur, ut uicinior Hebræi generis sator: etiam hunc cum parentibus suis culpa non caruisse, qui cum Thare & Nachore primò coluerit Deos alienos. neque etiam interpretes, quibus Israelitæ ad Pharaonem & Deum usi sunt, Aaronem uidelicet & Mosem, crimine uacasse: quorum alter absente Mose ut in aureo fundendo uitulo deliquerit, alter ad contradictionis aquas gloriam potentiæ diuinæ per fidem non tribuerit, palàm est.

Et interpretes tui.) doctores tui, ut sunt prophetæ, & oraculorum Dei ad te enarratores, quamlibet sancti sint, & habeantur, omnes uitio à primo parente propagato deprauati, confitentur hoc: In peccatis concepit me mater mea. atq; ita egent Messiæ purificatore & expiatore sanguine, ut orẽt cum Dauide, Cor mundum crea in me Deus.

Et principes sanctos.) Neque sanctuarij principes, hoc est sacerdotes, insontes fuisse, quos ego polluo ac contamino: hoc est, uitiosos pronuncio, & ob uitia perdo: quos neq; sacerdotij dignitas, neq; sacrificia quæ administrant, à peccato & interitu liberant. Quò spectans epistola ad Hebræos, de his sic loquitur: Lex sacerdotes instituit infirmitatem habentes, qui necesse habeant primùm pro suis, deinde pro populi peccatis offerre.

Et Israel in blasphemiam.) Omnes pariter, & autorem generis, & Israelitas, quos ob cul-

ob culpam contumelijs gentium expono, crimini obnoxios esse. Ac neq; hos de sua, neque de maiorum suorum iusticia posse gloriari: igitur unam clementiam Dei supereſſe, qua iusti reddamur: non merito nostro, non legis & factorum legis iusticia, sed gratuita peccatorum remissione, quæ fiat credentibus Euangelio, ad recuperandam per Messiam amissam primi parentis uitio iusticiam & uitam.

IN CAPVT QVADRAGESIMUMQUARTUM.

Et nunc audi Iacob.) Consolationem, qua superiore concione suos consolatus est, de Babylonia captiuitate soluenda, repetit: in qua in simulachra, & eorum fabricatores, cultoresq; inuehitur, quibus Babylon abundabat. Atq; in eorum reprehentione, nostram quoque Babylonem, conflatam ex idololatria, acriter perstringit.

Serue meus.) qui me colas, nō deos Babylonios: qui me in filio Messia adores, non fœdæ meretricis Babyloniæ fœdos uanosq; deos.

Ab utero auxiliator tuus.) te amore complexus, priusquam cognosceres te amari. Apparet significari auxilium, quod Dominus Iacobo tulit, in supplantando Esau, cum ex utero is Rebeccæ prodiret. In qua supplantatione quæ mysteria designata sint, ex historia Geneseos liquet. Noli timere, me à te itante aduersus sanguinariam Babylonem, ebriam sanguine sanctorum martyrum: ut quæ nata sit & orta in ea sede, in qua crudeles tyranni sanctos Israelitas, hoc est fideles crudeliter insectati sunt. quæ in Daniele & Ioannis Apocalypsi prodita leguntur. *Genes. 25.*

Et rectissimè.) Sanctos Israelitas, hoc est electos filios Dei, à titulo & epitheto quo diuinitùs per regenerationis gratiam ornantur, consolatur: ipsos, qui per fidem in Messiam seruatorem recti nominentur, non debere sibi ab impura Babylone metuere: in qua omnia praua & peruersa, nō recta cernantur. Præclarus titulus electorum est, ישרון: quo admonentur, quales esse debeant, & quales reddantur per spiritum Messiæ. hoc est, admonentur iusticiæ & probitatis diuinæ, per fidem eis communicatæ. Appellatur autem fidei iusticia è Christo manans rectitudo, quòd omnia per eam in pijs recta efficiantur: hoc est, cōsentanea legi diuinæ. à qua quæ dissentiunt, in sacris literis praua & peruersa appellantur. Cæterùm ut hoc epithetum tribuatur Israeli, ex Deuteronomio patet. Itaq; Paraphrastes Chaldæus pro ישרון hic habet ישראל. LXX, pro rectus uertunt ἠγαπημένον, hoc est dilectus: ut accipiat, eos rectos esse, qs diligat & amet Deus. quòd integritas & innocētia liberale amoris diuini donū sit ac munus. *Deut. 32. & 33.*

Quoniam effundam aquas.) Euangelij.

Super sitientem.) non super quosuis. Sunt enim, qui puris sacri Euangelij aquis contemptis, aquis impuris & lutosis, quas Aegyptus & Babylon fundunt, delectantur. Diuinus spiritus scitè electos siticulosis & aridis locis, & gratiam diuini spiritus aquis comparat. Quare sequitur:

Effundam spiritum meū.) Cum aquis iungit spiritū, regeneratione quę aqua & spiritu cōstat, indicata, de qua Dns autor cœlestis regenerationis: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnū Dei. Is aquosus spiritus necessarius ad regenerationē, seminis spiritus est, de quo his uerbis Petrus: Renati nō ex semine mortali, sed immortali per sermonē uiuētis Dei, & manentis in ęternū. Hoc aūt semē immortale Messias est, sermo ac uerbum æternum & immortale Dei. Qui Messias mortalitate exuta, & immortalitate induta per resurrectionem è mortuis, sacrum hunc spiritum aqueum ad regenerandos electos per Apostolos & legatos suos, de throno gratiæ & uitæ fundit. De quo spiritu, *Ioan. 3.* *1. Petri 1.*

beneficio glorificationis Meſsiæ in terram miſſo, ſic apud Ioannem legimus:
Ioan.17. Spiritus nondum erat datus, quia Chriſtus nõdum erat glorificatus. Paraphraſtes Chaldæus Ionathan: Effundam ſpiritum ſanctum meum, indicato ſpiritu regeneratore ad ſanctitatem cœleſtis iuſticiæ & uitæ, qui Meſsiæ ſpiritus eſt, ui glorificationis eius in electorum pectora fundendum.

Et *benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.*) ut in aſpectabili creationis opere ſpiritus cum aquis, quas moueret, iunctus fuiſſe legitur, ad præparandam terram germinationi & fructificationi: ſic in hoc inaſpectabili regenerationis opere, poſt mentionem aquarum & ſpiritus factam, benedictionis & germinationis fit mentio, ad ſignificandum, non prius per diuinam benedictionem germinare & ſuccreſcere electos, quàm ad id præparati fuerint per regenerationem ex aqua & ſpiritu. Atq; hoc ipſum eſt quod Dominus dixit: Non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos, ut abeatis & fructum afferatis. iam aſperſi diuinis illis aquis, & cœleſti afflati ſpiritu, de quo hic propheta noſter: Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum. Sed ſuper quod ſemen? Super ſemen, de quo præceſsit:
Actor.17. Et Iſrael quem elegi te. De quo ſemine electo Apoſtolus: Crediderant quotquot ordinati erant ad uitam. & Dominus: Oues meæ uocem meam audiunt,
Ioan. 10. oues inquam, de quibus idem Dominus: Scio quos elegerim. Dicas: Si electi ſolum aquis diuini ſpiritus perfunduntur, ſunt igitur qui his aquis carebũt. Sunt quidem. Nam ſunt quidam qui in ouibus Chriſti nõ numerantur, & quorum nomina in cœlo ſcripta non ſunt, ſed in inferno. nam ſunt qui cum Satane ſemper capitali odio uerbum Dei proſequuntur, huic nunquam obedituri. De
Geneſ.3. quo perpetuo odio & inimicitia illud legitur: Ponam inimicitiam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius. De quo ſemine ac ſobole ſerpentis
Ioan. 8. Satanis, Dominus his uerbis loquitur: Vos non auditis, quia ex Deo non eſtis, carentes nimirum electionis diuinæ gratia. Dicas, quemq; ſe electum facere, ſi rectè ſe gerat, fidem habendo Meſsiæ, & ſanctè uiuendo: & repudiatum perfidia & malefactis. Si ita res habet, cur igitur, quantum ad electos attinet, fidem & ſanctitatem quæ ſpiritu charitatis continetur, præueniri electione, atque prædeſtinationem iuſtificatione noſtri priorem eſſe legimus? ut eſt apud
Epheſ.1. Apoſtolum: Quemadmodum elegit nos in ipſo, antequam iacerentur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti, &c. Item: Quos prædeſtinauit, eos iuſtificauit. Vnde efficitur, non ex ſanctitate & fide nos effici electos, ſed contrà ex electione ſanctitatem & fidem proficiſci. Quò ſpectans Ioannes ſic ait: Hæc eſt
1.Ioan. 4. charitas Dei, non quòd nos dileximus eum, ſed quòd prior is dilexit nos. Itaq; quod nos amamus Deum, & eius Euangelio fidem habemus, id antecedenti amori, quo Deus nos complectitur, tribuendum fuerit, qui præſtet, ut illum amemus, donato nobis fidei & amoris de ipſius liberali gratia ſpiritu. Quæ gratia antecedens electionis gratia, de qua mentio facta eſt, fuerit. Idem ex contrario
Repudiatio. rum collatione, de repudiatione eorum qui in præſcitis iræ uaſis ſunt, indicabitur. Dicat aliquis, ob commiſſa ſcelera à Deo repudiari, qui repudiantur, nõ antegrediente ipſa ſceleratorum crimina repudiatione. Si ita ſentiendum eſt, non temerè quærimus, quæ nam ſit in repudiatis uitiorum origo, ob quæ tandem miſerè pereant. Reſpondebunt, à uitioſa uoluntate illa oriri. Fatemur id uerum eſſe. Nam negari non poteſt, malos ſua ipſorum uoluntate malos eſſe, & criminoſos. At uerò cũ boni ſua uoluntate, & ea bona, bene agũt, & mali mala male, iure quæritur hic, unde in bonis bona uoluntas, & in malis mala oriatur. Dices, bonam uoluntatem in illis à diuino ſpiritu formari, in his uerò malam illo abſente: ut aer abſente ſolis luce tenebris obſcuratur, & præſente ea illuſtratur. Si ita res habet, conſequitur, ut boni ſi quid rectè agunt, diuini ſpiritus ui agant, qui in eis Dei beneuolentia, qua antè diliguntur quàm uim bene agendi acceperint, datur: ſic in improbis malam uoluntatem naſci, eodem illo

ſpiritu

ſpiritu eorum pectora non regente, qui ubi ſpirat, qui uitæ & probitatis ſpiritus ſit, bona uigeat uoluntas, non mala. Quod ſi conceſſum ſit, efficietur, quia Deus improbos ſpiritu ſuo deſtituit priuſquam cœperint ſe male gerere, eos etiam repudiari antequam mali quippiam fecerint. Non enim beneuolentiæ diuinæ fuerit, non largiri alicui filij ſui ſpiritum, & eo carentem in omnia ſcelera ſinere prolabi, dum pereat. Atq; hoc ipſum eſt quod Apoſtolus dicit, Eſaum, Rom. 9.
& ſub figura Eſai omnia uaſa iræ ad interitum apparata, odio haberi à Deo, priuſquam mali quippiam commiſerint: ut Iacobus, & ſub figura Iacobi omnia uaſa gratiæ, ad ſalutem & gloriam deſtinata, amantur, priuſquam bonum fecerint. Quæ ſententia Apoſtoli, ut ex contrariorum comparatione ducitur, ita firmiſsimam in probando uim & pondus habet. Sic enim ait Apoſtolus: Nondum natis pueris, cum neque boni quippiam feciſſent, neque mali, ut ſecundum electionem propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex uocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori. Sicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau odio habui. Dicas, hoc poſtremum, Iacob dilexi, Eſau odio habui, non pertinere ad illud ſuperius: Nondum enim natis pueris, cum neq; boni quippiam feciſſent, neq; mali: ſed ad tempora, in quibus gentes ex Eſau propagatæ, ob flagitia cœperũt à Deo repudiari. Apoſtolum autem Paulum de ſuo addidiſſe: Nondum enim natis, &c. Veluti etiam in priore ad Corinthios epiſtola, ſimile quiddam accidere cernimus, ubi Apoſtolus dicit: Scriptum eſt, primus homo factus eſt in animam uiuentem, ſecundus uerò in ſpiritum uiuificantem. Vbi ſolum prior pars, Primus homo factus eſt in animam uiuentem, literis tradita, pertinet ad illud, Scriptum eſt: poſterior uerò ab Apoſtolo adiecta eſt, Secũdus homo, &c. Qui ſic ludunt in hoc diuinæ electionis & repudiationis negocio, totam Apoſtoli diſputationem conuellunt, in qua præcipuè agitur, electos eſſe ante iacta fundamenta mundi, quos Deus in Chriſto amet: & repudiatos, qui in Chriſto ad gloriam ſelecti non ſint: quos Deus, antequam nati ſint & malum fecerint, præſcierit damnatum iri ad ignem æternum, ſub præſcientia ipſius paratum Satanæ & eius ſoboli. Si illud, Iacob dilexi, & Eſau odio habui, pertinet ad gentes ab illis propagatas, quarum altera cœperit amari ob benefacta, altera reiici ob malefacta: quorſum ergo pertinent quę præcedunt, Nondum natis pueris? Nam ad id confirmandum, locum ex Malachia Apoſtolus citat: qui ad aliud nõ refertur, quàm ad id quod ſuſceperat ille probandum: electos uidelicet ſemper in amore & gratia Dei eſſe, & repudiatos ſeu uaſa iræ apparata ad interitum in odio & ira. Nam ſi locus ex Malachia allatus, referẽdus eſſet ad gentes ex Eſau natas, quas non prius odio cœperit Deus proſequi, quàm feciſſent malum, quorſum ergo pertinet interrogatio illa Apoſtoli: Nũ iniuſticia eſt apud Deũ? Quis enim eum iudicem iniuſticię accuſaret, qui iam flagitijs infames homines ſupplicio afficeret? Non ergo interrogatio ab Apoſtolo facta, de ijs inſtituitur, qui ob ſcelera deſignata repudiantur: ſed de ijs, qui ab æterno præuiſi ſunt, qui tandem ignominia notentur. Sicut pars illa, Iacob dilexi, pertinet ad Iacobum, & omnes electos à Iacobo præfiguratos, quos ante creatum mundum Deus in Chriſto diligat, nulla antecedentium benefactorum ratione habita. Et quantum ad Eſaum attinet, hunc fuiſſe repudiatum antequam eſſet natus, & ſcelus ullum deſignaſſet, ea quæ ſequũtur in Apoſtolo cõprobant. ubi interrogationi huic, Num iniuſticia eſt apud Deũ? his uerbis per ſubiectionẽ reſpõdet: Abſit. nam Moſi dicit: Miſerebor, cuiuſcunq; miſereor. Itaq; nõ eſt neq; uolẽtis, neq; currẽtis, ſed miſerẽtis Dei. Itẽ: Itaq; cui uult miſereri Deus, quẽ aũt uult indurat. Hic legimus, uoluntate Dei indurari impios: uoluntate ſanè, qua Deus ſuũ ſpiritum non largiendo, impios ſuis cupiditatib. & Satanę libidini permittit. Quę deſerens & relinquens uolũtas impiorũ, improbitatẽ antecedit. Alioquin nulli impij eſſent, cum nemo improbitatẽ ſequaꝛ, quẽ ſpiritus diuinus agat & ferat.

Hoc

beneficio glorificationis Meſsiæ in terram miſſo, ſic apud Ioannem legimus:
Ioan.17. Spiritus nondum erat datus, quia Chriſtus nõdum erat glorificatus. Paraphraſtes Chaldæus Ionathan: Effundam ſpiritum ſanctum meum, indicato ſpiritu regeneratore ad ſanctitatem cœleſtis iuſticiæ & uitæ, qui Meſsiæ ſpiritus eſt, ui glorificationis eius in electorum pectora fundendum.

Et benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.) ut in aſpectabili creationis opere ſpiritus cum aquis, quas moueret, iunctus fuiſſe legitur, ad præparandam terram germinationi & fructificationi: ſic in hoc inaſpectabili regenerationis opere, poſt mentionem aquarum & ſpiritus factam, benedictionis & germinationis fit mentio, ad ſignificandum, non prius per diuinam benedictionem germinare & ſuccreſcere electos, quàm ad id præparati fuerint per regenerationem ex aqua & ſpiritu. Atq; hoc ipſum eſt quod Dominus dixit: Non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos, ut abeatis & fructum afferatis. iam aſperſi diuinis illis aquis, & cœleſti afflati ſpiritu, de quo hic propheta noſter: Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum. Sed ſuper quod ſemen? Super ſemen, de quo præceſsit:
Ioan.15.
Actor.17. Et Iſrael quem elegi te. De quo ſemine electo Apoſtolus: Crediderant quot quot ordinati erant ad uitam. & Dominus: Oues meæ uocem meam audiunt.
Ioan. 10. oues inquam, de quibus idem Dominus: Scio quos elegerim. Dicas: Si electi ſolum aquis diuini ſpiritus perfunduntur, ſunt igitur qui his aquis carebũt. Sunt quidem. Nam ſunt quidam qui in ouibus Chriſti nõ numerantur, & quorum nomina in cœlo ſcripta non ſunt, ſed in inferno. nam ſunt qui cum Satane ſemper capitali odio uerbum Dei proſequuntur, huic nunquam obedituri. De
Geneſ.3. quo perpetuo odio & inimicitia illud legitur: Ponam inimicitiam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius. De quo ſemine ac ſobole ſerpentis Satanis, Dominus his uerbis loquitur: Vos non auditis, quia ex Deo non eſtis, carentes nimirum electionis diuinæ gratia. Dicas, quemq; ſe electum facere, ſi rectè ſe gerat, fidem habendo Meſsiæ, & ſanctè uiuendo: & repudiatum perfidia & malefactis. Si ita res habet, cur igitur, quantum ad electos attinet, fidem & ſanctitatem quæ ſpiritu charitatis continetur, præueniri electione, atque prædeſtinationem iuſtificatione noſtri priorem eſſe legimus? ut eſt apud
Epheſ.1. Apoſtolum: Quemadmodum elegit nos in ipſo, antequam iacerentur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti, &c. Item: Quos prædeſtinauit, eos iuſtificauit. Vnde efficitur, non ex ſanctitate & fide nos effici electos, ſed contrà ex electione ſanctitatem & fidem proficiſci. Quò ſpectans Ioannes ſic ait: Hæc eſt
1.Ioan. 4. charitas Dei, non quòd nos dilexímus eum, ſed quòd prior is dilexit nos. Itaq; quod nos amamus Deum, & eius Euangelio fidem habemus, id antecedenti amori, quo Deus nos complectitur, tribuendum fuerit, qui præſtet, ut illum amemus, donato nobis fidei & amoris de ipſius liberali gratia ſpiritu. Quæ gratia antecedens electionis gratia, de qua mentio facta eſt, fuerit. Idem ex contrario
Repudiatio. rum collatione, de repudiatione eorum qui in præſcitis iræ uaſis ſunt, indicabitur. Dicat aliquis, ob commiſſa ſcelera à Deo repudiari, qui repudiantur, nõ antegrediente ipſa ſceleratorum crimina repudiatione. Si ita ſentiendum eſt, non temerè quærimus, quæ nam ſit in repudiatis uitiorum origo, ob quæ tandem miſerè pereant. Reſpondebunt, à uitioſa uoluntate illa oriri. Fatemur id uerum eſſe. Nam negari non poteſt, malos ſua ipſorum uoluntate malos eſſe, & criminoſos. At uerò cũ boni ſua uoluntate, & ea bona, bene agũt, & mali mala male, iure quæritur hic, unde in bonis bona uoluntas, & in malis mala oriatur. Dices, bonam uoluntatem in illis à diuino ſpiritu formari, in his uerò malam illo abſente: ut aer abſente ſolis luce tenebris obſcuratur, & præſente ea illuſtratur. Si ita res habet, conſequitur, ut boni ſi quid rectè agunt, diuini ſpiritus ui agant, qui in eis Dei beneuolentia, qua antè diliguntur quàm uim bene agendi acceperint, datur: ſic in improbis malam uoluntatem naſci, eodem illo

ſpiritu

ſpiritu eorum pectora non regente, qui ubi ſpirat, qui uitæ & probitatis ſpiritus ſit, bona uigeat uoluntas, non mala. Quod ſi conceſſum ſit, efficietur, quia Deus improbos ſpiritu ſuo deſtituit priuſquam cœperint ſe male gerere, eos etiam repudiari antequam mali quippiam fecerint. Non enim beneuolentiæ diuinæ fuerit, non largiri alicui filij ſui ſpiritum, & eo carentem in omnia ſcelera ſinere prolabi, dum pereat. Atq; hoc ipſum eſt quod Apoſtolus dicit, Eſaum, Rom. 9.
& ſub figura Eſai omnia uaſa iræ ad interitum apparata, odio haberi à Deo, priuſquam mali quippiam commiſerint: ut Iacobus, & ſub figura Iacobi omnia uaſa gratiæ, ad ſalutem & gloriam deſtinata, amantur, priuſquam bonum fecerint. Quæ ſententia Apoſtoli, ut ex contrariorum comparatione ducitur, ita firmiſsimam in probando uim & pondus habet. Sic enim ait Apoſtolus: Nondum natis pueris, cum neque boni quippiam feciſſent, neque mali, ut ſecundum electionem propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex uocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori. Sicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau odio habui. Dicas, hoc poſtremum, Iacob dilexi, Eſau odio habui, non pertinere ad illud ſuperius: Nondum enim natis pueris, cum neq; boni quippiam feciſſent, neq; mali: ſed ad tempora, in quibus gentes ex Eſau propagatæ, ob flagitia cœperũt à Deo repudiari. Apoſtolum autem Paulum de ſuo addidiſſe: Nondum enim natis, &c. Veluti etiam in priore ad Corinthios epiſtola, ſimile quiddam accidere cernimus, ubi Apoſtolus dicit: Scriptum eſt, primus homo factus eſt in animam uiuentem, ſecundus uerò in ſpiritum uiuificantem. Vbi ſolum prior pars, Primus homo factus eſt in animam uiuentem, literis tradita, pertinet ad illud, Scriptum eſt: poſterior uerò ab Apoſtolo adiecta eſt, Secũdus homo, &c. Qui ſic ludunt in hoc diuinæ electionis & repudiationis negocio, totam Apoſtoli diſputationem conuellunt, in qua præcipuè agitur, electos eſſe ante iacta fundamenta mundi, quos Deus in Chriſto amet: & repudiatos, qui in Chriſto ad gloriam ſelecti non ſint: quos Deus, antequam nati ſint & malum fecerint, præſcierit damnatum iri ad ignem æternum, ſub præſcientia ipſius paratum Satanæ & eius ſoboli. Si illud, Iacob dilexi, & Eſau odio habui, pertinet ad gentes ab illis propagatas, quarum altera cœperit amari ob benefacta, altera reijci ob malefacta: quorſum ergo pertinent quę præcedunt, Nondum natis pueris? Nam ad id confirmandum, locum ex Malachia Apoſtolus citat: qui ad aliud nõ refertur, quàm ad id quod ſuſceperat ille probandum: electos uidelicet ſemper in amore & gratia Dei eſſe, & repudiatos ſeu uaſa iræ apparata ad interitum in odio & ira. Nam ſi locus ex Malachia allatus, referẽdus eſſet ad gentes ex Eſau natas, quas non prius odio cœperit Deus proſequi, quàm feciſſent malum, quorſum ergo pertinet interrogatio illa Apoſtoli: Nũ iniuſticia eſt apud Deũ? Quis enim eum iudicem iniuſticię accuſaret, qui iam flagitijs infames homines ſupplicio afficeret? Non ergo interrogatio ab Apoſtolo facta, de ijs inſtituitur, qui ob ſcelera deſignata repudiantur: ſed de ijs, qui ab æterno præuiſi ſunt, qui tandem ignominia notentur. Sicut pars illa, Iacob dilexi, pertinet ad Iacobum, & omnes electos à Iacobo præfiguratos, quos ante creatum mundum Deus in Chriſto diligat, nulla antecedentium benefactorum ratione habita. Et quantum ad Eſaum attinet, hunc fuiſſe repudiatum antequam eſſet natus, & ſcelus ullum deſignaſſet, ea quæ ſequũtur in Apoſtolo cõprobant. ubi interrogationi huic, Num iniuſticia eſt apud Deũ? his uerbis per ſubiectionẽ reſpõdet: Abſit. nam Moſi dicit: Miſerebor, cuiuſcunq; miſereor. Itaq; nõ eſt neq; uolẽtis, neq; currẽtis, ſed miſerẽtis Dei. Itẽ: Itaq; cui uult miſereẽ Deus, quẽ aũt uult indurat. Hic legimus, uoluntate Dei indurari impios: uoluntate ſanè, qua Deus ſuũ ſpiritum non largiendo, impios ſuis cupiditatib. & Satanę libidini permittit. Quę deſerens & relinquens uolũtas impiorũ, improbitatẽ antecedit. Alioquin nulli impij eſſent, cum nemo improbitatẽ ſequaẽ, quẽ ſpiritus diuinus agat & ferat.

Hoc

Hoc enim qui aguntur, à mortis & peccati iure liberi sunt, in uitæ & iusticiæ ius asserti. Dicat aliquis, si ita res habet, cur igitur Deus improbitatem improbis obijcit, qui nisi pro sua gratia eis spiritum sacrum impertiat, probè se gerere nequeant? quid ergo Deus de impiorum impietate conqueritur, cuius uoluntati, deserenti & relinquenti impios, nemo reluctat: & impij ipsi per suæ depraua tæ naturæ uires efficere non possint, quo minus impij non sint? Huic obiectioni in hunc modum respondet Apostolus: Atqui ô homo, tu quis es, qui ex aduerso respondeas Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit, Cur me finxisti ad hunc modum? an non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem uas in honorem, aliud in ignominiam? Quare ut alios ab æterno sub præscientia sua elegit, quos præparet per prædestinationis gratiã in uasa glorioſa: alios uerò sub eadem præscientia repudiet, qui parentur per reiectionem in uasa ignominiæ: in eo misericordia erga electos deprædicanda fuerit: repudians autem Dei ira erga repudiatos & maledictos in ius non uocanda, sed laudanda iusticia, cuius omnes uiæ æquitas sint & iusticia. Quocirca non erat opus ad torquendam Apostoli sententiam, hunc Malachiæ locum, Iacobum dilexi & Esaum odio habui, aliò deflectere, quàm instituta Apostoli disputatio de æterna in electos beneuolentia & odio in repudiatos ferat. Nam
1. Corinth. 15. qui ex epistola ad Corinthios affertur locus: Scriptum est, Primus homo factus est in animam uiuentem, secundus in spiritum uiuificantem: ad rem nihil facit. Etenim clarum est ex apostolo Paulo, locum ex Malachia adductum eò spectare, ut probentur illa præcedentia uerba: Nondum natis pueris, &c. ut ea quæ antecedunt & sequuntur, comprobant. Neque illa uerba: Nondum natis pueris, &c. Apostolum de suo apposuisse, in sacris literis non comprehensa, quisquam debet affirmare. Sententia enim illorum uerborum in Genesi exposita est, ubi de Iacobo & Esau, priusquam nati fuissent, hæc sententia lata legitur: Maior seruiet minori. At seruituti addici, non amoris, sed iræ habet significationem. Quam significationem diuinus spiritus his uerbis exponit apud Malachiam, Esau odio habui: eo ad seruitutem destinato, priusquam natus fuisset, & scelus aliquod designasset. In eodem odio cõprehensæ fuerant gentes ex Esau propagandę: & submota figura, omnes cum serpente Satane hœdi & maledicti. Non aliter maledictioni destinatæ fuerunt Chananææ gentes, in parente Chanaan, antequam fuissent ex illo natæ, & criminibus se obstrinxissent. Neque etiam uerè iudicatur, horum membrorum (quemadmodum scriptum est, Factus est primus Adam in animam uiuẽtem, extremus Adam in spiritum uiuificantem) priorem partem scriptam esse, posteriorem non scriptam: sed ab Apostolo de ipsius spiritu additam, non sacris literis proditam. Nam quamuis posterior pars non ijs literis expressa sit in sacra scriptura, quibus eam Apostolus exprimit: sententia tamen expressa est, quam Paulus sequitur, non anxiè literarum momenta & angulos librans & persequens. Sententiam autem de secundo Adamo, ut is sit genitus in spiritum uiuificantem, explicari in sacris literis si quis dubitat, is imperitiam suam prodens, prophetas se neq; legisse, neque lectos intelligere, non obscurè declarat. Apud Iesaiam uatem legimus, ut
Iesaie 7. uaticinetur uirginem concepturam seruatorem mundi: Ecce uirgo concipiet. Qui conceptus cum ex uirili semine minimè constiterit, eum ex spiritu sancto constitisse necesse est. ut etiam constitit, ueluti uates idem Iesaias sequenti-
11. bus indicat, ubi ait: Spiritus Domini requiescet super eum. & alio loco: Spiri-
61. tus Domini super me, eo quòd unxerit me. Sed in quem usum sacro spiritu unctus Iesus dicitur? Vnctum se dicit, ut unctos peccati & mortis uinculis liberaret. Quid autem hoc aliud est, quàm quod Apostolus non de suo, sine scripturæ testimonio, dicit: Extremus Adamus factus est in spiritum uiuificãtem? Quem uiuificãtem spiritum Apostolus his uerbis in epistola ad Romanos explicat:

plicat: Lex ſpiritus uitæ liberū me reddidit à iure peccati & mortis. & ante eum Ezechiel: Oſſa arida audite uerbum Domini. Hæc dicit Dominus oſsibus his: Ecce ego mittam ſpiritum, & uiuetis. Is autem uiuificans ſpiritus Meſsię eſt, de quo idem propheta in hunc modum meminit: Dabo uobis ſpiritum nouum. Proinde etiam hæc pars, Extremus Adam factus eſt in ſpiritum uiuificantem, etſi literis conſignata non eſt in eo loco ubi ſcriptum legitur, Primus homo factus eſt in animam uiuentem: ſcripta tamen eſt & conſignata eius ſententia in alijs locis ſcripturę ſacræ. Et quia, ut Apoſtolus monet, primus Adamus figurā prætulit ſecundi Adami, quæ de ſecundo Adamo exponit Paulus, ea in primo Adamo tectè, ut res figurata, in figura continentur. Itaq; qui intelligit primum hominem factum, qui animalem hominem degeret: idem intelliget ſecundum hominem Meſsiam benedictum, per conceptum è ſpiritu ſancto ex uirgine natum, qui uitam cœleſtem & ſpiritualem uiueret, & eam etiam in ſuos funderet: ut primus Adamus animalem uitam, qua uiuebat, in poſteros ſuos transfudit. Talem autem Adamum, hoc eſt cœleſtem Adamum Chriſtum eſſe, qui iuſticiam & uitam mundo det per ſuum ſpiritum, etiam Moſes oſtendit, ubi ait de ſemine uirginis: Ipſum conteret caput tuum. Serpētis autem caput, hoc eſt poteſtatem peccati & mortis, ſolum ea ſoboles euerterit, quæ de cœlo profecta in ſpiritum uiuificantem, ex quo conceptum ſuum habet, genita eſt. Quam ob rem uerè Apoſtolus dicit: Scriptum eſt, ſecūdus Adamus factus eſt in ſpiritum uiuificantem. Nam ut de Chriſto hanc ſalutarem mundo ſententiam ſcriptura ſacra confirmaret, par fuit. Vt etiam cæteri Apoſtoli in explicando Chriſto eiusq; regno, ſine Moſæ & prophetarum teſtimonijs nihil loquuntur, ad quę etiam Chriſtus ſuos diſcipulos reuocat, & ea iam excitatus è mortuis eis expoſuit, ut apud Lucam uidere licet, apud quem ſic ſcriptum legimus: Hęc ſunt uerba quæ loquutus ſum ad uos, quum adhuc eſſem uobiſcum, quòd neceſſe fuerit impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſæ, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent ſcripturas. Multa Chriſtus de ſua afflictione, de morte, & reſurrectione ex mortuis, de donando ſpiritu ſancto, de conſummatione ſeculi, cum diſcipulis ſuis locutus eſt: quæ quamuis non ijſdem uerbis comprehendebantur in ſacris literis, quibus ipſe de regni cœleſtis myſterio diſſerebat, ſententia tamen continebatur, quam cum exponeret, nihil de ſuo attuliſſe credi debet. Sed pergamus. Dicas, frequenter moneri in ſacris literis, amātes Deum & bene uiuentes amari à Deo: ergo Dei amorem, quo nos amat, præcedit amor quo nos illum amamus ac diligimus. Qui ſic obijciunt, ex eis percunctari licet, unde uim amandi Deum accipiamus? A natura nec at hæc uitiata, Deum oderit, non amarit. A ſacro igitur amoris ſpiritu, quem nobis Deus pater, præueniente nos ſuo amore, largiatur, nos diligimus, cum adhuc inimici eius ſumus, ut Apoſtolus in epiſtola ad Romanos indicat: & id pij homines fatentur, rogantes cum Hieremia, Conuerte me Domine, & conuertar. Vt igitur ſacræ literæ interdum de amore Dei, qui noſtra omnia antegrediatur: interdum de amore, qui amorem quo nos illum amamus comitatur, loquantur, hic perpendendum erit. qua de re meminimus in Commentarijs in Exodum, in explicatione loci de induratione Pharaonis. Dicat rurſus hic aliquis: Si ſunt aliqui, quibus ſpiritus ſanctus non datur, quo freti oblatam ſalutem recipiant, ſine eo autem hanc per uim naturæ ueteris nemo poſsit recipere: conſequetur, Deum peccati eorum qui peccant, & interitus quo peccando intereunt, autorem eſſe. Deus non aliter improbitatis & interitus impiorum cauſſa fuerit, quàm abſens gubernator ſubuerſionis nauium, & ſolis occaſus tenebrarum: quo deſcendente, & infra finitorem ſe abſcondente, tenebræ oboriuntur. Sic Deus non probans, non agens & impellens, ſed deſerēs & relinquens impios, improbitatis eorum cauſſa fuerit.

Ezech. 37. 36. Gene. 3. Luc. 24. Rom. 5. Ierem. 31. Exod. 4.

Dicas,

Dicas: Si Deus omnia mouet & cõseruat, in quo sumus, uiuimus & mouemur: etiam impij ab ipso mouebuntur & conseruabuntur, atq; ita etiam criminis ab impijs editi mouens & agens caussa dicetur esse. Mouet quidem Deus omnia ui sua in hac uniuersitate, sed non pariter. aliter enim pios, aliter impios mouet: hos malè, ipsorũ uitio, non suo: illos bene, ut bene affectos & cõparatos per diuinũ suę beneuolẽtiæ & gratię spiritũ. Nam quęcq; res à Deo agitur ut cõposita & affecta est. Sicut ab uno aliquo equite integer equus cõmodè & bene, uitiosus incõmodè & malè regit, nulla sanè ipsius equitis culpa, sed equi claudicãtis uitio. Sed dicas: Si spiritu sacro nõ omnes ornant, per quẽ bene à Deo regantur, sed alijs is datur, alijs nõ datur, quo seruentur: quid ergo faciemus loco illi, 10

1. Timoth. 2. Deus uult omnes homines saluos fieri, & uolũtati eius nemo resistit? cur ergò multi pereunt, quos Deus uelit saluos fieri, salutẽ nõ cõsecuti? Respondeat fortasse aduersarius: nõ oẽs per Euangelij doctrinã, oblatã salutẽ recipere, sed multos eam cum Euangelo auersari: qui si pereunt, eos sua culpa perire. Bene respondet. ex qua eius apta responsione colligitur, Deum non simpliciter, sed cũ adiunctione omnes uelle saluos fieri, si propositam salutem per fidem, quam Euangelio habeant, amplectantur. Quod cum dicitis, uos ipsi nodum quæstionis quem nectitis, soluitis, confitentes aliquos esse qui credendo pareant Euangelio, sua salute: aliquos qui illi reluctentur, sua pernicie. Eos aũt credere, quib. Deus pro suo fauore & gratia donum fidei largitur: non credere uerò, illo de- 20
stitutos. Non enim naturæ opus esse fidem, sed gratiæ diuinæ liberale donum. Sed obijcias hic: Si Deus omnibus proponit Euangelij doctrinam, per quam seruentur: nec tamen omnibus suppeditat uim, qua illi fidem habeant: simulator is iudicabitur, qui prę se ferat, se uelle omnes seruare, cum multos nõ seruet, sed perire sinat. Simulatio in Dominum caderet, si foris signo aliquo ostenderet seruaturum aliquem simpliciter & sine conditione, animo autem cogitaret eum perdere uelle. Simulatione autem liber est: alicui significat se salutem daturum cum adiunctione cum seu cõditione, Si uidelicet Euangelio fidẽ habeat. Si igitur eos qui sibi fidem non habuerint, perdit, sine accusatione simulationis eos perdere iudicabitur: neq; magis simulator habebitur, quàm legislator aliquis, si legem quam ponit, nouit alios seruaturos, alios non item. Sic Deus proponit suum Euangelium omnibus: cui quòd alij obediunt per fidem ad suam salutem, alij non obediunt ad interitum, in eo Deus & misericors & iustus omni carens simulatione iudicatur. Misericors quidem, ab ijs qui sentiunt & fatentur se Euangelio fidem habere, per gratuitum spiritus sancti donum: iustus autem in eos, qui carentes fide, suæ prauæ uoluntatis uitio perire student. Quod ergo Deus misericordiam tribuit alijs non meritam atque debitam, in eo non dispensatoris iniquitas accusanda fuerit, sed donantis clementia prædicanda. Itaq; ut Iacobos ipsos, hoc est electos, diligit per misericordiam gratuitam: ita Esaos, hoc est repudiatos, odit per iudicium debitum, quos indurat ne fidem 40
habeant Euangelio: non impertiendo malitiam, sed non largiendo misericordiam, quam nulli debet. Hanc autem non largiri, quoniam signum est antecedentis iræ diuinæ, dicit Apostolus, hoc arcanum Dei cõsilium explicans, Esau odio habitum à Deo, priusquam natus fuisset, & mali quippiam fecisset. Dicas: Cur ergo non omnibus dat suum spiritum, quo impulsi Euangelio fidem habeant? Spiritus sui sacri Deus nemini debitor est, qui hic responderit, quod

Matth. 10. mercenarijs in Euangelista respondet: Amice, non facio tibi iniuriã: tolle quod tuum est, & uade. an non licet mihi facere quod uolo, in rebus meis? Si inter duos æquè reos uni fit criminis gratia, alteri cui gratia negatur, non fit iniuria. Hoc iurisprudentia nixa communi legis naturalis iudicio, pro regula habet, 50
cui iudicio diuina iustitia & æquitas consentanea est. Ad hæc, quid faceret Spiritus sanctus in ijs, quos Deus ab æterno præsciuit damnandos esse? Nam

spiritu

ſpiritu in animis ſpirante, mortis maledictio abeſt, uitæ benedictio adeſt: in qua benedictione ut Satan nunquam fuit, ita neque in ea illius ſoboles unquam erit. Quocirca de Cain legimus: Qui ex illo malo erat, qui eſt diabolus: 1. Ioan. 3.
quem idem Ioannes dicit ab initio peccaſſe: & Dominus eum in ueritate non Ioan. 8.
ſtetiſſe dicit, quòd ueritas in eo non eſſet, quæ diuini ſpiritus ueritas eſt. in qua non dicitur non ſtetiſſe, quòd ea aliquando in illo fuerit: ſed interprete Domino, idem eſt Satanam in ueritate non ſtetiſſe, atque in eo illam non fuiſſe. Qua ueritate etiam eius progenies caret: quæ quòd ex Deo non eſt per electionis gratiam, Dei uerbum audire non dicitur. Quæ ſumma piorum hominum conſolatio eſt. qui quum ſentiunt ſe Deum reuereri, & propenſos eſſe ad credendum Euangelio Chriſti, hæc ipſorum conſolatio eſt, quòd hanc propenſionem ad amandum Deum, non naturæ ueteris, ſed gratiæ & fauoris diuini opus eſſe intelligunt, nunquam abolendum. Quod nimirum opus ab eo inchoatum ſit, qui arundinem quaſſatam non conterat, & linum caligans non extinguat, ſed huiuſmodi igniculos & ſcintillulas diuinæ lucis tanquam ex cineribus in ſuorum pectore ſuſcitet, qui olim in clarum & ſplendentem ignem cognitionis Dei exardeſcẽtes fulgeant. Qualibus igniculis maledicti cum ſuo parente Satane carent, ad hanc lucis gratiam ab æterno non ſelecti. Qui autem ad eam ſelecti ſunt, in his ea ſelectio minimè eſt ociosa & iners: ſed efficit, ut ſuo tempore repoſita Dei gratia in ipſorum cordibus, ſeu prædeſtinationis diuinæ proferat. Quare non electorum uox illa eſt: Si ſum electus, quicquid fecero, ſeruabor: ſi non ſum electus, fruſtra laborauero. Sed contrà, electi qui ſunt, ſentiunt ſibi metuendum eſſe Dominum, à quo prædeſtinati & uocati ſint, ut in Chriſto ſancti reddantur. ueluti dicit Apoſtolus ad Epheſios primo, Dei filios ante fundatum mundum electos in CHRISTO eſſe, in quo & per quem ſancti euadant. Ex quibus uerbis primò intelligimus, ſanctitatem fidei & amoris Dei, gratuitum diuinæ gratiæ munus eſſe, non naturæ opus. Deinde, hoc munus per CHRISTVM, & per nullum alium ſalutis arbitrum nobis à patre donari, atque extra CHRISTVM electionem locum nullum habere. legimus enim: Quemadmodum elegit nos in ipſo. Præterea ut electio firma eſt, ita etiam ſacer filij ſpiritus firmum & immobilem locum in ijs tenebit, quibus à patre donatus eſt. Nam is cum ex electione in credentes Euangelio proficiſcatur, indubitatum eſt, omnes per fidem inſitos Chriſto, electos, ſcriptos que in libro uitæ eſſe, ex quo nomina illorum nunquam deleantur. Siquidem horũ pectora ſpiritus promiſsionis ſanctus obſignat de hæreditate & acquiſita per filij ſanguinem poſſeſsione cœleſtis regni, cuius teſtimonium Epheſ. 1.
non fallat, neque fallatur, neque ulla ui irritum fieri queat. Poſtremò intelligimus, extra Chriſtum de electione loquendum non eſſe, ut in quo ſolo Deus pater ab æternitate eos amet, quos illi dedit ut ſeruentur, de quibus his uerbis Dominus ipſe loquitur, Ioannis decimoſeptimo: Ego pro eis rogo: non pro mundo, hoc eſt maledictis & repudiatis rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, per electionem uidelicet, qua ad auſcultandum Euangelium meum uocentur, & uocati iuſtificentur: ſumpto ex copia & plenitudine mea ſpiritu ſancto, ad ueram iuſticiam & uitam comparandam. Vnde fit, quamuis à patre in CHRISTO eligamur, ut Euangelio credamus: & non quia credimus, electi ſumus, ſed quia electi ſumus ante condita ſecula, credimus ſuo tempore: tamen neminem ſenſurum, ſe ex numero electorum eſſe, niſi fidei fax præluceat, & electionis gratia in filio patefiat. Quamobrem Euangelij miniſtris conciones ſacræ inchoandæ fuerint à pœnitentia, & fide quæ per charitatem in honeſtis actionibus ſe proferat. Sic enim per fidei lumen ſeruatore mundi cognito, cuius ſanguine pater reconciliatus ſit, origo fidei quoque cognoſcetur, quæ in nobis non naturæ ui oriatur, ſed gratuito mu-

nere patris nobis contingat, per eam antecedentem gratiam & beneuolen-
Actor.17. tiam de qua Apostolus in Actis meminit: Crediderunt, quotquot ordinati erant in uitam. Hunc ordinem in docendo seruarunt Apostoli, & Dominus ipse, quem primò de fide quæ sibi habeatur, deinde de electione & scriptione nominum suorum in cœlo, uerba fecisse, ex Euangelio scimus. Fit autem toties in sacris literis electionis mentio, partim ut excellens illa gratia patris, qua suos prosequitur, aduersus merita & iusticiam operum declaretur: partim ut gaudio illo nulla contraria ui labefiendo, credentes afficiantur, de quo Dominus ipse in hunc modum disserit apud Lucam, capite decimo: Veruntamen nolite gaudere quòd spiritus uobis subijciantur, sed gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. ex quibus illa nunquam sint
Rom. 8. expungenda, ut est apud Apostolum: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Hanc autem consolationem labefactare student, qui super arenam operum sui Liberi arbitrij ædificantes, tradunt, electos electionis gratia excidere, & semel in libro uitæ scriptos ex eo deleri posse. Itaque in tradenda iustificatione nostri, incipiendum à pœnitentia fuerit: & ab hac ad fidem, quæ Euangelio habeatur, progrediendum: tum à fide iam cogniti Christi, animus ad cognoscendum illum æternum fauorem Dei patris, quem erga nos ante creatum mundum habeat, transferendus, quo nobis firma de salute spes, nullis machinis neque peccati neque mortis expugnanda, efficiatur. His animaduersis, discimus aliam rationem esse, quam Deus in regenerandis nobis ad ueram iusticiam & uitam seruat: aliam, quam regenerati primò sentiunt, & experiuntur. Porrò Deus à præscientia ad prædestinationem, ab hac ad uocationem, à uocatione ad iustificationem, ab hac ad glorificationem eorum qui iustificati sunt, procedit. Nos uerò diuerso ordine, à pœnitentia, sicut indicatum est, ad fidem, qua iustificemur, dirigimur, ducente nos ipsa fide ad cognitionem gratiæ electionis nostri ad æternam uitam, dum tandem nobis Dei præscientia innotescat, qua ante ædificatum mundum ad gloriam cœlestis regni præcogniti sumus. Is ordo à sapientibus Euangelij dispensatoribus, ad cõsolationem piorum hominum tenendus erit: qui prudentes temporum & personarum moderatores, ad eorum quos cœlesti doctrina formant, captum se attemperant. Contraria ratio cernitur in repudiatis, qui ad interitum præcogniti, per repudiationem contrariam electioni pœnitentia & fide in Messiam carentes, in omnia scelera pronè labuntur,
Matth.25. dum pereant, sententia illa in eos pronunciata: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Dicas: Si maledictis & uasis iræ ad interitum paratis, non datur spiritus sanctus, cuius instinctu atque ui ad pœnitentiam & iusticiam fidei aspirent: quorsum ergo pertinent tot hortationes & admonitiones, & lex ipsa ex qua illę sumuntur? Iniquus sit legislator, qui legẽ ponat, quam sciat eos quibus ponit, non executuros. His rationibus, superiorib. & nostris seculis plures commoti sunt, ut liberam uoluntatem in homine statuerent, cuius ui possent omnes præcipienti & admonenti de rebus honestis Deo parere aut reluctari: atq; in eo impiorum condemnationem cerni, quòd salutem quam possint suæ liberæ uoluntatis ui amplecti, aspernantur. Quantus aũt horum sit error, satis clarè ipsæ sacræ literæ ostendunt, & certa sanctorum hominum experimenta comprobant. Si suæ uoluntatis ui possunt omnes ad salutem aspirare, omnis sua gratiæ & misericordiæ Dei gloria perierit, neque regeneratione in nouæ naturæ nouum lumen & uoluntatem opus erit, manebit que in uetere natura suus naturali lumini & uoluntati ad illud gubernatæ, honos & dignitas. Atque ita ex naturæ ipsius facultate indicabimus salutem nobis constare, non ex gratia, non ex fide, non ex Messiæ spiritu, non ex regeneratione in nouum & spiritualem hominem, cui cœlum pateat, mortificato uetere & animali.

Sic

Sic autem ſentire, eſt ea ſentire quæ cum confeſsis ſacrarum literarum locis, & cum communi ſanctorum hominum iudicio pugnant. Hi non perpendunt, legem ab ipſo Deo non poſitam eſſe, quæ naturæ ui præſtetur: neque adhortationes & monitiones inſtitui, quibus quiſquam ſua ui fretus pareat & obediat. Firmum enim eſt illud: At poſtquam bonitas & erga homines amor apparuit *Tit. 3.* ſeruatoris noſtri Dei, non ex operibus quæ ſunt in iuſticia, quæ faciebamus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis ac renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos opulentè, per leſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, ut iuſtificati illius gratia, &c. Dicit nos ſaluos fieri non naturæ ui, ſed gratia Dei: non natiua uoluntatis noſtræ facultate, ſed per lauacrum regenerationis ſpiritus ſancti. Eôdem pertinet illud: E- *Rom. 3.* tenim quod lex præſtare non potuit, ea parte qua imbecillis erat per carnẽ: hoc eſt, per hominem è ſpiritu ſancto nondum ſupernè natum. Qui homo cum ratione & uoluntate ueteris naturę, animalis homo in ſacris literis appellatur, qui ea quæ Dei ſunt non ſolum non percipiat, ſed etiam inimicè perſequatur. Cuius affectiones Apoſtolus mortem eſſe fatetur, & eas ut hoſtes Dei, legi ſubijci non poſſe dicit. Quare tantum abeſt ut lex per uim naturæ ueteris præſtetur, ut per eam nos etiam miſerè accuſet & condemnet, & noxam iram que *Rom. 7.* augeat. Vnde Moſes legis accuſationis & condemnationis miniſter appellatur, & lex damnationis miniſterio fungi dicitur. Sic enim de Moſe loquitur Dominus: Eſt qui accuſat uos, Moſes. Et Apoſtolus: Nam ſi adminiſtratio *Ioan. 5.* condemnationis gloriæ, &c. Vbi loquitur de Moſæa lege, per uim naturæ *2. Corinth. 3.* ueteris nos condemnante, non liberante culpa. Ex quibus uerbis intelligimus, legem non eſſe à Deo traditam, quam ij quibus tradita eſt, ſua ui præſtent: neque impiorum condemnationem in eo poni, quòd legem, quam ui ſua poſſint exequi, non exequuntur. Sic enim à ſacra ſcriptura uetus natura, cum tota ſua facultate & rationis & uoluntatis, ſub peccatum uendita confirmatur, ut niſi è ſpiritu Chriſti regenita ſit ſupernè, ſanctè rectèq; nihil neue cogitare, neue *Ioan. 3.* uelle, neue facere poſsit. Quare in hac cauſſa animaduertendum fuerit, ad deijciendum ueteris hominis faſtum, & ad commendandam clementiæ diuinæ magnitudinem, legem à Deo datam eſſe, qua uetus homo uitioſam naturam ſuam cognoſcat, & eam deplorans damnet: cognitaq; ea & damnata, medicinam quam tam letali morbo adhibeat, exquirat: & ea reperta, in filio miſericordiam Dei amplificans, cum uate oret, Miſerere mei Deus pro magna cle- *Pſal. 51.* mentia tua. Atque hoc ipſum eſt quod Apoſtolus legem pædagogum ad *Gal. 3.* Chriſtum uocat, à quo diuini ſpiritus uis legem exequendi, & admonitionibus diuinis parendi, non à uoluntate noſtra petatur. Itaque ut Moſæa lex perficiatur, ueteris hominis uires tentandæ non fuerint, ſed noui, & ea lex de qua apud Hieremiam Dominus meminit: Poſt dies illos dabo legem meam in ui- *Ierem. 31.* ſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, ut timeant: hoc eſt, uerè colant me, ſpiritu & ueritate. Quæ lex, Spiritus ipſe ſanctus eſt, in tabulis carneis uerſans: non in ſaxeis, in quibus Moſæa lex, dura & aſpera lex ſcripta legitur. De quibus tabulis meminit in hunc modum Ezechiel: Et auferam cor lapideum *Ezech. 36.* de carne ueſtra, & dabo uobis cor carneum, & ſpiritum nouum ponam in medio ueſtri, ut in præceptis meis ambuletis. Per hunc ſpiritum perficitur lex, non per uires naturæ: quæ non carneum, hoc eſt tractabile ad præſtandam legem cor continet: ſed lapideum, hoc eſt intractabile, & minimè ſequax ad præcipientis, & hortantis ad honeſta, Dei uocem. Quod ergo non præſtat lex Moſæa, per uim legis naturalis in ſaxeo pectore naturæ ſcriptæ: id præſtat ſpiritus ſacer Chriſti, ſplendente luce fidei in tabulis carneis & cæreis exaratæ. Hæc doctrina, cœleſtis Euangelij doctrina eſt: cui repugnat doctrina quæ legi & naturæ ueteri in comparanda ſalute quicquam tribuit, qualis eſt eorum do-

ctrina, qui liberum arbitrium defenderunt, & etiamnum defendunt, ignari regenerationis è sacro Messiæ spiritu homines. Dicas, sine gratia quidem Dei præcurrente, salutem à nemine parari naturæ uiribus, sed parari adiumento gratiæ. Qui sic docent, hi partim ex nobis, partim ex Christo salutem confici iudicant. Quàm autem grauiter errent, ex eo patet, quòd totius salutis Christum autorem esse non fatentur, partem salutis liberæ uoluntatis uiribus, partem illi acceptam ferentes. Fundamentum CHRISTVM IESVM,
1. Corinth. 3. quo salus nostra nitatur, sacræ literæ ponunt: quod fundamentum conuellunt, qui salutis partem nostrarum uirium mole sustentari uolunt. Apostolus Paulus iustificationem fide constare dicit. hæc autem non naturæ uires, non ullam creatam facultatem ponderat: sed in unum CHRISTVM, tanquam solidum fundamentum, quo fulciatur, se conuertit. Itaq; qui in iustificatione & in probitatis uitæ comparatione, suæ quoque rationis, sui luminis naturalis, suæ sapientiæ & industriæ uires metiuntur: hi in eam reprehensionem
Galat. 2. incurrunt, qua Paulus illos reprehendit, qui etiam ex lege iustificationem effici affirmabant, gratiam cum lege, uires humanas cum diuinis, ueterem hominem cum nouo horribili perturbatione confundentes. Veluti pharisæus ille fecit, in hunc modum Deo gratias agens, Lucæ decimooctauo: Gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri: ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Quid quæso is hypocrita & simulatæ iustitiæ ostentator, aliud faciebat sic orans, quàm ut cõfiteretur partim sibi hanc suam iustitiam, partim Deo tribuendam? Aliorsum igitur lex diuina, & adhortationes de illa seruanda pertinent, quàm quò liberi arbitrij assertores pertinere tradunt: non eò nimirum pertinere & spectare, ut intelligamus in humana uoluntate uim esse, qua ad salutem aspirari possit, & per quam cuique liberum sit oblatam salutem recipere & reijcere. Nam tota uetus natura Christi spiritu carens, ita damnata cæcitate oppressa est, ut neque quæ ad Dei regnum pertineant cernere, neque ullam uim ac momentum ad illud obtinendum afferre possit. Atque id noster propheta suprà his uerbis indicat: Omnis caro gramen est, quod ad solis calorem & æstum aret. Hoc gra-
1. Corinth. 2. men Apostolus his uerbis explicat: Animalis homo non accipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere. Sed quare non potest cognoscere? Subijcit: Quòd spiritualiter dijudicantur. hoc est, quòd Messiæ spiritu doctore & iudice, quo dijudicentur, opus habeant. Qui spiritus regenerator spiritus est, nouum in homine lumen & uoluntatem creans, mortificata ueteris hominis ratione & uoluntate, ea tanquam gramine & terrestri herba arefacta. Quò spectans Dominus noster ad Petrum dixit, Matthæi decimosexto, carnem nullam ad patefaciendum regnum cœlorum uim habere: Caro & sanguis tibi non reuelauit. Carnis autem nomine totus uetus homo cum intelligentia & uoluntate, quam habet, accipitur. Qui non maiorem ad regenerandum uim habet, quàm terra
Genes. 1. primùm ad illuminandum se & fructificandum habuit. Quæ supernæ lucis per spiritum in eius sinum illatæ, beneficio herbas, frutices, stirpes, atque uarij generis animantia protulit. Quare ad contemplandam misericordiam Dei in Messia, & ad accipiendam oblatam per Euangelium salutem, & ad ipsam generationem noui hominis, noua luce opus erit: quod fidei lumen est, non naturæ, per cœlestem spiritum in tenebras ueteris hominis immissum: non ullius, quæ omnis uana est, creatæ naturæ lumen. Hæc noua lux Messias est, in ijs qui fide illum amplectuntur ad æternam iustitiam & uitam lucens. Qua luce illustratus apostolus Paulus, uerè confessus est, ad Galatas secundo: Viuo tamen non ego, sed uiuit in me Christus. Per spiritum uidelicet, quem is ipse uiuificatorem spiritum uocat: Spiritus est qui uiuificat.
Ioan. 6.

Sed

Sed quorsum, dices, pertinebunt tot admonitiones & hortationes, si in naturę facultate non sit situm eis obtemperare? Primò, illæ eum usum habent, quòd indicant utrosq; , bonos & malos, uoluntariè, non ui quadam & coactè ferri, hos in malum, illos in bonum: & neutros duci uiolentè. Deinde commonemur, huiusmodi hortationes uim suam non uno modo in pijs & impijs ostendere: ut aliter sol lucis & caloris sui uim in cera quam liquefacit, aliter in luto quod indurat, ostendit. Si porrò electos illę tetigerint, in his spiritum diuinum excitant, qui cupiditates in carne aduersus legem in mente uigentem rebellantes refrenet atq; coherceat: nosq; admonent, perseuerandum nobis esse in pietatis studio, dum cœptum eius cursum conficiamus. Quare non frustra ad pios homines tam crebrò admonitiones fiunt. Etenim inueniunt hæ in illis quod expergefaciant: uim uidelicet sacri spiritus, cuius instinctu rectè se gerāt. Quò respiciens Apostolus in epistola ad Timotheum, sapienter usus est uerbo ἀναζωπυρεῖν. Eôdem respicit idem Apostolus, ubi legem, ut suprà expositum est, pædagogum ad Christum uocat, qui nos non ad naturæ uires reuocat, quibus freti oblatam salutem recipiamus, & uoluntati Dei satisfaciamus: sed ad Christum dirigit, in quo obediendi Deo uim reperiamus: spiritum nimirum sacrum ex eo hauriamus, cuius instinctu Deum, & eos qui Dei cognatione tenentur, amemus. Qui spiritus ut gratuitæ promissionis Dei donū sit, ex Mose & Prophetis alijs in locis ostendimus. Legimus autem in epistola quam Apostolus ad Galatas scripsit: Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus. Sed de cuius cœlestis doni promissione loquitur? De spiritus sanè adoptionis dono loquitur, qui nouum cognitionis Dei lumen, nouam uoluntatem, ueterem & eius uires mortificantem, in nobis creet, per quam liceat & oblatam salutem amplecti, & ei consentaneè ui uere. De qua promissione sic loquitur Apostolus in eodem loco: Vt in gentes promissio Abraham ueniret per CHRISTVM IESVM; & promissionem spiritus acciperemus per fidem: promissionem inquam spiritus Messiæ, in Mose & prophetis toties promissi, qui solus inchoaret & perficeret salutem: in participatum huius gloriæ, nullo modo humanæ rationis & uoluntatis uiribus admissis. Qui spiritus quoniam non ex lege & eius operibus, neq; ulla facultate ueteris naturæ accipitur, dicit Apostolus: Hoc solum uolo discere ex uobis, ex operibus legis ne spiritum acceperitis, an ex prædicatione fidei. Hæc de pijs. Si uerò filios Satanis spectes, in hos lex & eius admonitiones incidentes, eis pectoris sui uitia indicant, ob quæ manifestata, & non relicta, Deus iusto iudicio improbos punit, qui per legem primò peccatum patefacit, deinde ab eo dehortatur: demum si contumaciter rebellio continuetur, iure de ea supplicium sumitur. Atq; ita neq; in hac parte huiusmodi hortationes cum ad impios fiunt, frustrà tanquam ad truncos fiunt. Inueniunt enim uoluntariam ad scelera propensionem, per quam cum præcipites nutu suo in scelera prolabuntur, meritò diuinæ iusticiæ dant pœnas. Verè igitur iudicatur, à Deo pro bonitate ipsius reparari in suis quæ fecit, puniri quæ non fecit. Nam reparat naturam quam condidit, eam à uitijs expurgans per sanguinem agni: punit uitia quæ non condidit. Culpæ enim autor is non est, sed Satan, & uitiosa improborum uoluntas. Nam firmum est illud: Deus est iustus iudex. item: Deus est qui improbitate non delectatur. Et de Satane: Qui facit peccatum, ex Diabolo est. item: Concupiscentia carnis non est ex patre, sed ex mundo est. Etenim Deus, qui honesta præcipit, & turpia, tanquam æterna omnis honestatis lex, prohibet, malam uoluntatem & quæ ex ea scelera proficiscuntur, nunquam probarit, neq; quenquam ut uelit mala incitarit. Itaq; Deus non peccati cuiusquā autor est sed naturæ creator. Quare si qui pereunt, pereuntium est meritum: qui uerò seruantur, seruantis Dei est donum & gratuitum munus. Quod enim reus damnatur, inculpa-

Psal. 7. Psal. 5. 1. Ioan. 3.

bilis est Dei iusticia: & quòd reus iustificatur, Dei gratia est, & misericordia. Cur autem alij Euangelio, ut seruentur, credant per gratiam Dei: alij hac carentes, non credant, pereuntes: rationem eius rei Apostolus red-
Rom. 9. dit, ubi sic ad Romanos scribit: Tulit multa lenitate uasa iræ, apparata in interitum, & ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ, quæ præparauerat ad gloriam. Ex quibus uerbis intelligimus, quem diuina sapientia ordinem in operibus suis parandis seruet. Quædam nempe opera eius esse, quæ ipsi ut fiant, per se placeant: quædam per se non placere ut fiant, sed placere ut fiant propter ea declaranda, quæ per se illi ut in hac rerum uniuersitate fiant, probantur. Sic ei tenebræ per quas lucis dignitatem, mors per quam uitæ precia, infernus per quem cœli claritatem, ignominia crucis per quam cœlestis gloriæ splendorem patefaciat, probantur. Sic enim scriptum est, primo Regum secundo: Dominus uulnerat, ut sanet: mortificat, ut uiui-
Gal. 3. ficet: ad infernum tenebris & caligine obsessum detrudit, ut in cœlum sua-
Rom. 11. uissima luce diuinæ gratiæ splendens reuocet: & omnes sub peccatum concludit, ut omnibus misericordiam tribuat. Eodem consilio uasa iræ sub præscientia sua æterna, per repudiationem in interitum apparata tolerat, ut erga hæc suam iusticiam, & erga uasa gratiæ & misericordiæ magnitudinem declaret. Itaque hæc duo uera sunt, Deum odio habere peccatum: & ne committatur, lege cauere: uerum quoque, citra præscientiam & uoluntatem Dei peccatum non committi. Nam peccatum quod uoluntate Dei probante impellente & efficiente non designatur, uoluntate tolerante & sinente designatur. Sic enim scriptum est: Quos uult, indurat. Sed qua uoluntate induratur? Voluntas iam exposita est. Indurat inquam & cæcat uoluntate non largiente lucem, & subtrahente uim molliendi sacri sui spiritus: ut suam potentiam in induratos tyrannos, & gratiam erga emollita suorum
Exod. 9. pectora manifestet. Veluti legimus de Pharaone: In hoc ipsum excitaui te, ut narretur nomen meum in uniuersa terra. nomen uidelicet potentiæ & iusticiæ, qui superbos crudelesque tyrannos deijciam atque euertam, iusta de eis pœna sumpta: & meos in libertatem, pro mea bonitate uindicem, clementia mea in eos declarata. Sic sub peccatum & diffidentiam Deus dicitur concludere, non tribuendo spiritum fidei, ut misericordiam erga eos qui uitium suum ueniam precantes agnoscunt, patefaciat, Dei consilio considerato: quo licet intelligere, scelerum quæ committunt impij, & diffidentiæ qua uniuersum humanum genus obstrictum est, finem non esse tot mala, quæ in comitatu suo diffidentia & delicta habent, ut sunt bella, exilia, seruitus, fames, pestis, tot morborum genera, & tandem mors ipsa: sed declarationem & amplificationem misericordiæ diuinæ, quam erga eos qui laborantes infidelitate, ad fidem filij in quo seruentur aspirant. Similiter uasorum iræ finis, quem propositum habeat diuina sapientia, non illorum interitus est, sed declaratio clementiæ quam Deus erga eos quos in tabulis cœlestis regni scripsit, manifestet. Huc pertinet illud Domini de cæco datum responsum di-
Ioan. 9. scipulis: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. & Apostolus, ut citatum est, dicit, multa lenitate tolerari uasa iræ, apparata ad interitum. Sed ob quem finem? Finem explicat his uerbis: Vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ suæ. Quibus uerbis clarè explicat arcanum Dei consilium, de ratione qua alios ab æterno in mortis, alios in uitæ libro consignarit. Proinde aliter peccant & cadunt filij Dei, aliter Satan & eius filij. Nempe alteri cadunt peccando, resurrecturi: alteri in casu perituri. alteri enim extra clementiæ diuinæ manum cadunt, alteri in ea quibus suppositа est. de qua illud: Iustus cum ceciderit, non collidetur, quoniam Dominus supponit manum, ex qua nunquam excidat.

Hæc

Hæc beneuolentiæ Dei manus efficit, ut nulla mala in hoc mundo accidant, quæ non maiora conſequantur bona in electos manifeſtanda. Quò ſpectans Apoſtolus dicit: Omnia cedunt in bonum ijs, qui ſecundum propoſitum uocati ſunt. ſecundum propoſitum uidelicet electionis diuinæ, de quo ille idem: Vt maneret propoſitum ſecundum electionem. propoſitum nempe tribuendæ ſalutis, per electionem deſtinatæ. Quocirca Satan & maledictum eius ſemen, cum cadunt, cadunt perituri: electi uerò, & quotquot ex promiſsione filij Dei ſunt, labuntur ita, ut extra uolam manus fauoris diuini, in qua ſcripti ſunt, non labantur, ſed lapſi reſurgant. Quare alteris gratia peccati fit, alteris non item: alteri ſi delinquunt, in filium delinquunt, delicto condonando per ſanguinem illius: alteri in ſpiritum ſanctum delinquunt, delicto incondonabili. Hoc enim ſpiritu carentes, qui ueritatis ſpiritus eſt, cognitam per teſtimonium conſcientiæ ueritatem damnant, & odio perſequuntur, eam in iniuſticia ſuo ipſorum exitio detinentes. Vnde conſequitur, etiam hæc duo uera eſſe: Deus impium creat ad diem malum, Deus neminem creat ut pereat. Nam alia cauſſa eſt naſcendi, alia pereundi. Vt enim naſcantur homines, eſt Dei beneficium: ut pereant, eſt delinquentium uitium. Quare Deus quem creat, non impellit ut peccet, & peccando pereat. Nam quod creando fit, bonum eſt: quod peccando, malum. Quod malum accidit, Deo non admoliente manum ſuam, ſed amoliente: quatenus non tribuendo gratiam, quod bene creatum eſt, ſinit ipſum ſuo uitio ad interitum tendere. Hoc modo non largiendo ſalutem, dicitur impium creare ad diem malum, & uaſa iræ apparare ad perniciem, dum ſinit ea ſua culpa perire, quæ ſeruari per probitatem nolint. Sic apud Oſeam, ex Iſraele dicitur exitium proficiſci, non ex Deo: quòd per Deum non magis improbi & peccent & pereant, quàm aer per ſolem obſcuratur, cui tenebræ offunduntur: non eas præbente ſole, ſed eo lumen aut non tribuente, aut ſubiectis corporibus illud quo minus recipiatur, impedientibus. Quod ſi Deus affligere & uarias calamitates immittere in ſceleratos, & eos excindere dicitur, non propria ſua opera, ſed aliena facere intelligitur: propria uerò, cum ſeruat. Veluti is apud Eſaiam ſuprà teſtatur, cum ait: Sic in ualle quæ eſt in Gabaon iraſcetur, ut faciat opus ſuum, alienum opus ſuum. Itaque dicitur tolerare uaſa iræ apparata in interitum, ut per ea ſuum proprium opus, hoc eſt gratiæ & clementiæ opus, erga uaſa gratiæ patefaciat. Nam omnino Deus quantus natura eſt, tanta eius clementia & bonitas iudicatur: quam eius bonitatem mundus conditus, & tanta cura conſeruatus, eius'que collapſi inſtauratio per CHRISTVM IESVM declarat: cuius ſanguine ſacroſancto cuncta in cœlo & in terra, non ſine immenſa bonitatis diuinæ ſignificatione pacificantur. Quæ infinita Dei bonitas ut in mundo palàm declararetur, eius prouidentia per infallibilem omnium præſcientiam prouiſum eſt, ut hæc diuerſæ & contrariæ naturæ in mundo locum inuenirent, peccatum & iuſticia, ira & gratia, ignominia & gloria, mors & uita, maledictio & benedictio, infernus & cœlum, ignis crucians & lux lætificans ac exhilarans, uaſa iræ & uaſa gratiæ. Vt igitur uniuerſitatis decus poſtulauit ut uermes, pulices, muſcæ, ſerpentes, nocentes feræ, lupi, pantheræ, & ſi quæ uidentur contempta in mundo crearentur, ut quæ ſplendiſsima in hac uniuerſitate ſunt, magis apparerent, ad commendationem ſapientiæ diuinæ: (ueluti carpentarius officinam ſuam inſtruit, non ſolum pulchris inſtrumentis, ſed etiam deformibus & contemptis, quorum quis uſus ſit, ipſe nouit) ita ad declarationem ſuæ ſapientiæ, bonitatis, miſericordiæ & iuſticiæ, Deus uaria uaſa parat, in quorum alijs ſuam iuſticiam, in alijs miſericordiã, in alijs mortis & ignominię, in alijs uitę & glorię opera oſtendat.

Hæc abdita diuinæ ſapientiæ conſilia, & in crucis myſterio recondita perpendens ſacro ſpiritu afflatus Apoſtolus, in hanc exclamationem admirabundus
Rom.11. excurrit: O' profunditatem diuitiarum & ſapientię & cognitionis Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles uiæ eius? Per quam ſapientiam ſunt inſcrutabilia iudicia eius? Per ſapientiam & intelligentiam humanam ſunt inſcrutabilia. De ſpiritu enim diuinæ ſapientiæ quo ſancti ornantur, Apoſtolus alio loco ſic loquitur: At ſpiritualis dijudicat quidem omnia. item: Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei. & Apoſtolus de ſe, eo ſpiritu præditus, ſic prædicat: Nos autem mentem Chriſti tenemus. Quibus uerbis indicat, ea de quibus hactenus docuimus, ſibi per ſpiritum Dei fuiſſe patefacta: & ea huiuſmodi eſſe quæ filijs Dei patefiant ad amplificationem nominis diuini, & ad uſum conſolationis piorum. Sed quærere hic pergas: Si repudiati, inter uaſa iræ numerati, ſub præſcientia Dei infallibili improbi ſunt, & deſerti ſpiritu Chriſti ad probitatem & ſalutem nunquam aſpirabunt: neceſsitate igitur prænotionis diuinæ improbi erunt. Id autem cum improbitatis natura uidetur pugnare, quæ niſi à uoluntate liberè oriatur, improbitas non ſit cẽſenda: ut nec uolũtas uoluntatis nomen uidetur tueri poſſe, niſi liberè & uinulla coacta atq; impulſa, in rebus expetendis fugiendisq; feratur. Fatemur primò, infallibili præſcientiæ Dei propoſito, uoluntatem humanam cum ſuo conatu, ſtudio & actionibus ſubiectam eſſe: neq; ut falſa liberæ uoluntatis ratio defendatur, affirmari debere: præſcientiam Dei de rebus futuris ab humana uoluntate pendêre, non contrà uoluntatem & eius ſtudia à Dei propoſito & prænotione. In quo errore ſunt, qui liberam uoluntatem malè definientes tradunt, ab ea pendêre & librari præſcientiam diuinam, non cõtrà uoluntatem illi ſubijci: ſed quia quicquam ab ea futurum ſit, ideo à Deo præſciri futurum. Quam ſententiam qui ſequuntur, in Deo præſcientiam, prædeſtinationem, uocationem & iuſtificationem, totumq; ſaluandi nos propoſitum atq; ſtudium incertum atq; dubium reddunt. Qui error & naturæ Dei repugnans, & ſaluti piorũ aduerſus, ut deuitetur, ex ſententia ſacrarum literarum iudicandum & confitendum fuerit: quia omnia quæ in cœlo & in terra fiunt, Dei propoſito, conſilio & decretis fiunt, quibus nulla uis atq; poteſtas reſiſtat, quo minus fiat quod ille ipſe præuidendo decreuit fore: rationẽ humanam cum uoluntate & eius actionibus, neceſsitate decretorum Dei cõtineri atq; conſtringi, quæ nihil neue cogitet, neue eligat aut fugiat, quod ille nõ ſtatuerit ab æterno per prænotionem ſuam, ab ipſa cogitandum, eligendum & fugiendum eſſe: neque propterea improbos minus improbos fore, & uoluntatem nomen uoluntatis non retenturam, quòd omnia in hac rerum uniuerſitate infallibili & nulla ui eluctabili prouidentiæ Dei ſubiecta ſunt. Non enim cum improbitate & uoluntate humana ineuitabilis propoſiti præſcientiæ Dei neceſsitas pugnarit, ſed eam in qua coacti o & uis cernitur pugnare. Iam aũt improbi non inuiti & per uim improbi ſunt, ſed ſua uoluntate ad malum propẽſa. ueluti Satan, quòd neceſsitate ineuitabilis uitioſitatis cũ ſuis miniſtris uitioſus eſt, non minus propterea uitioſus & malus iudicatur, qui ſua ſponte & uoluntate ad malum procliuis ſit, non inuitus & coactus. Quemadmodum etiam neq; minus Deus bonus eſt, quòd quo minus bonus ſit, effici non poteſt: qui neceſſariò & natura bonus ſit, non fortuitò & (ut dicunt) contingenter. Idem de CHRISTO IESV Domino noſtro pronunciatur, qui etſi non poteſt non probus eſſe, nihilominus quia ſua ſponte & uoluntate probus eſt, uerè liberè probus dicitur. Idem iudicare licet de ſanctis angelis in probitate confirmatis, & electorum Eccleſia, corpore IE-
1.Ioan.3. SV CHRISTI, de cuius membris ſic loquitur Ioannes: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non committit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt. Quare repudiati neq; ſua culpa ſub neceſsita-

ceſsitate prouidẽtiæ Dei carent: neq; electi eadẽ neceſsitate incluſi, probitatis laude priuanť: q; neutri ui tales ſint, ſed ſua ſponte. Sed percõtetur hic aliquis, an ne cũ neceſsitate decretorũ diuinæ prouidẽtiæ pugnet rerũ cõtingentia: & quid omnino de libera uolũtate ſit ſtatuendũ? Quantũ ad quęſtionẽ de contingentia & fortuito rerum euẽtu attinet, ei in hunc modũ occurrimus. Si res quæ eueniũt, in ſua ipſarũ natura & cauſis ſecũdarijs cõſideramus, earũ cõtingentia, hoc eſt mutabilis in eis nequaq; naturæ, qua in utramq; partẽ uertantur, conditio ac ſtatus negať. Nam cauſæ ipſæ ſecũdariæ in agẽdo incertę ſunt, & incõſtãtes: & res quæ ex eis naſcũtur, quãtũ in ipſis eſt, modò moueri quocunq; motu, modò quieſcere poſſunt: & ſi humana cõſilia ſpectes, aliter atq; aliter ea uerti ꝓ uſu humanæ uitæ uidemus. Sin uerò res quę fiũt, in prouidẽtiæ Dei cõſilio atq; ꝓpoſito expendimus, quę fiunt, cõtingẽter & fortuitò nõ fiunt, ſed neceſſariò. Firmũ quippe eſt illud: Didici quòd omnia opera quæ Deus facit, perſeuerent in perpetuũ: nõ poſſumus eis quicquã addere, nec auferre. item illud Dauidis: Deus omnia quæ uult, facit in cœlo & in terra. item: Agit omnia ex nutu uoluntatis ſuæ. Eôdem pertinet mẽtio quã Dñs noſter de paſſerũ caſu, & numeratis ſuorũ capillis per certã & ineluctabilẽ patris omnia in cœlo & in terra numerãtẽ, menſurantẽ & põderantẽ prouidẽtiã, facit. Teſtanť hunc rerũ cõſtantem firmumq; ortũ, progreſsionẽ & exitũ ſub infallibili prænotione Dei, oracula per diuinos uates expoſita, quæ rerũ uices & cõuerſiones ut futuræ ſint, certò & infallibiliter denunciãt: ut regnorũ mũdi lõgè retro ſeculis prędictus, & ſuis tẽporib. proditus caſus documẽto eſt. Prætereo de patefaciẽdo Chriſto ad liberationẽ Eccleſiæ, & de Antichriſti regno in terra excitãdo, & eo rurſum deſtruẽdo, de cõſummatione mũdi reſponſa & uaticinia: quę ſanè clarè docẽt, omnia quæ eueniũt, & euẽtura ſunt, certo Dei ꝓpoſito atq; cõſilio, q̃d nulla uis impediat, euenire, & euẽtura eſſe. Hęc cũ meditata habẽt pĩ, magna ſui cõſolatiõe intra diuinę ꝓuidẽtiæ alas abſcõditi ſentiũt, nihil temerè atq; caſu, ſed omnia indeclinabili cõſilio diuinæ præſciẽtiæ fieri: huius cura rerũ omniũ in hac uniuerſitate ortum & progreſſum & obitũ regi: hac uitę noſtrę dies & momẽta, rerũq; proſperarũ & aduerſarũ uices numerari: hac Satanis & Antichriſti, orbiſq; terrarũ & tyrãnorũ imperio terminos quos nõ tranſgrediant designari: nõ ſecus atq; mari termini, extra quos nõ egrediať, præfiniti ſunt. In ſumma, cũcta in cœlo, terra, abyſſo, certis Dei ſentẽtijs, quib. nihil neq; addi neq; detrahi poſſit, teneri: cuius diuinę curę & ꝓuidẽtię, per hanc oẽm uniuerſitatẽ ſe fundentis cognitio, quãtum in reb. aduerſis moderatè ferẽdis cõſtantiã pariat, norũt & experiunť, qui huius doctrinę luce illuminati ſunt. Aduerſariorũ, qui ab illa diſſentiũt, eamq; aſpernanť, alios reperias, qui in fœdos de liberi arbitrij uiríb. & de iuſtificatiõe impiorũ, de pręſciẽtia & prędeſtinatione Dei errores incidũt: alios, qui negata hac Dei cura, ſua uolũtate, cõſilijs, prudẽtia ſubnixi, in oẽm libidinẽ labunť, dicẽtes, ut ꝓpheta eos redarguit: Non eſt Deus, qui ꝓbos uidelicet curę habeat, q̃s ſeruet: & improbos obſeruet, quos puniat. Hactenus breuiter, quid de rerũ cõtingẽtia ſtatuendũ ſit, monuimus. Altera quęſtio de libera uolũtate, q̃d de hac ſentiendũ ſit, propoſita fuit: In qua explicãda hęc nobis breuiter tractanda fuerint. Primò, an ſit libera uolũtas: deinde, ſi eſt, quot eius genera ſint: demum, ut ea definitiõe exponanť. Prius aũt q̃ quęſtio, An ſit libera uolũtas, explicetť, inquirendũ fuerit, quid nomine Liberę uolũtatis accipiať. Si accipiať libera uolũtas, quę pugnãs cũ neceſſario Dei ꝓpoſiti, neceſsitate nõ teneať, ut quę uult aut renuit, nõ ideo uelit aut rentiat, quia Deus pręuidẽdo ſtatuat ut uelit aut renuat: ſed quia futurũ ſit, ut aliquid uelit aut reſpuat, Deũ id pręuidere, & pręuidẽdo ſtatuere, ut uelit aut reſpuat. Qui ſic ſentiũt, & hoc modo liberã uoluntatẽ defendunt, quanto in errore uerſenť, tum ſacræ literæ, tum cõmunis ipſe ſenſus comprobat. Vt ſacrę literę confirment, omnia quæ futura ſunt, ideo futura eſſe & fieri,

Eccleſ. 3.

Pſal. 13.

& fieri, quia Deus æterna ſua præſcientia ſtatuerit fore & fieri, non eſt neceſſe ad id probandum teſtimonia, quæ infinita ſunt, adducere, & alijs locis & ſuprà ſunt adducta. De ſenſu communi, ut etiam aliàs indicatum eſt, ita conſtat. Qui dicunt, ad tuendam libertatem uoluntatis humanę, hanc prę ſcientiæ diui næ non eſſe ſubiectam: hoc eſt, non ideo aliquid euenire, quia præſcitum ſit à Deo fore: ſed ideo aliquid præſciri, quia euenturum ſit: iure quæritur ex illis, ſi ideo aliquid prænoſcitur à Deo, quia euenturũ ſit, unde id euẽturum ſit? à ſe ne, an à Deo? Si à ſe: ergo mũdus, qui futurus erat antequam eſſet, à ſe futurus fuit, non à diuinæ ſapientiæ præſcientia conceptus qui olim fieret: ſin uerò à Deo futurus fuit, conſequitur, non ideo quicquam à Deo præſciri, quia euẽturum ſit: ſed ideo euẽturũ, quia præſciatur fore: atq; ita omnia quæ futura ſunt, certis & immutabilibus conſilijs Dei futura eſſe. Proinde uoluntatis humanæ libertatem non in eo conſiſtere dicemus, quòd ſubiecta non ſit infallibili præſcientię Dei: ſed hac illam certò regi atq; gubernari, nihilq; ab ea expeti aut repudiari, quod non ſtatuente & mouente Deo expetat aut fugiat: ſiquidem in Deo omnes conditas naturas eſſe, moueri & uiuere, ut omnes confiteamur neceſſe eſt. Quare quàm turpiter in infallibillem prouidentiam Dei committant, qui fortuitos caſus & contingentiam rerum in diuina etiam mente metiuntur, ut uoluntatis libertatem tueantur: fides ipſa ſanctorum hominum, quæ ſe una prouidentia Dei ſuſtinet atq; librat, comprobat. Hęc enim animaduertit, mundum ex nihilo conditum: & priuſquam eſſet, qualis futurus eſſet, à diuina mẽte præcognitum: & ut præcognitus eſt, ſapienter in tempore elaboratum: & eundem finem, ſub eadem præſcientia habiturum: ex qua ſententia & futura pendeant, & prętérita non præterijſſent, niſi ut ipſa præterirent, conſtituiſſet apud ſe diuina prouidentia. Quæ eſt in mente Dei res ipſas condendi, & conditas adminiſtrandi, ad amplificationem nominis ſui, & piorum uſum ac ſalutem æterna ratio. Hæc Dei noticia, uera noticia eſt, quam fides format: diffidentia in ijs euertit, qui in uoluntate noſtra non omnes motus & conatus à Deo motore & autore pendere, neq; eius conſilio ineuitabili omnia tum præſentia tum futura, tum bona tum mala contineri ſtatuunt. Contrà ſentit piorum fides, quæ ſcit ſpem nullam de futura ſalute certam haberi poſſe, ſi cogitandum nobis ſit, nõ ideo nos ſaluos fore, quia præſciẽtia ſua ſtatuat nos in CHRISTO ſaluos facere Deus: ſed quia ſalui ſumus futuri noſtra uoluntate ui ſua ad ſalutẽ aſpirante, & de ſuo aliquid addente, ideo nos Deus ſaluos præſciat futuros, neq; alio modo ſalutem nobis cõtingere. omnia in tali cogitatione lubrica, fluxa & ambigua ſunt, omnem ſpem de cœleſti hæreditate cernenda delumbantia, & arrabonem ſpiritum noſtra corda de illa obſignantem eripientia: cuius teſtimonium, quoniam id neq; fallit neq; fallitur, non ex noſtra uoluntate pendet, ſed ex eius uoluntate qui illum in noſtro pectore deponit, ut teſtificetur nobis ſalutem ſecundum diuinã electionem eſſe firmam: non ſecundum noſtram uoluntatem, quæ fallit & fallitur, infirmam. Itaq; aliter diuina præſcientia ſe habet, aliter humana. Cum hac quoniam non ſemper efficiendi facultas id quod præſcitur, cõiuncta eſt: non protinus quia prę ſcimus aliquid futurum, id à nobis fit: ab illa uerò quoniam omnia quę oriuntur, pendent, & cum ui efficiendi id quòd prenoſcitur copulata eſt, efficitur, idcirco quidq; euenire, quia à Deo prę ſcitum ſit fore, qui rebus futuris & uoluntatis noſtrę conſilijs fines & terminos prę uidendo deſignat, non contrà res futurę & uoluntas noſtra modum prę ſcientię illius prę finiunt ac determinãt. Hęc de hac parte, liberam uoluntatem non debere definiri, quę prę ſcientię diuinę rerum certò & infallibiliter futurarum, non ſit ſubiecta: ſed eius naturam, conatus & motus omnes ab illa pendere, ut nihil moliatur, expetat, fugiat, quod non prę ſciente, decernente, & ſtatuente ab æterno Deo in uerbo ſuo Meſſia benedicto, moliatur, expe

Epheſ. 1.

tat,

tat,fugiat. Pergamus percunctari de ratione liberæ uoluntatis, an'ne libera uoluntas accipiatur facultas esse, qua proposito aliquo siue bono siue malo, liberum sit paribus momentis,alterutrum amplecti aut repudiare. Neq; hoc modo ulla uoluntas libera erit in utramq; partem. Nam si propositum sit bonum, id ut bonum agnitũ,tam naturà suà uoluntas expetet, quàm graue deorsum,& leue sursum,atq; cœlum in orbẽ suo instinctu fertur. Contrà si malum sit quod offertur,eodẽ naturæ impulsu uoluntas id auersabitur,siue omnino id malũ sit ac noxiũ,siue sub specie mali sit repręsentatum.Mouetur enim uoluntas,prout res ei obiecta boni aut mali speciem prætulerit.Hæc ita nota sunt, ut qui cõtraria sentiat,eum res ipsa & cõmune de bono & malo iudiciũ redarguat. Quod si quis dicat,plures mala expetere posthabitis bonis:fateor.sed ita expetunt, si speciem boni habeant,quæ probentur:qua si omni careant, & agnita sint tanquam mala,tam natura repudiantur, q̃ à rebus grauibus cœlum, & à leuibus terra. Dicas,si natura uoluntas non minus bonum amplexatur, & malum auersatur, quàm graue deorsum & leue sursum fertur, & omnia ineuitabili Dei proposito fiunt,quis igitur locus erit consilijs & deliberationi? Responsione hac, quæstio diluetur. In deliberando naturalis arbitrandi uis sese uero & bono, falso & malo cognoscendo accõmodat, quorum alterum per uoluntatem sequare, alterum uites. Si porrò malum offertur, & id agnoueris esse malum, ipsum naturali instinctu declinabis, siue bonum expetes. Si duo bona occurrunt,& alterum alteri præstat usu,quod melius apparet,naturæ ui,quam Deus tibi inseuit, prosequêris:Sin paris momenti bona quæ offeruntur fuerint,utrũque amplectêris: sin autem maius aliquod malum obstat, in quod incurras,si bona ista prosequare, differs amplexum istorum bonorum naturali uoluntatis tuæ impulsu,quæ malum nutu suo fugit,& bonum appetit, eõ dirigente indeclinabili prouidentiæ diuinæ cura, quæ cuique expetendi bona & fugiendi mala,semina indidit, quibus singula sui conseruationem moliantur, amplexu rerum salutarium,& declinatione noxiarum: neque ulla creata natura malum omni boni specie carens persequetur amore,& bonum agnitum pro bono fugiet. Itaq; uoluntas non finietur uis aliqua esse, per quam liceat æquè bonum & malum persequi,& qua propositis honestis & turpibus in alterutrum pariter feramur.Nam hunc in modum accepta libertas uoluntatis,in hac rerum natura ea nusquam reperietur.Nam si Deum spectes, is sic honestis rebus afficitur, qui sit ipsa honestatis omnis regula,ut turpibus nequeat. Idem iudicium est de IESV CHRISTO Dómino nostro:neq; etiam in cõditis naturis ratione prędítis isto modo liberam uoluntatem inuenias.Nam hæ si bonæ sint,Dei spiritum habentes,ui qua honesta expetunt,turpia non expetunt, nec unquã expetent.Etenim ea uis qua honesta expetũt,sacri spiritus uis est, qua solum quæ honesta sunt liceat cupere,non turpia & inhonesta.Sin uerò malæ sunt,uoluntate qua in turpia propendẽt,in honesta minime ptopendebũt & ferentur.Nã ut recta uolũtas in recta,ita praua in prauta inclinarit. Huc pertinet similitudo illa, quã Dñs de arbore bona & mala affert. Itaq; cũ in renatis spiritu Dei duo homines cernantur,alter uetus & exterior atq; carnalis,alter nouus & interior atq; spũalis:ita nõ una uoluntas in utroq; est,sed duę: quarũ altera per legẽ carnis,quę est grassans aduersus spũm in mẽbris mortis cupiditas,turpib.reb.delectat:altera per legẽ mẽtis renouatę spũ sancto,honestis afficit:neutra utroq; inclinat.Hinc per alterã uoluntatẽ semper peccare, per alterã nunq; peccare nos sentimus.Per alteram enim ex terra terreni,à primo Adamo in uitiosam naturã ppagati sumus: p alterã ex cœlesti spũ cœlestes homines in naturã integrã,ex parte quidẽ in his seculis nascimur. Dicas,Moses Israelitis suis uitã & mortẽ,felicitatẽ & infelicitatẽ proponit,liberũ esse indicãs eis,utrũ uelint eligere:libera igit uolũtas,hoc est una aliqua uis ac facultas in nobis boni & mali eligẽdi erit.

Matth.12.

Moses

Moſes non uult in Iſraelitis unam aliquam uim eſſe, qua pariter bonum & malum amplectantur, & eligant: ſed quod elígunt, ſua ſponte elígere, ſiue bonum id ſiue malum ſit. uoluntate enim recta eos ſolum honeſta, non turpia expetituros, in Deuteronomio ſic oſtendit: Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut eum toto corde ames, quem antea uitioſa uoluntate contempſeras. Idem oraculum ex Moſe ſumptum, ſed alijs uerbis Hieremias exponit ubi nouum fœdus quod non uiolent, cum illis ſanciendum prædicit, per quod lege ſpiritus uitæ in tabulis cordis eorum carneis ſcripta, Deum fide & amore culturi ſint, non ab eo defecturi, ut antea feciſſent. Similiter ubi legimus Chriſtum reprehendere Hieroſolymam, toties oblatam ſalutem repudiantẽ: Quoties uolui te congregare, & noluiſti: non indicat Dominus, Hieroſolymam liberam uoluntatem habuiſſe, cuius ui potuerit ſalutem pariter et recipere & reijcere: ſed quòd renuit, ſua ſponte renuiſſe. Gerebat enim hæc illo tempore in ſaxeo corde legem ſcriptam, per quod durum cor repudiauit toties propoſitam gratiam: non prius in carneis tabulis latura legem ſpiritus Meſsiæ, quàm appetierint tempora reconciliationis, quibus his uerbis gratulabunda Chriſtum excipiet: Benedictus qui uenit in nomine Domini. De his hactenus, líberam uolũtatem nõ eſſe definiendam pro ui aliqua una, qua quis ęquè bonũ & malũ expetere poſsit. Tertiò licet percunctari, an ne libera uoluntas ſit accipienda pro ui, qua quæ expetimus uel fugimus, noſtra ſponte expetimus aut fugimus: ut liberũ idem ualeat quod uoluntariũ, pugnãs cum uiolento, et eo quod ui impellitur. Si hoc modo accipitur líbera uoluntas, pariter in Deũ & cæteras naturas rationis conſortes congruet. Siquidem qui ſic intellectã liberã uim tollat à uolũtate, uoluntatẽ ipſam ſuſtulerit: quæ uoluntatis naturã tuebitur, ſi quæ expetit, uolũtariè & ſponte expetat, & contraria fugiat. Sic accepta líbertas, cum preſciẽtiæ diuinę ineuitabilitatis neceſsitate, ut ſuprà indicatũ eſt, nõ pugnarit. Atqui non eodem modo líbera uoluntas ſic definita Deo tribuetur, & cæteris naturis ratione præditis. Nam Deus ſic liberè, hoc eſt uoluntariè, quæ deligit, deligit, & quæ renuit, renuit, ut pro nutu & arbitrio quę uelit efficiat, & quę nolit fieri, non fiant, nulla ui eius uoluntatem præpediente. De qua libera efficiendi uoluntate Dauid meminit: Dominus quęcunq; uult, facit in cœlo & in terra. Hoc modo definita líbera uoluntas, in creaturis rationem habentibus non cernitur, in quibus effectus ab affectu longè diſtat: quæ quidẽ líberæ affectu ſunt, non item effectu, hoc eſt ui efficiendi id quo afficiuntur. Harum nempe uoluntatem & conatum ſæpe impedit Deus, ne perficiatur. De quo Salomon ſapienter his uerbis loquitur: Conſilia ineuntur ab homine, ſed omnes greſſus dirigit Dominus. Et idem de Dei conſilio & uoluntate: Multæ ſunt cogitationes hominis, ſed Domini conſiliũ ratum eſt. Quæ Dei uoluntas cum ui exequendi id quod uult coniuncta, & in impijs non coniuncta, nobis magnam conſolationem affert. Etenim inde intelligimus, Satanem cum ſuis miniſtris uolũtati Dei ſubiectum eſſe, cum ſuis conſilijs & nocendi ſtudio, neq; illi plus in pios licere quàm ei permiſſum ſit à Deo. De quo ſic canit uates: Dominus diſsipat conſilia gentium: ne uidelicet id quod uolunt, & moliuntur contra filios Dei, exequantur. Sic tyranni ante & poſt diluuium impediti ſunt, ne ſuam uoluntatẽ explerent: ut Caina familia, Pharao, Aſſyrius, Sennacheribus, Babylonius Nabuchodonoſor, Græcus Antiochus, & Romani tyranni, Diocletianus, Domitianus, & alij exemplo ſunt. In horum imperio natam ex terra beſtiam Antichriſtum, terram non cœlum ſapientem prętereo: cui ſi liceret ea quæ uult, præſtare & opere exequi, actum eſſet de pietate & regno Chriſti, actum de pijs Chriſtum & eius Euangelium colentibus. De qua imbecillitate eorum, & Chriſti potentia, licet pijs ſibi gratulari: illos ſcilicet non plus poſſe quàm Satan in Iobum potuit, de quo ſic ſcriptum eſt: Tantum ne extẽdas manum tuam, &c. Demum

Deut. 30.

31.

Matth. 21.

Prouerb. 19.

Pſal. 33.

Iob. 2.

mum, si definietur libera uoluntas, ut sit uis & facultas, qua liceat recto ueroq; animi iudicio congruenter quippiam expetere aut fugere, ea ratio liberæ uoluntatis probabitur. At uerò ut bifariam de animi iudicio recto loquimur, uno modo de eo quod innatum homini lumen fingit, altero quod diuini Spiritus lux format, ita liberæ uoluntatis bipartita ratio est. altera, qua duce natura bonum sequimur, & malum fugimus, conuenienterq; rationi pro modo creati luminis nos gerimus. huic liberæ uoluntati actiones, studia & ciuilis iusticiæ officia subiecta sunt, ad conseruandas tum domestici tum ciuilis imperij leges. altera ratio est, qua liberum arbitrium definitur uis, qua præfulgente luce fidei, nos id quod bonum est & rectum, pro dignitate eius, ex sententia Dei ad innouandam uitam, per recuperatam probitatem quam Deus probet, amplectimur. De qua libertate Apostolus: Vbi spiritus, ibi libertas. item Christus Dominus noster, huius libertatis autor: Verè liberi estis, si uos filius liberos fecerit. Hæc libera uolũtas in nouo homine nato supernè è Spiritu sacro, locũ habet, non in uetere: atq; statum cõtinet, in quo deleto peccati & mortis iure, uitæ & iusticiæ iure liceat uti. Quantum ergo inter hoc genus liberæ uoluntatis, quam regenerans spiritus creat, & illud alterum quod regitur lumine naturali, interest, facile ex utriusq; definitione cognoscitur. Porrò altera libera uolũtas lumine creato, altero non creato, quod Deus ipse sit, in sanctorũ animis lucẽs, gubernatur. In altera moralis & ciuilis iusticia, quæ legis iusticia est, uersatur: in altera uerò Dei iusticia, per fidem nobis in Messia & per Messiam cõmunicata. Per alteram uoluntatis libertatem peccati & mortis ius superatur atq; deletur, uitæ iusticiæq; iure adsignato. de qua libertate illud: Lex spiritus uitæ liberum me reddidit per Christũ Iesum à iure peccati & mortis. ut contra alterã uoluntatem lex Mosæa regit, quæ prælucente lumine naturali, nõ solum iure peccati & mortis non liberat, sed etiã suos sectatores illi obnoxios reddit. Firmum enim est illud: Lex auget peccatum, & iram operatur. item: Execrationi est obnoxius omnis qui lege tenetur. Altera præterea libertas nouum hominem efficit: altera ueterem suo ingenio relinquit, dum eius cupiditates malasq; affectiones & uitia nõ abstergit. Vnde fit, ut altera alterius sapientiam & iusticiam pro stultitia habeat: & sapientia Dei Christus Iesus dicat, se non in mundum hunc de cœlo uenisse propter iustos & sapientes quos mundus is habet, sed propter iniustos quos iustos, propter stultos quos sapientes redderet. Postremò, altera libera uoluntas omnibus naturis mente ornatis & ratione cõmunis est: altera propria est filiorum Dei, qui soli ad nouam naturã, iusticiam, sapientiam, uitam & gloriam cœlestis regni reparati, huius libertatis qua peccato & morti dominentur, participes redduntur. Quocirca ut suum est philosophorũ & sapientum huius mundi, omniumq; eorum qui rationis iudicio utuntur, cognoscendi res & de eis iudicãdi lumẽ, sua doctrina, sua sapiẽtia & iusticia: ita quoq; filij Dei suam lucem, suam doctrinã & legem, quæ cœlestis Euãgelij doctrinæ, spiritusq; sacri lex est, suam demùm liberam uoluntatẽ quæ uerè libera sit, habent. Inter quam liberam uoluntatẽ, & illam superiorem, tãtum discrimen est, quantum inter lucem & tenebras, inter uitam & mortẽ, inter ueterem naturam & nouã esse cernitur. Beati, qui doctore spiritu Christi hoc discrimen intelligẽtes, alteram libertatem sequũtur per abnegationem alterius, ut posthabitis tenebris, in luce ueræ iusticiæ & uitæ partem habeant. Nam in hac ultima definitione liberæ uoluntatis, primi generis libera uoluntas solum quadam ex parte & in suo genere talis est, non simpliciter & omnino: cùm uerius nostra uolũtas serua peccati, propter uitiosam naturã quam uincere nequeat, iudicari debeat. Ex his quæ hactenus in hoc loco, & Genesi, Exodo atq; Deuteronomio, & in Ecclesiaste explicata sunt, intelligitur, quid de prescietia diuina, de electione & repudiatione, deq; discrimine electorũ & reproborũ sentiendũ sit: ut hos repu-

2. Cor. 3. *Ioan. 8.* *Rom. 8.* *Galat. 3.* *Rom. 7.* *Matth. 9.*

dians ira Dei, per quam ſpiritu regenerante priuantur: illos uerò diuina gratia & beneuolentia, qua ornentur ſacro Chriſti ſpiritu, antecedat. Quid præterea naturæ ueteri tribuendum, ad comparandam ſalutem: an hæc ui ſua ſiue ſola, ſiue gratia Dei adiuta illam moliatur. Demum, ut uarijs quæſtionbus quæ in hac cauſſa ſolent moueri de libera uoluntate aut arbitrio, occurratur, ſententia, pro dono diuini ſpiritus quod nobis pater cœleſtis per filium Chriſtum IESVM largitus eſt, ex ſacris literis expoſita eſt: ut etiam ab alijs hæc cauſſa accuratè & copioſè explicata eſt. Redeamus ad inſtitutum.

Hæc dicit Dominus, Ego ſum.) Explicatur fructus redemptionis, qui in confeſſione nominis diuini cernitur. Chriſti nomine cenſeri paſsim electi ſe dicent, nullius alterius: non Franciſci, non Dominici, non Thomæ, non Auguſtini, non Mahumeti, ut in regno Antichriſti fieri cernimus. Sed dicent redempti ex regno tenebrarum, ſe unum Deum patrem in filio Meſsia ſpiritu & ueritate colere, nullum alium: ut etiam nemo alius Deus præter Deum patrem, nemo alius Dominus præter IESVM Chriſtum eſt. Confitebuntur igitur cum
1. Corinth. 8. apoſtolo Paulo: Nobis unus eſt Deus, qui eſt pater, ex quo omnia orta ſunt, & nos in illum orti & geniti ſumus, eius naturæ conſortes: & unus eſt Dominus IESVS Chriſtus, per quem ut patris uerbum, omnia condita ſunt, & nos per illum, filij Dei geniti ex eius cœleſti ſpiritu, per quem adepti ius adoptionis
Rom. 8. clamamus Abba pater.

Et ille inuocabit in nomine Iacob.) ſobolē Iacob ex promiſsione & ſpiritu ſe gloriabitur eſſe, non Eſai, non Iſmaelis.

Et hic ſcribet manu ſua, Domino.) Alios ſcripto declaraturos ſe Iehouæ eſſe, in eius iura legemq; Euangelij iuratos: ut ſunt, qui monumentis literarum teſtantur ſe neminem alium redemptorem & arbitrum ſalutis agnoſcere quàm IESVM Chriſtum, contra draconem & filium eius Antichriſtum,

In nomine Iſraelis aſſimilabitur.) nomine Iſraelis ſe nuncupabit. Fatebūtur ſe ueros Iſraelitas eſſe in Meſsia & per Meſsiam uictores & dominos omnium, peccati, mortis, inferni. Quàm excellens eſt hoc nomen, quo qui nuncupātur, ſe etiam Dei uictores cum Iacobo intelligunt eſſe. Vt autem hæc uictoria comparetur,
Geneſ. 32. aliàs indicatum eſt.

Hæc dicit Dominus rex Iſrael.) Ad confirmandos ſuorum animos aduerſus idololatriam Babyloniam, & eos retinendos in fide, argumenta probantia diuinitatem eius Dei qui electis proponitur colēdus, repetunt, quę ordine exponētur.

Rex Iſrael.) A' regno ſuo & principatu idola euertit, quæ regno ut res uanæ careant.

Et redemptor eius.) A' redimendi poteſtate, quam dij uani nullam habeant: qui ne ſe quidem, quo minus pereant, tueantur ac defendant.

Dominus exercituum.) ſupernorum & infernorum: dijs uanis, quos Babylon meretrix ſupra ſeptem colles ſedens colit, nullum dominatum tenentibus.

Ego primus.) rerum omnium autor & conditor, ante quem nemo alius: cum idola ab hominibus fingantur, nihilq; ipſa efficere poſsint. item, Ego primus, qui ſalutem meis do à condito mundo, nemo ante me alius.

Et ego nouiſsimus.) Secundum quem nemo alius, in quem ut finem omnia redeant, ad comparandum optimum ſtatum. & cum uani gentium dij ſubinde in nihilum abeant, ego neue principium neue finem habens, in omnem æternitatē duro. Itaq; quoniam ex Deo ut principio omnia proficiſcuntur, & in Deum ut finem redeunt, dicit Ioannes, ponderans prophetę noſtri uerba, Dominum eſſe α καὶ ω, hoc eſt principium & finem omnium. Idem duce lege naturæ conſiderantes Pythagoræi, Echo uenerandam eſſe tradiderunt, ut ſacrum reditus omnium ad Deum principem cauſſam ſymbolum. Eſt enim Echo illiſa in concauis locis uox, & ſpiritu ad principia unde progreſſa eſt, relata. Nec non quia

à Deo

à Deo uno rerum omnium principio omnia oriuntur, & in eum ut finem reuertuntur, dixerunt sapientes uiri, omnia unum esse: ut in uno principio Deo. Sicut omnes numeri unum sunt in unitate, ex qua dimanant, & in qua continentur.

Et præter me non est Deus.) omnia intelligens, omnium conditor, conseruator & gubernator, & in rebus aduersis adiutor. De hac Dei descriptione præclarè etiam in Sibyllinis oraculis canitur:

Ἀρχὴν καὶ τέλος οἶδεν, ὃς οὐρανὸν ἔκτισε καὶ γᾶν.
πάντα γὰρ ἐξ αὐτοῦ, τὰ ἀπ' ἀρχῆς ὡς τέλος οἶδεν.
μοῦνος γὰρ θεός ἐστι, καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλλος.

Quis similis mei?) sapientia, bonitate & potentia: cum in diis gentium profanarum, ut surdis & mutis, omnique sensu & ratione carentibus, nihil illorum appareat, quæ in Deo redemptore Israel apparent.

Vocet & annunciet.) A scientia rerum præteritarum & futurarum comprobat diuinitatem suam, qua scientia careant dij alieni, & eorum cultores. Si quis horum similem mei se existimat, uocet, hoc est clarè perspicueque doceat, quid ab exordio mundi acciderit, & quæ futura sint præsignificet, ut ego per prophetas meos præsignifico. Dicat hic aliquis: Si Deus solus sibi uendicat indicandi res futuras facultatem, quid ergo faciemus iis, qui ex astrorum conuersione, & affectione quam inter se habent, & ex caussis in natura repertis, futuras res significant? Prudentes item homines, futurum rerumpub. casum sæpe animaduerso præsenti earum statu prædicunt. In præsentia non accipitur prædictio, quæ uel ex caussis naturalibus, uel coniecturis conficitur: sed qua sine caussis antecedentibus clarè & perspicuè, nominatis etiam attributis locorum, temporum & personarum, futura præsignificantur. Qualis soli Deo tribuitur, nemini alteri, qui ex se euentura hoc modo denunciet.

Et ordinem exponat.) Explicat quo ordine singula ab initio disposita sint: ipsa uidelicet elementa mundi, & ex his res concretas, stirpes & animantia, atque per terrarum orbem dispersos populos, & eorum regna atque imperia. Quod si profanarum gentium historici res præteritas commemorant, non tamen ita commemorant, ut sacræ literæ afflatu diuini spiritus proditæ commemorant. Nam hæ solæ ostendunt, quando mundus conditus sit, & quot annis durarit, quotque annos ante diluuium sancti patriarchæ uixerint, & quot anni ab exordio mundi usque ad diluuium, & à diluuio usque ad Abrahamum, & ab hoc usque ad Dauidem, & à Dauide usque ad Messiam fluxerint: & quãto tempore sit regnaturus Messiæ aduersarius. Quorum omnium certa narratio ex nullis aliis literis quàm diuinis, autore sacro Dei spiritu traditis, constat. Atque hoc ipsum est, quod hic ad illudendam deorum alienorum uanitatem scriptum legimus: Quis ordine res ab exordio mundi gestas & factas exponat?

Noli timere.) Accommodat comprobationem suæ diuinitatis, ad confirmationem fidei suorum electorum, aduersus idololatriam, quam Babylon sedes omnis generis idolorum sectatur: ne hac decepti, à uero Dei cultu metu tyrannorum, qui cum fœda meretrice meretricantur, deficiant, aut in falso perseuerent. Necessaria est his temporibus hæc hortatio.

Ex tunc audire te feci.) Confirmat suorum animos in uera religione, ab eius antiquitate: iam olim & ab initio per patriarchas & prophetas significatum, non esse alium Deum mundi conditorem quàm se, neque aliam regionem quàm eam quæ patriarchis ante diluuium, primo Adamo, Abeli, Setho, Enocho, Noæ. & post diluuium ex Noa posteris Semo, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iosepho, Mosæ, sanctis iudicibus & regibus, prophetis usque ad Messiam, ab hoc Apostolis, & per hos electis patefacta sit. Hic acriter perstringuntur Antichristi pseudoprophetæ, qui ab antiquitate suam falsam religionem

nem confirmantes, cæci & duces cæcorum non animaduertunt, aut per malitiam animaduertere nolunt, eam religionem quam ipsi refellunt, & pij seruant, antiquissimam esse, à condito nimirum mundo primo homini à Deo traditam, eamq; ab illo per manus à posteris receptam, de uno colendo Deo in Messia. cui aduersarij religio per omnia contraria est, ut quæ humanis doctrinis, in orco dracone autore excogitatis, repleta, nihil aliud quàm meram idololatriam sapiat, omnia per tot sectarum superstitionem mendacijs & fallaci hypocrisi perdens. Comprobatur hic ab antiquitate uera religio, quæ iam olim tradita sit electis: sed ita probatur, ut testimonium ueritatis quod electi dent, à Domino non negligatur. Sic enim hic subiũgitur: Vos estis testes mei. Quib. uerbis ostenditur, ad antiquitatẽ accedere uerum testimonium partim ex uerbo Dei, partim ab operibus admirandis quibus uera religio confirmata sit, partim ex lege in conscientijs scripta mutuatum. Horum autem nullo aduersariorum falsam religionem corroborari: non uerbo Dei, cui contraria illa sit: non præclaris operibus, quibus careat: non conscientiæ testimonio, quæ reluctetur illorum idololatriæ. Nam in hac naturæ lumen de uero lucens, ostendit unum Deum esse conditorem mundi, qui ex uerbo & doctrina eius, non humana colendus sit: eiusq; oraculis & uerbo omnia in hoc mundo subiecta esse debere. Quo uerbo Ecclesia si qua regitur, eam uerã esse Ecclesiã: quę non regit falsam esse, non uerã. Itaq; noster uates rectè suprà admonet: Ad legẽ & testimonium.

Vos estis testes mei.) quib. ex uerbo meo, uobis patefacto per prophetas meos, cognitus sum. Voluit enim Deus ex Abrahamo sobolem nasci, ut esset certa gens, in qua uera religio per manus à patriarchis propagata, & à Mose literis mandata, cum promissionibus usq; ad seruatorem Christum, mundo representatum, sedem suam teneret. Hæc paucis his uerbis indicantur: Vos estis testes mei. Quæ præstans est dignitas Israeliticæ gentis: in qua Deus suæ amplitudinis, sui Messiæ, & omnium bonorum quæ ab illo proficiscuntur, testimonium reponeret. Sed non minor est electorũ in uniuersum dignitas, qui secundum promissionem Israelitę sunt. Nam hos selectos scimus, penes quos religio uera uigeat, & eius testimonium per spiritum adoptionis floreat. quo afflati, constanter contra mundũ, contra principem mundi Satanem, contra aduersarium ex Satane natum, & contra orbis terrarum tyrannos & eorum idololatriam testãtur, unum Deum patrem esse in uno Messia, Deo ex Deo, & homine ex homine, spiritu colendum esse. Ad hos quoq;, reducto uelo Israelitarum, dicitur hic, Vos estis testes mei: ut id suprà quoq; indicatum.

Plastæ idoli omnes uani sunt.) A' uanitate conditorum, idolorum uanitatem comprobat: ut contrà à bonitate conditoris Dei, mundus is, & quæ mundo à Deo condita continentur, in bonis & commodis numerantur. Hinc sententia hæc in res conditas pronunciata est: Animaduertit Deus cuncta quæ fecerat, & e-
Genes. 1. rant ualde bona. Vanitatem autem eorum qui fabricantur idola, declarat abscessus à summo Deo per perfidiam ad rerum uanarum cultum: quarum Domini cum sint idololatrę, earum se seruituti magna insania addicunt, ut sanctè hoc carmine Sibylla hos irrideat:

τύφῳ καὶ μανίῃ ϳ, Βαελίζετε, καὶ προίβου ὀρθὴν
Εὐθεῖαν προλιπόντες, ἀπήλθετε, καὶ δι' ἀκανθῶν
καὶ σκολόπων ἐπλανᾶσθε.——

Et amantißima eorum.) Vanitas idolorum probatur, quòd nullam suis autoribus & cultoribus utilitatem afferunt, quam afferat Deus conditor mundi suis. Preciosa etiam & expetenda quæ idola habent, ut sunt aurum, argentum & gemmæ, quibus ornãtur, nihil prodesse cultoribus: ut quæ retineant idola, alijs non largiantur. Quare sunt interpretes, qui חמודיהם interpretãtur de expetendis, quibus ornantur idola: hæc quoq; inutilia esse cultoribus.

Ipsi

Ipsi sunt testes eorum.) Firmum argumentum de uanitate idolorum, ab eorum qui illa colunt testimonio.

Quia non uident.) cum Deus Israelitarum omnia uideat & intelligat. A' uacuita te sensus, argumẽtum uanitatis. Quã Dauid propheta his uerbis illudit: Deus noster in cœlo, omnia quæcũq; uoluit fecit: Simulachra gentiũ, argẽtũ & aurũ, opera manuum hominum: os habent, & non loquuntur: oculos habẽt, & non uident: nares habent, & non olfaciunt: manus habent, & non tangunt: pedes habent, & non ambulant. His similes sunt, qui idola colunt. Quare rectè Græcus ille philosophus dixit se mirari, quòd cum statuarum fabricatores niterentur lapidem q̃ simillimũ homini fingere, non hoc laborarẽt, ne homines lapidibus similes uiderentur & essent. Dicat aliquis, neminẽ esse tam uesanum, qui simulachris iuuandi uim inesse existimet: cum omnes sciant, ea sensu & intelligentia omni uacare. Si ita, qui idola colitis, rem habere putatis: cur ergo ea fingitis? & cur diuinus spiritus simulachra à uobis in dijs haberi dicit? Respondent, idola fingi & coli, quòd existimatur in eorum cultu diuina uis sese ostendere ad iuuandum, non quæ illis per se insit, quamq; sua natura habeant, sed quæ se ad illorum cultum declaret. Cum in hunc modum respondent, percunctamur, quæ sit illa diuina uis in idolis se ostendens? Dicunt, Dei conditoris omnium uim esse, quam ex ijs quæ tam sapienter creata sunt, libenter fatentur sese cognoscere: & ut cognoscant, eos natura ipsa admoneri. At quum dicitis, diuinam conditoris omnium uim se in idolis declarare: in hoc uos idololatras esse probatis, quòd illam creditis in alia natura inuocandam & adorãdam, quàm in ea in qua sola uoluit se inuocari & adorari: quæ est eius filius unigena, Messias benedictus. Quare idololatræ sunt, quicunq; creatoris mundi numen in astris, in elementis mundi, in rebus ex his concretis, in sacramentis ipsis, in diuis, in angelis, inuocant & adorant. Quod qui faciunt, duplici nomine idololatriæ sese obstrictos esse indicant. Vno, quòd Deum non in uerbo suo Christo IESV colunt, sed in naturis ab eo conditis, quibus affixus suam opem & beneficia conferat, cum is in nulla alia natura quàm in filio suo se inuocãtes seruare statuat, neq; aliter coli & adorari uelit quàm ratione in uerbo suo præscripta. Itaq; qui Deum in quauis creatura siue cœlesti siue terrestri inuocant, quã is spectans salutem dare uelit, idololatriam committunt, ex illa idolum facientes. Sic gentes Deum in sole aut luna, aut Marte, aut Ioue, aut alijs planetis adorantes, idololatræ fuerunt. Sic Israelitæ Deum in uitulo ex auro conflato colentes, idololatriæ crimine sese obligauerunt. Sic Ieroboamus Deum creatorem mundi colens in uitulis aureis à se excogitatis, idololatra fuit cum suis Israelitis eum sequentibus. Sic pastor ille stultus alienis sacris Deum colens, idololatra est. Aliena autem sacra sunt, quæ Euangelio Christi per Apostolos patefacta non continentur, quibus illius regnum refertum est. Atq; in his idolis iusticia legis & factorum, contempta iusticia fidei in Messiam, diuorum merita, satisfactiones pro peccato ab eo inuentæ ac excogitatæ, Missæ, uota monastica, delectus ciborum & uestium, & si quæ sunt eius generis, præter & contra uerbum Dei diuini cultus gratia instituta continentur. Altero modo & nomine idololatria committitur, cum idola finguntur, & ea in publicis locis ponuntur religionis ergò, ad implorandum flexis ad ipsa genibus auxilium Dei. Hæc simulachra Dij alieni dicuntur: & eis diuinum cultum quocunque prætextu tribuentes, idololatræ à Domino habentur. Hic cadunt gentilium dij, ἐφύδριοι, καταχθόνιοι, καὶ θαλάσσιοι: cadit omnis cultus, quo Deus extra filium Messiam colitur. Quare statim ab initio in duas religiones discessum est, alteram falsam: alteram ueram: falsa in Cain posteris uigente ante diluuium, uera in Sethi familia. Post diluuium, idololatria in Chami familia exorta est. nã ex illo natus Ninus, nepos Nimrodi, idololatria omnia repleuit. cui longè lateq; regnanti in Asia,

Babylon paruit, mater idololatriæ. Etenim literis proditum est, curasse Ninum, ut pater Belus, filius Nimrodi, pro Deo coleretur. In Semi autem, ex quo natus est Abrahamus, progenie, uera Dei religio locum habuit, & cõseruata est.

Quis formauit?) Concludit illudendo & idolorum & ea colentium uanitatem, interrogatione acri figurans illusionem. Subiunctiuus potentialis irrisioni magis congruerit. Quis igitur Deum, simulachrum nihil profuturum formet & conflet?

Fabri sunt ex hominibus.) Hos homines esse uitiosos & mortales, non angelos.

Conuenient omnes.) Irridetur studium, quo seriò conueniunt ad uanum opus elaborandum. Idolum, non unius hominis, sed multorum in idololatriam conspirantium opus esse. Sed quod eorum præmium est? Sequitur: 16

Pauebunt.) ipsos sua ipsorum conscientia, de perfidia per legem condemnante. Quo pauore nihil dirius.

Et confundentur.) Hęc confusio ac pudefactio cernitur in negata ope, quam inuocati non ferunt.

Faber ferrarius.) Narratio ridiculæ fabrorum operę, quam in fabricandis simulachris nauãt. In irridendo indicat quàm laboriosum opus sit idolum, ad quod formandum lima, prunæ, malleus, brachiorum fabri magna uis & labor, quem cũ fame & siti & fatigatione sumat, adhibeantur. Vbi tacita cõtentione Deum Israelitarum celebrat, qui neq; à quoquã fiat, ipse rerum omnium architectus: 20 neq; ipse cum labore quicquam efficiat, qui uerbo cœlum & terram & omnia quæ his continentur fabricarit. contrà uerò fusum Deum, nihil efficientem, formari à suis architectis magno labore.

Habitantem in domo.) Irrisio ab immobili trunco: uanis diis pedes habentibus, & non ambulantibus.

Libera me, quia Deus meus es tu.) Mimesis, apta ad illudendum.

Nescierunt, neq; intellexerunt.) Grauis reprehensio, qua uani idoli uanis cultorib. dementiam obijcit, ac uesaniam. Quod meritum illorum præmium est, de quo
Rom. 1. Apostolus his uerbis: Cum se crederent esse sapientes, stulti facti sunt, mutauerunt q; gloriam immortalis Dei per imaginem non solum ad mortalis hominis 30 similitudinem effictã, uerùm etiam uolatilium & quadrupedum & reptilium. Hanc dementiam diuinus spiritus his uerbis redarguit: Non intelligunt, neq; considerant.

Obliti enim sunt.) Hebræus habet: Quoniam obleuit oculos eorum. Sed quis obleuit cęcitatis luto eorum oculos? In cæcantibus causis numerantur Deus, Satan, & prauus cęcatorũ animus: de quibus aliàs. Quod hic apud prophetam oblinere est, apud Apostolum uelare est, & suprà cæcare. sic enim ait Apostolus ad Corinth. Quòd si adhuc uelatũ est Euangelium nostrũ, in ijs qui pereunt uelatum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum.
2. Corinth. 3.

Et de reliquo eius idolum faciunt.) Hebræus ad irridendam uanitatem idoli, utitur 40 uoce תרעבה: quæ uox abominandum & nephas sonat. Iam honesta uoce ornantur dij uani.

Ante truncum ligni procidam.) immobilem, & se nusquam mouẽtem: relicto Deo cuncta mouente & agitante.

Pars enim cinis est.) Hebræus indicat, uanum idoli cultorem cinerem pascere, hoc est in uanum operam sumere. Sicut Ephraim deos alienos sequens, dicitur
Oseæ 12. uentum pascere: eadem loquendi & irridendi figura.

Neq; dicit, mendacium est in dextera mea.) Hi sunt insignes tituli, quibus decorantur dij uani: abominatio, truncus ligni, cinis, mendacium, uanitas. Hos titulos con siderans Apostolus, οὐδὲν εἰδωλον nullum esse in mundo dicit, hoc est, re nullum esse, 50 sed uana hominum opinione idola, tanquam sint aliquid, coli: cum mẽdacium & uanitas sint, si cultum spectes. Cæterùm in his aurum, argentum, materia lignea

gnea aut lapidea, suam naturam à Deo creatam habent. Sic angeli, diui, astra, quatenus adorantur & coluntur, non sunt: hoc est, re talia non sunt qualia coluntur à uanis cultoribus. sed unus Deus cœli & terræ conditor, uerè talis est, qualem iubet se coli & adorari, qui fide uanè non inuocatur & adoratur. Hos titulos qui à propheta tribuuntur uanis dijs, perpẽdat Babylon nostra, & eius cultores. Nã uerè in hanc reprehensionem incurrit, quæ hic in idololatras instituitur. Quæ idololatria statim ab Apostolorum temporibus ut cœperit sese in Ecclesia ostendere, ex Eusebio discimus: qui scribit de fusa ex ære statua, quæ Cæsareæ pro foribus eius mulieris reperta sit, quam sanguinis profluuio laborantem sanauit Christus: ad cuius statuæ pedes, è basi herbam quandam noua specie nasci solitam: quæ cum exorta esset, & ad summum statuæ excreuisset, uires inde ad pellendos omnes morbos languoresq; nactam. atq; eam statuam ad similitudinem uultus IESV formatam crediderunt, quam Eusebius usq; ad sua tempora permansisse scribit. Sed quid hoc aliud fuit, quàm dæmonum ludibrium: quo à Christo, quem nobis sacræ literæ salutarem esse proponunt ad dexteram patris, Satan molitus sit ad mutam statuam hominum animos, unde opem quærerent, auocare? Aequè uanum est, quod Damascenus idolorum (ut erant secula) patronus, tradit ab Abigaro Ediſſenorum toparcha pictorem missum, qui Christi speciem fingeret. sed illum, cum ob uultus splendorem id efficere nequiuisset, Dominum admouisse ad faciem uestimentum, cui suam imaginem imprimeret: eamq; diuinitus illi impressam, misisse ad Abigarum, consolandi gratia. His mendacijs usus Satan, idololatriam in Ecclesia statuere molitus est, per aduersarium Christi: neq; cessauit eam serere, dum circa tempora quib. bestia secunda à Ioanne apertè & à Daniele tectè descripta, imperium in loco sancto adepta, consentiente Phoca Imperatore, idololatriã palàm confirmauit, Leone Imperatore anathematis fulmine percusso, qui sanctè idola Constantinopoli & in Orientalibus ecclesijs sustulisset. Quanta autem superstitione usq; in hæc nouissima tempora simulachrorum cultus defensus sit, urbes, uillæ, colles, agri, nemora, repleta idolis testantur. In quorum cultores uetè hoc dicitur: Pascunt cinerem & uentos.

Memẽto horum Iacob & Israel.) Hortatio, qua diuinus spiritus electos hortatur, ut idololatriam caueant. De hortationis, quos instruit, locis sequitur.

Quoniam seruus meus es tu.) quem in Messia colas, non idolorum. Ab æquo & honesto.

Formauite.) spiritu uerbi mei, cuius afflatu me adores, non deos alienos.

Ne obliuiscære mei.) seductus à Dracone per idololatriam.

Deleui ut nubem iniquitatem tuam.) quam nulli dij alieni deleuerint, sed ego solus per sanguinem filij mei deleuero. Notantur hic tempora patefactionis Christi, quibus publica peccatorum remissio annunciatur. ut est apud Lucam: Et oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes. Hæc tempora indicat hic diuinus spiritus: Deleui ut nubem delicta tua. *Luce 24.*

Vt nubem.) Scita similitudine peccatum nubi comparatur, quod nobis non secus aspectum diuinæ lucis adimit, atq; nubes solis splendorem oculis nostris submouet. At ut nubes solis fulgore dissipatur, ita Messiæ solis spiritu peccata nostra deleri, quę hactenus nos ab illius consuetudine seiunxissent, quo minus nos exaudierit, ut est apud Hierẽ. in Thren. Oppositi nubẽ ne trãsiret oratio. *Thren. 3.*

Reuertere ad me.) remissis pro misericordia mea tibi peccatis tuis, atque me ad te priore conuerso: tu tractus spiritu meo, relicta Babylone, ad me in nouo homine, exuto uetere, te conuertas. Nam in hoc peccatorum tuorum gratiam tibi facio, ut in nouitate uitæ me colas. Vbi igitur tales hortationes leguntur, Reuertere ad me, resipisce, agite bene, amate Deum, relinquite ma-

lum: hæ ita explicandæ erunt, ut diuinæ clementiæ omnia in salute comparanda per filium tribuantur, naturæ ueteri nihil. & sciamus quid hoc sit: Nemo ad me uenit, nisi pater traxerit eum. Item', Conuerte me Domine, & conuertar: missio, pro antegrediente tua misericordia, spiritu tuo in pectus meum. cuius instinctu incipiam meum animum, dicta & facta tuæ uoluntati conformare. Dicas, si omnis sanctè & cogitandi & agendi uis diuino spiritui ascribenda est, nobis nulla, efficietur, nostros animos truncos & stipites esse. Nemo ex corporibus animantium truncos fecerit, si affirmet illa omnem sensum & motum ab anima habere. Sic in regeneratione res habet, in qua si dixeris omnem uim sanctè cogitandi, expetendi, loquendi & uiuendi, nostros animos à Christi spiritu sumere, truncos nemo eos dixerit esse, ut in quibus diuinus halitus spiret, qui solus ueram uitam impertiat: & quo non spirante, tum animos rectè mortuos truncos per suam facultatẽ naturalem iudices esse, quòd uita Dei in Christo, hoc est spiritu Christi, careãt: quo agi, & eo solo, summũ decus est animorũ.

Ioan. 6. Ierem. 31. 29 10

1 *Quoniam redemi te.*) A beneficio & iure redemptionis. Par esse ut eum colamus sanctè, à quo ex grauissima seruitute redempti sumus. Nam redẽpti, in redemptoris ius & potestatem trãseunt. Sic cum traderet Moses legẽ Israelitis, quam seruarent, à iure redemptionis qua ex Aegypto liberati essent, hoc modo rationem ducit: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis.

Exod. 20. 20

Laudate cœli.) Inducitur Ecclesia ex Israelitis & gentibus descripta, quę redemptionis tempore cœlos & terram & omnia quæ his continentur, sit hortatura, ut celebrent nomen Domini, de liberatione tam insigni facta. In qua gratulatione ostenditur, uniuersam naturam ingemiscere ad liberationem filiorũ Dei: ut quibus integris, illa quoq; sit integra. Qua de re uideris apud Apostolum, in epistola ad Romanos.

8.

Quoniam fecit Dominus.) Caussa per αἰτιολογίαν exponitur gratulationis: quòd Dominus tantam salutem, & quidem solus, suæ Ecclesiæ dat.

Hæc dicit Dominus.) qui promiserat, liberatum iri suos ex Babylone: iam eorum fidem, quam promissioni habeant, confirmat, argumento ex facultatis cum uoluntate coniunctæ locis adducto. Quæ confirmatio quàm necessaria sit his nouissimis temporibus euersionis spiritualis Babylonis, pij, qui captiui in illa detinentur, lacrymis & gemitibus testantur. 30

Redemptor tuus & formator tuus ex utero.) Hi tituli ad consolandum & confirmandum apti sunt. Non dicit aũt generatim se redemptorem esse: sed dicit redemptor tuus. quę uox fide percepta, qua sentis Messiam redemptorem tuum esse, uicta tentatione omni, quamlibet graui, certam salutem conficit. Non enim satis est ad salutem, Christum redemptorem esse. nisi enim credas, eum tuum esse redemptorem & seruatorem, non magis seruaberis, quàm dæmones seruãtur, credentes eum filium Dei esse, missum qui mundum saluet. 40

Ego sum.) præter me nemo alius: non dij quos Babylon colit.

Dominus faciens omnia.) A facultate & potentia spem confirmat: Qui omnia in cœlo & in terra facio, redemptoris titulum mihi uendico, cui tu tutò confidas.

Extendens cœlos solus.) Genere proposito, faciens omnia, per distributionẽ amplificandi gratia partes subiungit, quarum commemoratione potentiam diuinam explicet.

Stabiliens terram.) Cœlorum mentioni, terræ mentionem subtexit: quòd hæc non prius parata sit ad habitandum, quàm cœlum diductum, & liquidum beneficio lucis & spiritus factum esset. Verbum רקע, quod propriè extendere & diducere est, Paraphrastes Chaldæus hic reddit שבליה, hoc est fundaui. Græci ἐστερέωσε, quos noster sequitur. Est enim רקע propriè diducere, & diducendo firmare, unde etiam à firmitate pauimentum קרקע appellatur. 50

Vtitur

Vtitur autem hoc uerbo diuinus ſpiritus hoc loco de terra, quòd hæc ſubmotis aquis in fines ſuos expanſa, hoc eſt ad habitandum patefacta ſit. In alijs locis diuinus ſpiritus uerbo יסר utitur, quod eſt fundare. ut in Pſalmo, ארץ יסרת: hoc eſt, terram fundaſti. Indicato, terram uelut ſtabile fundamentum in medio uniuerſi diuinæ potentiæ ui librari.

Nullus mecum.) Amplificatio potentiæ diuinæ, quòd ſolus tantum opus fecerit, in participatum creationis eius nulla alia natura adhibita, niſi uno filio Meſſia, ſapientia opificis mundi. quę ſic loquitur apud Salomonem: Cum ipſe prę- *Prouer. 8.*
pararet cœlos, aderam.

Irrita faciens ſigna diuinorum.) Conſolatio ab irritis & uanis diuinorum ſignis & prædictionibus, quas diuina potentia diſſoluat. Non igitur eſſe cur Iſraelitæ ab illis decepti, minus ueris prophetis ſalutem prænunciantibus fidem habeant. Diuinorum autem, aſtrologorum & ariolorum ſigna & prædictiones uanas eſſe oſtendit, infatuata Magorum Aegyptiorum & Babyloniorum à Deo ſapientia: quorum alteri per Moſem coram Pharaone, alteri per Danielem coram Nabuchodonoſore confuſi & pudefacti ſunt. Idem clarum eſt in Bileamo, à Moabitis conducto uate, ſed uano illorum conſilio. Nomine uanorum diuinatorum continentur omnes falſi prophetæ & doctores, quos Dominus ad confirmandam ſuorum fidem confundit. Vocantur prophetæ falſi בּרים, quòd populus eos pro uectibus habeat. Paraphraſtes habet ברין, Græci ἐγγαστριμύθους.

Conuertens ſapientes retrorſum.) Vt exemplo ſunt ſapientes Aegyptij & Babylonij, exemplo Phariſęi & doctores legis tempore Chriſti & Apoſtolorum. Noſtri temporis ſapientes in Antichriſti regno prætereo. Vt horum ſapientia & conſilia retro agantur, procedente ſapientia Euangelij, nos hodie experimur: cui mundus, princeps mundi Satan, beſtia Antichriſtus, potentes orbis terrarum tyranni cedunt, eorum conſilijs aduerſus ſapientiam Meſsiam irritis factis. De quibus impleri cernimus, quod in Pſalmo canitur: Qui habitat in ex- *Pſal. 2.*
celſis, irridet eos, & Dominus ſubſannat eos.

Suſcitans uerbum ſerui ſui.) Per contentionem conſolandi grátia falſorum uatum promiſſa & prædictiones cum uerorum promiſsis & oraculis confert: horum promiſſa rata fieri & impleri, illorum irrita reddi & in uanum abire. Quæ ſumma eſt piorum conſolatio.

Qui dico Hieruſalem.) terrenæ & myſticæ, per Nabuchodonoſorem in exilium abductæ: & interiori, hoc eſt Eccleſiæ electorũ, per Antichriſtum ſpiritualem Nabuchodonoſorem in exilium à regno Meſsiæ translatæ, calcante illo ciuitatem ſanctam quadraginta duobus menſibus.

Habitaberis.) ſeptuaginta exilij annis impletis. Et quod prædictum eſt, impletum ſcimus. & ut altera Hieroſolyma impleto ſui exilij tempore ſit habitanda à ciuibus, cœleſtis regni iure donatis, ſatis ex propheta noſtro & alijs conſtat.

Qui dico profundo, conſolare.) Figuratè Babylon ſignificatur, interprete etiam Chaldæo, qui uertit עלבבל. Vt Babylon ſuprà mons excelſus appellatur, propter Imperij ſplendorem & ſublimitatem: ita hic profundum appellatur, quòd eius potentia in profundum radices egerit. Quanta enim potẽtia floruerit Babylon, ſuprà ex Daniele indicatum eſt. de cuius amplisſimo imperio, etiam Sibylla cecinit:

Αἰ αἴ σοι Βαβυλὼν χρυσόθρονε χρυσοπέδιλε,
πτολιέθρων βασίλεια, μόνη κόσμου κρατέουσα,
ἣ τὸ πάλαι μεγάλη καὶ πάμπολις.——

Accedit ad appellationem profundi, quòd Babylon in planicie, non in edito loco, profundis fluminibus circumfuſa, ſita eſſet. Sic enim de ea in Pſalmis ca-

Psal.137. mis canitur: Super flumina Babylonis sedimus.| De huius urbis situ uideris apud scriptores & Geographos. Non caret autem mystica ratione, cur profundum ac gurges Babylon appelletur. Nam nobis præfigurauit eam Babylonem, & eius regem, qui profundi seu abyssi angelus in Apocalypsi uocatur: qui Antichristus est spiritu tenebrarum inferni præditus. Quare hæc Babylon spiritualis, uerè profundum & abyssus dicitur, quæ longè à cœlo abscedens, in inferni ac orci barathro sedem suam, non in cœlo, cuius imperium arroganter superbeq; affectat, habeat. Ioannes in eadem sua Apocalysi meminit bestiæ ex abysso ac profundo ascendentis: supra quam ut bestia spiritualis Babylon sedeat, & ex ea nata sit, aliàs indicatum est.

Dico Cyro.) Qui prædixerat euersum iri Babylonem, hic per quam euertenda sit prædicit, nominatim eo appellato: hũc uidelicet Cyrum fore. Itaq; Cyrus, autore Iosepho, cum sibi oblatum Iesaiam legeret, & miraretur se nomine suo tot annos ante euersionem Babylonis in prophetia Iesaiæ nominatum, instinctu quodam diuino impulsus est, agnito Deo Israelitarum, ut libertatem populo Dei ediceret: atq; sacris uasis, quæ Nabuchodonosor diripuerat, restitutis,

1.Esdr.1. potestatem Iudæis reparandi Hierosolymam & templum faceret, in quo pro ipso Deo supplicarent, ut regnum Persarum diu incolume permaneret. Vnde cognoscimus, diuinum fauorem ad nullum, neue tempus, neue gentem, neue externas ceremonias alligatum esse. ut exemplo hic est Cyrus rex Persarum: ut exemplo antea fuerunt Abimelechus, multi Aegyptij in Aegypto regnante Iosepho, Iethro Madianita, Raaba Chananæa, Naaman Syrus, uidua Sareptana, & alij.

Pastor meus es tu.) Cyrum sic uocat: adumbrantem nobis eum pastorem qui de

Ioann.10. se prædicat, Ego sum pastor bonus.

Et uoluntatem meam complebis.) De nostro Cyro cœlesti legimus, qui de se dicit: Non quæro uoluntatem meam, sed eius qui me misit. Sed quæ est uoluntas

Ioan.5. patris? de hac sic apud Ioannem loquitur: Hęc est autem uoluntas patris qui misit me, ne quid perdam ex omnibus quę dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. ut fuit uoluntas Dei, per Cyrum Iudæos captiuitate Babylonia liberare, & Hierosolymam cum templo reparare, ut sequitur:

Et de templo fundabitur.) Veritas in templo cernitur, de quo illud: Vos templum Dei estis. Quod per spiritum sacri Euangelij ædificatur, cuius umbra Salomonium & à Cyro instauratum templum prætulit. Quare rectè in Cabala Hebræorum scriptum legitur, sanctuarium quod internè à Salomone ædificatum est, dispositum ad rationem sanctuarij cœlestis, quod suprà est. בית המקדש שלמטה מכוון בנגד בית המקדש שלמעלה.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

HAec dicit Dominus.) Hæc quæ sequuntur, ad cœptam de Cyrõ mysticam prædictionem pertinent. in qua nobis & figura & res figurata per Babylonem & eius deuastationem perpendenda fuerit: eadem in Cyro consideranda, de quibus inter interpretandum ordine meminerimus.

Christo meo Cyro.) Quẽ pastorẽ nominauerat, iã Messiã, hoc est unctũ suũ uocat: utroq; nomine regia dignitate significata. Vocat aũt Cyrũ Messiam suum, partim ad indicãdũ, mũdi regna in sua manu ac potestate posita esse, q̃ assignet quib. p̃ nutu & arbitrio suo uelit: partim ut ciues Hierosolymæ cognoscerent, propter

propter ipsos regna mundi, quibus captiui detinentur, euerti, & alijs per quos liberentur tradi. Vt euersa Babylon à Cyro est, à quo Iudæi in libertatem assererentur: partim uerò, ut certus typus formaretur, quo Messias ille Dei uerus & cœlestis IESVS Dominus noster præfiguraretur, qui regio & sacerdotali spiritus sancti oleo unctus, Draconis & filij eius Antichristi regnum ad liberandos electos orbis terrarum destrueret. Et quoniam extremis temporibus Hierosolyma illa uera electorum Ecclesia, de cœlo descendens, liberanda erat per Christum Dominum nostrum, ministerio Apostolorum ex gentibus deligendorum, huic ministerio per Cyrum gentilem regem prælusum est. Itaque hic nouissimis temporibus accidet, ut quemadmodum prior Euangelij patefactio per Apostolos ex Iudæis delectos confecta est, ita his reconciliationis temporibus, restituti Euangelij luce electorum Ecclesia per Apostolos ex gentibus designatos, restituenda sit, amplissimo regno ex Iudæis & gentibus in unum ouile sub uno pastore IESV Christo congregatis, constituto. Quò pertinet mentio plenitudinis gentium, & salutis totius Israelis, apud Apostolum ex prophetis mutuata. Quomodo autem hæc plenitudo & plena sa lus Israelis, & cuius Israelis accipienda sit, suis locis admonitum est, & deinceps admonebitur. Rom. 11.

Cuius apprehendi dextram.) eum nutu meo dirigens, ad feliciter res gerendas. ut sequitur:

Subijciam ante faciem eius gentes.) De Cyri felicitate, qua in amplificando regno suo usus est, uideris apud Herodotum & Xenophontem. Non legimus hic, Cyri fortitudine & potentia tot gentes deuictas, ac in potestatem eius redactas. Sed legimus, Ego subijciam: ne quis regum orbis terrarum existimet, sua sapientia & ui populos se debellare, ut superbè de se gloriatus est Assyrius: Fortitudine manus meæ feci, & prudẽtia mea intellexi. Contrà compositum fuisse regem Persarum Cyrum, testatur eius de nutu diuino, quo fretus tot regna sibi subiecerit, confessio. Sic enim, ut suprà quoq; citatum, ait apud Esdram: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli. Cur autem dederit, rationem ipse exponit his uerbis: Et præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Hierusalem, quæ est in Iudæa. Vbi duo digna uncto Domini confitetur. Vnum est, regna orbis terrarum non temerè sibi contigisse: neque ea sua ipsius ui à se subacta, sed Dei arbitratu in potestatem suam uenisse. Alterum est, non regem se unctum qui pro libidine regnaret: sed ut sacro populo redempto, templum Domino in electa ciuitate Hierosolyma ædificaret. Submoto mystici Cyri & instaurationis mysticæ Hierosolymæ & templi uelo, occurrit Messias noster benedictus, qui sibi regali spiritu uncto à patre, potestatem & imperium in omnia datum his uerbis fatetur: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. 1. Esdr. ii. Math. ult.

Sed sic unctus quem usum affert? Vsum ipse infrà, quem afferat, declarat, dicens: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, ad prædicandum afflictis misit me, ad medicandum contritos corde, ad edicendam captiuis libertatem. Hi sunt cœlestis illa Hierosolyma, & templum ex uiuis lapidibus extructum. Quam Hierosolymam & tẽplum noster Cyrus cœlestis Messias reparat, & instaurat spiritu suo. Cæterùm de præclaris uirtutibus Cyri, & de felicitate qua in proferendis regni sui finibus & eo sapienter administrando usus est, uideris apud Herodotum & Xenophontem, qui Cyrum φιλανθρωπότατον uocat. Inter historicos non conuenit de morte Cyri. Sunt qui tradunt à Thamyre Scytharum regina cum exercitu extinctum, quam mortui capite in utrem sanguine repletum proiecto, his uerbis stomachum effudisse ferunt: Satiare sanguinem sitiens caput. Diuersa scribit Xenophon, eum mortem pacatè obijsse.

Et dorsa regum uertam.) Hebræus habet, Et lũbos regum aperiam: figuratè indicato,

cato, eorum potentiam & robur fractum iri. Baltheo militari accingi, roboris & fortitudinis indicium est: & eo discingi, ignauiæ. Hinc forma illa loquendi
Luc.12. sumpta in sacris literis: Sint lũbi uestri præcincti. Noster cœlestis Cyrus, quorũ
Coloss.1. regũ lãbos dissoluat, declarat Apostolus his uerbis: Expoliatosq; principatus & potestates ostentauit, palàm triumphans de illis per semetipsum. Et si uicto-
2.Thess.2. riam quam de Babylone regno Antichristi refert spectes, occurrit illud: Quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & abolebit eum claritate aduentus sui.

Et operiam coram eo ianuas.) Est in historijs, nullam à Cyro oppugnatam urbem, quam non expugnarit: nullam gentem bello infestatam, quam non uicerit. Tenuis umbra uictoris in Cyro mystico cernitur. Veritas ineo cernitur, de quo
Apo.19. Ioannes: Et habet in uestimento eius scriptum, Rex regum & Dominus dominantium. Qui nimirum Dei sermo appelletur, ut est apud eundem Ioannem: Sermo caro factus est. & in Apocalypsi: Et uocatur nomen eius Sermo Dei,
Prouerb.8. qui & sapientia Dei in prouerbis Salomonis appellatur.

Ego ante te ibo.) non dij Persici, non tua fortitudo, potentia & sapientia.

Et glorioſos terræ humiliabo.) Non uno modo redditur Hebræa uox. Alijs sunt uiæ prauæ: alijs montes. ut Græcis, qui uertunt ὄρη, uox à uerbo הדר quod decorare & ornare significat, deducitur. Quò spectans noster interpres, glorioſos reddit. Apparet sententiam esse, decorem & splendorem excellentium hominum tanquam prauum quiddam & iniquum, complanatum iri. Nam huiusmodi excellentia ijs qui moliuntur regna in potestatem suam redigere, obstat: non secus atque salebræ in lapidosa uia, uiatori obstant. Nostrum Messiam nullius potentiæ ornatus & splendor in mundo impediat, quominus æreis ferreisq; inferni portis ac uectibus fractis uictoriam reportet. Quàm feliciter autem ciuitatis magnæ Babylonis ferrea clausura perfringant, tempora nostra incipiunt declarare. Neq; desinet illam demoliri, dum canant electi Dei: Cecidit Babylon ciuitas magna, & facta est habitatio dæmoniorum.

Et dabo tibi theſauros abſconditos.) Qui meminisset deuictorum regum, & urbium expugnatarum: iam direptionis, qua reconditos Babylonis thesauros Persa direpturus sit, meminit. Babylonis prædatricis omnium gentium, & ipsius Crœsi Lydorum regis opes & diuitiæ, literarum monumentis nobilitatę sunt, quas prędatus est Cyrus. Submota mysticæ deprædationis umbra, absconditi, quos noster Messias, deuictis potestatibus tenebrarum, & expugnata Babylone, in qua Antichristus rex regnat, deprędatur occurrunt. Nam ut potentia & opibus suis spoliet Christus fortis spoliator impios, & eas det pijs, declarat illud:
Lucæ 8. Quisquis autem habet, dabitur illi, & reddetur abundantior: quisquis autem non habet, etiam illud quod habet, auferetur ab eo. Sic Babylon mater omnis confusionis, carens ueris diuitijs diuinæ sapientiæ, iusticiæ & uitæ in Messia, etiam quæ habet bona, aut uidetur habere, cum ea legitimè non habeat, auferẽtur ab ea, & dabuntur filijs cœlestis regni. Bona autem quæ Babylon precariò habet, sunt benedictio cœli & terræ, opes & diuitiæ huius mundi, corporũ ualetudo & robur, naturales animorum dotes, eloquentia literarum & artium cognitio. Sed saluberrima deprædatio occurrit, qua noster prædator Christus ea spolia, quæ antea Babylon sedes draconis & Antichristi diripuerat, diripit. Sed quæ sunt illa spolia Babyloni eripienda? Electi sunt, quos illa captiuos cum eorum diuitijs tenuit: hos ille fortis heros spoliatur, cum eos liberatos captiuitate errorum & tenebrarum in libertatem ueritatis, & lucis sacrosancti Euangelij transfert. De qua fœlici spoliatione mox propheta noster mentionem faciet.

Vt ſcias.) Duas excitati Cyri causas exponit: una in amplificatione nominis diuini, altera in liberatione populi electi cernitur. Is finis omnium operum diuinæ prouidentiæ est, sanctificatio nominis Dei, & salus electorum.

Quia

Quia ego Dominus.)non dij ullarum gentium.

Qui uoco nomen tuum.)antequam natus esses,multis antea annis nomine tuo in oraculis meis indicato: quod est præscientiæ omnium in me signum,qua dij aleni carent.

Propter seru. meum Iacob.) Alter finis,salus Iacobęorum,hoc est electorum scriptorumq; in oro uitæ est:propter quos omnia quæ in hac rerum natura fiunt, fieri solent: quibus cœlum & terra, stirpes & animantia, quibus angeli deseruiant:& quorum saluti etiam Satan cum dæmonibus, mundus ipse cum tyrannis suis, Antichristus & eius pseudoprohtæ, imò peccatum ipsum, mors & infernus, ut inseruiant, Dei cura prouisum est. Dominus coniungit cum glorificatione sui salutem electorum,quòd utrunq; cum altero copulatum sit.Nam si Deus non præstans quæ promisit, electos suos filios deserat,eius gloria periclitatur, quæ bonitatis & ueritatis gloria est.Sin uerò non deserat, præstans quæ promisit, gloriam suam asseruerit,electis seruatis per uictoriam fidei, quam habent promissis diuinis, quorum ueritas unica salutis ancora est, qua se librant electi.Hæc intelligunt,quorum fides per afflictionum ignem probata est.

Assimilaui te.) Cyrum, Messiam Domini cognominatum in oraculis diuinis, antequam Deum Israel nosceret. Vnde clarè intelligitur, anteuerti fauore Dei electos:ne quis arbitretur,nõ prius amari à Deo quenquam,quàm ipse Deum amet:& Dei amorem,quem ante cõditum mundum erga suos gerit,non causam esse eius amoris quo Deum, amati iam, amemus. Hic enim scriptum est, Cyrum amanter nomine suo appellatum, & cognominatum Messiam, priusquam cognosceret Deum Israelitarum, imò antequam natus esset. Sic CHRISTVS IESVS, quem Cyrus præfigurauit, priusquàm in carne agnosceret Deum patrem,nomine IESV in prophetis uocatus fuit,& Messias cognominatus,uarijsq; modis iam inde ab initio descriptus, antequam natus ex uirgine appareret in mundo: ut electi, confirmati oraculis de Christo editis, præter Deum Israel,nullum esse alium Deum,& hunc ipsum Messiam quem profitentur,uerum esse Messiam, hoc est seruatorem mundi, neq; ullum alium esse expectandum,crederent.

Extra me non est Deus.)Vt præter unum in numeris,non est unum:una igitur in mundo diuina prouidentia,una sapientia,una ęterna iusticia,una potentia,una bonitas,una perennis uita, una pulchritudo,quæ à se talis sit: & à qua,quæ sapiunt,sapiant: quæ uiuunt,uiuant: quæ pulchra sunt,pulchra sint.Hanc unam sapientiam,iusticiam,uitam,bonitatem,pulchritudinem,nobis fides in Messia iungit,ut eius sapientiæ,iusticiæ,uitæ participes redditi,iusti quoq;,sapientes, boni,uiui & pulchri simus.Quare sequitur:

Accinxi te.)regio baltheo.De nostro Messia suprà legimus:Et erit iusticia cingulum lumborum eius,& fides cinctus renum eius. 11.

Et sciant hi qui ab ortu solis & qui ab occidẽte.)agnito seruatore suo Messia:per quem cum sentient se euersa impia Babylone liberatos, liberè confitebuntur, præter Deum patrem, per Messiam suum Deum ex Deo suos liberantem, nullum Deum esse.Atq; hoc ipsum est sanctificare, hoc est sanctè colere nomen patris in filio, agnoscere scilicet fide id quod hic legitur: Ego Iehoua, & præter me nullus est Deus.In hac fidei confessione cadunt omnia quæ Iehoua non sunt,à quibus opem & auxilium in comparanda uera salute petas, uires naturæ, sapientia humana, diui, angeli, omnis cultus ac religio uerbo Dei non tradita,& quicquid extra Deum patrem in Messia usquam extat. Ad hos fontes omnis uera religio reuocanda est: & ab hac confessione si quæ religio dissentit, falsa haberi debet.

Formans lucem, & creans tenebras.) His uerbis ad consolandos suos generatim significat, omnia quæ fiunt in hac uniuersitate, diuina prouidentia fieri & accidere,

dere, tum bona tum mala: in luce bonis, & in tenebrarum nomine malis indicatis. Nam ut luce nihil suauius & gratius est, ita tenebris nihil insuauius & ingratius. Persuasum autem habere, res aduersas à Domino nobis contingere, easq; de manu eius nos accipere, qui affligat nos nostro bono, non malo: hoc ipsum est fide agnoscere, Deum lucem condere & tenebras creare, & pacem facere & creare malum, hoc est res aduersas, quibus per patientiam fidem nostram exploret & probet. Cuiusmodi confessionis exemplum illustre in Iobo cernitur, quem uarijs calamitatibus uexatum dixisse legimus: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen eius benedictum. Non dixit, Satan, huiusq; ministri Chaldæi & Sabæi abstulerunt.

Faciens pacem.) tum domesticam, tum ciuilem: tum interiorem à ciuium motu, tum exteriorem ab externo hoste. Sed huic paci antecellit pax conscientiæ, aduersus peccatum & mortem parta, quæ singulare opus sanguinis Messiæ est.

Et creans malum.) ut sunt, bellum, fames, pestis, incendia, eluuiones, orbitas, exilia, captiuitas. Quæstio hic mouetur de malo quod in culpa cernitur, an id decretis & consilijs Dei contineatur, eiusq; etiam autor Deus dicatur. Hæc quæstio alio loco explicata est.

5. *Rorate cœli.*) Vt suprà Dominus mandare nubibus, ne pluant, legitur: sic hoc loco, impleto uastationis uineæ & Ecclesiæ tẽpore legimus, eundem Dominum mandare cœlis ut rorent, & nubibus ut pluant. Figuratur sermo, à cœlo aspectabili, nubibus, rore, & terra, metaphoris splendidis mutuatis. Constat de cœlo aspectabili rorem in terram spargi, quo quæ sol interdiu caloris ui arescit, reficiantur. Sic cœlum illud inaspectabile, in quo lux Messias, lux gratiæ & uitæ lucet, Euangelij salutarem rorem fundit. Porrò per rorem significari uerbum Dei uiuificum, indicat Moses ubi ait: Fluat ut ros eloquium meum. *Deuter. 32.* Similiter etiam ipse Messias in sacris literis rori comparatur. sic enim Oseas: *Oseæ 14.* Ero quasi ros Israeli. Nam ut ros descendit in terræ sinum, ad eam fœcundandam: sic Christum de cœlo ad agrum Ecclesiam uberãdum descendisse. Deinde ros noctu descendere occulte intelligitur: sic Christus mundo uersante in tenebris descendens, conceptus est è spiritu sancto, & natus ex Maria uirgine, absconditis ipsi naturæ modis. Tertiò, ut ros noctu fusus in terram, omnia reficit quæ sol interdiu ardore suo exusit: ita cœlestis ros Messias Ecclesiam *Matth. 11.* suam æstu afflictionum crematam recreat, qui de se prædicat: Venite omnes qui laboratis, ego uos reficiam. Demum ros suo munere in terra perfunctus, summis herbarum partibus insidens, originem suam repetit: sic in cœlum, ex quo descendit Messias diuinus ros, posita crucis forma, ad gloriam cœlestis patris redijt. Atque hoc mysterium spiritus Dei his uerbis significat: Rorate cœli desuper.

Et nubes pluant iustum.) Vt nubes in pluuiam resoluuntur, quam in terram fundant: ita diuinæ nubes sunt, quæ pluuiam iusticiæ fundunt. de qua idem Moses meminit, Concrescat in pluuiam doctrina mea: quæ non secus Ecclesiam fœ-
8. cundat, atq; pluuia agrum. De his nubibus suprà meminimus.

Aperiatur terra.) Figuratè de agro Ecclesia accipitur, in qua per rorem & pluuiam sacri Euangelij patefacta salus & iusticia, non aliter sit fructificatura, atque terra cœlesti pluuia madefacta fructificat & fœtificat. Vt hoc oraculum in solutione captiuitatis nostræ Babylonis impleatur, nostra tempora commonstrant.

Ego Dominus creaui eum.) liberatorem Cyrum, si typum spectes. Sin rem expressam, occurrit liberator Messias destinatus à Deo patre, qui salutẽ & iusticiam afferat ex Antichristi regno liberatis.

Væ qui contradicit fictori suo.) Apostrophe, qua se ad hostes electorum conuertit: eorum expostulationem cum Deo de calamitatibus quibus infestantur, grauiter

grauiter reprehendens. Si mysticæ hístoriæ filum sequêris, occurrit rex Babylonis cum suis, contumelioſe expoſtulans cum Deo de ſua calamitate, & proſperitate Cyri regis Perſarum. Sin eam Babylonem conſideras, quæ priore figuratur, in hac Antichriſtus cum ſuis impijs regni ſui ciuibus his uerbis de ſua miſeria conquerens reprehendetur: Væ qui, quum fictile uas ſit cum reliquis fictilibus terræ, cum fictore ſuo contendit. in qua redargutione Deus figulo, & impij ſanctorum hoſtes fictilibus uaſis comparantur. Quam comparationem inſtitutam ad redarguendam iniquam impiorum querelam, apoſtolus Paulus his uerbis explicat: Atqui tu homo quis es, qui ex aduerſo reſpondes Deo? Rom. 9.
Num dicet figmentum ei qui finxit, Cur me finxiſti ad hunc modum? An non habet poteſtatem figulus luti, ut ex eadem maſſa fingat aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in ignominiam? Vbi Apoſtolus aperte uult, ut figulus poteſtatẽ habet ex eadem maſſa fingere aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in ignominiam: ita poteſtatem eſſe Domino, ex argilla ac luto terræ fictis hominibus, alios in gloriæ, alios in ignominiæ uaſa apparare. atq; ita iniquum eſſe, ſi uas ad opprobrium ſub prænotionis diuinę decretis paratum, cum Deo fictore ſuo, cur ita ab eo paratum ſit, contendat. Atqui quum hac ſententia multi offendantur, ſolent hic aliquot quæſtiones moueri, quas ordine commemorabimus. Prima eſt: Si ſunt uaſa quæ Deus ad interitum deſtinat & apparat, quid igitur faciemus ſententiæ illi, Deus uult omnes homines ſaluos fieri: cum una ſit uoluntas in Deo, non duæ, quomodo igitur aliquos dicetur ſeruare & perdere uelle? Altera quęſtio: Si ita res habet, quomodo hæc apparatio fiet: an ne in eo cernatur, quod Deus præſciens aliquos damnandos, eis ſpiritum fidei ſui, cuius nemini ſit debitor, non largiatur: atq; ita eo priuati quos præſciuit damnandos ab æternitate, in omnia ſcelerum genera ruant, per quæ præcipites feruntur ad exitium. Tertia quæſtio: An ut præſcientia diuina ineluctabilis, ita etiam uaſorum irę ruina ineluctabilis ſit, atque pariter eorum culpa & interitus præſcientiæ ac prænotionis Dei decretorum neceſsitate concludatur. Quarta: Si talis neceſsitas accipitur, an ne hæc cum uoluntaria ſcelerum quæ patrant deſtinati ad interitum, patratione pugnet: & cur Deus legem ponit omnibus, quam tamen ſcriptos in libro damnatorum minimè ſeruaturos norit: ſanciat legem quam uelit omnes exequi, nec tamen præſtet, cum id poſſit, uim qua eam exequantur. Quinta quæſtio: Si præſcitorum ad exitium crimen & interitus decretis Dei continentur, atque hi Deo non tribuente ſpiritum, cuius afflatu fidem filio habeant, delinquunt, dicat aliquis Deum & culpæ impiorum & interitus autorem eſſe, qui legatur illos excæcare & indurare, ſub infidelitatem concluſos. Quod ſi ita eſt, quid ergo fiet ſententiæ huic, & ſimilibus quæ infinitæ ſunt: Deus non uolens improbitatem tu es? qui ſi fert legem, qua ne committatur peccatum cauet, & in eos qui legem non ſeruant, ſeuere ſe animaduerſurum minatur, quomodo igitur peccati cauſſa eſſe poteſt, qui peccata tantopere deteſtatur? Sexta quæſtio, quæ uia & ratio in ſacris literis apparationis uaſorum gratiæ, & quæ uaſorum iræ explicetur: & quam conſolationem ex ea ratione pij & credentes in filium Meſsiam accipiant: utq; quiſque piorum cognoſcat ſe ex gratiæ, non ex iræ uaſis eſſe: & quomodo gaudium illud cuius meminit Dominus, Gaudete quòd nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis, ex tractatione prædeſtinationis diuinæ ad æternam gloriam ſentire liceat, & pij homines ſine ulla offenſione fidei in hac de diſcrimine electorum & repudiatorum explicatione uerſentur. Hæ quæſtiones, & aliæ quæ in hac cauſſa proponi ſolent ex ſacris literis, quoniam alijs in locis, ut ſuprà & in Cõmentarijs in Moſem editis, diuerſis locis pro gratia quam nobis Deus pater per filium dedit, expoſitæ ſunt: nihil intereſſe uidetur, ad præſentẽ Iesaiæ locum interpretandum earum expoſitionem retexere. Pergamus igitur,

Et opus tuum absq; manibus est.) In me fingendo tibi manus, quibus me ad pulchritudinem aut decus affingeres, defuerunt.

Væ qui dicit patri.) Aliud simile, aptum ad iniquam postulationem redarguendam. Perinde esse à Deo facti operis rationem exigere, ac si quis ex parentibus suæ generationis rationem exigat. Demens filius sit, si contendat cum parentibus, se ex ipsis deformem & ignobilem genitum.

Hæc dicit Dominus, sanctus Israel.) Redit Dominus ad consolandos suos, qui uelit ipsos liberare ex captiuitate Babylonia: repetitis argumentis, quæ ex diuinæ potentiæ & præscientiæ locis expromuntur.

Plastes eius.) Qui meminerat fictoris, Nũquid dicet lutum figulo suo, quid fingis: iam se figulum illum esse dicit, à cuius, quam habeat, potestate, consolatur afflictos. 10

Mandate mihi.) requirite à prophetis meis super opere manuum mearum, quid ei facturus sim: ut electos meos sim seruaturus, & de eorum hostib. uindictam sumpturus. Præcipitur ergo Domino, cum à prophetis, qui os illius sunt, requiritur, ut diuinam mentem de rebus futuris explicent.

Ego feci terram.) Facilè igitur præstitero meis, quę per prophetas meos me præstiturum denunciem. Sed per quem possum meis salutem expedire? Sequitur:

Suscitaui eum.) Depositio typo Cyri, quis hic considerandus proponatur, sæpè est indicatum. 20

Ad iusticiam.) qui filios meos liberans, & de eorum hostibus sumẽs ultionem, iustè agat. Nam in duabus rebus cernitur iusticia: in seruandis pijs, & puniendis impijs. Atque ut hæc iusticia tribuatur Deo, Psalmus decimus declarat: Iustus Dominus, qui pluit super sceleratos laqueos ignis, & cuius oculi afflictos respiciunt. Iusticiæ igitur munus est tum in Deo, tum in ijs qui diuinam naturam imitantur, tribuere cuique suum. Cyrus, ut exequutus sit iusticiam diuinam in euertenda Babylone, & redimendis filijs Dei, satis clarum est. Si Messiam nostrum spectes, is ita iustè agit, ut suos liberans ex misera captiuitate, & sua iusticia ornet, & regnum impiæ Babylonis euertat. Vt autem accipiendum, Christum suam iusticiam nobis communicare, & quot modis id 30 contingat, ea de re infrà monebimus. Suprà legimus de Messia: Vocauit te in iusticia qui locus mysticum hunc locum de Cyro explicat.

Ipse ædificabit ciuitatem meam.) terrenam Hierosolymam, Cyrus si spectetur: cœlestem, quæ terrenæ ex altera parte ut lux umbræ respondet, si CHRISTVS IESVS spectetur. Hanc cœlestem ciuitatem sub typo mysticæ Hierosolymæ suam ciuitatem Deus uocat, quòd in ea per spiritum suum habitet, eamq; legibus cœlestis & æterni sui Euangelij per Messiam filium regat.

Non tu precio.) nullis Iudæorum muneribus ad tantum tribuendum beneficium impulsus. Si Christum Babylonis nostræ uastatorem, & electorum uindicem consideras, occurrit illud Matthæi decimo: Gratis accepistis. item Roman. tertio: Gratis iustificati estis. Serui eramus, uenundati sub peccatum: ipse seruus factus, liberos nos fecit, precio sanguinis sui pro nobis persoluto. Tantum abest, ut precium & munera à nobis acceperit, aut accipiat, quæ respiciens nos seruet. Pudeat igitur aduersarios cum suis ranis & locustis Aegyptijs, humana merita tanquam ad salutem nobis commoda, quæ seruator mundi Messias respiciat, ostentare. Hic legimus: Verbum meum extruet, & captiuos meos nullo precio aut munere dimittet. 40

Hæc dicit Dominus, labor Aegypti.) Non una est interpretatio horum uerborum. Porrò sunt, qui hæc contigisse tempore Sennacheribi regis Assyriorum uolunt, quo liberata Hierosolyma de manu illius regnante Ezechia, Aegyptus, 50 Aethiopia & Saba Deum Israel cœperunt agnoscere, propter admirabile redemptionis beneficium, quo deletis Assyrijs ante Hierosolymam, diui-

nus

nus populus affectus est. Sic enim legi suprà capite decimonono: In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti, lingua utentes Chananæa, per Dominum exercituum iurantes. Hæc interpretatio huc quadrare non uidetur. nam hic non quid tempore Sennacheribi & Ezechiæ euenerit, sed quid tempore Cyri esset euenturum, soluta Babylonia captiuitate prædictum legimus: & reuocata umbra, quæ tempore euersionis spiritualis Babylonis sint euentura. Præterea apparet, prophetam nostrum post illa quæ acciderunt Sennacheribi tempore in Aegypto & Aethiopia, hoc de captiuitate Babylonia & eius solutione exposuisse oraculum; ueluti uidere licet quarto Regum libro, capite uicesimo. Altera interpretatio est, hæc quæ hic à uate nostro prædicuntur, Cyro imperium in Chaldæos tenente contigisse, qui Aegyptum usque ad Aethiopiam regno suo adiecerit. Nam apud Esdram is omnia regna terræ à Deo sibi data confitetur. Itaque hoc regnante accidisse uolunt, ut Aegyptij & Aethiopes & Sabæi ad Hierosolymam animum suum conuerterint, Deum præsentem in ea uenerantes, qui per Cyrum regem Persarum tam benignè Iudæos liberasset. Nam gentes iam memoratas animum suum ad Hierosolymam adiecisse, relatio in עלי documento est. At uerò hic minimè hęrendum est: sed subducto uelo mysticæ historiæ, intuenda sunt tempora, quibus sub euersionem ueræ Babylonis, quæ Messia regnante conficitur, ad Ecclesiam se orbis terrarum populi sint aggregaturi. De qua aggregatione suprà capite secundo propheta meminit: Et fluent ad eum omnes gentes, confessuræ quod hic legimus: Tantum in te est Deus, tibi in Christo communione iusticiæ, sapientiæ, & uitæ suæ coniunctus.

Te adorabunt.) honorem reginæ, sponsæ Messiæ regis regum, tibi dantes. Reginam inquam te agnoscentes, de qua in Psalmo canitur: Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato. Atq; hoc catenati, hoc est sub iugum fidei missi, supplices confitebuntur. Psal. 45.

Verè tu Deus absconditus.) Agnoscent etiam reuera Deum absconditum esse prophanis gentibus, & notum suæ Hierosolymæ: ab hac eius uias misericordię & ueritatis notas teneri non ab impijs. Quare sequitur:

Deus Israel saluator.) non Babylonis, sed electorum, qui fidem filio habent, & spiritu eius aguntur: non hoc carentium, ut est Babylon meretrix, & qui hanc adorant, eius characterem in manu & fronte gerentes. de quibus his uerbis Ioannes in Apocalypsi, capite decimoquarto: Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in sua fronte, aut in manu sua, hic bibet de uino iræ Dei. Quare legitur hic, Deum in filio Messia Israelis seruatorem esse: hoc est, in ecclesia electorum salutem locum habere, extra eam interitum & exitium. Vt sequitur:

Confusi sunt.) per deos suos.

Fabricatores errorum.) Sapienter idola sacra lingua appellantur צירים, ab angustia & cruciatu quam afferunt suis cultoribus: ut etiam עצבים à dolore uocantur. Hæc sunt præclara nomina deorum, quos Babylon colit.

Salute æterna.) non salute quam impij habent, quæ temporaria sit, & præsentis seculi: sed salute seruantur, quæ in omnem æternitatem sit duratura, in Messia præsentis & futuri seculi Domino.

Non confundemini.) ut Babylon & ciues eius confunduntur. Illustris contentio, qua amplificat laudes Dei Israel, & huius salutem cum gloria Dei coniunctam.

Quia hæc dicit Dominus.) Caussam exponit, cur filij Dei pudore & dedecore non afficiantur: quòd promittenti salutem, fidem habeant, qui sit creator cœli & terræ: quem neq; fallere quisquam, neq; ipse fallere quenquam possit.

Non in abſcondito locutus ſum.) ſed per prophetas meos apertè ſalutaria oracula expono, quibus meis ſalutem promitto, & eam prolixè præſto. Quid prędicato in orbe terrarum Euangelio clarius & apertius dici poteſt? quod in aperto, inuito dracone, inuito Antichriſto, inuitis principibus & tyrannis orbis terrarum, publicè cum magna potentia in auribus omnium perſonat: & quò uox eius non peruenit, ſcriptio peruenit, in hunc uſum procul dubiè TYPOGRAPHIA diuina prouidentia excogitata.

Non in loco terræ tenebroſo.) non more dæmonum, quos colunt qui idola colunt, in antris reſponſa mea do. De quorum dæmonum ſubmiſſa uoce propheta ſu-
19. prà meminit: Et erit quaſi Phytonis de terra uox tua. 10

Non dixi ſemini Iacob fruſtra, Quærite me.) Non in uanum ſpargi, & ſine fructu, doctrinam Dei Iſrael: qua moneantur mei electi ut me requirāt, qui iuſta loquor, & recta annuncio. Contrà habent quæ falſi uates Babylonis de dijs ſuis uanis colendis docent: quorum doctrina non ſolum uana eſt, ſed etiam pernicioſa, ut qui ea doceant quæ ab uno Deo colendo auertant, quæ à uera iuſticia ex fide in Meſsiam comparanda ſuos auditores ad falſam deflectant, nihil docentes de probitate quæ Deo probetur, de uita æterna, de regno cœleſti, de regenera tione in nouum & cœleſtem hominem, quomodo conficiatur: nihil de futuro ſeculo, de reſurrectione mortuorum ad uitam, admonent: ſed toti uerſantur in tradendis doctrinis de celebrandis & audiendis miſsis, ad impetrandam remiſ 20
ſionem peccatorum: de colendis diuis, de faciendis uotis, de obſeruando diſcri mine ciborum, ueſtium & dierum, de extruendis templis & aris, & fingendis mutis idolis, de impetranda remiſsione peccatorum numerata certa pecunia, de fiducia in merita ſanctorum, contempto merito ſanguinis IESV Chriſti: de adorando uno homine in terra principatum in Eccleſia habente, qui errare non poſsit, & quicquid ſtatuerit pro ſacroſancto oraculo haberi debeat. Contrà mea doctrina habet, ut ſequitur.

Ego Dominus loquens iuſticiam.) per Moſem & prophetas indicans quę iuſta ſint, quęq; uera probitas & iuſticia ſit: & per noui fœderis legatos oſtendo uiam & rationem, quomodo quæ iuſta ſunt, mei exequantur, reuelato eis Meſsia, cuius 30
fide iuſticiam ueram aſſequantur. Sic aduerſarius meus non loquitur, qui quæ iuſta & recta ſunt euertit: & eos qui iuſta & recta ſequuntur, inimicè inſectatur, fortunarum, corporum & animorum uaſtator.

Conuertimini & uidete.) Auerſio ad gentes tempore Cyri liberatas ex tyrannide Babylonis. has teſtimonium ferre, uanos eſſe deos Babylonios. Nota porrò uox פליטי eſt, quæ eos qui euaſerunt & ſeruati ſunt ſignificat. Similiter Paraphraſtes, qui משיובי habet. & Greci, *οἱ σωζόμενοι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν*. Alij aliter. Sed hæc uera & ſimplex interpretatio eſt, & huc congruens. Reducto uelo myſticæ liberationis, occurrunt his nouiſsimis temporibus, quos Meſsias ex aduerſarij regno uindicat in libertatem: qui, ut teſtimonium dent uanos eſſe deos 40
quos altera Babylon colit, appellantur.

Deus iuſtus.) non dij uani.

Et ſaluans.) tempore rerum aduerſarum: non dij Babylonij, qui nec ſuam Babylonem, quo minus pereat, nec ſe ſeruare poſsint.

Conuertimini ad me.) faciem mihi per fidem præbentes, non tergum per perfidiam. Hoc innuitur in uerbo מנו. Qui hactenus reſpexiſtis Babylonem, & eius deos: iam me reſpicite, & ſeruamini. Quare ſequitur:

Et ſalui eritis.) amplexi filium meum Meſsiam, unicum Babylonis deſtructorem, & electorum liberatorem.

Omnes fines terræ.) Huc pertinet illa promiſsio ad Abrahamum facta: In ſemi- 50
Geneſ. 12. ne tuo benedicentur omnes gentes, item: Adorabunt te omnes fines terræ.

Nam

Nam ut Babylon, hoc est Antichristi regnũ multis iam seculis orbis terrarum habitatores captiuos tenuit: ita fore, ut his extremis seculis ab illa deficientes populi, ad Iehouam se certatim sint conuersuri. Nam in hæc patefactionis regni Antichristi, & eius per spiritum Euangelij destructionis tempora impletio oraculorum de pleniore gentium & Israelitarum seruatione referuntur. cuius impletionis rationes aliàs sunt expositæ.

In me ipso iurau.) qui per maiorem me iurare nequeam. Confirmatur spes tribuendæ salutis per iusiurandum Dei, cuius fides fallere non possit. Quod maximum iudicium est beneuolentiæ diuinæ, in suam miserè profanatam Ecclesiam per Babylonem. Veteres dicunt, huiusmodi solenne iuramentum solere interponi à Deo, cum Messiæ & seruatoris & eorum qui seruandi sunt agitur negocium. Sic enim legi in Genesi, ubi de Messia & benedictione omnium gentium promissio exponitur: Per meipsum iurauí. Sed quid iurauit? Sequitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Semen autem hoc Messias benedictus est. Similiter in Psalmo: Iurauit Dominus, tu es sacerdos in æternum. de Christo loquens, qui per benedictionem quæ in spíritu sancto cernitur, electos sit seruaturus. Vt autem hic de Messia seruatore, & de salute quam gentibus & Israelitis sit daturus, mentio fiat, iam patebit. Sed quid iurat Dominus se suis præstaturum? Sequitur: 22. Gal. 3. 1. Psal. 110.

Egredietur de ore meo iustitiæ uerbum.) Euangelij uerbum, quod uiam & rationem de diuina iustitia recuperanda per Messiam ostendit. De qua iustitia mox meminerit: In Domino iustificabitur semen Israel. Sed quid efficit uerbum Euangelij? Sequitur:

Quia mihi curuabitur omne genu.) ad tribuendam mihi gloriam imperij in omnia cœlestia, terrestria & infera. contrà quam Babylon facit, quæ se supra omne quod est numen Dei extollens, insolenter dicere audet: In cœlum ascendam, & supra astra Dei collocabo sedem meam. At quoniam hanc imperij in omnia maiestatem pater filio Messiæ assignauit, ut ipse fatetur dicens, Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra: hunc locum Apostolus in epistola quam ad Rom. scripsit, & in epistola ad Philipp. de Christo Domino interpretatur, ut filio naturali & unigena Dei, ex humili crucis statu ad eam sublimitatẽ euecto, ut ei omnia in hac rerum uniuersitate genua flectãt. Genua igitur omnia Deo patri flectere dicuntur, ut à se omniũ Domino: Christo uerò filio, ut à patre Domino omnium, qui ex patre ut filius, Deus ex Deo est. Cæterùm utitur hic diuinus spiritus ברך uerbo, quod ppriè crura aut genua flectere est: ut השתחוה totum corpus inclinare est, adorandi & uenerandi gratia. Matth. ult. 14. Phil. 2.

Et iurabit omnis lingua.) In nouissimis temporib. destructionis Babylonis regni Antichristi, omnium electorum linguam confessuram, præter me neminem esse iustum, & seruantem in filio Messia Deum. Sed per quẽ iurabit omnis lingua? Per eum iurabit, qui legitur hic per se iurare, non per alium. Nam cum secundum hominem ad Dei imaginem conditum, nullum opus præstantius in rerum natura reperiatur, impiè fecerit, qui per alienos Deos, hoc est per diuos, angelos, per astra, aut per quancunque creatam naturam iurarit. Iurare enim per aliquem, est eum testem interponere, quem neque fallamus, neque ipse quenquam fallat: & eos qui alios fallunt, impunè habere non sinat. Sic autem iurare per aliquem, est ei summum honorem ueritatis & iustitiæ ascribere: quam prima Decalogi lex soli Deo (qui dicit hic, Excepto me nemo iustus est, & saluans Deus) assignat. Nam iurantes Deo scientiam, qua omnia norit: ueritatem, qui mentiri & fallere nequeat: iustitiam, qui de periuris ultionem sumat, tribuunt. Quare qui per alios iurat, hos ipsos fingit, qui sint æterna ueritas & iustitia, qui sint uita perennis, à

nis, à quib. alia uitam ſuam hauriant. quod eſt nefarium de alio cogitare, quàm de Deo patre Meſsia benedicti. Qui unus ſi ſatis eſt ad ſeruandũ, ſuperuacaneè plures finguntur: ſi non ſatis eſt, mundum ſumma mente, à qua ſapienter regatur, priuabimus, contra teſtimonium legis naturalis in omnium animis ſcriptę, ad teſtificandum de una æterna mente, qua cuncta prouidenter gubernentur. Sed quid omnis lingua iurabit? Sequitur:

Meæ ſunt iuſticiæ & imperium.) Sanctorum Eccleſiam confeſſuram, ſuam omnem iuſticiam, fortitudinem, potentiam & imperium in Domino ſe habere, non in facultate & uiribus naturæ, non in lege & eius factis, non in ulla philoſophia nata ex luce naturę creatę: ſed ex ſolo & in ſolo Deo patre per filium Meſsiam, de quo prædicant pſj id quod legitur apud Apoſtolum prima Corinth. primo: IESVS Chriſtus factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſticia & ſanctificatio, & redemptio, ut quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur: non in iuſticia, non in ſapientia, non in fortitudine & potentia humana. Hæc non confitetur Babylon, & eius pſeudoprophetæ: non hypocritæ, qui Babylonem adorant, eius pedes oſculantes, qui dicunt in noſtræ uoluntatis conatu, in noſtris factis, in profeſsione noſtræ ſectæ, in noſtris uotis monaſticis, in delectus ueſtium, ciborum & temporum obſeruatione à nobis inuenta & excogitata, per bonam (quam uocant) intentionem, noſtra iuſticia uerſatur. Quæ bona intentio uerbi Dei infallibili norma ac regula non gubernata, omnis falſæ religionis & idolomaniæ inuentrix eſt.

Et ad eum uenient.) ad patrem, per filium. ut ipſe filius fatetur Ioannis decimoquarto: Nemo ad patrem ueniet, niſi per me. Veniunt autem ad patrem, qui per fidem ſibi Deum patrem merito ſanguinis IESV Chriſti reconciliatum ſibi credunt.

Et confundentur omnes.) Babylon & eius adoratores. Pudore inquam afficientur per ſuam iuſticiam & ſapientiam, in diuinam iuſticiam ira accenſi: quæ ira notatur in uoce נחרים. Nam dum ſuam iuſticiam & potentiam extollere, & diuinam deprimere ſtudent, ex ea inuidia ira naſcitur tanta, quantam (ut tempora Apoſtolorum taceam) hodie flagrare uidemus, de quibus Apoſtolus ad Romanos decimo capite: Et propriam iuſticiam quærentes conſtituere, iuſticiæ Dei non fuerunt ſubditi. Qui ferre illos non poſſunt qui dicunt (ut hic ſcriptum eſt) In Domino iuſticia mea eſt, qui legis perfectio eſt omni credenti. De qua ſequitur:

In Domino iuſtificabitur.) per fidem, qua Meſsias iuſticia Dei electis communicatur. Neque uerò mirum eſt, huic doctrinæ aduerſarios tam infeſtos eſſe: quòd hac confirmata, omnis eorum falſa religio & idololatria ruit. Quid enim tribuent facultati rationis & uoluntatis ſuæ, factis & meritis ſuis, inuocationi diuorum, adorationi idolorum, miſsis pro uiuis & mortuis fabricandis, ſi confiteantur Deum patrem in uno filio colendum eſſe, & una in eum fide iuſtificari improbum?

Omne ſemen Iſrael.) Si myſticum Iſraelem ſpectes, indicantur tempora reconciliationis, in quibus omnes electi ex Iſraelitis ſecundum carnem, per fidem in reuelatum eis Meſsiam, uenturum per reuelationem ſui ſacri Euangelij, iuſtificabuntur. Sin Iſraelem generaliter, hoc eſt in unſuerſum Iſraelitas, qui ſecundum promiſsionem Iſraelitæ & ſemen Abrahami ſunt, conſideras, occurrit tota electorum Eccleſia per Meſsiam iuſticia ornanda. De hoc loco uideris apud Apoſtolum, in epiſtola ad Romanos.

IN CAP.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM.

CONfractus est Bel.) capta Babylone per Cyrum. Est in historijs, curasse Ninum, ut pater Belus, filius Nimrodi, pro deo ab Assyrijs colere-tur. Hoc idolum se curuasse, hoc est corruisse. Scitè diuinus spiritus flectendi genua uerbo ברע utitur: significans, Babylonia idola se coram Cyro curuatura. At Babylon antea sua genua illis curuauerat. Præcesserat, Omne genu se flexurum Messiæ: hic sequitur, ברע בל. Videtur tectè indicari, etiam dæmones, quos ut autores & inuentores omnis idololatriæ, idolorum cultores colunt, Messiæ genua flexuros: hoc est, eum Regem regum & Dominum dominantium confessuros. ut Apostolus in epistola ad Philippenses dicit: Vt in nomine IESV omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium & infe- Philippen. 2.
rorum. infernis dæmonibus, & ijs qui in inferno & tartaro ciues sunt, iudicatis. Quò pertinet illud: Dæmones credũt, & contremiscunt. Per memorabilem pijs contentionem amplificatur potentia Messiæ IESV CHRISTI, sub figura Cyri: hunc regnaturum in sua Ecclesia, regno Babylonij Antichristi cum eius idololatria euerso.

Facta sunt simulachra eorum.) iumentis imposita ad auehendum. Argentea & aurea idola significantur, quæ in præda cesserunt Cyro. Messiæ benedicto sua quoque argentea & aurea humanæ sapientiæ & potentiæ idola in prædam cedent, quæ de sapientibus huius mundi prædatus, in usum suorum electorum ad amplificandum nomen suum sit conuersurus. Quæ enim impia Babylon præclara habet, Dei loco ab ea adorata, his ipsis illa in sanctorum usum commutandis spoliatur. Vera enim illa sententia est: Etiam quod habent, auferetur ab eis.

Onera eorum graui pondere.) Idola per irrisionem onera uocat, & ponderosas farcinas quæ iumenta ita fatigent, ut collapsa succumbant, nec se illis liberare ualeant. Qua in irrisione, Babyloniorum & idolorum, & eorum qui illa colunt, uanitas declaratur. Terrestri pondere uanorum deorũ iumenta deprimi leguntur, in quibus cœlestis uigor nullus insit, quo & se & suos cultores, & bestias à quibus ferantur, leuent, sed mole sua eas opprimant.

Contabuerunt.) Verbum Hebræum in hoc loco solum reperias, quod est, inclinando se & flectendo succumbere. Vox סריחים, quæ legitur in Exodo, fibulas notãs ac uncinos, inde ducitur: quæ fibulæ sic appellãtur ob inflexã curuitatẽ.

Et anima eorum in captiuitatem abiit.) Idolis animus tribuitur per ironiam, ex falsa cultorum cogitatione. Valde stultos esse qui deos colant: qui neq; suos cultores, neq; se, quominus in captiuitatem abeant, liberent.

Audite me domus Iacob.) Hortatur Israelitas ex Babylone liberandos, ut se audiant, non falsos prophetas & Babyloniæ idololatriæ doctores. Quàm latè pateat hæc hortatio, nostra secula declarant.

Qui gestamini ab utero.) Ab æquo. Plena consolatione comparatio, à matre sumpta. quæ infantem suum in utero fouet, dum eum pariat, & in lucem editũ summa cura dum adolescat nutrit, atq; à malis quoad fieri potest in ulnis portando tuetur, donec tutò ingrediatur. Talem se gerere erga suos patrem cœlestem, in filio Messia. Qui in hunc modum se infrà matri comparat: Si mater infantis sui obliuisci potest, ego obliuiscar tui. Atqui in hoc superat matris amorem, quem erga suos infantes gerit, Dei patris amor, quòd mater liberos, cum ad iustam & constantem ætatem peruenerint, suæ ipsorum curæ relinquit: cœlestis uerò pater amanter à puericia usque ad senectutem suos filios curat. Hic legimus, electos à patre gestari, ne collabantur: suprà, Babylonem corruere. Quæ gestatio, singularis Dei erga suos cura & prouidentia est.

Item

Item hic legimus, filios portari à Deo, ad eos asserendos in libertatem, & tuendos à malis. Suprà legimus, uanos deos Babylonis à iumentis portari in captiuitatem.

Vsq; ad senectam.) Nominantur duæ ætates infirmiores, pueritia & senectus, quæ maiore cura egent. De quibus in hunc modum Psalmus: Spes mea Dominus, à iuuentute mea: In te confirmatus sum ab utero: Ne proijcias me in tempore senectutis meæ. Cernuntur in animali homine suæ ætates, pueritia, adolescentia, constans ætas, & senectus. per has omnes ætates electos curari à Deo. In educatione spiritualis & noui hominis ætates ut cernantur, declarat Apostolus: & qui nascuntur è spiritu Messiæ, experiuntur. Has ætates dum crescamus in uirum perfectum in IESV CHRISTO, ut curet Deus pater, ipsa regeneratio docet.

Psal. 71.

Ephes. 4.

Ego feci.) Vos Israelitas ego feci, & paro uos ac formo opus diuinũ, & tutum à malis, quibus Babylon cum suis dijs obnoxia est. Vos meum opus estis, Babylonis opus dij ipsorum sunt. Ego uos feci, qui creatorem uestrum colatis: Babylon ipsa sibi deos format, quos colat: conditore opus manuum suarum in uerso omni naturæ ordine adorante. Itaq; quoniam par est ut creatorem suum creatum opus adoret, uos me metuatis tanquam Dominũ, & reuereamini tanquam patrem, non Babylonem & eius deos, ne his uerbis cogar uobiscum expostulare: Si ego pater uester sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?

Malach. 1.

Et ego portabo.) tanquam uidelicet onus humeris meis impositum. quod est אסבל. Quantum autem portet Deus pater onus, electorum suorum curam gerens, ostendit filius Messias, peccati & mortis onere in se recepto, peccatum nimirum & maledictum propter suos factus. De quo graui & ponderoso onere infrà: Et delicta eorũ ipse יסבל, hoc est portabit & baiulabit. Quare in hoc uerbo magna consolatio nobis ostenditur: Messiam esse, qui in suos humeros recipiat nos gestandos, nostra infirmitate, nostro peccato, nostra morte in se reiecta, ut nobis suum robur, suam iusticiam, suam uitam impertiat. Hæc agnoscere, & in stratagematis militiæ nostræ quotidianæ experiri, quantum fidei opus sit, norunt in hac palæstra certantes, & luctantes contra externos & intestinos hostes. In externis Satan & mundus, in intestinis hostibus caro & eius cupiditates legi diuini spiritus aduersæ, numerantur. & cum caro infestissimus noster hostis sit, hanc tamen ita amamus, ut nulla à nobis cura prætermittatur, qua nõ benignè foueatur: qui unam hanc legem, sed contra legem, in illa curanda implemus, Inimicum tuum diligito.

Et saluabo.) sublato peccati & mortis, & tandem omnium afflictionũ, ipsiusq; spiritualis Babylonis regni Antichristi oneroso iugo. Est porrò מלט, graui periculo liberare.

Cui assimilastis me.) Apostrophe ad idolorũ cultores, quos generatim perstringit. quòd putant diuinitatem per similitudinem quandam in idolis effingi, cum nulla similitudo neue in angelis, neue in diuis, neue in astris, nedum in simulachris lapideis, ligneis, aureis & argẽteis ab artifice elaboratis reperiatur, in qua Deus ad colẽdum effingatur: præter unũ Messiam Dei patris expressam imaginẽ, eius diuinitatẽ ex solido exprimentẽ. Itaq; Moses in Deuter. dicit, in mõte Sina uocẽ auditã: similitudinẽ aũt & imaginẽ Dei non cõspectam, ne qua imago neue masculi & fœminæ, neue piscium, neue uolucrũ fiat, sub qua Deus colatur. Quã qui fingũt, sequentib. uerbis deridẽtur à uate nostro. Cæterũ tria cõparandi uerba hic usurpãtur, Assimulare, æquare, & משל. Assimulatio cernitur in simulachris, in quibus ficta falsaq; similitudine diuinitatem idololatræ representari putant. Aequatio in potentia & ui perpenditur. תמשלני est imperij & dominatus: Cui me comparabitis in dominatu & imperio?

Qui

Qui confertis aurum de sacculo.) Reprehenditur uanum assimulandi studium: uanos cultores ex loculo aurum, tāquam rem inutilem profundere. quod est הבל. Hieremias in lugubri carmine: Contempserunt eam, & abiecerunt tanquam rem uilem & contemptam. Sic cum auro agunt, qui id in idola fingenda consumunt.

Portent illum.) cum ego meos cultores, quos foueam, alam, conseruem, feram. Suprà: Ab utero portamini. Plena sannis & irrisione descriptio studiorum, quę in idolis fingendis collocantur. Similis suprà legitur.

Ponentes in loco suo.) cum ego nullo loco includar ac circumscribar, omnia in cœlo & in terra imperij maiestate & amplitudine replens.

Et si quis clamet ad eum, non respondet.) os nimirum habens, & non loquens. Contrà ego facio, de quo suprà propheta noster: Ad uocem clamoris tui statim ut audiet, respondebit. hoc est, te exaudiet ad iuuandum.

De tribulatione non saluabit eos.) Secus Deus Israel comparatus est, qui sic de se loquitur in Psalmo: Tempore afflictionis tuę inuoca me, & eruam te, ut honores me. Dij igitur alieni, non dij sunt: & nō magis dij sunt, quàm camelus pictus, camelus: ut qui inuocantes opem eorum, non iuuent & seruent. Dei enim proprium est, opem afferre & seruare ipsum implorantes. *Psal. 50.*

Mementote istud, & fundamini.) Declarata uanitate deorum alienorum, hortatur eorum cultores, ut ad se redeant, uerum Deum ea ratione colētes, quam is ipse præscripserit. Et quoniam ad relinquendam idololatriam diuina sacri spiritus ui opus est, qui ad idololatriam in uetere natura per originis uitium toti propendeamus: hortatur idolorum cultores, ut simulachrorum cultum fortiter deserant, uirili robore præditi. quod notatur in uerbo התאששו, ab איש deriuato. alij ab אשישי, quod fundamenta significat. deriuant. ut sit sententia: Fundamini, hoc est instar fundamēti firmi & robusti sitis. Paraphrastes uertit התקיימו. Quanta animi fortitudine opus sit ad deserenda idola auaricię, ambitionis, sapientię, iusticię & potētię humanę, non ignorāt hæc idola colētes: ne quis putet lapidea, lignea, aurea & argētea idola solū relinquēda esse. multi hęc aspernāt, uera illa idola animo adorāt, magno opprobrio Dei Israel, & suapernicie.

Recordamini prioris seculi.) quas res mirandas prioribus seculis per prophetas meos præsignificatas fecerim. quæ inquam miracula fecerim, mundo per diluuium deleto, Sodomis & Gomorris cœlesti igne extinctis, Aegyptijs in mari rubro absorptis, Chananæis deletis, Assyrijs ante Hierosolymam per angelum interfectis. Hæc inquam uos deorum alienorum cultores perpendite: nunquid tale uestri dij unquam fecerint, aut possint facere: ut tandem uestra conscientia & operibus à me editis admoniti, confiteamini uestros deos uanos esse, & non esse Deos, & me unum uerum Deum esse, excepto me neminem alium, qui suos cultores seruare possit. Argumenta ad id probandum repetit, partim sumpta ab operibus mirandis, partim à potestate prædicendi futura, & ea præstandi, de qua sequitur:

Annuncians ab exordio nouissima.) Vt præteream superiorum temporum euentus à prophetis præsignificatos, qui in spiritualis Babylonis regno uersantur, clarum huius argumenti documentum tenent: id contingere regno Antichristi, quod olim euenturum & prædictum est.

Consilium meum stabit.) per Cyrum, de delenda Babylone, & redimendis meis Israelitis: & per Christum, de euertendo regno Antichristi.

Omnis uoluntas mea.) Non draconis, non Babylonis os draconis habentis, non tyrannorum orbis terrarum, adorantium draconem & bestiam Antichristum: cum quorum uoluntate facultas efficiendi quod uolunt coniuncta non est, ut cum mea, qui quod uolo facio, coniuncta est. de qua uoluntate cum facultate coniuncta, Psalmus: Quicquid uult facit in cœlo & in terra.

Vocans

Vocans ab Oriente auem.) Cyrum instar uolucris celeriter aduolaturum. Legati Dei uolucribus, ut in quadriga Ezechielis aquilæ, comparantur, ob perficiendi mandata Dei celeritatem. Hinc Cherubin & Seraphin alati in sacris literis describuntur.

Et locutus sum, & adducam illud.) Deum dicere, & præstare quæ dicit. Adducendi uerbum, pro præstandi & implendi. Hæc sententia maximam uim & momentum habet ad confirmandam fidem, & ex ea spem natam: Deum ea potentia & fide pollere, qui quæ dixerit & promiserit, sit præstaturus, nulla aduersaria ui eum impediente. Hoc persuasum habere in rebus aduersis, fidei opus est, nō naturæ ueteris. Nec alia uia est & ratio in lucta tentatorem Satanem uincendi, quàm niti per fidem his duobus uerbis longè saluberrimis: Deus dicit, & præstabit: Deus promittit se me liberaturum, liberabit igitur, inuitis in ferni portis & potestatibus tenebrarum: quarum omnis conatus eò tendit, ut hęc duo uerba aut ex animis nostris eximant, aut ea in dubium uocent, ad fidem in ea extinguendam. Tali potestate & promittendi & præstandi carere Deos Babylonios, qui sint immobilis & mutus ex ligno & lapide truncus.

Creaui.) consilium de euertenda Babylone in mente mea formaui, & id exequar per Cyrum. יצר est animo fingere formas, quæ rebus foris formandis iungantur, mutuata hac significatione ab arctum & angustum esse: quòd qui rem aliquam rudem & informem figurat, eam quasi finibus certis cōcludere ac circumscribere uideatur.

Audite duro corde.) Minabundè Babylonios, superbos electorum hostes, iusticiæ diuinæ admonet, à qua dicit eos remotos esse, à iusticia inquam, quam filij Dei suprà his uerbis prædicant: In Domino iusticiam & imperium habeo. Notantur in אבירי לב feroces, & magna animo præsumentes. Quales sunt, qui superbè & arroganter suam sapientiam, iusticiam & potentiam celebrant, diuinam contemnentes. quod est hic, Remoti à iusticia. Intueamur tempora spiritualis Babylonis. Sed à qua iusticia sunt remoti? Sequitur:

Propè feci iusticiam meam.) uestra, quam extollitis, deiecta: & mea, quam deiecitis, confirmata.

Non elongabitur.) ut per te, Babylonem scortantem cum regibus & orbis terrarum populis, iam aliquot seculis remota fuit. Vt uerè dixerit Dominus noster: Putas, cum filius hominis uenerit, eum fidem reperturum in terra? Cuius fidei iusticiam hic longè abesse dicit diuinus spiritus, Antichristo omnia profanante. Iam autem experimur, ueniente Messia per reuelationis sui Euangelij aduentum, iusticiam non longè abesse, sed eam cū luce Euangelij mundo restitui.

Et salus mea.) per Euangelium Messiæ orbis terrarum, restitutum electis meis, procuranda. Hæc autem salus cernitur in uerę iusticiæ & uitæ reparatione, per fidem in filium.

In Sion.) non in Babylone, quæ perdenda erit, non seruanda.

Gloriam meam.) cœlestis regni gloriam & splendorem, gloria Babylonis euersa. ut sequitur.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

Descende.) Deorum Babyloniorum casu & liberatione electorū exposita, iam Babylonis miseram ruinam explicat. Oraculares imperatiui, Descende, sede, tolle molam, usurpantur: in quibus minax prophetia continetur, qua utriusq; Babylonis mysticæ & ueræ deuastatio derisoria insultatione prędicitur. Regnum autem Antichristi per Babylonem aptis figuris figurari, apparet. Primò, quòd Babylō non sublimi loco, sed in planicie ædificata fuit, tale regnū Antichristi est, non in cœlo,

lo,ſed in terra extructum: non in cœlo,ſed in abyſſo & ipſo inferno ortum: ut terrenum regnum,non cœleſte. ueluti hæc beſtia ex terra aſcendere in Apocalypſi legitur:Et uidi aliam beſtiam aſcendentem de terra.Itaq; diuinus ſpiritus ſuprà Babylonem uocat צוללה, hoc eſt profundum & abyſſum: Qui dico profundo,Deſolare: Babylone ſignificata,ad indicãdum ſpiritualem Babylonem regnum Antichriſti per Chaldæorum Babylonem adumbrari, quæ originem ex abyſſo & profundo orco ducat. Deinde, Babylon à Nimrodo ſuperbo & robuſto uenatore, cum turre cuius culmen cœlum attingeret, ædificari cœpit. non ſecus altera Babylon, à ſuperbo & inſolenti animarum, quas conficiat uenabulo falſarum doctrinarum,uenatore Antichriſto ædificatur: cuius turris faſtigium ad cœlũ uſq; pertingat, ut qui audeat ſupra omne id quod eſt numen Dei ſeſe extollere,ſuperbè dicens cum Babylonio rege: In cœlum aſcẽdam,& ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Vt autem filius pẽrditus ſeſe extollat ſupra ſolium agni, documento eſt, quòd ſua dogmata ex draconis ore hauſta cœleſti Euangelio præfert, eos capitali odio perſequens qui illud amplectuntur,eius decretis & legibus relictis. Tertiò,Babylon à confuſione linguarũ, in quam inciderunt qui turrim Babyloniam extruere moliti ſunt,בבל nominata eſt. non aliud nomen in regnum Antichriſti congruit, quod merito à Ioanne Babylon appellatur,propter tot ſectarum in quas ſciſſa eſt confuſionẽ:cum una ſanctorum ſecta ſit,& unus pater, unus Chriſtus, unus Spiritus ſanctus,unumq; Euangelium,& unus baptiſmus,& una fides. Quartò,Babylon Chaldæorum plena fuit falſis uatibus, magis & hariolis atq; maleficis. regnum Antichriſti uera illa Babylon, ut pſeudoprophetis & falſis doctoribus atque maleficis referta ſit,liquidum eſt. non refero,ut in illa principatum gerẽtes impijs diuinandi artibus & necromantijs fuerint dediti. Quintò, Babylon omni idololatriæ genere infamis fuit.altera Babylon ut idolis repleta ſit, non eſt neceſſe meminiſſe.res enim clarior eſt,quàm ut egeat comprobatione:& turpior idolorum cultus, quàm ut explicari debeat. Sextò, prior Babylon diuinum populum Iſraeliticũ captiuum tenuit, & ut auream ſtatuam adoraret impellere(ut ex Daniele patet)ſtuduit. Altera Babylon, ut multis ſeculis ſedem in loco ſancto ac templo Dei,electos ac ſcriptos in libro uitæ,præfiguratos ab Iſraelitis.captiuos teneat per dæmoniorum doctrinas, eosq; cogat auream ſuæ ſuperſtitionis & falſæ religionis ſtatuam adorare,conſtat.de qua Ioannes in Apocalypſi ſic loquitur:Et facit omnes puſillos & magnos,diuites & pauperes,liberos & ſeruos,accipere characterem in manu ſua dextra,aut in frontibus ſuis: & ne quis poſsit emere,aut uendere, niſi qui habeat characterem aut nomen beſtiæ,aut numerum nominis eius.de quo numero ſuo loco dicemus. Sed hæc noſtra Babylon Chaldæorum Babylone turpior eſt, quòd apertè cum agno Meſsia pugnat,ſuperbè ſibi dominatum in omnia uendicans. Poſtremò,ut Babylonem illam ueterem Cyrus Perſarum rex deuaſtauit,ad ſacrum Deo polum liberandum: ita his extremis temporibus, ex gentibus deliguntur legati, qui euerſa hac altera Babylone matre omnis confuſionis & perturbationis,electos ex miſera errorum captiuitate liberent: & eos in ueram diuini ſpiritus libertatem uindicent.

Deſcende.) de maieſtate regni tui,quę dixiſti:In cœlum aſcendam. Deſcendere, pro deijci ac deturbari de regni amplitudine & ſplendore. Verbum hoc explicat Ioannes in Apocalypſi,ex Hieremia: Cecidit Babylon.de alto uidelicet in infima, in abyſſum nimirum & orcum.Sic enim Ioannes: Et apprehenſa eſt beſtia,& cum illa pſeudopropheta,& qui adorauerant imaginem beſtiæ,& uiui cõiecti ſunt in ſtagnũ ignis ardens ſulphure.Chriſtus ex humili crucis ſtatu in ſublimem aſcendit:aduerſarius eius ex ſublimi in infimũ deſcendit,ut uera ſit ſententia illa:Qui ſe exaltat,humiliabitur:& qui ſe humiliat,exaltabitur.

Apocalyp.13. 44.

Ierem.51. *Apocal.18* *Apocal.19.* *Luce 18.*

Sede in puluere.) Quę dixerat: Sedebo in mõte teſtamẽti. Quod eſt apud Apo-
2. *Theſſ.* 2. ſtolum, Adeò ut in templo Dei ſedeat: hoc eſt, in cõſcientijs electorum per falſas doctrinas & dogmata ſua ex fumo abyſsi nata regnet, in quibus agnum per Euãgelium cœleſte regnare oportebat. Sedere in puluere terræ iubetur, quę
17. ex terra in Apocalypſi aſcendere dicitur. Itaq; Babylõ terrena, non cœleſtia ſapiens, idem cum ſerpente & dracone parente iudicium experitur, in quem hęc Dei ſententia pronunciata legitur: In uentrem ambulabis, & puluerem terræ
Geneſ. 3. comedes. Hæc ſors, is exitus eſt ſuperbi ſerpentis, & Babylonis meretricis, ex illo genitæ.

Virgo.) nondum maritata, hoc eſt in poteſtatem alterius redacta, quę infrà ſic gloriatur: In ſempiternum domina ero. Quatenus ad hæc pertinet, uirgo dicitur: alioquin meritò tenet nomen meretricis, non uirginis, quod cum dracone & diſs alienis meretricetur, uirginis omni pudore poſito. Sibylla quoq; mulierem, quam hic Ieſaias uirginem, Ioannes meretricem, regnaturam in mundo prædixit, ubi de Antichriſto oraculum texit:

καὶ τότε δὴ κόσμῳ ὑπὸ ταῖς πολλαμῆσι γυναικὸς
ἕσσεται ἀρχόμενος, καὶ πειθόμενος πρὶ πάντος.

Cur autem fœminæ nomine, non uiri Antichriſtus appelletur, curq; raſum uerticem gerat, de eo aliàs mentio facta eſt, & mox infrà ea repetetur.

Non eſt ſolium.) Præceſſerat: Sede ad terrã. בסא regiũ ſolium eſt, à tegẽdo ſic appellatum, quòd tapetijs tegi ſoleat. Babylonem regia dignitate ſpoliandam
18. *Mollis & delicata.*) omnibus delicijs affluens, de quib. Ioan. in Apoc. meminit.

Tolle molam.) more ſeruarum uendita in piſtrinũ. Figuratè propheta miſeram Babylonis ſeruitutem deſcribit: Quæ domina fuiſti, ſeruituti addicêris. Seruilis enim conditio hac loquendi figura indicatur. nam ſic in Exodo legitur: Vſque
12. primogenitum ancillæ qui eſt ad molam. item in libro Iudicum, Palæſtini clau-
16. ſum Samſonem in carcere molere fecerunt.

Denuda turpitudinem tuam.) Faſciam qua cincinni cõſtringuntur ſoluẽdam, captiuarum & lugentium more: quarum crinis ſoluitur, dum per urgentem hoſtẽ & luctum capillos componere & faſces innectere non licet. Verbum cõſtringendi יעה ſatis notum eſt. Paraphraſtes Chaldæus interpretatur de regia gloria: hanc nudandam eſſe, גלא יקר מלכותיך.

Tranſi flumina.) Præceſsit, Detege crura. Euphrates, nobile Babylonię flumen, notum eſt.

Reuelabitur turpitudo tua.) uerenda, nudatis nimirum cruribus, quæ detegere honeſtas prohibeat. Solent etiam captiuis ueſtes præcidi uſq; ad nates, opprobrij cauſſa, ut appareant uerẽda. figuratè etiam ſignificatur, per hypocriſim ac ſimulationem tectam obſcœnitatem & turpitudinẽ detectum iri. Firmum enim eſt
Lucæ 8. illud: Nihil eſt tectum quod non ſit retegendum, & nihil occultum quod non ſit futurum ut ſciatur. Vt autem hodie obſcœnitas & turpitudo noſtræ Babylonis, nobilis ſcorti, per Euangelij lucem incipiat detegi, ſatis eſt clarum.

Vltionem capiam.) de tyrannide tua: ut qua menſura tu menſa es, eâdem tibi Perſæ & Medi metiantur, ſeruata diuina legis talionis æquitate.

Redemptor noſter.) non dij alieni, nõ potẽtia & ſapientia aliqua humana: ſed Dominus exercituum, redemptor & uindex noſter eſt. Sic ouantes acclamabunt, qui ex Babylone liberati fuerint. De hac gratulabunda ouatione Ioan. in Apo-
Apoc. 18. calypſi: Poſt hæc audiui uocẽ magnam turbę multæ in cœlo dicentis: Alleluia, ſalus & honor & gloria & uirtus Domino Deo noſtro, quia uera & iuſta iudicia eius: quia iudicauit de meretrice magna, quę terram corrupit proſtitutione ſui, & uindicauit ſanguinem ſuorum ſeruorũ de manu eius. Duos titulos tribuunt electi Domino IESV Chriſto: alter, Dominus exercituum eſt: alter, ſanctus Iſraelitarum. uterq; fidem in illum confirmat. Cæterùm גאל de Meſsia redemptore

redemptore dicitur, qui ſecundũ carnem noſter propinquus factus eſt, ut nos uenditos ſub peccatum, & in poteſtatem mortis traditos, propinquitatis iure perſoluto ſanguinis ſui precio redimeret. Eſt enim גאל, quippiã uel à ſe uel propinquo ad alios deuolutũ redimere, & in priſtinum ius aſſerere. atq; id de propinquis & conſanguineis dici, ex Moſe clarum eſt.

Sede tacens.) quę hactenus ſermonem contra excelſum locuta es. de quo uideris apud Danielem. 7.

Et intra in tenebras.) quæ hactenus in luce & ſplendore regio uerſata es, & electos meos in tenebris miſerabilis ſeruitutis captiuos detinuiſti: iam omni ſplẽdore regio amiſſo, obſcura eris, afflictionũ tenebris obſita. Quare ſequitur:

Quia non uocaberis amplius domina regnorum.) Explicantur tenebræ.

Iratus ſum ſuper populum meum.) Exponuntur cauſſæ ſupplicij Babylonis. quarum una eſt, inclementia illius in electum populum declarata. quam per occupationem exponit: ſe quidem iratum fuiſſe, ſed ut patrem, qui per Chaldæos uoluerit ſuos corrigere, non perdere, & correctos ad meliorem frugem reuocare. ſecus autem fuiſſe compoſitam crudelem Babylonem, quæ nullã miſericordiam captiuis dederit. Dicit hic, ſe iraſci populo ſuo: ex quo cognoſcitur, electos caſtigari ut filios, paterna beneuolentia, non odio. Dicit enim hic, ſuis ſe iraſci.

Contaminaui hæreditatem meam.) Electorum Eccleſiam hæreditatem ſuam uocat, ut quam poſſideat non aliter atq; ſuam hæreditatem. Solent patresfamiliâs hæreditarias ſuas domos ſartas tectas tueri, agros hæreditarios conſerere & colere, ex quibus fructus capiant. Sic ſunt Iſraelitæ, hoc eſt, in uniuerſum electi & ſcripti in libro uitæ. Hinc de hæreditaria domo illud legitur: Ego habitabo in eis. & ſuprà de hæreditaria uinea: Vinea fuit dilecto meo. & de hæreditario agro, eiuſq; cultore: Pater meus agricola eſt. & de horto hæreditario, ſponſa Eccleſia in Cantico canticor. Meſsias ſponſus: Hortus meus concluſus, ſoror mea ſponſa. Itaq; diuinæ beneuolentię eſt, electos à Domino pro hęreditate ſua haberi, etiam illo tempore quo à Babylone profanantur. Profanãtur autem, cum illa pro ſacra doctrina ſuam profanam ſeruãdam obtrudit: atq; etiam tum, cum in Babylone uerſent, nõ prorſus ut nõ ſint eius ab æterno ſcripta in cœlis hęreditas repudiantur. Dicit enim hic, à ſe ſuam hæreditatem profanari, cum eam Babyloni profanandã permittit: indicato, hoſtib. non plus Eccleſiæ electorũ, in quacunq; parte mundi uerſentur, ſub quocunq; tyranno ueniant, quãcunq; ſequantur religionẽ, licere incommodare, quàm Dominus permittat: nihil aũt permittere, quod illi ſalutare non ſit, & ſuo nomini glorioſum: in cuius cõſilijs æternis crucis & gloriæ, profanationis & conſecrationis ſuorũ electorum tempora cõſignata ſint. Atq; hæc præcipua eſt Eccleſiæ, ad tempus à Domino deſertæ, conſolatio: quæ cum ludæis in ſua Babylone, ſub Mahumeto, ſub beſtia ſuper ſeptem colles ſedente, ſuos ſeptuaginta captiuitatis annos habet, ultra quos non erit captiua. ſed his expletis, ouans acclamabit: Redemptor noſter Dominus exercituum, nomen eius ſanctus Iſrael. 5. Ioann.15. Cantic.4.

Nõ poſuiſti eis miſericordiam.) Me minimè imitata, qui miſericors ſum, & clemẽs: ſed parentẽ Satanẽ, qui homicida eſt ab initio. Immiſericordiam obijcit Babyloni, ut uitium longè à natura Dei alieniſsimum, qui de ſe prædicat apud Moſem: Dominus Deus miſericors & clemens, & ad iram tardus. De crudelitate noſtræ Babylonis Ioannes in Apocalypſi: Et uidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum. Ioan.8. Exod.34. 17.

In ſempiternum ero domina.) non cogitans, Dominũ eſſe æternũ dominatũ tenentem, qui de ſe prædicat: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Diuinus ſpíritus Babylonẽ nõ uirũ uocat, ſed fœminã. & Ioan. in Apoc. nõ cuiuſuis fœminæ, nõ enim honeſtæ & pudicæ, ſed meretricis nomine Babylonẽ dignatur. Siquidẽ hæc, quæ mundũ fœdũ & turpẽ adulterũ & ſcortatorẽ pro marito Math.ult.

Apocal 17. habet, apud eundem Ioan, his uerbis deſcribitur: Et in fronte eius ſcriptū myſterium, Babylon magna meretrix. Hinc etiam non ſine myſterio & arcano conſilio aduerſarius Meſsiæ raſum caput gerit: ſignificans ſe uirili fortitudine, in capite & cęſarie capitis (ut Nazareatus Moſęus documēto eſt) indicata, priuatū, ad omnem ignominiam, luxū, libidinem atq; molliciem abiectum eſſe. Explicatur altera cauſſa ruinæ Babylonis, ſuperbia & ſecuritas de iudicio Dei. Itaq; non eſt mirum, hanc tantopere aduerſari Chriſto, eiusq; amore eam omnino carere: ut quę duo, ex quibus amor naſcitur, non agnoſcat. Alterum inopia eſt, quæ ſe inopem & pauperem non fateatur. dicit enim: Domina ſum. Amorem autem naſci ex inopia, ex eo patet, quòd eas res quibus ægrè caremus, expetimus: ut qui ſe improbos eſſe ſciunt, probitatem appetunt: qui ſe inſipientes eſſe dolent, ſapientiam cupiunt. Alterum igitur eſt, ex quo amor oritur, abundantia & copia uerorum bonorum, ad quæ comparanda amore impellimur. Horum autem copia quoniam in Chriſto cernitur, eam cum contemnit Babylon, ut Chriſtum quoque contemnat & odio perſequatur neceſſe eſt. Sic enim de hoc ſcriptum legimus, & fides ipſa ſanctorum confitetur: Quoniam Deo placuit omnem plenitudinem in eo habitare. Quare ueteres dixerunt, amorem ex inopia & abundantia naſci: & ut Græcorum ſapientes dicunt, ἐκ τῆς πενίας καὶ πόρου. Et quamuis Deus inopia careat, nullo bono (qui ſummum bonum ſit) egens, amore tamen non caret: quem erga inopes, quorum inopiam largiendo de copia filij bona leuet. Is igitur per amorem nos ditando, nos uerè eius bona accipiendo per eundem amorem delectamur. circularis enim diuinus amor eſt naturæ. Nam quo amore Deus nos amat, eodem eius filij eum amant. Scriptum enim eſt: Deus amor eſt, & qui manet in amore, in Deo manet. In Deo igitur impia Babylon non eſt, quæ diuino amoris ſpiritu, qui Meſsię ſpiritus eſt, uacet: ut quem odio proſequatur, eius cum dracone capitalis hoſtis. Quare ſequitur:

Plato.

1. Ioan. 4.

Non poſuiſti hæc ſuper cor tuum.) ſecura de uindice ſcelerum Deo. Non cogitas eum animo tuo, Deum in cœlo uerſari, ſpeculantem bonos & malos: ut quæ te ſupra omne id quod Dei numen eſt efferas: pro nutu & arbitrio tuo, quos libeat, beatos pronuncians: quos non libeat, infelices. Et cum ſe talem eſſe ſibi perſuadet, ſecura de malis redditur, dicens quæ ſequuntur:

Ego ſum, & præter me.) diuinum hunc honorem, quem Deus ſibi iure uendicat, ſuperba Babylon ſibi arrogante. Sic enim Deus ſuprà de ſe loquitur: Ego Dominus, & non eſt amplius. De hac Antichriſti ſuperbia antè prædixerat Bilea mus, ut Moſes in Numeris narrat, מי יחיה משמ אל: id eſt, Quis uiuet, cum poſuerit ſe Deum.

Numeri 24.

Non ſedebo uidua.) ſpoliata regno.

Et ignorabo ſterilitatem.) non orbanda liberis. non perpendens ſententiam illam: Semen impiorum peribit. item: Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen.

Pſal. 36.

Venient tibi hæc duo ſubitò.) Explicatur ſupplicium ſuperbiæ & ſecuritatis. Ruinam Babylonis Chaldęorum ſi ſpectes, hæc Cyro Babylonem choreas & conuiuia celebrantem capiente impleta ſunt. Sin noſtræ Babylonis caſum conſideres, accidet ei illud: Cum dixerint, Pax & tuta omnia, repentinus ſuperueniet interitus.

Matth. 24.

Sterilitas & uiduitas.) Ex lege talionis, quæ dixiſſet: Vidua non ſedebò, nec uidebo orbitatem.

Fiduciam habuiſti in malicia tua.) per quam negata prouidentia diuina, audeas dicere: Non uidet ſcelera mea Deus. Sed quid hoc aliud eſt, quàm Deum ex mundo pellere? Perinde enim eſt dicere, improborum improbitatem, quam puniat, Deum non cernere, atq; eum non eſſe.

Sapientię

Sapientia tua & scientia tua.) Si ueterem Babylonem spectes, occurrit sapientia & scientia, quam hęc in astrologia & uarijs diuinandi artibus exercuit: de qua sapientia hic memoratis diuinatoribus mentio fit. Hos enim sapientes uocari solitos à Babylonijs, Danielis liber comprobat, in quo legimus: Et per me prò- 4.
positum est decretum, ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis. Sin uerò alterius Babylonis sapientiam consideras, occurit falsorum uatum ac doctorum uana sapientia, quæ in cœlum os ponens, audet Dei *Daniel.7.*
leges & tempora mutare, & sermones contra excelsum loqui, suas leges confirmare, & nouas rationes de comparanda iusticia & salute excogitare, aduersas rationibus quas sapientia Dei Messias in Euangelio suo proponit.

Quam non poteris expiare.) ullo piaculari precio à te auertere & auerruncare. Est רכב proprie tegere & oblinere, ut ex Genesi patet. Hinc accipitur pro, calami- 6.
tatem tecto peccato à se auertere. Vt enim Deus tegendo delicta suorum, per propitiatorium Messiam reconciliari dicatur, indicat illud apud Dauidẽ: Beati, quorum tecta sunt peccata. *Psal. 32.*
Igitur Babylon cum hostis sit Messiæ, quo uno operiuntur peccata sanguine eius expiata, legimus hic calamitatẽ euenturam illi, quę tecta eius culpa nunquam sit ab ea auertenda. Contrà habent ueri Israelitæ, cœlestis Hierosolymę ciues, de qua suprà legimus: Remissa est culpa eius. 40.
per sapientiam uidelicet non Babyloniam, sed cœlestem. Quantum igitur inter utranque sapientiam intersit ab origine, natura & exitu, ex Iesaia hic cognoscere licet. Porrò diuina sapientia quę Messias est, ex Deo patre originem ducit, quæ in Prouerbijs Salomonijs sic loquitur: Deus possedit me in initio 8.
uiarum suarum, antequam quicquam facerem, &c. Babylonia autem sapientia originem suam ex serpente & dracone uetere, non ex Deo, ex abysso & terra, non ex cœlo haurit. Hinc fit, ut per alterã sapientiam nemo erret, neq; errare possit: per alteram nemo neue rectè cogitare, neue facere. Sicut hic scriptum est: Sapientia tua peruertit te, in pernicioſos errores præcipitatam. quòd altera sapientia ex Deo originem ducens, diuinæ naturæ sit & facultatis: altera ex dracone orta, contrariæ naturæ sit & potestatis. altera nimirum suos ita cæcante, ut cogitent non esse Deum qui sceleratorum crimina uideat: sicut hic Babylon per suam sapientiam dicit, Non est qui uideat. altera suorum animos illuminante, ut Deum ament tanquam patrem, & eum metuant tanquam omnium Dominum. Accidit item propter discrimen originis & naturæ, ut altera sapientia eos in quibus uersatur inflet, & securos de iudicio Dei reddat: ut hic Babylon inflata superbiæ spiritu per suam sapientiam, arroganter de se iactat, In æternum ero domina, non sedebo uidua. Contrà uerò sapientia diuina summissos & humiles reddit, ut fateantur cum Abrahamo se puluerem & cinerem esse. Per alteram præterea sapientiam tantum abest ut improbitatis pœnitudine, qui illa præditi sunt, ducantur, ut etiam de uitijs & criminibus glorientur. ueluti Babylon de sua improbitate gloriari hic legitur: Confidisti malitiæ tuæ. contrà, per alteram sapientiam pœnitentia scelerum suscipitur, & uera iusticia comparatur, per fidem in sapientiam Messiam, improbitate deleta. Itaq; quod ad exitum utriusq; sapientię attinet, per sapientiam alteram sapientes pereunt, ut Babylon perijt in eam hac sententia lata: Eueniet tibi calamitas quam non poteris expiare, per alteram uerò electi Dei filij seruantur, eorum delictis per sanguinem Messiæ redemptoris sui expiatis.

Veniet super te repentè miseria.) securitatem tuam repressura, qua dicis: Non sedebo uidua. Est שואה non quæuis calamitas, sed repentina, & afflictio subitò irruens, cum strepitu & fragore. uideris suprà capite decimo.

Quam nescis.) per tuam & augurum tuorum sapientiam, ut eam præuisam caueas. ut sequitur:

Sta cum incantatoribus tuis.) Alia causa exitij Babylonis exponitur, quæ est multitudo

titudo incantatorum, præstigiatorum, augurum & astrologorum. Nam quantum studij posuerit Babylon in uanas diuinandi artes, ex Daniele patet. In quo libro legimus, ut Nabuchodonosor ariolos, magos, Chaldæos & aruspices, ad somnium quod habuerat interpretandum accersierit. Apparet incantatores propter coniurationem & iuratum cum dæmonibus commercium & societatem חברים appellatos.

Et cum multitudine maleficorum tuorum.) Præstigiatores notantur, qui falsas rerum species oculos præstringentes offerunt. Nostræ Babylonis incantatores & fascinatores ac præstigiatores satis noti sunt: æquè manifestum est, quo genere spiritualium præstigiarum & fascinationum per societatem cum dæmonibus nostri pseudoprophetæ utantur. Quas præstigias doctrina dęmoniorum, falsa specie ueritatis conscientias ludificãs, declarat. de qua his uerbis Apostolus in
1. Timoth. 4. epistola ad Timoth. loquitur: Spiritus autem certò loquitur, quòd in posterioribus temporib. descisc ent quidam à fide, attendentes spiritib. impostorib. ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorũ. Hi sunt in nostra Babylone ueri incantatores ac prędstigiatores, quorum uanitatem diuinus spiritus hic deridet: qui suam Babylonem tempore calamitatum defendere nequeant, quin corruat ac collabatur. Cęterùm standi uerbum עמדי, pro eo quod est, prę sidio ac ope eorum utere, si quid possis proficere.

Defeciſti in multitudine.) Defessio ac fatigatio in Hebręo uerbo indicatur, quam afferant Babyloni sua consilia. Contrà diuina illa consilia habent in regno Mes
Eccles. 21. siæ, quæ quietem & tranquillitatem afferant. de quibus illud: Consilium sapientis est quidam quasi fons uitæ.

Augures cœli.) Notãtur astrologi, uani siderum inspectores & interpretes, qui curiosè notationem cuiusq; uitæ ex natalicijs prædictis rimantur, & supputato astrorum cursu & uaria stellarum tum erraticarum tum cœlo inhęrentium affectione, quam ex motu & situ habent, fortunas fataq; hominũ scrutantur. Quapropter hęc superstitiosior astrologię pars iam indicata, quę in natura rationes non firmas, sed incertas & ab astrorum conditoris fide auertentes obseruationes sequitur, à uate nostro dãnatur, & olim à profanis etiam gentib. derisa fuit, & ab ea piorum animos abhorrere Sibylla quoq; diuino carmine indicat:

ὀσσὶ τὰ χαλδαίων τὰ πλωμωντια ἀστρολογῆσιν,
ὀσσὶ μὴν ἀστρονομῆσι· τὰ γὰρ πλάνα πασιν πέφυκεν.

Atqui est etiam laudata astrorũ scientia, digna hominis inuestigatione, quæ partim in siderũ cõuersione considerãda, partim in ea prædictione uersat, qua agricolæ in colẽdis agris, arborarij in colẽdis hortis, & lignarij fabri in cædẽda ædificiorũ materia, nautæ in nauigãdo, medici in curãdis morbis (eos dies q̃s criticos uocãt, obseruãtes) utũtur. Quæ quoniã ad cõmunem uitæ usum utilis est, & certas in natura rationes cõsectatur, à diuina sapientia nõ solũ non repudiat, sed etiã cõmendatur, ut à qua astra dieb. & annis metiẽdis, & in signorũ u-
Genes. 1. sum (ut ex Mose in lib. de Origine mũdi cognoscere licet) cõdita sint. Quã latè aũt pateat signorum, quæ sidera ostendunt, usus, ea de re aliàs mentio facta est.

Et facti sunt quasi stipula.) Babylonẽ & eius diuinatores stipulę cõparat, & hostes igni. Nostra Babylon quo igni cõficienda sit, suprà est indicatũ. Magna cõsolatione piorũ indicatur, Antichristũ cum suis pseudoprophetis & tyrãnis orbis terrarum, Babylonem illam defendentibus, stipulam, paleam, & ut est apud Iobum, arundinem, & eorum conatus & studia telam araneorum esse. Messiam autem per spiritum suum igneum, comburentem illos ignem, ut ueteris Babylonis Cyrus rex Persarum consumptor ignis fuit.

Non liberabũt animã suam de manu flãmæ.) Quare aliter igni tẽtantur pij, aliter impij: his igni consumẽdis tanq; stipula, illis perficiẽdis instar auri. Itaq; uerè dicitur. Deum igne pios seruare, & per claritatẽ lucis suæ eos ad splendorẽ suæ diuinitatis

tatis adducere: & sic adductos, beatos reddere in cœlo. Contrà, eundē impios per suam igneam lucem perdere, & in ipso orco & gehenna infelices efficere. In orco igitur, Deus per accusantem & condemnantem conscientiam urens & consumens ignis est: in cœlo uerò, per glorificantem spiritum Messiæ ad gloriam diuinitatis suauiter illuminans & transformans ignis. Vnde autem hoc discrimen cognoscendum sit, aliàs indicatum est.

Et negociatores tui.) cum quibus ut meretricetur meretrix Babylon, ex Apocalypsi patet.

IN CAP. QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

Avdite hæc domus Iacob.) Expositis Babylonis scelerib. & supplicijs quibus afficienda sit: iam Israelitas quoq; suæ improbitatis redarguit, ne existiment se propter suam uel generis uel probitatis dignitatē redemptum iri: sed suam redemptionem diuinæ clementiæ & bonitati, non ipsorum meritis acceptam ferendam esse. Igitur concio hæc oracularis, uitiorum Israelitarum ex genere demonstratiuo reprehensionem, & misericordiæ diuinæ per Messiam declarandæ commendationem continet: de cuius locis inter interpretandum meminerimus.

Audite hæc.) Exordium, attentionis locum & sparsa iustæ reprehensionis semina continens.

Domus Iacob.) Qui gloriamini uos Iacobæos esse, à Iacobo sancto patriarcha ortos: sed frustrà gloriamini. etenim Iacobū uos fide & amore, quo me complexus est, minimè imitamini. Nam is nomen suum adeptus est, quòd Esaum supplantauit: hoc est, reducto mysticæ supplantationis uelo, mundum, carnem, & principem mundi, carnisq; corruptæ rectorem, per fidem, quam mihi habuit, deuicit: uos autem, legis iugo excusso, carni eiusq; cupiditatibus seruientes, à mundo principeq; mundi Satane superamini. Quàm latè pateat, submota Iacobæorum figura, hæc reprehensio, non est obscurum.

Qui uocamini nomine Israel.) sed immeritò: Israeli enim, parentis nomini, fidei & uitæ sanctitate minimè respondetis. Nā is meis promissis fidē habēs, seipsum, carnem suam mortificādo, & me, quē sciret promissionis suæ fidē fallere nō posse, supplicatione & lachrymis fide tinctis superauit. Vos aūt cōtrario modo cōpositi estis, qui uestris cupiditatib. obtemperantes, neq; fidei, quā promissis meis adhibeatis, neq; uictoriæ, quā à me unico seruatore, fidè & spe oraculis meis nixa obtineatis, rationē habetis. Quò accōmodes hanc criminationē, tēpora nostra & superiora nos admonēt. Cæterùm uerbū שרה notū est, quod significat principatū & dominatū obtinere. unde ישראל nomē Iacobo inditū, qui per regium fidei spiritū dominatū, hoc est uictoriam, tanq; dominus & princeps de Deo, eo suo ipsius uerbo superato retulerit. Quod fuit præclarū uictoriæ genus, omnib. filijs Dei ueris Israelitis commune: Deum per Deum, hoc est armis Dei, quę uerbū eius sunt, & cœlestis fidei uis, uincentib. Victoriæ genus est lōgè saluberrimū Israelitis, & Deo gloriosum: in quo nimirū Deo suus bonitatis, potētiæ & ueritatis honos datur, & salus electorū perficitur: Beati, qui in hoc stratagematū genere luctati sunt, & uicerūt. Sed dicat hic aliquis, Iacobū patriarchā non tā probū fuisse, qui mēdacijs & malo dolo benedictionē Esao fratri à patre Isaaco eripuerit, cum diceret: Ego sum primogenitus tuus Esau. qui Esau nō esset, sed Iacobus. Absit ut mētitus Iacobus sit, hæc dicēs. Nā tota oracularis narratio in Genesi exposita, plena mysticis notis Iacobū & Rebeccam erroribus. mēdacijs & malo dolo liberat: ut quod fecit Iacobus, nō mendaciū, sed (ut Augustini uerbis utar) mysteriū fuerit. Quare in hac caussa explicanda hæc ordine fuerint ponderanda. Primò oraculum illud, Maior seruiet minori, Rebeccæ patefactum fuisse, non Isaaco: cui, si illi patefactum fuisset, proculdubio,

qua fuit ſanctitate fidei & uitę, non Eſaum, ſed Iacobum benedicere ſtuduiſſet, magis intẽtus ad ſpeciale Dei propoſitum, quàm ad legem de primogenitura generalem. Deinde docemur, Rebeccam oraculo fidem habuiſſe, & animad uertiſſe in Eſao, quæ eum ex præuiſione diuina indignum primogenituræ iure redderent: & in Iacobo, quæ ei uiam ad conſequendã benedictionẽ munirent. in altero cernebatur innocẽtia, integritas & obedientia, qua parentib. parebat: modeſtia & quietũ uitæ genus, aptum diſciplinæ cœleſti, de quo ſcriptũ eſt: Iacobus erat uir integer, habitãs in tabernaculis. in altero uerò ferocior animus: contẽptus primogenituræ, quam Iacobo pro edulio ex lente cocto uendidit: inobedientia, quam in cõtrahendo cõiugio cum Chananæis, in Chanaane maledictis, declarauit. His in utroq; mater Rebecca ſancta mulier animaduerſis, ſpe cõtra ſpẽ ſperans occaſioni imminuit: qua adiuta curaret, ut à Iacobo, à quo prouidẽtia diuina ſtabat, ipſi Eſau benedictio præriperetur, quã ſciret Iacobo ut dilecto à Deo promiſſam: & Eſao non dilecto, ſed odio habito, negatã. Occaſionẽ igitur, ut oblata fuit, per imprudẽtiam minimè contẽpſit, ſed conſtãter ut nõ humana ratione & temerè, ſed diuino cõſilio exhibitã arripuit. Nõ ignorabat enim, ut mulier in ſchola cœleſtis ſapientiæ erudita & exercitata, in Dei prouidentiam pariter fatalẽ finẽ, qui erat benedictio Iacobo promiſſa, & media cõfatalia, quę erant ſubornatio Iacobi, qui ſancto dolo abſenti Eſau benedictionẽ diuina ſentẽtia ad ſe pertinentẽ eriperet, cadere. Hoc medium Iacobus cũ ignoraret primò probari Deo, aliquantulũ matris cõſilium ſequi recuſauit, non diffidẽtia oraculi, Maior ſeruiet minori: ſed ſimplici ignoratione uolũtatis diuinæ, num ad præſens ei placeret hac uia & ratione obtinendã eſſe benedictionem. ut non ſtatim omnia ſanctiſsimis etiã prophetis à Deo reuelãtur: ſed is ſuos in manifeſtãdis conſilijs ſuis gradus & momenta habet, ueluti id in Iacobo & Iſaaco, & ſuprà in Abrahamo patet, qui primò ignorauit quid ſibi de Iſmaele ſtatuendũ eſſet. & infrà latu iſſe Iacobum, magnũ prophetã, dicimus, Ephraim minorẽ natu præferendũ eſſe maiori Manaſſe. Qui ut intellexit maiorẽ poſthabendũ eſſe minori, ſuam uolũtatem reliquit, diuinam proſecutus eſt. ita quoq; ut reſciuit ex matre, probari Deo ut ea ratione quã ipſa præſcripſerat, benedictionẽ aſſequeretur, memorabili fide matri, neq; patrẽ qui amabat Eſaum, neq; Eſau quãlibet ferocẽ & ſibi infeſtũ ueritus, obtẽperauit. qui nimirum perſuaſum habebat, potius ſibi in cõparanda benedictione Dei uoluntatem exequendã eſſe, q̃ uel patris indignationẽ fugiendã, uel fratris odium metuendũ. Quę fides in ſancto patriarcha (qua fretus etiam Deum infrà, ſed per Deum, uicisſe legitur) ne mẽtiretur is, & malũ dolum ſtrueret, prohibuit: & conſtantiam aſpirãdi ad promiſſam benedictionẽ in eo procreauit, qua carnis infirmitatẽ & Satanã ſuperauit, qui benedictionẽ ut in Meſsia mũdo ſalutẽ pariturã, qua potuit uafricie impedire elaborauit. Quare ſi Rebeccã, quæ Eccleſiam matrẽ uerorum Iacobæorũ, hoc eſt, ſcriptorũ in libro uitæ præfigurauit, cõſideres, hæc quæ faciebat & cõſulebat Iacobo, fide feciſſe & cõſuluiſſe, eius pietas, euẽtus, & mũdi ſalus per myſticã Iacobi benedictionẽ adũbrata, cõprobant. Quam benedictionem non mẽdacijs, quę diſplicent Deo, ſed ueritate & fide, quę placet paratã, pios & peritos homines ſtratagematũ fidei aduerſus carnẽ, mundũ, & prę ſidẽ mũdi Satanã, credere fas eſt. Sin uerò Iacobũ ſpectes, ſacrã ſacrę matris ſobolẽ, hũc agnoſcimus nihil niſi ſuaſu & hortatu matris ſuæ egiſſe. Ab utriſq; ergo errores, mẽdacia & fraudes, in tãto & tã ſalutari ope cõficiendo abfuerãt, prudẽtia uerò cõſilij diuini & cœleſtis p̃ſto affuit. Quib. prẽterea, ne mẽdacij labes aſpergat, duæ res efficiunt: factũ ipſum, & myſteriũ. Etenim quantũ ad factũ attinet, ſi in eo mẽdaciũ apparuit, iure pcũctamur unde id oſtẽdi poſsit. Dicas: In eo apparuit, q̃ Iacobus dixit ſe primogenitũ Eſau eſſe: qui Iacob. nõ Eſau eſſet. Clarũ aũt eſt, eum ſermonẽ falſũ & mendacẽ eſſe, ubi res aliter habet, q̃ eo

enunciatur

enũciatur se habere. Vehemẽter aũt miror, hanc locutionẽ, Ego sum primogenitus tuus Esau, à quoquã pro falsa & mẽdaci haberi, si id quod in ea significauit Iacobus, uero, non falso animo, & Dei propositũ cõsideretur. Non enim in ea locutione Iacobus indicauit se natura & re esse Esau primogenitũ secũdum carnẽ, sed munere & iure primogenituræ à Deo sibi promisso, & ab Esau uẽdito. Qui animus Iacobi quia uerax, nõ mẽdax ac falsus erat: neq; quod is dictauit ac præscripsit quod diceret Iacobus, mẽdacij redarguetur. Veluti uerè à Domino Ioannẽ baptistã Eliam appellatũ confitemur, qui munere prædicationis pœnitẽtiæ Elias esset, natura & re ab eo diuersus. Sic multa aliorũ nominib. uerè & citra mẽdacium appellãtur, quę natura nõ sunt illa quorũ nominib. appellãtur: ut documẽto sunt mystici seu sacramẽtales sermones & allegoriæ. Quare sapienter dicit Augustinus, loquẽs de sermone Iacobi: Quæ si mẽdacia, inquit, dixerimus, omnes etiã parabolę ac figuræ significandarũ quarũcunq; rerũ, quę nõ ad proprietatẽ accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio intelligendũ est, dicẽtur esse mẽdacia. Qualis est hæc figurata locutio: Ego sum primogenitus tuus Esau. in qua nõ uerborũ proprietas accipitur, sed id quod figuratè secundũ propositũ & sententiam considerãtis significatur. Quòd si falsus est Isaacus, existimãs Esau secũ loqui, nõ Iacobũ: falsus est ex ignoratione cõsilij Dei, qui oraculũ de benedictione Iacobo assignãda, illũ caligantẽ animo & oculis ad tẽpus latẽre uoluit, non ab eo sciri. Is aũt ut cognouit, pro Iacobo diuinã curã uigilasse, nõ pro Esau. pronũciatã semel benedictionẽ rescindere ac irritã facere noluit, sed eam Iacobo cõfirmauit, Iacobo & Rebeccæ mẽdacij & fraudis nõ condẽnatis. Dicas, ab eo dolũ ipsi Iacobo obiectũ: Venit frater tuus במרמה, hoc est cũ dolo, & tuam benedictionẽ præripuit. Obiecit quidẽ dolũ, sed qualẽ dolũ? Num malũ, quẽ mendax & falsus animus excogitarit? Absit: sed bonus dolus fuit, prouisus à Deo, qui salutem mundo in Christo IESV afferret. Quare Paraphrastes Chaldæus sapienter & piè pro dolo reddit בחוכמא, hoc est in sapientia: interpretãs, in Iacobo sapientiam laudandã esse, nõ mẽdacia & dolos malos uituperãdos. Nam sunt doli boni & mali, salutares & pernicioſi: hos ad perniciem hominũ & ad opprobriũ Dei machinãte Satana, patre & architecto mendaciorũ: illos fidei sapiẽtia excogitãte, ad salutẽ electorũ & gloriam Dei. Qualis fuit Iacobi dolus, & Gabaonitarũ, de quo in Iosua fit mẽtio. Hinc fit, ut filios Dei Dominus noster IESVS Christus iubeat esse simplices ut colũbas, & prudẽtes ut serpẽtes, quo animante nullũ est uersutius & callidius. Alterũ uerò q̃d mendacio liberat Iacobũ, mysterium est, quod in hoc Rebeccę & Iacobi facto spectatur. Sed quale mysteriũ? Diuinus spiritus primò mysterium in hoc facto ostẽdit, q̃ ex eo intelligimus uerũ esse id quod Dominus noster dicit: Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Qua de re ut disserat Augustinus, apud ipsum uideris. Deinde, cũ ussum esset Domino, ut præfigurarẽtur in Iacobo filij promissionis, uera primogenitura in Christo primogenito uniuersæ creaturæ exornãdi, accidit ut Iacobus ad usum mysterij huius instinctu Dei impulsus diceret se primogenitũ Esau esse: hoc est, eum ad quẽ ius primogenituræ Dei sententia & emptionis iure pertineret: ad figurandũ, nõ Esao secundũ carnẽ primogenito, sed Iacobo, hoc est primogenito secundũ electionem & promissionẽ, hoc est soboli spirituali, quæ secundum promissionis gratiam soboles est (quales sunt ueri Iacobæi, hoc est, scripti & consignati in tabulis cœlestis regni) ius primogenituræ debere cedere. ius nẽpe regalis sacerdotij, de quo Petrus: Vos estis gens sancta, regale sacerdotium. In hoc iure quoniam Satan intelligebat electorum salutem positam esse, proculdubio ab eo non leuiter Rebeccæ & Iacobi fides tentata est, si quo pacto eam, ne obtineretur à Iacobo benedictio, euerteret. nam hac una fide sciebat ueteratorias suas technas & artes uinci. Proinde nõ mendacio & malo dolo instructa sancta mulier, sed spiritu Dei, qui ueri-

Ioſ. 10.
Geneſ. 3.
Hebr. 12.
1. Petri 2.

qui ueritatis ſpiritus eſt, armata atq; impulſa, Iacobum quę faceret & diceret docuit: & Iacobus eiuſdem ſpiritus inſtinctu, quæ dixit & fecit matri obſequens, dixiſſe & feciſſe credi debet. Auguſtinus, qui Iacobum & Rebeccam mendacio liberat, etiam Abrahamum mẽdacium dixiſſe negat, cũ diceret Sarã ſororẽ ſuam eſſe, celato uxoris nomine. Nõ enim eſſe mẽdacium, cũ ſilẽdo abſcõditur uerũ: ſed cũ loquẽdo promitur falſum. ut Abrahamus fecit, qui ueri aliquid tacuit, & nõ falſi aliquid dixit, tacẽs uxorẽ, & dicẽs ſororẽ. hęc Auguſtinus. Qua in re præſtãs theologus cõſiderauit, nõ temerè uitiorũ notas inurẽdas eſſe laudatis diuino teſtimonio uiris, ſi quę dixerũt & fecerũt, probari poſſit uitioſa nõ fuiſſe: ne in his falſa aut incerta uitiorũ notatio ianuã ad peccãdũ uulgo aperiat, ſanctorũ hominũ fide & ſanctitate in contẽptum adducta: ut ſolet integritas ac probitas piorũ hominũ nõ tantũ momentũ & uim habere in excitãdo ad pietatem, quantũ exẽplum uitiorũ ad uitioſè uiuendũ. Quòd ſi quæ aperta ſanctorũ hominũ delicta in ſacris literis oſtẽduntur: ea, quia nõ fruſtra ac temerè nobis proponũtur, ſic explicãda erũt, ut ad amplificandã diuinã clementiã, & ad oſtẽdendã uitioſam à uetere homine naturã, cognoſcatur etiam probos & ſanctos gratia Dei egere, & unũ Meſsiam omni culpa uacare. Hęc ſunt quæ annotare in hunc locũ uolui, in explicãdo hoc myſterio ſecutus eam uiam quæ ad regulã & normã fidei proximè reſpõdeat & cõſentiat. Eſt aũt regula quã fides ſequitur, uerbũ ipſum Dei, rerũ & perſonarũ circũſtantias ad gloriam Chriſti & electorum ſalutẽ ponderãdas eſſe docẽs. Quam regulã an ego ſequar in meis ſcriptis, de eo ſedẽtes, hoc eſt homines ſpiritu ſacrarum literarum pręditi, iudicẽt.

Et de aquis Iuda exiſtis.) Figuratè ſemẽ, quod aqueo humore & ſpirabili natura cõſtat, ſignificatur. Itaq; Paraphraſtes pro מים, hoc eſt aquis, reddit מזרעיה, hoc eſt ſemine. Meminit Iuda, ut qui concionũ Ieſaiæ præcipua (ut titulus indicat) materia eſſet: Viſum quod uidit ſuper Iuda & Hieruſalẽ. Meminit etiam Iuda, qui principatũ inter Iſraelitas & Iacobæos tenuerit, de quo uideris in Geneſi. 1. 49.

Qui iuratis in nomine Domini.) in ore Dominũ ſonãtes, pectore deos alienos colẽtes. Simulatio pietatis fide carẽs redarguitur, quæ ſequentib. uerbis oſtẽditur: Nõ in ueritate, neq; in iuſticia. Vbi אמת, hoc eſt ueritas, hypocriſi & ſimulationi opponitur: & iuſticia, detrahendi Deo ſuum honorem ſtudio opponitur. Quod fit, cum coram hominib. nomen Dei, nomen Chriſti, ore uſurpatur: corde uerò alijs, non Deo, in Meſsia ſeruatore honor datur. Exempla in regno aduerſarij, ex hypocriſi & ſuperſtitione conflato, infinita occurrunt.

De ciuitate eius ſancta uocati ſunt.) Gloriantur ſe ciuitatis ſacræ Hieroſolymæ Dei tẽplo exornatæ ciues eſſe, qui à ſanctitate cœleſtis Hieroſolymę, quæ uera Hieroſolyma eſt, lõgè abſint. Oſtẽtant terrenã Hieroſolymã, terrenũ tẽplum, Hieroſolymæ de cœlo deſcendẽtis negligẽtes, umbram perſequentes, expreſſa ueritate relicta. Vt enim uera Hieroſolyma ſuum in cœlo fundamentũ habet: ita eius ciues cœleſti, nõ terreno, ſpirituali, nõ animali ſpiritu agũtur: quali uos agimini, terrena, nõ cœleſtia, carnalia, nõ ſpiritualia curãtes, & in prẽſentẽ mundũ defixos habẽtes oculos, futuro neglecto. Hęc reprehẽſio ut in eos cõpetat, qui q̃uis nihil quod Eccleſia ſpõſa Chriſti dignũ ſit agãt, tamẽ nomine eius ſe uẽditãt, paſtorũ & doctorũ Eccleſiæ nomina & titulos p̃ferẽtes, ſatis manifeſtũ eſt.

Et ſuper Deum Iſrael ſtabiliti ſunt.) prę ſe ferentes, ſe Deo Iſraelitarum & Domino exercituum niti, cum nulli minus innitantur fide quàm illi. Vt id humanæ doctrinæ, neglectis diuinis, cultus elementorum mundi, contempta libertate ſpiritus, & tam fœda idololatria comprobant.

Priora ex tunc annunciaui.) Ordine narrat & exponit Iſraelitarũ improbitatẽ: & ſub figura horũ, Eccleſiæ ſub Antichriſto uitioſitatẽ: exprobrãs cordis duriciẽ & idololatriam, qua ne perirent, opus habuerit futurã ſalutẽ prædicere, & eam de improuiſo perficere, ut Aſſyriorũ cladem per prophetas meos denunciaui,

& ut

& ut euenìret effeci. cuius præcipuè hic, quòd recens eſſet eius memoria, memi
nit. Vnde hæc ordine ad diſcendum nobis proponuntur: primò, Deum non
moueri noſtra improbitate, quo minus de ſalute nobis danda ſit ſollicitus, qui
hic dicat, ſe oracula ſua de ſeruandis Iſraelitis exponere, quamuis duros &
in malis obfirmatos eſſe ſciat. Deinde diſcimus præſignificari euentura, ut
electi intelligant omnem ſuam ſalutem à Deo pendêre: hanc ſolum diuinæ mi
ſericordiæ bonitati & potentię tribuendã eſſe, nullis uirib. humanis, ut quæ ex
pręſignificatione diuina oriatur & eueniat, quia ipſe eam prædicẽdo oſtẽderit
euenturã per liberalẽ & gratuitam promiſsionẽ, nullo noſtro præuiſo merito.
Scriptũ enim eſt: Quoniam durũ eſſe te, ferreoq; ceruicis neruo, & ærea fronte
ſciebam. Tertiò diſcimus, antecedere omnem noſtram cogitationem, præ-
dictionem de ſalute, quam pręſtet Deus ad liberandam fidem promiſsionis, ut
diuinitas eius cognoſcatur, & uanitas deorũ alienorum irrideatur, qui nullam
futura ſignificandi & ea efficiendi uim habeant. Poſtremò, ſicut Deus ſalu-
tem, quã ſuis pręſtet, antecedente omnia noſtra beneuoletia prędicendo pro-
mittit: ita de copia & abundantia Meſsiæ ea largitur, quæ ad illam comparan-
dam commoda ſint & neceſſaria: ut ſunt, pœnitentia, patientia, fides, benefa-
cta ex fide proficiſcentia. Ad hæc capita ſpectat tota hæc oracularis concio.

Sciui enim quoniam durus es.) ſed mea bonitate tuam animi duriciem uincente, ut
quæ non impediat quo minus ego prędicendo promittam fore, ut poſito duro
pectore molle accipias & carneum: ueluti eſt apud Hierem. & Ezechielẽ pro- 31.
phetas. Exprobrat pectoris duriciem, ut Iſraelẽ ſuum in ſui noticiam adducat, 36.
& diuinitatis ſuæ bonitatem & potẽtiam quanta ſit declaret. Quã aũt pectoris
duriciem obiĳcit hic Iſraelitis, eam omnib. electis, dum ſub lege ſunt, adoptio-
nis ſpiritum emollientem corda nondum adepti, obiĳcit. Neq; noua eſt hæc re-
prehenſio, ſed dudum à Moſe quoq; inſtituta legitur: Ego noui rebellionem Deut. 31.
tuam, & ceruicem tuam duriſsimam. de qua ſequitur:

Et neruus ferreus.) iuncturis fidei, per quam flectatur, carens. Quò ſpectat lo-
quendi hæc figura.

Ceruix tua.) quã ſemel auerſam à me, uix meis oraculis, quib. pareas, reflectis.
Significat intractabile rebellium cor, quod Ezech. lapideũ ac ſaxeũ cor uocat. 36.

Et frons tua ænea.) Cõtumaciam obiĳcit, qua abiecto omni delinquẽdi pudore,
aduerſus diuinã legẽ cõmittat. Loquẽdi forma inde ſumpta eſt, q; in frõte pu-
doris notæ & ſigna appareant. Hinc apud Latinos pudore uacãs, effrõs appel
latur. Similis reprehẽſio apud Hierem. legitur. Frõs meretricis facta eſt tibi, no Ierem. 3.
luiſti erubeſcere. Et quoniam cõtumaces uultũ & frontẽ, contra eos qui ipſos
redarguunt, proteruè obfirmãt: legimus hic, Et frons tua ærea. Cæterùm cur in
fronte & toto uultu animi indicia ſe oſtendant, ratio ex phyſicis petenda eſt.

Ne fortè diceres, Idola fecerũt hæc.) ſed his abiectis, me unũ, exuta duricie pectoris,
uerũ Deum in Meſsia coleres, q; ſolus futura prædicã, & ea ut eueniãt efficiã, ne
mo alius. Sic ergo argumentũ habet: Si dĳ alieni euentũ antè ſignificãdi & eum
præſtãdi ui carẽt, in dĳs habẽdi nõ erũt: & ſi Deus quẽ lex Moſęa oſtẽdit colẽ-
dũ eſſe, põdicẽdi res futuras & eas efficiẽdi poteſtatẽ habet, uerè igiẽ Deus erit,
& eo excepto nemo alius. Quæ ratio ex cõtrario perpẽſis ,ppriĳs Dei ducitur.

Mandauerũt ea.) Præcipiendi mandandiq; uerbum, pro procurandi conſtituen
diq; uerbo. Sic etiam in libro Regum ſumitur: Præcepi coruis ut paſcant te. 3. Reg. 17.

Quæ audiſti, uide omnia.) Hebr. ſentẽtia eſt: Quæ audiſti à me per ,pphetas meos
hactenus põdicta, perpẽde ea: omnia impleta ſunt. at qua eſtis pectoris duricie,
num annũciabitis hęc: hoc eſt, num grati & memores teſtabimini ea accidiſſe,
ut prædicta ſunt, & præſignificata? Explicat frontẽ æream, & neruum ceruicis
ferreum ſuorũ. At cũ tales eſtis, non tamen ego uictus ueſtra duricie, ceſſo uo-
bis benefacere: ſed nouũ beneficiũ ſignifico, quo uos affecturus ſum, ut ſequit.

Audite

Audita feci tibi noua.) prædico tibi noua iam nunc. Sed quæ noua? Liberationem ex Babylone per Cyrum euertenda, de qua infrà: Faciet uolũtatem meam in Babylone. Reducto uelo, quò hæc referas, sæpè est indicatum.

Et non conseruata sunt.) significo tibi nouam redemptionem in tabulis decretorum meorum consignatam, & tibi ignotam: neq; per deos tuos, quos colis, patefaciendam. חדשות uox indicat res futuras in diuina mente constitutas ac præuisas ita seruari, ut neq; perire quo minus eueniant, neque à quoquam nisi cui Deus patefacere uelit intelligantur.

Modò creata sunt.) iam per uates meos significata, non antea à quoquam indicata, neque à te audita, ne tu ea sciuisse te dicas. ut sequitur. 10

Ne fortè dicas, Ecce cognoui ea.) Admonemur, ut paulò suprà indicatum est, salutem omnem à solo Deo proficisci, eamq; neq; ex nobis, nequeex alijs quàm ex Deo patre Domini nostri IESV Christi pendêre, quę nimirũ ab eo destinata sit nobis adhuc ignorantib. eam: ne quid de nostra uel prænotione uel actione ulla gloriemur. Simili argumento à tempore ducto utitur apostolus Paulus ad Galat. cum ait: Hæreditatem uenire non ex lege, sed ex promissione, præsignificata priusquam lex lata fuisset, & hæreditatem uel auditione percepissent, uel cogitatione ulla præsumpsissent. Nam promittere salutem per prædictionem, est eam destinare citra ullum respectum humanæ cogitationis, consilij & studiorum. Dicas: Deum, quia prænouit bona studia & actiones ab aliquo prosecturas, ideo salutem ab æterno destinare. Huic obiectioni respondet Hieremias XXXI, & Ezech. XXXVI, & Apostolus ad Ephes. 1. 20

Neq; audiuisti, neq; cognouisti.) Hæc uerba ut ad superiora cohęreant, exponi possunt in hunc modũ: præsignifico tibi, quę neq; audiuisti neq; sciuisti, neq; quondam auditione accepisti, ut intelligas & credas ex me solo tibi salutem expediri. quam fidẽ lex prima Decalogi, Ama Dominum Deum tuum supra omnia, requirit. Altera interpretatio est: Et quamuis tibi significaui per prophetas meos uolũtatem meam, quid ego à te requirerem, & quid tibi facturus essem: neq; tamen tu mea oracula quibus fidem haberes, pro tua pectoris lapidea duricie perpendere uoluisti. Atqui noua ista rebellio non est, sed iam olim ad responsa & oracula mea aures tuas obturasti. 30

Scio enim quia præuaricans.) Rationẽ ducit à natiua & innata improbitate, cur omnem electorum suorum salutem per prædictionem promittendo, cogitationem præueniat. Quod nisi faceret, nũquam salutem illi nacturi sint, qui toti ab utero uitiati & deprauati sint. Proinde solius suæ gratiæ & beneuolentiæ fore, ut furorem suum in tam uitiosam naturã retardet, & per Messiæ sui sanguinem peccati gratiam faciat. ut sequitur:

Propter nomen meum.) propter nomen bonitatis & clementiæ meæ erga te declarandæ: non propter bonitatem & iusticiam tuam, qui improbus sis ab utero. Similia legis in Deuter. Ex hac igitur uatis nostri concione hæc accipimus. 40
9. Primò, natura nos uitiosos esse, in qua propter originis uitium nulla probitas cernatur, quam Deus in danda salute respiciat. sed ueram esse sententiam illam, qua omnes ueteris Adami filij noxę damnantur: Dominus de cœlo prospexit
Psal. 14. filios hominũ, ut uideret num quis ita saperet, ut quæreret Deum: Omnes declinauerunt, non est qui faciat bonum. & hic diuinus Spiritus: Scio te præuaricando præuaricari, & improbã ab utero uocaui te. Deinde intelligimus, gratia & misericordia Dei opus esse, quę salutem præsignificando promittat, & in tempore eam ostẽdat ac exhibeat, à nobis antea neq; auditam neq; cognitam: ut quod natura suis uiribus efficere non potest, efficiat gratia: & quod lex, quæ ferrea & lapidea pectora tractat, præstare nequit, fides in Messiam olim promissum, & in plenitudine temporis præsentatũ præstet, donato spiritu sancto, ab eo qui hic dicit, Propter nomen meum iram meam retardabo. 50

Et laude

Et laude mea infrenabo te.) Hebræus habet: Laudis meæ cauſſa iram uidelicet meam cohibebo. Itaq; non quid uos meremini ſpectabo, ſed quid mea bonitate dignum ſit: à qua potius uolo laudari uos ſeruando, remiſſa uobis culpa ueſtra, quàm inclemens iudicari perdendo, non condonata per ſanguinem Meſsiæ noxa. Clementiæ autem, tanquam naturæ ſuæ propriæ, ut laudem ſibi uendicet Deus, apud Moſem hæc eius uerba indicant: Dominus Deus tuus clemens & miſericors, & tardus ad iram. Idem hic de ſe prędicat: Propter nomen meum iram retardabo. Quanta autem miſericordiæ diuinæ laus ſit, declarat magnitudo culpæ liberaliter condonatæ, & precium uictimæ pro tuenda culpa immolatæ, quæ eſt Meſsias filius Dei unigena. Hinc illud: In hoc apparuit charitas Dei, quòd filium ſuum unigenam miſit in mũdum, ut uiuamus per eum. Hanc amoris, quo electos ſuos complectitur Deus, laudem indicat hic Dominus apud uatem. Exod. 34. 1. Ioan. 4.

Ecce excoxi te.) famis, peſtis, gladij & exilij igne exploraui te.

Sed non quaſi argentum.) cuius ſcoriam omnem ignis abſumit, ſecus ego tecum ago: ex cuius gente ſi omnes impios (quos ſcorijs cõparat) conficerem, quid in cœtu tuo reliquum maneret?

In camino paupertatis.) Qui meminiſſet ſcoriarum igne abſumptarum, iam manens in ſimilitudine, meminit fornacis afflictionis: quòd nõ ſecus electi à ſuis uitijs purgentur, atq; argentum per ignem à ſcorijs purgatur. Qui eſt præclarus uſus afflictionũ. Hinc Dauid: Bonum mihi eſt Domine, quòd humiliaſti me. & Salomon filius eius: Gloriam afflictio præcedit. Eſt fornax afflictionum, in qua qui ponuntur, non purgantur, ſed in eo perpetuo cruciatu uruntur. Talis fornax Babyloni ad ſempiternum ignem, non illuminantem ad claritatem æternæ uitæ, ſed urentem damnatos, præparatus eſt: de quo uates noſter ſuprà, & Ioannes in ſua Apocalypſi mentionem facit. Cæterùm ut in exploratorio electorum opere, hæc ordine cernantur: primò, id quod purgatur: deinde, uas terreum in quo fit purgatio, & quomodo huius tectum perflatile cernatur: tertiò, ignis purgator & probator: quartò, quæ ſunt conſumendæ ſcoriæ: quintò, quale plumbum in hoc probatorio opere adhibeatur: poſtremò, quis & qualis probationis & explorationis uſus ſpectetur: ut inquam hæc in exploratorio & purgatorio electorum opere conſiderentur, ea in Commentarijs in Iobum compoſitis explicata ſunt. Prouerb. 18. 30. 19. 20.

Propter me, propter me faciam.) Conduplicatione amplificandi cauſſa utitur. Sed cur propter ſe ſuorum perficit ſalutem? Sequitur:

Vt non blaſphemer.) A periculo profanationis & uiolationis nominis diuini, ratio ducitur. Quæ in eo cernitur, ne dicant hoſtes, me tam potentem non fuiſſe qui uos liberarem: & ſuis dijs acceptum ferendum, quod uobis deletis, ipſi ſeruati ſint: neq; uos cogitetis, me fœderis uobiſcum initi oblitum, qui tam bonus non ſim ut uelim id ſeruare: neq; tam potens qui poſsim, neque tam fidelis qui promiſſam in icto fœdere ſalutem præſtem. Hæc ego conſiderans, non merita ueſtra, ne de bonitatis, potentiæ & fidei meæ gloria detrahatur, uos de furno calamitatis liberabo, hoſtibus ueſtris & eorum dijs euerſis: ut aſſeratur meus honos, quem mihi hoſtes tui adimere, & dijs ſuis tribuere ſtudent, quod mihi ferendum non eſt, ut ſequitur:

Et gloriam meam alteri non dabo.) Quam mihi ſuperba Babylon eripere, & ſibi uindicare molitur, dicens: In cœlum aſcendam. Et idem filius perditus per Babylonem prefiguratus facit, qui extollens ſe ſupra omnẽ diuinitatem, audet ſuam ſapientiam efferre, Dei deprimere: ſuam iuſticiam in ſuis hypocritis Mahumetanis, Iudæis, amplificare, diuinam deijcere: quam ut aſſerat Deus, hic dicit: Gloriã meam alteri non cõcedam. Hæc ô Iacob tecum perpendas, ut ſequit:

Audi me Iacob.) Qui ſelectus es ex cunctis gentibus, ad meum nomen amplificandum,

O

candum, & eius gloriã celebrandam: me inquã audi, non Babylonẽ, non eius pseudoprophetas: meum Euangelium cole, non falsas dæmoniorũ doctrinas.

Et Israel quem ego uoco.) Qui cur Israel appellere, tibi ponderandum est: de quo suprà. Hoc nomen hortari te debet, ut peccato, morte, inferno & potestatibus tenebrarum, cum filio tenebrarum Antichristo uictis, me unum adores in filio Messia, neminem alium. Quare sequitur:

Ego ipse.) Indicatur in הוא, Deum esse, à quo cuncta quæ sunt, sint. Quò per-
Actor.17. tinet illud Apostoli: In ipso sumus. Vt accipias quamq; rem esse, quantũ à Deo & in Deo sit: qui à se est simplex, sempiterna & inuiolabilis natura: à qua tanquã à principio omnia esse, indicat Aleph in uoce הוא. Vt aũt ipsum Vnũ prin cipium numerorũ, primò parem numerũ binarium, & inde ternariũ primũ im parem numerũ creat: ita diuina natura se in creando proferens per rerum simi lium & dissimiliũ genera, quæ in binario & ternario numeris in ה designatis continentur, progressa est, dum totum opificium mente conceptũ perficeret. Quod perfectũ opificium in senario, quẽ uauum in uocula הוא notat, indicatur. est enim senarius perfectus numerus, quẽ eius partes unum, duo, tria coniunctæ conficiunt. Itaq; significatur diuino uerbo הוא, in Deum omnium rerum originem & finem referri. Quare cùm Deus hic dicit, Ego הוא: intelligimus Deum à se simplicem naturã esse, qui cæteris ut sint largiatur: atq; ab hoc uno simplicissimo principio omnia creari, & creata conseruari. Dico, ab eo ut uno simplicissimo omnia dimanare. Nam non est una unius ratio. Est enim unum simplex, carens omni multitudine, & à quo omnis rerum multitudo ut numerus ab unitate oritur. sic solus Deus parens huius uniuersitatis unum est. Est item unum compositum, in quo ea quæ unum efficiunt, uel coniunctione aggregationis coniunguntur: sic aceruus lapidum unum est. uel coniunctione ordinationis, in qua partes ordinem inter se habentes unum efficiunt: sic animal constans corpore & anima unum est: sic uniuersum hoc, in quo elementa & res conflatæ ex elementis ordinem suum inter se habent, unum est. uel coniunctione gubernantis & eorum quæ gubernantur, unum conflatur: sic exercitus & dux, regnum & rex, mundus & Deus rector ac moderator eius, unum sunt. Cernitur item unum, in quo quæ unum efficiunt, unum sunt coniunctione communicationis, perfectionis, & eius participationis: sic nati è cœlesti spiritu amoris unum cum Deo sunt unione communicationis, qua Deus suæ uitæ, suæ sapientiæ, suæ iusticiæ perfectionẽ sanctis communicat per fidem in Messiã, & eam illi participant. De quo uno in Ioanne
Ioann.18. Dominus loquitur, & de eo infrà mentionem faciemus. Hæc unio regeneratione constat, ex participatu diuinæ naturæ in ius adoptionis filiorum eius qui dicit hic Ego הוא. Participant & reliquiæ conditæ naturæ de perfectione Dei: sed ratione creatæ perfectionis, de qua suo loco meminimus, & infrà loquemur. In utraque communicatione diuinæ perfectionis, in Deo ut principio omnis multitudinis, cuncta magis sunt unum, quàm in seipsis. nam in seipsis multa sunt, in Deo simplicissimum unum. Vt numerus in se multus est, in unitate simplex & indiuiduum unum. Quapropter Deus per legem præcipit, ut nos auocati à multitudine, ad se unum colendum amore conuertamur: in quo amore nos intimè cum Deo uniente, nostra summa perfectio & salus continetur.

Ego primus.) rerum omnium autor & origo. unde ducit argumẽtum, se unum adorandum esse, non deos Babylonios.

Ego nouissimus.) in quem omnia ut finem referuntur, qui ad mei nominis gloriam omnia faciam in cœlo & in terra.

Manus mea fundauit terram.) A' cõdito mundo & eius partib. argumentũ. Quum cœlum & terram nominat, etiam ea quæ cœlo & terra cõtinentur, ut omnium

rece-

receptaculis, intelligi uult: ut sunt stirpes, animātia, angeli, homo mūdi caput.

Mensa est cœlos.) Humano more dicitur Deus palmo metatus cœlos, locutione sumpta à fabris, qui prius magnitudinem extruendi ædificij certa mensura in area metiuntur, quàm manum illius ædificationi admoliantur.

Et uocaui eos.) Nutu & uerbo Dei cœlos cōditos: hos, simulatq; uocati & nominati sunt, extitisse. Hinc illud: Dixit, & facta sunt. quod etiam Sibylla in præclaro hoc carmine agnouit: Αὐτὸς ταῦτα ποίησε λόγῳ, ᾧ πάντ' ἐγκράθη.

Tali potentia deos Babylonios in regno aduersarij carere, contra quos loquentem instituit argumentationem.

Congregamini omnes uos.) Probata diuinitate sua & potentia à condito mundo, & rerum futurarū indicatione, ad declarandam deorum alienorū uanitatem, iure iam cum illorum cultoribus experiri non dedignatur.

Quis ex eis.) ex dijs atq; diuinatorib. uestris. Reticentur nomina per contemptum, cuiusmodi מי Hebræis indicat, qualem Isti pronomen apud Latinos.

Annunciauit hæc.) Quæ ego de constitutione, conuersionibus & periodis regnorum mundi, de euertenda Babylone per Cyrum, & meorum Israelitarum liberatione per prophetas meos præsignifico: quæq; spirituali Babyloni per CHRISTVM meum cœlestem Cyrum, in nouissimis temporibus ad liberandos electos meos euentura sint, prædico. Quare sequitur:

Dominus dilexit eum.) Cyrum. Sed in hoc liberatore Israelitarū umbra cernitur. ueritas in eo seruatore, de quo illud: Hic est filius meus dilectus, cui faueo. *Matth. 3.*

Facit uoluntatem suam in Babylone.) Cyro mystico mysticam Babylonem deleturo, CHRISTO IESV spirituali spiritu oris sui perempturo.

Ego locutus sum.) oracula & responsa mea nulla aduersaria potestate, quo minus impleantur, impeditura. ut sequitur:

Et uocaui.) Suprà: Vocaui te nomine tuo. Vocatio hæc in Deo uis excitandi est: & uocatio, rerum creandarū aggressio diuina est, ad eas creandas. Quam uocationis uim sequentia explicant.

Et adduxi eum.) meæ uoluntati & decretis omnib. in cœlo & in terra parentib.

Et decreta est uia eius.) me prosperum ei iter expediturum, ad euertendam superbam Babylonem, contrà quàm ipsa existimat, quæ gloriatur: Non sedebo uidua, & nesciam orbitatem. Ego sum, & præter me nemo amplius est, potestate mea in inferos, in terrestria & cœlestia pertingente.

Accedite ad me, & audite hæc.) Propheta hanc suam oracularem concionem de euertenda Babylone confirmat, partim ab exemplo paris exitus sui uaticinij antea editi: partim à sua uocatione, qui à Domino ad hæc prædicenda uocatus sit. Sunt qui filium Messiā hic uerba facere uolunt: quæ quoniā pia & sancta interpretatio est, à nobis non rejicitur. Pater enim per filium mundū hunc condidit, & eum conditum gubernat, regna constituit & mutat, prophetas ad futura significanda spiritu Messiæ sacro ornat, per eum electos tuetur, hostes eorum prosternit. Etenim Messias heri & hodie est: per quem à Deo patre omnia quæ fiunt, sapienter fiunt. Hinc apud Ioannem is de se his uerbis loquitur: Pater meus usq; nunc operatur, & ego operor. *Ioan. 5.* & in Prouerbijs Salomonis: Quando appendebat fundamenta terræ, ego cum eo eram. *8.* Quem etiam Sibylla decantat talem esse:

ἔστ' ὀνομαστὸς πρόγραφος ἐν ἀκροστίχιδι θεὸς ἁμῶν
σωτὴρ ἀθάνατος, βασιλεύς, ὁ παλαιὸς ἀνάσσων ἁμῶν.

Non à principio in abscōdito locutus sum.) Si prophetā loqui intelligis, indicat is se ab initio clarè locutū, & sua oracula nō tectè explicasse: uelut fuit oraculū de Sennacheribo ante Hierosolymā miserabili clade afficiendo editum. Quæ clades cùm facta esset eo uiuente, dicit se affuisse, cuius Israelitæ testes sint, non aliter euētura quæ de Babylone prędicit. In Hebræo non est Antequā fieret, sed Cùm

fieret. Si uerò intelligis Meſsiam loqui, hunc accipimus ab initio patris uolun tatem per prophetas exponere de rebus futuris, quibus ipſe, cùm eueniũt, tanquam Dei patris uerbum & ſapientia omnium gubernatrix præſens adſit.

Et nunc Dominus miſit me.) Ad confirmandum oraculum, ab amandatione diuina dùcit argumẽtum. Meſsias ut fateatur ſe à patre miſſum, ipſe apud Ioãnem oſtendit: Qui miſit me, uerax eſt. Contrà cõpoſiti ſunt falſi prophetæ, de quibus Hieremias: Non mittebam prophetas, ipſi currebant, qualibus hodie Antichriſti regnum refertũ eſt. Et utinam non aliquot tales reperias, qui ſe in hoc reuelationis Euangelij tempore pro Chriſti miniſtris oſtentant, non ſine hypocriſeos & ſimulationis ſpecie.

Et ſpiritus eius.) quo inſtinctus, non humano, hæc uobis annuncio. Confitetur ſe ſacro ſpiritu afflatum loqui. Itaque de ſcriptura ſacra ſic loquitur Apoſtolus: Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata. Quo ſpiritu Meſsias afflatus & unctus loquatur, explicat ipſe infrà capite LX, & ſuprà capite XI. Sacræ Triadis ſacramentum hic oſtendi uolunt: patrem Deum, filium Meſsiam, ſacrum utriuſq; ſpiritum. cuius hic meminit, quòd pater per ſpiritum filij, tanquam doctorẽ ueritatis, omnem ſuis ſalutem patefaciat, & in eis perficiat.

Hæc dicit Dominus.) Autoritas oraculi à perſona loquentis Dei, cui ut ſummæ ueritati fides haberi debeat, confirmatur.

Redemptor tuus.) A redemptoris perſona.

Sanctus Iſraelis.) qui ſanctitate ſua te profanum, hoc eſt pollutum ornare ſtudet: non profanare, ut profana & polluta omni genere uitiorũ Babylon eſt. Si patrem ſpectes, occurrit is tanquã origo omnis ſanctitatis, qui à ſe ſanctus ſit & ſeruator: ſin eum quem pater deſtinauit ab æterno, in quo & per quem electos ſuos ſanctos reddat, occurrit Meſsias filius benedictus unctus plenitudine ſpiritus, de qua ſcripti in libro uitæ quiſq; ſuum modum ſanctitatis accipiãt.

Ego ſum Dominus Deus tuus.) quem fide & amore colas: non Babylonem, quæ me à te auertere ſtudet.

Docens te utilia.) non pernicioſa, ut Babylon.

Gubernans te.) Spiritu meo, qui ueritatis ſpiritus eſt, & iuſticiæ: ut cõtrà ſuos cultores Babylon ſpiritu mendaci draconis actos perdit.

Vtinam attendiſſes.) Spiritu meo ductus, non aduerſarij mei. Explicatur cauſſa captiuitatis Babyloniæ, quæ legis diuinæ uiolatio eſt. Si noſtram Babylonem ſpectes, occurrit uiolatio Euangelij, de qua Apoſt. in altera ad Theſſal. epiſto-
2. Theſſ. 2. la loquitur. In utroq; exilio declarat Deus amorem ſuum erga ſuos, his uerbis: Vtinam attendiſſes. quibus ſignificat, exiliũ & uarias calamitates, quibus electi afficiuntur in orbe terrarũ, ſibi non per ſe probari, qui natura propenſus ſit ad benefaciendũ, à malefaciendo abhorrens: qui nimirũ nolit mortem peccatoris, ſed potius cupiat eum ad ſe redeuntem uiuere. Quod ſi ſinit ſuos bellis, exilio, & uarijs calamitatibus uexari: in cauſſa eſt peccatum & rebellio, quam deteſtatur, non odium, quod in perſonam ſuorum gerat: ateq; hos in exilio & captiuitate nolit ita infeſtari ut pereant, ſalutem non nacturi. Tantum ualet optantis uox, plena ſignificatione miſericordiæ diuinę erga Iſraelitas: hoc eſt, in uniuerſum erga electos ſuos. De qua ſibi gratulẽtur hodie exulantes à regno Meſsiæ, à Babylone captiui, in uarijs erroribus detenti, ſiue Iudæi, ſiue Turcæ, ſiue Papiſtæ, ſiue quicunq; in orbe terrarum fuerint electi, & conſignati in tabulis cœleſtis uitæ. Dicat hic aliquis: Si optantis Dei hæc uerba ſunt, quibus optat ſuis Iſraelitis, ut rectè ſe gerant: cur igitur, quum nemo ſe rectè gerat, ſeruans legem diuinam, niſi uim ac facultatem ſeruandi Deus ſuppeditet, hanc qua exequantur legem non largitur. Hæc uerba, Vtinam attendiſſes mandatis meis, non indicant qua ui lex præſtetur: ſed Iſraelitas, per ſuam uitioſitatem, eam non præſtitiſſe: qua uitioſitate Deus ſit commotus, ut eam puniret:

liben-

libentius, si per illam licuisset, parsurus. Dicas: Cur igitur, si tam fauet suis electis Deus, nõ omnibus temporibus concedit suum spiritũ, cuius ui & instinctu benè agant, à malè agendo abhorrentes? Cur Deus spiritũ suum interdum subtracta Euãgelij luce ipsi mundo non largiatur, sinatq; suos ad tempus in tenebris uersari, in hæc eius iudicia curiosius inquirendum non fuerit: in cuius æterna prouidentia, tempora tenebrarum & lucis, mendacij & ueritatis, profanationis & sanctificationis, ratione spiritu diuino præditos non latente, consignata sunt. Vt id secula superiora Antichristi, & hæc nostra patefactionis Christi per sacrum Euangelij mundo cœptum patefieri, satis clarè indicant.

Facta fuisset sicut flumen pax tua.) Enumerat bona, quæ legem seruantibus tribuuntur, & eam uiolantibus auferantur, de quibus uideris apud Mosem in Leuitico & Deuteronomio. Cæterùm quæ bona promittãtur in ueteris fœderis administratione legem seruantibus, & quæ negligentibus eam auferãtur: quæ item bona in noui fœderis administratione Euangelio obtemperantibus promittantur & exhibeantur benignitate diuina, & quæ rebellibus à ueritate deficientib. adimantur, tempora ipsa perdocuerint, & dijudicatio spiritualis, quæ expendit illud in epistola ad Hebræos: Lex tenens umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem. At de hac re in Mose mentio facta est. 26. 28. Hebr. 10.

Egredimini de Babylone.) Similia Hieremias hortatur, & Ioãnes ex sententia prophetarum in sua Apocalypsi, typum ueteris & mysticæ Babylonis explicans. Nam ut hodie hæc adhortatio locum habeat in electis, satis manifestum. Ierem. 51.

Fugite à Chaldæis.) Celeritas cum alacritate coniuncta, relinquendi Babylonem, in fugiendi uerbo notatur, non metus. Sequitur enim: Cum uoce exultationis. De Babylone legimus: Descende, sede in puluere. hanc in luctum miserè casuram, electos Israelitas cum uoce ouante redimendos. Vtrinq; diuinus spiritus utitur imperatiuis oracularibus: sed in Babylonem minacibus, hoc est interitum denunciantibus: in electos uerò consolatorijs, ut liberationem significantibus.

Efferte illud.) beneficium hoc redemptionis ex deuastata Babylone.

Dicite, Redemit seruum suum Iacob.) A gratis celebrandum esse beneficium liberationis: quod est præcipuum sacrificium & cultus Dei.

Non sitierunt in deserto.) Sicut olim ex Aegypto liberatis Israelitis, & in solitudine Arabum circumductis, non defuit aqua qua sitim sedarent: sic nihil defuturum ex Babylone exeuntibus, earum rerum quæ ad uictum necessariæ sint. Sic enim locum hunc figuratè explicandum esse, res ipsa admonet. Nam in Esdra de miraculis quæ hic memorantur, nulla fit mentio. Et si spectes emigrationem ex altera Babylone, tectè hoc oraculum significat, emigrantibus ex ea non defuturam ex petra Messia manantem aquam, qua sitis Euangelij depellatur. De quibus aquis suprà: Haurietis aquas cum gaudio ex fonte salutis, qui Messias benedictus est. de quo meminit, ut suprà indicatum, Zacharias: Et aquæ ex eo fluentes sacer spiritus sunt. Zachar.

Non est pax impijs.) Per contentionem amplificandi gratia Iacobæis ex Babylone assertis opponuntur impij: pios in pace fore, impiã Babylonem nõ item, siue externam, siue internam conscientiæ erga Deum pacem cõsideres. Externam impijs pacem, hoc est bonum statum, bella, fames, pestis, & calamitates horribiles orbem terrarum deuastaturæ auferent: interiorem conscientia scelerum, adempta eis pace quam Messias suis dat per iustificationem. de qua illud: Iustificati fide, pacem habemus erga Deum. Quod si impij florere uidentur in hoc mundo tranquillitate, potentia & opibus, ut dicant, Pax mihi, ambulabo in prauitate cordis mei: pax hæc diuturna nõ est, quæ in comitatu suo habet summã perturbationem ad interitum adducentem. de quo illud: Cùm dixerint Pax pax, non est pax. Rom. 5. Ezech. 13.

IN CAPVT QVADRAGESI-MVMNONVM.

AVdite me insulæ.) Concio in persona Messiæ ad gẽtes instituitur, in qua quæ suprà sub figura Cyri de Christo IESV tectius explicata sunt, hic reducto uelo clarè explicãtur: quæ uidelicet Messiæ seruatoris uocatio sit, quod eius officiũ & munus, & ad quos sacrosancto munere fungatur. Demum reiectionis & reconciliationis tempora, ad amplum ex Israelitis & gentibus regnum ex Euangelij spiritu constituendum, indicantur. De singulis ordine inter interpretandũ meminerimus. Quod legitur ab initio concionis sacræ, Audite me insulæ: significat Christus, suã uocationem & munus angustis Chananeæ terræ finib. minimè circumscribi, sed in toto terrarũ orbe, rupta macerie legis Mosęæ, & obseruationis elementorũ mundi, Euãgelij cœlestis ab omni personarum respectu liberi lucem spargendam. sicut infrà scriptum est: Dedi te in lucem gentium.

Dominus ab utero uocauit me.) Explicat Messias suam uocationem, in qua ponderandum, quis uocarit: hunc non principem aliquem, aut regem, aut Cæsarem, terrenũ imperium gerentem, sed cœlestem patrem esse, cœli & terræ rectorẽ: ab hoc uocatum Messiam, ut filium unigenam, qui non opibus terrenis, sed cœlestibus suos locupletet: qui non è leuibus malis suos liberet, sed maximis, ut peccati & mortis æternæ tyrannide, ad dandam æternam iusticiam & uitam, atęp ut hoc munus salutare obiret, eum uocatum ab utero, qui per cõceptum è spiritu sacro, nõ ex corrupto semine uiri sacrosancta soboles nasceretur, priusquam conciperetur in utero matris uirginis, ab angelo nomine indito: Pariet filium, & uocabit nomen eius IESVM. Atque hoc ipsum est quod hic legitur: Ex utero matris meæ memorauit nomen meum, Quod nomen ut alij aliter explicent, aliàs indicatum est.

Et posuit os meum.) Messias munus suum, quali functurus sit, exponit: non munere functurũ se quali reges & principes terræ funguntur, qui armis & potentia humana regna sua parant, augent, administrant & defendunt: sed se imperium suũ in docendo & diuulgando Euãgelio gerere, cuius spiritu Satanis regnum & Antichristi corruat, & cœleste regnum ædificetur. De quo Euãgelij spiritu infrà sic loquitur: Spiritus Domini supra me, eo quòd unxerit me, ad annunciandũ Euãgelium afflictis. Hoc os, salutare os est: ut draconis os ueteris, & eius filij perditi Antichristi pernicioſum os est, scelera loquens, et mortẽ.

Quasi gladium acutum.) Os suum & doctrinam Euangelij, eiusęp spiritum, gladium suum esse, quo pugnet aduersus hostes suorum electorum, aduersus peccatum, mortem, infernum, & potestates tenebrarũ, aduersus Antichristum & pseudoprophetas & tyrannos orbis terrarũ: & gladium hunc nõ hebetem esse & obtusum dicit, sed acutũ. De hoc gladio sic loquitur Apostolus: Galeam salutaris accipite, & gladium spiritus, qui est uerbum Dei. Nam ex ore Christi spiritus Euangelij exiens, impios in morem acuti gladij interficit, & electis uitam dat. Sed quo præsidio tectus Messias, tam acriter pugnat cõtra impios, ad suos liberandos? humano'ne, an diuino? Sequitur: *Ephes. 6.*

In umbra manus suæ protexit me.) Figuratè in umbra præsidium diuinum significatur, quo fretus Messias omnia uincat. Indicat, manu patris sui, nõ secus atque umbra aduersus æstum & calores hostiles, se protegi. Vt autem is, summa cum autoritate docens in Israelitico populo tum miserrimè profanato à patre defensus sit, ne ante tempus hostes manus ei iniicerent, testantẽ Euangelistæ, apud quos sic scriptum legimus: Docebat enim sicut autoritatem habens, non sicut scribæ. Quam docendi autoritatem confirmauit miraculis sine exemplo editis. unde fit, ut mirum non sit doctrinam eius Spiritu sancto

inflam-

inflãmatam, altius in animos penetrasse, quàm quiuis gladius quamlibet acutus, & sagittæ politissimæ corpora penetrant. Quantam uerò sermo Christi, ut is excitatus è mortuis ad uitam, & translatus ad gloriam patris sui fuit, uim nactus sit, misso de cœlo in pectora Apostolorum spiritu sancto, declarant illa apud euangelistam Matthæum uerba: Cùm autem tradent uos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis: Spiritus inquam regius, cui mundus & princeps eius Satan subiectus sit. Atque hoc ipsum triumphans os est, de quo hic: Posui os tuum quasi gladium acutum. Cuius halitu afflati Apostoli, per Euãgelij doctrinam remittendi peccata, excelsa mundi deijciendi, sapientiã humanam infatuandi, & omnem celsitudinem quę se extollit aduersus Deũ demoliendi potestatem acceperunt. Quæ potestas etiam in sagitta significatur, ut sequitur: *Matth. 10.*

Posuit sicut sagittam electam.) Messias dicit se puram & benè politam sagittam esse, in pharetra prouidentiæ patris sui benè cũstoditam. Gladio cominus pugnatur, sagitta eminus. Messias igitur uerbo Euangelij sui, instar sagittæ è neruo arcus emissæ, ad electos redimendos, hostes conficit. De huius sagittæ celeri iactu in remotissimos orbis terrarum fines, uates Dauid canit: Velociter currit sermo eius. pios penetrans, ad eorum ueterem hominem cõficiendum, ut nouus generetur: & impios hostes, quos perdat, confodiens. Sunt & hostibus sagittæ suæ, de quibus Apostolus mentionem facit: Super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis iacula mali illius ignita extinguere. Quibus etiam suus arcus est, quem in probos intendant, de quo illud: Extendunt linguam suam uelut arcum mendacem. At uerò Satanis et ministrorum eius arcus cum sagittis, frangitur ab arcu & sagitta pura Messia, qui hic dicit: Et me fecit sagittam. à quo ut hostilis arcus perfrangatur, Hanna in carmine suo testatur: Arcus hostium superatus est. *Psal. 149.* *Ephes. 6.* *1. Regum 2.*

Et dixit mihi.) pater meus cœlestis.

Seruus meus es tu.) missus à me, qui opus redemptionis meorum electorum perficias.

Israel.) Israelem Messiam uocat, tum quòd prognatus ex Israele esset: tum quòd uerè Israelita, hoc est uictor omnium euasisset, quem nobis Iacobus patriarcha, Israel appellatus à uictoria de angelo, siue Deo per angelum secum luctante reportata, præfigurauit. Quàm uariè autẽ tentatus Messias à Satane, & eius ministris impijs hominibus uictor euaserit, uerè sortitus nomen Israel, ex Euangelistis & psalmis patet. Sunt etiam qui Messiam Israelem nominatum uolunt, quòd instar totius cœtus Israelitici sit: qui caput sit Ecclesiæ; ut hæc illius complementum. Sunt etiam qui legunt Israel pro Israelis, cuius hic seruus Messias appelletur, quem Apostolus ministrum circuncisionis uocat. Quò etiam pertinet quod Christus fatetur, se propter oues perditas in Israel, quas seruet, à patre missum. Vt autem is serui habitum & formam induerit, explicat Apostolus in epistola ad Philippenses: & quid serui formam gerens præstiterit, sequentia declarabunt. *Rom. 15.* *Philip. 2.*

In te glorificabor.) Exponitur fructus seruilis status Messiæ filij. per hunc effici, ut pater glorificetur: hoc est gloria bonitatis, clementiæ & fidei eius ab electis celebretur & amplificetur, cùm hi sentiunt à patre in mundum filium missum, cuius beneficio à peccati & mortis iure liberati, iusticiæ & uitæ restituantur. Cuius bonitatis paternæ gloria quanta sit, declarat Ioannes his uerbis: In hoc apparuit claritas Dei, quod filiũ suum unigenam misit in mundum, ut uiuamus per eum. Accedit huc fidei & potentiæ diuinæ gloria, quæ per filium ut amplificata sit, impletæ promissiones de exhibita salute mundo, & uictoria principatuum tenebrarum documento sunt. *1. Ioan. 4.*

Et *ego dixi, in uacuum laboraui.*) Messias missus à patre ad oues perditas in Israele seruandas, conqueritur se frustra laborare in illis seruandis, ut etiam hæc eius
Marci 9. uerba indicant: O' natio incredula & peruersa, usque quò ero uobiscum? & E-
Ioann. 1. uangelista Ioannes: In sua uenit, & sui eum non receperunt. Quò spectat illud
6. Iesaiæ: Excæca cor populi huius. Hæc tempora considerans Christus, dicit hic: Atqui ego me frustra laborare scio.

Ergo *iudicium meum cum* Domino.) Corrigit querelam suam: tamen caussam suam & ius se Deo patri permittere, qui norit quo tempore Israelitas suos per se salutis arbitrũ sibi recõciliare uelit, qui omnino se seruatorem designauit, per quẽ Iacobæi ad ipsum reducantur, & Israelitæ ei aggregentur, Vt sequitur:

Et *nunc hæc dicit Dominus, formans me ex utero.*) Repetit uerba de uocatione sua: se ab utero formatum, qui Israelitas restituat, quamlibet ad tempus reiecti & cæcati appareant in mundo. Duo igitur status Israeliticæ gentis tempora à propheta Messias inducitur indicare. Alter reiectionis est, qui his uerbis hic significatur: Nequicquam uires meas consumo, in separando uidelicet Israele. Alter recõciliationis est, de quo Messias quoq; hunc in modum hic loquitur: Ab utero formauit me seruum sibi, ad reducẽdos ad ipsum Iacobæos. De his duo-
Rom. 11. bus temporib. clarè Apostolus in epistola ad Romanos, ex sententia prophetarũ disserit. Quæ tempora si quis non diligenter & accuratè ponderat, neque Mosem, neq; prophetas, neq; noui fœderis scripturas explicabit: & nunq; mysteriũ (de quo meminit Apostolus) reiectionis & recõciliationis Israelitarũ, & plenitudinis gentiũ intelliget. Quæ hic Christus de redẽptione Israelitarũ, quib. incassum operã suam impenderit, cõqueritur, & de eorũ reconciliatione
Matth. 23. uaticinatur, idem apud Euãgelistam cõmemorat. Nam quod ad ipsorum reiectionẽ attinet, sic ait: Relinquet̃ domus uestra deserta. Quod uerò ad tẽpora recõciliationis pertinet, subiũcit inibi: Donec dicatis, Benedictus qui uenit in nomine Domini. Itaq; ubi noster hic uertit, Et Israel nõ congregabitur, Aleph in לֹא rectè pro uauo relatiuo ponitur, ut sit nota non negationis, sed relationis: Et Israel ei aggregabitur. hãc interpretationem præcedentibus uerbis approbantibus: Formauit me ab utero, ad reducendũ Iacobum. Atq; hanc interpretationẽ Moses in Leuitico & Deuteronomio, & reliqui prophetæ cõprobant. Neq; insolens est, Aleph pro uauo relatiuo usurpari, ut sunt inter se uicariæ literæ: sicut id ex alijs quoq; locis patet, alio loco indicatis. Quare Paraphrastes Chaldæus pro לֹא reddit לְרַחֲלֵהּ, hoc est, ad cultum eius.

Et *glorificatus sum in oculis* Domini.) per meum laborem & studium reconciliatis cum patre meis Israelitis & Iacobæis, quod mihi gloriæ erit & honori in oculis Iehoua. Locus plenus consolatione: pro summo honore & gloria ducere Messiã, si electi à patre sibi dati seruentur. Suprà legimus, patrem decorari in filio Messia obediente: hic, filium decorari electis seruatis in cõspectu patris. Itaq; hic discimus, filij salutem & gloriã cum electorũ gloria & salute cõiungi, ex cõmunionis iure quod inter caput Messiam & corpus Ecclesiã intercedit. Vnde efficitur, periclitante gloria & salute scriptorum in libro uitæ, periclitari etiam gloriam & incolumitatem Messiæ: & incolumi huius gloria, incolumem etiam esse gloriam sponsæ Ecclesiæ. Quæ cõmunio interitum impijs hostibus afferet, & tandem salutem pijs.

Et *Deus meus factus est fortitudo mea.*) & in me, & per me, electorum meorum. Aduersarius meus in mũdo, & principe eius dracone suam potentiam ponit: ego cum electis meis in Deo patre, cuius spiritu regio accincti omnia uincant.

Et *dixit.*) pater filio, nullius quàm sua ipsius potentia nixo.

Parum est mihi.) Huc spectans Apostolus, cum Israelitarũ reconciliatione ampliss imam gentiũ salutem coniungit per cõparationem maiorum & minorũ,
Rom. 11. his uerbis: Quod si lapsus illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorũ diuitiæ

uitiæ gentiũ, quanto magis plenitudo illorum? hoc est, plenior salus & redemptio. Sed hac de re suprà aliquoties mentio facta est.

Ad suscitandas.) in suscitandi uerbo indicatur, Israelitas uelut in puluere iacentes mortuos, ad uitam suscitandos. Hinc illud Apostoli: Quæ erit assumptio, nisi uita ex mortuis?

Et feces Israel.) נצורי per antiphrasin usurpatur pro perditis, hoc est minimè conseruatis. Conseruandi enim uerbum נצר notum est. Paraphrasti Chaldæo transmigratio placet, Græcis ἀποικισμὸς.

Dedi te in lucem gentium.) Primò salutis Israelitarum, ut oleæ, facta mentio est: deinde gentium, ut oleastri, fit mentio, quarum Messias lux sit futura. Hæ non secus Israelitis inseruntur, atque oleaster oleæ. Non legimus hic, Mosem dandum in lucem gentibus, qui per legem suam tenebras & mortem afferat, peccatum augeat, non imminuat: non prophetam ullum, multo minus aliquem philosophorum, quamlibet sapientem: sed unum Messiam Dei patris filium unigenam sapientiam & perennem lucem patris, delectum, qui pectora electorum uitali fidei lumine ad æternæ uitæ participatum illuminet. Hinc uiuifica hæc lux de se dicit, Ego sum resurrectio & uita: hoc est, Ego sum qui excitatus è mortuis, spiritum lucis uiuificantem meis electis dono, quo ad uitam cœlestem animentur & uiuificentur: eorum etiam corporibus tandem ad uitam è terræ puluere excitandis. Neq; uerò Messias cuiuis cœlesti luci comparatur, sed solari, ut legimus apud Malachiam: Orietur uobis sol iusticiæ. quòd ut sol cæteris sideribus lumen fœneratur, ita Messias cæteras stellas, hoc est electos illuminat. & ut sol nõ solum lumen, sed etiam uitam ijs quæ in terra illustrat, impertit: ita sol Messias quos illuminat, etiã uiuificat uitali lumine. Dicunt ueteres Hebræorum sapientes, Messiam solem in quarto millenario cœpisse illuminare mundũ, ut sol aspectabilis quarto die creatus terrã illuminauit.

Vt sit salus mea ad extrema terræ.) per lumen Euangelij patefacienda in toto terrarum orbe. Salus hæc iusticiæ & uitæ, quæ primi Adami uitio amissa est, innocentia Messiæ reparata salus est.

Hæc dicit Dominus ad contemptibilem animam.) ad Messiã, de quo infrà: Non est species ei, neq; decor. Et Apostolus: Offendiculũ Iudæis, & stulticiã gentibus. ut sunt etiã propter Messiã pij, contemptui ac despectui mundo, de quibus Psal. Propter te morti tradimur tota die, & facti sumus uelut oues mactationis. 1. Cor. 1.

Reges uidebunt.) Gloriam & potentiam Messiæ, ut seruilem & contemptam speciem uidissent.

Et adorabunt.) ut Regem regum, & Dominũ dominantium, deiecto regno Antichristi. Qui antea seruus dominantiũ habitus fuit, Rex & imperator omniũ adorabit. Itaq; Apost. Quapropter & Deus illũ in summã extulit sublimitatẽ. Philip. 2.

Propter Dominum, quia fidelis est.) qui promissa de Messia seruatore facta præstet, in quo etiam illa sunt Amen & etiam. 2. Cor. 1.

Hæc dicit Dominus.) Confirmandi consolandiq; suos gratia, toties persona Dei loquentis memoratur.

In tempore placito.) accepto præsentandi Messiã, & eius Euangeliũ patefaciẽdi tẽpore: de quo uideris apud Apost. in altera ad Corinth. epistola. Hoc tempus acceptũ, totum Euãgelij usq; in finem mũdi patefactionis tempus cõplectitur. 6.

Exaudiui te.) orantem pro electis tuis: Pater sancte, serua eos per nomen tuũ, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Non pro eis tantũ rogo, sed pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorũ in me. Et sic pater precantem filium, ut summũ sacerdotem exaudit, omnibus temporib. quibus Euangelium regni prædicatur: & ut precantem Messiã exaudit cõmodo tempore, ita etiã Ecclesiam, & eius membra regio & sacerdotali Messiæ spiritu prædita exaudit.

Et dedi te in fœdus.) reconciliationis: quo fœdere, merito fusi sanguinis tui piacularis

cularis mihi reconcilientur, missō in pectora eorum spiritu adoptionis sacro, qui testimonium eis det, ipsos mihi recōciliatos esse, & iram meam placatam, quæ in eorum culpam accensa fuerat.

Vt suscitares terram.) In ea, quæ impiorum sceleribus deiecta & contaminata fuerat, excitata iustitia patrem in me adorantium.

Et possideres.) per Euangelij spiritum in tuorum pectora fusum.

Psal.2. *Hæreditates.*) electos, ueram hæreditatem Dei. de qua illud: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem. & mystice de Israel: Israel hæreditas mea.

Dissipatas.) regnante dracone in filio perdito Antichristo.

Vt diceres his qui uincti sunt.) Sed quibus catenis? peccati, mortis & errorū Antichristi catenis. 10

Et his qui in tenebris sunt.) tenebris ignorantiæ suæ, miseræ conditionis à peccato & morte & seruatoris IESV Christi, qui unus bonum statum restituat, misero sublato.

Reuelamini.) in lucem regni cœlestis prodeuntes ex tenebris regni Satanæ. de qua luce præcessit: Dedi te in lucem gentium.

Super uias pascentur.) Secundum uias uitæ, relictis uijs mortis, pastio accipitur,

Ioan.10. quam parat Euāgelium, eius pastoris qui de se dicit: Ego sum pastor bonus.

Non esurient.) suppetente eis manna cœlesti, ac pane uiuifico, qui de se prædi-

Ioan.6. cat: Ego sum panis uitæ. 20

Neq; sitient.) abundaturi aquis ex fonte Messiæ, ad uitam æternam scaturientibus. Quam famem & sitim pastor ille stultus, per pulueres terræ, serpentis cibum, & aquas suas humanarum doctrinarum turbidas, quas Aegyptus præbet, nunquam depulerit.

Et non percutiet eos æstus.) diuini iudicij ardore eorum cōscientias non affecturo, represso etiam furoris persecutionis Antichristi in electos æstu.

Quia miserator eorum Deus.) suam misericordiam & mortis filij precia spectans, non merita eorum qui redimuntur.

Reget eos.) In morem pastoris reget eos. quò spectat Hebræum uerbum. Sed quomodo reget eos? Euangelij spiritu ex ore pastoris Messiæ exeunte, 30 de quo præcessit mentio: Posuit os meum.

Ponam omnes montes meos.) Figurata locutio, de obstaculis cursus Euāgelij submouendis.

Et semitæ meæ exaltabuntur.) electis in cœlestibus consuetudinem suam habituris, relictis terrenis.

Matth.8. *Ecce isti longè uenient.*) Huc spectans Dominus noster ait: Multi uenient ab Oriente & Occidente, & recumbent in sinu Abrahæ. qui est amplissimus scriptorū in libro uitæ sinus. Dominus duo terræ cardinum, Orientis & Occidentis meminit: Propheta quatuor, Orientis, Occasus, Septentrionis & Austri.

De terra australi.) Similiter Paraphrastes pro סנים reddit ארמיא. Sinitæ enim 40 ad austrum habitarunt. Hos sic appellatos uolunt à Chanaan filio nomine

10. סני, de quo in Genesi mentio fit: quem etiam Sinæ monti nomen exístimant dedisse.

Deut.28. *Laudate cœli.*) qui tempore maledictionis ærei fuistis. Per prosopopœiam cœlo ouantium uocem affingit, quam edituri sint redemptis electis: quos ad A-

Genes.15. brahamum Dominus, cœli stellis comparat.

Exultet terra.) quæ ferrea fuit. Admonet diuinus spiritus, uniuersitatem hanc gratulari electis, salutem per Messiam nactis: in quo Messia illi finis omnium

Prouerb.10. sint, & fundamentum. Vt est apud Salomonem: Iustus fundamentū mundi.

Quia consolatus est Dominus populum suum.) reparata iustitia & uita. 50

Et pauperum suorum.) non illorū, quorum res in hoc mūdo prospero statu sunt,

Matth.5. Afflictorum Dominum misereri, & eos cōsolari. Hinc illud: Beati lugentes.

quod

quod ſic diuina ſapientia comparatũ ſit, ut luctum gaudiũ, tenebras lux, infernum cœli aſpectus, mortem uita, calamitates & miſerũ ſtatum gloria & beatitudo cõſequatur. Præparationis igitur & conſecutionis ordine in luctu beatitudo collocatur, in hac Meſsiæ cœleſti ſchola: quòd per afflictiones & luctum uetus homo mortificetur, & nouus generetur, in quo beatitudo in cognitione Dei patris & filij Meſsiæ uerſans collocatur. Hic locũ habet myſteriũ crucis, ſapientibus huius mundi ignotũ, & filijs Dei patefactum. De quo Dauid canit: Timentibus Dominũ patefit arcanum. Vnde cõſequitur, afflictiones non *Pſal.25.*
eſſe iræ diuinæ, ſed beneuolentiæ ſignũ, per quas nimirum cœleſtis pater clementiæ & miſericordiæ ſuæ opera oſtendat in filio Meſsia. legitur enim hic: Et afflictorũ ſuorum miſerebitur. Conſequitur item, ut afflictiones ſignificationem dant de fauore diuino, noui hominis generationi deſeruientes: ita res proſperas impiorũ, irati Dei indicia cõtinere, qui tanquam ſpurij præſentis ſeculi bonis contenti, cœleſti hæreditate, quã legitimi Abrahami filij cum Iſaac cõ adeunt, priuandi ſint.

Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus.) Sion, hoc eſt Eccleſia, inducitur conqueri, ſe à Domino deſertam. In qua querela oſtenditur ordo operũ, quem Dominus ſeruat in promiſsis ſuis præſtandis: hæc non prius præſtari, quàm tantæ eueniant afflictiones, ut nihil minus uideatur fore, q̃ ut promiſſa ſalus exhibeatur. Hinc hæc uox ab afflicta Sione editur: Dereliquit me Dominus. Intueamur tempora, quibus Iſraelitæ in Aegypto graui ſeruitute oppreſsi fuerũt: tempora item Babyloniæ captiuitatis: & ſubmoto uelo myſticæ ſeruitutis & captiuitatis, tempora eius captiuitatis & exilij Babylonij occurrẽt, in quo tot ſeculis Eccleſia, filio perdito ſedente in loco ſancto, exulans cõqueritur dicens, Dereliquit me Dominus. Non cõmemoro priuatorũ hominum querelam. Quoties accidit, ut pius aliquis in mediis afflictionibus abſcondente ſe Domino, dicat, grauiter tentata eius de promiſsione diuina fide à Satane: Deſerit me Dominus? At cùm uidetur derelicta Eccleſia, tunc maximè ad eam liberandam cœleſtis pater adeſt. ut ſequitur:

Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum.) Occurrit querelæ, per reſponſionem plenam conſolatione, quam per comparationem tractat.

Vt non miſereatur filij uteri ſui.) Non leuis amor in uerbo רחם ſignificatur. Vim Hebræi uerbi Apoſtolus expendit, cùm non uno in loco uiſcerum miſericordiæ meminit, quæ ſancti induunt.

Et ſi illa oblita fuerit.) Vt acciderunt tempora, in quibus matres ſuos infantes occiderunt, ut eis ad pellendam famem ueſcerentur, ſuam uitam illorũ uitæ præferentes. Contrà compoſitus eſt pater cœleſtis, & filius eius Meſsias, qui pro ſuis mori, ita mandante patre, ſuſtinuit. Itaq; quanto cœlum ipſa terra, ſpiritus carne, ipſa cœleſtis generatio ſpiritu ſacro conſtans, naturali generatione potentior eſt: tanto amor quo cœleſtis pater liberos ſuos cõplectitur, uehementior & maior eſt amore, quo matres ſuã ſobolẽ proſequunt. Matres interficiũt ſuos infantes, ut uiuant: Chriſtus ſe morti tradidit, ut ſui electi uiuant. Atq; hoc ipſum eſt quod hic legimus: Etſi illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiſcar tui.

Ecce in manibus meis deſcripſi te.) ut coram me ſemper compareas. Locutio ſumpta à moribus eorum, qui digitis aut unguibus rerum memorabilium imprimunt notas. Hæc ethologia ſingularem Domini in Sionem curam declarat: Tu Sion cõquereris te deſertam à me. non es deſerta, ſed manibus meis tui forma impreſſa eſt, numquam non oculis mei obuerſans. Eſt חקק non leuiter notare ac ſignare, ſed effigiem ac ſpeciem alicuius rei quæ duret imprimere.

Muri tui coram oculis meis ſemper.) muri cœleſtis Hieroſolymæ, de quibus Dauid: Vt ædificentur muri Hieruſalem. Hi muri quales ſint, indicat Zacharias: Ego ero ei murus igneus per circuitũ, dicit Dominus. Murus inquam igneus Hieroſoly- *Zach.2.*

roſolymam munit, qui ipſam purget illuminando, & hoſtes urendo conficiat.

Venerunt ſtructores tui.) te per Euangelium ædificantes.

Deſtruentes te.) pſeudoprophetæ per falſas doctrinas: quarum libidini te permiſi, non ut perpetuò permitterem, ſed ad momentũ, non tuo malo, ſed bono: quemadmodum mox infrà teſtabitur diuinus ſpiritus. Typus in inſtauratione Hieroſolymæ, à ſoluta Babylonia captiuitate facta cernitur: ueritas iam indicata eſt, quæ his nouiſsimis temporibus oſtenditur.

Leua oculos tuos.) mentis, prælucente luce fidei. Redemptionẽ adeſſe indicat, quam præſentem oculis luſtret, non ſpe amplius abſentem præſumat. Atq; id Eccleſiã, quæ dixerat ſe derelictam, mirificè conſolatur. Vt enim ſpes quæ differtur, affligit animum: ita præſens ſalus, quæ aſpectu & oculis uſurpatur, eundem illum releuat. Non autem monſtratur Eccleſiæ ſalus, quem ab uno aliquo angulo orbis terrarum in filijs ſuis cernat, ſed quã circunquaq; oculos circumferens uideat. In qua cõſolatione intelligit, ſe ampliſsima illa ſalute fruituram, de qua ſuprà: Vt pateat ſalus mea uſq; ad extrema terræ.

Viuo ego.) Iureiurando cõfirmat promiſsionem: Vt uiuo ego, ita promiſſum meum de reparanda Eccleſia irritum non fiet.

Quia omnibus his.) liberis tuis ſupernè tibi natis, ex Euangelij ſpiritu.

Quaſi ſponſa.) ſponſo Meſsia eos tibi aggregaturo.

Quia deſerta tua & ſolitudines tuæ.) Myſtica terræ Chananeæ in ſolitudinem redactæ ratio ſapientibus nota eſt.

Quis genuit mihi iſtos.) Inducit admiraturam Eccleſiam, impletis temporibus deſolationis ſuæ, multitudinem liberorum è ſpiritu Meſsiæ prognatorum.

Ego ſterilis.) tempore filij perditi. Vt ſuprà inducit Eccleſiam cõquerentem, ſe deſertam à Domino: ita hic per proſopopœiam inducit, admirantem inſigne ſalutis beneficium.

Ecce leuabo ad gentes.) ex gentibus euocandos, qui certatim per miniſterium Euangelij adiuuent Eccleſiæ extructionem, ad augendam eam liberis. De typo Cyri ſuprà meminimus, qui hic explicatur.

Et erunt reges.) Qui antea Antichriſto regnante te oppreſſerant, iam eius regno abdicato, & nuncio remiſſo, te clementer nutrient & alent. Atque hoc ipſum eſt quod apud Ioannem legimus de decem cornibus, hoc eſt regibus, odio proſequuturis meretricem: amore uidelicet CHRISTI, & eius ſponſæ Eccleſiæ.

Apoc. 17

Nutricij tui.) fidi alumni tui. Tale ſonat uox Hebræa אמן, quòd in procuratore & alumno fides requiratur. Huc ſpectans Apoſtolus in priore epiſtola ad Corinthios dicit, in diſpenſatoribus myſteriorum Dei requiri, ut fidus aliquis reperiatur: uoce Hebræa explicata.

Super humeros.) Onera in humeros leuari ſolent. Onera natorum Eccleſiæ illos tanquam fideles procuratores laturos. Quò ſpectat figurata locutio, ut ſuprà à ſinu ſumpta. In hac aũt cura continetur prouiſio, qua reges prouideant de ſumptibus, quibus fidi Eccleſiæ miniſtri & honeſtarum literarum doctores foueantur: cura demum regum & principum erit, ut nati Eccleſiæ ab Euangelij hoſtium ui & iniuria defendantur.

Vultu in terram demiſſo adorabunt te.) ueneraturi te ob præclaras diuini ſpiritus dotes, quibus ſponſus CHRISTVS te exornat. Etenim uerbo השתחוה hic nõ cultus indicatur quo Deus colitur: ſed cultus accipitur, quo homines diuinis muneribus decoratos reueremur. Locus contentione tractandus eſt. Eccleſia, ut temporibus profanationis contempta iacuiſti, filij perditi pedibus proculcata: ita iam, miſera tua captiuitate ſoluta, ad eum honorem peruenies, ut te reges terræ ſint demiſſo capite ueneraturi. & quæ antea ſerua tyrannorum fuiſti, iam domina habeberis, cui potentiſsima quæq; in mundo honorem ſint datura in

Meſ

Meſsia, & propter Meſsiam: cui, ut eſt apud Danielem, omnes reges ſeruient & obedient.

Et pulueremi pedum.) Præceſſerat: Vultu ad terram demiſſo te reuerebuntur.

Et ſcies.) ex euentu præſtitæ ſalutis.

Quia ego Dominus.) Me eſſe Iehoua, qui tam bonus ſim ut uelim ſeruare, & tam potens ut poſsim: & fidelis, qui quam promiſero ſalutem, eam præſtem mihi fidem habentibus.

Nunquid tolletur à forti præda?) Sunt uerba Eccleſiæ, in certamine fidei de promiſſione diuina uerſantis. In quo tentator Satan, promiſsione & fide in illam conuulſa, Eccleſiam & eius membra in deſperationẽ adducere molitur, dum proponit fortiorem eſſe prædatorẽ hoſtem, quàm ut Eccleſia & eius nati imperio ipſius eximantur. Hæc longè grauiſsima tentatio eſt. Qui in hac lucta uerſati ſunt, experti hoſtium ſæpè memoratorum uim, ſciunt qualis ſit hæc duriter tentatæ Eccleſiæ uox: Auferetur ne forti præda? Vbi גבור nõ in bono uſurpatur, pro Heroe cęteris uirtute & animi fortitudine antecellente: ſed in malo, pro eo qui potentia & tyrannide pollet. qualis eſt princeps tenebrarũ Satan, per peccatum & mortem graſſans, & eius filius Antichriſtus.

Aut quod captum fuerit à robuſto?) Hebr. habet, Nũ iuſto elabetur captiuitas? Vbi hoſtib. ex ſententia ipſorum duo tribuuntur: potẽtia & iuſticia, qua uideantur ſibi iure Eccleſiam captiuam retinere. Nam ſi Aſſyrios, Babylonios, Græcos & Romanos ſpectes, exiſtimarũt hi à ſe iure Iſraelitas puniri. Sin aduerſariũ Meſsiæ, putat is cũ ſuis pſeudoprophetis & tyrannis, à quib. colitur, ſe rectè facere, ſi Eccleſiam in ſua falſa religione, quam ueram iudicat, retineat: atq; ſibi ius arbitratur eſſe, ſi ſuam potẽtiam nõ adoret, natos eius occidere. Hoc filij perditi ius Dominus his uerbis interpretatur: Vt quiſquis interficiet uos, uideatur cultum Deo præſtare. Hanc ſententiã ſequẽtia cõprobant, ubi pro iuſto reponit עריץ. *Ioann.16.*

Quia hæc dicit Dominus.) Reſpondet diuina clementia querelę Eccleſiæ, acerbè tentatæ. Simili obiectioni ſuprà reſponſum eſt: Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus.

Equidẽ captiuitas à forti tolletur.) à fortiore, qui Meſsias eſt, de quo infrà: Et fortium diuidet ſpolia. Huc parabola illa ſpectat, quã Dominus apud Lucã exponit: Cũ fortis armatus cuſtodit atriũ ſuũ, in pace ſunt ea quæ poſsidet. ubi uerò fortior ſuperueniẽs uicerit eum, uniuerſa arma eius aufert, quib. cõfidebat, & ſpolia eius diſtribuit. Is fortior heros IESVS Chriſtus eſt, peccati, mortis, inferni, & poteſtatũ inferni, ipſiuſq; legis cõdẽnantis, & regni aduerſarij uictor & triũphator. *11.*

Eis uerò qui iudicauerunt te.) In uerbo ריב contentio forenſis notatur. ſe litem intentaturum hoſtib. Eccleſiæ ſuæ, ut quam damnarunt cum ea litigando, ipſi me contendente condemnati miſerè pereant: ut cui pater, mundi iudici conſtituto, iudiciariam in uiuos & mortuos poteſtatem dederit.

Et cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis.) ſua ipſorum conſcientia miſerrimè depaſcendos.

Et quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur.) Lege talionis inebriatum iri ſanguine ſuo, qui natorum ſponſæ Eccleſiæ ſanguine ſe inebriarunt. ut de Babylone meretrice Ioannes in Apocalypſi confitetur: Et uidi mulierẽ ebriam ſanguine ſanctorum, & ſanguine martyrum IESV. *17.*

Et ſciet omnis caro.) uindicta de hoſtibus meis & meorum ſumpta.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Vis eſt hic liber repudij.) In hac concione per occupationem Iſraelitarum obiectioni occurritur: Domine, ſi omnino ſtatuiſti miſeros tuos Iſraelitas reconciliatos tibi ſeruare, cur ergo repudij libellum noſtrę matri Sioni à te dimiſſę dediſti? Tu uides quàm hęc à te relicta, hactenus omnib. ornamentis ſponſæ ſpoliata, in mundo uagetur

getur exul & extorris. Vbi enim est eius sacerdotium? ubi est eius regnum? Huic obiectioni occurrens Dominus, falli Israelitas dicit. non enim datū matri eorum libellū repudij à se, qui testificetur eam sic dimissam ut nunq; redeat secū in gratiam: quæ quòd dimissa & uēdita uideatur, non id sua, sed illius culpa accidisse, atq; ob sua uitia uenditam: quorum si pœnitentiam agat, ad se reuersa, sibi uires non defuturas ad eam liberandam. Hoc igitur modo Dominus & delicta suis cognoscenda proponit, ob quæ in tātam miseriam inciderint: & spem redeundi in gratiam non solum nō adimit, sed etiam ostendit, ut ex ipso sermonis contextu percipiemus. Cæterùm ut lex per Mosem tradita sit de libello
24. repudij, qui uxori à marito repudiatæ dandus sit, uideris in Deuteron.

Aut quis est creditor eius.) Conquerimini uos à me uēditos: fallimini. Creditorem enim ac fœneratorem neminem indicabitis, cui uos uendiderim. At uerò si uultis scire quę res uos uēdiderit, & à me abalienarit, nō grauabor uobis ostēdere.

Ecce enim in iniquitatibus uestris uenditi estis.) Per subiectionem respondet secum expostulātibus: Vestra culpa in ius & potestatem alieni creditoris, qui uos grauiter premeret, uenistis, meo iure & potestate exempti. Si figuram spectes, occurrunt Babylonij, quibus Sion ob crimina sua uēdita est: sin rem adumbratā, occurrit status Ecclesiæ miser, in quē hæc defunctis suo munere Apostolis in cidit, uendita filio perdito ob peccata sua, de quo sæpè meminimus ex Apostolo & Apocalypsi Ioannis. Grauissimum est hoc uenditionis ius, quo qui uenduntur, amissa uera sacerdotalis spiritus libertate in miseram tenebrarū & errorum seruitutem mancipantur. Quod onerosum seruitutis iugum ut experta sit Ecclesia iam multis seculis, hodie incipimus agnoscere, uires illius sentientes qui hic dicit: Num abbreuiata est manus mea ne redimat, uires mihi non sunt ad liberandum? Ex hac responsione, qua conquerentibus se repudiatos respondet Dominus, intelligimus, mala quæ accidunt, nostra culpa nobis accidere, non Dei. Legimus enim hic: En ob uestra delicta uenditi estis. Et apud Hieremiam:
Ierem. 2. Castigabit te improbitas tua. item apud Oseam: Perditio ex te est Israel. Occurrunt hic aliquot quæstiones. Vna est: Si mala nobis nostra uitia creant, quid ergo faciemus Domini uerbis, ubi ait: Non est malum in ciuitate quod non fecit Dominus? Altera est: Si mala eueniunt nobis ob culpam, cur igitur calamitates in signis diuinæ benuolentię, non iræ habentur? Dicitur enim Deus eos amare quos castigat, uelut Dauid testatur: Bonū est mihi quòd humiliasti me Domine. Tertia: Si scelera in caussa sunt cur afflictiones immittātur, cur ergo Iobus fatetur se insontem tot malis affectum? cur tot martyres propter confessionem fidei quam Messiæ habent, à tyrannis occiduntur innocentes? & quid
Ioan. 9. faciemus Domini uerbis, ubi apud Ioann. ait de cæco, neue hunc neue parētes eius peccasse, quòd sic natus esset? Quarta: Si sine prænotione ac præscientia diuina neq; scelera committuntur, neq; sceleratis mala eueniunt, quomodo ergo dicemus Deum neq; criminum neq; malorum autorem esse, sed eos qui male agunt? & hos suorum malefactorum & perditionis autores esse, nō Deum? & si ita res habet, quid sit faciendū sacris literis, ubi apertè dicunt à Deo concludi omnes sub incredulitatem, Pharaones indurari, rebelles cæcari, & contumaces dedi in reprobam mentem? Quòd si dicas, hęc fieri dissimulante & sinente Deo: si ita res habet, quæritur, an præscíens & uolens sinat, an insciens & nolēs ac inuitus? Non insciens sanè & inuitus, quem nihil lateat eorum quæ fiunt, & eius uoluntati ne fiat aliquid nihil resistat: ut id tot sacrarum literarum testimonia & exempla comprobant. Vt autem his quæstionibus occurrendum sit, aliàs indicatum est in Commentarijs in Mosem & Iobum scriptis.

In sceleribus uestris dimisi matrem uestram.) Hic שלחתי, suprà קריתיה duriore uoce utitur, quæ propriè excisionem significat: quòd in diremptis matrimonijs excidium quoddam cernatur, & uastatio, qualis in auulso capite à reliquo corpore cernitur:

cernitur: uiro capitis, muliere corporis rationem tenente.

Quia ueni, & non erat.) Explicatur culpa, ob quam dimissa sit & uendita. hanc rebellionem esse, qua mundo præsentatus à suis receptus per fidem non sit. De mystico Israele legimus: In sua uenit, & sui eum non receperunt. Vt contempto Euangelio in mundo Antichristus adulter receptus sit, in loco sancto, hoc est in Ecclesia omnia uastans & profanans, ad implenda mystica oracula per prophetas edita, & à Christo atq; Apostolis interpretata, obscurum non est. Nam ut omnia in figura Israelitis contigerint, & etiamnum contingant, res ipsa & temporum exitus commonstrat. Hebræus uehementi interrogatione, ad intendendum scelus rebellionis utitur. Cur, cum uenerim, nullus adest? cum clamem, nullus audit? Cur, cum uenerim inquam uobis præsentatus, nemo adest qui Euangelio meo fidem habeat? & non solum mihi non creditur, sed etiam à meis & inter meos opprobrio afficior, & in crucem adactus maledictum reddor? Atq; id accidit quidem à Iudæis Christo seruatori. Vt autem id quoque acciderit, & etiamnum accidat ab ijs, qui pro Ecclesia se uendicant, satis clarè Antichristi tempora indicant. In cuius rei figuram Christus pariter à Iudæis & Gentib. crucifixus legitur. Quò pertinet illud Apostoli, Alioquin & tu excidêris: de gentibus loquens. Ioan. 1. Rom. 11.

Nunquid abbreuiata est manus mea?) Vos conquerimini, à me uos desertos & repudiatos. Falsò conquerimini. ubi enim ita dimissi estis & uenditi, ut uos non in gratiam uobis reconciliatus recipiam, & uenditos in libertatem asseram? Manus mihi præcisa non est, ut uos redimere non possim: neque desunt mihi uires ad uos liberandos. Duro & aspero de repudio & uenditione sermoni, subijcitur misericordiæ suauis & amabilis ad consolandum mentio. Similiter infrà: Ecce non est decurtata manus mea. Vt paulo suprà conquerenti Sioni se derelictam respondit: Num obliuiscetur mulier infantis sui, &c. Sic hic conquerenti se repudiatam, amanter respondet: Num decurtata est manus mea? Quò pertinet consolatio illa, qua Dominus adulterio turpiter fœdatam Ecclesiam suam consolatur apud Hieremiam: Si dimiserit uir uxorem suam, eaq; ab eo digressa nupserit uiro alteri, nunquid adhuc reuertetur ad eam? Nunquid tu cum multis amatoribus fornicata es? tamen reuertere ad me, dicit Dominus: hoc est, pœnitentiam adulterij cum mundo & Antichristo commissi agito, & ego reconciliabor tibi absterso adulterij opprobrio. Hæc consolatio ut hodie necessaria sit, ipsa afflicta Ecclesia gemitu testatur. 3.

Ecce increpatione mea.) Ab exemplis potentiæ suæ iam olim editis, uires sibi ad liberãdum esse comprobat. Qui mare increpatione immisso uento exsicco, ut olim Rubrum mare exsiccaui: qui flumina in desertum redigo, ut olim Iordanem in desertum redegi: qui cœlum tenebris uestio, ut olim Aegyptium cœlum tenebris uestiui: facilè etiam erit mihi uos liberare, quamlibet putetis uos à me relictos, & uestram matrem à me repudiatam, nunquam mihi reconciliatum iri. Exod. 14. Ios. 3. Exod. 10.

Dominus dedit mihi linguam eruditam.) Ab eloquentia, uim & facultatem liberandi Sionem sibi esse probat. Sed quæ est hæc lingua erudita, quam sibi à patre datam dicit? & quid hac lingua efficit? Sequitur:

Vt sciam sustentare eum qui lapsus est uerbo.) Hebræus: Vt sciam לעת, hoc est tempestiuè cum fesso loqui. Sed qualis est hic tempestiuus sermo? Euangelij sermo est, tranquillam conscientiam aduersus peccatum & mortem reddens. Hunc salutarem sermonẽ & linguam doctam infrà his uerbis uates noster explicat: Quàm pulchri sunt pedes Euangelium nunciantes, & prædicantes pacem? Damnat te peccatum, occurrit Euangelij eruditus sermo, liberans te iure peccati: tibi eum ostendens, qui fide apprehensus dicit, tua tibi peccata condonata esse, & sanguine ipsius expiata, deleto chirographo quod in con-

ſcientia tua de irato Deo ſcriptum fuerat. Terret te mors, conſolabitur te ſuauis & amabilis Euangelij lingua, monſtrans mortem tibi uictam eſſe, & donatam uitam, in quam per mortem tibi aditus patefiat, per eum qui mortẽ ſubijt ut tibi uitam daret. Si metum tibi & pauorem incutiunt inferni portę, has fractas oſtendit tibi dulciſsimus ſermo eius qui infernum penetrans, eius æreos & ferreos uectes perfregit, cœlo tibi patefacto, quod clauſum tibi per peccatũ fuerat. Si infeſtaris uarijs afflictionibus, quas tibi perſecutio, exilium, inopia, morbi, liberorum orbitas, amicorum obitus, aut eorũ abalienatio propter confeſsionem ſacri Euangelij creant: docta Meſsiæ lingua eloquentia ſua has afflictiones dulces & ſalutares reddet, cum declarat tibi, fore ut minima earum momenta immenſa ſplendoris & gloriæ regni cœleſtis põdera ſint molitura. Hæc eſt uis eloquentiæ Meſsiæ, qua tempeſtiuè conſolatur & reficit feſſos. De qua
Matth.11. eloquentia & lingua ipſe ſic loquitur: Venite ad me omnes qui onerati eſtis, ego uos refocillabo. per cœleſtem uidelicet meam hanc linguam, in cordib. ueſtris uitam, pacem & ſalutem ſonantem, & uelut ſtilo, hoc eſt digito ſacri ſpiri-
Pſal.45. tus imprimentem. De qua lingua eloquente Creator ſic loquitur: Lingua mea uelut ſtilus notarij uelocis. Huius autem ſermo ut celeriter penetret orbis terrarum fines, ſuprà indicatum eſt. Habet & Moſes linguam ſuam, ſed aliter cõpoſitam quàm ſit lingua Meſsiæ. Huius lingua, ſuauis & amabilis lingua eſt,
2.Corinth.3. uitam afferens: illius dura & aſpera, mortem apportans, à qua abhorruerunt Iſraelitæ. altera expedita & prompta eſt, altera tarda & impedita: cuius qualis
Exod.19. ſit oratio, lex per eam ad Sinam montem cum fragore, fulmine & tonitruis edita documento eſt. Huius quidem lingua docet quæ facere debeamus, ſed uim ea præſtandi non ſuppeditat: erudita autẽ & amabilis Meſsiæ lingua per Euangelij ſpiritum ſuppeditat. cuius Euangelij miniſterium ſpiritus, non literę, uitę, non mortis miniſterium eſt. Quanto minus philoſophorum lingua præſtiterit, quod Meſsiæ præſtat? quę quidem multa de uirtutibus diſſerit: ſed ut uitia deleantur, ut uera probitas quæ probetur Deo, comparetur, nihil diſſerunt, necq; diſſerere poſſunt, qui magis hic muti ſunt quàm piſces. Quare cœleſtis orator Meſsias uerè gloriatur de ſua lingua: Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut cum feſsis, hoc eſt cum ijs qui uarijs tẽtationibus peccati, mortis & grauium afflictionum laboribus cõſumptis fatigati ſunt, opportunè loqui ſciam, ad eos conſolandos & indubitatę ſalutis ſpe erigendos.

Erigit mane mane.) Explicat Meſsias, quo doctore diſcat, quę tẽpeſtiuè doceat. Hunc doctorem Deum patrem eſſe, qui per ſingulos dies uellat ſibi aurem, ut eum audiat dicentem & admonentem: non ſecus atq; diſcipuli למורים, hoc eſt doctos ſuos præceptores audiunt. A' Chriſto autem audiri patrem doctorem, & loqui quæ ab illo audiuerit, is ipſe apud Ioannem his uerbis teſtatur: Tunc
Ioan.8. cognoſcetis quòd ego ſum, & quòd ex me ipſo facio nihil, ſed ita ut docuit me pater, ita loquor.

Et ego non contradico.) Ab obedientia ſua, quam patri præſtitit, Eccleſiam quæ ſe repudiatam conqueritur, conſolatur: per quam pateat ei uia redeundi cum Deo patre in gratiam, & amiſſam iuſtitiam recuperandi. De quo obedientiæ
Rom.5. beneficio ſic loquitur Apoſtolus: Obedientia unius iuſti efficimur multi.

Retrorſum non abij.) More profugi & deſertoris ſigna militiæ ſacræ aduerſus mundum & principem mundi Satanem non deſero: ſed in hac dura & aſpera militia omnia aduerſa fero, ut ſequitur:

Corpus meum dedi percutientibus.) Diſtributione amplificat obedientiam, ſubiectis malorum quæ tulerit partibus: tergum uerberantibus ſe præbuiſſe, genas uellicantibus, faciem ignominioſè conſpuentibus. Et hæc mala ut amplificen-
Matth.26. tur à perſona innocentis Chriſti, infrà monebitur. Euangeliſta ea, ut à prophetа prædicta ſunt, commemorat. Non legimus hic inuito & recuſanti Chriſto

uerbera

uerbera incuſſa, & faciem eius ſputo dehoneſtatam: ſed ipſum uolentem & ſua ſponte improbis ſe uexandum præbuiſſe. Atq; id ipſum eſt, quod infrà legitur: Non aperuit os ſuum. Tanto amore flagrat ſponſus Meſsias in ſpõſam ſuam electorum Eccleſiam, quæ ſe derelictam conqueritur: atq; ab hoc amore conſolatur eam. Similia legũtur in Pſalmo 50. Supra dorſum meum arauerunt aratores, prolongauerunt ſulcum ſuum.

Dominus Deus auxiliator meus.) Occurrit tacitæ obiectioni filius: Dicat ſponſa, Quid me iuuet, ſi tu quoq; miſero ſtatu ſis, infra omnia abiectus? quod mihi à te præſidium & auxilium erit, ſi ipſe quoq; auxilio omni ſis deſtitutus? Reſpondens filius dicit: ſe deſertum ope & auxilio non eſſe, cui Iehoua pater ſuccurrat, in ferenda cruce patienter: quiq; præſtet, ut uicta morte & fractis inferni portis, uitam & gloriam adipiſcatur, quam ſuæ Sioni impertiat.

Ideo poſui faciem meam ut petram.) Fretus patris auxilio, & mea innocentia. Figurata hac loquendi figura conſtantiam & fortitudinem ſuam ad conſolandam Sionem declarat, qua uſus ſit in reprehendendis aduerſarijs, & contemnendis eorum opprobrijs: nõ ignorans, ſe per reſurrectionẽ è mortuis omnia uicturum, in cœleſtia terreſtria & infera dominatum adeptus. Ad hanc loquendi formã, conſtantiam & fortitudinem indicantem, reſpexit Lucas: Et ipſe faciem ſuam obfirmauit ut iret Hieroſolymam. *Lucæ 9.*

Non confundar.) Spe fruſtratus, quæ non pudefacit: eo nimirum nitens, qui falli re nequeat. Neq; tu ô ſponſa Sion pudefies, ſi me arbitrio ſalutis ſubnixa, patri confideris. ut infrà dicit: Confidat Domino, nixus Deo ſuo.

Iuxta eſt qui iuſtificat me.) Accuſor quidem à Phariſeis & Pontificib. blaſphemiq; q̃ me Dei filium & ſeruatorẽ mũdi profiteor. ſed falsò accuſor: adeſt enim pater qui me iuſtificat, hoc eſt, culpa abſoluit, & inſontem pronunciat: cuius teſtimoniũ uerax eſt, & accuſatio & condẽnatio hoſtium meorũ (ô ſpõſa Eccleſia) falſa. Nam huius condẽnationis mẽdax & mẽdacij pater Satã autor eſt. Quo ſpectat illud Domini, qui ſic loquitur apud Ioannem: Vos ex patre diabolo eſtis, & deſiderijs patris ueſtri uultis obſequi. ille homicida erat ab initio, & in ueritate nõ ſtetit, quia ueritas in eo nõ eſt. Et de patre iuſtificãte filiũ: Sed qui me miſit, uerax eſt: & ea quæ audiui ab eo, loquor in mũdo. Iuſtificat aũt pater filium, partim hoc publico ſpiritus ſacri teſtimonio: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. partim per opera, quæ ipſum filium Dei uera dicentẽ teſtificanť, de quibus his uerbis apud eundem Ioannem: Opera quę ego facio nomine patris, teſtimonium reddunt de me, teſtimonium uidelicet innocentiæ meæ. *Ioann. 8.* *Matth. 3.* *Ioann. 5.*

Qui cõtradicet mihi.) Se nõ uereri cũ aduerſarijs ſuis ad tribunal, corã iudice Deo cõgredi, quorũ etiã conſcientiam iudicẽ ferat: ut quæ cõuicta operib. ipſius, & doctrina cõſentanea Moſæ & prophetis, ſe Dei Meſsiam eſſe teſteť. Quod ad Moſem attinet, ſic de eo apud Ioan. loquitur: Is ſcripſit de me. Quãtum uerò ad conſcientiã operib. conuictã pertinet, ſic apud eundẽ Ioan. legimus: Si nõ facio opera patris mei, nolite credere mihi: ſin uerò facio, ſi mihi nõ creditis, operib. credite, quæ conſcientias ueſtras mouerint ad teſtificandũ de innocentia mea. *Ioann. 5.* *Ioann. 10.*

Quis eſt aduerſarius meus?) Qui me iurè reprehẽdat culpę? ueluti ipſe apud Ioan. dicit: Quis ueſtrũm arguet me de peccato? Atq; hũc quoq; iudex Pilatus innocentẽ pnũciauit, & cẽturio cõfitens eum filiũ Dei eſſe. Elaborat in pbãda innocẽtia ſua, ut ſpõſæ Eccleſiæ certã de ſalute cõparanda ſpẽ faciat: qui quæ paſſus ſit, inſons paſſus ſit, ut patiendo uictimã piacularẽ per mortẽ præſtaret. qua illius culpã expiaret: & excitatus è mortuis, iuſticiam & uitã eidem illi repararet. *Ioan. 8.*

Ecce Dominus Deus auxiliator meus.) Cuius præſidio ſeptus omnia uinco, peccatũ, mortẽ, infernũ, mundũ, principẽ mundi, & aduerſarium filium Satanis perditũ, per quẽ & eius pſeudoprophetas totus mũdus in erroribus & caligine ignorãtię Dei uerſat. Quę mea uictoria, qui uita & lux mũdi ſum, tua uictoria eſt ô Sion.

Ne igitur conquerare te derelictam, cui in culpa probitatem, in ira gratiam, in morte uitam, in opprobrio crucis cœlestis regni gloriam molior. Nam tu quæ sponsa mea es, quæ corpus meum es, os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, ut mecum crucifigeris, ita mecum glorificaberis: ut mecum moreris, ita mecum uiues: ut mecũ inferni iniurijs afficeris, ita cœlestis regni splẽdore illustraberis. Itaq; non est quòd ab hostibus tuis tibi metuas, quos ego patris auxilio firmatus uinco. ut sequitur:

Ecce omnes.) aduersarij mei & tui, Euangelium meum & eius cultores inimicè infectantes.

Quasi uestimentum.) Similitudo àueste usu detrita, & à tineis corrosa: huius ritu hostes detritum iri. Sed à quibus uermibus corrosis consumentur? Dominus
Marci 9. dicit: Et uermis eorum non morietur. uermis condemnantis legis, cõscientiam de ulpa corrodens. Quæ calamitas omnem calamitatem superat.

Quis ex uobis timens Dominum.) Ostẽdit, qui sint beneficijs mortis & resurrectionis Messiæ fruituri. Hos esse, timentes Dominum eo timore quem initium sapientiæ, hoc est, ueri cultus patris in filio Messia sacræ literæ faciunt. De quo metu in Actis: Viri fratres, & filij Abrahæ, & qui inter uos timẽt Deum, uobis sermo salutis missus est. Is ergo laudatus timor, ex electionis æternæ gratia, non natura inditus scriptis in libro uitæ, aditum ad Euangelij cognitionẽ præparat, qua seruentur: & eo impij, in tabulis inferni scripti ab æterno, carẽtes, ab Euangelio, cuius hostes sunt, salutem nunquam expectabunt, sed instar uestis deterentur, mordentis conscientiæ uermibus conficiendi. Beati igitur, quorum animus sacro illo spiritu timoris Dei tinctus est. qui quàm latè pateat, electi in orbe terrarum dissipati documento sunt: quos in Mahumetanis, Iudæis, Papistis, omnibus seculis liceat reperire, zelo uidelicet, non malitia, qua in spiritum sanctum delinquitur, errantes.

Coloss. 2. *Audiens uocem serui sui.*) uocem Euangelij Messiæ: non uocẽ aduersarij, non uocem philosophorum, quorum doctrina salutem non affert: Messię cœlestis doctoris & legislatoris affert.

Quis in tenebris ambulauit.) in tenebris ignorantiæ Dei, in uno filio Messia abolendis.

Et *non est lumen ei.*) Euangelij lumen ac splendor: qui si abest, tenebræ adsunt, etiam sapientissimos in mundo cæcitate inuoluentes.

Speret in nomine Domini.) non in nomine Mosæ, in nomine angelorum, in nomine diuorũ: sed in nomine Iehoua legimus confidentes, saluos nos fieri. De quo
Actor. 4. nomine in Actis: Non est aliud nomen sub cœlo datum hominib. in quo oporteat nos saluos fieri. Huic nomini ut contrarium est nomen aduersarij, ita eius nomini qui confidunt, pereunt, ut confidentes nomini Messiæ seruantur. Itaq; suprà: Exite ex Babylone.

Ecce uos omnes.) qui me & Euangelium meum aspernamini, tenebras amãtes, lucem aspernantes, quæ uestra est condẽnatio. ut testãtur iudicis uestri Messiæ
Ioan. 3. uerba: Hæc est uestra condemnatio, quod lux uenit in mundum, & homines magis amant tenebras quàm lucem. Tenebras inquam falsarum doctrinarum & malefactorum, magis quàm lucem ueræ & cœlestis doctrinæ, & benefactorum quæ ex ueritatis luce proficiscuntur. Sed cum huius lucis ignem non ferunt, qualem ferent? Sequitur:

Accendentes ignem.) furoris diuini, qui beneuolentiæ ignem Messiam benedictum, illustrantem illam igneam lucem ad uitam, respuitis.

Ambulate in lumine ignis uestri.) Hunc ignem interpretatur Dominus ipse apud
Matth. 24. Euangelistã: Ite in ignem æternũ. Suprà meminit uermium, hic ignis. Vtrunq; etiam Dominus in altero coniungit apud eundem Euangelistam, his uerbis:
Marci 9. Potius quàm duos oculos habens mittaris in gehennam ignis, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

In dolore

In dolore morieris.) Exitus impiorum, dolor & labor. Contrarius exitus piorum in Christo, tranquillitas, indolētia, & ab omni labore ac molestia uacuitas, qui in pace cubare dicuntur. *Psal.72.*

IN CAP. QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

AVdite me qui sequimini.) Hæc quæ sequuntur, ad superiorem consolatoriam orationem pertinent, qua sponsam Ecclesiam conquerētem se dimissam, in spem comparandæ salutis erigere pergit. De locis consolationis, inter interpretandum monebimus.

Audite me.) per spiritū filij præparatis uestrorū cordium auribus.

Qui sequimini.) spiritu timoris incitati.

Quod iustum est.) iusticiam regni cœlestis.

Et quæritis Dominum.) uerum eius cultum, relicto falso.

Attendite ad petram.) Consolatur ab exemplo Abrahami: Tu Sion Ecclesia, sterilem te & repudiatam conquereris: ne despera, sed Domino confidito, qui ut assectum Abrahamum & sterilem Saram liberis auxit, ita & te numerosa sobole augere potest: & augebit, modò ei fidem habeas exemplo Abrahami, de quo scriptum est: Credidit Deo Abraham, & reputatum est ei ad iusticiam. *Genes.15.* Abrahamum figuratè petram uocat: quòd non magis ex Abrahamo proles expectabatur, quàm ex rupe aut saxo. In qua sermonis figura manens diuinus spiritus, excitandi uerbo utitur pro generandi, ad latomiam alludens.

De qua præcisi estis.) Effossionis uox magis cōgruit huc. Vuluam Saræ figuratè lacum uocat, ut Abrahamum petram.

Quia unum uocaui eum.) Sed unde uocauit Abrahamum? ex Vre Chaldæorum eum uocauit, sicut legimus in Genesi: Vade de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Hunc unum euocatum, qui patria, hæreditate, parentib. cognatis, amicis, & omni humana ope esset desertus. Sic sponsam Ecclesiam exemplo Abrahami Deus pater uocans ex hoc mundo, & ex suo Vre Chaldæorum, hoc est ex Babylone regno Antichristi, ad filij sui regnum, his uerbis consolatur: O Sion, quòd una es, hoc est destituta omni præsidio, quòd sterilis es, & repudiatam te putas, noli deijcere animum. Nam ut Abrahamum ex Babylonio regno uocaui, eiq; benedixi, & eum auxi sobole quę cœli stellas & maris arenas æquet: ita & te ex Satanis & filij eius Antichristi regno uocatam in regnum filij mei, dilatabo & augebo. Hæc consolatio etiam in singula Ecclesiæ membra ualet, ne in afflictionib. desperent, sed fidem habeant illi qui promisit: Beati lugentes, quoniam consolationem accipient. In cruce igitur & calamitatib. moderatè ferendis hæc nobis cogitanda fuerint: Primò, nō aliter nos posse in cœlum ingredi quàm per conformationē nostri per crucē cum filio Dei, qui per crucem infra omnia defectus, ad sublimitatem regni patris sui, confecto suarum afflictionum cursu euectus est, de quo scriptum est: Oportuit Christum pati, & tertio die resurgere à mortuis. Quum autem serui conditio melior sit quàm Domini, ut nobis idem contingat necesse est. Quare in hac cōformatione crucis, qua conformamur cruci Christi, hoc nos consoletur: quòd sicut cum Domino IESV Christo morimur, ita fore ut cum eo glorificemur. Vnde Apostolus ait: Siquidem cum eo patimur, ut cum eo glorificemur. *Rom.8.* At uerò quoniam in tolerādis calamitatibus nobis pugnandū est cū potentib. hostib. cū mūdo, & principib. mūdi, cum domestico nostro hoste carne, & peccato in carne nostra hostiliter luctāte aduersus Deum: hoc auget nobis animū, q à nobis stat, qui pro nobis uictor euasit aduersus hostes nostros, cuius fide armati possimus omnes hostiles tentationes quālibet graues & magnas uincere. Atq; is uictor IESVS Christus est, qui dicit: Confidite, ego uici mundum. & de principe mundi: Princeps mundi iam iudicatus est. hoc est, damnatus & uictus. *Ioann.16.* Sed quibus uictus est? Tibi credēti uictus est. hoc est, ita uictus est, ut tu quoq; *Ioann.12.*

luctans regio Meſsiæ ſpiritu unctus, uictoriam de hoſtib. tuis referas. In pugnando aũt & uincendo hoc nobis cogitandũ fuerit, noſtrã uitam perpetuam
Iob 7. eſſe militiam ſuper terrã, ut ſuperata una tentatione, non dubitemus ſuperfore aliam. Nam ceſſator non eſt Satan leo, ſemper quærens occaſionẽ qua nos tentãdo perdat. Itaq; oportet perpetuas excubias agere, & dicere cum propheta,
Abacuc 2. Super cuſtodia mea ſtabo: hoc eſt, ſuper cuſtodia fidei & ſpei in illũ qui omnia uicit. Sed qui ita uicerit, ut nõ ſolũ uideamus ne uincamur à Satane, ſed etiã ut
Rom. 8. uincamus nos ipſos, hoc eſt, peccatũ in nobis hærens, ne ei obſequamur: certò perſuaſi, afflictiones carnis mortem afferre, ſpiritus ſacri motus uitã. Quod qui moliri uolũt, etiam cauẽt ne ulli occaſioni peccãdi frenũ laxẽt: ac uiam aperiãt.
Eccleſ. 3. firmũ enim eſt illud: Qui amat periculũ, in eo peribit. Nos legimus, crebrò hoſtes noſtros mala ferre: & laturos, qui mundũ ſequuntur, & eius rectorẽ diabolũ. Hæc Dei iudicia nos mouere debent, ut propẽſius Deum noſtrũ ſequamur, quorum labor & crux ſit fructuoſa: cum illorũ labor non ſolum fructuoſus nõ ſit, ſed perniciem extremã eis afferat. ut ſuprà legimus: Et in dolore cubabitis.

Conſolabitur ergo Dominus Sion.) Vt conſolatus eſt patrem Abrahamum, cui facta promiſſa in te Sione Eccleſia præſtabit. In quibus promiſsis continetur generatim promiſsionis ſoboles, hoc eſt omnes quarumcunq; gẽtium ſcripti in libro
Ioan. 10. uitæ. De quibus illud ad Abrahamum: In ſemine tuo benedicẽtur omnes fami-
Rom. 4. liæ terræ. uno ouili ex Iſraelitis & gentibus, ſub uno paſtore Chriſto, conſtituto. Abrahamus igitur omnium credẽtium pater dicitur, & ſinus eius omnium fidelium ſinus, propter promiſſum Meſsiam, qui erat ex illo ipſo procreandus, ad omnes electos in Iſraelitis & gẽtib. beãdos æternę iuſticiæ & uitę beatitate.
Ezech. 36. *Quaſi hortũ Domini.*) ut eſt hortus Eden, de quo Ezechiel: Terra illa inculta redita eſt, ut hortus Eden. Tempora reconciliationis ſignificantur. Quæ myſtica nota in terra Iſraelitica oſtẽdatur, ea de re aliàs mentio facta eſt. De ſitu horti conſiti in Edene, & eius myſtica ſignificatione, & cur terra Chananæa promiſſa Iſraelitis horto Edenis comparetur, in Geneſi ratio expoſita eſt.
Geneſ. 2.

Gaudium & lætitia) Vt te antea mœror occupauit, abominabili deſolatione omnia deuaſtãte. Myſtica quidem, myſticum tẽplum & terram: uera, templum, Eccleſiam, & eius hæreditatem quę eſt ſacerdotale regnum Meſsiæ benedicti, in quo ſolo ſolida lætitia & gaudium uerſatur.

Gratiarum actio.) De Meſsiæ regno per Euangelium ſacrum inſtaurato, & adu-
16. erſarij euerſo. De hac gratiarum actione uideris in Ioannis Apocalypſi.

Quia lex à me exibit.) non horribili modo, ut lex Moſæa in monte Sina promul-
Exod. 19. gata: ſed ſuaui, in amabili monte Sione promulganda, quæ ſacroſancti Euangelij lex eſt. de qua ſuprà: Et ex Sion exibit lex. Quæ ut temporib. Apoſtolorum ex Sione profecta eſt, reliquias Iſraelitarum & gentium intra modum ſalutari luce illuminans: ita ea ut iam aliquot ſeculis regnante Antichriſto ſiluit, his nouiſsimis temporibus reſtituta, copioſe Iſraelitas & gentes illuſtrabit.

Et iudicium meum in lucem populorum.) Explicat munus & officium legis: huius munus in iudicando uerſari. Cuius duæ ſunt partes: Altera reprehendere mundũ de peccato eſt, de quo illud: Cum uenerit ille, arguet mundum de peccato: cum uenerit inquã ſpiritus, qui legis Euangelij ſpiritus eſt, &c. Alterum munus, reprehenſo peccato, lucem gratiæ diuinæ de reconciliato Deo in filio, in electorum cordibus accendere. De hoc munere hic loquitur: Et iudicium meum erit in lucem populorum, per quod requiem dabo. Requiem inquã & pacem tranquillæ aduerſus peccatum & mortem & condemnantem. Moſeam legem conſcientiæ. Quæ tranquillitas in amabili luce Euangelij cernitur, ut perturbatio in horribili caligine, quam draconis regnum mũdo offundit. Non ſine ratione uerbũ ארגיע hic uſurpatur, in quo cõcitatio & motus notatur, & per antiphraſim quies: quòd diuina prouidentia in motu quietem & pacem moliri ſoleat.

Propè eſt

Propè est iustus meus.) Consolatur Sionem ab appropinquante iusticia & salute. Hęc consolatio ut his nouissimis temporib. locum inueniat, piorum preces testātur, quas fundūt, ut iusticia Messias, in iusticię regno aduersarij perdito, aduenīat. Vocat aūt pater filium Christum iusticiam & salutē suam, quòd per eum iusticiam & salutem suis impertiat. Itaque Apostolus uatem explicans, sic ait: Qui factus est iusticia nobis à Deo. Item: Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum. 1. Corinth. 1. 2. Corinth. 5.

Me insulæ expectabunt.) redimendæ per seruatorem Messiam, de quo antiquissimus propheta Iacobus antea prædixerat: Et ipse erit expectatio gentium. Genes. 49.

Leuate in cœlum oculos uestros.) Consolatur à fide præstandi promissam salutē: citius futurū ut cœli tanq̄ fumus dissoluātur, & terra ceu pānus obsolescat, quàm promissa salus nō exhibeatur. Quò pertinent uerba illa Domini: Cœlū & terra trāsibunt. Itaq̄ ad promissionē diuinā tanq̄ ad ancoram salutis, piorū qua nitatur fides reuocat. Nā is qui promittit, quia uerax est, & ueritas ipsa infallibilis, omnia prius dilabi & interire sinet, q̄ non præstādo quę promiserit, mēdax reperiatur. Quare una fides est quæ omnia uincit, mundū & præstātissima quæuis in mūdo. Hæc enim nō uanitati obnoxiæ creaturæ, sed uni Deo & eius uerbo in Messia, qui iusticia, ueritas & uita Dei est, innititur. A' qua fide etiā piorū preces efficaces reddūtur, in quib. hæ cōditiones cernūtur. Vna, ut petamus ea quæ Deus præscribit petēda esse, & ex eius sunt dignitate, & nobis salutaria: ut præ cæteris est salus iusticiæ & uitæ æternæ, de qua hic fit mētio. Altera, ut in petendo ac precando in promissionē diuinā cōtētis oculis intueamur, qua quę petimus, Deus promiserit se daturū. Tertia est, ut in nomine filij Messiæ petamus, nō cuiusquā alterius nomine: de quo sæpe iam ex uate nostro meminimus. Postrema cōditio est, ut cum fide & spe petamus, credētes & sperantes Deum nos ex promisso exauditurū. Sic nobis cōpositis, preces nostræ nunq̄ erūt irritæ: sed id eueniet nobis orantib. quod hic in Propheta legimus. Cæterùm quoniam in sale inest corrodēdi dissoluēdiq̄ uis ignea, utitur diuinus spiritus מילח saliendi uerbo, pro dissoluēdi. Quò spectās Petrus in altera epistola, 3. in hunc modū interpretatur prophetæ nostri uerba: Accelerātes aduentū diei Dei, per quē cœli incēsi soluētur, & elemēta æstuantia liquescēt. Vbi Petrus Iesaiæ uerba simpliciter, citra cōparationem citata explicat. Trium meminit, cœli, terræ, & habitatorū terræ. Quàm firma cœlorū natura sit, à puritate, luce & rata cōuersione cōstat. Terræ situ firmū & stabilē esse, ex eo patet, quòd ipsa in uniuersitatis medio tanq̄ immobile centrū fundata est. Et quamuis cœlū & terra stabili natura prædita sint, horū tamē firmitatē nihil esse ad firmitatē iusticiæ & salutis, quā Deus daturus sit Sioni Ecclesię suę, de qua propheta Dauid: Iusticia eius manet in secula. Vnde efficit, ut aliud cœlū pijs considerandū sit q̄ materiatū & creatū, ex quo iusticiā & uitā petāt: cœlū inquā, quòd nunquā sit dissoluēdū & mutandū, q̄d est cœlū diuinitatis sedes, inaspectabile, plenū luce inaccessa, & ex q̄ spiritus ad splēdorē diuinę naturę regenerās in Sionē fundat.

Et habitatores eius.) ex solubili elementorum mundi compage conflati, & in puluerem terræ redigendi. Quem puluerem etsi non cogitant se esse tyranni orbis terrarum, dicentes, Non mouebimur: moti tamen sentient, se in puluerem terræ redactum iri. Secus accidet Sioni, cuius iusticiam & salutem immobilem fore, confirmat diuinus spiritus: quæ nimirum non sit ex nihilo creata, ut cœlum & terra: quæq̄ non sit ex solubili elemētorum mundi compage concreta, ut habitatores terræ: sed ex Deo genita, ab omni labe libera sit, & inuiolabilis: per participatum eius qui electorum iusticia, uita, sapientia & fortitudo est, in Messia benedicto. Quæ summa consolatio credentium in filium est.

Audite me qui scitis iustum.) Consolatur à uanitate & misero hostium interitu.

Lex mea in corde eorum.) lex spiritus uitæ in corde eorū non lapideo, in quo Mosæa lex

36. sæa lex scríbitur, sed carneo scribenda. De quo corde uideris apud Ezechie-
2.Corinth.3. lem, & apud Apostolum.

Noli timere opprobrium hominum.) quibus Euangelij lex ludíbrio est, & stulticiæ. de
2.Corint.1. quo Apostolus: Nam sermo crucis, ijs quidem qui pereunt stulticiæ est: at nobis, qui salutem consequímur, potentia Dei est.

Sicut enim uestimentum.) Similitudine uanitatem hostium declarat, per quam nocere nequeant. Similes eos esse uesti, quã tineæ corrodunt: & lanę, quam blattę consumunt. Contrà pios & eorum iusticiam habere. Contentio plena consolatione est, qua pij utuntur contra omnes grauiores tentationes.

Consurge consurge.) Consolantem Deum Sion Ecclesia precari inducitur, ut is 10
fortiter ad liberandos electos suos in hostes & aduersarios Euangelij uindicet. In uerbo autem excitandi figuratè significatur, Deum succurrentem suis uelut è somno excitatum uigilare. Dormire aũt, cum eos uexari sinit: quamuis etiam
Psal.121. tum uigilet maximè. Sic enim scriptum est: Non dormitat, qui custodit Israel. Conduplicatio Hebræa, uehementis precationis uim declarat.

Sicut in diebus antiquis.) quum in Aegyptum potentiam tuam ostenderes, ad liberandos tuos. Ab exemplo potentiæ, iam olim declaratæ.

Nunquid non tu percussisti superbum?) Notatur Aegyptus, à superbia sic appellata:
Psal.89. Sic Psalmus: Tu contriuisti Rahab.
27. *Draconem.*) Pharaonem mari rubro absorptum, de quo suprà. 20

Et nunc qui redempti sunt à Domino.) Accommodat exemplum ad præsentem supplicationem: Excitare, ut redempti tui à Messia reuertantur. Aut sunt uerba Domini respondentis precanti Ecclesiæ: Omnino ut precaris, reuertentur.

Reuertantur.) Nouissimis temporib. tibi reconciliati, reuertãtur ad te, soluto tam
Deut.4. diuturno exilio. De quibus temporib. his uerbis Moses in Deuter. Nouissimo aũt tẽpore reuertêris ad Dominũ Deum tuum, & audies uocẽ eius: quia Deus misericors Dominus Deus tuus est. Qui pariter ab externa & interiore captiuitate liberabũtur: ut olim extincto dracone Pharaone liberati sunt, ita extremis his temporibus electi ex Israelitis & gentibus, superato mari huius mundi, in eo dracone Satana deuicto, & Antichristo filio eius deleto, liberabuntur, o- 30
uantium uocem edituri, de qua sequitur:

Laudantes.) ברנה redemptorum, & reuertentium domum uictis hostib. ouans uox est. Ouaturos electos, superatis hostibus.

Ioan.16. *Lætitia sempiterna.*) De qua Dominus, uatẽ interpretãs: Gaudebit cor uestrũ, & gaudiũ uestrũ nemo tollet à uobis. ut in quib. Deus ipse per spiritũ sanctũ, oleũ
Psal.45. læticiæ, se sit effusurus: qui ut uita est sanctorũ æterna, ita gaudium perẽne erit.

In caput eorum.) in quo cũ sensib. mens tanq; in arce resídet, ueræ læticiæ capax.

Ego ego ipse cõsolabor uos.) Anadiplosi utit, cõfirmandi gratia: Ego ego, nemo alius. quod agnoscere fidei opus est, nõ naturæ. Quare auarus nõ agnoscit hæc uerba, Ego ego sum cõsolator tuus: sed Mammonã suum consolatorẽ agnoscit. 40
Epicurus uẽtri suo dicit: Deus meus cõsolator es tu. Sic enim Apostolus: Quorũ Deus uẽter est. Sic ambitiosus dicit honori: Deus meus es tu, qui me cõsola-
Philipp.3. ris. Et sapienti huius mũdi sua sapientia dicit: Ego ego consolator tuus sum. Idẽ de potẽtia, de iusticia humana, & alijs præstantib. in mũdo reb. Sed hæc omnia fallũt: Iehoua uerorũ Israelitarũ Deus nõ fallit. Nã cętera omnia infra dignitatẽ hominis sunt uanitati, ut res creatæ ex nihilo, subiectæ: unus Deus supereſt, supra dignitatẽ hominis positus, qui hominẽ ad optimũ statum adducere possit. In quo bono statu est, qui ex fide dicere potest Iehoua Deum suum esse, & prę ter eum nihil in hac uniuersitate rerum: Iehoua suam sapientiam, suam potentiam & fortitudinem, suam iusticiam, suam uitam in IESV Christo esse, nul- 50
lam creaturam: in quo IESV Christo hæc non extra se, sed in se præsentia sentiat habere, per fidem communicãtem de plenitudine & copia Messiæ omnes

Dei

Dei thesauros: sed alio modo in præsenti seculo, alio in futuro his cõmunicãdis.

Ab homine mortali.) à te stante Deo immortali, qui cœli & terræ, inferni, mortuorum & uiuorum Dominus sit: quum hostes tui palea & puluis sint.

Et oblitus es Domini factoris tui.) Reprehendit Ecclesiam neglectę fidei, non reprehendendi quidem caussa, sed ut reprehensam ad erroris pœnitentiam reuocet, & reuocatã in spem erigat expectandæ salutis: argumẽtis à potẽtia sua in cœli & terræ creatione declarata adductis, & suprà aliquoties memoratis. Tu Sion spõsa, quæ debebas matrimonij iure in aduersis rebus à me spõso & marito tuo fide & spe pendêre, oblita mei es, hostes tuos magis formidans q̃ meam potentiam suspiciens. quam potius te, ad confidendum mihi, mouere conueniebat: quàm hostium, qui in graminis morem mox arescunt, uanus furor ad terrendum. de quo sequitur:

Citò ueniet gradiens.) Ad uerbum: Festinat, uagans, ad soluendum. Putas ô Sion, te premẽte hoste desertam esse ope mea. non es deserta. nam omnino futurum est, ut breui tibi exilij, in quo uagaris, carcer aperiatur. Vt hic typus & ueritas adumbrata consideranda sint, pij norunt, & sæpè indicatum est.

Qui conturbo mare.) A' potentia conturbandi & sedandi maris, cõsolatur suam Sionem. Scitè hostium furor procelloso & fluctibus agitato mari comparatur: sed quem, cùm uelit, Deus compescat, ne noceat Sioni: cui suos fines posuerit Deus, ut mari posuit. Ad hanc comparationem pertinet, quòd mũdi regna infesta Sioni, apud Danielem ex abysso ac mari ascendere leguntur: ut sunt Babylonium, Persicum, Græcum, Romanum. Vt singula hæc Sionem infestarint, notum est, & suprà aliquoties indicatum. Sed ita infestarunt, ut eorum furorẽ semper Deus represserit, ne illam exciderent: & his temporib. eius bestiæ furorem inhibet, quam quatuor illæ bestiæ ex mari prodeuntes præfigurarunt, & quæ ex imperio quartæ beluæ nata est, & eius sedem occupauit, magna facta per Constantinum. Nam huius temporib. ut idola profanarum gentium cum templis eis consecratis euersa sunt, ita alia idola cum templis fuerũt extructa, & Ecclesia ceremonijs uarijs partim Mosaicis, partim gentilibus, magna Euangelij libertatis iniuria opprimi cœpit. *Daniel.7.*

Posui uerba mea.) Euangelij uerba, quorum spiritu furor hostium compescetur. Huc spectans Ioannes in sua Apocalypsi, indicat, ad prędicationem Euangelij Babylonem corruere: de quo etiam suprà mentio facta est. Vt autem corruat, testari incipiunt nostra tempora: quę ne corruat, nulli principatus efficere possunt. Tanta uis est uerborum, de quibus hic propheta: Ego posui uerba mea in ore tuo. Babylõ in ore suo uerba draconis habet, & ruit: Sion in ore uerba Messiæ habet, & consistit firma manens. Tam efficax Euangelij uis est, ad seruandã Sionem: ut quòd de cœlo ueniat, cœlestem uim habens ad terrena euertenda. Draconis sermone ex abysso inferni ascendente, ad cœlestia labefactanda, sed uano conatu: aduersus eum nimirum pugnante, qui & ipsius & omnium Dominus est. *Apocal.14.*

Vt plantes cœlos.) Cum Ecclesia Sione omnia instauratum iri, cœlum & terram. At ut id aliter in prima resurrectione, aliter in secunda contingat, alio loco demonstratum est.

Populus meus es tu.) in libertatis Euangelij mei ius assertus, sublato seruili Babylonis sceptro.

Eleuare, eleuare.) excitare de puluere afflictionum tuarum. Hortationẽ plenam consolatione suis metaphoris colorat, ornandi & amplificandi gratia.

Quæ bibisti de manu Domini.) nõ temerè & fortuitò tot malis infestata: sed prouidentia & cõsilio diuino tuo bono, non malo. Atq̃ hoc ipsum est, De manu Domini bibisti. Quare Iobus Domino acceptã referẽs suam calamitatẽ, non dicit, Satan abstulit mihi facultates, liberos, corporis ualetudinem: sed dicit, Dominus *Iob.2.*

nus dedit, Dominus abstulit, sit nomen eius benedictum. Vnde discimus, magna nostri consolatione, reuocata hypothesi thesin, afflictiones non pro libidine Satanis & hostium nobis accidere, sed Dei uoluntate. Legimus enim hic:
51. Bibisti de manu Domini calicem iræ eius. & apud Hieremiam scribitur, calicem quo Babylon inebriat gentes, in manu Domini teneri: quem ipse propinet pro nutu suo, non Babylon. Sic Assur uirga iræ diuinę appellatur: & Satan ante thronum Dei, ad expectandum quæ iubeatur facere, assistere, in historia
Iob 1. Iobi legitur. Deinde ex his percipiunt afflicti filij Dei, patienter sibi esse ferē das afflictiones suas, ut quarum calicem potandum propinet Dominus: cuius uoluntati parendum sit, non reluctandum. ut nos docet Messias precari: Fiat
Matth. 7. uoluntas tua. non nostra, non ueteris hominis uolūtas, cuius affectio mors sit: uolūtas diuina, uita, etiam in media cruce: cuius nimirum calicem suis misceat, ut calicem gloriæ & uitæ eis in cœlesti regno propinet: uino eis parato, de quo
Matth. 26. is ipse sic loquitur, Donec bibam uobiscum nouum in regno patris mei. & in
Cantic. 5. mystico carmine Salomonis: Comedite amici, & bibite, & inebriamini dilecti mei.

Vsq; ad fundum calicis soporis.) Significatur, omnia mala in Mosæa lege annotata, euenisse Israelitis cumulatè: & subducto uelo, Ecclesiæ regnante aduersario euenisse & euenire. Hebręus habet: Bibite feces calicis tremoris. Alluditur ad ebrios, trementes & nutantes.

Non est qui sustentet eam.) Genere afflictionis proposito, partes eius per distributionem amplificandi gratia subijciuntur. Abfuisse duces & doctores, qui eam regno & sacerdotio spoliatam ducerent & regerent. deinde eam fame & gladio uexatam, intus & foris uarijs cladibus infestatam: intus fame & peste, foris gladio & exilio. Alia igitur ratio fuit Babylonij exilij, & eius uexationis qua Hierosolyma ab Antiocho uexata fuit: alia, qua præsentato ipsi mundo Messia à Romanis infestata est. Nam in exilio Babylonio Iudæi suis ducibus, ut Zorobabele & Neemia: suis prophetis consolatorib. ut Daniele, Ezechiele, Zacharia, Aggæo, non caruerunt. & cum Hierosolyma à Græcis premeretur, usa est ducibus Machabæis. In postrema autem hac captiuitate, neq; ducib. neq; pro-
Osee 3. phetis, qui consolentur, utitur. sed in ea illud Oseæ impletur: Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege & principe. Item illud Domini nostri, prophetarū interpretis: Relinquetur domus uestra deserta. hoc est, regno & sacerdotio orbata. quod est hic apud uatem nostrum: Non est qui ducat ac regat eam. item, Duo mala euenient tibi, uastitas & contritio. Vastitas inquam, de qua Daniel:
Daniel. 9. Et finis eius uastitas. Et de hac calamitate uaticinatur hic Iesaias: & ut finem sit habitura, deinceps admonebit.

Et omnibus filijs.) Amplificat afflictionem matris Ecclesiæ, ab attributo personæ: ne à natis quidem, quos peperit & educauit, consolationem accepisse, ut quos quoq; calamitas obruerit. Graue est, in reb. aduersis ope deseri: grauius, ab amicis & cognatis: sed longè grauissimum, à liberis quoq; deseri, ut pari infelicitate affectis.

Et non est qui apprehendat manum eius.) ad eam subleuādam. Quos nutare uidemus, apprehensa eorū manu leuamus, ne concidant. Vnde hæc loquendi figura mutuata est. Quàm autē in miserum casum data sit Sion Ecclesia, testantur tempora desolationis, stantis in loco sancto: de qua, quæ legerit quis in prophetis
Matth. 24. (ut Christus dicit) intelligat. Nam in ea totū prophetarū mysterium uersatur.

Qui consolabitur te.) Ad amplificandam afflictionem, ostendit omnem consolationem abesse, quo beneficium promissæ redemptionis maius reddatur. Quò pertinet interrogatio, intendendi gratia usurpata.

Filij tui proiecti.) Ratio à mœrore, qui figurate in obscurandi uerbo עלף notatur. Quid enim tenebris & obscuritate tetrius?

Sient

Sicut oryx illaqueatus.) Vro seu sylvestri boui comparat Ecclesiam. Hanc hostes uenando, irretiendo & mactando, non secus atque feram persequi. Venatores sunt, pseudoprophetæ & inquisitores hæreticæ prauitatis: canes, tyranni orbis terrarum: laquei & retia, falsa doctrina, qua liberos Ecclesiæ Antichristus per suos pseudoapostolos capere & illaqueare studet: mactatio, mors conscientiæ, & corporum etiam, nisi te capi patiare. Hunc suum miserum statum lamentatur sponsa Sion, in mystico Salomonis mystici carmine: Quæsiui, & non inueni illum: uocaui, & non respondit mihi. inuenerunt me custodes, qui circuierunt ciuitatem: percusserunt me, & uulnerauerunt me. *Cantic. 5.*

Et ebria.) uino afflictionum, non uino hilaritatis, quali Epicurei inebriantur.

Hæc dicit Dominator tuus Dominus.) In quam iram suam ardere dixerat, eius iam Deum fatetur esse. Quæ uox fauoris & beneuolentiæ uox est, quæ una fide capiatur: Deum uidelicet nostrum Deũ esse, hoc est nobis fauere in filio Messia. Itaque quod dixit se Sioni iratum fuisse, hæc ira alia non fuit, quàm patris in filios, non hostes: & mariti in sponsam, cuius uitia oderit, personam non item. Quis enim oderit carnem & os suum? *Ephes. 5.*

Et pugnauit pro populo suo.) Consolatur Sionem à spe uictoriæ de accusatoribus obtinendæ. Eius causam contra aduersarios in iudicio acturo Domino, quod est ירריב. Agit autem causam suæ Sionis in iudicio, cùm eam defendens, Satanis accusationem irritam reddit, eius delictis in se receptis, quæ sanguine suo expiet. Hoc modo accusatorem Satanem in iudicio uictum, diuinus spiritus in Ioannis Apocalypsi testatur: In cœlo enim facta est salus, & uirtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte: & ipsi uicerunt eum, propter sermonem testimonij sui. Qui Euangelij sermo est: cuius fide armati filij Dei, intendente aduersus eos litem mundo, Satane & Antichristo, caussa superiores euadunt, pro ipsis contendente agno, & uincente, ut unico patrono & defensore. *Apoc. 12.*

Ecce tale.) Consolatur à fine, quem afflictiones habituræ sint: calice diuinæ iræ posito in manu illorum qui afflixerunt. Sic Daniel prædicit futurum, ut quatuor bestiæ, hoc est quatuor regna (quæ Zacharias quatuor cornua appellat) lapis Messias contriturus sit, ad ædificandum regnum in Ecclesia Hierosolyma de cœlo descendente. Hæc promissio suauis est Ecclesiæ, & terribilis eius hostibus. *Dan. 2.*

Incuruare ut transeamus.) Inducit hostes superbè insultantes Ecclesiæ. Hæc uox est illius, qui in templo Dei sedens, audet pedibus conculcare sponsam mariti Christi, dicens, Summittas ac prosternas te ut transeam, dorsumq; tuum humi supponas transeuntibus. Atque hoc audet aduersarius cum suis pseudoprophetis in eam de qua scriptum est, Astitit regina à dextris tuis, cõmittere. Hoc autem iugum, quo sponsa tantæ gloriæ ab æterno destinata, ab aduersario deprimitur, partim in doctrinis humanis & dæmonum dogmatis, quibus electorum conscientiæ humi prostratæ miserè deijciuntur, partim in tyrannide cernitur, de qua Ioannes in Apocalypsi meminit: Et fecit omnes pusillos, &c. Sed quid hoc aliud facere est, quàm Ecclesiæ sponsæ Christi imperare, ab eo ad tempus dimissæ: Incurua te, ut transeamus? Sed cùm hoc moliuntur hostes, quam consolationem accipit Sion? Sequitur: *Psal. 45.* *13.*

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

CONsurge consurge.) uelut è mortuis ad uitam excitare. Notatur resurrectio prima: & sub figura huius, secunda. Iubetur inducere fortitudinem, potentiam & imperium Messiæ, quæ infirma sub misero aduersarij iugo depressa iacuit. Hac forma loquendi utitur Aposto-

lus, ubi ait, Christum induisti: qui est fortitudo, & potentia regia Ecclesiæ suæ, ut iusticia & sanctitas.

Indue uestimento gloriæ tuæ.) exutis uestimentis opprobrij regni aduersarij. De
Psal. 45. hoc uestitu sponsæ reginæ Dauid canit.

Hierusalem.) de cœlo descendens, non de terra ascendens, ut Babylon ciuitas Antichristi ascendit.

Ciuitas sancti.) à uitijs beneficio regenerationis expurgata, per sacrum sanguinis agni spiritum. Huius ciuitatis nomen, ortus, materia, forma, fundamenta, magnitudo, platea, fluuius per aream eius fluens, & eius uitalis arbor ad cœlestem fluuium consita, à Ioanne in Apocalypsi explicantur: de quibus etiam suprà meminimus.

Incircumcisus.) pectore, cuius præputium est ignorantiæ Dei & prauarum cupiditatum cor obturans præputium: quod qui gerunt, ut immundi, in sancta
Apo. 22. sancti regis Messiæ ciuitate locum non inueniunt. Similiter Ioannes: Non intrabit in eam aliquid quod inquinat, aut quod abominationem facit, aut mendacium, nisi qui scripti sunt in libro uitæ agni.

Excitare de puluere.) Præcesserat: Tergum tuũ humi pro platea suppone transeuntibus. hic subiungitur per consolatoriam contentionem, Excute te de puluere ac luto, in quo contempta iacuisti. Accipitur puluis ac lutum uitiorũ terreni hominis, quæ excutienda sint. accipitur item lutum doctrinarum filij perditi, & sapientiæ humanæ. Hoc lutum abstergendum esse, & splendorem sapientiæ cœlestis amplexandam.

Consurge.) Opponitur illi superiori: Incuruare ut transeamus. Quæ hactenus coacta es te submittere sub sceptrum Babylonis: iam hoc excusso, surges, Messiæ mariti tui sceptro regenda: quo deprimentur, qui te depressetunt. Ita-
Cap. 1. que Apostolus in altera epistola ad Thessalonicenses, hæc expendens dicit: Adeò ut nos ipsi de uobis gloriemur in ecclesijs Dei, de tolerantia uestra & fide super omnibus persecutionib. uestris, & afflictionib. quas sustinetis, documentum iusti iudicij Dei, in hoc ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Siquidem iustum est apud Deum, reddere ijs qui affligunt uos, afflictionem: & uobis qui affligimini, relaxationem nobiscum, cùm patefiet Dominus IESVS de cœlo.

Sede Hierusalem.) sed nõ in puluere, ut Babylon sedebit: sed in throno gloriæ, mariti tui Messiæ. Itaque Paraphrastes Chaldæus sapienter reddit תיבי על ברש: hoc est, Sede in solio, regio uidelicet spiritu mariti tui Messiæ ornata.

Solue uincula.) uincula peccati, mortis, & tyrannidis aduersarij.

Colli tui.) Quod, ut in Cantico Canticorum canitur, comparatur turri Dauid-
Cantic. 4. icæ propugnaculis munitæ, in qua omnis armatura fortium est. Huius similis est, ô hostes, collum sponsæ Messiæ, uobis formidabile. Ad hanc similitudinem explicandam, plenã consolatione, ex physicis cognoscendus est rectus colli status, & eius usus: utq; superiore parte cum capite, sensuum & mentis sede, inferiore uerò cum pectore, uitæ officina, connexum sit.

Gratis uenundati estis.) temerè, nullo utilitatis precio, quod ad uos rediret ob uenditionem, sed uestra pernicie. Nonnulli in hunc modum: Vt uos gratis, hoc est sine uoluntate uestra, per primum Adamum sub peccatum & mortem uenditi estis: ita gratis, sine merito uestro, per secundum Adamum Christum redimemini. Hæc quidem sententia uera est, sed prophetæ oraculo non satisfacit. nam is generatim de uenditione loquitur, ut etiam eam qua Sion Ecclesia propter suam defectionem sub aduersarij regnum uendita sit, complectatur. De qua uenditione suprà fit mentio: In iniquitatibus uestris uenditi estis. Itaq; uox תמכר non excludit culpam Sionis, ob quam uendita sit: sed preciũ utilitatis, & legitimam caussam, quæ ei defuerit, cur se uenderet prodita libertate

sua,

ſua. Hanc interpretationē confirmant quæ ſequuntur. Aut in hunc modū explicare licebit. חנם, hoc eſt temerè & ſine cauſſa hoſti ſæuo & crudeli uenditi eſtis, qui pro libidine uos, & nullo ſuo iure affligit & opprimit: ut de Aſſyrio infrà legitur, Aſſur abſq; ulla cauſſa opprimit eum.

Redimemini.) liberali gratia & clementia mea, nullo ueſtro merito. Vos ſine precio utilitatis quod ad uos rediret, nulla legitima cauſſa quam prætexatis, uendidiſtis uos, ueſtro exitio: ego ſine precio meritorū ueſtrorum quod perſoluatis, pro mea liberali gratia & clementia redimam uos, ueſtra ſalute. Non igitur omne precium, quo redimatur Sion Eccleſia, excluditur: ſed legis, factorumq; legis & meritorū humanorum precium, non miſericordiæ diuinæ, quod eſt ſanguinis IESV Chriſti precium, pro expiandis peccatis ſponſæ ſuæ perſolutū. de quo illud: Precio empti eſtis. & Oſeas uates: Emi mihi eam quindecim argenteis. Hoc precium conſtat duobus numeris, ſeptenario & octonario: quorum alter quietem, alter (ut qui cubicus numerus ſit) abſolutam perfectionem denotat: quam Eccleſia, precio ſanguinis mariti ſui IESV Chriſti empta, adeptura ſit. 1. Cor. 7.

In Aegyptum deſcendit populus meus.) Narrat uenditionis exempla, & ea tria commemorat: Aegyptium, Aſſyrium, & Romanum, quod poſtremū & ultimum eſt. Atqui in myſticis his uenditionis exemplis oſtendit generatim, Eccleſiæ ſuam quoq; Aegyptiam, Aſſyriam & Babyloniam captiuitatem eſſe. Aegyptiam quidem, qua ſub peccatum uendita, primò empta ſit precio ſanguinis Chriſti, & à iure peccati & mortis liberata, iudicato dracone Satane: ut olim Iſraelitæ ex Aegypto, agni ſanguine domuum Iſraeliticarū poſtibus aſperſo liberati fuerunt, dracone Pharaone in mari rubro iudicato, hoc eſt abſorpto & extincto. Hanc autem redemptionem ex Aegyptia peccati & mortis captiuitate per miniſterium Apoſtolorum factam, conſecuta eſt Babylonia regni Antichriſti captiuitas: ex qua ut ſit redimenda Sion Eccleſia, iam ſæpe indicatum eſt. Quam captiuitatem hoc ultimum Iſraelitarum exilium à quarta beſtia, hoc eſt à Romanis importatum, ut alijs locis monſtratum eſt, præfigurat. Nam ad Babyloniam captiuitatem, in quam Iudæi translati ſunt per Nabuchodonoſorem, cur ad adumbrandum regnum ſpiritualis Babylonis, ultimum hoc per Romanos allatum exilium, Iſraelitis additum ſit: facilè intelligunt, qui Danielis oraculum hac de re editum expenderint. Nam hic abſconditū illud myſterium, de quo Apoſtolus ad Romanos meminit, latet. Qui inquam expenderint, quid templi uaſtatio per Romanos facta, & abominatio deſolationis in templo ſeu loco ſancto uerſans: quid item illud ſit, Calcabitur Hieruſalem à gentibus donec impleantur tempora gentium: quid demum ſignificet illud apud Oſeam, Quia multos dies ſedebunt filij Iſrael ſine rege & ſine principe, ſine ſacrificio & ara, & poſtea reuertentur & quærent Dominū Deum ſuum: qui inquam horum & aliorum myſticam rationem ex ſententia Moſæ & prophetarū & ſcripturæ noui fœderis expenderint, non obſcurè intelligent, quæ hic propheta noſter & alij uaticinantur. 9. Matth. 24. Luc. 21. Oſee 3.

Et Aſſur abſq; ulla cauſſa.) Legimus hic, temerè & ſine cauſſa uexatū populum Dei. Quod quidem uerum eſt, ſi Aſſuris libidinem ſpectemus, qui nullo iure ſuo Iſraelitas atrocius infeſtauit. ſin uerò conſilium Dei & culpam Iſraelitarum conſideremus, non ſine cauſa uexati ſunt illi. Sic enim ſcriptum legimus libro quarto Regum: Fecerunt malum coram Domino, & irritauerunt eum, iratusq; eſt Dominus uehementer Iſraeli, & abſtulit eos in conſpectu ſuo, & nō remanſit niſi tribus Iuda: ſed nec ipſa cuſtodiuit mādata Domini Dei ſui. Itaq; merita quidem eſt familia Iſraelitica, ut eius defectio & rebellio puniretur à Deo. quem ſi ſpectes, iuſtè illa punita fuit: ſed merita non eſt cur ab Aſſyrio & Babylonio & à Græcis atq; Romanis tam crudeliter puniretur. Quo- 17.

rum crudelitatem Deus damnat, exprobrans eam Assyrio: Væ Assur uirgæ furoris mei. Sic Antichristus per tyrannos illos figuratus, sine caussa iudicatur uexare Ecclesiam, cùm pro libidine eam infestat. Quæ quidem sua uitia considerans, iustum Dei iudicium agnoscit: sæuam autem aduersarij tyrannidem, eiusq; cruentam libidinem æquitas diuina perpendens, pronunciat, sine caussa opprimi suam Sionem.

Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus.) Grauiorem Sionis afflictionem ostendit, eam nimirum qua uexari cœpit à Romanis. quo tempore inclinante regno & sacerdotio ad interitum, uariæ sectæ, ut Saducæorum, Essenorum & Pharisæorum, magnam perturbationem in Israelitica religione pepererunt, loco Mosęæ legis multiplicibus humanis doctrinis misero populo obtrusis. Quæ ita inualuerunt, ut cùm præsentatus esset Messias Iudæis cum sacro Euangelio, hypocrisi & simulata iusticia omnia occupante, locum ille uix inuenerit, nisi apud exiguas reliquias, quas diuina bonitas seruare statuerat, reliquo populo cæcato, & in Romanorum potestatem, euersa Hierosolyma & incenso templo, tradito. Hanc cladem animaduertens Deus, ἀνθρωποπαθῶς significat sollicitum & anxium se esse de redimendis Iacobæis: secumq; deliberat, quid agat cum tam miserè ab hoste captis, & tanta tyrannide oppressis. At uerò, reducto uelo mystici exilij & captiuitatis mystici populi, quæ in Ecclesiæ statu consideranda sint, nihil interest explicare. Sed qua ratione molitur Dominus suorum redemptionem? Sequitur:

Propter hoc sciet populus meus.) Quorum delicta uincit bonitas mea, & ueritas ac fides fœderis, quod cum maioribus ipsorum percussi, ut id minimè rupturus sim, sed ad eos liberandos seruaturus: ne hostes dicant maiorem esse culpam illorum, quàm quæ per meam misericordiam deleatur: & potentiores se esse, quàm ex quorum potestate meos uindicem: & non tanta fide me præditum, qui promissam eis salutem præstem. Itaq; quum mei nominis gloria coniuncta sit cum meorum electorũ salute, eos omnino statuo redimere, ut sequitur.

In die illa.) Sed quæ est dies illa? Præsentationis Messiæ dies est, qui primò Apostolorum ministerio reliquias seruauit: deinde his extremis temporibus, impleto tempore uastitatis & profanationis, per Euangelij lumen ea illis salus & tanta affulgebit, quanta per Mosem & prophetas prædicta est. de qua
Rom. 11. his uerbis Apostolus: Si lapsus illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum?

Quàm pulchri sunt pedes.) Explicatur ratio perficiendi salutem: hanc Euangelij prædicatione perfici. Vbi agnoscendum fuerit, quid propriè Euangelium sit, quid differat à lege, quod utriusq; munus, et qui utriusq; ortus et promulgatio. Fit mentio hic pedum, montium, prædicantiũ pacem & salutem. Quibus uerbis, & eorũ qui Euangelium nunciant munus, & usus Euãgelij explicatur. Annunciantium Euangeliũ munus esse, ut ascendant super montes, quò latè longeq; audiantur, libera prædicatione à metu & adulatione utentes: animosq; non humi serpentes, sed in cœlo uersantes, gerentes: & quorum pedes accincti sint, & præparati, & calceati ad Euangelium pacis: hoc est, qui affectus spiritu sacro gubernatos habeant, de quibus meminit Apostolus in epistola ad
Ephes. 6. Ephesios. In pedibus enim affectus notari, indicat illud: Qui lotus est, non ha
Ioan. 13. bet opus nisi ut pedes lauet. Tales pedes bene loti & spiritu Euangelij calceati eorum sunt, qui ad nunciandum Euangeliũ non nuptias, non agros, non liberos, non quicquam in mundo causantur, quo minus docendi Euangelium munere fungantur. Talium pedes formosi & elegantes dicuntur, ut benè loti & mundati aquis, ex eo tanquã ex perenni fonte manantibus, quem docent. Contrà habent impuri pedes eorũ quos bestia Antichristus ex terra nata mittit, de quibus uerè dicitur: O' q̃ deformes & fœdi sunt pedes eorum qui nunciant

ciant bellum, discordiam, exitium. de quibus pedibus Salomon in Prouerbijs: Quoniam pedes eorum currunt ad malum, & ut sanguinem fundant, festinant. *Prouerb. 1.*

Prædicantes pacem.) Non quidem pacem qualem mundus dat, quæ summa perturbatio est, ut quæ liberos animos à iure peccati & mortis non reddat, sed potius seruituti peccati & mortis subijciat: sed commendantur pedes annunciantium eam pacem, quæ tuta & tranquilla libertas sit, qua liberi à iure peccati & mortis in conspectu Dei tranquillè uersemur, accusatore Satane condemnato, condēnatoria ei ui adempta. Tales pedes Moses legatus non habet, qui per legis suæ administrationem non pacem, sed bellum inter peccatum & cōscientiam, non uitam, sed mortem administrat: sed solus Messias per legatos suos pacem denunciat, qua cuncta in cælo & in terra pacificentur, hoc est tranquillum & bonum statum per sanguinem ipsius consequantur, aduersus omnes aduersarias potestates.

Regnabit Deus tuus.) Messias rex, per æternæ pacis, uitæ & gloriæ spiritum, in sua Sione Ecclesia: non amplius draco Satan, non bestia Antichristus, pectus & os draconis habens.

Vox speculatorum tuorum.) Apostolorum tuorum, in excubijs ad Sionis salutem procurandam uigilantium.

Leuauerunt uocem.) Euangelij, in toto terrarum orbe clarè sonantem, ad potentissima in mundo demolienda. De hac clara uoce Psalm. In omnē terram exiuit sonus eorum. item: Vox Domini in uirtute, uox Domini in magnificentia, uox Domini confringentis cedros. Hæc sacri Euangelij uox est, quā leuant, qui clamant: Adest regnum cœlorum. item: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. quiq; clamant: Exite de Babylone, exite. Nam Euangelij uox omnium illorum est, qui Euangelium à præsentato in mundum Christo, usq; in finē mundi prædicant, ueros speculatores pro Ecclesia agentes. His contrarij sunt in aduersarij regno speculatores, qui cæci, non uidentes, qui ignaui, non seduli, qui imperiti, non periti speculatores sunt: eos per ignauiam & imperitiam perire sinentes, imò per malicíam perdētes, quibus à pastore stulto illo præpositi sunt. Quos infrà his uerbis taxat propheta noster: Eorū speculatores omnes cæci sunt, scientia carentes. Leguntur hic diuini speculatores uocē leuare. contrà in regno stulti pastoris canes speculatores cernuntur, quos canes mutos uoces, de quibus idem noster uates: Muti canes, latrare non ualentes. *Psal. 18.*

Quia oculo ad oculum uidebunt.) præsentem salutem, à maioribus & prophetis spe præsumptam. Itaq; Simeon, ut excepisset in ulnas Seruatorem, de præsente salute oculis usurpata sic gratulatus est: Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti omnibus gentibus. *Lucæ 2.*

Cum conuerterit Dominus Sion.) Quæras hic, de qua conuersione loquatur diuinus spiritus? De cōuersione ne ex Babylonia captiuitate? At ut de ea accipias, repugnant præcedentia & sequentia. de sequentibus mox: de præcedentibus sic patet. Euangelij prædicatio publica, de qua iam mentio facta est, in nouissimos præsentati in mundum Messiæ dies cadit, non in ueteris fœderis tempora, in quibus Babylonij exilij solutio facta est. ergo conuersio Sionis ad Dominum, de qua Propheta loquitur, ad tempora patefactionis Euangelij referetur.

Sed ad quæ tempora patefactionis Euangelij referetur? Si, ut indicatum est, seruatas reliquias spectes, ad eam horam qua Apostoli Euangeliū prædicarūt, referetur: sin copiosam illam abiecti Israelis redemptionem consideres, conuersio illius his extremis tēporibus perficietur. De qua conuersione antea Moses prædixerat his uerbis: Conuertet Dominus Deus captiuitatem tuam, & miserebitur tui. patefacto uidelicet tibi filio Messia, cuius Euāgelij luce prælucente, duo indicat Moses Israeli euentura, pœnitētiam, & remissionem peccatorū, cum donatione Spiritus sancti, qui illius pectoris præputiū præcidat, ad aman *Deut. 30.*

dum Deũ toto corde. Atq; hæc uera Sionis conuerſio erit. Sic enim idẽ Moſes dicit, quantum ad pœnitentiã attinet: Et reuerſus fueris ad eũ, & parueris uoci eius: Euãgeliſ ſcilicet uoci, de qua hic uates noſter Moſem interpretans, Speculatores tui leuauerunt uocem. Quantum uerò ad peccatorum condonationem attinet, eam Moſes his uerbis ſignificat: Et miſerebitur tui, remiſsis tibi delictis tuis. Donatio autem Spiritus ſancti, quo regeneratore recuperetur amiſſa iuſticia & uita, uerbis quæ ſequuntur indicatur: Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui. Sed qua nouacula circumcidet? Spiritus ſacri Meſsiæ nouacula circumcidet, ſpiritu inquam amoris Dei, præcidente uitioſum amorem ſui, in uetere homine hærentem. Sic enim ait: Vt diligas Dominum Deum tuum. Hæc autem præſtari Iſraelitis, eſt, eos ex uera captiuitate redimere. Ex his Moſaeis fontibus cæteri omnes prophetæ, ſuorum oraculorum de reſtitutione Iſraelitarum, & ſubmoto illorum uelo, de reparatione Eccleſiæ, fluenta hauſerunt. Eenim ex ſententia Moſæ de conuerſione
Pſal. 52. Sion, his uerbis Dauid uaticinatus eſt: Cùm conuerterit Deus captiuitatem
Ierem. 31. plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael. Et Hieremias: Quoniam conuertam captiuitatem eorum, dicit Dominus. Sed quo tempore indicat Hieremias redemptum iri Iſraelitas? Eo ſanè tempore, quo uetere fœdere antiquato, nouum Deus cum illis in ſpiritu ſanguinis Meſsiæ ſit initurus. Similiter
36. apud Ezechielem. Ex reliquis prophetis teſtimonia ſuperſedeo citare.

Gaudete & laudate.) impletis luctuoſæ captiuitatis temporibus.

Quia conſolatus eſt Dominus.) per ſpiritum conſolatorem, de quo apud Ioan-
15. nem. Habet & mundus ſuam conſolationem, in ſua ſapientia, potentia, & opibus, quibus confiſus dicit: Non mouebor. Sed fallitur in hac ſua conſola-
1. Cor. 7. tione. Nam firmum eſt illud: Tranſit mundi huius figura. At conſolatoris
Ioann. 14. ſpiritus conſolatio non tranſit ac perit, de quo Dominus: Et ego rogabo patrem, & alium conſolatorem dabit uobis, ut maneat uobiſcum in æternum. Sed quis eſt ille alius conſolator? Spiritus ſanctus adoptionis eſt, uos certiores reddens non de mundi huius opibus, non de uita huius ſeculi, quã perpetuò poſsideatis: ſed de æternis opibus, & uita in cœlo repoſita. Moſes quidem conſolatus eſt uos, iuſticiam legis ſeruantes, longam uitam, benedictionem cœli & terræ, numeroſam ſobolem, pacem ab hoſtibus promittens. At longè alius eſt conſolator Meſsias, de quo hic: Conſolatus eſt Dominus populum ſuum.

Parauit Dominus brachium ſuum.) potentiam ſuam palàm oſtenſurus. Hebræus figuratè dicit, Nudabit brachium ſuum: ab athletis figura loquendi ſumpta,
Rom. 1. qui nudatis brachijs in arenam deſcendunt. Declaratur Euangeliſ uis & potentia, de qua Apoſtolus: Euangelium potentia Dei eſt, ad ſalutem omni credenti: & ad exitium, ei diffidenti. de quo Dominus: Qui non crediderit, condemnabitur.

Zach. 14. *Et uidebunt omnes fines terræ.*) Ad implendum illud Zachariæ: In die illa erit Dominus unus, & erit nomen eius unum: hoc eſt, electi in orbe terrarum unum
Oſeæ 2. Deum in Meſsia ſpiritu & ueritate colent, ablatis (ut eſt apud Oſeam) de ore illorum nominibus Baalim, hoc eſt deorum alienorum, quibus beſtiæ regnum refertũ eſt. ex quo ut recedãt illi, hortatur diuinus ſpiritus. Vt ſequitur:
Apo. 18. *Recedite.*) Ex regno draconis, & ex Babylone, de quo Ioannes: Exite ex illa populus meus, ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Emigratur autem ex Satanis & Antichriſti regno, pectore, ore, & factis. Pectore quidem, cum relicta idololatria, fide ſe ſponſa marito Meſ-
Oſeæ 2. ſiæ adiungit, per eam adiunctionem & deſponſationem, de qua Oſeas mentionem facit: Et ſponſabo te mihi fide. item, Et ſpõſabo te mihi in iuſticia & iudicio, iudicio quidem, ut condemnes & relinquas quæ mihi marito tuo nouo &

uo & cœlesti aduersa esse cognoueris: iustitia uerò, mea tibi probitate concessa, qua mihi probere ut sponsa dilecta. De qua in cantico canticorũ sponsus sic canit: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ore autem emigratur, cùm non amplius deorum alienorum nomina in ore sonant, sed unius Messiæ seruatoris nomen. Factis demum exit, cum sponsa benefactis se marito suo Messiæ, relictis malefactis, studet commendare.

Nolite pollutum tangere.) Alluditur ad legem Mosæam, de non attingendis immundis. de quorum generibus uideris in Leuitico & Numeris. Qua lege adumbrabatur, cauẽdum esse ne pectora nostra attingant cupiditate, quæ uerè immunda sunt & polluta: ut sunt, ebrietas, luxus, auaricia, ambitio, stupra, & cætera uitia.

Mundamini, qui uasa Domini fertis.) Alluditur ad exitum è mystica Babylone: & ad legem Mosæam, docentem à Leuitis sacra ferenda esse uasa, de qua uideris in Numeris. Sed quæ sunt illa uasa, quæ sacerdotes Leuitæ humeris suis portant? Electi filij Dei sunt, quos ferendi & portandi cura Euangelij doctoribus mandatur, tantisper dum relicta Babylone per deserta & solitudinem huius mundi, ad requiem peruenerint. Israelem inter gentes factum uas immundum, qui in sacra terra seruando legem, & obsequendo oraculis diuinis, se uas purum Deo seruare noluerit, ex Osea patet: Israelitæ facti sunt apud gentes quasi uas quod nemo expetat. impurum uidelicet, & immundum. Sed cur facti sunt uas tam tetrum? Subijcitur ibi caussa: Ascenderunt ad Assyrium. Submota umbra, occurrit Ecclesia, quæ ut tempore spiritualis Assyrij posthabita puritate Euangelij, quod solùm pura uasa, quæ Domino placeant, reddit, effecta est uas errorum. Ita pura redduntur uasa electi, ut cœperint relinquere Babylonem, & se Christo adiungere. de quibus hic Iesaias: Exite de medio eius, mundamini qui fertis uasa Domini.

Num. 1. & 4.

Osee 9.

Quoniam non in tumultu exibitis.) Non trepidè, non festinanter præ metu emigraturos, brachio nimirum armatos, de quo præcessit: Dominus nudabit brachium suum. Quo confirmati electi, ducis Messiæ signa sequentur: castris huius mundi, & ducis eius Satanis, & filij perditi, relictis. Domini inquam præcedentis signa sequentur, de quo sequitur:

Præcedit enim uos Dominus.) Alludit ad exitum ex Aegypto, ex qua emigrantes Israelitas, ut in nubis columna præcessit Dominus: sic ex Babylonis regno exeuntes electos his extremis temporibus habituros Messiam ducem, antecedentem in ignea columna illuminantis Euangelij.

Et congregabit.) in unum regni Dei ouile, à quo antea aduersarij iniuria & malitia, per uarias uariæ religionis sectas electi dispersi fuerunt. Atqui ut duplex congregatio sit, mystica & uera ac spiritualis, ea de re aliàs. Sed quis congregabit dispersos Iacobæos? Non Moses, non ullus prophetarum: sed Dominus ipse Messias. qui qualis sit, deinceps indicabitur.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

ECce intelliget seruus meus.) Instituitur oracularis concio longè salubrrima: in qua seruator Christus à duplici statu, altero crucis, altero gloriæ, & ab utriusq; usu & munere describitur. In crucis statu hæc expendenda fuerint. primò, à quo, & per quos cruci expositus sit: deinde, cur & propter quos afflictus sit: postremò, quem crux eius usum & utilitatem apportarit. In gloriæ uerò statu consideratur regius Messiæ splendor, quem confecto crucis cursu nactus est: deinde, ut hoc regio splendore ornatus, imperium in omnia cœlestia, terrestria & infera teneat: postremò, ut sic in omnia regnans, Sionem Ecclesiã in terra peregrinantem regat. & ab hostibus

tueatur,& quibus muneribus eam exornet, quosq; liberos ex ea generet, alat & conseruet. De singulis ordine inter interpretandum meminerimus. Cæterùm primò generaliter Messiæ deiectionis & euectionis ad gloriã mentionem facit,ubi ait,Seruus meus: & de exaltatione, Euehetur: & de munere, Asperget gentes multas. Quã generalem mentionem deinde speciatim explicat. In principio aũt concionis huius,Christum seruatorem prosperè munere suo tum in crucis,tum in gloriæ statu functurũ præsignificat. Ad quod munus fœliciter gerendum, ut spiritu timoris, sapientiæ, intelligentiæ, consilij, 11. fortitudinis,scientiæ Pater eum ornarit,suprà expositũ est,& mox infrà quoq; exponetur. Rectè igitur Ionathan Chaldæus interpres de Messia hunc locum interpretatur: חא יצלח עברי משיחא: hoc est, prosperè seruus meus Messias aget. Quem Hebræi interpretes non sequentes, quàm malè & perperam sentiant,infrà patebit.

Seruus meus.) mihi obediens, serui forma sumpta usque ad mortem, & ad mortem crucis. Dicit Messiam seruum esse, à quo & per quem nomen suum amplificetur. Talis seruus non est Satan, neque huius filius Antichristus, qui mundi seruus est,eius uoluntati,non Dei parens. De quo apud Ioannẽ his uerbis: Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me: si alius uenerit nomine suo, eum recipietis.

Et exaltabitur.) ab humili crucis statu, ad amplitudinem regni cœlestis extolletur, depressis aduersarijs potestatibus, quæ se quocunq; tempore aduersus maiestatem diuinam extulerint. De qua exaltatione filij, & deiectione hostiũ, *Psal.110.* pater ipse: Sede à dextris meis,donec ponam inimicos scabellum pedum tuo- *Ephes.1.* rum. & Apostolus: Sedere eum fecit ad dextram suã in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem & dominatum, & omne nomen quod dominatur non solùm in seculo hoc,sed etiam in futuro. Hæc Apostoli uerba splendorem & amplitudinem Messiæ clarissimè nobis explicant,quam Hebręorum sapientes his uerbis exponunt: ירום מאברהם ונשא ממשה וגבה מאר יותר מן מלאכי השרת. Hoc est, extolletur præ Abraham, efferetur præ Mose,& sublimis erit ualde præ angelis Deo ministrantibus.

Sicut obstupuerunt super eum multi.) Vt ob formam eius ac speciem contemptam in mundo,multos stupor corripiet, ab eo abhorrentes: ita,ubi ad gloriam patris sui elatus fuerit,apud multos erit in honore,postquã eis per Euangelij lumen cognitus fuerit,ut sequitur:

Asperget gentes multas.) Exponitur fructus ac usus exaltationis Messiæ, de quo 2. suprà: Et confluent ad eum omnes gentes. & hic: Asperget gentes multas. ubi alluditur in Aspergendi uerbo, ad aspersionem mysticam aquæ lustralis & 19. piacularis,de qua in Numeris mentio fit. Hæc conficiebatur ex cineribus crematæ uaccæ,credri,cocci,& hyssopi: quæ aspergebatur,immundis tum personis tum rebus purificandis. Hanc Mosæam umbram explicans propheta, dicit futurum in nouissimis patefactionis Euangelij temporibus, ut gentibus multis sacri Euangelij aqua aspergatur,ad eas à maculis uitiorum ueteris naturæ expurgandas. In qua aqua piacularis uictimæ Christi IESV, omnia in cœlo & in terra expians & mundans sanguis continetur. De cuius sanguinis aspersione his uerbis Petrus: Et per aspersionem sanguinis Christi. item *1.Pet.1.* *Hebr.9.* illud: Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis iuuencæ aspergens inquinatos sanctificat ad carnis sanctificationem: quanto magis sanguis CHRISTI, qui per spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientiam à mortuis operibus, ad seruiendum Deo uiuenti? In quo loco confectæ aquę ex cineribus uaccæ,hyssopi,cedri,eiusq; aspersionis, mysticæ notæ, ad intelligendum uatem nostrum,explicantur. Quale oleum, quale sal, & uis ignea purgans insit cineribus, Physicis notum est. Ex his

quoq;

quoque in aquam coniectis lixiuium, quo ueſtium ſordes purgantur, necnon ſmigma eluendis maculis aptum, conficitur. In cineribus noſtræ uictimæ igne crucis crematæ, quod oleum, qualeq; ſal purificans inſit, Vates noſter mox exponet. Qui cinis Euangelij aquis maceratus, & animis electorum aſperſus per fidem, quam puritatem afferat, uates noſter his uerbis indicat: Et ſeruus meus iuſtus ſcientia ſui iuſtificabit multos. Quæ iuſtificatio, aſperſio eſt, de qua hic Propheta loquitur: Aſperget gentes multas. Hoc myſterium aſperſionis non expendũt, qui aliter interpretantur. Inter quos, Paraphraſtes Chaldæus & Hebræi interpretes, & qui hos ex noſtris hominibus ſequuntur, numerantur.

Et reges ora ſua continebunt.) uicti ab Euangelio Meſsiæ, cui pater omnem potestatem in cœlo & in terra dedit. *Matth. ult.*

Quia quibus non eſt narratum.) Euangelium, quod ſuas patefactionis & occultationis ſui in prouidentia diuina uices conſignatas habet.

Viderunt.) Euangelij cœleſtis lumine illuſtrati. Sed quid uiderũt? Gloriam ſeruatoris Meſsiæ uiderunt, de qua illud Ioannis: Et uidimus gloriam eius. *Ioan. 1.* Sed quam gloriam? Gloriam conciliatæ per illum beneuolentiæ patris, ad æternæ iuſticiæ & uitæ participatũ. Vnde cognoſcitur, quantam ſalutem mundo Euangelium afferat.

Quis credidit auditui noſtro?) prædicationi Euangelij de crucifixo Chriſto, qui ſtulticiæ gentibus eſt, & offenſioni Iudæis. Sed quibus temporibus tam pauci fidem Euangelio habuerunt? Primis illis patefactionis Meſsiæ temporibus, in quibus reliquiæ Iſraelitarum ſeruandæ illi crediderunt, & in gentibus maior pars Euangeliũ de crucifixo Chriſto pro ſtulticia habuit, & etiam num habet. Quàm copioſus autem numerus Iſraelitarum & gentium patefacto Antichriſto extremis his temporibus in illud conſenſurus ſit, relictis erroribus aduerſarij, iam aliquoties monſtratum eſt.

Cui reuelatum eſt.) Hæc ordine docemur ex his uerbis: primò per lumen rationis Euangelium ueterem naturam latêre, per quam illi credi non poſsit ad ſalutem. Dico ad ſalutem: nam ſi quæ in impijs notitia Meſsiæ eſt, & eius Euangelij, ea ſalutaris illis non eſt, ſed exitialis. ueluti de dæmonibus ſcriptum eſt: Dæmones credunt, & contremiſcunt. Vnde diſcimus, ſolùm per lucem Euangelio fidem haberi, de qua Dauid meminit: In lumine tuo uidebimus lumen. Quod eſt lumen fidei, patefaciens Dei in Chriſto iuſticiam & uitam nobis. Deinde intelligimus, hoc uitale lumen fidei merum diuinæ gratiæ lumen eſſe, natura ad illud nullam uim & momentum afferente. Poſtremò, non omnibus hoc lumen accendi: ſed ijs ſolùm, quos pater Chriſto ab æterno dedit, quibus accendatur. Quare hic legitur: Et brachium Domini quibus reuelatum eſt? Hoc brachium Domini Meſsias benedictus eſt, ſcriptis in libro uitæ ſolùm, ad æternam uitam reuelandam: non ſcriptis in tabulis inferni, in quibus draco cum ſuis miniſtris impijs dæmonibus & hominibus ſcriptus eſt exhibẽdus. Dicas, apud Ioannẽ legi: Erat lux illa lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Dicit omnem hominem illuminari, nemine excepto. Bene quidẽ illuminat omnem hominem, ſed quẽ omnem hominem? Omnem ſanè hominem, qui oblatam Euangelij lucem Meſsiam fide amplectitur, non aſpernatur per diffidentiam. Iam autem multos eſſe lucem aſpernantes, qui malint in tenebris ueteris naturæ cæci perire, ut carnis libidini ſatisfaciant, quàm ſeruari per lumen noui hominis, humani generis uitioſitatẽ palàm declarans, per illud Domini noſtri intelligitur: Hæc *Iacobi 2.* *105.* *Ioan. 1.* *Ioan. 3.* eſt condemnatio, quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, erant enim eorum opera mala. Omnis enim qui mala agit, odit lucem: nec uenit ad lucem, ne arguantur opera eius. Hinc efficitur,

tur, esse qui non illuminantur per lucem Messiam. Itaque hanc sententiam, Illuminat omnem hominem, cum adiunctione & conditione enunciatam accipere debemus. qualis adiunctio etiam in hoc enunciato accipitur, Deus uult omnes homines saluos fieri: cùm sint qui non seruentur. Præterea intelligitur Christus omnes illuminare, sed non pari ratione & modo: aliter enim pios & uasa destinata ad honorẽ, aliter impios & uasa parata ad ignominiam illuminat. Alteros porrò illuminat lumine fidei afferente uitam & æternam iusticiam: alteros lumine fidei afferente exitium & interitum. De alteris legimus: Qui credit in me, habet uitam æternam. de alteris: Dæmones credunt, & contremiscunt. Nam in hoc genere luminis fidei consistit peccatum, quod in Spiritum sanctum committitur, in quod capitalis sententia in extremo iudicio pronunciabitur. Nam hoc delictum, Messiæ per lumen naturæ reuelati & reiecti delictum est, quale cernitur in dæmonibus, his uerbis Messiã confitentibus: Quid rei nobis tecum est IESV fili Dei? ueniſti huc ad cruciandum nos ante tempus? Eodem modo omnes impij ante ultimum iudicium intelligent, Messiam filium Dei esse, & Euangelij sermonem uerum, iuxta quem (ut est apud Apostolum) omnes uiui & mortui iudicabuntur. Sed hac de re fusius alio loco.

Matth. 8.

Rom. 2.

Et ascendit sicut uirgultum.) Contemptum crucis statum per comparationem explicat, qua Christum surculo & radici ex terra sicca crescenti comparat. Quis crederet Christum, surculum in æstuoso crucis sole consitum, & in hunc mundum ad afflictiones natum, tam splendidum uitæ & gloriæ fructum edere, & tantam regni amplitudinem ostendere?

Non est species ei.) uersanti in statu crucis, in quo cùm degeret, serui forma sumpta abiectissimus apparuit. Quam contemptam crucis formam his uerbis in Psalmo ostendit: Ego autem uermis sum, & non homo, hominum opprobrium, & abiectio plebis. Hunc abiectum & humilem statum Zacharias explicat, cùm regem Messiam asello insidentem uenire pauperem & afflictum dicit. Quod etiam prædixit Sibylla:

Psal. 21.

Zach. 9.

χαῖρε ἀγνὴ θύγατερ σιὼν, κὴ πολλὰ κλαῦσα,
αὐτός σε βασιλεὺς ἐπιβὰς ἐπὶ πῶλον ἐσάγει.

Despectus.) Is in Psalmo sic loquitur: Omnes uidentes me subsannant, distendunt labia, & mouent caput. Hoc impletum ut sit, Euangelista docet: Prætereuntes in eum conuicia iaciebant, mouentes capita sua. Dauid igitur & Iesaias oraculari spiritu præditi, tam clarè Messiæ statum quem in cruce degit, descripserunt, ut si eum coràm spectassent. Sed quæ tum erant illa conuicia? hæc fuerunt: Serua temetipsum, si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotũ illudentes cum scribis & senioribus dicebant: Alios seruauit, seipsum non potest seruare: Si rex Israelitarum est, descendat nunc de cruce, & credemus ei: Confidit in Deo, liberet eum nunc, si uult eum: dixit enim, Filius Dei sum. In hac conuiciatione duo Christo per summam contemptionem adimere conati sunt, quæ ut sibi uendicaret, ad uindicandum humanum genus ab interitu, præcipuè in mundum uenerat. Vnum erat, ipsum filium Dei esse: alterum, regem & Dominum omnium, cui pariter mors & uita, cœlum & infernus, peccatum & iusticia, ignominia & gloria, principatus tenebrarum & lucis, hoc est omnia quà cœlum, quà terra, & quæ his cõtinentur, patent, subiecta essent. Hæc cùm ei adimerent, qui Dei filius erat unigena, filius Satanis ac Beelzebub appellatus est: qui Dominus omnium erat, pro seruo habitus fuit: qui uitio omni carebat, & uenerat qui cæteros uitijs liberaret, inter latrones in crucem adactus, capitali supplicio à suis & inter suos affectus est.

Psal. 21.

Marci 15.

Vnde

Vnde nec reputauimus eum.) Quamuis ex regio Dauidis genere natus esset, & sacerdos secundum ordinem Melchisedechi, & miraculis à se editis clareret, & cœlestem doctrinam Mosæ & prophetarum oraculis confirmatam doceret, ac summa uitæ sanctitate conspicuus esset. Tanta erat tum in Israelitica gente cæcitas.

Vir dolorum.) De quibus Psalmus: Dolores mortis circundederunt me. Psal. 17.

Et scientem infirmitatem.) ut nostram infirmitatem in se receptam tolleret, & nobis suum robur per infirmitatem auctum communicaret, ritu fidelis pontificis, de quo illud: Non enim habemus pontificem qui non possit affici sen- Hebr. 4.
su infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia, iuxta similitudinem, absque peccato.

Et quasi absconditus uultus eius.) sic despectum, ut non dignarentur eum aspectu. Ab eo uultum suum auerterunt, cuius uultum plenum gratia nisi intueamur, seruari nequeamus. De quo uultu Apostolus: Quoniam Deus est qui iussit 2. Cor. 4.
è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie IESV Christi.

Verè languores nostros ipse tulit.) Explicatur usus crucis Messiæ. hunc nostros morbos tulisse, ut nos à morbis liberaret, tum corporis tum animi: corpus quidem liberaturus in resurrectione iustorum, huius morte aditum & uiam ad æternam uitam omni languore uacuam præmuniente: animi autem morbos ut in se transtulerit expiandos, mox monebit uates. Dicat aliquis, ab euangelista Matthæo hæc prophetæ nostri uerba, Languores nostros ipse tulit, ad mor- Matth. 8.
borum corporis curationem referri, non animi. sic enim legi: Omnesq; malè habentes sanauit, ut impleretur quod dictum erat per Iesaiam prophetam: Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos tulit. Vterq; Propheta & Euangelista, Christum accipit curatorem morborum corporis & animi esse: sed ita, ut in mundum præcipuè uenisse accipiatur, qui animorum uitia sanet, & eos peccatis liberet. ut hic propheta noster dicit: Attritus est propter scelera nostra. & angelus ad Iosephum: Is enim saluum faciet populum suum à peccatis Matth. 1.
suis. Quod autem legitur Christus uarios corporum morbos curasse, qui ab Euangelista memorãtur: id partim accidit, ut ostenderet Christũ uoluisse miraculis suam cœlestem doctrinam confirmare: partim, ut indicaret Christum uoluisse multa sub imagine & figura facere ante suam resurrectionem, quæ administrationi Euangelij per Apostolos perficiendæ præluderent, in qua, à glorificatione Christi animi à morbis suis, fuso in eos spiritu salutari sanarentur. De quo munere noster Propheta infrà clarè disserit. Ante quod glorificatio- 61.
nis sui tempus, & publicam effusionem Spiritus sancti, ut multa solita sint fieri sub figura in Christo, & à Christo, documento est, quòd Iudæus natus est: quòd circumcisus, minister Iudæorum, non gentium fuit: quòd in templo materiato & mystico uersatus est, & in eo frequenter docuit: quòd leprosos ad sacerdotes, quos inspicerent, misit: quòd extra Hierosolymam immolatus est: quòd in Aegyptum profectus est, & inde reuocatus in Chananæam rediit, ad implendum illud Oseæ, Ex Aegypto uocaui filium meum. Quæ mystica euo- Oseæ 11.
catio fuit, qua adumbrabatur uera Christi & electorum ex Aegypto spirituali, in qua regnat tenebrarum principatus, in regnum lucis & uitæ euocatio. Christus porrò peccatum & maledictum factus, ex Aegypto, hoc est ex tetro seruitutis ignominiæ crucis & mortis carcere euasit: ut suos Israelitas, hoc est scriptos in libro uitæ, in æternæ iusticiæ, uitæ & lucis regnum transferret. Vnde etiam figura non caruit, quod dicit se missum ad redimendas oues perditas in Israel: & mandasse discipulis, ne ante sui resurrectionem in uias gentium discederent. Eodem modo quo curauit corporis morbos, præfigurauit se uerum illum medicũ esse, qui lepram uitiorum totum hominẽ depascentem, qui

cæcos

cæcos ac captos oculis mentis, qui claudos in amore Dei & alterius, qui surdos ad auscultanda doctrinam cœlestem, qui dæmonijs errorum & falsæ religionis corruptos curaret, misso de cœlo salubri oleo Spiritus sancti, quo deuncti peccatorum morbis laborantes sanarentur, quos neque Moses legislator per legem & facta eius, neque ulla alia doctrina quàm Euangelij curet.

Et dolores nostros.) in quib. dolor & cruciatus mortis & inferni præcipuè numeratur. Hunc dolorem, quē nos debebamus ob noxam perpetuò sustinere, Christus sustinuit: ut ab eo nos liberaret, expiatis per crucem delictis nostris. Quare Chaldæus sic reddit: Et peccata nostra propter eum remittentur nobis. Dicas, & nos mortis & inferni dolores sentire. Sentimus quidē, sed ad tempus, abolito mortis & inferni iure, quo nos in æternum obstricti tenebamur, conuersa morte æterna in temporariam, quæ cum afflictionibus reliquis medicinæ, non pœnæ loco esset: hac uitam, & afflictionibus immensa gloriæ pondera molientibus, propter precium dolorum Messiæ, qui nostros dolores tolerauit, quos suis doloribus deleret, & merito sanguinis abstergeret: non ut nulli essent, sed ne nobis qui reliqui sunt nocerent, & tandem nostra cum salute finirentur, excipiente hos perpetuo regni cœlestis gaudio. Atque is est præcipuus meritorum crucis CHRISTI usus, quem nemo experiatur cruce carens, in qua splendoris & amplitudinis regni sui arcana, diuina sapientia recondere uoluit, filijs suis patefacienda, & alienis occultanda. de quo Psalmus: Dominum timentibus patefit eius arcanum. arcanum uidelicet ac mysterium crucis.

Et percussum à Deo.) à quo filij Messiæ mors piacularis ante condita secula prouisa fuit, ut est apud Euangelistam: Et quidem filius hominis, ut decretum est, uadit. Sed nihilominus Christus mortem sua sponte & uoluntate, decreto infallibili & immutabili consentiens, obijt. Vbi cum æterna definitione patris coniuncta fuit uoluntas filij, qui in stratagematis crucis uersans sic allocutus est patrem: Pater mi, si non potest transire calix iste, nisi bibam illum, fiat uoluntas tua. Legitur hic is cæsus à patre: at uerò aliter ab hoc, aliter ab hostibus cæsus dicitur. A patre enim neci datus est, qua lueret noxam mundi. unde sic Apostolus: Sed pro nobis omnibus tradidit illum. Ab hostibus autem occisus est, qui periret tanquam facinorosus: à nobis etiam, suis electis, in crucem adactus est, quorum culpam per mortem expiaret. Quare eius hostes, Satan, huiusq; ministri scribæ & pontifices, atque principes populi, & nos qui seruamur, in crimine sumus, cur interfectus sit. Deus pater non solùm crimine caret, sed eius & iustitia & misericordia in tradendo filio declarata est. Iustitia quidem, qui delicta mundi non permiserit inexpiata, sed in eis expiandis uoluerit etiam suæ iustitiæ satisfieri, in eo quòd uictimam noxa carentem destinauit, quæ aliorum culpam in se recipiens lueret, quam illi ipsi ut sontes nunquam ad redimendos se expiaturi fuissent. Misericordia autem in eo apparuit, quod filio suo unigenæ non parcens, eum pro nobis mori sustinuerit, de quo amore Dei hic Iesaias: Et à Deo percussus. Sed cur, & pro quibus cæsus sit, infrà id explicatur: Propter scelus populi mei percussi eum. In quo etiam precij persoluti pro redimendo mundo excellentia quanta sit cognoscitur: precium uidelicet unigenam filium Dei esse, qui omnib. numeris diuinitatis absolutus, cùm esset iustitia, potentia & sapientia patris, propter nos peccatum, quos iustos: propter nos infirmus, quos firmos: propter nos stultus in mūdo, quos sapientes: propter nos maledictū, quos benedictos redderet, factus sit. In quo amor sponsi Messiæ, quē erga sponsam Ecclesiam misero sub iugo peccati & mortis oppressam gerit, & peccati fœditas quāta sit mōstratur: quod nisi innocētis filij sanguine expurgari nō potuerit. In

Psalmo

Luce 22.

Matth. 26.

Psalmo legimus, Messiam iram Dei sustinuisse, ut eius iram in nostra peccata accensam restingueret: & eius coronam regiam profanatam in terram, ut nos cœlestis regni corona ornaret. Et idem Messias se derelictum à Deo, ad tempus conqueritur, in inferno uersans, ut nos Deo reconciliatos ex inferno liberaret, in cœlum translatos. Cæterùm sunt qui, quòd hic legitur מיכה אלהים, Messiam Deum esse significari uolunt, quod ad uerbum sonat, cæsum Deum: non quidem ut intelligatur Messias cæsus, quatenus Deus sit: sed qui cùm Deus esset, cæsus accipiatur quatenus homo. 89.

Ipse uulneratus est.) uim passus tanquam prophanus. Notum enim est uerbum מיחולל. opprobrium crucis significatur, quo placuerit Deo redimere mundũ. Etenim sicut primus Adamus uoluptate uictus, & delicijs, se & posteros culpa & morte obstrinxit: ita secundus Adamus IESVS Christus, per probrosam crucem, qui sanctus erat, profanus factus, culpam expiauit. In Deuteronomio capite XXXII, idem uerbum מיחלל legitur: Et obliuiscēris Dei uulnerati tui, qui est Messias Deus benedictus. sic enim nonnulli interpretantur. Huc pertinet, quod Zacharias prædixit de Messia uulnerato: Et intuebuntur in me, quem confixerunt.

Disciplina pacis nostræ super eum.) Commendatio crucis, à conciliata pace. Christum, ut pacem nobis conciliaret, à patre seuerius uarijs afflictionibus castigatum. De qua pace Apostolus: Iustificati fide, pacem habemus erga Deum: hoc est, tranquilla & pacata conscientia sumus, lege amplius nos non condemnante, culpa per sanguinem IESV Christi condonata & deleta. Atque pacificato homine, ut cuncta in cœlo & in terra pacificentur, testatur Apostolus ad Colossenses. Tantum meritũ & beneficium est sanguinis IESV Christi, uerbi patris, caro facti. Vocatur autem crux castigatio pacis, quòd per eam pax constituta sit. Nomine autem pacis accipitur tranquillus status, in quo æterna iusticia & uita reparata, tutò & pacatè frui liceat contra omnes ad uersarias potestates. O beati, quos primitias huius boni status habere in pacificatore omnium Messia contingit. Paraphrastes Chaldæus pro מוסר reddit באלפניה, id est, in doctrina eius pax multiplicabitur super nos. Hæc autem doctrina Euangelij, non Mosæa doctrina est: doctrina uidelicet reconciliationis, qua idē Paraphrastes dicit delicta nobis remitti. ubi noster habet quæ sequuntur. Atqui si uerè iudicare uelis, מוסר propriè castigatio est, & ferula crucis, diuersa quidem re à doctrina & admonitione, sed usu cum ea coniuncta, quòd alterum sine altero parum prosit, & utrunq; cum altero coniunctum multum prosit. Quid enim castigatio profutura sit, si absit doctrina & admonitio, ex qua intelligas quem usum afferat ipsa castigans & emendans mala studia crux & afflictio? Quare Apostolus in epistola ad Ephesios, de parentibus ut sese erga liberos suos gerere debeant, loquens, παιδείαν νηθεσίαν coniungit. Idem facit Salomon in Prouerbijs. Rom. 5.

Et liuore eius.) De hoc uibice Petrus, interpretans Iesaiam sic loquitur: Cuius eiusdem uibice sanati estis. Qui meminerat percussionis, iam liuoris ex plaga relicti meminit.

Sanati sumus.) à grauissimis uitiorum morbis. Commendatur crux Messiæ à recuperata sanitate, quæ in iustificatione nostri cernitur: de qua mox propheta noster mentionem faciet. Non solùm à Christo ferri nostra peccata: sed etiam his expiatis, nobis sanitatem reparari, quæ in recuperatione amissæ iusticiæ & uitæ cernitur. Quid enim prodesset ad salutem expiari delicta, & perditam iusticiam & uitam uita primi hominis nobis non restitui? At de his duabus iustificationis partibus, de expiatione peccati & reparatione amissæ iusticiæ, suo loco infrà meminerimus.

Omnes nos quaſi oues errauimus.) Confeſsio Eccleſiæ, quæ inducitur ſua mala, quibus obnoxia eſt, confiteri, quo melius agnoſcantur Meſsiæ ſeruatoris beneficia. Comparantur celebri comparatione Eccleſiæ nati ouibus, & maritus Meſsias paſtori. Tradunt oues præ cætero pecore magis uagos à paſtore, errores perſequi. Agnoſcens igitur Eccleſia ſuorum liberorum errorem, fatetur eos more ouium à recta ſalutis ſemita aberrare, carentes paſtore Chriſto, qui eos ad paſcua, in quibus iuſticiæ & uitæ pabulo, errore noxæ & mortis relicto alantur, ducat. In qua confeſsione duo confitetur Eccleſia. Vnum eſt, omnes culpæ, & per eam morti iræq; diuinæ obnoxios teneri, nihilq; in uetere natura integrum & ſincerum cerni: per quam originis uitio corruptam neceſſe ſit omnia Eccleſiæ membra confiteri, Omnes nos quaſi oues errauimus: item, *Pſal.13.* Dominus de cœlo filios hominũ deſpexit, ut uideret num quis Deum curaret: uniuerſi declinauerunt, &c. Alterum eſt, opus igitur eſſe medico, qui tanto morbo affectum humanum genus ſanet. quod nemo poſsit præſtare præter Meſsiam: non Moſes, non ulli prophetæ, non Moſæa lex, non ulla facultas naturæ ueteris, quæ tota corrupta ſit: neque quorumcunque philoſophorum doctrina, quæ omnis litera ſit, non ſpiritus, caligo humanæ rationis, non lux de cœlo diuinitatis radians, ad gloriam cœleſtis iuſticiæ & uitæ comparandam.

In uiam ſuam.) Quam uitioſa natura monſtrat, quæ uia ducens per culpam ad *Ioan.14.* interitum uia eſt. ſecus uia ad uitam ducens habet, de qua, uia ipſa: Ego ſum uia, ueritas & uita.

Poſuit Dominus in eum.) Non leuiter poſuit, ſed fecit ut in eum quaſi hoſtili impetu incurrerent, quæ uinceret, cum eis luctando in area crucis. Tale indicatur in uerbo הפגיע.

Iniquitatem omnium noſtrûm.) reatum, & damnatorium ius peccati: à cuius delectione commendatur Meſsiæ meritum.

Oblatus eſt.) In uerbo נגש notatur uis, qua Chriſtus adactus eſt ad perſoluendum precium, pro redimendo mundo à noxa. Nam qui uenditi ſub peccatum fueramus, precio fuſi ſanguinis, cõpulſus fuit ſuos redimere: quod eſt נגש, iuxta illud אתבסח נגש.

Quia uoluit.) Non uoluit Hebræum habet, ſed נענה: hoc eſt, afflictus eſt. Latiſsimè autem in Chriſti corpore & animo afflictio patuit. Animus uarijs Satanis tentationibus, metuq; mortis & inferni percellebatur, & iudicium in pec- *Pſal.21.* catum horribile ſenſit, ut clamarit: Deus meus, cur deſeruiſti me. Corpus fame, ſiti, æſtu, uigilia & infirmitate uaria afficiebatur: nulla erat pars eius, quæ non probroſè infeſtaretur: aures conuicia audierunt, uultus conſputus fuit, & colaphis cæſus, oculi per ludibrium obuelati: manus & pedes latusq; per- *Ibidem.* foſſa, ut impleretur illud quod in Pſalmo prædictum fuerat, Foderunt manus meas & pedes meos: os & lingua felle & aceto potata, ut nullum corporis membrum fuerit non contumelioſè afflictum. Itaque accidit, ut quemadmodum originis uitium totum hominem, animum & corpus & omnis corporis partes corrupit: ita peccatum luens CHRISTVS, in animo & corpore, & in ſingulis corporis membris afflictionem ſenſerit. Quæ in CHRISTO afflictio conſiderata, hortatur nos, ut noſtram afflictionem quiſque ſuam patienter feramus, quam ipſe merito ſuo non tulerit, ſed noſtro. Quare cùm oculos à rebus uanis auertis, recordare per opprobrium illius oculos uelatos: cùm gulam frenas, & guſtu uitiato tibi inſipidi redduntur cibi, memineris illum felle potatum, & aceto. ut in Pſalmo uigeſimoprimo ſcriptum eſt: Et dabant in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Cùm manus tibi abſtinendi ſunt à rebus iucundis, quæ te oblectent,

cogi-

cogitato manus illius cruci affixas, ut in Psalmo legimus: Foderunt manus meas & pedes meos. Et si cum ambitione & superbia tibi pugnandum est, in mentem tibi ueniat, eum in forma Dei cùm esset, propter te seruum factum. Et si ira tentaris propter contemptum: memineris, illum ut latronem illusum, consputum, & flagellis uerberatum, & cruci affixum, nullum unquam signum iræ ostendisse, sed patientissimè iniurias ferentem, mansuetè aduersarijs respondisse. & sic considerando afflictiones, comperies nullam accidere uexationem crucis, in qua non Christo aliqua ex parte te conformare discas.

Et non aperuit os suum.) Commendatio patientiæ Christi, qua patienter afflictionem ferendo, patri obediens, eam salutem peperit mundo, de qua Apostolus: Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi, ita per obedientiam unius iusti constituentur multi. Rom. 5. Vnde cognoscimus, quantum malum mundo inobedientia primi hominis attulerit, & quantum bonum obedientia & tolerantia crucis hominis secundi. Quæ eius patientia ut nobis salutem apportauit, ita etiam materiam exempli præbuit, quod imitemur: nobis uidelicet nostras afflictiones, quas Deus nostro bono, non malo imposuerit, æquè ferendas esse, cum indubitata spe exitus salutaris illas consequuturi, ut crucis Christi exitus salutaris & glorioſus fuit. De quo usu uideris apud Petrum. Est enim patientia diuini spiritus uis, 2. Pet. 1. qua sancti afflictiones sibi suo bono à Deo immissas, moderatè exemplo Christi ferunt: qui in crucis statu uersans, os suum (ut hic legimus) non aperuit: & ita ferunt, ut non dubitent afflictionum felicem exitum fore.

Et sicut ouis ad occisionem.) Similitudine ab oue mutuata, amplificat potentiam Messiæ. Tradunt oues, cùm pluit, ningit, grandinat, immotas stare, cœli tempestatem patienter ferentes: & siue tondeantur, siue mactentur, obmutescere. Habent etiam oues alias uirtutes, nobis agnum Messiam referentes. nam laudantur ob eximium, quem afferunt, usum: quòd in hoc animante omnia, caro, lana, lac, nerui, & fimus etiam, utilia habeantur. Laudantur item ab innocentia & tranquillitate, quæ nemini noceant. Talis agnus CHRISTVS est, de quo illud: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ioann. 1. Tales etiam oues sunt, quos agnus Christus spiritu suo ornat, & eas tanquam pastor pastoricio Euangelij sui baculo regit. de quibus ipse his uerbis: Oues meæ uocem meam audiunt. Ioan. 10. Quæ oues ut absente pastore CHRISTO, uagis & incertis erroribus à salutis uia aberrant, expositæ lupo Antichristo, & eius pseudoprophetis: ita has idem ille pastor per Euangelij lucem redditam, in uiam & semitam salutis reuocat. ut qui, cùm uersaretur in cruce, dicitur obmutuisse instar ouis, idem confecto crucis cursu translatus in cœlestem gloriam, non obmutescere, sed clamorem salutarem edere sentiatur. de quo illud: In omnem terram exiuit sonus eorum. facta ex arietis Messiæ cornibus, omnem aduersariam potestatem prosternentibus, tuba, de qua Zacharias: Et Deus in tuba canet. Zach. 9.

De angustia & iudicio.) Explicato crucis statu IESV Christi, iam glorioſus eius status explicatur. Non enim Christus in mortem traditus est, ut in morte maneret: sed ut hac uicta reuiuiscceret, ad dandam suis uitam ui resurrectionis & glorificationis sui. Hanc uictoriam Petrus his uerbis exponit: Quem Deus suscitauit solutis doloribus mortis, quatenus fieri non poterat ut teneretur is ab ea. Quod est hic apud Prophetam: Ex ualida sub crucem conclusione & iudicio ereptum Christum. Vbi per iudicium accipitur condemnatio, qua ad mortem condemnatus Christus fuit: hac eum liberatum, & è mortuis translatum ad uitam, plenum splendore & maiestate cœlestis regni, de quo sequitur: Actor. 2.

Generationem eius quis enarrabit?) Christum uitam & æuum, cuius æternitatem

nemo eloquatur, nactum esse, uicta morte: & progeniem adeptum, cuius numerum non magis quis enarret, quàm arenam maris & stellas cœli. Nam utrunq; ætatem & progeniem, significat Hebræis דור.

Quia abscissus est de terra uiuentium.) cruci affixus. Hac mortis periphrasi rationem translationis Christi ad splendorem paterni regni exponit: de qua ratione uideris apud Apostolum in epistola ad Philippenses. 2.

Propter scelus populi sui.) Legimus hic, Messiam non propter quosuis, sed propter suos cæsum, ac de terra uiuentium sublatum. Hoc ut intelligatur, filius his uerbis apud Ioannem explicat: Pater sancte, serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Item: Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti. Exponitur ergo à propheta, quibus Christi mors & resurrectio salutaris sit: nimirum electis, & scriptis in libro uitæ: quales omnes sunt qui credunt in filium, clamantes per spiritum adoptionis Abba pater: & nati ex Deo, unum per amorem Deum cum Deo fiunt. Dicas, legi in epistola Ioannis: Ipse est propitiatio nostra pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, uerùm etiam pro totius mundi. Si Christum spectes, eius sanguis precium est, quod satis sit ad totius mundi peccata lustranda & expianda: sin mundum ipsum, si quibus in eo mors Christi piacularis non prodest, id non fit precij quod satis non sit ad expiandum, sed eorum culpa, qui precium fusi sanguinis contemnunt, & id uilius habent quàm quo redimi se uelint. Quòd igitur multis Christi mors salutaris non est, id perfidia eorum accidit, qui malunt in peccatis sua culpa perire, quàm beneficio innocentis uictimæ seruari. Itaque non in offerente beneficium, sed in recusante accipere, uitium cernitur. Ioan. 17. 1. Ioan. 2.

Et dabit impios pro sepultura.) Grauitatem supplicij à loco amplificat: cum crucifixum, ubi facinorosi supplicio affici & sepelirj soliti sint. Hebræus enim habet: Et posuit apud facinorosos sepulchrum eius. Similiter infrà: Et criminosis annumeratus est. Sed quis posuit? Pater posuit: ut accipias, consilij diuini opus Christi crucem fuisse, quo & occasio huius euehendi, & nostram salutem perficiendi quæsita est. Nam si Christum spectes, legimus apud Apostolum: Humilem præbuit semetipsum. Sed quid ex hac humiliatione & demissione accidit? Sequitur inibi: Propterea Deus extulit illum in summam sublimitatem. Vt autem simul nostra salus perfecta sit, ex uate nostro cognoscimus: Attritus est propter scelera nostra. Graue est innocentem perimi à sceleratis: sed grauius est, eum perimi cum ijs, & inter eos, qui propter crimina sua perimuntur: & in eo loco qui sceleratorum, non proborum hominum sepulchro deputatus est. In Numeris legimus de uacca rufa, integra ætate, & iugum nondum experta, ut iussa sit extra castra Israelitarum immolari, & eam cum pelle, ossibus & carne cremari. Hanc figuram piacularis uictimæ impleuit Christus, qui quòd infirmus nostram infirmitatem in se recepit, à uacca fœmina, non boue mare figurari uoluit: & ab ea quæ iugum nondum tulerit, qui iugi peccati ac noxæ esset expers: ut in quo princeps huius mundi, accusator electorum, non inuenerit quicquam quod reprehenderet. Sic enim hæc uictima de se testatur: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Neque rufus uaccæ color parum in Messiam congruit, qui nimirum color peccatum expiandum apta figura præsignificauit, de quo illud: Si rubra peccata uestra fuerint ut coccinum, &c. Quòd autem uacca extra Israelitarum castra cremata est, præfigurauit id quod accidit uictimæ Christo, qui extra Hierosolymam cum facinorosis immolatus est: ea in re notata improbitate uictimæ, non sua ac propria, qua caruit: sed aliena, quam expiandam in se transtulit. Philip. 2. Ioan. 14.

Et di-

Et diuites pro morte sua.) Adhibet diuinus spiritus correctionem: Etsi cum facinorosis supplicio affectus est, & sepultus: in honesto tamē & splendido sepulchro, quale diuitibus extruitur, sepultus est, cuius mortem non opprobrium, sed gloria consecutura erat. secus quàm alijs accidit, qui sua culpa plectuntur, & quorum caro uitiosam originem habens interitum sentit. Aliter Messiæ cœlestis uictimæ caro habuit, quæ ut à uitiosa origine libera erat, ita etiam mortua ab interitu probroso libera fuit, integritatem suam aduersus iniuriam uermiū defendens. Atq; hoc ipsum est quod uates hic noster prædixit, Christum cum diuitibus magnificum sepulchrū & sepulturā habiturū. Quod in uoce במותיו, excelsum sonante significat. Quò facit etiā, quod propheta suprà capite undecimo dicit: Et erit requies eius gloria. Vt autem in magnifico sepulchro sepultus sit Christus, ab homine diuite, indicat euangelista Matthæus. Hebræi interpretes, & Paraphrastes Chaldæus, & ipsi LXX interpretes, במותיו non reddunt excelsa, sed mortem: ipsum mortuum cum diuitibus maleficis. At priorē interpretationem de ampla sepultura Christi, Euangelista prophetæ optimus interpres confirmat. 27.

Et quòd iniquitatem non fecerit.) Exponitur ratio honestæ sepulturæ, æternæq; uitæ & gloriæ, quam habiturus sit, ab innocentia ducta, qua subierit mortem. Duo commemorat, quæ Christi innocentiam declarant: alterum, quòd scelus non fecerit: alterum, quòd dolum & fraudem in ore non habuerit: atque ita eum animo, ore & factis fuisse probum. Hanc innocentiam & probitatem in Christo diuinus spiritus commendat, per occupationem tacitæ obiectioni occurrens: sumptum quidem supplicium de Messia à Deo patre ob culpam, quòd is neminem insontem, qua est iusticia, capitali pœna afficiat. Sed propter quam culpam pœna expetita est à Messia? num propter suam ipsius, quam commiserit, culpam? Absit. Legimus enim hic: Eo quod scelus non fecerit. Ergo propter alienam culpam, quam lueret, cæsus est. Dicas, neminem iustè plecti propter alterius crimen, si ipse sit innoxius. Verum quidem est id: nisi is qui alterius crimen luit, sua sponte id in se deriuet lustrandum, & uolens ad redimendum alterum mortem obeat, non sua noxa meritam. Quam mortem quoniam Christus lubens subijt, ei iniuria ut uolenti facta non est: sed commendatur ea in re utriusque & patris & filij bonitas, & clementia in membra corporis sponsæ suæ Ecclesiæ. Qua sponsa quoniam Messias æquè carere non poterat, atque primus Adamus sua Eua carere non potuit: hinc toties hic apud prophetam legitur, Christum populi sui, hoc est electorum suorum scelera luere. idq; accidit pro iure coniunctionis, quo caput cum corpore, sponsa cum sponso coniungitur, de quo iure illud: Hoc os ex ossibus meis, hæc caro ex carne mea. Nam hoc non solum testatus est de sua Eua primus homo de terra terrenus, sed etiam secundus de cœlo cœlestis testatur de sua cœlesti Eua, quæ Ecclesia sanctorum est, secunda Eua, cui Messias maritus communicat carnem suam & ossa, ex quibus ædificetur, linguam in doctrinam, oculos ut res cœlestes cernat, aures ut auscultet mysteriorum regni cœlorum patefactionem, os ut loquatur quæ amplificent nomen Dei & quæ salutem afferant pijs, cor ut rectè sapiat, & pedes suos ut ambulet in uia recta Euangelij. Atque hoc ipsum est quod Oseas propheta iussus fuit uxorem meretricem ducere, in uiso diuinitus oblato, ad præfigurandum seruatorem Messiam, à quo sponsa Ecclesia (quæ per ueterem naturam cum mundo & dijs alienis meretricans, putidum scortum est) absterso per regenerationem meretricationis uitio, in uxorem ducitur, facta desponsatione de qua idem propheta Oseas: Sponsabo te mihi fide. Qua fide ita deuincitur Messiæ marito, ut omnia quæ ipse pura & sancta habet, cum illa communicet: & uicissim quæ sponsa habet turpia & fœda, in se conijciat maritus luenda & expurganda, per ignem benedictæ

Genes. 2.
Ephes. 5.
2.

crucis. Ad quam ſponſæ uitioſam turpitudinem eluendam, duo in Chriſto ut ineſſent neceſſe fuit: unum ab ortu, hoc eſt à conceptu, ſanctitas: alterum ex natiuitate, infirmitas, ad crucis ignominiam ferendam opportuna. Per ſanctitatem apta fuit caro Chriſti ad uincendum peccatum: id non uictura, ſi ipſa quoque uitioſa fuiſſet. ideo uates noſter hic: Eo quòd ſcelus non fecerit. & ſuprà: Ecce uirgo concipiet. Hanc integritatem & innocentiam uictimæ Chriſti adumbrarunt uictimæ legales, quas Moſes iuſſerat integras, uitio ac labe carentes immolari. Per infirmitatem uerò quam ex uirgine natus contraxit, ad omnes tentationes quæ quidem uitio carerent expoſitus, hoſtiam peccata mundi eluentem præſtare potuit: non præſtaturus, ſi talis non fuiſſet, qualem hic deſcribit propheta Ieſaias, Vir gnarus infirmitatis & dolorum, ut etiam ſequitur.

Dominus uoluit conterere eum.) Pro amore quem erga humanum genus gerit. Verbum contundendi ac conterendi indicat, non exigua infirmitate Chriſtum fuiſſe affectum: ſed tali, qua contuſus ſacrificium pro luendis peccatis mundi fieret, de quo ſequitur:

Si poſuerit pro peccato animam ſuam.) Ad uerbum: Si poſuerit delictum anima eius: aut, Si poſueris delictum animam eius. hoc eſt, ſi uel anima eius poſuerit ſe delictum, hoc eſt noxalem uictimam ad luendum mundi noxam: uel tu Deus eum poſueris. Hanc figuram loquendi apoſtolus Paulus his uerbis expreſsit: Eum enim qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: id eſt, uictimam expiantem peccatum. *2. Corinth. 5.* Exponitur umbra legis Moſęæ, in qua pro delictis iubetur afferri אשם. Quid autem ea uox ſignificet, quæque in hac hoſtia ſpectentur, utque quæ Moſes tradit ad Meſsiam uictimam accommodentur, & ut in uniuerſum Chriſtus holocauſtum, uictima piacularis, hoſtia pacifica & Minha appelletur, ea in Leuitico expoſita ſunt: ut nihil uideatur referre, ea hic repetere. Cæterùm nihil quoque attinet hic Hebræos interpretes refellere, qui quæ clarè de Meſsia dicuntur à propheta, de Iſraelitica gente exponenda eſſe uoluit: hanc cæſam propter ſcelera gentium: atque ipſas confeſſuras, ſe debuiſſe tantis calamitatibus affici, non Iſraelitas. O cæcos interpretes. Si gentes confitebuntur ſe ſtultè erraſſe falſam religionem ſectando, & Iſraelem uerum Deum ſanctè colendo tot malis infeſtatum, quæ ſe ferre conueniſſet: quid ergo faciemus diuino ſpiritui, ubi Iudæos ſui ſceleris reprehendens, his uerbis in eos inuehitur: Filios enutriui & euexi, ipſi autem ſpreuerunt me: dereliquerunt Dominum, irritauerunt ſanctum Iſraelis. & paulo ſuprà capite quinquageſimo: Ecce in iniquitatibus ueſtris uenditi eſtis. non dicit gentes meritas quæ uenderentur, ſed Iſraelitas propter culpam ſuam uenditos, & eorum matrem dimiſſam ac repudiatam. Præterea legimus hic: Propter ſcelus populi mei percuſsi eum. De quo quæſo populo, qui Dei populus ſit, prophetæ uerba accipientur? De gentibus ne, propter quas percuſſus ſit Iſrael? Si ita, cur igitur ubique aliàs per Dei populum Iſraelitæ accipiuntur à uobis Hebræis, hic uerò gentes? Dicit propheta, cæſum Dei ſeruum ſcelere & dolo carere, & per iuſticiam ſuam iuſtificare multos. Si tales ſunt Iſraelitæ, falſæ ſunt & mendaces reprehenſiones, quibus hi mendacij & improbitatis redarguuntur. Sic enim de his noſter propheta: Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Domini. Cæterorum prophetarum teſtimonia prætereo. Si talis eſt Iſrael, qualis condemnatur à prophetis: quî igitur alios ſcientia ſui iuſtos fecerit, ipſe nimirum iniuſtus, & opus habens ut aliunde iuſticiam qua iuſtus reddatur, hauriat. Itaque ex hac tam peruerſa Hebræorum interpretatione intelligimus, quàm ęcutiant ipſi in exponēdis oraculis, in quibus Meſsiæ piacularis afflictionis & reſurrectionis gloria agitur.

Dicunt

Dicunt, gentes confessuras, propter se Iudæos tam grauiter afflictos. Quo unquam quæso tempore id confessæ sunt, aut confitebuntur? Hactenus non sunt id confessæ, neque unquam in posterum confitebuntur. Hæ enim illuminatæ Euangelij luce, non ignorant, Iudæos, quòd reprobarunt Messiam, & eum necarunt, in tantam calamitatem incidisse, qua iam multis seculis uexantur: nimirum sua culpa, non gentium, in gratiam receptarum, illis reiectis. ut apertè Daniel uaticinatus est: Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce uenturo, & finis eius uastitas, & post finem belli statuta desolatio. Quid hoc oraculo aduersus Iudæorum falsam interpretationem clarius afferri potest? Itaque de Messia exponendam esse hanc nostri uatis prophetiam longè saluberrimam, clarè Danielis & nostri prophetæ uerba, & euentus, hoc est representatus in mundum Messias, eius que mors & excitatio è mortuis confirmata euentu, eius que glorioſum regnum, & sobolis numerosæ per fines orbis terrarum propagatio, dona spiritus sancti in gentes è supernis missa, victoria mortis & inferni, idololatriæ euersio, cultus Dei uerus in filio, documento sunt. itaque rectè ueteres Hebræorum sapientes & Paraphrastes Chaldæus de Messia hoc oraculum exponunt. 9. 26

Videbis semen longæuum.) Ordine commemorat quæ Christus piaculum factus, & translatus in gloriam regni patris sui, consecutus sit. Primò dicit eum uisurum semen, hoc est eum sobole auctum iri, quæ ex morte in uitam excitata, æternam uitam cum eo sit uictura: qui est præclarus fructus mortis & resurrectionis Christi. Quem fructum præuidens Sibylla, felix crucis lignum, in quo pependit Messias, uocat: 20

ὦ ξύλον ὦ μακάρισον, ἐφ' ᾧ θεὸς ἐξετανύσθη.
οὐχ' ἕξεις σ' ὑχθὼν, ἀλλ' οὐρανὸν οἶκον ἐσόψει,
νίκας ἀρράψας τὸ νέον θεῖον ἴμπνεον ὄμμα.

Et uoluntas Domini in manu eius dirigetur.) Christo à morte in uitam translato, omnia feliciter successura: in quo felici successu continetur Euangelij promulgatio, electorum ad id aggregatio, improborum iustificatio, ad æternæ iustitiæ, uitæ & gloriæ cœlestis regni participatum, & illustris de hostibus relata uictoria. At spacia & interualla huius felicis successus, ut distinguantur, ea de re aliquoties suprà meminimus. 30

Pro eo quòd laborauit anima eius, uidebit.) sua & suorum, quos redemit, bona, labores quiete glorioſa compensatura: & ut bonitas Dei maior apparet in munerando quàm in affligendo, ita Messiæ gloriam infinitis partibus superaturam opprobrium crucis quo affectus est. Idem de eius membris iudicium. Videre, more linguæ pro potiri & frui. 40

Et saturabitur.) Affinitas est saturandi uerbo, cum septenario. utrunque notat שבע. Notatur ergo omni bonorum genere affluens quies, quæ labores crucis sit exceptura. Porrò septenarius quieti consecratus numerus est, qui nullum infra denarium numerum creet, neq; à quoquam creetur.

In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos.) Commendatio crucis & glorioſæ resurrectionis Christi, à reparata iusticia ipsi mundo. Nam utriusque, mortis & excitationis è mortuis Christi, opus esse iustificationem, ex propheta nostro discimus: & longè clarissimè ex scriptura, noui fœderis interprete, Mosæ & prophetarum. Atqui quæ in uniuersum in causſa iustificationis perpendenda sint, quoniam in Commentarijs in Genesim scriptis explicata sunt, eorum explicatio uberior hic repetenda non fuerit: sed breues erimus, definitionem eius ex sacris literis collectam strictim, & 50

quæ ex ea colliguntur, expoſituri. Hanc eſſe gratuitam imputationem alienæ iuſtitiæ, qua nos Deus pater pro miſericordia ſua in filios adoptatos per fidem à ſpiritu ſancto ſub Euangelij adminiſtrationem, ſanguinis IESV Chriſti merito & eius reſurrectionis ui expiatam, iuſtos deleto iure peccati & mortis reddit, ad bene ſancteque uiuendum, & ad cœleſtis regni hæreditatem poſſidendam. In hac definitione primò occurrit Deus pater iuſtificator, de quo illud: Deus eſt qui iuſtificat, quis ille qui condemnet? Huius liberalis gratia, non merito noſtro, non legis & factorum eius ui, non ulla facultate naturæ nos iuſtificari. de qua gratia illud: Cuius gratia uos ſaluati eſtis. Deinde occurrit iuſtitia ipſa, cuius imputatione & communicatione iuſtificamur.
1. Corinth. 1. Hæc iuſtitia IESVS Chriſtus eſt, de qua Apoſtolus: Chriſtus IESVS factus eſt nobis iuſtitia à Deo. Tertiò expenditur uis diuini ſpiritus, qua nobis Chriſtus iuſtitia patefit & communicatur, animis noſtris inſerta. Quæ uis fides ipſa eſt, non naturæ uis & lumen, ſed ſacri ſpiritus uis & lumen, quo prælucente cognitio Meſſiæ iuſtificans in nobis oritur. De qua cognitionis luce hic Ieſaias: Et ſcientia ſui ſeruus meus iuſtificabit multos: patefacta uidelicet nobis & communicata iuſtitia Dei per fidem. de patefactione legitur illud: Iuſtitia Dei patefit ex fide. De communicante autem iuſtitia Dei luminis fidei ui, idem Apoſtolus ſic loquitur: Iuſtitia Dei in omnes & ſuper omnes qui credunt. Quartò, adminiſtra cauſſa in definitione iuſtificationis conſideratur, quæ eſt Euangelij prædicatio, ex cuius auſcultatione in electorum cordibus fidei lumen excitatur, quo illuminati credimus IESVM Chriſtum iuſtitiam & uitam noſtram eſſe, de qua adminiſtra cauſſa Apoſtolus: Fides ex auditu eſt. Et idem Euangelij ſermonem reconciliationis ſermonem uocat: & miniſterium Euangelij miniſterium ſpiritus, ſine quo iuſtificatio non conficitur, appellat. Quintò occurrũt, in quibus Chriſtus iuſtitia & uita uerſatur, quos Apoſtolus aperte electos & prædeſtinatos, ac ordinatos ad uitam æternã uocat, & prophetæ eos ſub nomine Iſraelitarum deſignant. Poſtremò, in definitione explicatur finis iuſtificationis, qui eſt amplificatio nominis diuini per benefacta à iuſtificatis edita, & glorificatio, ac hereditatis regni cœleſtis poſſeſſio. de quo fine Apoſtolus: Quos iuſtificat, eos & glorificabit. Cõtinet autem glorificatio noſtri partim animorum noſtrorum renouationem, ad fulgorem eius cognitionis de qua illud: Tunc uerò cognoſcam, quemadmodum cognitus ſum. partim corporum noſtrorum ex mortuis ad immortalem uitam excitationem, in qua cœleſtis hominis IESV Chriſti imaginem ſimus geſturi, ut antea terreni hominis ſpeciem geſſeramus. Atque is erit optimus ſtatus, ad quem iuſtificati peruenient. At uerò ex hac iuſtificationis definitione licet quæſtionem hanc mouere, quomodo Chriſtus accipiatur iuſtitia noſtra eſſe? Cui hoc modo occurrimus: Chriſtum noſtram iuſtitiam eſſe per fidem agnoſcimus, Primò à merito ſanguinis eius, & obedientia qua patri uſq; ad mortem obediuit, precium redemptionis noſtri perſoluens. de qua parte iuſtitiæ Apo-
Rom. 5. ſtolus his uerbis loquitur: Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti fuimus multi, ita per obedientiã unius iuſti conſtituimur multi. Quod fit beneficio imputationis, per quam Chriſti obedientiam, quæ eius iuſtitia eſt, nobis aſcribi ac imputari credimus, non ſecus atque ſi nos ipſi legem implentes, patri in omnibus obediremus. Quò pertinet
Rom. 10. illud eiuſdem Apoſtoli: Chriſtus perfectio legis eſt omni credenti. Quam perfectam obedientiam legis, ſeuero Dei iudicio, & tentatori Satani, cum nos non impletæ à nobis legis ad Dei tribunal reos agit, opponimus, ei reſpondentes, Chriſti innocentiam & iuſtitiam, qua legem præſtitit, noſtram eſſe: & eum culpam non perfectæ à nobis legis, in ſe recipere, iure communionis quod inter nos ſponſam & illum ſponſum, inter nos membra & illum

lum caput intercedit. Atque in hac fide, qua Christus hoc modo per imputationem absolutæ obedientiæ & perfectionis legis nostra iusticia creditur esse, uictoria peccati & mortis & accusatoris Satanis de non seruata lege consistit. Quæ iusticiæ pars continet remissionem peccatorum, nobis sanguinis IESV, & eius obedientiæ merito impetratam, de qua his uerbis Apostolus: Per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, iuxta diuitias gratiæ suæ. Ab hac parte definitur iustificatio à Theologis nostri seculi, separantibus eam ab ea parte de qua sequetur mentio: quæ tamen nunquam re, etiam ipsorum sententia, sed solùm ratione (de qua monebitur) separatur. Itaque demum in iustificatione impij necessariò agnoscitur Christus etiam iusticia nostra esse, à dono Spiritus sancti, cuius ui credimus nobis reconciliatum patrem merito & obedientia filij, & restitui pro primitijs iusticiam primi hominis uitio amissam. De quo dono iusticiæ illud Apostoli accipitur: Et si per unius delictum mors regnauit per unum, multo magis ij qui exuperantiam gratiæ & doni iusticiæ accipiunt per uitam, regnabunt autore uno IESV Christo. Hoc donum iusticiæ, donum spiritus sancti est, ex imputata nobis iusticia Christo IESV dimanans. De quo apud Ioannem: De plenitudine eius omnes accepimus. Sed quid accepimus? Spiritum iusticiæ & uitæ æternæ accepimus, qui nos, fretos sanguine Messiæ, liberet à iure peccati & mortis, ut idem Apostolus ait: Lex spiritus uitæ per IESVM Christum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Rom. 8.
quod est iustificare. Ergo lex uiuifica, uiuificatoris spiritus, in animis sanctorum uersans, uerè iustificat impium. sicut idem Apostolus ait ad Galatas: Si lex data fuisset, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iusticia. At lex Gal. 3.
sacri spiritus in carneis pectoribus scripta uiuificat, ut de spiritu Messiæ scriptum est, Spiritus est qui uiuificat: ergo spiritus lex iustificat. Atque hoc ipsum est quod Apostolus ad Corinthios ait: Sed iustificati estis per nomen Domini IESV, & per spiritum Dei nostri. Iustificati inquam per nomen Iesu, cùm agnoscimus per fidem patrem nobis placatum, & per eandem fidem accipere nos spiritum de copia & abundantia Messiæ, reparantem amissam probitatem & uitam. De quo spiritu, quem fide accipimus de capite Christo, sic Apostolus loquitur ad Galatas: Vt promissionem spiritus acciperemus per fidem. Item illud apud Ioannem: Hoc autē dixit de spiritu, quem credentes accepturi erant. Sed qualis is spiritus est? Spiritus adoptionis est, qui patefacto mortis & resurrectionis Messiæ beneficio in nostris cordibus, testimonium dat nos esse filios Dei: & per quem amanter inclamantes Abba pater, propensi reddimur ad amandum Deum, obediendo legi, Ama Dominum Deum tuum. Quam ad obediendum propensionem & uim neque lex, neque natura, sed unus spiritus Christi gratuitò nobis in iustificatione nostri donatus suppeditat. Itaque in iustificatione impij, si obedientiam & meritum sanguinis IESV Christi spectes, occurrit expians peccatum, & pro eo satisfaciens Deo iusticia: sin spiritum sanctum, agens per hunc Christus nostra sanctitas & iusticia est, nos Dei filios generans sine quo spiritu neq; meritum neq; resurrectio Christi quicquam prodesset. Atq; hinc fit, ut Apostolus dicat duo necessaria esse ad iustificationem impij: expiationem peccatorum per mortem Domini factam, & resurrectionem eius, cuius ui Spiritus sanctus in pectora nostra fundatur, quo afflati credamus Christum nostram iusticiam esse. Sic enim ait: Christus mortuus est propter peccata nostra, quæ morte expiaret: & resurrexit propter iustificationem nostri, ut excitatus è mortuis ad uitam gloriosam de cœlo mitteret spiritum iustificatorem, de quo scriptum est eum resurrectionis & glorificationis Christi donum esse. sic enim legimus apud Ioannem: Spiritus nondū erat datus, quia Christus non erat glorificatus. Ioan. 7.

ubi

ubi loquitur de ſpiritu adoptionis noui fœderis, ad iuſtificationẽ improbi neceſſario. Huius enim unius ui credimus patrem nobis reconciliatũ, merito ſanguinis IESV: & eum quẽ oderamus per uitioſitatem ueteris naturæ, amare incipimus, ad amiſſam ſacri amoris, conformantis animos noſtros ad diuinã uoluntatem, iuſticiam recuperandã: ad recuperandam inquã eam perfectionem quã lex requirit, & iuſtificatio impij per fidẽ de Chriſto IESV uniuerſæ perfectionis ſpiritualis capite præſtat. Quæ perfectio finis legis in ſpiritu amoris cernitur, promiſſo in Moſe & prophetis: & per unam fidem iuſtificantem in nobis excitatur, ut æquè minus à iuſtificante fide diuinus Dei amor & alterius ſeparetur, atq; calor à ſolari luce ſeparatur. Quare in iuſtificatione impij fidei lumen requiritur, quo nobis Chriſtus patefiat, & cum ſuo merito obedientia & ſpiritu amoris filiorum, quo amanter clamemus Abba pater, communicetur: ut ita in iuſtificatione iuſticiam & uitam recuperemus, quã nobis uitium primorũ parentum ademerat. 2.Cor.3. Nos ſcimus, Euãgelij adminiſtrationẽ, ſpiritus adminiſtrationẽ eſſe. ſic enim ait Apoſtolus: Cur non potius adminiſtratio ſpiritus erit in gloria? item: Qui & idoneos fecit nos miniſtros noui teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus. Cadit ergo in adminiſtrationem Euangelij ſpiritus ſanctus, ſed quale nomen ſpiritus is habet? ſpiritus adoptionis filiorum nomen habet, quo amatur Deus ut pater, non formidatur ut iudex & tyrannus. Sic enim legitur in epiſtola ad Galatas: Quoniam eſtis filij, emiſit Deus Galat.4. ſpiritum filij ſui in corda noſtra, clamãtem Abba pater: ſpiritum inquam adoptionis, uindicantem ab elementis mundi, & à condemnantis legis iugo & maledictione. De eodem ſpiritu in ueteris teſtamenti adminiſtratione promiſſo, & in nouo exhibendo, in Actis Petrus in hunc modum loquitur: Sed ut expectarent promiſſum patris. Sed quod & quale promiſſum id fuit? Promiſſum ſanè de ſpiritu ſancto, de quo ſequitur in Actis mentio: De quo uidelicet promiſſo audiſtis ex me, quoniam Ioannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptizabimini Spiritu ſancto, poſt hoſce dies non multos. Hunc ſpiritũ cadere in adminiſtrationem Euangelij, ex Apoſtolo liquet. Sed quibus Euangelij adminiſtratio ad diſpenſandum ſpiritum ſanctum deſtinata eſt? Iuſtificandis improbis deſtinata eſt, in quorum cordibus ex Euangelij auſcultatione ſpiritus fidei, qui ſpiritus adoptionis eſt, excitetur, promiſſus in prophetis, & in nouiſsimis reuelationis Euangelij temporibus publicè fundendus. de quo his uerbis Apoſtolus ad Galatas: Hoc ſolum uolo diſcere ex uobis, ex operibus legis ne ſpiritum acceperitis, an ex prædicatione fidei. Ergo ex prædicatione fidei, hoc eſt ex prædicatione Euangelij de fide Chriſto habenda, accipitur ſpiritus ſanctus, ad iuſtificandum improbum, ueram iuſticiam, uitam & ſanctitatem afferens. De qua iuſticia Apoſtolus: Regnum Dei eſt iuſticia in ſpiritu ſancto. Quare apoſtolus Paulus non quamuis fidem ſalutarem eſſe dicit, ſed eam quę per diuinũ amorem & charitatem uiuax ſit. ubi ait: Nam in Chriſto IESV neq; circunciſio neq; pręputium quicquã ualet, ſed fides per charitatem agens. Etenim charitas fidei lumine accenſa, eauis & facultas diuini ſpiritus eſt, propter quam reparandam filij ſanguis fuſus eſt. Etenim hæc lex, illa noua lex eſt in cordibus carneis electorum ſcripta, de qua ſic loquitur Ioan.13. Chriſtus: Præceptum nouum do uobis, ut diligatis uos mutuò. Sed cur præceptum nouum uocat? Non ſanè, quòd lex de amore Dei & proximi tradita prius non eſſet: ſed nouum appellatum eſt propter ſpiritum amoris per fidem in Meſsiam credentib. in iuſtificatione dandum: qui apud prophetas nouus ſpiritus appellatur, quòd is præſtet quæ uetus lex per Moſem data non præ-
96. ſtat. Sic enim legimus apud Ezechielem: Et dabo uobis cor carneum, & ſpiritum nouum ponam in medio ueſtri. Sed qualis eſt is ſpiritus nouus, & quid præſtat? Sequitur in Ezechiele: Et faciam ut in præceptis meis ambu-

letis.

letis. Sed in quibus præceptis? In præceptis de amore diuino à Moſe traditis, quem cùm lex Moſæa præſtare non potuit, charitatis ſpiritus in corda electorum funditur, qui præſtet. Itaque in iuſtificatione improbi quoniam id reparatur per ſpiritum ſanctum, quod amiſſum & perditum fuit, in fide iuſtificante neceſſariò ineſt ſpiritus amoris, quo Deus ut pater, à nobis ut filijs amanter appelletur: neq; à iuſtificante fide amor ſeparandus fuerit re, ſed ei cõiungendus, coniunctione uidelicet rei perficientis, non meriti expiantis, quod ſolum in ſanguine Meſsiæ ponderatur, ex quo cœleſtis charitas manat: quæ cum amandi Deum, & eum ut patrem appellandi ſpiritus adoptionis uis ſit, pro diuina iuſticia, non meritoria, ſed animos noſtros renouante iuſticia habenda fuerit. Hæc enim iuſticia facultas eſt, qua Deo tribuitur quod Dei eſt, & alteri quod alterius. quod præſtat amor, de quo Ioannes: Deus amor eſt, & qui manet in amore, in Deo manet. 1. Ioan. 4. Non enim amor quem fides de capite Chriſto nobis in iuſtificatione communicat, creata uis eſt: ſed non creata, uis nimirum ſancti ſpiritus, incitans pectora noſtra ad diligendum Deum, quem antea priuſquam iuſtificati fueramus per fidem, oderamus. Credunt etiam dæmones, ſed cur per ſuam fidem non iuſtificantur? Quod in ea amor Dei, ut patris, non continetur: ſed contemptus & odium eius, ut ſeueri iudicis. Sic enim legitur: Credunt & contremiſcunt. Contrà ſanctorum iuſtificans fides habet, qua credimus per filium nobis reconciliatum patrem, cum affectu amoris filiorum, quem teſtatur clamor Abba pater. Atque hinc fit ut duplex fides ponatur: altera uiua, altera mortua. uiua, quæ amore ſacro Dei & alterius tincta ſit: mortua, quæ illo careat. hanc non ſolùm non iuſtificare improbum, ſed eum etiam occidere: illam iuſtificare & uiuificare. Vt enim Deus ferat in iuſtificatione impij eam fidem, per quam non ſolùm ipſe non diligatur, ſed etiam odio habeatur? qualis dæmonum & maledictorum hominum fides eſt, qui Chriſtum filium Dei eſſe credunt, & de eius aduerſus peccatum iudicio tremunt: quòd eorum fides ui amandi Deum careat, quam ſanctorum fidei lumen habet, de quo Ioannes: Qui diligit fratrem, in lumine manet. 1. Ioan. 2. In lumine ſiquidem, de quo Dauid: In lumine tuo uidebimus lumen. quod fidei lumen eſt, in quo manet qui Deum diligit: quòd hæc amandi Deum uis non ſecus contineatur in fidei luce, & ab ea dimanet, atque uitalis caloris uis (ut dictum eſt) in ſolari luce continetur, & ab ea dimanat. Eſt igitur ſacri ſpiritus uis ac facultas, qua incipimus diligere Deum & alterum, iuſticia obedientiæ diuinæ. non ex lege, non ex natura, ſed ex fide orta, ut uerè fidei uocetur iuſticia, non legis, diuina, non humana. Et rectè dicitur, ſicut in lumine, & per lumen Dei uidemus Dei lumen: ita per Deum nos amare Deum. per ſpiritum uidelicet amoris, qui Dei ſpiritus eſt, quo afflati unumquodq; pro ſua dignitate amamus, Deum ſupra omnia, hominem ut proximum diuinitati, pari amore quo nos proſequi cupimus: & infra hominem, quamq; rem prout propius aut longius ab hominis perfectione abeſt diligimus, Dei nomen in ea amplificantes. Dicas, iuſticiam aliam nos non agnoſcere quæ per fidem nobis communicetur, quàm Chriſtum IESVM. Benè quidem, fatemur id uerum eſſe: ſed hæc diuina iuſticia conformationis noſtri ad diuinam uoluntatem, qua propenſi reddimur ad diligendum Deum & alterum, prælucente fidei iuſtificantis face, extra Chriſtum non quæritur: ſed de plenitudine, copia & abundantia eius, qui plenè obediuit patri, & ſe eius uoluntati per amorem conformauit, per fidem accipitur: cuius luce non illuminati, Deum oderint, non amarint: luce autem eius illuminati non oderint, ſed amarint, clamantes Abba pater. Qui clamor amoris clamor eſt, non odij. quo nec caruit fidei ſpiritu afflatus latro, IESVM appellans his uerbis: Domine, memento mei cùm ueneris in regnum tuum. Quæ uerba amorem, non odium in Chriſtum

ſpira-

ſpirabant. Dicas, fidem in iuſtificatione impij non inchoatam & imperfectam iuſticiam ſpectare, qualis amor eſt, quo nos credentes Euangelio incipimus Deum diligere: ſed perfectam ſpectare, quæ Chriſti iuſticia eſt, nobis per fidem imputanda. Fides tria ſpectat in Chriſto, neceſſaria ad iuſtificationem. primò, meritum fuſi ſanguinis pro peccato, & obedientiam eius: deinde, remiſsionem peccatorum, merito ſanguinis impetratam: tertiò, ſpiritum amoris, de Chriſto tanquam capite fundendum in pectora credentium, cuius ui iuſticia obediendi legi impetretur. Hæc tria omnino neceſſaria ad iuſtificationem improbi, re coniuncta, non ſeparata, fides ſpectat. Dico, re coniuncta. nam fieri nullo modo poteſt ut fides impium iuſtificet, per quam de Deo non bene ſentiamus, amanter eum appellantes patrem, non eum odientes ut tyrannum. Dico, non ſeparari illa tria re. Ratione enim ſeparari, & ordine iudicandi ac ſentiendi, non negamus. nam iuſtificandus prius naturæ ordine apprehendit Chriſti à merito & obedientia iuſticiam, quàm remiſsionem peccatorum merito & obedientia illius impetratam: & prius fides nobis remiſſa eſſe peccata oſtendit, quàm ut amemus per adoptionis gratiam Deum patrem. & in grauibus tentationibus de peccato & morte non ponderamus, quantum beneficio fidei diligamus Deum: ſed quantum nobis Chriſtus merito ſuo & obedientia, quam noſtram gratuita imputatione eſſe ſentimus, proſit. Deus autem nihilominus obedientiã, qua fidem filio habentes eum ut filij amamus, magnifacit, & plus apud eum ualet ad ſeruandum minimũ momentum amoris qui in fide iuſtificante continetur, quàm totius mundi peccata ad damnandum. Eſt enim minimus igniculus ſacri amoris, diuini ſpiritus Meſsiæ uis, cui peccatum, mors, infernus, & omnes tenebrarum poteſtates ſubiectæ ſunt. Nam ut infirma & exigua fides, ſana fides eſt, omnia uincens: ita amor ex illa natus, quamlibet exiguus, ſanus amor eſt: quem Deus, quod ex electionis gratia de capite Chriſto fluit, non magis extinguet, quàm linum fumans, ut eſt apud prophetam. Itaque tanti facit inchoatam iuſticiam amoris ſui per fidem Deus, ut qui ea præditi ſunt, etiam perfecti & integri dicantur, ea perfectione & integritate quæ ſeculo huic & ſtatui uiatoris congruit. Sic de Noah, de Abrahamo, de Iobo, Caleb, Dauide, Ezechia, & alijs legimus, eos integros coram Deo, pro menſura uidelicet fidei, timoris & amoris diuini habitos: dato in hoc ſpiritu arrabone, qui nos confirmet, Deum dona ſua, hoc eſt fidem, & ex hac natum amorem & ſpem, non irrita facturum, ſed effecturum ut hæc hæreditatem cœleſtem aſſequantur. cuius arrabonis ſpiritus teſtimoniũ ut non ideo minus uerax eſt, quia pro primitijs teſtatur nos filios Dei eſſe: ita non minus uerè iuſtos, ſanctos & uiuos efficit, quia pro primitijs tales nos efficit, olim in altero ſeculo præſtaturus, ut quemadmodũ tenuiori fidei luci in hoc ſeculo adeſt remiſsior in electis amor Dei, ita lumini gloriæ perfectus & abſolutus amor ſumma ſanctorum perfectio & iuſticia in futuro ſit affuturus. Quare docendum fuerit, huiuſmodi fidem probari Deo, qua agnoſcamus Chriſtum pro iuſticia non aliter nobis imputari ac aſcribi, quàm ſi fide apprehendatur talis eſſe qui per mortem peccatum expiarit, ne nobis noceat, & per reſurrectionem uelit & poſsit reconciliato patre pro ui imputatæ ſuæ iuſticiæ Spiritum ſanctum dare, qui in nobis uitam nouam uetere mortificato formet. Atque hæc eſt iuſtificans fides, non alia quam quidem ſacræ literæ doceant: quæ fidem docent, qua nobis adiungatur Chriſtus in nobis ſpirans & agens per ſpiritum ſuum. Quo qui non aguntur, ut Apoſtolus ait, Chriſti non ſunt: igitur nec iuſticiæ & uitæ eius conſortes ſunt, adoptionis filiorum gratiæ quæ Meſsiæ ſpiritu cõſtat expertes. de quo illud: Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Sed quando hunc accipimus? In iuſtificatione noſtri accipimus, qui inchoet & perficiat iuſtificationem. Sed

dicas

dicas hic, Si ita res habet, inter improbi iustificationem & regenerationem nihil intererit. Nam si iustificatio spiritu Christi constat, qua nos ex filijs primi Adami peccato & morti obnoxijs filij Dei, & ex filijs tenebrarum filij lucis effici mur: hdes sanè ut iustificarit, ita etiam regenerarit. Cõceditur id quidem. Nam quid aliud est iustificatio, quàm adoptatio nostri in filios Dei, per fidei in Messiam spiritũ? at filios Dei fieri sine noua genitura nõ cõtingit. Quis enim dicat patrem generare filium, si de sua natura soboli nihil impertiat? Impertit igitur cœlestis pater filios generans de suo spiritu: ex quo dicuntur qui fide filium amplectuntur, nasci in nouos & cœlestes homines, exuto uetere & terreno homine, qui per legem peccati in carne grassantem, Deo in omnibus aduersatur. Vnde efficitur, rectè dici iustificari impium à Deo, ubi iustificationis fidei causa agitur: & eum ex impio pium, ex iniusto iustum, communicata ei iustícia Dei per fidem, effici. Sic omnes sancti, qui unquam iustificati sunt, acceperunt per fidem de Christo iusticiæ & sanctitatis spiritum, per quem iusti, integri, & innocentes pro statu uiatorum & pro primitijs regni cœlestis habiti sint: ut de Adamo, Abele, Enocho, Noa, Abrahamo, Mose, Dauide, Ezechia, prophetis, Iobo, & alijs electis Dei filijs constat. Prætereà si qui credunt in Messiam, nascuntur ex Deo. Qui igitur credunt, regenerantur. Nam nasci ex fide iustificante filios Dei, sine regeneratione non acciderit. Nasci autem ex Deo qui per fidem iustificantur, comprobat illud: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelícet his qui credidíssent in nomen ipsius: qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Per fidem igitur iustificantem generamur ac nascimur filij Dei ex Deo, quod est ex improbis probos fieri & regenerari: non in uetere natura manere, quæ sanguinis, carnis, & uoluntatis uiri natura est, ex qua nos iustificans fide in consortium diuinæ naturæ transfert. Dicas, eum qui iustificatur meriti & obedientiæ IESV CHRISTI, qua nixus per fidem liberetur à iure peccati & mortis, non regenerationis per quam sentiat nouos motus, rationem habere: neque spectare ut amet Deum, sed potius eum deplorare quòd contemnat & odiat Deum, orans ut is per meritum filij eum contemptum sibi condonet. Fatemur, eum quem premunt peccata sua, & seuerum Dei iudicium, ante omnia oculos suos in obedientiam filij & merita eius per fidem conijcere, quæ Deus pro sua clementia sibi uelit imputare: neque cogitare ut ipse amet Deum, & in regeneratione sit. Atqui cum ita res habet, num propterea fides, qua primo apprehenduntur merita mortis Christi ad iustificandum, amore Dei, & nouis quos in iustificandis fides excitat, motibus carebit? Absit: Etenim fides, qua ad salutem obedientia Christi ponderatur, amore misericordiæ diuinæ & IESV. seruatoris accenditur. Qui amor necessariò prælucente fide pœnitenti suorum peccatorum cum odio eorum inest, sine quo nimirum Christi neue obedientia, neue mors, neue resurrectio profuerit. Amare autem Christum, & contraria ei odisse, ut iustificantis, ita regenerantis fidei, purificantis corda electorum, opus erit. Neque amor quem fidei lumen in eo qui iustificatur accendit, re & tempore à fide iustificante separatur, sed ratione meriti: & eo modo qui suprà indicatus est, qui in eo spectatur, quòd naturæ ordine prius per fidem agnoscimus Christi meritum & obedientiam, quàm in regene ratione nos esse, & nouos affectus ac motus in nobis existere. Idem sentire arbitramur eos, qui iustificationẽ à regeneratione separant. Nam homines qui hoc tempore de iustificatione aduersus stultum pastorem scribunt, constanter asserunt Spiritum sanctum ad iustificãdum impium necessarium esse, qui tam non possit ui regenerandi carere, quàm anima in corpore mouendi & agitandi facultate caret. in hac igitur separatione explicationis iustificationis ratio

Iohann. 10.

& ordo, quem quæ in Christo ad iustificationem necessaria considerantur habent, ponderatur, non rei separatio. ut re ipsa idem accipiatur esse iustificari & regenerari: ratio autem in eo qui iustificatur, considerandi iustificationem & regenerationem non eadem, sed diuersa sit. Nam qui iustificari cupit, condonationem peccatorum & reconciliationem cum Deo patre in filio præcipuè spectat: qui uerò ad regenerationem aspirat, nouus ex uetere, spiritualis ex carnali, cœlestis ex terreno fieri cupit: quamuis reconciliatio peccatoris cum Deo sine regeneratione, hoc est sine nouis amoris Dei & odij peccatorum motibus non contingat. Proinde uerè dicitur, per iustificationem è tenebris in lucem, & ex iure peccati & mortis in ius iusticiæ & uitæ transferri, regenerari esse: ut nasci ex Deo filios Dei per fidem, nobis Christum cum meritis obedientia & spiritu sancto communicantem, regenerari est. Atque hoc modo Christum nobis pro iusticia imputari per fidem, ut doceatur, ad salutem cum primis intererit. Quæ imputatio alienæ iusticiæ Christi, legem & eius facta, & omnem facultatem naturæ, atque humana merita excludit, spiritum sacrum includit, non ut expiatorem peccati, sed ut perfectorem iustificationis impij. Dicas: Si ita res habet, iusticia aliena nobis imputata ad salutem, partim intra nos erit, partim extra. Nam Christi merita & obedientia extrà sunt, spiritus autem sanctus necessarius ad conficiendam iustificationem intra erit. Ita sanè res habet. Quis enim hæc, si uerè iudicet, uera esse possit negare? Si porrò iusticiam satisfactionis piacularem pro peccato spectes, hæc extra nos erit. sin iusticiam conformationis nostri per spiritum amoris Dei à fide nunquam separandi, Christus ab hac parte in nobis uersans iusticia nostra fuerit, amissam probitatem reparans per fidem communicandam, & subinde augendam, de quo auctu hæc: Patefit iusticia Dei de fide in fidem. item: Qui iustus est, iustificetur adhuc. hoc est, in eo per suos auctus diuinus amor & charitas prælucente fidei face augeatur & crescat, qui amor ea diuini spiritus facultas est ex lumine fidei nata, qua iustifica tio quam lex requirit & non præstat, impletur: de qua facultate his uerbis Apostolus: Etenim quòd lex præstari non poterat ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Vbi Apostolus tria indicat. primum, à lege requiri iustificationem. alterum, ab ea illam non impleri. tertium, à Christo impleri: idque partim per mortem eius condemnato peccato per peccatum, hoc est per carnem obnoxiam factam peccato, hoc est piacularem uictimam factam pro peccato: partim uerò per Spiritum sanctum, merito mortis & resurrectionis ui nobis donatum in iustificatione, quo afflati iustificationem quam lex requirit implere incipiamus, pro sacri spiritus primitijs. Sic enim ait: Vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum uersamur. Qui spiritus amoris diuini spiritus est: quo qui ducuntur, legem implent. Sic enim Apostolus in epistola ad Romanos ait: Nemini quicquam debeatis, nisi ut uos inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem implet. Et Dominus noster Christus: Qui habet præcepta mea, & seruat ea, is est qui diligit me. Sed per quam uim diliget? Per legis ne & naturæ uim? Absit: sed per sacri spiritus amoris uim, quam in iustificatione nostri fides in nobis ad implendam legem excitat. Itaque ut ex fide dicimur noua genitura ex Deo nasci, ita etiam ex spiritu amoris, sed quem nobis lumen fidei (ut suprà indicatum) de capite Christo impertiat. Sic enim ait Ioannes: Omnis qui diligit, ex Deo natus est. ex spiritu nimirum amoris sacro, qui regenerator

Rom. 13.

1. Ioan. 4.

in nouos

in nouos & cœlestes homines spiritus est, ueterem mortificans & abolens cum suis affectibus, contrarijs amori Dei & alterius. Dicas, Christum dici perfectionem legis ad iustificationem omni credenti. ergo is ipse credi debet pro nobis implesse legem, quæ impletio nostra fiat, imputatione per fidem, non implctione ac expressione qua ipsi quoque eam impleamus ac exprimamus. Huic obiectioni occursum est, ut alijs quoq; in Commentarijs in Genesim editis, quæ hic breuiter repetemus Christus bifariam dicitur perfectio legis. Vno modo, quatenus eam per suam plenam obedientiam implet, & eam credenti ascribit, quam opponat accusanti & condemnanti legi de non amato plenè Deo & altero. cui hoc modo occurritur: Non est quòd damnet me lex, quòd Deum nõ amo, ut debeo: est Messias seruator meus, qui amoris legi perfectè paruit, & obedijt: cuius obedientia & præstatio legis mea est, quam mihi communicat, mea inobedientia cum morte in se recepta: hac fide tectus, à tuo damnatorio iure ô lex liber sum. Hanc impletionem legis continet ea pars iustificationis, quæ in merito & obedientia Christi cernitur. Altero modo Christus dicitur perfectio legis omni credenti, cũ ipse de sui spiritus copia & abundantia, amoris spiritum per fidem in nostra pectora fundit, cuius ui & impulsu legem quoq; de amore Dei incipimus implere. De hac implendi legem ui Moses & prophetæ meminerunt, ubi Deum promittunt spiritum filij sui Messiæ missurum in nostra pectora, per quem eius præcepta & legem, ut suprà indicatum, amando ipsum & alterum exequi studeamus. Et eos Apostolus explicãs, dicit iustificationem legis per spiritum Christi in nobis spirãtem impleri: quam qui non elaborent pro mensura diuini spiritus exequi, hi sciant se falsò de iustificatione gloriari: in qua spiritus amoris, qui adoptionis filiorum spiritus est, ita continetur, ut si quis eum separet, nullam iustificationem habeat, sed umbram eius solum, & inanem speciem. Quam ut hodie in hac restituti Euangelij luce multi, imputatione Christi male intellecta, sine pœnitẽtia & uigore spiritus ostentent, ebrietas, usuræ, blasphemiæ nominis diuini, adulteria, scortationes, fraudes uariæ & impostura, quibus neglecta omni charitate alter circumuenitur, odia, inuidia, homicidia, & alia scelera quibus omnia scatent, documento sunt. Quid autem in caussa sit, cur tantopere charitas & diuinus Dei & proximi amor, ex prophetia Christi IESV Domini nostri frigeat, sapientib. & pijs uiris meditandum relinquo. Cæterùm quoniam suprà in iustificationis definitione etiam benefactorum mentio facta est, quæritur hic, an illa quoque aliqua ratione iustificare dicantur. Quæstioni huic in hunc modum occurritur. Cum fide, & ea sola, Christus IESVS patefiat, & patefactus apprehendatur, quem peccato, morti & condemnanti legi tanquam uictorem opponamus, exq; eo solo ueram iusticiam & uitam hauriamus: ex ijs quæ explicata sunt affirmamus, in rationem iustificationis qua ascribitur nobis Christus pro iusticia, nullo modo neue legis neue fidei opera ut caussam uenire. Nam si legis opera spectes, legitur illud: Ex operibus legis non iustificabitur ulla caro in conspectu eius. item: Quotquot in operibus legis sunt, maledictioni sunt obnoxij. Sin uerò opera effectore spiritu fidei facta consideras, hæc sanè à iam iustificatis fiunt, iustos non reddunt: ut boni fructus ex arbore bona proferuntur, eam bonam non efficiunt, ueluti similitudo de arbore bona & mala, quæ à Domino nostro IESV Christo affertur, comprobat. Quare efficitur, neminem posse affirmare, factis quenquam neque simpliciter, neque ratione fidei iustificari: sed unam fidem in IESVM Christum, iusticiam & uitam electorum intuentem, hanc laudem obtinere. Dicunt aduersarij, iam multis annis hac in iustificationis caussa cum nostris Theologis concertantes, se uelle, uiuæ fidei opera, quatenus in fide continentur, iustificare: quòd nulla fides nisi quæ uiua & agens per charitatem sit, iustificet. O boni uiri, aliud est iustificare, aliud

Rom. 10.

Genes. 15.

Rom. 3.

Galat. 2.

Matth. 7.

in ambitu iuſtificantis fidei comprehendi,& aliud ſolam fidem iuſtificare,& aliud fidem iuſtificantem non eſſe ſolam. Benefactis quidem fides nō caret, nec tamen illa propterea dicentur iuſtificare: quòd ſolius fidei ſit Chriſtum patefacere, & eum cū theſauris iuſticiæ, uitæ & ſapientiæ nobis impertiri. Quamobrem ſummopere elaborandum eſt, ut ſapienter in cauſſa iuſtificationis, quæ fide conficitur, explicandæ uerſemur. Quod fiet à nobis, ſi diſtinctè de fide & factis loquemur, neutrum cum altero confundentes, ſed facta facta, fidem fidem nominantes, utriq; ſuum tribuamus. quod ſit, cum fidem iuſtificandi uim tenere, & opera iuſtificantis fidei fructus eſſe gratos Deo, affirmabimus. Dicunt
Iacob.2. legi in epiſtola Iacobi, fidem factis perfici, & eis nos iuſtificari. At iurè quæritur hic, ut uerba Iacobi accipiantur, cum dicit non ſolum nos fide iuſtificari, ſed etiam factis, & his fidem abſolui. Cum dicūt legi apud Iacobū, fidē factis perfici: percunctamur, anne Iacobus intellexerit fidem factis perfici, eſſe, eam ab illis perfectionem ſuam accipere? Abſit ut hic intelligat Iacobus, abſolui fidem operibus. Porrò is cum ſpiritus miniſter eſſet, pro Apoſtolico munere opera ſuam à ſpiritu Meſsiæ perfectionem accipere uoluit, ut effecta à cauſſa efficiente, non contrà ſpiritum à factis perfici. Cōſtat enim, omnem rerum effectarum præſtantiam & abſolutionem ab efficientibus cauſsis proficiſci, non has ſuam excellētiam aſcribere ac tribuere à ſe editis operibus. Quis enim fateat Deum ſapientiſsimum mundi opificem, ab opificio quod tam ſolerter fabricauit, perfici? Quis dicat, artifices artium ſuarum perfectionem ab elaboratis à ſe operib. ſumere: & non potius hæc ſuam quam habent ad uſum aptam uenuſtatem, ab illis mutuare? Si bonæ actiones fidem perficiunt, longè ea præſtantiora erunt fidei ſpiritu: ut id quod aliud perficit, excellētius toto genere eſt illo quod perficitur. Dicas: Verum quidem id eſt, ſi de principe cauſſa loquare, non de minus principe, qua interdum tum in naturalibus tum in artificialib. effectus præſtantior eſt: & nobilius animal eſt elementis ex quibus conflatur, non itē præſtantius Deo principe effectore, & ipſo animante ex quo propagatur: ut item domus præſtantior eſt ſecuri, dolabra, cementis, non item artifice & facultate intelligentiæ, qua continente ædificandi operis exemplar domus extruitur. Aduerſarios autem fidem in efficiente cauſſa, & ea principali & præcipuæ notæ ponere, ex eo patet, quòd freti Iacobi uerbis malè intellectis & interpretatis, fidem corpori, & facta animæ ac ſpiritui comparant. Hoc autem dato, quæ abſurda inde dimanent, facilè liquet, & ea infrà memorabuntur. Quid ergo uult Iacobus, percuncteris, ubi ait fidem factis perfici? Hoc uult, quòd fidei lumen ſuam perfectionem in factis explicat & declarat ad amplificationem nominis Dei, quæ facta niſi fides in comitatu habeat, ipſa nuſquam appareat, ſed mortua uideatur. Hoc modo præclaris operibus artes perfici, uirtutes benefactis expleri & abſolui dicimus, partim quòd artium perfectio quā habent, palàm in operib. eluceat: partim quòd finis locū teneant, quo cōſtituto perfectas eas dicimus. Idē, ſi de factis dicatur, ſentētia tolerari poteſt. Quò nō perperam uerbum τελειωθη apud Iacobum ſpectare nōnullis uidetur. iuſtificamur enim, hoc eſt reconciliamur Deo patri, condonatis nobis merito ſanguinis IESV Chriſti peccatis, & Spiritu ſancto donamur in ipſa noſtri iuſtificatione, ut eius inſtinctu per charitatem ſanctè nos geramus & uiuamus, ad amplificandum nomen Dei, & bene merendum de altero, bona opera facientes, ad quæ præparati diuina electione ante conditum mundum ſumus. Hunc finem luminis fidei iuſtificantis, qui in bene agendo & amplificando ac glorificando patre cœleſti in filio Meſsia cernitur, & iuſtificatis proponitur cōſiderandus, Dominus
Matth.5. noſter his uerbis explicat: Sic luceat lux ueſtra corā hominib. ut uideant bona ueſtra opera, glorificentq; patrē ueſtrū qui eſt in cœlo. In hac oratione tria nobis Dominus proponit, ad expendendū quomodo ſit intelligēdum, benefacta

eſſe

esse perfectionem & finem iustificantis fidei. Primum est, fidei lumen debere in nobis lucere, quod bonos nos & probos in Christo & à Christo reddat. Alterum, sunt bona opera, quæ fidei lucem in hominum oculos proferant, à quibus fides non suam perfectionem & uitam accipiat, sed hanc potius fides in illis explicet & ostendat: & sic explicata ac declarata fides, per benefacta palàm comprobet Messiam in nobis uiuere per spiritum suum, & hoc ab hominibus animaduerso in nobis uersari, pater cœlestis glorificetur: non ut per radios benefactorum fides ullam perfectionem & uitam accipiat, ut radij à solari luce in terram sparsi declarant, in cœlo solem esse uitali luce cõpicuum & illustrẽ, per quos ille ipse se in terra uiuentibus manifestet, & calorem suum eis præbeat ad ipsa generanda & conseruanda: non ipse à radijs quos mittit, ullam perfectionem & uitam accipiat. Itaque ut radij solares explementum & perfectio solis dici possunt, quòd sol per illos suam perfectionem lucis & caloris explicat, & eam ijs quæ in terra uiuunt & spirant communicat: ita benefactis, ut indicatum, perfici & expleri dicere possumus fidem, eo modo quo Apostolus in epistola ad Ephesios, corpus Ecclesiam capitis sui IESV Christi πλήρωμα, hoc est explementum ac perfectionem uocat, non sanè quòd Christus perfectionem ab illa sumat, sed quòd ipse suam totam iusticiæ, uitæ & sapientiæ perfectionem in Ecclesia corpore suo exerat & declaret, ut sequitur in ea Epistola, qui implet omnia in omnibus. Cur autem dicatur Christus effundens opes suas in Ecclesiam & membra eius, omnia in omnibus implere, eius rei explicatio non est huius instituti. Hęc monere in exponenda iustificatione referret, non caussas & effecta eius cõfundere & perturbare. Quod cum fit, miserè conscientiæ uexantur: quæ nunquam quietæ erunt, si ipsis in pugna aduersus peccatum & mortem etiam ad facta, à quibus iustificatio ipsorum perficiatur, conuertendi sint oculi. Quis enim hoc modo considerans iustificationem, erga Deum de peccato & condemnante lege pacatam tuiturus sit conscientiam? Etenim in factis nostris semper desiderabimus, quod satisfaciat seuero iudicio Dei, orantes cum Propheta: Ne intres cum seruo tuo in iudicium. Sed dicent fortasis, perfici ac expleri fidem operibus, esse, iustificãtis fidei definitionem operum mentione perfici ac absolui: ut in descriptione bonæ arboris fructuum mentio adhibetur. Qui sic interpretantur expletionem fidei, neminem (ut arbitror) habebunt aduersarium. Solent enim in definitionibus caussarum, effecta quoque commemorari, ut suprà in definitione iustificationis bona opera memorata sunt. At qui sic Iacobi uerba exponenda esse putant, illis in absoluenda definitione fidei iustificantis, non plus ad perficiendam fidem bona opera fecerint, quàm ad perficiendam bonitatem arboris faciunt boni fructus. Qui sicut non propterea quòd ad absoluendam generosæ arboris descriptionem adhibentur, ideo bonitatis & perfectionis arboris caussa sunt: sic non propterea quòd benefacta iustificantis fidei definitionem perficiunt, ideo perfectionis illius caussa habebuntur. Similiter non quia ab Apostolo ea fides dicitur ualere apud Deum, quæ agit per charitatem, non mortua fides: ideo hac ratione qui iustificatur, intelligit se iustificari, quatenus fidem habet agentem per charitatem. nam hoc esset, in iustificatione sui improbum habere rationem suorum factorum, quæ fides ederet per charitatem. At horum ab eo non habetur ratio, sed ut per fidem complectatur Christum suam iusticiam à merito & obedientia sua sibi credẽti per misericordiã patris imputata, & ab eo donari sibi spiritum sanctum, cuius impulsu propensus ad amãdum Deum quem antea contempserat, & ad diligendum proximum quem neglexerat, redditur. Sed dicant fortasis, opera ideo complementum fidei dici, quòd ex eis & fide perfectum quiddam constituitur, ut ex radice, scapo, ramis, foliis & fructibus perfectum quiddam constituitur. At nonnulli nec hac ratione fidei ex-

Ephes. 1.

plementũ ac perfectionẽ opera ſtatuunt eſſe, qui facta perficienti animo ac ſpiritui, & fidẽ corpori comparẽt. Pergunt affirmare, fidẽ perfici operib. ratione charitatis ex qua proficiſcũtur: quæ charitas ſit perfectio & uita fidei. Cum ſic loquũtur, meritò quæritur hic, quæ ſit charitatis origo, qua Deus & proximus amantur: an ea à fide, aut cõtrà fides ab illa oriatur? Proculdubiò dicent amorẽ Dei & alterius ex fidei luce naſci. Quis enim amet nõ cognitũ & patefactum? Ergo diuini amoris calor nõ ſecus in fidei luce cõtinebitur, atq; calor uiuificus, quo in terra ſtirpes & animãtia generãtur, & generata fouẽtur, in ſolari luce cõtinetur. Hoc aũt cõceſſo, cõſequetur, quę perfectio & uita in amore cernitur, ea nõ fidẽ perfici, ſed eam potius à ſacro fidei lumine dimanare. Hinc illud Ioann. 10
1. Ioan. 2. Qui diligit, in lumine manet. in lumine uidelicet uiuifico fidei, quod Dei amorẽ in nobis accẽdit. Et ut ex eo naſcatur, Petri reſponſio declarat, qua his uerbis Domino noſtro Chriſto, cũ rogaſſet duodecim nũ & ipſi, quemadmodũ multi,
Ioan. 6. à ſe, deficere uellẽt, reſpõdit: Ad quẽ ibimus? uerba uitę æternę habes: nos credimus & cognouimus, q̃ tu es Chriſtus filius Dei uiui. His uerbis Petrus docet, quòd amore Chriſtũ amplexi ſint, cognitionẽ ex fidei luce natã cauſſam fuiſſe, q̃ nimirum cognouiſſent eum filium Dei uiuentis eſſe. Hinc apoſtolus Paulus
1. Timoth. 1. charitatem ex corde puro & fide non ficta naſci, non fidem ex charitate gigni dicit. Vnde efficitur, perfectionem & uitam, quæ in amore Dei & proximi ineſt, ab ipſo fidei lumine proficiſci. Sed dicant fortaſsis hic, ut antea, non ſem- 20
per cauſſam præſtantiorem eſſe re effecta, niſi ſit princeps cauſſa, & quæ ſatis ſit ad efficiendum aliquid. Si ſpiritus fidei princeps amoris cauſſa non eſt, oſtendat aliquis præſtantiorem illo cauſſam. At non oſtenderit. Nam is ſpiritus Dei patris & filij Meſsiæ ſpiritus eſt: & Dei lumen, non creatum lumen, ſed lumen de lumine Dei eſt, in electorum cordibus lucens. de quo Pſalmus: In lumine tuo uidebimus lumen. Qui locus indicat, ut amor Dei nomine appellatur, ita etiam fidei lucem in ſanctorum cordibus lucentem Dei nomine appellari. Eſt enim fidei lux, de luce Dei inacceſſa radians lux, & de luce manans, quæ dicit de ſe: Ego ſum lux mundi. Quæ eius origo efficit, ut ea in filios Dei
Ioan. 8. regenerari, ea præfulgente noui homines naſci, eius'que ui mundum, & huius 30
principem Satanam cum peccato & morte uincere dicamur. Hac fidei luce armatus Iacobus, uicit etiam Deum, unde nomen Iſrael ſortitus eſt. Quæ laus nunquam tribuetur operibus ſiue ex lege ſiue ex fide editis. Dicunt, Apoſtolum affirmare maiorem fide eſſe charitatem, ubi ait: Nunc autem manet fi-
1. Cor. 13. des, ſpes, charitas, tria hæc, maxima in his charitas. Sed qua ratione maior fide charitas eſt? num in eo quòd ſimpliciter perfectior fide eſt, quæ ab illa perfectionem ſumat? Abſit. Amplitudo ergo diuini amoris in eo expenditur, quòd latius ſe fundit quàm fides. Hæc enim ſe intra anguſtos fines continet, dum quiſque pro ſe Euangelio credit ad ſalutem, non pro altero, quemque ſua fide ſeruante. ille uerò tam longè lateq; ſe extendit, quàm Chriſti corpus Ec- 40
cleſia & hæc uniuerſitas extenditur. Nihil enim eſt quod mente quidem capiatur & intelligentia quod non amore pij homines proſequantur, exemplo Dei patris omnia opera ſua ut à ſe bene condita amantis. Quapropter ſapienter ſolet fides arboris radici, à qua arbor ſuam bonitatem & fœtificam uim ducit, ſpes trunco, charitas uerò ramis longè ſe cum fructibus ſpargentibus conferri. Itaq; ut nemo laudet in arbore radicem, ſi ramis fructibus grauidis & bene fœtis careat: ſic fidem nemo commendauerit, quæ ſe per charitatem ad hominum uſum non proferat. Hæc conſiderans Paulus, dicit, niſi fides charitate tincta ſit, ab ea nullam utilitatem afferri. Fides enim per charitatem linguarum
Ibidem. beneficio benè utitur, per charitatem arcana ſacrarum literarũ ex uſu Eccleſiæ 50
explicat, per charitatem omnia munera quibus ſancti diuina bonitate prædi ti ſunt, ad utilitatem alterius & ad celebrãdum nomen Dei diſpenſat. Hac igitur

ratione

ratione charitas maior fide est, quòd latius se spargat: sed cum hoc faciat beneficio luminis fidei, quæ ostendit ut per charitatem Deum diligamus & alteri benefaciamus, perfectionem hanc à fide charitas mutuat, nō illi charitas largitur: sicut à radice arboris omnis uitalis uis & præstantia in scapum, ramos & fructus manat. Nisi quis intelligat, propterea etiam charitatē maiorē dici fide, quę finis loco habeatur. fidē enim ad id lucere, & patefacere nobis Messiā, ut ex eo amandi Deum & alterum uim hauriamus: quæ illa obediendi legi, quæ uitio primorum parentum amissa fuerat, iustitia est, & uno merito sanguinis IESV recuperanda. Non negamus, si charitas ut finis ipsius lucis fidei accipiatur, hac ratione maiorem existimari: non autem, si consideretur ex fide tanquam efficiente caussa proficisci. Vt non impedit unum aliquid tanquam finem consideratum nobilius existimari, non item si in æstimationem ut res effecta ueniat. Obijciunt præterea, hic ab Apostolo Iacobo facta animę, & corpori fidem comparari: qua ex collatione factorum prę stantia colligatur. Nam ut prę stantior corpore anima est, ita facta præstantiora esse fide. Sic enim ait Iacobus: *Iacob. 2.* Nam quemadmodū corpus absq; spiritu mortuum est, ita & fides absq; factis mortua est. Si hæc uerba ad literæ tenorem interpretanda esse putamus, hæc in scriptura sacra simul uera erunt: Vitam suam à spiritu fidei benefacta habent, Vitam suam spiritus fidei à factis habet. Nam quod ad prius pronunciatum pertinet, constat Spiritum esse illam uiuificam uim, qua omnia in pijs, anima, sermo & actiones uiuificētur. Sic enim scriptū est: Spiritus est qui uiuificat. Item: *Rom. 8.* Spiritus autem uita est. Quod si ita res habet, potius fidei spiritus animę, & corpori facta comparanda fuerint, quàm contrà. Adhæc, si cōparatio Iacobi simpliciter recipienda esset sine interpretatione, potiorē in iustificando impio facta locum tenerent quàm fides: siquidem quod alterius uita est, maiorē uim & momentum ad iustificandum tenere iudicari debet, cū id quod uitam & perfectionem ab eo sumit. Firmū enim est illud Apostoli ad Gala. Si lex data fuisset, *Galat. 2.* quæ potuisset uiuificare, ea etiā iustificasset. Si ergo uitā impertiunt facta fidei, ut ualeant quoq; iustificādi ui necesse est. Quæ uis si operib. tribui nequit, quęrat aliquis, quid igitur faciendū sit cōparationi Iacobi? Si hęc accipienda est ad uerborū ductū & sonū, alios sacrę scripturæ locos ut cōtrarios illi falsos reijciemus, magna cū iactura salutis nostræ, quæ ex uiuifico Messiæ Spiritu cōficitur, non ex uita quā ipsi fidei largiuntur facta. Quò pertinēt tot Mosæ & prophetarū & noui fœderis testimonia, cōmendantia nobis Christi spiritū, qui fretus merito sanguinis illius, omnē salutē in electis suis perficiat: qui nimirū nos generet filios Dei, qui nos reges & sacerdotes omnium dominos ungat. Vt qui illud diuinitatis oleum sit, quo in participatū diuinę naturæ, diuinę iustitię, diuinæ uitæ, diuinæ sapientiæ ungamur. Ex quo sacri spiritus munere intelligitur, potius Spiritū fidei animæ uiuificāti, cū corpori cōparandum esse, ut qui in regeneratione id prę stet in nouo formādo homine, quod anima ueteri fingendo præstat. Quare nisi cōmoda afferatur expositio uerborū Iacobi, potius nobis tota epistola illa relinquēda fuerit, cū unus aliquis reliquæ scripturæ locus, qui clarè unde petēda cōparandæ salutis ratio sit monstret? præsertim cū epistola illa nihil de morte & resurrectione Christi, de spiritu adoptionis filiorū Dei unde is in nos fundat, de regeneratione quib. cōstet, de ministerio spiritus, de lege & gratia, de iustitia operū & fidei, quid inter hæc intersit, & quę sit illa iustitia Dei quæ nobis fidei lumine patefiat & cōmunicetur, nihil inquā de his diserte differat, ut reliquorū Apostolorū scripta de illis disserūt. Itaq; sunt & fuerūt, qui hanc epistolā pro Apostolica epistola minimè habuerūt, neque à beato Apostolo Iacobo editā uolūt. Nos tamē, quia multas præclaras sentētias epistola illa cōtinet, & uulgò putatur ab Apostolo Iacobo scripta, ut in speciem durā & non ualdè aptam comparationem aliqua tolerabili interpretatione molliamus,

mus, hanc ex sententia etiam Iacobi expositionẽ adducendam esse arbitramur. Status disputationis in epistola Iacobi is uidetur esse: fuisse Apostolorum tempore, ut etiam nostro sunt, complures, qui cũ percepissent fide in IESVM Christum iustificari improbum, sine operib. legis, ipsos ea doctrina abusos, cœpisse ex animi libidine, neglecto recte uiuendi beneq; de altero merendi studio, uitam degere. Quod cum Iacobus animaduerteret, ut errãtes in uiam reduceret, docuit talli, qui putarent quãuis fidẽ iustificare. non enim mortuam, hoc est per amorẽ Dei & proximi non agentem, sed uiuam, hoc est quæ spirantẽ in nobis Christum per sacri amoris spiritum benefactis declararet, iustificare. Vt autem hanc sententiam firmius corroboraret, exempla & comparationem adduxit. Exemplis quidem ab Abrahamo & Raaba, comparatione uerò à spiritu, cui facta confert, & à corpore, cui comparat fidem, ducta. Atque hanc comparationem & similitudinem attulit, quę argumentum ab exemplo mutuatum confirmaret. Quod ad exemplum attinet, sic probat fidem carentem operibus mortuam esse, & talem non iustificare, sed eam quæ per charitatem agat: Abrahamus pater noster nonne ex factis iustificatus est, cum obtulisset Isaac filium suum super altare? Videtur igitur, quòd ex factis iustificetur homo, non ex fide tantum. Similiter autem & Raab meretrix, an non ex factis iustificata est, cum excepisset nuncios, & alia uia emisisset? Si igitur ex factis constat iustificatio, & eis destituta fides mortua est, meritò comparabimus facta animo, & fidem corpori. His argumentis ex Iacobo adductis ut occurratur, percunctandum hic fuerit, quid uerbo iustificare accipiat Iacobus, cum ait Abrahamum ex factis iustificatum: num eodem modo accipiatur, quo accipitur, cum fides dicitur iustificare? Absit. Nam fides dicitur iustificare, cũ nobis patefacit Christum Dei iusticiam, & eum nobis communicat, quem ut perfectionem legis peccato & morti & condemnanti nos de peccato legi opponamus. At hoc modo facta (ut clarum est) nõ iustificant: & fide Abrahamum, priusquam Isaac cum obtulisset, ea iustificatione quam apostolus Paulus in epistola ad Romanos & ad Galatas explicat, iustificatum constat. Quæritur ergo, ut iustificari accipiatur apud Iacobum, cum factis dicit nos iustificari? Iacobus ipse ostendit, ut accipiatur, ubi ait: Tu fidem habes, & ego facta habeo: ostende mihi fidẽ tuam ex factis tuis, & ego ostendam tibi ex factis meis fidem meam. Quæ uerba indicant, iam fide iustificatos per facta palàm fidei suæ iusticiam declarare, hac præcedente ipsa facta, ut præcedit arboris bonitas ipsos fructus, & artificũ ars opera ab eis elaborata. Atq; hac ratione factis perfici fidem, quòd hæc per facta perfectionem suam explicet & declaret, & in eis appareat, ut arboris generosa uis in fructibus apparet: & in uniuersum caussarum efficientium præstãtia in effectis rebus explicatur & ostenditur, non ab his illę perfectionem suam accipiunt. Eodem modo fidem corpori & facta animæ comparari à Iacobo dicemus, quòd sicut corpus, nisi spiret, & spirandi uim per motum ostendat, uiuum non est, sed cadauer: ita fidem non spirantem, hoc est agẽtem in nobis per sacrum amoris spiritum, mortuam esse, inanem fidei speciem exhibẽtem, ut cadauer inanem uiuentis corporis speciem præfert. Hac ratione, etiam ipso Iacobo interprete, corpori fides, & facta spiritui conferuntur. Proinde si dicamus facta uitam fidei esse, quòd per ea fides uim suam uitalem declarat, toleratur oratio qua dicuntur opera uita fidei esse: non item tolerabitur, si aliter exponatur. Dicent fortasis, hic non facilè ἐτελειώθη inueniri usurpatum pro ἐφανερώθη: ideo uideri tortã interpretationẽ esse, qua perfici interpretamur pro declarari perfectum. At hic percunctamur, Hebræus ne homo fuerit Iacobus, an Græcus? nõ Græcũ sanè dicent fuisse: Hebræus igitur si fuit, quid impedit quo minus eum ex sententia Hebræorũ locutũ dicamus? & ita, sicut iustificari apud Hebræos crebrò pro declarari iustum est, ita ipse ad illorũ imitationem, præsertim in hoc

loco,

loco, perfici acceperit pro declarari perfectum, & claram perfectionis dare significationem, qui hæc uerba hanc ſententiam explicantia effatus ſit, Oſtende mihi fidem tuam ex factis tuis. Quod dicunt, fidem aptè corpori comparari, & ſpiritui facta, quia ut corpus mortale eſt, ita fidem mortalem eſſe, quæ nimirũ aboleſcat: & ut ſpiritus, præſertim hominis, immortalis eſt, ita facta propter charitatem ex qua naſcuntur, quæ immortalis eſt, nunquam exoleſcẽs, immortalia eſſe. Quid quæſo hic audimus? facta immortalia ſunt, fides mortalis: quę ex ſententia apoſtoli Pauli cum ſpe emoriatur, percũctamur hic ex uobis qui Pauli teſtimonio ſubnixi ſic loquimini, unde charitas, quod in nobis exiſtit, quod augeſcit, quod manet, habeat: à fidei ne lumine, an aliunde? A fidei ſanè lumine, ut ſuprà demonſtratum eſt, habet. Hoc donato efficitur, ſpiritus fidei lumen, ſi natura ac ſubſtantia eius ſpectetur, nunquam aboleri. Eſt enim huius luminis Spiritus ſancti nos illuminãtis natura, hoc lumine de Dei lumine in ſanctis lucente, non de creato naturæ lumine. Cum igitur Apoſtolus dicit fidem aboleri, non de ſubſtantia ſpiritus fidei nos illuminantis loquitur, quæ nõ aboletur: ſed de modo illuminandi loquitur, qui uarius cum ſit, alia atq; alia nomina ſortitur, in quibus cernitur mutatio, non in natura ſacri luminis. Nam quod attinet ad hoc ſeculum, lumen Dei ex quo charitas in nobis accenditur, fidei lumen uocatur: & idem lumẽ quod in futuro ſeculo ſplendebit, non fidei, ſed gloriæ lumen in nobis perfectam charitatem accenſurum uocabitur. Quæ perfecta charitas perfecto lumini reſpondebit: ut in hoc ſeculo inchoata charitas, qua Deum & proximum amplectimur, tenuius lucenti fidei lumini reſpõdet. Quapropter ſubſtantia luminis fidei, quod luminis Dei ſubſtantia eſt, non mutabitur: nomẽ fidei mutabit, propter mutationẽ qua res quæ nunc nõ apparẽt, in quas fides ferẽ, in futuro ſeculo apparebũt. Sicut ſubſtãtia luminis ſolaris, lucẽtis ſub aurorã tenuius & obſcurius, nõ mutatur, cum ſplẽdidius id ſupra finitorẽ elatũ cœperit fulgere: ſed nomina mutantur, aliud auroræ luminis nomen tenẽte, aliud meridiani. Sic ſacrum diuini ſpiritus lumen aliud nomen habet in hoc ſeculo lucens, aliud in futuro habebit. ſubſtantia diuinæ lucis non mutata, quæ de luce Meſsia in utroque ſeculo in filijs regni ad æternam uitam lucet.

Hanc autem cum fidei lumen det credentibus, cum filios Dei (ut diximus) generet, cum nouam naturam in nobis creet, ueterem mortificans: cum purificet noſtra corda ad puritatem diuinam, quantum fert hoc ſeculũ & uiatoris ſtatus: cum inquã hæc fidei lux, quę ſpiritus ſancti in nobis lucens lux eſt, abolebitur: quomodo dicetur mortalis eſſe, & facta immortalia? Nũ hæc nos uiuificãt? nũ ex his naſcimur ſacra Dei ſoboles? num his ſuffulti, ius peccati & mortis delemus? At dicas, ne factis nimium tribuere in iuſtificando uideamur, Iacobi locum, ubi ait nos etiam factis iuſtificari, facta non pro factis, ſed per metonymiam pro fide agente per charitatem, interpretanda eſſe. Atqui quamuis hęc interpretatio cum pietate non pugnet, & eam pij & eruditi homines aliquot ſequantur: tamen quid quæſo opus eſt confugere ad tropum, cum ſimplex Iacobi oratio lectori ſatisfaciat? ex factis uidelicet, quæ fides per charitatẽ edit, iuſtificari iam fide iuſtificatum: hoc eſt, oſtendi & declarari iuſtum, & iuſticię in eius pectore uerſantis ſignificationem dare. Præſtaret igitur communem loquendi formam, qua ſacræ literæ utuntur, cum de fide & operibus loquuntur, ſeruare: non modò opera pro operibus, modò pro fide, & uiciſsim fidem interim pro fide, interim pro factis temerè uſurpare. Talis enim confuſio & perturbatio totam de iuſtificatione cauſſam perturbat, & confundit. Sunt enim quędam bona quæ fidei peculiariter aſsignantur, ut eſt iuſtificatio, & remiſsio peccatorum, quam credentes in filium aſſequantur. ſunt præterea bona, quæ factis promittuntur, ſed quæ hæc ex fide edita aſſequantur. Hæc partim præſentis, partim futuri ſeculi bona ſunt. præſentis, ut eſt bene dictio cœli & terræ, bona ualetu-

ualetudo, longior uita. Futuri seculi bona cernuntur in ijs de quibus Dominus his uerbis loquitur: Esuriui, & dedistis mihi edere, &c. uenite benedicti patris mei, & possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Quare non pariter beatitudo promittitur fidei & bonis actionibus: fidei quidem ea pars salutis & beatitudinis promittitur, quæ in iustificatione improbi & condonatione peccatorum spectatur: actionibus autem ex fide profectis ea salutis & beatitatis pars, quæ in præmijs continetur. Hoc considerandum est, ubi scriptura & credētes & benefacientes saluos & beatos esse dicit: ne cōfuse & indistinctè de fide, de operib, & de salute utrisq; promissa loquamur. Neq; etiā Iacobi disputatio fert, ut pro agēte fide per charitatē, opera accipiantur. Nam cum Iacobus ait, fide iustificatū Abrahamum ex operibus, & eum prius iustificatū & amicū Dei factū quàm immolasset filium: quærimus hic, de qua fide loquatur: de mortua ne, an uiua? Non de mortua, per quā nemo ex sententia Iacobi iustificatur, & Dei fit amicus. De uiua igitur loquitur. Si ita: quomodo ergo factum illud immolati Isaaci, pro agente fide exponetur, quo Abrahamum dicit iustificatū, cum immolatio illa opus fuerit, non fides, effectus, non caussa: neq; id fidem uocarit Iacobus, sed factum, separatim de utrisq;, de fide & operibus facta mētione? Præterea, si idem opus ualet quod agens & uiua fides, ualde absurda ex Iacobi argumentatione colligetur ratio, hæc nimirum: Non solum Abrahamus ex agente fide per charitatem, sed etiam ex factis, hoc est ex fide agēte per charitatem iustificatus est. Sed quàm inepta sit hæc tautologia, omnes intelligūt. Ergo Iacobi disputatio huc tendit, non solum fidem, sed etiam facta uiuā fidem declarantia iustificare: sed aliter fidem, aliter facta: ambiguitate in uerbo Iustificare, non factis indicata. sicut etiam in reliqua scriptura iustificare non uno modo usurpatur. Nam aliter accipitur, ubi legimus à filijs suis sapientiam iustificatam: quod est, eam à filijs reprehensam, & in ius uocatam. aliter item apud Da-
Daniel.12. nielem, ubi legimus, doctores sapientię & intelligentię iustificare suos auditores: quod est, Euangelij administratione uiam ad comparandam ueram iusticiam monstrare. aliter præterea accipitur, cum fide dicimur iustificari, de quo iam monuimus. aliter item sumitur, cum dicimur aliquo, tanquam communicata iusticia Dei, quæ Christus est, iustificari: idq; ut intelligendum sit, mōstrauimus. Alia autem ut sit ratio iustificationis, qua ex dictis & factis nostris iustificamur, & apud Apostolum factores legis iustificari, nō auditores, de ea quoq; scripturæ sacræ sententiam exposuimus. Alicubi etiam legimus, iustificare esse, crimine aliquem ac noxa absoluere: quod & falsò & uerè fit. uerè quidē, cum
Prouerb.17. ex iusticiæ & æquitatis præscripto de aliquo iudicatur: falsò autem, cum secus accidit. De quo genere iustificationis Salomon in Prouerbijs sic loquitur: Et qui impium iustificat, hoc est, sontem absoluit, & qui uistum cōdemnat, utrunque æquè detestatur Dominus. Demum iustificari est, aliquem Dei iusticia ei per fidem patefacta & communicata, quæ Christus est, iustum reddi: & sic iustum redditum, iustum pronunciari. Hoc modo accipitur, ubi iustificationis fidei caussa agitur. quod ut intelligendum sit, iam indicatum est. Fide autem in Messiam uerè nos, remissis nobis delictis, & spiritu sancto merito sanguinis IESV Christi donato, ex improbis probos effici, clarè demonstratū est. Quò
Rom.5. pertinet illud Apostoli, ubi ait, obedientia Christi multos iustos cōstitui. Quo loco, quid sit iustificari, ipse interpretatur: esse scilicet, ex iniustis iustos constitui ac effici. Nam ut nemo iustificatur sine spiritu sancto ex auscultatione Euangelij accepto, quo illuminatus agnoscat Christum suam iusticiam esse: ita necesse est, eos quorum pectora spiritus afflarit, sanctos ac iustos effici, eis iusticia non humana, sed diuina, quæ Christus est, communicata. Atq; hac ornati, uerè iusti
Ioan.1. dicentur. Atq; hoc ipsum est, fide filios Dei natos per iustificationem uerè iustos reddi, & sic iustos redditos à Deo pronunciari iustos: quorum alterum

est gratiæ

est gratiæ & clemẽtiæ diuinæ, eos scilicet per donatum spiritum fidei in filium iustos effici: alterum æquitatis, tales redditos pronunciari à Deo iustos: qui, ut iustus iudex, neminem impium, dum caret fidei spiritu, iustum & sanctum reddente, pium dixerit esse, & illo exornatũ, impium. At quoniam hoc argumentum fusius alio loco expositum est, in præsentia uberiore eius explicatione supersedebimus. Faxit Christus, ut intelligamus & sentiamus ipsum nostram iustitiam & uitam, in nostri iustificatione per fidem à nobis indui: cui sit gloria & honor in æternum, Amen.

Iustus seruus meus.) Ab ipso ortu & natura iustus: qui eos qui ab ortu & natura iniusti sunt, iustos & sanctos per spiritum sacrum suum reddat. Sic & à Zacharia iustus Messias per antonomasiam dicitur: Iubila filia Hierusalem, Ecce rex tuus ueniet tibi iustus, & saluator ipse. Legimus hic, Messiam iustum uocari, qui suam iustitiam electis communicando, eos iustificet. Legimus eum saluatorem esse, qui à peccato & morte suos liberet, in ius iustitiæ & uitæ translatos: de quo apud Euangelistã: Pariet autem filium, & uocabis nomen eius IESVM. is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Postremò Messias à Zacharia uocatur Rex, qui regalis sacerdotij oleo, quod sacri spiritus oleum est, unctus, in omnes aduersarias potestates imperiũ tenẽs, suos defendat ac tueatur: & eodem regio oleo eos ungens, reges & dominos omnium creet. Quod præstat scientia Messiæ, qua suos iustificat, ipse iustus, & per iustitiam rex & seruator mundi. *Zach.9.* *Matth.1.* *Matth.1.*

Multos.) non paucos. Nam amplissimam electorum Ecclesiam esse, quę iustitiæ & uitæ Dei in Christo particeps fuit, partim clementiæ diuinę magnitudo, partim meritorũ noxalis uictimæ IESV Christi excellentia, partim ratio qua idem Dominus noster caput perfectionis spiritualis constitutus, corpus suæ amplitudinis capax requirit, comprobat. At hæc quoniam, ut acipienda sint, alio loco sunt exposita, horum explicatione in præsentia supersedebimus. Quod hic legimus, nõ omnes, sed multos iustificari, obijciat aliquis illud Apostoli: Vbi abundauit delictum, abundauit & gratia. item: Itaq; si per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines, ad iustificationem uitæ. Ex quibus uerbis apparet effici, tam latè patêre merita Christi ad seruandum, quàm latè patet peccatum primi hominis ad perdendum. Quòd si ita res habet, consequetur, omnes in Christo uitam adipisci iustificatos, ut omnes in primo homine condemnati noxæ mortui sunt. Obiectioni huic sic occurritur: Quotquot ex ijs quos pater ante conditum mundum filio dedit saluandos, in primo Adamo mortui sunt damnati culpa originis, in altero Adamo seruãtur gratia & misericordia Dei iustificati: atq; in his ut exuberauit delictum, ita gratia reconciliationis magis exuberat, in qua misericordia irã & mortis temporariæ acerbitatem beneficium æternæ & glorioſæ uitæ superat. Itaq; qui in Adamo primo cum Cain, Iuda, & alijs cum serpente Satana maledictis mortui sunt: in altero homine Messia, nouo & cœlesti homine, non iustificantur ad uitam. nam ad hos beneficium iustificationis non pertinet, sed ad illos de quibus idem Apostolus sic loquitur: Quos prædestinauit, iustificat. Quæ uerba explicant, quid sit, omnes in secundo Adamo iustificari: Omnes uidelicet scriptos in libro uitæ, qui ad similitudinem primi hominis peccarunt: non ad similitudinem Cain & Iudæ, qui serpentis progenies sunt, cuius progenies primus Adam non fuit, sed primus ex numero electorum: qui primus ut accepit promissionem de agno uicturo serpẽtem, peccatum & mortem, ita primus sensit hanc benedictionem, Scientia sui iustos reddet iustus seruus meus multos. In quibus uerbis perpendendum fuerit, quæ sit illa scientia Messiæ quæ iustificet, quæ in definitione iustificationis exposita est. deinde, ut nemo iustos *Rom.5.* *Rom.8.*

reddat

reddat nisi qui ipse iustus sit, & ita iustus ut omni uitio & labe careat à conce-
ptu & partu: qualis solus Messias est. præterea quæ sit illa iusticia Messiæ, &
quod nomen habeat qua commendatur patri. postremò, ut iustificet impro-
bos, & qua iusticia communicata, quodq; hæc iusticia in iustificatione tributa
nomen teneat. At quoniam hæc exposita sunt, pergemus.

Ideo dispertiam ei plurimos.) Explicato statu crucis, quædam superioribus de statu
Messiæ glorioso attexuntur, in quo statu uicta morte, triumphare de hostibus
per regium spiritum quo unctus est creditur. Hic ergo imperium quod in omnia obtinet describitur, de quo is ipse excitatus è mortuis his uerbis meminit:
Math. ult. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Hanc potestatem nactus iure uictoriæ, spolia de hostibus suis relata cum electis suis partitur, pro quibus mortuis mortem uicit: pro quibus in infernum deiectus, eius portas fregit: pro quibus crucis opprobrium, quod tulit, abstulit & deleuit. Hæc est unctio regalis spiritus, quam translatus in splendorem regni patris sui palàm in mundo ostendit, dum mundi sapientiam, uictor eius, infatuat: dum Satanē principem mundi sub iugum mittit, & aduersarium suum Antichristum spiritu oris sui enecat, tyrannos orbis terrarum euertit, ad electos per sceptrum Euangelij liberādos, quos antea potentes hostes spoliarant: neq; prius à redimēdis illis cessat, quàm in aduentu glorioso apertis uniuersalis iudicij libris, canatur illud: Ero mors
Oseæ 13. tua ô mors, ero morsus tuus ô inferne. Non autem de paucis, sed multis, non
2. Corinth. 15. de infirmis & debilibus sed potentissimis hostib. neq; præsidio opem aliquam afferētium adiutus, sed solus uictoria potitus est. Dicit enim propheta, multorum & fortium spolia diuisa à Messia. Ab uno autem Messia, & solo, mirabili uictoriæ genere hostes profligatos, declarat illud, quòd unus delictum factus, delicta mundi sustulit. ut infrà de se prædicat: Torcular calcaui solus, & nemo mihi ex populis affuit. torcular uidelicet crucis, ex quo uinum salutare electis meis exprimerem, quod mecum superata morte, & spoljs de hostibus relatis, in regno meo biberent. De quo ipse his uerbis apud Euangelistam: Dum illum bibam uobiscum nouum in regno patris mei. Laudem meretur, qui multos potentes hostes uicerit, ope aliorum fretus: maiore laude dignus est, qui paucis adiutus, magnas res fecerit: maxima dignus, qui unus præclarè se gesserit in suorum salute conficienda, & tempore maximè opportuno. Talis est Messias Do-
Apocal. 19. minus noster, hunc titulum ex uictoria nactus: Rex regum, & Dominus dominantium. Ex hac glorioſa uictoria agni intelligitur, quæ crucis, quam ille tulit, causſa fuerit. eam duplicem cerni. alteram in sanandis suorum peccatis, de qua causſa illa frequentia: Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. alterā in glorificatione eius spectari, de qua hic: Multorum & fortium diuidet spolia, hoc est glorioſus uictor euadet, quia effudit animam suam in mortem. De hac opprobrij crucis sustinendi causſa, Chri-
Marci 8. stus ipse sic meminit: Nam oportet Christum pati, & occidi, & post tres dies resurgere. Dicat aliquis, Christū hæreditario iure cœlestis regni gloriam posſidere, de quo illud: Quem constituit hæredem uniuersorum. item, Naturali iu-
Hebr. 1. re imperium in omnia obtinet: ergo non iure belli & præmij. Præter ius naturale & hæreditarium uoluit Deus pater etiam iure uictoriæ de peccato, morte, & potestate tenebrarum reportatæ, Messiam suum gloriæ corona exornari, de
2. Timoth. 2. quo iure Apostolus: Non coronatur nisi qui legitimè certauerit. Itaq; iure quidem naturali & hæreditario, ut filius posſidet cœleste regnum: propter nos uerò, idem iure uictoris & triumphatoris posſidet. Nam pater cum extollere uellet filium ad splendoris regni sui fastigium, & ei dare nomē cui omnia cœlestia, terrestria & infera genua flecterent, decreuit quoq; ut infra omnia deiectus, o-
Ioan. 10. pus summæ perfectionis propter nos perficeret. quod, ut ipse apud Ioannem docet, erat, animam ponere pro ouibus. Igitur propter has bellum susceptit

aduersus

aduerſus hoſtes, ut pacē uniuerſitati gloriosam cōpararet. de qua illud: Pacifica uit omnia tū quæ in cœlis tū quæ in terris ſunt. Atq; ita pro uictoris iure & ſibi gloriā & nobis ſalutē peperit, de hoſtib. triumpho acto, ut nobis infirmis ſpem quoq; uincēdi hoſtes, & eos diripiendi faceret. de qua uictoria illud: Sed Deo gratia, qui dedit nobis uictoriam per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum. Quare ut Chriſtum uictoris iure cœleſtem hæreditatem adire oportuit: ita etiam electos non niſi uictores mortis & inferni & Satanis, eandem illam ut cohæredes adire & cernere licet. Ad quam uictoriam obtinendam crux inuenta eſt, quæ per patientiam mortificans ueterem hominem peccato & morti obnoxium, uiam ad uitam nouo homini muniret. Nam niſi caro moriatur, uictor ſpiritus non euaſerit. Victor inquam regius ille ſpiritus Meſsiæ, quo uno regali oleo unctos hoſtium ſpolia colligere licet, per eum & in eo de quo hic uates: Et fortium diuidet ſpolia. Cæterùm ubi noſter reddit, Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia: Hebræus ad uerbū habet, Et diuidam ei in multis, & cū robuſtis partietur ſpolium. Huius uerſus duplex affertur interpretatio. Vna eſt, Meſsiam cum multis ſuis electis & fortibus partiri ſpolia hoſtium. Altera eſt, multorum & robuſtorum, hoc eſt potentium hoſtium ſpolia diuidere Chriſtum. Sunt qui pro רבים reddunt גרולים, hoc eſt magnatum, potentium & fortium diuiſum iri ſpolia. Nam רב in loco potētem & principem ſignificat, ut patet ex illo על כל רב ביתו. Coloſſ. 1. 1. Corint. 15.

Eo quòd tradidit in mortem.) Ad euacuandi, effundendi, & exinaniendi uerbum ערה Apoſtolus ſpectauit, ubi ad Philippenſes ait: Sed ſemetipſum exinaniuit.

Et cum ſceleratis reputatus eſt.) latronibus annumeratus, inter quos crucifixus eſt. Clamatum enim eſt uulgo ex ſententia Phariſæorum, Barrabam latronem dimittendum, & IESVM ſeruatorem mundi crucifigendum. Quod apertum apud Euangeliſtam teſtimonium declarat, hæc prophetæ uerba de IESV Chriſto accipi debere, apud quem hæc Domini noſtri uerba ponuntur: Quoniam adhuc, quod ſcriptū eſt, oportet perfici in me: Cum iniquis reputatus eſt. Miſerabile eſt ſupplicio affici, etiam ſceleratos: miſerabilius, inſontes: ſed lōgè miſerrimum, innocentem dignum cenſeri qui criminoſorum more ſupplicio longè probroſiſsimo afficiatur: & ab ijs dignum cenſeri, propter quos ſaluandos mori non recuſet. Talis fuit Meſsias, ut ſubiungitur: Et ipſe peccata multorum tulit. Lucæ 22.

Et pro tranſgreſſoribus rogauit.) Memineratregalis dignitatis: Et fortium diuidet ſpolia. Iam ſacerdotalis muneris mentionem facit, quo Meſsias ſecundum ordinē Melchiſedeci ſacerdotio fungatur, quod Aaron ſub figura & umbra obijt, in cuius ſacerdotio myſtico hęc cōtinebantur munera: hoſtiam offerre pro peccatis populi, precari, & ei benedicere, gratias pro beneficijs agere Domino, docere legē & oracula Dei. quæ munera ut in ſacerdotio Meſsiæ, ſed meliore nota cernantur, ex propheta noſtro intelligimus. Nam quantum ad offerendi uictimas munus attinet, legimus, ut ſe pro hoſtia patri ad expianda delicta mundi obtulerit. Aaron immolauit tauros & arietes, Meſsias ſe immolauit. Si precādi munus ſpectes, legis hic: Et pro improbis interpellauit. Vt autem docendi officio fungatur, quo ſuos non legē ad eos occidendos & condemnandos doceat, ſed Euangelium ad iuſticiam & uitam eis dandam, idem noſter propheta his uerbis explicat: Et ſcientia ſui iuſtificabit ſeruus meus iuſtus multos. Sed quæ doctrina hanc ſcientiam parit? Euangelij doctrina parit, quæ ut una ſpiritus miniſterium tenet, ita ea una iuſtificationis ad æternam iuſticiam & uitam comparandam doctrina eſt. De qua doctrina paulo ſuprà: Quàm pulchri ſunt pedes annunciantis pacem. Vnde cognoſcimus, quanto præſtantius ſit ſacerdotium Chriſti ſacerdotio Aaronis, hac etiam parte. In altero docebatur publicè lex Moſæa, miniſtra literæ, iræ & mortis: in altero ſacrum Euangelium do-

cetur, in quo ſpiritus, gratia reconciliationis & æterna uita adminiſtratur. in altero ſacerdotio precabatur quidem ſacerdos, & populo benedicebat: ſed id quod precabatur, non exhibebat & præſtabat. Meſsias autem ſacerdos non ſolum uerbis precatur & benedicit, fauſta & felicia optans, ſed etiam quæ precatur & optat, re à patre tanquam redemptor & ſeruator præſtat. Cæterùm quod legimus hic, Et pro ſontibus orat: hanc orandi & intercedendi functionem in ſacerdote Meſsia, dum electorum Eccleſia in hoc mundo peregrinatur, perpetuam eſſe accipimus. Nam is in mundo uerſans, & in cruce pendens ſic precatus legitur: Pater remitte eis, quia neſciunt quid faciunt. Ex mundo autem egreſſus, in ſolio gratiæ & clementiæ ſedens ad dexteram patris, ut intercedat patronus pro ſuis, hi experiuntur in ſuis tentationibus, & Apoſtolus his uerbis explicat: Suſcitatus eſt ad dextram Dei, & intercedit pro
1. Ioan. 2. nobis. Similiter Ioannes: Et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem. Neque ſolum precatur ipſe, ſed largitur etiam ſuum ſpiritum precatorem, qui in nobis ingemiſcens gemitibus inenarrabilibus rogat patrem, ut
Rom. 8. nobis ſalutem in filio impertiri uelit. de quo illud Apoſtoli: Verùm ipſe ſpiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et is ſpiritus exauditur, qui non mundi huius ſpiritus ſit, ſed Dei & filij Meſsiæ, cui peccatum, iuſticia, mors, uita, infernus & cœlum, infera, terreſtria & ſupera ſubiecta ſunt. Per hunc ſpiritum fit, ut ſicut Meſsias rex & ſacerdos eſt, ita electi quoque reges & ſacerdotes ungantur per oleum diuinitatis ſpiritum ſanctum. De quo
1. Petri 2. ſacerdotio regali filiorum Dei, his uerbis Petrus: Vos eſtis regale ſacerdo-
Apoc. 1. tium. & Ioannes in Apocalypſi: Fecit nos reges & ſacerdotes Deo. Tantum pondus habet ad ſalutem meritum mortis ſacroſanctæ uictimæ IESV Chriſti, & eius reſurrectio, cuius regium ſacerdotium electorum opus & munus eſt. Aliter autem Chriſtus rex & ſacerdos eſt, aliter nos. ille quidem natura: nos adoptionis gratia, natura ſerui peccati & mortis. ille rex & ſacerdos, oleo
Pſal. 45. regis & ſacerdotalis ſpiritus unctus, ſine modo & menſura, præ conſortibus ſuis: nos uncti ad menſuram donationis illius. Chriſtus ita rex eſt & ſacerdos, ut nos regno illius & ſacerdotio ſubiecti ſumus, non ſecus atq; corpus & membra capiti ſubiecta ſunt. Chriſtus item ſacerdos eſt, qui ſe ipſe uictimam ad peccata expianda immolarit: nos offerimus & immolamus nos non ad expianda delicta, ſed ad ea per ignem de holocauſto Meſsia ſumptum mortificanda, ut iam expiata ſunt. Sacerdos item Chriſtus eſt, qui patronum noſtrum agat: nos patrocinio illius defenſi, ſpiritus quem ab illo accipimus ui precamur, & precantes exaudimur, ut omnis gloria regalis ſacerdotij noſtri Chriſto regio ſacerdoti debeatur. Vnde efficitur, IESVM Chriſtum ſeruatorem erga patrem aduocati munere fungi, non angelos, non diuos. Etenim in arbitro & aduocato conditiones cernuntur, nemini alteri conuenientes quàm Chriſto. Vna eſt, ut is qui ſequeſtrem & arbitrum ſe præbet inter Deum & hominem, homo ſit & Deus: homo quidem, qui morte ſua peccatum expiet, & expiato peccato homines Deo reconciliet: Deus uerò, qui donato ſpiritu ſancto, ipſe natura iuſtus, ex iniuſtis iuſtos, ex mortuis uiuos, ex terrenis cœleſtes reddat: quæ Dei munera ſunt, & hominis in quo diuinitas habitet corporatè. Quocirca apud prophetas Meſsias titulos habet, quos nemo alius habet: creatoris uidelicet ſuæ Eccleſiæ, Domini exercituum, redemptoris, ſancti Iſraelis, & Dei uniuerſæ terræ. Altera conditio eſt, ut unus ſit arbiter & patronus, qui intercedat pro improbis, ad placandum eis Deum. de qua
1. Timot. 2. conditione ſic loquitur Apoſtolus ad Timotheum: Vnus enim Deus, unus etiam ſequeſter Dei & hominum. Nam cum aduocatum oporteat eſſe hominem oleo diuinitatis plenè unctum, & ſine menſura: tales ſanè non multos dederis, ſed unum ſolum. Si des enim multos tales, aut non in ſingulis diui-

nitas

nitas plenè erit: aut si erit, cum unus satisfaciat, reliqui superflui fuerint. Ad hæc, uni corpori non plura capita, nisi monstrum fingas, iungi debent, sed unum. Vnus igitur erit salutis corporis Ecclesiæ arbiter, non plures. Dicas, etiam sanctos precari pro aliorum salute. Bene quidem. charitatis enim diuinæ lex hortatur, ut inter nos alij pro alijs oremus, sed non ut patroni & arbitri: ut quorum oratio non sit suo ipsorum placatore sanguine tincta, ut Christi oratio tincta est: qui item spiritum precatorem non matura, sed per adoptionis gratiam, quisque ad certum modum habeant, non sine modo, ut filius. Ad hæc, quod precantur, in filio arbitro precantur: & per eum, quæ precantur, siue sibi siue alijs, bona impetrant. Filius igitur patroni, arbitri & aduocati ius obtinet, nemo alius, in cuius solius nomine Deus rectè inuocatur, & exaudit. Tertia conditio est, ut qui patronum agit, aliorum peccata in se recipiat luenda, ad satisfaciendum diuinæ iusticiæ. Hæc conditio cum soli filio Messiæ competat, solus patroni & sequestris munus sibi uendicat, de quo suprà: Attritus est propter scelera nostra. item: Et pro transgressoribus orauit. huius orationem imbuente piaculari sanguine, quem in cruce pro saluando mundo fudit: sicut etiam in lege, sacerdos sine uictimæ sanguine precationem ad Deum fundere solitus non fuit. Quarta conditio est, patronum ad Deum pro humano genere qui acturus sit, eum oportere omni culpa uacare, ut sua innocentia probatus Deo, uitiositatem nostram integritate iusticiæ restituta, delere possit. De hac conditione suprà propheta: Scientia sui iustificabit, &c. Hac conditione carentes homines, sequestris, arbitri & patroni uicem præstare nequeunt. Omnes enim à primo Adamo propagati homines, originis uitio defœdati sunt, ut hominis noui & cœlestis (qualis est Messias) patrocinio egeant, quo & reconcilientur Deo, & à uitijs suis repurgentur, aspersо innocentis illius sanguine. Itaque de hoc patrono Ioannes sic loquitur: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Christum IESVM iustum. Dicit, iustum nos peccatores habere aduocatum apud Deum. Eôdem spectans Apostolus, primum hominem secundi typum esse dicit. Nam sicut uno peccato & proprio primus homo omnes uitiosos reddidit, qui ex ipso nati sunt: Sic Christus secundus homo de cœlo cœlestis, una sua iusticia omnes eos iustos facit, quos spiritu suo ex ipso ut capite manante, in nouos & cœlestes per iustificationem regenerat. Itaq; quod hic legimus, Et pro improbis intercedit: discimus, munus intercessoris & aduocati proprium Christi esse, alijs non commune. Sed pro quibus sontibus precatur Christus? Is dicit apud Ioannem, se pro mundo non orare: hoc est, pro impijs, qui in mundo uersantes in spiritum sacrum delinquunt. quod Ioannes uocat peccatum ad mortem, ad quod remittendum preces non fundantur: ut quo qui tenentur, medicinam nullam, quam Christus arbiter faciat, admittant. Hactenus de crucis & gloriæ statu Christi IESV Domini nostri, cui sit gloria & honor. 1. Ioan. 2.

IN IESAIAE CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Lauda sterilis.) Concionem plena consolatione instituit, qua ad tempus marito Messia desertam, & liberis è spiritu illius natis carentem consolatur. Cuius consolationis locos à numerosa sobole, à marito qui Dominus sit cœli & terræ, à firmiore reconciliationis fœdere, à superandis & euertendis hostibus instructos, suis locis indicabimus. Describitur à propheta duplex Ecclesiæ electorum status. Vnus, quo à marito Messia dimissa, promissionis sobole è spiritu genita caret: & ma-

rito legi copulata, liberos seruituti obnoxios generat. Hunc statum ab Agare ancilla, & Ismaele ex Agare serua Aegyptia genito figuratum, apostolus Pau-
Galat.4. lus in epistola ad Galatas indicat. Nam ut Agar ancilla Ismaelem genuit Abrahamo, qui è domo eiectus, paternæ hæreditatis particeps non esset: ita liberi qui ex Ecclesia dum sub lege est nascuntur, ut serui cœlestem hæreditatem
Ibidem. non cernunt. ueluti Apostolus his uerbis testatur: Cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus, in seruitutem redacti. Atque tali Ecclesia statu est, quocunque tempore sub lege degit, libertatis spiritu non prædita, siue ex Israelitis siue ex gentibus accipiatur Ecclesia. Nam utraque cum Messiæ spiritu grauida non redditur, legi marito subiecta, natos degeneres & seruili ingenio præditos gignit. Qui cum Ismaele ex Agare serua genito, eos qui ex promissionis spiritu ad libertatem nati sunt, infectantur: ut id superiora, & hæc nostra secula documento sunt. Nam libertatis spiritus non solum ceremoniarum legi ex elementis mundi conflatæ, sed etiam Decalogo omnium animis inscripto, & mandatis humanis, quibus filius perditus tempore profanationis electorum pectora obligat, opponitur. Itaque, ut ex Prophetæ uerbis patebit, sterilis Ecclesiæ, quam hic consolatur diuinus spiritus, miser status etiam is indicatur, in quo iam tot seculis ipsa sub Antichristo, humanarum doctrinarum ex diametro cum Euangelio pugnantium iugum experta est, & etiamnum experitur. Hæc de priore statu Ecclesiæ. Alter eius status est, quem non sub lege marito, (sic enim legem maritum in epistola ad Romanos uocat) sed sub gratia degit, è spiritu sacro Messiæ filios generans ad libertatem, iugo legis (quod iuris peccati & mortis iræque diuinæ iugum est)
Rom.7. excusso. De quo statu sic loquitur Apostolus ad Romanos: Itaq; fratres mei, uos quoque estis mortificati legi, per corpus Christi, ut iungeremini alteri, nimirum ei qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. De hoc marito, cui nupta Ecclesia numerosam sobolem sit procreatura, Propheta noster his uerbis loquitur: Nam maritus tuus, creator tuus, cuius nomen est Dominus exercituum, & redemptor tuus, sanctus Israelis, Deus uniuersæ terræ uocabitur. De hoc statu Ecclesiæ in gratiam receptæ, & cum suo marito Messia reconciliatæ, ad liberos uerè liberos generandos, per Isaacum figuratos,
Galat.4. sic loquitur idem Apostolus: At quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris. ubi quàm sapienter ab apostolo Paulo Ecclesia legis iugo exempta Saræ, & eius liberi Isaaco comparentur, doctis Messiæ spiritu clarum est.

Dilata locum tentorij.) Figura loquendi à tentoriis mutuata, quæ pro hominum numero dilatantur & contrahuntur. Consolatur à numerosa sobole. Similiter Zacharias uaticinatus est: Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum. Sed quæ & qualis Hierosolyma à propheta accipitur? Hierosolyma quæ sursum est, sed de cœlo descendens, & in terra peregrinans, per terrenam Hierosolymam aptissimis typis præfigurata, & nouissimis his temporibus ex spirituali Babylone regno Antichristi liberanda accipitur.

Quoniam ad dextram & sinistram penetrabis.) Expolitione utitur, ad amplificandam consolationem de numerosa sobole, qua Ecclesia in mundo sterilis habita, terrarum orbem sit repletura. In uerbo תפרצי significatur, Ecclesiam ui & robore omnia perrupturam, ad extendenda propagatæ sobolis tentoria ac tabernacula, uictis aduersariis potestatibus. Sed quo duce perrumpet?
Mich.2. Duce marito Messia perruptore, de quo Micheas: Ascendit ante eos perruptor, & perruperunt. Vbi dux Messias פרץ, hoc est perruptor uocatur, qui omnia dirumpat ac dissiper sacri spiritus sui ui, quæ uiam ad salutem præcludant: ut sunt, peccatum, mors, infernus, & potestates tenebrarum: & eo

duce

duce freta Ecclesia, ipsa quoque per medios hostes perrumpet ad salutem, longè latè que dilatatis tabernaculis. Quare Micheas eodem uerbo utitur, quo uates Iesaias, per allusionem ad פרץ filium Thamaris, qui interstitio rupto, ex utero editus est, prærepta primogenitura Satæ. A' quo Perez, adūbratus fuit cœlestis Perez Messias, hostium sponsę suæ Ecclesiæ dissipator: cuius ui & robore reconciliationis Ecclesiæ temporib. sit futurum, ut dilatata ad cœlum porta, per quam antea pauci ingressi fuerant, multi sint ingressuri, uia sibi ad salutem ui patefacta. De qua ui illud: Violenti rapient illud. Quæ uis & robur perrumpens cernitur in lucta & pugna aduersus carnem, mundum, & principem mundi Satanem. Cæterùm ut loci hi, Multi uocati, pauci electi: item, Arcta est uia quæ ad uitam ducit: item, Gaude pusille grex, explicandi sint, aliàs indicatum est. Cæterùm meminit tentoriorum propheta, quòd Ecclesia in hoc seculo non habet firmam & stabilem mansionem: firmam nactura, in cœlum collocatam in altero seculo, in quo mansio electorum sua fundamenta nunquam mouenda, loco tenet, non in terra. Genes. 38. Matth. 11. Genes. 19.

Et semen tuum gentes hæreditabit.) Gentibus ut oleastro, Israelitis ut naturali oleæ per Euangelij spiritum insertis, qui à respectu personarum liber est, ut qui noui & cœlestis Adami Messiæ spiritus sit, in quo neue Græci, neue ludæi, neue maris, neue fœminæ ratio habeatur, sed nouæ creaturæ. Rom. 11.

Et urbes desertas.) Euangelio destituras. quòd si abest, solitudo nobis ostēditur: eo uerò præsente, ædificata & instaurata omnia cernas.

Noli timere.) Metum excutit, quem dimissa & repudiata concipere posset, ob repudiationis opprobrium. Qua in re quantus amor in Ecclesiam, etiam tum cum in repudiatione est, à Domino geratur, præsens oraculum declarat. Dicas, à Christo non amari, qui ab eo deserti, eius spiritu non ducuntur. Quamuis Ecclesia electorum ad tempus deserta, à Christo non ametur amore quem ipsa sentiat: amatur tamen amore quem aliquando sensura sit Christo patefacto. Itaque hæc duo uera sunt: scriptos in libro uitæ perpetuò amari, etiam nondum spiritu adoptionis præditos. alterum, eos illo carentes non amari, neque esse Christi, iuxta illud: Si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. Amari quidem in Christo nondum natos ex eius spiritu, sed quo ornandi sint, & Dei amorem sensuri in Christo patefaciendo: non autem amari, amore quem ipsi sentiant. neq; esse Christi, qui eius spiritu carent, quatenus ad præsens non intelligunt se eius esse, qui semper eius sunt, eius que amore secundum gratiam electionis contineantur. Quæ gratia ipsum conditum mundum & electos antecedit. Veluti infantes in cunis iacentes, à parentibus, quorum beneficia nondum agnoscunt, amantur non minus quàm liberi qui constante ætate sunt. Vt autem etiam in electis Deus, priusquam sentiunt se in reconciliationis gratia esse, amorem suum declaret, ea de re aliàs mentio facta est. Rom. 8.

Quia non confunderis.) gratia reconciliationis superatura ignominiam & dedecus repudiationis. Quæ gratia maius momentum ad seruandum, quàm foeditas tua ad perdendum habebit.

Neque erubesces.) Tropus mutuatus in Hebræo uerbo, à fodiendo: quòd quos pudor ac rubor de ignominia & dedecore corripit, latebras quærunt, ab hominum conspectu se auertentes, ne uideantur.

Quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscēris.) Significatur adulterij pudor, qui sit abstergendus per reconciliationis gratiam. Suprà legitur: Et in sceleribus uestris dimisi matrem uestram. Submota umbra Israeliticæ gentis, occurrit status Ecclesiæ miser, in quo hæc iam aliquot seculis uersata est, aduersario omnia in loco sancto contaminante per meretricationem cum dijs alienis, in

quibus iusticiæ legis, & traditionum humanarum, mundíq; fœdi adulteri stu-
Oseæ 2. dia continentur. Hos amatores significat mysticè Oseas propheta his uerbis: Meretricata enim est eorum mater, confusa est eorum genitrix: quia dixit, sequar meos amatores, qui mihi panem, aquã, lanam, linum, oleum, potionemq; præbeant.

Et opprobrij uiduitatis tuæ.) Hoc opprobrium partim cernitur in uiduitate, qua dimissa à marito Messia est: partim in sceleribus, propter quæ dimissa est, cum alienis amatoribus adulterans: nec tamen sic utens alienis amatoribus, excidit beneuolentia & fauore ueri mariti Christi IESV. Sic enim legimus apud Oseam tertio capite: Rursus uade, ama mulierem alterius amicam & adulteram, ut amat Dominus Israelitas, qui alienos Deos respiciunt.

Non recordaberis.) Consolatur à remisso uiolatæ fidei coniugalis crimine.
Ierem. 3. De qua remissione sic Hieremias: Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo nupserit uiro alteri, nunquid reuertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & contaminata est mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Sed reuertenti ad Dominum quid fiet? Fiet ei, quod hic legitur: Et opprobrij non recordaberis. Quàm latè pateat hæc consolatio, aliquoties indicatum est. Quapropter in aduersarij regno non damnantur personæ hominum, qui hactenus uario idololatriæ genere profanati sunt: sed doctrina & falsa religio, & ex hac nata uitia damnantur: Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, monachorum, sacrificorum, scholasticorum, theologorum, persona iudici Deo iudicanda relicta. Non enim dubitamus, inter hos semper fuisse, & etiamnum esse, quorum personam ob electionis gratiam, & propter zelum timoris diuini, Deus amarit & amet, uitia & falsam religionem reprobrarit.

Quia dominabitur tui.) Consolatur à marito, quem talem sit habitura, qui ipsam ab omnibus malis liberet & tueatur: ueluti id tituli, qui ei tribuuntur, indicant. בעל Hebræis est, qui ius & potestatem in rem aliquam tanquam suam habet. Itaque alicubi Dominus, alicubi maritus in suam uxorem imperij ius obtinens, ex ea uoce redditur. Hic maritus commodè uertitur. præcessit enim: Et opprobrij uiduitatis non recordaberis. Antea tu Baalim amplexa es, & maritos alienos: iam his relictis, me maritum legitimum & uerum amplectêris, Baalim nominibus ex ore tuo sublatis. ut
Oseæ 2. est apud Oseam: Et erit in die illa, dicit Dominus: uocabit me uir meus, & non uocabit me ultrà Baalim. Et auferam nomina Baalim ab ore eius, & non recordabitur ultra nominis eorum. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum uolucre cœli, &c. Apud Oseam בעל in malo usurpatur, alluso ad Baal idolum: hic in bono, simpliciter Messia ea uoce indicata, qui sponsam suam asserturus, omnia, ei coniugali fide copulatus, bona quæ ipse habet, sapientiam, iusticiam, uitam, gloriam, regnum, & imperium in hanc uniuersitatem, sit communicaturus: ut qui hęc omnia tenẽs, qua est potentia, possit hæc tibi dare, ut sequitur:

Qui fecit te.) A' creatoris dignitate, qui sit creator tuus. Tractat locos facultatis, cum uoluntate coniunctę.

Dominus exercituum.) Ab imperio in omnia consolatio, cui omnia in cœlo & in terra pareant, & subiecta sint, & ei tanquam duci & imperatori genua flectant.

Et redemptor tuus.) Consolatio à redemptoris beneficio: quod, ut superiore oraculo expositum est, in morte, & ex mortuis excitatione ad uitam, quam suæ

sponsæ

ſponſæ largiatur, cernitur. Vox גאל ut in Meſsiam conueniat, aliàs explicatum eſt.

Sanctus Iſraelis.) Conſolatur à ui & facultate ſanctitatis, tribuendæ ſuæ ſponſæ, qui ipſe natura ſanctus ſit, omni labe & uitio carens: & ex quo, ut capite, in Iſraelitas, hoc eſt in corpus electorum, ſanctitas iuſticiæ & uitæ dimanet.

Deus uniuerſæ terræ uocabitur.) Conſolatur à diuinitate Meſsiæ, quam ſit toti terrarum orbi per Euangelij lucem manifeſtaturus. Sed quo tempore ea manifeſtatio continget? Eo tempore continget, de quo Apoſtolus: Non enim uolo uos ignorare fratres myſterium hoc, ut ne ſitis apud uoſmetipſos elati animo, quòd excæcatio ex parte Iſraeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & ſic totus Iſrael ſaluus erit. hoc eſt, omnes electi & ſcripti in libro uitæ ex gentibus & Iſraelitis, qui hactenus erroribus profanatoris omnium Antichriſti detenti fuerunt. *Rom. 11.* De hoc tempore etiam Zacharias prophetauit: Et Dominus rex ſuper omnem terram. hoc eſt, omnes electi per fidem Euangelij agnoſcent Meſsiam regem ſuum, non amplius paſtorem illum ſtultum. *14.* De quo tempore etiam illud Zachariæ accipitur: In die illa erit Dominus unus, & nomen eius unum: Euangelij uidelicet confeſſione & cultu. *Ibidem.* De quo tempore antea prædixerat Moſes: Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. hoc eſt, ſcripti in libro uitæ ex gentibus, qui ſolum in Meſsia ſemine promiſſo ipſi Abrahamo, benedicentur, benedictione iuſticiæ Dei, & uitæ æternæ. His titulis, qui Meſsiæ à propheta noſtro tribuuntur, indicatur, illum omnibus numeris diuinitatis abſolutum & perfectum hominem eſſe, habitante in eo diuinitate σωματικῶς, hoc eſt corporatè & uerè. Vſurpantur autem multitudinis numeri uoces אלהים בעליך עשיך, propter ſacræ Triados myſterium, quod in Meſsia oſtenditur: in cuius conſideratione, patris Dei ungentis & gignentis, filij uncti & geniti, & ſpiritus ſancti ut olei quo ungitur filius Meſsias rex & ſacerdos, ratio occurrit. Itaque quoniam agitur hic regeneratio, qua Eccleſia ex Meſsia marito liberos generat, quam ſacra trias abſoluit Pater & Filius & Spiritus ſanctus, Pater ut eius autor & origo, Filius ut in quo & per quem & cuius merito pater perficiat regenerationem, Spiritus uerò ſanctus cuius ui pater & filius ad ſanctitatem iuſticiæ & uitæ regeneret. de quo illud: Amen amen dico tibi, Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. & quia hæc ſic habent, uſurpantur in multitudinis numero tituli iam memorati. *Ioan. 3.*

Quia ut mulierem derelictam & mœrentem ſpiritu uocauit te Dominus.) Cæteri mariti ſuas uxores, quas repudiarunt, non temerè iterum in gratiam recipiunt, quòd uel per mortem hinc abripiantur: uel tanto in eas odio accenduntur, ut eis reconciliari nolint. At Eccleſia non ita à marito ſuo Chriſto dimittitur, ut nolit cum ipſa redire in gratiam, aut mortuus non poſsit: ut qui ſemper, ut creator eius, ut Dominus exercituum, ut redemptor eius, ut Deus uniuerſæ terræ, uiuat. Quare huius mariti bonitas propenſior eſt ad ſeruandum, quàm eius ira ad perdendum: & potentior eſt ad ſalutem dandam, quàm hoſtes ad exitium afferendum. Accedit ueritas & fides redemptoris, per quam nequeat committere, ut uelit promiſſam ſalutem non præſtari: cuius quia potiorem rationem ducit in tribuenda miſericordia, quàm uindictæ in ira declaranda, ideo ad conſolandum dimiſſam & repudiatam, hæc quæ hic leguntur, plena conſolatione habentur.

Et uxorem ab adoleſcentia tua abiectam, dixit Deus tuus.) Apud Oſeam ſcriptum legimus, Eccleſiam ſub figura Iſrael emptam quindecim argenteis, & hor- *Oſeæ 3.*

dei coro, dimidio'que hordei coro: & deinde dimissam, Domino marito non uti. In quo oraculo sunt præfigurata Antichristi tempora, quæ & in nostro uate præfigurantur, in quibus Ecclesia in adolescentia empta precio sanguinis IESV Christi, dimissa deinde est: quæ aliquanto tempore carens regno & sacerdotio Christi, à dracone seducente totum terrarum orbem uexaretur. In qua uexatione neque adulterorum fidem, sed perfidiam experta est: neque Christo marito, ut eius Euangelio priuata, usa est. Atque hoc ipsum est quod scriptum hic legimus: Quia derelictam & mœrentem spiritu uo
Oseæ 1. cauit te Dominus, & uxorem iuuentutis repudiatam. Itaque idem Oseas in uiso iussus est uxorem meretricem ducere, ad præfigurandum Messiam, cuius sponsa Ecclesia primò putidum scortum est, cum mundo, dijs alienis & filio perdito meretricans: & cum talis sit, eam tamen non dedignatur uxorem ducere: sed ita, ut eius adulterij & fornicationis uitio purgato, sanctam eam reddat per regenerationem è spiritu sacro. Vt impleatur illud eiusdem prophetæ:
Oseæ 2. Et dicam non populo meo, Populus meus es tu, & filij Dei uiuentis. & ipsa Ec
Oseæ 13. clesia dicet, Deus meus es tu. Et hoc est, assimilari Messiam in manibus prophetarum.

Ad punctum in modico.) Consolatur à tempore quo breui Ecclesia electorum sit deserenda: & à magnitudine misericordiæ, quæ opprobrium repudiationis, & afflictiones eius, magno cum fœnore beneficij redemptionis sit compensatura: momentanea ira paulisper uultum sponsæ subtrahi, sed clementiam sempiternam in eandem declaratum iri. Itaque si quis percunctetur, cur omnino suam sponsam deserat Messias, quam diu deserere nequeat: & cur ei irascatur, cui perpetuò irasci nequeat: respondendum ei est, Non malo ipsius eam deseri, & iram repudiantis mariti experiri: sed bono, ut nimirum locus æternæ misericordiæ declarandæ pateat. Quis enim locus clementiæ ostendendæ futurus sit, si iræ materia omnino præcidatur? Quare subijcitur: Vt
2. Corinth. 4. æterna misericordia tui miserear. Vnde discimus, calamitates filiorum Dei, & earum luctum momento mensurari: gaudium uerò de futura gloria, æternitate. **Derhalb wie sich halret eyn tropff wassers gegen dem gantzen meer / also halret sich Gottes zorn über seyne kinder gegen seyner gnad vnnd erbermdt / die vil weniger zů erschöpffenn ist / dann das meer.**

Sicut in diebus Noæ.) Consolationem iureiurando confirmat: sicut iurauí, me mundum non amplius diluuio deleturum, & ad confirmandum iusiurandum arcum in nubibus pono: ita iuro, me posthac te non perditurum, cum nouissimis patefactionis mei temporibus anathemate ad destruendum Antichristi regnum terram cœpero ferire, me posito in nubibus afflictionum pro arcu cœlesti: quo electi mei admoneantur, se deletum non iri. De quo
Ezech. 1. arcu Messia Ezechiel: Et à lumbis eius usque deorsum uidi quasi speciem ignis splendentis, in circuitu uelut aspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluuiæ. Ad mysterium hoc explicandum, nubium, unde oriantur, & ex liquatis nubibus ut fundantur aquæ, atq; arcus iridis ut in caua nube exresplendente sole efficiatur, eiusq; uariorum colorum ratio consideranda fuerit. Qua de re alio loco facta est mentio.

Vt non irascar tibi.) temporibus uidelicet reconciliationis: ut antea temporibus repudiationis, recepto à te aduersario meo, & me relicto, iratus tibi fui.

Montes commouebuntur.) Consolatio à stabilitate clemẽtiæ diuinæ, qua suos nũquam sit deserturus. Citius montes & colles motũ iri, quàm illam. Indicat cõsolator spiritus Messiæ, scriptorum in libro uitæ salutem esse firmam, quam nulla

potestas

poteſtas atque uis labefactet: & Domini erga illam amorem eſſe æternum, qui diſſui & reſcindi propter immutabile electionis propoſitũ nequeat. Quæ maxima eſt omnium piorum & filiorum Dei, teſtimonium huius amoris in pectore gerentium, conſolatio: quod teſtimonium eis dat arrabo Spiritus, neque fallere neque falli potens. Itaque hoc modo hic ad explicandam firmitatem ſalutis percunctari licet: Si ulla uis pijs ſalutem eripere poteſt, quæ & qualis ſit illa uis? Num peccatum? At hoc uictum eſt morte illius, qui peccatum factus eſt, ut peccatum & ius eius tolleret. Num mors? At reſtituta uita per excitationem Chriſti è mortuis maior morte eſt. Num Satan? At is iudicatus eſt, & de eo triumphatum in ligno crucis. Num Antichriſtus? At is ſpiritu oris illius peremitur, qui in fœmore ſuo ſcriptum tenet, Rex regum & Dominus dominantium: & titulos Creatoris, Domini exercituum, Redemptoris, & Dei uniuerſæ terræ habet. Aut is ipſe ſalutem quam ſemel dedit, unquam auferet? Abſit. quomodo enim eam auferat, quam ut impertiret electis ſuis, ſanguinem ſuum fudit: qui ſi, cum adhuc peccatores eſſemus, mortuus pro ſuis eſt, quanto magis iuſtificati ſanguine eius ſeruabuntur per eum ab ira? & ſi, cum eſſemus inimici, reconciliati fuimus Deo per ſanguinem filij eius: multo magis reconciliati ſeruabimur per uitam ipſius. Atque hoc ipſum eſt quod hic legimus: Et æterna miſericordia miſerebor tui. Quæ æterna miſericordia cernitur in ſcriptione nominum noſtrorum in libro uitæ, in Meſsia antecedente hunc mundum, & omnia quæ mundo continentur. Quò ſpectans Chriſtus, hoc modo gaudere nos iubet: Gaudete quòd nomina ueſtra ſignata ſunt in cœlis. *Apocal. 19.* *Rom. 5.* *Luc. 10.*

Fœdus pacis meæ non mouebitur.) non pecudum ſanguine, ſed meo confirmatum: non ſaxo, ut fœdus legis Moſęæ, ſed in tabulis carneis ſcriptum: fœdus inquam legis ſacri Spiritus, pacem conſcientiæ abolito iure peccati & mortis afferens. De hoc fœdere nouo, & irrito nunquam reddendo, his uerbis Hieremias loquitur: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam cum domo Iſrael & domo Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus ueſtris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed erit pactum hoc quod feriam domui Iſrael: Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Dicit legis Moſęæ fœdus irritum factum, hoc eſt non ſeruatum: legis autem nouæ fœdus irritum non fore, ſed ſeruatum iri. Sed cur hoc ſeruatur, Moſæum non ſeruatur? Quòd uetus fœdus per legem Moſæam non iuſtificet, hoc eſt, Spiritum ſanctum, quo ametur Deus & alter, non ſuppeditet: ut eadem illa ſpiritum, quem habeamus, præcipit: nouum autem fœdus merito ſanguinis IESV Chriſti iuſtificet, hoc eſt Spiritum ſacrum largiatur, qui corda noſtra amore Dei accendat, quo Moſæa lex non accendit. Eſt enim ſpiritus Meſsiæ lex uitæ, liberans à iure peccati & mortis: ut in iuſtificationis explicatione indicatum eſt. Quem ſpiritum legis uitæ, Hieremias legem ſcriptam in cordibus noſtris, non ſaxeis, ſed carneis (ut ea uocat Ezechiel) dicit. Atque in hac lege diuini Spiritus nouum fœdus per ſanguinem IESV Chriſti cum electis initur, nunquam abolendum. De quo fœdere ſpiritus adoptionis noſter Propheta infrà: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, &c. *Jerem. 31.* *Rom. 8.* *Ezech. 36.*

Dixit miſerator tuus Dominus.) Qui ut maximè poſsit fœdus ſemel initum rumpere, tamen obſtat miſericordia & fides, ne uelit: cuius omnes uiæ, ut Dauid huius fœderis uim expertus canit, ſunt bonitas, & ueritas ſeu fides.

Pauperculam.) Notantur tempora aduerſarij, cuius tyrãnide afflictã Eccleſiam ſignificat *Pſal. 25.*

11. significat diuinus Spiritus: quam tyrannidem Zacharias uates per stultum pastorem præsignificauit declarandam. Atque eadem tyrannis ab eodem uate indicatur in חבלים, hoc est uastatoria uirga, qua illum usurum dicit in desolanda Ecclesia: sed ita, ut tandem uastans hæc uirga excindatur, ipsa Ecclesia reZach.11. conciliata cum Domino marito suo. ueluti idem uates dicit: Gladius super brachium eius, & super oculum eius dextrum: brachium eius aridítate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Similiter uates noster hic, Et ego creaui interfectorem ad disperdendum: seruata talionis lege à diuina iusticia, qua par est, ut is qui suo brachio, hoc est potentia usus est aduersum regem cœli & terræ, & sponsam eius Ecclesiam, potentia omni spolietur: & qui oculo dextro sapientiæ suæ abusus est ad cæcandos electos, ipse cæcus redditus in tenebris pereat. Per stultum enim hunc pastorem uirga נעם, hoc est iucunditate & amœnitate Euangelij sublata, omnia fœditate & squalore doctrinarum dæmonum obsoleta reddita sunt, fœdere pacis ad tempus obscurato, de quo idem Zacharias uates: Et tuli uirgam meam, quæ uocatur נעם, id est iucunditas, & frangam eam: ad tempus occultando fœdus meum, quod pepigi cum omnibus populis. Quod fœdus Euangelij fœdus est, per Antichristum in orbe terrarum antiquatum, propter ingratitudinem: ob quam Ecclesia dimissa est ad tempus à marito Messia, cum aduersario adulterãs, tantisper dum his nouissimis temporibus restituto Euangelio hæc ipsa cum Christo rediens in gratiam, experiatur quod hic legitur: Momento te dereliqui, ut magna misericordia colligam te.

Tempestate conuulsa.) Sed quæ est illa tempestas, qua Ecclesia horribiliter uexatur? Tempestas persecutionis est, qua purpurata illa meretrix Babylon, & tyranni orbis terrarum, meretricantes cum sanguinaria illa meretrice, Ecclesiam persequuntur, & hostiliter infectantur. Intueamur tempora Neronis, Domitiani, Diocletiani, & aliorum, & hæc nostra tempora: quibus horribilis illa bestia patefieri incipit per sacrum Euangelium, agnitũ cum maximo eius furore.

Absq; consolatione.) ut à me dimissa: cum unius Spiritus consolator spiritus sit, neminis alterius. Atque ô sponsa, sic cares consolatione, ut etiam amicos tuos
Thren.1. inimicos tibi esse sentias. ut de Hierosolyma Hieremias in lugubri suo carmine canit: Non est qui consoletur eam, ex omnibus charis eius: omnes amici spreuerunt eam, & facti sunt eius inimici. Sed quid accidit tandem Ecclesiæ, quę tot & tantis afflictionum procellis ac fluctibus in uasto mũdi huius mari iactatur? Sequitur:

Sternam per ordinem.) Ecclesia ciuitas, quæ in mundo per aduersarium desolata & uastata iacuit, reconciliationis temporibus instauranda prædicitur. In qua instauratione hæc ordine perpenduntur: ædificatio, ciues quales sit habitura, & bonus eius status. In quo bono statu hæc nobis spectanda proponuntur: pax, iusticia, & tranquillitas aduersus hostes, & eorum quæ ad diuinæ uitæ cul
Apocal.21. tum necessaria sunt copia. Huc refer, quæ Ioannes in sacra sua Apocalypsi de huius ciuitatis reparatione ex sententia prophetarum uaticinatus est. In ædificatione autem fundamenta, muri, portæ & fenestræ describuntur. in fundamento lapis IESVS Christus ponitur, de quo suprà capite uicesimooctauo: Ecce mittam in fundamentis Zion lapidem angularem, lapidem probatum, preciosum, in fundamento fundatum. Atque Zacharias propheta hunc lapidem septem oculis, quibus omnia contempletur, ornatum, & cælatura sacri spiritus cælatum dicit, qui omnibus ornamentis & muneribus diuinitatis sit præditus. Lapides autem precioſi, ex quibus ædificium supra fundamen-
1.Petri 2. tum Christum extructum constat, sancti sunt, uiui lapides. de quibus Petrus: Ipsi quoq; ueluti uiui lapides ædificemini, domus spiritualis. Hos lapides Zacharias capite nono, lapides נזר, hoc est coronæ uocat: hoc est, lapides regia

dignitate

dignitate ornatos. Quæ Meſsiæ, diadema cœleſtis regni & throni in capite gerentis, dignitas eſt, & electis ac ſcriptis in libro uitæ communicata. Architectatio autem ipſa & ædificatio cernitur in ſacri Euangelij prædicatione, ex cuius miniſterio in lapidibus illis ſpiritus uitæ excitatur. Nam qui Euangelium adminiſtrant munere uocationis diuinæ, ſpiritus & myſteriorũ regni cœlorum diſpenſatores ſunt. In lapidib. precioſis ortus, natura, uires, decus atq; ſplendor & firmitas expenduntur. Quæ ſingula in illis, ut ex phyſicis patet, admirabilia ſunt: ſed longè admirabiliorem ortum, uim atq; ſplẽdorem & firmitatẽ in gemmis illis, ex quibus cœleſtis Hieroſolyma ædificatur, ſpectare licet. Hæ gemmę ex cœleſti humore ſpiritus ſacri, de quo cœleſtis homo Chriſtus Dominus noſter loquitur naſcuntur: Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, &c. Vis aũt & natura admirabilis in facultate fidei, & amoris ex fide nati, in benefactis, in operib. præclaris quæ ab his gemmis eduntur, oſtenditur. de quibus operibus ille ait: Amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora his faciet. Splendor & ornatus horum lapidum ſpectatur in ornatu, quem his uerbis maritus Meſsias celebrat in ſponſa ſua, in Cantico illo myſtico Salomonis: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Hæc pulchritudo in uario ornatu munerum Spiritus ſancti cernitur. Si firmitatem ſpectes, de his gemmis ſcriptum eſt: Omnis qui credit in me, non morietur in æternum. Nulla igitur ui hi lapides precioſi diſſoluuntur: cum contrà Indicæ gemmæ & Arabicæ, facilè ad eum uſum parato ſucco diſſoluantur, ut quæ in terra, non in cœlo naſcantur, quæque ex ſolubili fluxorum elementorum mundi compage oriantur. Contrarius ortus gemmarum eſt, quas hic diuinus ſpiritus celebrat.

Ioann. 3.
Ioan. 14.
Cantic. 1.
Ioan. 11.

Et ponam lapidem propugnacula tua.) Hebræus habet: Et ponam chryſtallum lumina tua. Luminoſum fore ædificium hoc cœleſte. Sed quo lumine illuſtrabitur? De Meſsia ſuprà ſcriptum eſt: Et ipſe erit lumen gentium. Similiter Ioannes: Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus. Huic claritati chryſtallus lapis congruit, de quo ſic idem Ioannes: Et lumen eius ſimile iaſpidi chryſtallum imitanti.

Apocal. 21.

In lapides ſculptos.) אקדח carbunculus, à fulgore igneo ſic appellatus. Qui hic lapides אקדח uocantur, in Ezechiele אבני אש nominantur. Carbunculi naturam ferunt eſſe, cuncta circumtecta fulgore ſuo inſtar ſolis illuſtrare, animos excitare, alacres reddere: idq; propter lucem, quę naturà mentem exhilarat, accidere. Legimus hic, portas ciuitatis nouæ & cœleſtis ex carbunculis ignis in morem ſplendentibus eſſe. Hęc porta omnes in ſacram ciuitatem ingredientes illuminans, fulgens ille carbunculus eſt, de ſe prædicans: Ego ſum oſtium. & de ſplendore ſuo: Ego ſum lux mundi.

Ioann. 10.

Lapides deſiderabiles.) De primario lapide Meſsia benedicto legimus apud Zachariam, ut ei acclamaturi ſint magna cum lætitia: Gratia gratia. hoc eſt, eum gratioſum & amabilem lapidem eſſe. de quo Dauid canit: Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Et cæteri lapides precioſi, hoc eſt filij Dei, quòd ſunt lapides probati, quiq; bene placeant ob elegantiam & pulchritudinem, Meſsię lapidi debent, à quo ſuam gratiam ſumunt: cuius omnia ut ſint expetenda, canit ſponſa in Cantico canticorum.

Zach. 4.
Pſal. 45.
5.

Et uniuerſos filios tuos doctos à Domino.) deſcribunt ciues: hos filios Dei eſſe, doctos non mundi huius & humanę ſapientiæ ſpiritu, ſed Dei: ſpiritu inquã regio & ſacerdotali Meſsiæ: quo docti, filij Dei naſcũtur. Huc ſpectans Zacharias, hos lapides coronę lapides uocat: alludens ad eorũ regiam & ſacerdotalem dignitatem in corona denotatam. Quę ſacri ſpiritus Meſsiæ dignitas eſt, qui docendo filios Dei gignit, & gignẽdo docet, luce eos illuminans, ad ius cœleſtis gloriç. Hoc dictum prophetæ noſtri Dominus citat apud Ioann. Nemo ad me uenire

9.
Ioan. 6.

poteſt,

Ioan.6. poteſt, niſi pater qui me miſit, traxerit eum, & ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Eſt ſcriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. per oleum uideli-
1.Ioan.2. cet diuini ſpiritus, de quo Ioannes: Sed ſicut ipſa unctio docet uos de omnib. & uerax eſt, & non eſt mendacium. Similiter apud Hieremiam ſcriptum legi-
31. mus: Omnes cognoſcunt me à minimo uſq; ad maximum. Sed quo lumine in eorum animis lucente, cognoſcent ad unum omnes Deum? lumine legis ſacri ſpiritus, de quo idem propheta Hieremias: Dabo legem meam in uiſcerib. eorum, & in corde eorum ſcribam eam. De hac lege ad uitam æternam illu-
Matth.16. minante Dominus: Caro & ſanguis tibi non reuelauit, ſed pater meus. Et Apoſtolus: Nemo poteſt dicere Dominum IESVM, niſi per Spiritum ſanctum. Et
1.Ioan.4. Ioannes: Ex hoc cognoſcimus in eo nos manere, & ipſum in nobis, quòd de ſpiritu ſuo dedit nobis. doctore uidelicet ueritatis: quo qui præditi ſunt diuinitus docentur ut filij Dei, non humanitus ut filij hominis. Et ut docentur ſpiritu ſacro doctore, ita ex eo gignuntur filij Dei. Quare hic coniunguntur hæc duo, filij, & docti à Domino. Ex quorum coniunctione intelligimus, nos beneficio regenerationis non tropicè generari filios Dei, ſed uerè: nimirum è ſpiritu Dei, conſortes diuinæ naturæ factos. Quò pertinet illud: Ex Deo nati ſunt. Nam ut corpora animantium non ſimilitudine quadam & metaphora animis ſuis animari dicuntur, ſed uerè per naturæ animorũ participatum, ad uitam animalem fungendam: ita ſancti ſacro Meſsiæ ſpiritu ad uitam diuinam & cœleſtem animari, non metaphora quadam & ſimilitudine indicantur, ſed uerè, olei diuinitatis (quod Spiritus ſanctus eſt) beneficio regenerationis participes facti. Cæteræ res conditæ participes Dei ſunt, ſed ita, ut in eis Deus uerſari intelligatur creatæ perfectionis cõmunicatione: in renatis autem ſupernè è ſpiritu Dei uerſatur, communicatione perfectionis quæ creatura non ſit. Verſatur enim in eis communicatione ſapientiæ, quæ Dei ſapientia ſit, non creata ſapientia: uiuificantur uita quę Dei uita ſit, in Chriſto, non creata uita: redduntur iuſti, communicata eis iuſticia Dei: fortes, per fortitudinem de qua Dauid, Deus fortitudo mea eſt. Dicas: Si nos Dei filij naſcimur ex Deo in eius naturæ participatum, quod ergo diſcrimen inter Meſsiam filium Dei & nos eius filios erit? Quantum attinet ad ſpiritum ſacrum, magnum diſcrimen cernitur. nam Meſsias dicitur filius Dei natura, nos gratia adoptionis. Etenim nos natura ex primo Adamo naſcimur filij peccati, & iræ Dei obnoxij: & per adoptionis gratiam renaſcimur è ſpiritu adoptionis filij Dei, à peccato & diuina ira liberi. Chriſtus uerò natura, non gratia adoptionis, à conceptu è Spiritu ſancto Dei filius eſt, ab omni uitio liber. Itaq; naturæ quidẽ diuinæ per regenerationem reddimur conſortes: ſed non natura, hoc eſt à primo ortu, ſed gratia adoptionis ſecundo ortu. Dicas: Si diuinæ naturæ per generationem e ſpiritu Dei efficimur participes, totius diuinæ naturæ reddimur participes: quòd hæc diuidi nequeat, ut omnibus modis ſimplex. Quòd ſi ita res habet, dicat aliquis, nihil intererit inter diuinitatem (quæ cernitur in oleo diuinitatis, Spiritu ſancto) Meſsiæ & filiorum Dei, de quibus hic mentio fit. Primò hoc intereſt, quòd Chriſtus IESVS, ut naturalis filius, ſine menſura & modo Spiritu ſancto
Ioan.3. unctus eſt. ſic enim de eo legimus: Et pater dedit ei ſpiritum ſine menſura.
Epheſ.4. Sancti autem ad modum donationis capitis ſui Chriſti ſpiritu ſacro unguntur: qui quamuis partibus careat, natura eius, quæ ſimplex eſt, ſpectata: in exerendo tamen ſe & oſtendendo aliter Chriſto ſe communicat, aliter nobis: ſine modo & menſura illi ſe communicans, nobis certo modo: cuius infinita perfectio infinito modo in Meſsia habitat, in electis finito modo & determinato, quanti quodq; membrum in corpore Meſsiæ capitis particeps eſt. Sicut in homine anima in quauis corporis parte eſt, ſed ita, ut aliter in alijs atq; alijs membris ſe proferat. Hinc fit, ut Meſsias unctus Dei, filius Dei, totius diuinitatis

nitatis consors dicatur: nos filij ex parte Spiritus sacri participes. ille Deus plenè, corporatè in eo diuinitate habitante: nos dij, certum diuinitatis modum tenentes. ille Dominus omniũ: nos in illo, & per illũ domini, quantum de regio illius spiritu participamus. In sermonis creatoris omniũ ratione discrimen est. Messias benedictus sermo ille Dei æternus est, per quẽ creata sunt omnia: in nobis uerò nõ creatoris, sed creaturæ ratio cernetur. Sic enim de Christo Domino nostro Apostolus loquitur: Qui est imago Dei inconspicui, primo genitus uniuersæ creaturæ. quòd per illum creata sint omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, aspectabilia & inaspectabilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per illũ & in illũ creata sunt. Cęterũ quoniã legimus hic, spiritu Dei nos diuinitùs doceri: nemo propterea putet, lectionis Scripturæ sacræ & prædicationis Euãgelij atq; mysteriorũ quę sacris literis cõtinentur explicationẽ tolli: imò potius hæc confirmabitur. Nã quę spiritus Dei in electorũ pectore docebit, huiusmodi erunt, quæ cũ sacris literis diuini Spiritus afflatu sanctis hominibus patefactis cõsentient: secus quàm putãt fore quidã à Satane decepti homines, qui Apostolorum & Christi doctrinam antiquantes, nouam quãdam ad exemplũ Mahumeti cõminiscì audẽt. Sed quãtus sit horum hominum error, exitus ipse comprobat. Hoc statuendum est ex nostro propheta, diuinum Spiritum docturũ quidem filios regni cœlestis, sed ea quæ cum scriptura ueteris & noui Testamenti consentiant, nusquam dissentiant. Etenim in his duo testes, duæ oliuæ, duo candelabra cernuntur: in quibus testimonium locuples, & oleum cœlestis doctrinæ, quæ satis sit ad testificandum de regno Dei, continetur. Propheta noster suprà legis ex Sione profecturæ mentionem facit, cuius ministerium in finem usque mundi durabit: ueluti in promissis diuinis est, Dominum Ecclesię daturum eos qui annuncient pacem. Suprà porrò legimus: Quàm pulchri sunt pedes super montes annunciantis & prædicantis pacẽ. Præterea in Ecclesia publica celebratio beneficiorũ quæ Christus in nos cõtulit, manebit: at hæc celebratio fundatur testimonio sacrarũ literarum. Itaq; & harum lectio, & earũ explicatio in Ecclesia durabit, ad celebrandum Deum patrem in Messia filio, per Spiritum sanctũ: foris per sermonẽ sanctorum ministrorum animos piorũ percellentem, intus per internum oleũ lucis suæ benedictæ docentẽ. sed qui ita doceat, ut liberè doceat, ad nulla mũdi elementa astrictus: sicut etiã liberè sacrũ spiritũ impertit electis suis, ad nullam obseruationem rerũ externarum alligatus. Nam ut id alio loco indicatum est, uniuersæ doctrinę sacrę & sacramẽtorũ usus in eo spectatur ut nostros animos ijs rebus quæ in sensus cadunt, ad Messiam sedẽtem ad dextrã patris dirigant. unde se præsentẽ per communicationẽ rerũ spiritualiũ inaspectabiliũ, ut sunt iusticiæ & uitæ æternæ munera, & in uarijs tẽtationibus cõsolatio, se exhibeat.

Zach. 4. Apocal. 11.

Et multitudinem pacis.) Describitur ciuium sacræ ciuitatis status, qui eos doctos à Domino comitatur. hanc cerni in pace, quam obtinent qui diuino spiritu docti sunt, qui ueram pacem suis conciliat, de qua illud: Pax & gaudium in spiritu sancto. Pax hæc in tranquillitate animorum erga Deum, & in concordia ciuium cœlestis Hierosolymæ cernitur, de qua illud: Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equos de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli. Est pax quæ in domestica societate inter maritum & uxorẽ, inter parentes & liberos, inter Dominum & operas coalescẽte cernitur. Est deinde pax ciuilis, quæ inter ciues custoditur, & ab externis hostibus sarta tecta defenditur. Est demum pax Ecclesiastica, quæ inter eos qui eadem religione, & ea uera tenentur, initur, eorum conscientiam pacificante sanguine agni: quæ uera pax est. & ubi hæc regnat, neq; domesticæ neque ciuili societati pax deerit. Contrarium his generibus pacis bellum est, omnia mala afferens.

Rom. 14.

Et in iusticia.) Altera boni status pars iustitia est, qua sit firmanda ciuitas regis

Meſsiæ. Hæc eſt uis ac facultas ſacri Spiritus, qua Deo per fidem amore uiuam quod Dei eſt, & proximo quod proximi, & ſecundum hominem omnibus creatis rebus quæ eis ex ordinatione diuina conueniunt, tribuitur. Atque hæc uis iuſticiæ diuinæ quoniam ex Chriſto capite dimanat, in ſacra ciuitate Hieroſolyma habitare dicitur. Cui iuſticiæ contraria uitia ſunt, perfidia in Deum, furta, homicidia, adulteria, odia, inuidia. Quæ ſi inueniuntur in Hieroſolyma Eccleſia, hæc non Meſsiæ, ſed aduerſarij ciuitas appellabitur. quæ ſuprà à propheta his uerbis reprehēditur: Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? iuſticia habitauit in ea, nunc autē homicidæ. Hanc etiam apud Mi-
Mich.3. cheam Dominus cōqueritur, à malis principibus crudelitate & iniquitate ædificatam: Qui Sionem ſanguinibus & Hieroſolymā iniquitate extruitis. Sed quid huic tandem accidet? Id accidet finitis tēporibus deſolationis ſpiritualis, quod hic legimus: In iuſticia firmaberis. & ſuprà cap. XXVI. Aperite portas, & ingredietur gens iuſta. & cap. 52. Neque enim amplius per te ibit præputiatus.

Recede procul à calumnia.) Bonus ciuitatis ſanctorum ſtatus deſcribitur, à ſecuritate aduerſus hoſtilem fraudem & oppreſsionem. Imperatiuus oracularis pro futuro accipitur: Procul aberis à fraude, qua draco Satan per filium perditum te defraudauit, ſublato Euangelio, & inducto anathemate, de quo Za-
Zach. 14. charias: Et anathema non erit amplius, ſed ſedebit Hieroſolyma ſecura.

Ecce accola ueniet.) Hoſtes inteſtini ſignificantur, qui ſe domeſticos ſimulantes, hoſtilia machinantur. qualis eſt Antichriſtus, & eius pſeudoprophetæ,
1. Ioan. 2. de quibus illud: Filioli, nouiſsimum tempus eſt: & ſicut audiſtis quòd Antichriſtus uenturus ſit, etiam nunc Antichriſti multi cœperunt eſſe: ex nobis egreſsi ſunt, ſed non erant ex nobis. Conſtat enim, Antichriſtum oppreſſorem Eccleſiæ, ex ipſa Eccleſia emerſiſſe, & in ea contra eam ueſari: de quo
2. Theſſ. 2. legimus, ut in templo Dei ſedeat, ſed contra templum, quod nimirum ua-
Zach. 5. ſtet & profanet. Quò pertinet uolumen errorum Antichriſti, quod (ut ſcriptum eſt apud Zachariam) porticus templi Salomonij magnitudinem habuit. Veteres ſtatuerunt, ex templo profectum. Intuentes beſtiam triplici corona coronatam, & in ſinu Eccleſiæ natam, & aduerſus eam bella gerentem, intelligemus quod hic myſticè à propheta prædicitur: Ecce commorando commorabitur, me non autore: & qui commorabitur tecum, contra te cadet. Cadet uidelicet ex alto, qui ſupra id quod dicitur Dei numen, extollere ſe audeat. Et is qui non eſt ex Eccleſia, legitur in Eccleſia peregrinari: ut facit Antichriſtus Romanus, & Mahumetus Aſianus & Africanus.

Ecce ego creaui fabrum.) Præceſſerat, Procul aberis à fraude. item: Qui commobitur tecum, contra te cadet. Iam facile fore ut cadat, comprobat argumento à creatoris facultate ducto: Leuiter hoſtes Eccleſiæ perdi à Deo, qui manuum eius opus ſint: ideo non eſſe cur ab hoſtibus ſuis illa ſibi metuat. Sed contrà metuendum eſſe aduerſario CHRISTI cum ſuis pſeudoprophetis, metuendum tyrannis orbis terrarum Eccleſiam Meſsiæ hoſtiliter inſectantibus. Nam Meſsias non opus manuum iſtorum eſt, ſed ipſi opus manum eius ſunt, cum quibus ius habet agendi quod uelit.

Sufflante in igne prunas.) ad hoſtilia inſtrumenta & arma procudenda. Indicatur ignis furoris hoſtilis, quē per arma ſua hoſtis declarat. Hæc arma, ſi carnalē hoſtē ſpectes, ſunt gladij, tela, lanceæ, bōbardæ: ſin ſpiritualem, qualis eſt Satan, & eius filius perditus, paſtor ille ſtultus, arma occurrunt hypocriſis & mendacia.

In opus ſuum.) ad dandam armis formam propoſitam. In opere neceſsitas & uſus accipitur. Ad opus ſuum: hoc eſt, ad neceſsitatem & uſum, quem procuſa arma afferunt.

Et ego creaui interfectorem ad diſperdendum.) qui hoſtium tuorum conſilia, conatus & arma, in te & tuos filios, ô ſponſa, parata diſperdat. Hæc indicant, in

deſtina

deſtinationem diuinam pariter hoſtes ſanctorum & hoſtium perditores cadere, nihilq; in hac uniuerſitate ſiue bonum ſiue malum, ſine conſilio & decretis prouidentiæ diuinæ contingere. Huius igitur fide qui ſe liberant, quieti ſunt in aduerſis & proſperis, ſabbata ſanctificãtes Deo. Conſiderãt enim, ſi res aduerſæ accidant, harum fabros à Deo creatos, per quos nos nõ noſtro malo, ſed bono, uariis afflictionibus uexet. ſin res proſperæ, has euenire eadem Dei cura, diſſipatis fabris, quos ad nocendum improbitas impellit. Semperq; hoſtes potentes in alios æquè potentes, aut potentiores, à Deo excitatos per angelorũ miniſterium, incidere, à quibus eorum conſilia & conatus frangantur. Itaque Amos: Qui uaſtatorem cõtra fortem corroborat. Et apud Zachariam quatuor *Zach.1.* fabri nominantur, quos Deus crearit, ad quatuor regna quæ Hieroſolymam infeſtarunt, euertenda. Nam Babylonios Perſæ, hos Græci, Græcos Romani euerterunt. Romanorũ imperium partim inteſtina & ciuilia bella, partim Barbaræ gentes externus hoſtis imminuerunt, dum hoc cum beſtia Antichriſto, qui Romano imperio (ut eſt in Apocalypſi) reliquo ſuam poteſtatẽ dat, conci- *Apoc.13.* dat. Sed quis & qualis faber à Domino paratus eſt, qui ſæuam beluam Antichriſtum interficiat? Is faber Meſsias eſt, ſpiritu oris ſui confecturus hãc immanem beluã. Sin res typo præfigurata conſideratur, eſt qui prædicationis Euangelij gladio ſpiritualem Babylonem regnum Antichriſti confodiet. Nam is gladius ſpiritus Euangelij gladius eſt, ex ore Meſsiæ per os illorum egrediens, de quo Dominus: Vos non eſtis loquentes, ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loqui- *Matth.10.* tur in uobis. Atq; hi ſunt illi fabri, qui filij perditi mendaciorum architecti tela diſſipant. Itaq; ut Antichriſtus ex Eccleſia egreditur, in ea partem non habens: ſic ex eadem illa, locum in ea tenens firmum, ut eius caput, Meſsias tanquam dux egreditur, qui fabrum illum pernicioſum ad liberandam Eccleſiam perdat. Nam is ſuorum uindex, angulus ille eſt, & clauus, & arcus bellicus, qui potentem hoſtem Draconem, & filium eius Antichriſtum, inſtar luti proculcet, de quo Zacharias his uerbis meminit: Ex ipſo angulus, ex eo clauus, ex eo belli- *Zach.10.* cus arcus, ex eo omnis exactor egredietur, eruntq; tanquam heroes in lutum uicorum conculcantes hoſtes ſuos. Vbi uates Meſsiam, & eius miniſtros ac legatos Heroes appellat, qui heroico ſpiritu prædití omnem aduerſariam poteſtatem diſſipent. Atque propter hos heroes in cantico Canticorum legitur, ut *Canti.3.* lectum Salomonis ſexaginta milites circumſepiant, Iſraelitarum fortiſsimi, qui gladios teneant, rei militaris periti. Reducto uelo, quod cubile, & cuius Salomonis cubile tot fortiſsimis militibus muniatur, pijs obſcurum non erit. Si Eccleſiam ex electis deſcriptam, in qua ſuauiter Meſsias cubet, ijdem conſideret, quod cubile ad ipſum cuſtodiendum fortiſsimi Iſraelitarum circumſepiant. de quibus noſter cœleſtis Salomon: Dabo uobis os & ſapientiam, cui non pote- *Luce 21.* runt contradicere, neque reſiſtere omnes qui aduerſantur uobis.

Et omnem linguam reſiſtentem tibi.) Hæc lingua mendacis Draconis mendax lingua eſt, per filium perditum & eius falſos prophetas, mendacia aduerſus Meſsiam & eius Eccleſiam loquens. de qua lingua Daniel: Et ſermones contra ex- *7.* celſum loquetur, & ſanctos altiſsimi conteret. Et Ioannes in Apocalypſi, ex *Apocal.13.* oraculo Danielis: Et datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias, & aperuit os ſuum in conuicia ad Deum, ut conuicijs afficeret nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant. Et eſt datũ illi bellum facere cum ſanctis.

Hæc quamuis, ſi literam ſequamur in Daniele & Apocalypſi Ioannis, ad Romanos Imperatores, qui Eccleſiam crudeliter perſecuti ſunt, referantur: litera tamen euoluta, ad alteram beſtiam in imperio Romano, & ſede eius Roma exortam quoq;, & uerè conueniunt, de qua ſic loquitur Ioannes: Et uidi aliam *Apocal.17.* beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo, ſimilia agni: & loquebatur ſicut Draco, mendacia uidelicet aduerſus Chriſtum, & ſponſam eius Ec-

cleſiam. & huius, eiuſq; pſeudoprophetarum mendacem linguam, contra Ecclesiam uibratam, condemnatum iri ab Ecclesia, hic legimus.

In iudicio.) Refertur ad præcedentia: Quæ ſurrexerit aduerſus te, ad diſceptandũ. Intueamur, præter ſuperiora ſecula, hæc noſtra, in quibus ut aduerſarius contra ſanctos, per falſos ſuos doctores & prophetas, linguam ſuam ad tuendos errores ſuos armet, diſceptationes eius acres ſatis clarè oſtendunt, quas uſq; ad carceres, laqueos, gladios & ignem extendit.

Iudicabis.) agni Euangelio, & eius ſpiritu freta iudicabis: hoc eſt, damnabis & perdes. De quo ſpiritu iudiciario Ioannes: Spiritus arguet mũdum de peccato. Atque ad hoc mundum iudicandi munus obeundum, legimus filios Eccleſiæ non humano, ſed diuino ſpiritu doctos, & eo ſpiritu armatos, fortiter aduerſus hoſtes dimicare, & eos uincere.

Ioan.16.

Et hæc eſt hæreditas.) donatio ſpiritus ſancti, iuſticia, uita, pax & gloria cœleſtis regni.

Et iuſticia eorum.) præmium & merces iuſticiæ, merito ſanguinis Meſsiæ, non noſtris meritis comparatæ, ut ſequitur.

Apud me.) à me, legitur enim עָלַי.

IN CAP. QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

OMnes *ſitientes uenite ad me.*) Poſtremò explicat diuinus ſpiritus res, quæ ad uictum & ſanctæ uitæ cultũ ciuibus de cœlo deſcendentis Hieroſolymæ neceſſariæ ſint, quarũ copia ad bonum ciuitatis ſacræ ſtatum pertinet. Cum autem dicit, Omnes qui ſititis uenite: neq; excludit quenquã, neq; promiſcuè omnes admittit, quibus cœleſtẽ uictũ impertiat. Nam nullum genus hominum excludit, qui perſonarum rationem nõ habeat, ut Dominus omniũ, & diues in omnes inuocantes ſe: neq; ſine delectu omnes ciuitate ſua donat, & eis alimẽta ad uitã æternã alendam ſuppeditat. Sed quibus ſuppeditat? Sitientibus & eſuriẽtibus ſuppeditat. dicit enim: Omnes qui ſititis uenite. Sed qui ſitiãt, quæras fortaſſe. Sitiũt, quorũ pater cœleſtis corda ſpiritu ſuo excitarit, ut expetant aquas illas ſalubres, de quibus Propheta noſter ſuprà meminit: Effundã aquas ſuper ſitiẽtes. quas his uerbis interpretatur: Effundã ſpiritum meum ſuper ſemen tuum. Sacer igitur ſpiritus Meſsiæ aquas illas ſupracœleſtes, ſitim ueræ iuſticiæ & uitæ ſedantes, continet. de quibus ita apud Ioannẽ, prophetã Ieſaiã explicãs Dominus loquitur: Si quis ſitit, ueniat ad me, & bibat. Sed quid ſitit, & quid bibit? Subiicit: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autẽ dicit de ſpiritu, quẽ credentes in ipſum accepturi erant. Is locus explicat, ut & quomodo caro Chriſti ſit noſter cibus, & eius ſanguis noſtra potio. Itaq; ciues cœleſtis Hieroſolymæ ſitient ſacrum Euangelij ſpiritum, cuius aquis ex Meſsia manãtibus potabuntur. Has aquas ſitiuit Dauid, cum precaretur: Cor mũdum crea in me Deus, & ſpiritum firmum in me renoua. Item: Et ſpiritus principalis confirmet me. Regius uidelicet ſpiritus, quo refectus, defectas per tẽtationem peccati & mortis uires reparem. Hac ſiti carentes, ad has aquas non inuitantur: ut ſunt hypocritæ, & mũdi huius ſapiẽtes homines, qui ſua iuſticia & ſapientia ſatiati, has diuinas aquas & cœleſtẽ panẽ Meſsiã nõ expetũt, ſed eũ aſpernãtur. Hi quoq; ad aquas, quibus ſuos potent, inuitant: ſed quæ turbidæ aquæ ſint humanarum doctrinarum, de quibus Hieremias loquitur. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt, fontẽ aquæ uiuę: & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere aquas non poſſunt. Contrà habet fons Meſsias, qui perennes aquas fundit, ſitim ſedantes, & ſordes uitiorum extergentes, ut eſt apud Zachariam: In die illa erit fons patens domui Dauid & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.

Cap.44.

Hierem.2.

Zach.13.

Et qui

Et qui non habetis argentum.) Gratuitæ liberalitatis Meſsiæ munus eſſe, aquam, uinum, lac, panem, ciuibus Hieroſolymæ ſuppeditari: nõ meritorum humanorũ. Cõtrà aduerſarij illiberalitas habet, cui omnia uenalia ſunt, remiſsio peccatorum, iuſticia, regnum cœlorũ, matrimonia, ſacramenta, & ſummatim omnia ſacra & profana. Is non dicit, Qui caretis pecunia, uenite emite abſq; argẽto: ſed, Si ſititis ueniam peccatorum, numeretis pecuniam, qua illorum condonationem, quam indulgentiam uocant, redimatis. Si eſuritis fœlicitatem, pendendum erit precium meritorum, quo illam ematis: non gratis accipiatis per fidem IESV CHRISTI. De qua aduerſarij auaricia ſic prædixit Petrus: Et per auaricíam fictis ſermonibus de uobis negociabuntur. 2. Petr. 1.

Abſq; argento.) Memorabilis de gratia diuina, qua nobis ſalus cõſtet, locus. De qua gratia Apoſtolus: Gratia enim eſtis ſeruati per fidẽ, idq; non ex uobis. Dei donũ eſt, nõ ex operibus, ne quis glorietur. Quod ſi preciũ quo tibi ſalus empta eſt, perpẽdẽdũ eſſe putas: nõ tuũ, quod pẽdas, occurrit, ſed illius qui tibi, ut gratis acciperes ſalutẽ, ſanguinis ſui preciũ pſoluit. De quo precio ſuprà: Attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et Apoſtolus: Empti eſtis precio magno. Quod ſi etiã numerare maximè uelles de tuis meritis preciũ, occurret illud: Quid habes quod nõ accepiſti à Deo? Dei donũ eſt. Si facta oſtentas, hæc Dei opus ſunt, non tuũ, ut tu totus Dei opus es. Et ut maximè, quæ in te cernis, tua eſſent, non Dei: in his tamẽ nullus locus precio, quo ſalutẽ redimeres futurus ſit: quòd quę in nobis ſunt, noxę ac culpę obnoxia iudicãtur, qui natura iræ, nõ gratię, improbitatis, nõ probitatis filij ſimus. Vt aũt precij uim habeat moneta adultera & reprobata? Itaq; diuinus ſpiritus hic dicit: Venite emptũ ſine pecunia & precio. Ephes. 2. 1. Corinth. 6. 1. Cor. 4.

Vinum.) Diuinæ & cœleſtis ſapientiæ uinũ, conſolationem & læticiã afferens afflictis. Quod ſuauiſsimum uinum ex uite Meſsia manat, qui de ſe dicit: Ego ſum uitis. Ad uinum ex hac uite fluens inuitamur in Cantico canticorũ: Bibite & inebriamini. In hac lætificans uinum Meſsias afflictionum aquas in nuptiali conuiuio conuertit. Propinat & aduerſarius uinum, ebrios faciens: ſed quod eo obrutis exitium afferat. De quo pernicioſo uino ſuprà ſcriptum legimus: Neſcierunt præ ebrietate, & abſorpti ſunt à uino. Hoc uinum ſuis amatoribus propinat meretrix illa Babylon, de qua illud: Habens poculum aureũ in manu ſua plenum abominationibus, & immundicia libidinis ſuæ: & inebriati ſunt, qui inhabitant terram, uino proſtitutionis eius. Ioan. 15. Canti. 5. Ioan. 2. Apoc. 17.

Et lac.) nutrimentum ſpiritus Euangelij, quo nutriti creſcamus in uirilem ætatẽ in Chriſto. De hoc lacte Apoſtolus: Lactis potu uos alui. quod ex uberibus ſpõſę manat, de quibus in Salomonio carmine ſpõſus Meſsias: Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli. Et ut ſponſæ ubera gemellis capreæ cõparantur, ita uenter eius in eodẽ illo carmine dicitur exprimere aceruũ tritici roſis cinctũ: Venter tuus aceruus tritici roſis circundatus. Nã in Eccleſiæ ſponſæ uẽtre reperitur panis ille uitæ, qui de cœlo deſcendit, Meſsias benedictus, quẽ uẽter ſponſę reliquis mẽbris impertit. Quoniã autẽ dulciſsimũ odorẽ panis is edit, le gitur ipſe cinctus ſuauiter fragrãtibus roſis. Hinc de ſacrificio ex pane hoc cœleſti confecto, myſticè ſcriptũ eſt in Moſe: Odoratus eſt Dñs odorẽ ſuauitatis. 1. Cor. 3. Canti. 7. Canti. 7. Ioan. 6. Leuiti. 2.

Quare appenditis argentum non in panibus.) Vanum ſumptum, qui in ea fit quæ non ſunt panis, hoc eſt ad uictum non commoda, & laborẽ qui impenditur ad res comparandas quæ non ſaturant, reprehendit. In qua reprehenſione per contẽtionem amplificat panem ſaturantem, qui eſt IESVS Chriſtus, in ſacro Euangelio nobis propoſitũ ad comedendũ, non in ulla alia doctrina. Huic cõtrarius panis eſt, quẽ paſtor ſtultus ſuis edendum præbet: panis nimirum pollutus, de quo meminit Malachias: Offertis ſuper aram meam panem pollutum. Malach. 1.

Audite.) fidem habendo Euãgelio meo, cuius ſpiritu afflati, quoniam ex Deo ſunt, audiũt quæ Meſsias docet. Sic enim apud Ioannnẽ loquitur: Qui ex Deo Ioann. 8.

est, uerba Dei audit ut cõtrà, Qui ex Deo nõ sunt, eius spiritu minimè ornati, in cõtrariam reprehensionẽ incurrũt: Vos nõ auditis, quia ex Deo nõ estis. qualis
Matth. 3. est Satan serpẽs, & eius soboles maledicta, de qua Ioãnes: Progenies uiperarũ.
Cantic. 1. *Venite ad me.*) Sed qui ueniunt? Veniunt, qui cum sponsa precantur: Trahe me
Ioan. 6. post te, curremus. De qua tractione Dominus: Nemo ad me uenit, nisi quem pater traxerit. Gratiæ igitur & clementiæ diuinæ opus fuerit, trahi, ut uenias ad Messiam: non naturæ, per quam, ut uitiosam, non uenire, sed tergum uertere
Cap. 32. dicimur, ut est apud Hieremiam: Verterunt mihi terga.
Rom. 8. *Et uiuet anima uestra.*) Sed qua uita uiuet? uita, de qua illud: Spiritus uita est propter iustificationẽ, in qua spiritus in credentiũ pectora funditur, amissã iusticiã & uitã reparans. Vitã inquã uiuent, qui ad Messiã uenerint, eius uictu uescẽtes.
Ioan. 6. de qua uita, Dominus, uita ipsa electorum, sic loquitur: Panis enim Dei est, qui de cœlo descẽdit, & uitã dat mundo. Hæc autẽ uita qualis sit uita, idẽ ille explicat, ubi ait: Verba quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt. Nam ut homo animalis anima uiuit, quę sensum & motũ corpori exhibet: ita spiritualis homo spiritu sancto uiuit, qui cœlestem motũ & agitationẽ excitat, nunquã finiendã.

Legimus hic, eũ qui audiuerit, & uenerit ad Messiã, uicturũ: Hæc uerba ex-
Ioan. 5. ponens Messias, sic ait: Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in cõdemnationem non uenit, sed transit à morte in uitam. Dicit, credentes in ipsum iam habere intrà se uitam æternam, spiritũ nimirũ uitę æternæ, qui quos afflarit, uiuificat, & testimoniũ in
1. Ioann. 5. eorũ corde ponit, de quo Ioãnes: Qui credit in filiũ Dei, habet testimonium in seipso. & hoc est testimoniũ, quòd uitam æternã dedit nobis Deus: & hæc uita in filio eius est. De cuius nimirum copia spiritus uitę in credentes proficiscitur, quo qui animantur, uerè dicunt Christũ filiũ Dei in se uiuere. Et hoc est quod hic legitur, Viuet anima uestra. Et quia Messias uita est ipsum audientibus, in
Psal. 95. Psalmo legimus Messiã Deũ esse, his uerbis: Quia ipse est Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius: Hodie si uocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Quod est hic: Inclinate aurẽ uestrã, & uenite ad me, &c.

Et feriam uobiscum fœdus sempiternum.) Hoc fœdus nouum testamẽtum est, quod in nouissima tempora præsentationis Messiæ cadit. Sic enim pro uoce fœderis ברית ab Euangelista διαθήκη redditur. Similiter à LXX. quos illi imitãtur. Testamẽtum igitur Deus se facturum dicit: sed quale testamentũ, hoc est, qualem hæreditatem legaturus est? & quibus hæredibus, & cuius sanguine legatã hæreditatem confirmaturũ se promittit? Nã in testamentis hæc solent expendi: Is qui ferit & testamentũ facit, deinde testamentũ, tum designati hæredes: quartò sanguis, quo intercedente ratũ fit testamentũ: quintò pactio & conditio, quam seruet qui hæres scribitur: demum hæreditas ipsa, quæ legatur. Singula ordine persequemur. Hæreditas testamento nouo legata, cœlestis regni hæreditas est, quæ remissis peccatis in iusticia Dei non legis, in uita, quæ Deus ipse est in Messia hæredibus ipsis danda, cernitur. Atq; hæreditas illa ipsa merces est de
Genes. 15. qua ad Abrahamũ Deus ipse remunerator: Ego ero merces tua. Quæ glorioſa merces, non est aliquod creatum bonũ, creata sapientia, iusticia, uita, creata fœlicitas: sed Deus ipse, summum bonum, ab electis in Christo filio possidẽdum. De qua possessione Ioãnes: Scimus autẽ, quod si apparuerit, similes ei erimus,
1. Ioann. 3. quoniam uidebimus eũ sicuti est. Hæredes sunt, scripti in libro uitæ, spiritualis soboles Abrahami: ut hæreditatis terræ Chananeæ, promiscuè omnes nati secundum carnem ex Abrahamo, hæredes fuerunt. Pactio uerò & conditio ab hæredibus seruanda, fidei in Messiam per amorem agẽtis pactio est, de qua pactione hic fit mẽtio: Audite me, Venite ad me, Euãgelio meo fidẽ habendo, & eam sanctitate uitæ exprimendo. Quod ad sanguinem attinet, quo testamentum nouũ ratũ fit. Messię sanguis est, in morte eius fusus, de quo sanguine

ille

ille ipse sic loquitur: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effun Matth. 26.
ditur in remissionem peccatorũ. Et de eodẽ sanguine Zacharias: Tu quoq; in Zach. 9.
sanguine noui testamenti tui emisisti uinctos tuos de lacu, in quo nõ est aqua.
ubi loquitur de cœlesti Hierosolyma, cuius ciues uinculis peccati & mortis cõ-
stricti, è lacu inferni, qui aqua in uitã æternã scaturiente caret sanguinis IESV
Christi merito liberi emittũtur, ad accipiendũ spiritũ sanctũ: qui quoniã sangui
nis Messiæ beneficio nobis datur, huius sanguis noui testamẽti sanguis ap pel-
latur, & ministeriũ noui testamẽti, nõ literæ, sed spiritus: nõ mortis, sed uitæ mi
nisteriũ uocatur. De quo testamento supra ut scribatur, in electorũ pectoribus
nũquã abolendũ, ex Hieremia propheta mẽtio facta est. Quale nõ fuit fœdus Exod. 19.
& testamentũ ad Sinã montẽ cũ maioribus Israelitarũ ictũ, quod in saxeis tabu
lis exaratũ, irritũ factũ est, & antiquatũ: in altero umbra, in altero res ipsa expres
sa: in altero litera legis, in altero spiritus legẽ perficiens: in altero legata bona flu
xa & tẽporaria bona, in altero firma & nũquã peritura: in altero sanguis uaccæ
quo firmabatur, in altero sanguis agni cœlestis tollentis peccata mũdi: in altero
Israelitæ secundũ carnẽ, in altero Israelitæ spirituales secundũ promissionẽ æter
næ electionis filij Abrahami, cernũtur. Quod expẽdens Epistola ad Hebræos,
sic loquitur de uetere testamento: Etenim si prius illud tale fuisset, ut nihil in eo
posset reprehẽdi, haudquaquã secundo fuisset locus. Itaq; hæc indicant, ut fœ-
dus ac testamẽtũ de quo hic loquitur Propheta, à uetere, ab hæredibus, à cõdi-
tionibus quas hæredes seruẽt, à sanguine intercessore, & ab ipsa hæreditate dif
ferat. Hæc duo fœdera & testamẽta inter se differre, ut regnũ Dauidis mysticũ
à cœlestis Dauidis Messię benedicti regno, ut sacerdotiũ Aaronis à sacerdotio
Christi differt. Huc ergo afferẽda est dijudicatio spiritualis, qua in mystico te-
stamẽto corporata & figuralia cũ corporatis & figuralibus cõferamus, & in ue-
ro & spirituali testamẽto spiritualia cũ spiritualibus. Quod si fecerimus, aberit
omnis cõfusio & perturbatio iudicandi, magna nostrũm consolatione, quã affe
runt hęc uerba: Et feriam uobiscum fœdus sempiternũ. Sed qua de re sequitur:

Misericordias Dauid fideles.) Explicatur, quæ bona testamentum cõtineat: Conti-
nere fidelem benignitatẽ ac bonitatẽ Dei, quam nulla ui auertendã electis suis
Deus ostẽdat. Sed in quo hęc bonitas cœlestis patris fidelis, rata & stabilis illis
redditur? In Dauid Messia stabilis & fidelis redditur, quẽ Dauid filius Isai præ-
figurauit. Huius sanguine nouũ recõciliationis & remissionis peccatorũ testa-
mentum cum electis constituitur. De quo sic loquitur Christus ipse, testamẽti
huius author: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur,
in remissionẽ peccatorũ. Messiã autẽ nomine Dauidis appellari, ex Osea, Hie-
remia & Ezechiele clarũ est. qui sequẽtibus uerbis à Propheta nostro describi-
tur. Porrò apud Oseã legimus cap. 3. Postea cõuertẽtur filij Israel, & quærẽt do-
minũ Deũ suũ, & Dauid regẽ suũ. qui est rex Messias. Vbi paraphrastes Chal-
dæus sic habet, למשיחא דרוד. Similiter apud Ierem. scriptum est cap. 30. Et ser-
uient Domino Deo suo, & Dauidi regi suo. Non aliter Ezechiel, cap. 37. Et ser-
uus meus Dauid rex super eos. De eodem Messia Dauide exponuntur loci in
Psalm. 89. & 17. interprete etiam Chaldæo paraphraste.

Ecce testẽ populis dedi eũ.) Qui tũ de mea bonitate ac misericordia, tũ de iusticia
testimoniũ p sacrũ Euangeliũ daret. De bonitate quidẽ mea, qui sic diligã mũ-
dum, ut ad eũ seruandũ non pepercerim unigenæ filio. De iusticia uerò, qui re-
bellium perfidiã & odiũ in meos impunitũ non relinquã. Quod testimonium,
quoniã per Euangeliũ Christus exhibet & manifestat, ipse testis Dei patris, &
Euangeliũ testimoniũ, & huius doctores testes appellãtur. ut ex Actis Aposto Actor. 1.
lorũ cognoscere licet, in quibus Apostoli testes uocãtur. Et de Euãgelio apud
Matthæum sic scriptũ legimus: Prædicabitur hoc Euangelium omnibus genti
bus in testimonium, in testimoniũ ũnquam iusti iudicij Dei, quo de rebellibus Matth. 24.

pœna expetetur: & clemẽtiæ erga pios declarandæ per arbitrũ ſalutis Chriſtũ, qui teſtificatur per ſpiritũ ſuum nobis patrem reconciliatũ. de quo teſtimonio
Rom. 8. his uerbis Apoſtolus: Idem ſpiritus teſtatur, unà cum ſpiritu noſtro, quòd ſumus filij Dei. Et ut Chriſtus teſtis eſt Dei patris, de eius clementia in filios cœleſtis regni declaranda teſtificans: ita idem teſtis eſt iræ patris ſui in ſceleratos ef-
Malach. 3. fundẽdæ. De quo teſtimonio Malachias ſic loquitur: Accedã ad uos in iudicio, & ero teſtis uelox in maleficos, in adulteros, in periuros, in eos q̃ mercede fraudant mercenarios. Sed per quẽ teſtẽ hoc iudiciũ exercebitur? Per Meſsiam teſtem, de quo præcedit in eodem Malachia: Venietq; repentè ad templũ ſuũ Dominus, quem uos quæritis: & angelus teſtamẽti eius, quem uos expetitis. 10

Ducem.) Non ſolum teſtis officio fungi Chriſtũ, ſed etiam principis & ducis. Sed qualis ducis? Non talis ducis & principis principatum gerit, qualem huius mundi principes gerunt, armis, equis, militũ præſidio, opibusq; & potentia terrena inſtructi: ſed principatu frangitur, qualis cernitur in doctrina, & ea non humana, ſed diuina, & eius ſpiritu cœleſti, de quo principatu ſuprà Propheta: Quia de Sion exibit lex, & uerbũ Domini de Hieruſalem. Sed quid hac lege & uerbo efficietur? Sequitur inibi: Et iudicabit, hoc eſt, ſceptro Euangelij tanquam dux & iudex reget gẽtes, & populos caſtigabit. Quãta autẽ huius ducis potentia ſit, quã uerbo exercet, & eius ſpiritu, experiuntur pariter pij & impij: his ſpiritu oris Meſsiæ pereũtibus, illis ſalutẽ æternæ iuſticiæ & uitæ cõparanti- 20
bus. De Meſsia duce ſimiliter loquitur Iere. cap. 30. Et dux eius ex eo, ubi Chaldæus paraphraſtes reddit, ורמשירחיתון מבניהון: hoc eſt, Et Meſsias eorũ ex medio eorũ. Et ubi habet Hebræus, Egredietur: idem paraphraſtes reddit, יתגח, [hoc eſt, patefaciet ſe, per Euangelij uidelicet doctrinã, de qua ſequitur mentio.

Et præceptorem.) qui condendi leges, & eas mãdandi poteſtatẽ habeat. Ferendi inquã Euãgelij legẽ, & iubendi ut ea ſeruetur, poteſtatẽ ut teneat, declarãt uer-
Matth. ult. ba illa ad Apoſtolos facta: Euntes ergo docete omnes gẽtes, baptizãtes eas in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eas ſeruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Quam præceptoris & imperatoris poteſtatem pater his uerbis
Matth. 3. cõfirmat: Hic eſt filius meus dilectus, cui faueo, ipſum audite. Hæc præcipiẽ- 30
di & imperandi poteſtas lõgè lateq; patet & extenditur, in cœleſtia, terreſtria, & infera. In infera ut pateat, iudicatus & uictus Satan documẽto eſt, & inferni portæ eius imperio fractæ. atq; illa increpans præceptio, de qua apud Euangeliſtam: Præcipiebat ſpiritui immundo ut exiret ab homine. In terreſtria quam poteſtatem habeat, documento eſt beſtia ex terra nata, huius præceptoris ſpiritu conficienda. Et eius præceptio in mare ut ſe extendat, comprobat increpans
Lucæ 8. illud mandatum: Et excitatus increpauit uentũ, dixitq; mari, Tace obmutesce: & conquieuit uentus, factaq; eſt tranquillitas magna. In cœlo ut angelis præcipiat, declarat thronus eius, ad quem illi aſsiſtunt, ad eius iuſſa exequenda pa-
Daniel 7. rati. ſic enim apud Danielẽ ſcriptũ eſt: Decies centena millia adminiſtrabãt ei. 40
Sed longè ſuauiſsimus eſt præceptor & imperator Meſsias, in eos qui ſuis mandatis (quæ fidei Euangelij mandata ſunt) parent. Is enim præcipit, & præcipiendo ſuis electis largitur quæ præcipit. Nã præcipiendo fidei iuſticiam, quam habeamus: eã abolita iniuſticia, liberaliter donat. Is enim præceptor, eorum quæ præcipit Dominus eſt: Dominus nimirum probitatis & improbitatis, uitæ & mortis, lucis & tenebrarum. Is præcipit, ut Deum ames ſupra omnia, & alterũ ut teipſum. quod ut præſtes pro ſtatu uiatoris, ſpiritum amoris in pectus tuum fundit, ut exæquare quod lex à te requirit, non præſtans. Qualis præceptor neq; Moſes eſt, neq; ulli alij. Cæteri præceptores, præcepta ſua in tabulis ligneis, æreis, ferreis & ſaxeis ſcribunt: noſter in pectoribus ſcribit, ut ſua ſpõte 50
quæ præcipit faciant. Hunc præceptorem ſui, quibus præcipit, amant: & eum non uelatum, ſed retecta facie ſecum loquentem amanter in oculis ferunt.

Contrà

Contra habet præceptor Moſes, cuius uultum ut non tulerint Iſraelitæ, & in eum intueri ut non ſuſtinuerint, ex Exodo patet, & ex altera epiſtola Apoſtoli ad Corinthios. Neq; id mirum fuerit. alter enim præceptor ita præcipiendi munere fungitur, ut ſpiritum & uitam & gratiam oſtendat, & eam liberaliter diſpenſet: alter uerò literam & mortem & iram adminiſtret, gratiæ & uitæ diſpenſandæ munere carens. Exod. 19. 2. Corinth. 3.

Gentibus.) ut quæ antea legis naturæ præceptores & doctores habuiſſent, iam ſuauem & amabilem legis gratię doctorem habituræ ſint. Dicas, & illos de Deo docuiſſe, ut ſit ſummum bonum, & eius participatu bonum ſtatum homo adipiſcatur: quem proximè ad Deum, ut ad eius imaginem conditum, accedere non ignorent. Fatemur hæc Philoſophos non ignoraſſe, ſed quid inde efficietur? Philoſophos'ne, quibus gẽtes claruerũt, ea de felicitate & bono ſtatu comparando docuiſſe, quæ Chriſtus docet? & eadem utroſq; docendi ratione uſos? Abſit. nam de alia felicitate Philoſophi, gẽtium doctores & theologi, de alia Meſsias docet: & is alia docendi præcipiendiq; ratione utitur, quàm illi uſi ſunt, & etiamnum utuntur. Nam quod ad felicem & bonũ ſtatum attinet, Philoſophi de eo diſſerunt, non qui in Deo ſummo bono, ſed qui in natura quæratur ac inueſtigetur: hoc eſt, de participatu ſummi boni, quod Deus eſt, diſſerũt, quatenus homo eius non per uim & facultatem Dei ſuperantem naturæ uim & facultatem particeps reddatur, ſed quatenus eũ ſua ui participet. Etenim hi docent ab homine felicitatem comparari, & comparatam conſeruari, ſi pro natiua, quam in creatione accepit ui, bene uiuendo & intelligendo præſtantiſsimam actionem exerceat, conuenienterq; naturæ degendo Deum exprimat. Intra hos fines ſe philoſophi continentes, ex naturæ conditæ condita & creata ui, boni ſtatus rationem, hoc eſt, naturalem felicitatem metiuntur. Quod cum faciunt, hac ratione hominem cæteris creaturis infœliciorem ſtatuũt: quòd hæ omnes à fine ſuo, quo Deum ſummum bonum repræſentãt, nunquã excidant: homo excidat, per corruptam & uitiatam naturam. Quærenda igitur erit alia boni ſtatus & fœlicitatis ratio, & alia docendi præcipiendiq; & conſequẽdi illam uia, atq; alius doctor & præceptor. Is autẽ doctor alius & præceptor Meſsias eſt, qui de cœlo cœleſtis doctor eſt, & præceptor, nõ ſapientia humana, ſed ſpiritu diuinitatis ſacro ad docendi munus obeundũ unctus. Præcipiendi autem docendiq; ratio, qua utitur, in eo uerſatur, ut doceat optimum ſtatum atq; fœlicitatem (hoc eſt, Dei ſummi boni adeptionem, quæ uerè felicem reddat) in eo cerni, ſi homo ſummum bonum, non ſuæ naturæ uiribus, ſed Meſsiæ ſpiritu fretus, per tolerantiam crucis, ueterem hominem à conſortio Dei abſtrahentẽ crucifigentis, adipiſci moliatur: & intima coniunctione Deo per Deum, hoc eſt, per ſacrum ſpiritum, non per naturalem uim copulari ſtudeat. Qua naturali ui, ut finita, ſummum bonum Deus homini ad ueram fœlicitatem uniri nequit; ſed ea ui ſolum, quæ creatæ naturæ fines excedit, qui eſt ſpiritus adoptionis, in quo clamantes Abba pater, ſapientiæ, iuſticiæ, uitæ & gloriæ diuinæ in Chriſto IESV conſortes, ad optimum ſtatum conſequendum reddimur. Hanc felicitatis nanciſcendæ uiam & modum, Philoſophi doctores gentium, ut eius ignari, non oſtenderunt: neque, qui fidei lumine carerent, oſtendere potuerunt. Nam in Philoſophia naturalis intelligendi lux lucet, quæ creata lux ſit: & amor Dei docetur, qui creatus amor ſit. At lumen, in quo ſummum bonum in ſe cernitur, lumen eſt de quo Propheta Dauid: In lumine tuo uidebimus lumen. & amor, quo Deus in filio Meſsia amatur, amor eſt, de quo Ioannes: Deus amor eſt, & qui in amore manet, in Deo manet. Itaque ad fruendum felicitate illa uera, non noſtro conatu aſcendimus, ſed diuina patris ui trahimur. Nam ſicut uapor ſurſum non effertur, niſi ſolaris luminis radio attractatus: ita nemo cœlum petet, niſi tractus eius lucis radijs, quæ de ſe dicit, 1. Ioan. 4.

Ego

Ioan.6. Ego sum lux mundi. quæ est Christus Dominus noster. qua luce qui non illuminantur, & eius cœlesti spiritu non aguntur, non assequuntur per naturales uires, ut ad principium suum Deum redeant: sed hoc solum, ne à seipsis discedant. Quare ut unum cum Deo reddamur, id natura non præstat, sed spi-
Rom.8. ritus Dei, nos in Christo Deo copulans. Itaque Apostolus ait, eos filios Dei esse, qui Dei spiritu aguntur: ipsos cum Deo, participatum diuinæ iusticiæ, sapientiæ & uitæ intimè coniungente: qui erit optimus & fœliciſsimus status, quem electi consequantur: quem solus doctor Christus docet, & docendo suis largitur, non Moses, non ulli Philosophi. Atqui nequaquã propterea Moses in tradẽdo bono statu errat, neq; Philosophi in explicãdo eo omnino hallucinantur. Moses enim felicitatem hominis describens, ostendit amandum Deũ supra omnia esse, cuius amor præstet ut cum ipso unum efficiamur: sed ut hunc diuinum amorem consequamur, neq; ipse clarè exponit, neq; eum ut doctor Messias in pectora electorum fundit, & per ea bona quæ lege continentur bonum
21. illum & felicem statum adumbrat, ut est in Epistola ad Hebræos: Lex umbram obtinens futurorum bonorũ, non ipsam imaginẽ rerum. quam, hoc est expressam ueritatem uerorũ bonorum, Messias doctor suis assignat. Philosophi autẽ intra naturę fines se continentes, & lumine naturali utentes, naturalem felicitatem describunt, quatenus unumquodq; bonum suum statum obtinere dicitur, Deum uidelicet, cũ eo modo participat, quo ut participet conditum est. ueluti ignem bona conditione esse dicunt Philosophi, primò quòd est in rerũ natura, qui nõ esset, nisi participatu Dei esset, qui esse ipsum est, à quo omnia quæ sunt, ut sint accipiunt. Deinde, quòd certa forma est, & (ut sic loquar) actus, in quo Deum ille summum actum & formam formarũ exprimit. Tertiò, ignis benè & fœliciter in suo genere habet, cum ignem producit, diuinam fœcunditatem imitans: qui Dei etiam iusticiam effingit, cum intra fines suos se continet, alterius naturæ terminos non inuadens. Postremò, cum nobis deseruit, sãtis claram significationem dat, se Dei bonitatem participare, ad bonum suum statum obtinendum & tuendum. de qua imitatione & expressione diuinæ bonitatis
Genes.1. illud: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Similia cum docent Philosophi de cæteris, non malè docent, qui in naturali fœlicitate docenda se naturæ finibus circumscribunt. In hominis autẽ bono statu describendo, si Philosophi non præstant docendo, ut eum ille ipse assequatur: hoc corruptæ naturæ uitio fit, ob quod homo finem suum non adipiscitur in prima molitione præscriptum, ut cætera uitio carentia adipiscuntur. Nam in homine, propter originis peccatum, corpus cernitur debilitatum, sensus hebetes & obtusi, animus dissolutus, & ita prauis affectionibus deprauatus, ut minimè actiones ad quas conditus est, perficere pro dignitate possit. Bonam igitur Philosophorũ doctrinam, quatenus ex legis naturalis fontibus dimanat, deprauata natura sæpe superat, quo minus homines ad eam perfectionem perueniant, ad quam naturæ ductu & uiribus tendunt. Hac igitur parte tolerabilis est Philosophorum de finibus bonorum & malorum doctrina. Sed intolerabiles sunt Theologi sophistæ, qui in scholis iam aliquot seculis in explicanda religione principem locum sibi uendicarunt. nam hi Philosophiam cum Theologia, lumen naturæ cum diuino naturam superante, uires uoluntatis humanæ cum diuini spiritus uiribus miscentes, neq; fœlicitatem naturæ finibus circumseptam, neq; eã quæ naturã superat, rite explicarũt. Siquidem quod ad optimum statum, quem nobis sacræ literæ proponunt, comparandum pertinet, eum partim ex naturæ facultate, partim ex gratia adiuuante naturã ponderant. Dicunt enim, per liberum arbitrium, unà cum gratia Dei, salutem seu bonum statum comparari: atq; à Deo habitum infundi, per quẽ nos grati redditi, ea præstare possimus quæ ad assequendam beatitatem pertinent. Quod cum statuũt, salutem non in summo

bono

bono, quod Deus est, sed in se quærunt, in naturæ nimirum ui & facultate. aut partim in hac, partim in diuina gratia, quæ sit creatus habitus, in quo & per quē ipsi Deo grati facti, unū cū eo reddamur, ad fœlicitatem comparandā. At uerò in hac doctrina quāta sit cōfusio & perturbatio, pij satis intelligūt, & noster doctor & præceptor irrefragabilis ueritatis IESVS Christus demonstrat, ubi ait, nos cum Deo patre unū factos, beatos effici, beatitate non quæ in nobis quæratur, sed in Deo: hoc est, nos non per nos & creatam naturam, sed per sacrum spiritum Patri iunctos felices reddi, transformatis nobis per illum ad imaginē Dei, de qua sic loquitur Apostolus: Nos autem ad eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. quæ est uera felicitas, ut in Christo filio Dei unus cum Deo spiritus simus, apud Deū, non apud nos & per nos Deū possidētes: eumq; non cognoscentes per nos lumine naturali prælucente, sed luce Dei naturæ ipsi inaccessa: neq; eū amantes amore creato, sed non creato, hoc est, per spiritum amoris nouum in Prophetis promissū, & in dispensatione noui fœderis merito sanguinis IESV publicè in electorum pectora fundēdum. Atq; hæc est beatitudo, quam noster præceptor & doctor Messias nos docet, de quo Propheta noster: Ecce præceptorem gentibus dedi eum. Quem præceptorem qui fide amplectuntur, solum cum uno illo, de quo Moses loquitur (Dominus Deus noster, Dominus unus est) unū fiunt: & cum bono illo, de quo Messias meminit (Nemo bonus est nisi unus, nempe Deus) consociantur. Qui Deus pater ut bonum à se est, ita Christus bonum à Deo & ex Deo patre est, ut Deus ex Deo, & nos in Christo & per Christū ex Deo patre bonum & Dij sumus. Quoniam uerò ut unum cum Deo in Christo, & eius ut summi boni consortes efficiamur, amor præstat, fit, ut tantopere amor lege requiratur, Ama Dominum Deum tuum supra omnia: & eius spiritus, qui nouus spiritus dicitur, in prophetis promittatur, quem fide de plenitudine Christi, ut perfectionem uniuersæ legis, & finem regenerationis nostri, in consortium & participatum beantis unius, & boni, quod Deus est, percipiamus. Ex hac explicatione, qua demonstratum est, quid inter Mosem & Philosophos & Christum præceptores interfit: quid item præcipiendi ratio, qua Moses & Philosophi utuntur, ab ea differat, qua Christus utitur: & quid inter bonum statum & fœlicitatem quam naturale Philosophorum lumen, & gratiæ lux in regeneratis supernè è spiritu Messiæ ostēdit, discrimen cernatur: ex his inquam liquidum est, primò quid homo mentis & intelligentiæ suæ creato lumine & uoluntatis ui fretus efficere & cōsequi possit: & quousq; in cōsiderando bono statu, quem uetus homo è spiritu Christi nōdum regenitus in nouum hominem adipiscatur, pertingat: quidq; in uniuersum expectandum sit ex philosophia, siue Pythagorica, siue Platonica, siue Peripatetica, siue Stoica, siue illa quę hodie iactatur Cabalistica, arte ex sacris & prophanis mixta. Deinde patet, in quāto errore uersentur, qui ad comparandam ueram salutem & felicitatem, in qua homo cum Deo, per Deum in Messia unum fit, naturale lumen & creatas uoluntatis humanæ uires quicquam facere docent. Contrà, eos benè uereq; sentire & iudicare, qui hominem ad diuinæ lucis radios, & ad spiritum eius recipiendum, recipientis solùm, non agentis uicem præstare confirmant: ut omnis gloria exhibitæ salutis, genitori patri Deo in filio Christo accepta feratur, nemini alteri tribuatur. Quod nō faciunt, qui salutem partim suis uiribus, partim Deo ascribunt, eiusq; momenta etiam naturæ facultate librant atq; ponderant, maxima gratiæ diuinæ & spiritus sacri IESV Christi iniuria. Qui spiritus id nouo homini in regeneratione præstat, quod animus in uetere natura corpori præstat. Quod ut solum agentis animi uim patitur, à quo animatur & regitur: ita ad sacrum Messiæ spiritum, noui hominis animam, regenerandus uetus homo se habet. Demum ex hac demonstratione liquet, in quo fundamentū fidei sanctorum

1. Corint. 3.

Deut. 6.

ctorum hominum sit collocandum, cui in omnibus grauioribus tentationibus ad parandam salutem tutò innitantur: hoc fundamentum non esse ullam creatam naturam, non angelos, non diuos, non legem, non opera legis, non sapientiam & prudentiam humanam, non conatum & facultatem uoluntatis humanæ: sed unum Deum in IESV Christo per spiritum sanctum, nobis concilian-dũ, intercedente merito sanguinis IESV. Quò spectant sententiæ illæ: Beati qui confidunt Domino: Dominus fortitudo mea: Qui confidunt Domino, non confundentur. Hoc fundamento qui non nituntur, super arenam ædificãt, cum hypocritis partem in inferno habebunt: in quo ignis perdens, non illuminans ad uitam, & lacus fluens sulphure locum tenet. Pergamus.

Ecce gentem quam nescicbas.) legis macerie ac sepe, qua Israelitica gens à cæteris populis separabatur, rupta. Secus quàm Moses dux fuit ac præceptor, cuius præcipiendi munus unius gentis terminis concluſum fuit.

Vocabis.) per Messiæ Apostolos ex te selectos, qui omnes Israelitæ secundum carnem fuerunt, ut etiam Messias ipse.

Ad te current.) tibi per professionem sacri Euangelij consociandæ: ut oleaster
Rom. 11. cum olea, cui inseritur, consociatur. De qua insitione his uerbis Apostolus loquitur: Tu uerò cum esses oleaster, insitus fuisti illis, & consors radicis & pinguedinis oleæ factus es. ubi oleam appellat Israelitas, & oleastrũ gentes. Nam ex Israelitis, uelut ex olea, Messias natus est: ex eisdẽ item Apostoli selecti, qui spiritus sacri Euangelij oleum funderent. Ex Sione enim profectã legem Apostoli in orbe terrarum diuulgarunt, ad dispensandum Messiæ spiritũ, cuius illi ministri & dispensatores appellantur. Quod oleum oleaster gentilis populus ex illis tanquam olea acciperet. Quocirca is meritò alienigena nuncupabatur, qui, ut Apostolus ait, à repub. sanctorũ abalienatus, salutis spem, ut carens Deo & Christo eius, non habuit. Itaque mirum non est, insitionem quam explicat Apostolus, esse contrariam rationi, qua arborator in inserendo utitur natura duce, à quo nimirũ accipitur bonus & generosus surculus, qui arbori sterili & degeneri inseratur, ut pingui boni surculi succo ignauæ & degeneris arboris malus succus emendetur. Quod in ratione cœlestis arborationis seruari non potuit. Nam extra Christum cum omnia uitiosa sint, oleam deligi oportuit generosam, sacri spiritus oleum fundentem, cui oleaster ad perdendum suum malum & agrestem ueteris naturæ succum, & ad accipiendum bonũ nouæ & cœlestis naturæ insereretur. Quẽ succũ Christus IESVS cœlestis homo suæ oleę, hoc est Israelitis primò infundit: deinde oleastro gẽtibus. ueluti ipse se missum dicit, qui primò curet oues Israeliticas, quibus deinde alias ex gẽtibus sumptas
Ioan. 10. aggreget. Sic enim ait apud Ioannem: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, eas quoq; oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus pastor. Atq; hoc ipsum est quod prædicit Propheta: Gentes quæ non cognouerunt te, ad te current. Quod Dominus alijs uerbis expressit in
Matth. 8. Matthæo: Multi uenient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob. Quæ aggregatio gentium ad Iacobæos in mystico illo ora-
Genes. 9. culo, in Genesi à Mose exposito, præsignificata est his uerbis: Iaphethus habitabit in tabernaculo Semi.

Current.) In currendi uerbo celeritas & promptitudo amplexandi Euangelium regni cœlestis indicatur, ut suprà in uerbo Fluẽt: Et fluent ad eum omnes
2. gentes. Sed qua ui impulsi current? Diuini spiritus, non ueteris naturę ui. eius
Ioann. 6. nimirum ui, de quo illud: Nemo uenerit ad me, nisi quem Pater traxerit. Non
Rom. 9. pugnat igitur hoc prophetæ nostri, Ad te current, cum illo Apostoli: Non est currentis, sed miserentis Dei.

Propter Dominum Deum tuum.) ad amplificandum patrem cœlestem, non propter dignitatem & merita tua.

Et propter

Et propter ſanctum Iſrael.) Propter Meſsiam, arbitrum ſanctificationis. Sic enim is ipſe apud Ioannem loquitur: Sanctifica eos per ueritatem tuam, ſermo enim tuus ueritas eſt. Sed quæ eſt illa ueritas, per quam ſanctificantur filij regni? Veritas Euangelij eſt, nobis oſtendentis ueritatem quæ de ſe dicit: Ego ſum uia, ueritas & uita. Et quis eſt ille λόγος, hoc eſt ſermo, per quem pater ſanctificat? Sermo Euangelij eſt, declarans nobis ſermonem, de quo apud Ioannem: In principio erat ſermo, & ſermo caro factus eſt. Et in Apocalypſi: Et uocatur nomen eius ſermo Dei. Is uocatur hic ſanctus Iſrael, qui eſt Meſsias benedictus, qui ſe ſanctificat, ut electi ſanctificentur, ueluti is ipſe apud Ioannem his uerbis confitetur: Ego me ſanctifico pro eis, ut & ipſi ſint ſanctificati. hoc eſt, per regenerationem ſeparentur à uitijs ueteris naturæ, ut per ſpiritum amoris unum in me & per me cum Deo patre fiant. Sic enim Chriſtus hanc ſanctificationem explicans ſubiungit: Vt unum omnes ſint, ſicut tu pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. Sed quomodo unum efficiuntur? Amore illo, quo Deus ipſos diligit, unum in Chriſto cum Deo patre reddunt. Sic porrò ait: Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Amoris igitur ſpiritus eſt ſanctificans ille ſpiritus, quo nos pater diligit: & eodem illo patrem diligentes, unum cum hoc ipſo efficimur. Vnde illud proditum legimus: Cognoſcimus in eo nos manere, & ipſum in nobis, quod de ſpiritu ſuo dedit nobis. Qui ſpiritus nouus ille amoris ſpiritus eſt, ſanctificator Iſraelis, ex eo proficiſcens, de quo hic: Et propter ſanctum Iſraelis. Quò pertinet illud Apoſtoli ad Epheſios: Quemadmodum elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, in charitate.

Ioan. 17. Ioan. 4. Ioann. 1. Apoc. 19. 17. 1. Ioan. 4. Epheſ. 1.

Qui glorificauit te.) Explicatur Meſsiæ teſtis, ducis & præceptoris munus: hoc cerni in ſponſa Eccleſia, exornanda ſuis ornamentis. In Hebræo enim legitur decorandi ornandiq; uerbum פארך. Sed quæ ſunt illa ornamenta, quibus ornatur ſponſa? diuinæ iuſticiæ, ſapientiæ, uitæ & gloriæ ornamenta ſunt, quibus illa decorata ſic commendatur in Pſalmo: Aſtat tibi ad dextram tuam coniunx auro Ophir exornata. Et in Cantico Salomonio: Quàm pulchra es & decora ô dilecta. Sacroſancta Trinitas hic nobis proponitur fide conſideranda, totumq; regenerationis ad inſtaurandam Eccleſiam opus abſoluens: Pater ſanctificans electos: Chriſtus filius, per quem & cuius ſanguinis merito electi ſanctificantur: ſpiritus ſacer, cuius ex capite Meſsia fluentis ornamentis ornata Eccleſia ſanctificatur. Quapropter apud Euãgeliſtam Meſsias Prophetam exponens, baptiſmum regenerationis myſterium, his uerbis adminiſtrandum Apoſtolis commiſit: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.

44. Canti. 1. Matth. uli.

Quærite Dominum.) Oſtenditur uia, qua ad accipienda munera ſpiritus ſancti, electi præparentur: hanc rationem & uiam pœnitentiam eſſe. Hæc hortatio apud Matthæum à Ioanne Baptiſta hoc modo explicatur: Pœnitentiam agite, in propinquo enim eſt regnum cœlorum. ubi quod hic ſcriptum eſt, Quærite Dominum: Ioannes interpretatur, Quærite regnum cœlorum. Et ubi hic legitur, Relinquat impius uiam ſuam: Ioannes dicit, Reſipiſcite. Et utercq; hortationem ab opportunitate ducit. nam alter ait, In propinquo eſt: alter, Dum propè eſt. Quærere ergo Dominum, eſt regnum cœlorum quærere, in quo hæc continentur: condonatio peccatorum, & donum ſpiritus ſancti, generantis nouum hominem ad iuſticiam & uitam Dei per fidem in filium Meſsiam, ex cuius ut capitis copia regenerantem ſpiritum fides nobis communicat. Sic enim cœleſte regnum in Actis exponitur: Baptizetur unuſquiſque ueſtrûm in remiſsionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Et Apoſtolus: Regnum Dei eſt pax & gaudium, & iuſticia in ſpiritu ſancto.

Matth. 3. Actor. 2. Rom. 14.

Quare ut hic fit mentio pœnitentiæ, per quam quæratur Dominus & regnum eius: ita apud Euangelistam & in Actis fit mentio baptismi, sacramenti pœnitentiæ, per quam ad condonationem peccatorum & donationem spiritus uia aperiatur. Quæ duo, pœnitentia uidelicet & regnum Dei, in Euangelij administrationem cadunt: ut locus ex Matthæo & Actis citatus, & hic Propheta indicat, qui de prædicationis Euangelij & patefactionis Messiæ temporibus in hoc oraculo uaticinatur. Hæc autem pœnitentia ad regnum Dei aditum muniens, continet conuersionem ad Deum, qua primò Deus nos ad
31. se conuertit afflatu spiritus sui. De qua conuersione Hieremias: Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam. Itaque sic conuertente nos Deo ad se, nos conuertimur ad ipsum, ueterem hominem exuentes, & nouum induentes. Secundò, in pœnitentia patefactio iudicij diuini aduersus peccatum, quæ per legem fit, odiumq; peccati & amor Dei locum habent. Pœnitet enim eos suorum delictorum, quibus illa patefiunt, quiq; propositum habent amore Dei peccata relinquendi & piè uiuendi, ad amplificandum nomen Dei patris, in Christo IESV. Demum igitur in pœnitentibus cernitur aspiratio ad misericordiam diuinam, qua Deus delicta nobis nostra per filij Messiæ sanguinem remittere uelit. Huc pertinet mysterium Mosæum, de uictima piaculari à pœnitentibus & confitentibus peccata sua offerri solita, ad præsignificandum, sine piacula-
Leuiti.16. ris uictimæ Messiæ merito resipiscentiam non constare, & pœnitentiam nullam ueniam peccatorum consequi. His delibatis, intelligemus ueram & salutarem pœnitentiam esse conuersionem ad Deum, qua peccator diuino spiritu afflatus, agnitam duce lege uitiositatem suam odio, amore Dei, prosequitur, ad eius clementiam aspirans, qua uelit is per filium delicta remittere, & spiritum sanctũ largiri regeneratorem, cuius ui uitam in melius mutet, uetere homine cum cupiditatib. exuto, & nouo induto, ad glorificandum cœlestem patrem in filio & per filium IESVM Christum. In hac definitione pœnitentiæ primò occurrit efficiens causa, quæ est impellens sacri spiritus uis, antegrediens omnem naturæ conatum & motum. Vbi considerandum est, in spiritu bipartitam uim cerni: alteram, inchoantem pœnitentiam: alteram, comitantem cum incrementis & auctibus. De inchoante motu intelligitur illud: Conuerte me Domine. item illud: Nemo ad me uenerit, nisi pater traxerit eum. De comitante per auctus suos & incrementa motu, illud: Et accipietis donum spiritus sancti. Sicut & fidei, quæ uis est diuini spiritus, sua initia sunt, & incrementa. Initia spectantur in molientibus pœnitentiam: auctus uerò, cum iusticiam subinde nobis magis magisq; patefacit in regeneratione nostri. De
Rom.1. quibus incrementis illud Apostoli: Iustitia enim Dei patefit per Euangelium de fide in fidem: hoc est, sensus misericordiæ diuinæ, quam erga nos per sanguinem filij reconciliatus gerit, auctior fit pro lucis fidei incrementis, ad renouationem nostri. Quare ubi legimus, Pœnitentiam agite & credite Euangelio: uerè iudicamus, fidem præcedere pœnitentiam, & sequi. Præcedere quidem, quantum ad primam motionem & excitationẽ attinet, de qua meminimus: sequi uerò, quantũ ad eius incrementa attinet & auctus, qui sese in donato & percepto regenerante spiritu ostendunt. Ex causa efficiente, quæ Dei spiritus est, pœnitentiam non naturæ ueteris, sed gratiæ diuinæ opus esse col-
2.Timot.2. ligimus, de quo in hunc modum Paulus: Ne quando det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendã ueritatem. & suprà uates noster: Excæca cor populi huius, ne fortè uideat oculis suis, & conuertatur, & sanem eum. Ergo Dei munus est, uidere lucem gratiæ diuinæ, & ad aspectum eius per pœnitentiam sanari: non facultatis humanæ opus. Altera causa pœnitentiæ est ea, quam uocant sine qua non, lex ipsa, quatenus peccatori peccatum suum & uitiosam

ab ortu

ab ortu suo naturam ostendit. de qua caussa Apostolus: Lex cognitio peccati. Tertiò, in causis materia occurrit, circa quam pœnitentia uersatur: ut sunt, ueteris hominis uitia, mala studia & facta, quæ deserantur. Materia item occurrit, in qua pœnitentia occupatur: ratione prædita natura, in libro uitæ scripta. Nam hæc sola ueræ pœnitentiæ capax est, non Satan & ministri eius, non Satanæ maledicti maledicta soboles. Dico, hanc ueræ pœnitentiæ consortem non esse. nam est pœnitentia simulata & falsa, qualis in Cainis & Iudis reperitur: quorum pœnitentia non ex amore Dei & odio peccati, sed pœnæ metu nascitur. Ideo in his pœnitentia cum desperatione ueniæ, ut suprà quoque indicatum, coniuncta est, ut patet ex uoce illa Caini: Maior est improbitas mea, quàm quæ ueniam mereatur. Contraria ratio pœnitentiæ filiorum regni cœlestis est, quæ ex amore Dei orta, per fidem nititur misericordia diuina, per IESVM CHRISTVM declaranda. Per alteram igitur pœnitentiam impij pereunt, per alteram pij seruantur: per alteram Deus dehonestatur, per alteram honestatur: alteram enim diuinus spiritus metitur, alteram natura, in qua omnia sunt uitiata & deprauata. Offertur demum finis pœnitentiæ, quæ est ipsa noua uita in Domino IESV, nouo & cœlesti homine, in hoc seculo quidem inchoanda, & in altero perficienda, in qua nomen Dei Patris in filio per spiritum sanctum amplificetur. unde fit, ut angeli Dei uno aliquo peccatore per pœnitentiam ad Deum conuerso tantopere gaudeant. Sunt autem tres causæ gaudij illorum. Vna, corporis Christi, quod est Ecclesia, ædificatio: sine quo corpore caput Christus non consisteret. Quî enim caput sine corpore consistat? At hoc corpus ex peccatoribus ad Deum per pœnitentiam conuersis extruitur. Sic enim uisum est Deo, ut tali ratione & modo suam bonitatem in mundo declararet. Altera caussa est, salus & instauratio totius uniuersitatis. Etenim cum duplex sit mundus, alter non creatus, archetypus ille mundus, uerbum ipsum Dei, de quo apud Ioannem, In principio erat sermo: alter creatus, & is bipartitus, maior & minor: ille angelos, cœlum, elementa, & ex his res cõflatas continet: hic homo est, quo instaurato per pœnitentiam, maior quoque instaurari dicitur, ut cuius partes homo cõplectatur, elementa, stirpes & animantia, angelos. Quò spectans Apostolus dicit, Maioris mundi partes gemitu expetere liberationem filiorum Dei, ut ipsæ quoque à seruili interitu liberentur: & homine cum Deo pacificato per sanguinem Messiæ, omnia, siue quæ in cœlo sunt, siue quæ in terra, idem Apostolus fatetur pacificari. Pœnitentia autem diuina ratione prouisa est, per quam authore Messia homo instauretur, & cum Deo ad nouam uitam concilietur. Tertia caussa lætitiæ est, amplificatio, qua Deus conuersis ad ipsum filijs ueteris Adami, sanctificatur ac glorificatur. Quò pertinet oraculum hoc: Quærite Dominum.

Rom. 7. *Genes. 4.* *Matth. 18.* *Rom. 8.* *Coloss. 2.*

Dum inueniri potest.) Ad dandam ueniam peccatis, per arbitrum sanguinem Messiæ. Hoc autem opportunum gratiam recõciliationis inueniendi tempus, nouissimum patefactionis Christi per Euangelium tempus est. Dicat aliquis: Si pœnitentia conuersio est peccatoris ad Deum, quæ aspiret ad misericordiã illius, quam in filio remissis peccatis declaret: qualis ergo pœnitẽtia illorũ fuit, qui ante patefactum Euangelium sub pędagogia legis uixerunt, nondum dato mandato publicè nunciandi remissionem peccatorũ, quæ fieret merito sanguinis IESV, de qua nunciatione apud Lucam: Oportebat Christum pati, & tertio die surgere, & in nomine eius remissionem peccatorum in omnes gentes prædicari? Bifariam distinguitur pœnitentia. Est enim pœnitentia quæ puerili ætati congruebat, est quæ adultiori congruit. in altera fides cernebatur, quam Spiritus timoris formabat puerili ætati, parum à seruili conditione differenti, conueniens: quæ fides expectationem reuelandi Messiæ alebat, In altera

Luc. 24. *Galat. 4.*

uerò fides uiget, quam adoptionis ſpiritus excitat, per quam Chriſtus iam in mundum præſentatus patefit: quæ reuelata fides dicitur, ut altera uelata.

Gal. 3. De qua reuelata fide Apoſtolus: Concluſi in eam fidem quæ erat reuelanda. hoc eſt, quæ Euangelio clarè patefacto erat habenda, ſubmotis uelantium illud umbris. Huius igitur fidei lumen à lumine prioris fidei, ut clarius lumen à minus claro & obſcuriore differt. Vnde patet, ad diſcrimen utriuſque ætatis & luminis fidei, de pœnitentia quæ ante publicè patefactum Euangelium ſuſcepta eſt, & ea quæ nouiſſimis temporibus exhibiti Chriſti ſuſcipitur, iudicandum eſſe. Quid autem de Niniuitarum pœnitentia ſentiendum ſit, ſpiritus timoris, omnibus ſcriptis in libro uitæ ante patefactum Meſsiam communis, docuerit: de quo, alio loco explicatio inſtituta eſt. Cæterùm legitur hic: Quærite Dominum, dum inueniri poteſt. Nam ſunt tempora, quibus occultato Euangelio, publicè Dominus non inuenitur. qualia ſunt Antichriſti tempora, in quibus mandatur nubibus ne pluant: pluuiam ſalutaris Euan-

8. gelij. de quibus ſuprà: Mandabo nubibus ne pluant. Quæ pluuia ſermo reconciliationis eſt, Dei patris: qui non in ore Pſeudoprophetarum, ſed in ore corum ponetur, de quibus paulo ſuprà, Quàm ſpecioſi ſunt pedes nunciantium pacem.

Inuocate eum.) Concioni de pœnitentia, interſeritur de inuocatione Dei ſermo. Qui enim pœnitentiam ſuorum ſcelerum ineunt, Dominum inuocant, qui ea condonare uelit. Hæc autem ſummatim in inuocatione conſiderantur. Primò, res aduerſæ, propter quas auertendas fit inuocatio, de quibus il-

Pſal. 50. lud: Inuoca me tempore afflictionum. Quæ uerba non ſolùm admonentis, ſed etiam præcipientis Dei ſunt, ut cuius nomen (ut iam indicabitur) inuocando glorificetur: & noſtra ſalus, quam Deus unicè curat, conficiatur. Deinde conſideratur is qui inuocatur: tertiò arbiter, per quem inſtituitur inuocatio: demum finis inuocationis. Res aduerſæ nos uexantes & impellentes ad implorandam opem diuinam ad eas depellendas, ſunt peccatum, mors, infernus, mundus, princeps mundi, & eius miniſtri tyranni orbis terrarum, & caro ipſa inteſtinus noſter hoſtis: & ſi quæ uariæ in mundo calamitates nobis accidunt, ut ſpoliatio fortunarum, orbitas liberorum, amicorum obitus, infamia, morbi, exilia, & ſi quæ ſunt huiuſmodi. Inuocari autem in rebus aduerſis quis debeat, Propheta his uerbis indicat, Inuocate eum dum propè eſt: Domino ſignificato, de quo præceſsit mentio, Quærite Dominum. Non dicit, Quærite & inuocate angelos, inuocate diuos. Sed cur Deus pater noſter cœleſtis inuocandus eſt, præterea nemo? Ratio ſuprà exponitur, Gloriam meam alteri non dedero. Sed quam gloriam? Liberatoris & uindicis à malis gloriam. Præter quem, ſi quis alium inuocarit tempore afflictionum, idololatra eſt, & primæ legis Moſęæ uiolator: quam uiolare, naturæ legem omnium animis inſcriptam uiolare eſt. Is autem per quem inuocatur Deus pater, Meſsias eſt, in quo ſolo ille uelit inuocari, ad ferendum auxilium ut in-

Ioan. 15. terceſſor. uelut is ipſe de ſe confitetur: Quicquid petieritis à patre in nomine meo, dabit uobis. De hoc paulo ſuprà: Et intercedet pro ſontibus. Finis demum inuocationis eſt, ſalus eorum qui inuocant, & gloriatio nominis diuini. de quo fine Dominus ipſe apud Dauidem prophetam in Pſalmis ſic memi-

Pſal. 50. nit: Inuoca me in die afflictionis, & exaudiam te, ut glorifices me. Glorifices uidelicet bonitatem meam, qua promitto liberaliter ſalutem & fidem ac ueritatem meam, qua promiſſam ſalutem præſto, ut ita re ipſa ac euentu edoctus, confirmes omnes uias meas eſſe bonitatem & fidem ſeu ueritatem. ut

Pſal. 25. canit Dauid, uias has expertus: Omnes uiæ Domini, hoc eſt omnis agendi cum electis ſuis ratio, ſunt bonitas & ueritas. hoc eſt, promiſſa in filio Meſſia præſtandi fides, in qua præſtanda quoniam Dei gloria agitur, qui men-

dax

dax haberi neque uelit neque posſit, inuocantes ſpiritu & ueritate Deum, non poſſunt non exaudiri. Spiritu autem & uere inuocant Deum, qui ex unius Dei iuſſu & promiſsis, quibus fidem habent, ſe petere opem ſciunt: & afflictionem patienter ferentes, ad nulla externa præſidia quæ Deus non proponit, ſe conuertunt. Hanc autem inuocandi Deum rationem nemo nouerit, niſi qui cognitum patrem in filio tenet. Itaque Apoſtolus in epiſtola ad Romanos præſentem Prophetæ concionem de inuocatione explicans, hac gradatione utitur: Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? ſed quomodo credent, de quo non audierunt? quomodo autem audient, ſi deſit prædicans? Annunciante igitur Euangelium opus fuerit, ex cuius auſcultatione fidei lumen excitetur, quo lucente in cordibus noſtris cognitus Deus pater in filio inuocetur. Quare in beneficijs Dei quæ confert in humanũ genus, hęc præcipuè numerantur: ſacrum Euangelium: deinde huius ſpiritu docti miniſtri: tertiò præparatio, qua Deus interiores cordium noſtrorum aures præparat, ut Euangelio fidem habeant: quartò lumen ipſum fidei diuina clementia in nobis excitatum, per amorem Dei & proximi ſeſe proferens, palàm confitendo Deum nobis per filium reconciliatum, & bene de proximo ad expreſsionem bonitatis diuinæ merendo, & eadem fide præfulgente Deum inuocando, qui tempore rerum proſperarum in officio pietatis nos retinere uelit, & afflictiones ita temperare, ut earum exitus ipſius nomini glorioſus & nobis ſalutaris paretur. Hanc gloriam, quam Deo, qui inuocant ipſum, dant, & ſalutis ſpem, quam de Deo in Chriſto habent, Satan imminuere cum molitur, loco Euangelij doctrinam errorum, loco fidei perfidiam, loco inuocationis ueræ, quæ fide conſtat, idololatriã, qua Dijs alieni tempore calamitatũ inuocent in Eccleſia ſerere ſtudet: ut in Beſtiæ omnia uaſtãtis regno accidiſſe uidemus. Rom. 10.

Relinquat impius uiam ſuam.) inſtituta & ſtudia ueteris hominis, prauam doctrinam, idololatriam, carnis affectus & cupiditates, quæ per pœnitentiam mortificantur. Sed quomodo relinquet impius uiam ſuam? Paulo ſuprà ratio relinquendi explicatur his uerbis: Audite me. Parendo igitur Euangelio per fidem efficitur, ut relinquat improbus uiam ſuam, quam in uitijs triuit. Fides enim Meſsiam in noſtra pectora inſerit: cuius ſpiritu afflati, uitioſitatem odio proſequimur, & integritatem amplectimur, ubi patrem ſanguine Chriſti reconciliatum remiſsis peccatis ſentire cœperimus.

Et uir iniquus.) איש און, hoc eſt, concupiſcentiæ & cupiditatibus indulgens. Nam און cupiditas eſt in uetere homine, pugnans contra ſpiritum & legem mentis, quam Apoſtolus ἐπιθύμιαν uocat, & Hebræa lingua יצר הרע & און. Huic obſequentes hortatur diuinus ſpiritus, ut cogitationes ſuas prauas, quæs prauæ dictant cupiditates, relinquant, & ſpiritui diuino obediant. De quo ſequitur:

Et reuertatur ad Dominum.) duce ſpiritu ambulando in uia iuſticiæ, relicta uia iniuſticiæ. Ex his patet, duo munera eſſe pœnitentiæ: deſerere uiã carnis, quod fit mortificando eam: & ingredi uiam ſpiritus, quod fit nouum hominem induendo, qui Meſsias benedictus eſt. de quo illud: Chriſtum induiſtis. Ad mortificandam carnem crux & uaria afflictio adhibetur, ut in deiecto uetere homine cor contritum naſcatur, de quo Dauid: Cor contritum & fractum Deus non deſpicies. Hæc autem in contrito corde ſpectantur. Primò, dolor de peccato amore Dei conceptus, de quo illud: Non eſt pax oſsibus meis à peccatis. Deinde, agnitio iuſti iudicis Dei, à quo ſi damnetur peccator ob noxam, iuſtè damnari ſe fateatur, confitens ſe dignum morte & exitio. Tertiò, aſpiratio ad miſericordiam diuinam, qua Deus peccatis ſuis ueniam per filium dare dignetur. Hanc reſpiciens, orat cum Dauide: Miſerere mei Deus pro magna clementia tua. Hæ ſunt cõtriti cordis diuinæ dotes, quibus oble- Gal. 3. Pſal. 51. Pſal. 51.

ctatur Deus: non cõfessio scrupulosa illa, ad aures sacrificuli facta: non satisfactio, qua satisfiat pro delictis Deo, ab eodem illo sacrificulo imposita, cùm prę ter Messiæ mortem nullum inueniatur satisfactionis precium, quo redimatur delictorũ condonatio. Neq; uerò mirum est sensu peccati, & amore Dei è fide in Messiam nato, contritum cor tantoperè placere Deo: quòd qui huiusmodi corde sunt prædíti, Deo suo iusticiæ & bonitatis honorem ascribunt: bonitatis quidem, qui pro clementia ignoscat peccatori, suam naturam sequens, quæ tota ipsa bonitas & misericordia sit: iusticiæ uerò, qui quos perdit ob improbitatem, in ius uocari cur perdat nequeat, sed iustè, qui deliquit, cùm perit, pereat. Hanc iusticiæ laudem dans Deo Dauid, sic canit: Tibi soli peccatũ in oculis tuis cõmisi, ut iustus in sermone sis, & purus cùm iudicaris. Hæc de priore pœnitentiæ parte. In altera renouatio nostri per regeneratorẽ spiritum, locum habet, in qua gaudium & pax sentitur. de qua parte idem Dauid: Spiritum rectum innoua in uisceribus meis. item, Spiritu principali confirma me: spiritu inquam, qui testimonium in corde meo det, te mihi reconciliatum, remissis delictis. Vtramque pœnitentiæ partem Propheta noster explicat. alteram his uerbis, Relinquat impius uiam suam: quæ non nisi acerbitate quam mortificatio uiæ ueteris naturæ affert, relinquitur. de altera, quæ lætitia contrita nostra pectora afficit, sequitur mentio.

Et miserebitur eius.) cõdonatis peccatis per sanguinẽ Messiæ diuinæ iræ placatorem, quẽ Dauid significauit orans: Asperges me isopo, & niue albior reddar. Hic legimus, Et miserebitur eius: ex quo intelligimus, quis usus sit pœnitentiæ, & fructus. Sic Dauid, ut agnouisset adulterij & homicidij crimen, & eius ipsum pœniteret, confitens peccatum, Miserere mei Deus pro magna tua misericordia: hanc uocem audiuit, Dominus transtulit peccatum tuum. Non orauit Dauid, Miserere mei Deus pro meritis meis, pro satisfactione mea: sed agnouit remissionem peccatorum unius clementiæ diuinæ opus esse, cuius & pœnitentiam & ipsum contritum cor cum liberali confessione delictorum, opus esse agnouit: non naturæ, non liberi arbitrij opus. Similiter Manasses impius rex, qui Hierosolymam simulachrorum cultu & insonti sanguine repleuerat, per pœnitentiam cœleste donum in gratiam cum Deo redijt, nactus suorum criminum ueniam. Quam Dei gratiam & misericordiam his uerbis celebrauit: Quoniam tu es Dominus, altissimus super omnem terram, longanimis & multum misericors. Petrus, qui ter negauerat Dominum, ut ad pœnitentiam conuersus amore Domini, non metu pœnæ, ut Iudas, lachrymas fudisset, his commouit Deum, ut eius misereretur peccati, gratia facta. Nam Deus pater, ut Dauid canit, nouit fictilis operis manuum suarum infirmitatem, cui ad ignoscendum se pronum exhibet. Scit enim nos non angelos esse, non stellas cœli, sed cinerem & puluerem terræ, qui ex terræ limo debile & fragile opus ad cadendum procliues simus, sæpe cadentes eadem etiam hora. Quare is pro natiua clementia sua, imbecillitatem nostram misertus, pœnitentiæ locum aperit: & uires ad resipiscendum suppeditans, uictoriam quoque qua peccatum uincamus concedit. Hæc sacræ literæ nobis proponunt ad considerandum, non ut extenuentur peccata, & peccandi occasio improbis præbeatur: sed ut Dei misericordia, ad pelliciendum peccatorem amore illius ad pœnitentiam, in filio Messia amplificetur, conuersa uia mala in bonam: quòd Deus non cupiat mori eum qui peccauit, sed potius eum resipiscere ut uiuat, & reuertatur per filium Messiam. Qui à patre missus in hunc mundum uenit, non propter iustos, sed iniustos, quos iustos efficiat: non propter firmos, sed infirmos, quos firmos reddat: non propter cœlestes angelos, sed propter hominem ex terræ luto factum, quem cœlestem formet immortalis uitæ & cœlestis regni consortem factum. Et hoc est quod hic legimus: Et miserebi-

Ezech.18.

Matth.9.

tur

tur eius. Sed cuius? Hominis uitiosi & infirmi, iniurijs peccati & mortis & Satanis insidijs obnoxij.

Et ad Deum nostrum.) Quem Dominum uocauit, iam Deum nostrum uocat: quòd interfit ad salutem, Deum agnoscere, qui noster Deus sit, nobis in filio fauens. Quæ cognitio Dei patris, fidei iustificantis cognitio est. Dicas: in Ecclesiaste legitur, Nescit homo amore ne an odio dignus sit. Aliò spectat scriptum Salomonis, quàm ab aduersarijs accipitur: qui uolunt, neminem in hoc seculo scire sibi Deum fauere. quod docentes, uim omnem fidei, nobis in Messia reconciliatum patrem ostendentis, & arrabonis spiritus, testificantis de amore quo Deus nos, placatus sanguine agni amplectitur euertunt. De quo sic loquitur Ioannes: In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, cuius testimonium non est incertum & ambiguum, sed certum & firmum. Quare Salomonis sententia hæc est: Dedi operam ego Salomon, ut intelligerem, quomodo omnia posita essent in manu Dei, iustus & sapiens, & opera eorum. & deprehendi, nescire hominem amorem & odium suum: hoc est, quæ euentura sint, uel odienda uel amanda, expetenda uel fugienda. quòd cuncta sint לפניהם, hoc est ante eos, seu certò præfinita apud Deum, priusquam accidant. Similiter, ut in Commentarijs in Ecclesiasten editis est indicatum, interpretatur Paraphrastes Chaldæus. Cap. 9. 1. Ioan. 4.

Quod multus est ad ignoscendum.) A' natura Dei, cuius proprium sit parcere & ignoscere. Nam quia Deus summum bonum est, natura non inclinatur ad perdendum opus suum: quod omne, ut suam bonitatem exprimeret, bonum condidit. Quare Dominus apud Mosem de se sic loquitur: Dominus Deus misericors & clemens, tardus ad iram, qui clementia ad mille usque ætates utitur. Qualis autem millenarius denarij cubus, numerus sit, satis clarum. Magnitudo autem clementiæ diuinæ primò à Dei persona æstimatur, cuius maiestas non dedignetur se demittere ad amplexandum hominem, cinerem & puluerem terræ, & prorsus à conceptu & partu uitiosum & impurum. Quod admirans Propheta, in hanc exclamationem excurrit: Quid est homo, quòd memor es eius? Deinde amplitudo misericordiæ diuinæ pōderatur, à fœditate & turpitudine peccati, quòd non dedignetur condonare. Quàm horribilis autem peccati fœditas sit, declarat primò summus à Deo summa iustitia abscessus, cui ex diametro aduersatur peccatum. Quæ enim diuinæ iustitiæ lex iubet fieri, peccatum ac uitiositas in uetere homine prohibet fieri. In summa, quæ alteri placent, alteri displicent. Deinde, peccati turpitudinem declarat pœna illi destinata: ut sunt, mors & inferni horribiles tenebræ, & ignis furoris diuini in orco sceleratos diriter excrucians: postremò uniuersitatis huius dissipatus ordo, quem peccatum creat, homine uniuersitatis capite per peccatū corrupto. Qui rectus in uniuersitate ordo per iustitiam secundi Adami reparatur, humano generi suæ integritati restituto. Tertiò, metimur præstantiam bonitatis Dei à precio redemptionis, hoc est à morte filij unigenæ IESV CHRISTI, quem morti tradere Deus non recusauit, ut peccator qui mortuus fuerat, uiueret. Demum à muneribus, quibus is qui hostis erat ornatur, clementia Dei amplificatur. Sed quæ sunt illa munera? Munera sacri spiritus sunt, reparantis iustitiam Dei, uitam æternam & gloriam cœlestis regni. Sed quærat hic aliquis: Si Deus tam misericors est, & ad ignoscendum propensus, an ne etiam ijs qui post susceptam criminum pœnitentiam in ea relapsi fuerint, ignoscet? Ignoscet sanè. firma enim erunt hæc Ioannis uerba: Ne peccetis: & si quis peccauerit, aduocatum habemus IESVM Christū iustum. Ergo qui deliquerit, habebit per arbitrum Messiā aditum ad patrem, quē sibi per pœnitentiā reconciliet. At obijcias fortasis epistolam 1. Ioan. 2.

Hebr.6. ad Hebræos, in qua ſcriptum legimus: Fieri non poteſt, ut ij qui ſemel fuerint illuminati, guſtauerintq; bonum Dei uerbum, & uirtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, denuò renouentur per pœnitentiam. Epiſtola non dicit ſimpliciter, ſacro ſpiritu præditos labi poſſe: ſed, ſi prolabantur. neque de quouis caſu loquitur, ſed de eo de quo loquitur Ioannes: Eſt peccatum ad mortem, quale Satan & eius miniſtri maledicti Dęmones & homines committunt. Tale delictum nõ committi ab ijs, qui accepto ſpiritu ſemel ex Deo nati ſunt, idem lo-
1. Ioan.3. annes oſtendit: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non committit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, eo quòd ex Deo natus eſt. Itaq; epiſtola loquens cum adiunctione, per fictionem, Si prolabãtur: non confirmat aut ponit, natos ex Deo labi poſſe perniciali lapſu, qui mortem & exitium indeclinabile afferat: neq; huiuſmodi locutiones cum conditione enunciatæ, ponunt & aſſerunt, quod enunciant. ueluti nec in illa locutione, Si
Galat.1. angelus de cœlo aliud Euangelium prædicaret, ponitur angelum poſſe aliud Euangelium prædicare, quàm prædicatum ſit ab Apoſtolis. Dicat aliquis: Si diuina clementia plus ualet ad ſeruandum, quàm omnia peccata totius mundi ad perdendum: cur ergo delicta quędam eſſe dicuntur nunquam remittenda, quale eſt peccatum quod in Spiritum ſanctum committitur? quo laborat Satan, & omnes quorum nomina in inferno, non in cœlo ſcripta ſunt. Crimen igitur erit, quod ſuperet miſericordiam Dei, incondonabile nimirum & inexpiabile: quod crimen in Spiritum ſanctũ deſignatum nunquam remittitur. id non fit clementiæ Dei, quæ minor ſit quàm qua quoduis delictũ deleatur per ſanguinem Meſsiæ: ſed eius qui tale ſcelus facit culpa, qui oblatam gratiam renuat accipere. Id autem accidit in eo, qui in Spiritum ſanctũ Domini noſtri IESV Chriſti delinquit, quem nolit ſeruatorẽ mundi agnoſcere. ſicut ſi quis ægrotus à medico oblatam medicinam recipere nolit, quod à medico non curatur, id neue medici, neue medicinæ fit uitio: ſed ægroti, qui bonam medicinam aſpernans, malit fidem non habendo medico perdi, quàm eius curæ & diligẽtiæ obediendo ſeruari. Idem cognitam ueritatis medicinã contemnentib. euenit. Itaq; quòd ſunt qui miſericordiæ Dei in Chriſto declarandæ reſiſtunt, non ipſis miſericordia, huius miſericordiæ amplitudini nihil propterea detrahitur: ſed iuſtitia diuina cõmendatur, qua iure in eos animaduertat, qui cõtempto ſeruatoris mũdi Chriſti ſanguine per miſericordiam Dei ſeruari recuſent: in quo uindicis ira, qua pereant, nõ clemẽtia, qua ſeruent, dignos ſe oſtendũt.

Non enim cogitationes meæ cogitationes ueſtræ.) Per contentionem cogitationes Dei cum cogitationibus humanis confert, de quibus præceſsit mentio: Relinquat improbus cogitationes ſuas. Sed in quo differunt diuinæ cogitationes ab humanis? Primò differunt in eo, quòd humanæ cogitationes uitioſæ, ua-
Pſal.94. næ & inanes ſunt: de quibus Pſal. Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam uanæ ſunt. & de conſilijs ac cogitationibus Dei idem Dauid: Conſilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generationem & generationem. Deinde differunt in eo, quòd homo cogitat, ſi Deum offenderit propter ſuas malas cogitationes & facta, ſe non rediturum cum eo in gratiam, niſi hanc mereatur ſuis bonis ſtudijs & factis, per quæ pro delictis ſatisfiat illi. At ſecus Dominus cogitat, qui gratuitò ſtatuit peccatori ignoſcere, nulla ſatisfactionis, præter eam quæ in filij morte cernitur, habita ratione, modò agnoſcat ſe peccatorem, & Deum inuocet, ut pro miſericordia ſua ſibi ueniam dare dignetur. ſicut hic ſcriptũ eſt: Reuertatur ad eũ, & miſerebitur eius. Tertiò, homo nõ cogitat ſe à Deo amari, priuſquã adhuc hoſtilem animũ erga eum poſuerit: & eos etiã diuina clementia contineri, qui nondũ eam ſpe præſumunt, præuertente Dei amore omnem humanã cogitationẽ. Quod in hominis cogitationẽ non uenit, ſed Dei, de quo ſcriptũ legimus: Cõmendat aũt ſuã

chari-

charitatem erga nos Deus, quòd cùm adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus fuit. Item: Nam ſi, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortẽ filij eius. Item Ioãnes: In hoc eſt charitas, nõ quòd nos dilexi-mus Deũ, ſed q̃ ipſe dilexerit nos, & miſerit filiũ ſuum propitiationẽ pro peccatis noſtris. Quartò, in eo differũt inter ſe utriuſq̃ cogitationes, quòd homo fauorẽ in eo cui fauet, leuiter offenſus reſcindit. Aliter cõpoſitus eſt Deus, qui eos quos ſemel cœperit amare, ut quos ab æterno per electionis gratiã amet, nunquam deſinat amare: cùm humanam, qua inter ſe amant homines, amicitiam leuis cauſſa diſſuerit ac diremerit. Itaque alicubi Deus de ſe dicit: Non eſt Deus quaſi homo. Quapropter ut conſtans & firmus Dei amor eſt, quo ſuos complectitur: ita etiam pro liberali ſua beneuolentia ſpiritum ſuum ſacrum promittit, quo ornati ipſum ament. Hæc eſt cogitatio Dei plena miſericordiæ & amoris, à qua longè humana cogitatio diuerſa eſt. Quintò putant homines, à Deo & filio eius Meſsia, propter maieſtatem qua ſunt præditi, minimè audiri peccatorem miſerum, neque ad gratiæ thronum admitti, niſi uel angelos uel diuos patronos habeat. Ex qua praua cogitatione, prorſus diſſentanea cogitationi Dei nata eſt omnis idololatria. Vt autem Deus aliter cogitet, indicat Propheta hic, cùm ait: Quærite Dominum, inuocate eum. Et de filio, Ipſum audite. & filius de ſe: Ad me uenite omnes qui laboratis. non dicit, Ad alios arbitros uenite. Item, Quicquid nomine meo petieritis patrem: non dicit, Quicquid petieritis patrem nomine angelorum aut diuorum. Sextò, ſapientiſsimi etiam in hoc mundo homines, legis iuſticia iuſtos ſe fieri putant, iuſticiam fidei pro ſtultitia habentes: ſicut Chriſtus Iudæis offendiculo eſt, & gentibus ſtultitiæ. Contraria cogitatio Dei eſt, qui per ſtultitiam prædicationis crucis, ſapientiam mundi pudefacit & euertit, ſuam confirmat & ratam facit, per quam unam electi lucem Meſsiam amplectuntur, quem ſapientia mundi aſpernatur, cuius lux uerius tenebræ ſit quàm lux. De qua illud: Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Vbi in tenebris ſapientiſsimorum in mundo hominum ſapientiæ lux numeratur. Demum, quàm humanæ cogitationes diſsideant à Dei cogitationibus, ex eo cognoſcitur, quòd homo probitatem & fœlicitatem æſtimat ex rebus proſperis quæ in hoc ſęculo alicui accidunt, improbitatem & fœlicitatem ex aduerſis: colligens probos eſſe, quibus res fœliciter accidunt: improbos, quibus infeliciter. ſicut Iobum, quòd grauiter affligeretur à Deo, amici malum iudicarunt. Aliter ſunt cogitationes Dei comparatæ. ſic enim de beatitudine loquitur filius Dei: Beati qui lugent. & de pijs, per patientiam uarias afflictiones ferentibus: Oportet per multas afflictiones ingredi in regnum Dei. Humano iudicio miſeri exiſtimantur, qui à tyrannis ſupplicio afficiũtur, neci dati: at hos Deus beatos cenſet, quos per mortem in uitã, per opprobrium crucis in gloriam cœleſtis ſui regni transfert. Quare ſequit:

Quia ſicut exaltantur cœli à terra.) In hac comparatione hæc conſiderantur. Cœlum ſupereminens terram, plenum luce eſt: terra tenebris obſita. cœlum ad conuerſionem aptum, fœtifico calore uiget: terra naturà iners, & frigore rigens, & moles ad motum inepta. de cœlo ros, pluuia & nix funduntur, quibus terra fœcundetur: terra quidem hæc ſinu ſuo excipit, ſed nihil tale exhibet, ut obſcurum & ignauum mundi elementum. ſic ſunt cogitationes hominis ueteris & terreni, terreſtres, hoc eſt inertes & plenæ tenebris. Hinc Dominus: Qui è terra profectus eſt, terrenus eſt, & è terra loquetur. Contrà Dei cogitationes habent, quæ cœleſtes ſunt: hoc eſt, lux ipſa, & uita. Sic enim Chriſtus filius Dei de ſe & ſuis cogitationibus, ſermoneq̃ loquitur: Qui de cœlo uenit, ſupra omnes eſt: & quod uidit & audiuit, à cœleſti uidelicet patre, hoc teſtatur,

Rom. 5. *1. Ioann. 4.* *Num. 23.* *Matth. 11.* *Ioan. 15.* *1. Corinth. 1.* *Ioan. 1.* *Matth. 5.* *Ioan. 3.*

Quo-

Quomodo descendit imber.) Qui meminisset cœli, iam pluuiæ de cœlo delabenti, Dei uerbum comparat, manens in comparatione semel cœpta. Vt delapsa cœlo pluuia aut nix eò non redibit, quin terram ita grauidet ac fœcundet, ut semen ad seminandum, & panem ad uescendum edat: ita diuina oracula, promissiones de salute continentia, inania & cassa electis non euadere. Hæc autem, ad intelligendam propositam similitudinem in pluuia à Mose in libro Geneseos exposita considerantur: uapor ex infernis aquis lucis ui attractus, & nubes in quam ille densatur, tum pluuia quæ liquatis nubibus in terra, demittitur ad fœcundandam eam ut proferat fructus: non aliter accidit in opere clementiæ diuinæ ipsi Ecclesiæ declarandæ, in quo opere lux Messias cernitur, qui uaporem precationis ex afflictionum aquis sursum effert. Nam precum fumus ex rerum aduersarum aquis excitatus, per unam lucem Christum in cœlum ad gratiæ thronum eleuatur. Is uapor orationis in nubem densari dicitur, cùm per eum obscura afflictionum nubes ostenditur, qua precantes declarant se premi. Sed quid tandem fit? Pro bonitate & clementia sua Deus ex hac densa & obscura crucis nube, salutaris Euangelij imbrem in sinum Ecclesiæ demittit, qui eam ad fructificandum fœcundam reddat. Fructus autem huius
Rom. 1. cœlestis pluuiæ cernuntur in salute, de qua Apostolus: Euangelium potentia Dei est omni credenti. in quo salutis fructu continentur hæc beneficia: remis-
Rom. 14. sio peccatorum, iustitia, uita, pax & gaudium in Spiritu sancto.

Et nix de cœlo.) Quæ condensata pluuia est, terram hyeme fermentans, & sub uer resoluta mirificè eam fœcundans.

Et illuc non reuertitur.) ut terræ destinata, ad eam grauidandam. Vt igitur terræ lux cœlestis atque spirabilis cœli natura, pluuiæ & rores ad edendos uarios ex ea fœtus & fructus deseruiunt: sic Messias supracœlestis lux, eiusq; uitalis spiritus ex cœlo diuinitatis spirans, atque uiuificus imber ex eodem cœlo delabens, terræ spirituali electorum pectoribus inseruiunt. Quare quæ in aspectabili hoc mundo & elementali spectantur, nobis eum mundum qui in hunc aspectum non cadit, adumbrant. Quò pertinent cæremoniæ Mosæ ex mundo hoc uisibili desumptæ, quæ umbram earum rerum prætulerunt, quas mundus alter inuisibilis continet, in quo suum cœlum, sed non creatum: suam lucem, splendoremq;, sed diuinitatis: suum spiritum, suas aquas, sed diuinas: suam terram, sed spiritualem cernere licet, in qua non bestiæ, non uenenata animantia & stirpes, sed diuinitas ipsa habitat. Atque hæc terra Hierosolyma de cœlo descendens est, fœcunda sanè terra, quæ ut semen sermonem Dei exceperit, fructum affert copiosum & uberem. De quo uideMatth. 13. ris in parabola seminantis, quam Dominus apud Euangelistam interpretatur. Atque hæc est diuina Cabala, à Patriarchis usque ad Mosem, ab hoc per Prophetas usque ad nouissima tempora per manus doctorum spiritu hominum prodita.

Sic erit uerbum meum.) Accommodat similitudinem ad rem propositam.

Non reuertetur ad me uacuum.) ut sermo qui ex hominis ore egreditur, uacuus & infecta re sæpe redit. Vis & fructus sermonis diuini declaratur. Præter tempora ueteris testamenti, intueamur Apostolorum tempora: quem fructum attulerit mundo Euangelium per illos prædicatum, satis documento est gentium salus, ex Euangelij cœlestis auscultatione parta. Et quem his postremis temporibus restitutum mundo, Euangelium fructum ferat, norunt qui ex erroribus & tenebris regni Antichristi in admirabilem cognitionis ueritatis lucem translati sunt: quem sequentibus sæculis conuersis Iudæis ad Messiam, Euangelium sit laturum, posteri sentient.

Sed faciet quæcunque uolui.) aduersaria ui nulla, Euangelij, quem edat, fructum impeditura: non Satanis, quem Euangelium iudicat & damnat: non Antichristi,

christi, quem conficit spiritu suo: non tyrannorum orbis terrarum, quorum consilia & conatus irrita reddit is, de quo Psal. Qui habitat in cœlis, irridebit eos: loquetur eis in ira sua, & furore suo conturbabit eos. Psal. 2.

Quia in lætitia egrediemini.) Enumerat ordine fructus, quos ferat Euangelium. Vnus est, electos cum lætitia egressuros ex Satanis & Antichristi regno: ut olim cum lætitia ex Aegypto egressi sunt Israelitæ, deuicta tyrannide Pharaonis: & ut Iudæi ex Babylone emigrarunt, euerso Babylonio tyranno. Lætitia hæc accipitur de eo gaudio, quod oleum lætitiæ spiritus Messiæ affert, de quo in Psalm. Vnxit eum oleo lætitiæ, qui Messias est: ex quo, ut capite, Psal. 44. fluit idem exhilarans oleum, de quo Apostolus, Regnum Dei est gaudium in spiritu sancto.

Et in pace deducemini.) per deserta & solitudinem huius mundi, in cœlestem patriam: ut Israelitæ cum pace, hoc est tuti ab hostili ui, per solitudinem Arabiæ in promissam hæreditatem terræ Chananææ deducti sunt. Exponitur alter fructus, pax & tranquillitas animorum erga Deum, de peccato & morte, & afflictionibus huius mundi, per quas ingrediendum sit electis in regnum cœleste.

Montes & colles.) Per prosopopœiam affingitur rebus mutis ouantium sermo, pariter montibus & collibus, omnibusq; terrestribus arboribus plausum edituris, atque testaturis publica gratulatione iustos mundi huius esse fundamentum, qui seruetur probis in Messia regnantibus: ruat uerò, improbis & impijs Proverb. 10. opprobrio conditoris Dei, & regis regum Messiæ, imperium hac inuita uniuersitate obtinentibus.

Pro saliuncula.) ו ושית alijs spina est, alijs סוחה, ut LXX. alijs fruticetum. Figuratam locutionem sic Paraphrastes Chaldæus interpretatur: Pro impijs existent iusti. Has spinas & infrugiferos frutices explicat Dominus, ubi ait: Veni ad uocandos peccatores ad pœnitentiam. ut ferant, uidelicet bona arbor facti, bonos fructus. Atque is est præstans fructus pluuiæ Euangelij, quæ agrum ecclesiæ ita uberat, ut ex fruticetis spineta, ex spinetis myrteta Ecclesiæ, hoc est, ex improbis probos efficiat. Quò pertinet illud Apostoli: Hæc eratis 1. Corinth. 6. quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificasti estis, per nomen Domini IESV. Matth. 9.

Et Dominus nominatus in signum.) Postremus Euangelij fructus est, amplificatio Domini. Erit, inquit, Dominus in nomen & in signum æternum, quod nunquam delebitur: hoc est, per huiusmodi beneficium redemptionis Dominus nomen suum illustrabit, & signum, hoc est, documentum dabit suæ bonitatis & fidei, quam tota posteritas electorum celebrabit memoria nunquam abolenda. Qui est ultimus finis omnium operum Dei in Messia filio, ut is spiritu sacro interprete celebretur, & amplificetur in ecclesia electorum. Quò referuntur tot Psalmi à Dauide compositi, laudem Dei de acceptis beneficijs continentes. Atque in hunc celebrandi Dominum usum, mysterium seu sacramentum sacrosancti corporis & sanguinis IESV Christi institutum est, panis & uinum: quo utentes, redemptionis beneficium, quo Christus per mortem & resurrectionem suã mundum affecit, in sanctorum cœtu memores & grati celebrent.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

HAec dicit Dominus.) In hac concione, quæ de pœnitentia dixit, repetit, sed alijs uerbis. Deinde ostendit, quam pœnitentia salutem conuersis ad Deum afferat, atq; hanc demonstrat communem omnium esse: neq; in ea præstanda ullius personę hominum, quamlibet in mundo abiectorũ, rationẽ haberi. Demum significat, Deum grauiter in hostes suos & suorum animaduersurum. De singulis ordine inter interpretandum.

Custodite

Custodite iudicium.) Iure agite, quod ipsa lex de amando Deo & altero præscripserit. Nam in loco Hebræis, משפט ius est, quo definitur recta ratio diuinitus in mente insita, iubens quæ facienda sunt, prohibensq; contraria: quod est naturale ius, sanctè Deum colendum & alterum diligendum docens. Sed quę uis & facultas præstat id, & exequitur, quod ius præstandum & exequendum admonet? Sequitur:

Et facite iusticiam.) tribuendo cuiq; suum, quod iusticiæ munus est. Hęc enim in suum cuiq; tribuendo cernitur. quæ uiolatur, cum Deus non supra omnia amatur, & proximus uel cogitatione uel dicto uel facto læditur. Suprà monuerat, relinquat impius uiam suam: hic, Custodite iudicium, & iusticiam exequimini. Hæc persequi, contraria uiæ ueteris hominis persequi est: ut est contemptus Dei, idololatria, nominis diuini uiolatio, ut sunt furta, adulteria, homicidia. Cui uiæ contrarius est amor Dei & proximi, quem ius naturale præscribit, & eum iusticia præstat, de qua mox fiet mentio.

Quia iuxtà est salus mea.) Sed quę salus? salus Messias, in quo Deus miseretur electorum. de qua misericordia præcessit: Et miserebitur eius. remissis scilicet peccatis per sanguinem Messiæ, & donato spiritu sancto. Huius salutis reuelationem Ioannes regnum Dei uocat, in quod ingrediuntur, quos suorum peccatorum pœnitentia cæperit: Pœnitentiam agite, in propinquo enim est regnum cœlorum. de quo sequitur:

Et iusticia mea ut reueletur.) Sed quæ iusticia? Iusticia hæc Dei Messias est, in quo & per quẽ solum Deus iusticia, sapientia, uita & sanctitas sanctorũ est. de qua suprà ex Prophetis & Apostolis mentio facta est. Sed ut patefit hæc iusticia
Rom. 1. scriptis in libro uitæ? Per fidem patefit. Sic enim Paulus ait: Iusticia Dei patefit per Euangelium, ex fide. Hęc enim, & ea sola, sacrum illud Dei lumen est, quod in credentium animis lucens, diuinam beneuolentiam & iusticiam, qua in Christo iusti reddamur, manifestat, & eam nobis communicat. Cæterùm ut Christus nostra iusticia sit, ea de re supra cap. quinquagesimo tertio mentio fit. Præcesserat, ius facite, & exequimini iusticiam: hoc est, ea præstate quæ ius aclex Dei præstanda iubet. Hic, unde præstandi uim iustè agendi accipiamus, monetur. Eam accipi ex reuelata iusticia Dei, quæ Messias est: ex quo uno per fidem accipimus promissum in prophetis spiritum sanctum, cuius afflatu Deum rectè colamus, & alterum diligamus. Oseas propheta pœnitentiam, & salutem cum pœnitentia coniunctam, his uerbis figurato sermone explicat: Seminate uobis ad iusticiam, & metite pro bonitate: nouate uobis noualia, dum tempus est quærendi Dominũ, donec ueniat & pluat super uos iusticiã. Is primò indicat, pectorum nostrorũ aruum pœnitẽtiæ aratro, euulsis malis cum radicib. uitiorum herbis, arandum esse, & iacto Euangelij in proscissum agrum semine, demum iusticiæ, non legis, non humanæ, sed diuinæ iusticiæ fructum editum iri, quem pœnitentia in comitatu habeat, ex fide in seminatũ Euangelium percipiendum. Sed quis est ille, qui ueniens pluit super proscindentes agrum pœnitentiæ aratro? Messias est, IESVS filius Dei, electorum salus, iusticia & uita, ut hic etiam Iesaias nunciat: Quia prope est salus mea ut ueniat, & iusticia mea ut reueletur. Sed quo tempore uenit salus, & iusticia Dei Messias reuelata est? De tempore suprà capite undecimo meminimus, & de eo Daniel: Septuaginta Hebdomadę decisæ sunt populo tuo, & urbi sacræ tuæ ad cõsumandum peccatum, & ad obsignanda delicta, & ad expiandam culpam, & ad adducendam æternam iusticiam, et ad obsignandam uisionem & prophetiam, atq; ad unguendum sanctum sanctorum, qui est benedictus Messias, salus & iusticia electorum, de qua hic propheta: Propediem ueniet salus mea, & patefiet iusticia mea.

Beatus uir qui facit hæc.) à beatitudine hortatur ad pœnitentiam. Beatum eum fore,

fore, qui ad eam se paret. Sed cur beatum eum uocat? quòd qui relicta uia sua praua, & cogitationibus malis, ad Deum se conuertit, unus cum illo spiritus in Christo efficitur. In qua coniunctione ad unam cum Deo uitam & gloriam felicitas collocata est. Nam ut per peccatum, quòd à Deo summo bono discessus est, à Deo absceditur: ita per diuinum illum amorem, fidei luce accẽsam, unum cum Deo reddimur. Hinc illud apud Lucam: Vnum uobis necessarium est. Deus uidelicet uobis uniendus per amorem, de quo Ioannes: Qui manet in amore, in Deo manet. Per pœnitentiam autem, Dei odium exuitur, amor diuinus induitur, ut idem Ioannes docet: Qui diligit, ex Deo natus est: hoc est: qui spiritu amoris agitur, quẽ nobis de Christi plenitudine fidei lux inserit, de quo illud: Qui diligit, nouit Deum, per fidei uidelicet lumen Deum manifestans.

Custodiens Sabbathum.) Quod est custodire ius, & exequi iusticiam, hic est seruare sabbathum: eadem re, sed alijs uerbis significata. Quid enim aliud est seruare sacrum sabbathum, quàm non sapere secundum carnem, sed secundum Deum: non pendẽre à mundo, sed à præsidio diuino in filio Messia: non ambitiosè agere, fraudem alteri non intendere, neq; ullo modo iniuriam ei facere, rebus prosperis non insolescere, & aduersis minimè frangi: acceptas iniurias non solum obliuisci, sed etiam ijs à quibus illatæ sunt bene precari, ad exprimẽdam perfectionem Dei patris, qui solem suum sinit lucere probis & improbis. Hæc *Matth. 5.* inquam facere duce sacri amoris spiritu, sabbathũ seruare est, quod legale à Mose præceptũ sabbathum adũbrauit: in quo quæ considerentur, aliàs indicatum.

Ne polluat illud.) Sed ut profanatur sabbathum? Sequitur: Custodiens manus suas ne faciat malum. Patrare igitur malum pugnans cum iure & iusticia, uiolare sabbathum est. Contrà uerò sanctè sabbathum agere, facere bonum est. Polluunt igitur sabbathum, qui legem Dei non seruant: sanctificant, qui seruant. Seruant autem legem, qui à suis operibus uacantes, Deum in se agere per spiritum fidei & amoris sinunt. Non seruant, qui mundi spiritum per carnis cupiditates & affectiones in se ad omne malum faciendum regnare permittũt: ut est, diffidere Deo, eumq; contemnere, & eius opera pensi non habere: proximum negligere, quem Deus secundum ipsum, qui eius cognatione teneatur, ut nos diligendum præcipit. Sabbathum igitur qui seruant, Deus in eis suum opus agit: cum profanatur, nos nostrum uitiosum & damnatum opus agimus. Felix igitur meritò iudicatur, qui sabbathum seruat: infelix, qui frãgit. Seruans enim id, Deum intra se per spiritum filij uiuentem, mouentem, agentem, amanterq; loquentem habet: non seruans, eo caret, morti addictus. Est enim piorum uita Deus, per spiritum suum in Christo, qui uiuificator spiritus est. impiorum autẽ Deus, per spiritum mortis & exitij, Satan Deus est. Beatus igitur Abrahamus *Genes. 15.* iudicatur, de quo legitur: Credidit Abraham Deo. qui diuinam requiem custodiens, Deum in se per spiritum fidei agere permisit, nõ naturam ueterem. Bea- *Psal. 84.* tus Dauid, qui non se loquentem, sed Deum in se loquentem audire uoluit, dicens: Audiam quid loquatur in me Deus. Idem non suam in se fortitudinem, sed Dei, regnare patienter ferens, crucem passus est, id etiam cõfitens, Diligam *Psal. 17.* te Domine fortitudo mea. Quapropter sapientes huius mundi, & de fortitudine ac potentia sua gloriantes homines, per suam sapientiam, potentiam & fortitudinem, sabbathum profanant, cum Assyrio arroganter gloriantes: In fortitudine manus meæ feci, & prudentia mea intellexi. Antichristus, spiritualis ille Assyrius, cum falsis suis prophetis, ut sabbathum polluat, declarant eius decreta & doctrinæ, quibus sapientiam suam, quam in cœlum usq; extollit supra omne id quod est numen Dei, quibus iusticiam suorum hypocritarum sapientiæ & iusticiæ quæ Christus est opponere audet, omni studio & conatu elaborans, ne Deus in filio Christo suum in nobis opus perficiat. Similiter cũ Pharisæo illo profanant sabbathum, qui superbè audent de se prædicare: Gratias

tibi ago, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri: ieiuno bis in sabbatho. Cõtrà uerò sabbathum custodit, qui cum publicano orat: Propitius esto mihi peccatori. qui quiescendo maluit Deum in pectore suo misericordiæ suæ opus facere, quàm operando per facta sua se iustificare. Quare sanctè hic Propheta ait: Beatus uir qui facit hoc.

Et *non dicat filius aduenæ.*) Temporibus patefactionis Messię macerie legis Mosæę rupta, etiam gentibus in regno Dei locum fore: quòd in IESV Christo neque circumcisio, neq; præputium quicquã ualeat, sed noua creatura. Cæterùm in uoce נכר non simpliciter aduena significatur, sed qui omnino alieni est generis & gentis, reip. & religionis. Hanc uocem explicat Apostolus in epistola ad Ephesios: Quod eratis quondam sine Christo, abalienati à repub. Israelis, & extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, Deoq; carentes in mundo. Dicat aliquis, gentes non caruisse promissione salutis, quibus nimirum Prophetæ præsignificarint Messiam patefaciendum, ut hoc oraculum & alia innumera indicant. Fuit quidem & gentibus iam inde ab Abrahami temporibus Christus promissus, in quo seruarentur: sed quæ promissio non penes gentes reposita fuerit, sed Israelitas, quibus nota ea promissio fuit, non gentib. ut rectè dicatur, eas fide & spe in Messiam caruisse: atq; ita etiam neque Deum ipsas habuisse, quem agnoscerent sibi fauere. quod tamen scriptioni in libro uitæ, in quo Deus ab æterno quosdam ex gentibus consignarit, non repugnat. Non enim consequitur, Deum non agnoscunt quidam ut suum, sibi beneuolentẽ, ergo Deus ipsos non agnoscit pro suis. Nam omnes electi primò Deum non confitentur sibi reconciliatum in filio: nihilominus tamen eos Deus amat, & in suis dilectis hæredib. regni sui numerat, ut quos ab æterno ante iacta mundi fundamenta amarit: quibus suo tempore filium, in quo salutem adipiscãtur, patefaciat. Sed de hoc argumento aliàs accuratiùs.

Ephes. 2.

Ephes. 2.

Separatione diuidet.) Vt antea gentes ab Israelitis separarat, interiecta macerie legis Mosæę, de qua macerie, & ea rupta per Euangelium, sic loquitur Apostolus: Ipse enim est qui fecit ex utrisq; unum, & interstitium macerie diruit, simultatem per carnem suam legem mandatorũ in decretis sitam abrogauit, ut duos conderet in semetipso in unum nouum hominem. Vbi maceriem separantẽ Iudæos à gentibus appellat legem Mosæam, quæ gentis & elementorum mundi rationem habens, gentes à cultu Dei per legem mandatorum in decretis sitam seiunxerat. Iam autem hac lege, mundi elementa obseruante, per legẽ Euangelij abrogata, & spiritu adoptionis libero à rerum externarum & à gentis cuiusquam obseruatione in pectora electorum fuso, gentes cum Iudæis in unum corpus Ecclesiæ in Messia capite coalescunt, ut qui antea alieni, iam ciues, qui antea extranei, iam domestici, qui antea testamenti & fœderis diuini expertes, iam cõsortes habeantur, unũ cum Israelitis in summo uno, quod Deus est pater Domini nostri IESV Christi. Sed in quo sunt unũ facti? In spiritu Messiæ. Sic enim ait Apostolus: Quoniam autem per illum habemus aditum utriq; in uno spiritu ad patrem. Sed quis hunc spiritum utrisq; comparauit, in quo coniungerentur simultate sublata? Messias, merito mortis carnis suæ crucifixæ, & beneficio resurrectionis comparauit. Dicit enim Apostolus: Simultatem per carnem suam abrogans.

Deuter. 23.

Ne *dicat eunuchus.*) cuius in Mosæa lege ratio, ut sexus, ætatis & gentis, habita fuit: quæ in dispensatione noui fœderis non habetur, ut in quo nouus homo & cœlestis in considerationẽ ueniat, in quo neue eunuchus, neue aptus ad generandã sobolẽ, neue Græcus, neue Hebræus, neue mas, neue fœmina, neue puer, neue senex, neue præputium, neue circumcisio quicquam ualet: sed homo nouus, supernè natus, è spiritu noui & cœlestis hominis IESV Christi: cui lex Mosæa, utei subiecta, cedit. Sunt igitur eunuchi, corpore castrati: hos Mosæa

lex

lex aſpernatur, non itē lex Euangelij. Sunt eunuchi, qui ſe caſtrāt propter regnū cœlorū, cōmendati à Chriſto, non itē in lege Moſæa, in qua liberorū procreandorū præcipua cura fuit, cœlibatus neglectus. Sunt itē eunuchi mente, qui ad generandā ſobolē per Euangelij ſpiritū inepti ſunt. Tales nō cōmendat Chriſtus: Moſes è ſua ciuitate nō eiecit. Chriſtus enim eos laude dignatur, qui cū Apoſtolo dicūt: Filioli, uos iterū parturio, donec formeť in uobis Chriſtus. Matth. 19. Galat. 4.

Et elegerint.) Noui hominis ſpiritu afflati, qui Meſsię ſpiritus eſt, in quo uno eligendi, quæ Deo probentur, uis poſita eſt: in ueteris hominis ſpiritu, ut mancipio peccati, uis contraria.

Quæ uolui.) Quæ mihi placēt, quæ ego præſcribo in lege mea: & per fidē in filium, ut ea præſtent, uim ac facultatē exhibeo. Dicit hic Dominus: Et elegerint quę mihi placēt: nō quę hominib. ut quorū uias & cogitationes dixerit tā lōgè à ſuis uijs & cogitationib. diſtare, q̄ cœlū à terra diſtat. Monemur ergo hic, unam diuinā uoluntatē in ſacris oraculis expreſſam, certā & infallibilē normā & regulā eſſe, ad quam omnes ſalutis cōparandæ rationes referantur: & extra hanc normāomnem normā, & regulā quam ratio humana proponit, incertam & falſam regulā eſſe, quæ fallat & fallatur. Qualē regulā paſtor ille ſtultus Antichriſtus, atq; eius pſeudoprophetæ ſequuntur, & alijs ſequendā proponūt, neglecta infallibili ueritatis regula Meſsia benedicto, de ſe prędicāte: Ego ſum ueritas. Hanc qui ſequuntur, nō errant, & eligūt quæ Deo placēt, ſua cū ſalute: qui uerò eam contēnunt, errant: & ſua libera uolūtate, quā fingunt, quum ſerua ſit peccati, quę Deo diſplicēt, eligūt ſuo exitio. Hic legimus, Qui mea ſabbatha ſeruarint, qui elegerint quæ mihi probant: non qui prophana & plena idololatria ſabbatha paſtoris ſtulti, & quæ ei probantur, elegerint & ſeruarint. Ioan. 14.

Et tenuerint fœdus meum.) Sed quod & quale fœdus? Num circumciſionis præputij carnis? At hoc in Meſsia abrogatum eſt. Fœdus igitur circūciſionis præputij cordis, quod in ſacro Meſsiæ ſpiritu cernitur, hic cōmendatur. Quod fœdus, legis ſpiritus uitæ in pectoribus electorum ſcribendæ fœdus eſt: de qua lege ex Moſe, Prophetis & noui fœderis ſcriptura iam ſæpè meminimus. Per hanc legem ſeruatur fœdus diuinum, de quo hic: Et tenuerunt fœdus meum, quod per legem Moſæam ſeruatum non fuit, ut quæ literæ, non ſpiritus, mortis, non uitæ lex fuerit. contrarijs ſe oſtendentibus in lege fidei, in qua ſpiritus, non litera, uita, non mors cernitur.

Dabo eis in domo mea.) in templo, de quo Apoſtolus: Vos eſtis templum Dei. Et de eius ſtructura, quæ pariter ex Iſraelitis & gentib. fiat, idē Apoſtolus: Superſtructi ſuper fundamentū Apoſtolorū ac Prophetarū, ſummo angulari lapide IESV Chriſto, in quo quæcūq; ſtructura coagmētatur, ea creſcit in tēplum ſanctum in Domino, in quo & uos coædificamini in habitaculū Dei per ſpiritum. Et hoc eſt quod hic legimus: Dabo eis in domo mea locū. In qua domo ſiue tēplo hæc expenduntur: ædificatio, quæ fit per prędicationem ſacri Euangelij: lapides, ex quibus extruitur domus, qui ſunt ſcripti in libro uitæ: fundamentum templi & lapis angularis, utroſq; muros, hoc eſt gentes & Iſraelitas firma ferruminatione committens. Is IESVS Chriſtus eſt, per cuius & ſuum ſpiritum Deus pater in extructo templo habitat, præſens ſuæ uitæ, iuſticiæ, ſapientiæ & gloriæ communicatione. Ephe. 1.

Et in muris meis.) Sed in cuius templi & Hieroſolymæ muris? num materiatis? Abſit. talibus enim ciuitas Hieroſolyma noua & cœleſtis, atque eius templum carebit. Sic enim Zacharias propheta uaticinatur: Abſque muro habitabitur Hieruſalem. Quales ergo erunt muri? Sequitur in Propheta: Et ego ero eis murus, ignis in circuitu. Zach. 2.

Locum.) dignitatē ſacerdotalē. qua ſint in tēplo ſacro, quod eſt Eccleſia, fœdere cum Deo iuncti, exornādi. De qua dignitate illud: Vos eſtis regale ſacerdotium, 1. Petri 2.

tium. Et Ioan. Et fecit nos reges & sacerdotes. Locũ aũt accipi pro מעלה, indicat illud ברוך יי ממעמבו: hoc est, Benedictus Dominus à loco suo. hoc est, splẽdore & amplitudine maiestatis suæ: sicut etiam apud Latinos locus usurpatur. Hoc modo cœlũ in quo Deus pater & filius eius Messias uersantur cũ sanctis angelis, accipitur pro statu, splẽdore maiestatis & imperij in omnia illustri: in quo cœlo thesauros, qui nunquam marceant, pij credant sibi repositos esse. Sicut infernus in loco sumitur pro misero damnatorum statu, carente luce beneuolentiæ diuinæ. Sed de hoc aliàs.

Et *nomen melius à filijs.*) Gloriantur in terra qui eunuchi nõ sunt, & liberis augentur. At meis eunuchis melius nomen dabo, quàm quod quisquam à sobole per se genita habet. Sed quale nomen dabo eis? Sequitur:

Nomen sempiternum dabo eis.) nomen filiorum & hæredum Dei. Hoc nomen explicat Ioannes: Et scribam super eum nomen Dei mei. Quod est, eos participes diuinæ naturæ fieri. De quo participatu Petrus: Vos consortes estis diuinę naturæ. Hoc nomen indit regeneratio è spiritu Dei. Est igitur nomen quod nunquam abolebitur: quod est, ex Deo in consortium cœlestis hęreditatis genitorum nomen, quæ hæreditas est ipsius Dei summi boni in Christo IESV possessio & fruitio. Est item nomen quod aboletur, ut est impiorum nomen.

Et *non peribit.*) cum nomen quod ex propagatione carnalium liberorum acquiritur, cum ipsa sobole abolescat.

Vt *colant eum.*) cultu fidei in Messiam, per amorem Dei & proximi agentis, de quo amore sequitur:

Et *diligant nomen eius.*) prælucente lumine fidei, in quo continetur diuinus amor, ut calor in luce & igni. Meminit amoris, ut finis legis, de quo Apostolus: Finis legis charitas. Itẽ: Qui diligit, legẽ implet. Sed quem finẽ nemo assequatur, nisi per fidẽ, quę impetrat quod lex imperat. Imperat enim hoc, ut Deum amemus, & alterũ: quod uti faciamus, ipsa nõ præstat, sed fides, quæ spiritũ amoris de capite Christo accipit, quò Deum sanctè amemus: & de proximo bene mereamur, etiãsi nobis nõ benè, sed malè faciat. Atq; hinc fit, cur lex Mosæa in saxeis tabulis scripta legatur, quæ dura pectora tractet, & dura relinquat, nõ molliat. Lex uerò fidei in tabulis carneis scribi dicatur, quòd carnea corda & mollia uersęt, quæ spiritu amoris Dei & proximi afflata, sua spõte quæ lex mãdat exequũtur. Tam lõgè fœdus nouum, quod recõciliationis nostri cũ Deo per sacrum sanguinis Messiæ spiritum fœdus est, à uetere distat, quod pecorum sanguine intercedente cum duræ ceruicis populo sancitum fuit.

1. Timoth. 1. Rom. 13.

Et *lætificabo eos in domo orationis meæ.*) Alludit ad templum Salomonis mysticum, quod ut domus supplicationis ad Deum fuerit, in 3. Reg. libro ostenditur: submoto uelo Salomonij tẽpli, monemur primò, Ecclesiam sacrũ tẽplum Dei esse, in quo solo fundãtur preces gratæ Deo. Deinde, in eo fusas preces exaudiri: quòd eas sanctus spiritus, cuius Ecclesia tẽplum est, fundat: qui ut pro regio & sacerdotali iure in omnia imperium habet, ita precãdo impetrat quæ precatur. Postremò sic precationis domus Ecclesia est, ut idẽ spiritus etiã arra & pignus certũ, quo I neue fallat neue fallatur, eorũ sit, quæ Deus inuocãtib. nomẽ suum promittit se daturũ. Quod pignus quãti sit faciendũ, sẽtiunt, qui sacro adoptionis spiritu prædĩti, in grauissimis tentationib. clamãt Abba pater. Hanc precationib. diuinis consecratã ædẽ profanant, qui alium cultũ quàm fidei in Messiam instituunt: qui temporib. rerũ aduersarũ, aliorum implorãdam esse opem, quàm patris in filio docẽt: qui in Ecclesia omnia uenalia habent, uerbum Dei, condonationem peccatorum, sacramenta, matrimonia, & cœlum ipsum. Tales cum præsciret Dominus in Ecclesia, templo suo uero, omnia profanaturos, & tandem eijciendos: in eius rei figuram in templo mystico, subuersis numulariorũ mensis, uendentes & ementes expulit, dicens: Scriptum est, Domus mea orationis domus uocabitur,

Ephes. 1.

Luc. 19.

Holocausta

Holocausta eorum.) uictimæ cremati ueteris hominis cum cupiditatibus suis, per ignem. de quo illud: Baptizabit uos spiritu & igni. Declaratur dignitas sacerdotalis, quam in Dei templo habituri sint: quæ in precandi & sacrificandi munere spectatur. De his holocaustis & uictimis Apostolus his uerbis loquitur: Obsecro igitur uos, fratres, per miserationes Dei, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum. sed quomodo offerimur hostia accepta Deo & sancta? Sequitur in Apostolo: Et ne accommodetis uos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas Dei. Relinquere ergo figuram seculi huius, hoc est, concupiscentiam carnis militantem aduersus Deum mortificare, & uiuere per regenerationem Deo, probata eius, non mundi huius uoluntate: hoc ipsum est, Deo gratis uictimis litare. *Math. 3.* *Rom. 12.*

Super altare meum.) Quod est IESVS Christus, unica illa grata Deo ara, super quam uictimæ nos oblati probamur Deo. Offerimur autem in hac ara, cum fide agnoscimus, in solo Christo preces nostras exaudiri, in solo Christo ueteris hominis mortificandi & noui hominis formandi studium placere Deo. Super alienam igitur aram, non super Christum, se uictimas offerunt, qui extra uerbum Dei crucifigentes se, & carnem suam mactãtes Deo sacrificant: & renouationẽ sui non per spiritum Christi, sed per naturæ suæ uires moliuntur. Quorum numerus in regno pastoris stulti infinitus est. Exemplo sunt monachorũ, martyrum Satanis sectæ. *Hebr. 13.*

Quia domus mea.) non domus aduersarij.

Domus orationis.) non mercationis domus: qualis est domus aduersarij Messię, in qua omnia uenalia habentur.

Vocabitur.) Primis quidẽ patefactionis Messiæ tẽporibus, pro modo & mensura, quam seculum Apostolorum in seruandis reliquijs tulit: postremis uerò his instaurationis profanati à filio perdito templi seculis, pro ratione reconciliationis, longè lateq; in Israelitas & gentes peruasuræ, claritate lucis Euangelij aduersarij regno deleto.

Cunctis populis.) quos Satan per aduersarium seduxerat erroribus. de quo Ioannes: Qui uocatur Diabolus & Satan, seducens totum orbem terrarum. *Apocal. 12.*

Ait Dominus Deus, qui congregat.) in ouile suum, tanquam dissipatas oues per lupos, de quibus mox fiet mentio.

Dispersos Israel.) à regno Messiæ. In mystica dispersione figura & umbra, in uera res ipsa & expressa ueritas cernitur.

Adhuc congregabo ad eum.) gentes, in unũ ouile Ecclesiam, sub uno pastore Messia, per sacri Euangelij patefactionem.

Congregatos eius.) Hebr. Ad congregatos eius. Ad congregatos & collectos Israelitas aggregandas gentes.

Omnes bestiæ agri.) Vt salutẽ denunciat Ecclesiæ colligendæ ex Israelitis & gentibus, ita interitum minatur ijs qui Ecclesiam cum Messia & eius Euangelio spoliantes dissipant.

Venite ad deuorandum.) Minax oraculum per Imperatiuum enũciatur. Sed quas feras feræ conficient? Sequitur: Speculatores cæci. Hos Apostolus in Actis lupos uocat, similiter Dominus apud Euangelistã. Et Antichristus, bestia ex terra nata omnia uastans, à Ioan. in Apoc. mysticum oraculum Danielis explicante, describitur. Dicas, legi, ante Antichristũ & eius pseudoprophetas hic speculatores cæcos, canes mutos & ingluuiosos, pastores stultos & incõsideratos appellatos, spiritu oris Messię interfectum iri: non à feris, hoc est crudelibus & immanibus hostibus. Benè quidem, eorum falsa doctrina spiritu Euangelij iugulabitur: ipsi uerò partim spiritu Dei, partim ferarum, hoc est sæuorũ hostium gladio, partim fame & peste, communib. orbis terrarũ cladib. miserè peribunt. Intueamur nostra secula, quibus quæ calamitates his intẽtentur, satis clarũ est.

Speculatores eius cæci omnes.) Grauis reprehẽsio, qua episcopos, doctores & prophetas falsos perstringit. Non dicit paucos cæcos esse, sed omnes. Quales autẽ oporteat esse quos Propheta יצפים, & Græci ἐπισκόπους, uestigio Hebræę linguę
Tit.1. seruato, uocant, uideris apud Apostolum in epistola ad Titum. Hæc dura & aspera obiurgatio, congruit quidem in prophetas & doctores, qui prophetæ nostri temporibus & sequentibus populum Israeliticum seduxerunt: sed longè ueriſimè conueniet in tempora Christi & Apostolorum, ut eorum duræ & acerbæ conciones in pharisæos & scribas editæ documento sunt. Vt autem hoc oraculum in hæc nouissima secula patefactionis Antichristi & pseudoprophetarum eius congruat, res ipsa demonstrat.

Cæci sunt.) Dei iudicio, non suo: qui suo uidere se, ut sapientissimos in mundo,
Ioan.9. omnia putant. De quibus Dominus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc autem cum dicitis, Videmus, peccatum uestrum manet. Vt igitur non unum genus oculorum est, ita non unum luminis est. Sunt oculi, qui uident quæ mundo probãtur: ut sunt honores, opes, res prospere, sapientia & iusticia
2.Corinth.1. humana, quos illuminat lumen sapientiæ, de qua illud: Perdam sapientiam sapientũ. His oculis præditi, mundo non cæci, sed omnia cernere putantur: Deo autem cæci esse putantur, ut eorum sapientiæ lumen tenebræ & caligo. Sunt item oculi, qui, quæ mundo displicent, & Deo placent, uident: lumine sapientiæ illuminati, quæ æternæ uitæ perennem fontem continet. Hoc lumine illustrati nomen speculatorum obtinent, quos Deus commendat, ut uidentes: eo non illustratos, reprobat, ut cæcos, quamlibet in mundo oculatissimi & sapientissimi iudicentur. Cæcos uocat falsos doctores & prophetas, ut quorum animorum oculis interior fidei lux desit, per quam uideant lucem quæ de se dicit:
Ioan.6. Ego sum lux mundi. Nam & in corporatis oculis animantium nisi insit lux, hi ipsi non uiderint præsentem ad eos lucem. ita habent animorum oculi: quibus, nisi electionis gratia insita sit lux, ueritatem nunquam intuebuntur, quam animo amplectantur, ore confiteantur, & uita exprimant. Itaq; hac luce carentes doctores, speculatores cæci appellantur: qui in tenebris errorum uersantes, neque sanæ doctrinæ scientes sunt, qua pascant & regant oues Christi, neq; qua
Ioan.10. ratione eas errantes in uiam reuocent norunt: sed lupos agentes, diuinum gre-
Actor.20. gem dissipant, & quantum in ipsis est uorant.

Vniuersi canes muti.) Quos cęcos speculatores uocauit, iam canes mutos appellat, qui lupos & fures ab ouili Ecclesia, fortiter docendo ueritatem, non abi-
52. gant. Quales canes nõ sunt speculatores, de quibus suprà: Vox speculatorum tuorum, leuauerunt uocem.

Videntes uana.) Hebræus habet חזים. pro quo interpres, deceptus similitudine literarum, legit חוזים. Chaldęus reddit, dormientes: eos dormitantes cubare, more canum ignauorum, quorum similitudinis retinens est. Exprobratur ignauia. Intueamur episcopos & doctores in regno Antichristi: quid his queso inertius & ignauius? Vocem hanc aliàs in sacris literis non reperias.

Et canes impudentißimi.) Reprehenditur ingluuies & uoracitas canina. Qui coperat canib. comparare speculatores cæcos, in ea comparatione manet, ad amplificanda illorum uitia. Hanc interpretationem comprobat quod sequitur: Nesciunt saturitatem. quorum Deum, patrem Domini nostri IESV Christi o-
Philippen.3. portebat esse: eorum Deus uẽter est, quem colunt, eius gratia omnia facientes. Canum uoracitas & somnolentia nota est, non obscura figura loquendi. נפש, hoc est anima, pro cupiditate uorandi & ingluuie sumitur. & in עזי non leuis, sed uehemens cupiditas notatur: uehementer ingluuiosos esse.

Et pastores ignorauerunt.) Munus pascendi, ut qui careant Euangelij noticia, quo uno pascitur Ecclesia. Itaque quos imitari conueniebat pastorem Messiam de
Ioan.10. se prædicantem, Ego sum pastor ille bonus, dans uitam pro ouibus: pastorem

illum

illum stultum imitãtur, quem Zacharias his uerbis describit: Ego suscitabo pec catorem in uia, qui derelicta non uisitabit, dispersum non quærer, & contritum non sanabit. & quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet. Sed quis est iste pastor? Antichristus est, quem Dominus non pastorem, sed mercenarium uocat, ubi ait: Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, ac deserit oues, fugitq́, & lupus rapit ac dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oues non sunt ei curæ. Atq́ idipsum est quod hic legimus: Suum quisque lucrum sequuntur. Quod est mercenarium esse, non uerum pastorem. Vt in regno aduersarij omnia uenalia sint, & ad lucrum & mercedem omnia spectent, palàm est. Nec contentus falsos doctores est Dominus mercenarios appellare: fures etiam eos appellat, & latrones, dicens: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, fur est & latro. Quæ notatio in neminem aptius congruerit, quàm in Antichristum & eius pseudoprophetas. Atq́ in huius domum Zacharias, mendaciorum & maledictionis egredientis super omnem terram uolumen uenire testatur. Zach. 11. Ioan. 10. Zach. 5.

Venite sumamus uinum.) Reprehenditur ebrietas. Præcesserat, falsos doctores iudicio & scientia regendi Ecclesiam carere. hic redditur tantæ amentiæ caussa, quæ ebrietas est, de qua Oseas his uerbis: Fornicatio, uinum, ebrietas, auferunt cor. sed de hoc loco etiam aliàs mentio facta est.

IN IESAIAE CAPVT QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM.

Iustus perijt.) per speculatores cæcos, & canes mutos, & pastores stultos, auaros & ebrios. Pereunt inquam per hos iusti, dum eorum sęuitie hinc auferuntur. Si, præter Achabi & Manassæ tempora, ea quibus tyranni Romani in Christianos crudeliter grassati sunt, & hæc postrema patefactionis Antichristi secula intuebimur, intelligemus quod hic cõqueritur diuinus spiritus: Iustus perit, nemine animum aduertente. Hanc autem querelam ita instituit, ut in ea pios consoletur, & impios ex libidine in mundo uiuentes terreat. Accipiuntur enim pij non Dei, quo uiuunt, sed mundi & pseudoprophetarum iudicio perire: qui hoc seculum & præsentem uitam, fluxam & fragilem istam ponderantes, futuræ rationem nullam ducunt: ut qui nihil neq́ de animorum immortalitate, neq́ de iudicio Dei futuro, neq́ de resurrectione ac excitatione mortuorum ad uitam quicquam statuant: hanc eorum animorum improbitatem doctrina, uita & moribus declarantibus.

Et non est qui recogitet in corde suo.) quantum flagitium sit, á sceleratis pios uita priuari: & quanto damno uniuersitatis occidãtur. Sceleris magnitudo ex eo indicatur, quòd homo occiditur: contra legem, Ne occidito. Deinde, quòd iustus occiditur: qui Deum, genitus superne, è spiritu eius, proximè attingit: quem si qui tangunt, pupillam oculi Dei tangere dicuntur. ut est apud Zachariam uatem: Qui tetigerit uos, tanget pupillam oculi eius. Vnde fit, ut iustos lædere & interficere, Deum lædere sit, & interficere. Et Christus Dominus noster Paulo dicat, Saul Saul quid me persequeris? Quibus uerbis significat, se infestari, si sancti infestentur: propter intimum & indissolubile consortium, quo membra corporis Ecclesiæ cum capite Christo copulantur. Quæ summa consolatio est piorum, temporibus afflictionum. Quantum autem attinet ad damnum quod datur uniuersitati, iustis è medio eius sublatis: cõprobat sententia illa Salomonis sæpè citata, Iustus fundamentum mundi. Quare florentibus iustis, sub capite iustorum Messia, uniuersitas hęc floret; non florentib. squalet & malè habet. Zach. 2. Actor. 9.

Quò pertinet celebre illud ſapientum Hebræorum dictum: Mundum perdit, qui hominem perdit. quòd homo הבלית ſit mundi, & עולם קטן.

Et uiri miſericordiæ.) Homines benigni ac boni, Dei in terra uiua ſimulachra. Pro אסר, LXX ferè ἔλεος reddunt, quod eſt miſericordia. hic uerò uertunt ἄνδρες δίκαιοι, hoc eſt uiri iuſti: quos nimirum fidei lumine illuminatos, diuini amoris & charitatis ſpiritus agat, qui ueræ probitatis & iuſticiæ ſpiritus eſt. Hos hinc capi, & è mundo tolli, conqueruntur Prophetæ & legati Dei. Contemplemur noſtra tempora: tot in Europa ſanctos homines ob teſtimonium agni & Euangelium occidi à ſæuis hoſtibus, quantum luctum pariat, ſatis pij ſentiunt & experiuntur.

Colligantur.) ad reliquos ſanctos. Si corpora ſpectes, ſepultura ſignificatur: ſin animos, eorum coniunctio cum reliquis ſanctis animis, ad fruendum beato ſtatu cognitionis Dei in Chriſto indicatur. Ad quod conſortium & coniunctionem ſignificandam, qua inter ſe iuſti in uno corpore cum capite Chriſto Meſſia copulantur, colligendi uerbo utitur. Colliguntur igitur iuſti, impij uerò inſtar paleæ à uento agitatæ diſſipantur. De quibus in Pſal. Impij paleæ ſunt ſimiles, quam uentus agitat. *Pſal. 1.*

A facie enim maliciæ collectus eſt iuſtus.) ne mala, quæ in mundo accidunt, ſuo magno dolore uideant. Numeratur autem in malis primò, malus rectionis ſiue domeſticæ ſiue ciuilis ſiue eccleſiaſticæ ſtatus, cum ſcelera paſſim ſine pœnitentia à minimo uſque ad maximum impunè committuntur, impleto illo Ieſaiæ: A planta uſq; ad uerticem non eſt in eo ſanitas. Deinde in malis occurrunt, calamitates tam malum ſtatum conſequentes, quibus ne cum impijs iuſti infeſtentur, ante tempus diuina bonitate ex hoc mundo eripiuntur, ut in altero ſeculo feliciter uiuant, quos mundus ſanctè uiuentes in præſenti ſeculo ferre non potuit. Vnde colligimus, non malo ſuo, ſed bono, hinc tolli iuſtos: & iudicium eſſe diuinæ beneuolentiæ, ſi ex hoc mundo tot immanibus beluis & feris infeſto emigrent. Deinde colligimus, præſignificari maximas calamitates, quę in mundum ſint peruaſuræ, ſi ante tempus iuſti & pij moriantur, præcipuè ſi à tyrannis occiſi hinc diſcedant. Horum enim ſæuitie & tyrannide rerum aduerſarum cumulus, quo impij uindice Dei ira obruantur, accreſcit. Pios autem ex hac uita auferri, ne uideant mala euentura malis, exemplo eſt Ioſias, ad quem Holda uates miſſa, his uerbis eum alloquitur: Ecce ego congregabo te ad maiores tuos, & colligêris in ſepulchro tuo in pace, ne uideant oculi tui omnia mala quæ afferam loco huic. 4. Reg. 22.

Veniat pax.) Venire pacem ſuper iuſtos ex hoc ſeculo excedentes, generalis conſolatio piorum eſt, horum mortem uita, laboribus & moleſtia tranſacta, cõſecuturam in altero ſeculo pacem: hoc eſt, bonum & felicem in Deo ſtatum. Si corpora ſpectentur, quamuis hæc ante iudicium extremum ſuum felicem ſtatum non aſſequantur: in ſepulchris tamen, quę cubilibus dormientium comparantur, quieſcent: & tandem tanquam è ſomno excitata, euigilabunt, uita eis reſtituta. Quare horũ ſepulchrũ non fore interitus foueam, ſed cubile, in quo ſuauiter uſq; in excitationis è mortuis diem quieſcãt: ſin uerò animos ſpectes, hos mole iſta peccato & morti ſubiecta liberatos, quam pacẽ carnis & ſpiritus pugna cõfecta cõſequant, documẽto eſt cœleſtis paradiſus ſanctis aperiẽdus, de quo Dominus ad latronẽ, Hodie mecũ eris in Paradiſo. Qui nõ ex loco eſtimatur, ſed ex bono ſtatu, quo iuſti homines qui ex hac uita exceſſerint, fruunt. de q bono ſtatu Dominus noſter, qui eum nobis cõparauit ſanguine ſuo: Hæc eſt aũt uita ęterna, ut cognoſcãt te ſolũ Deum uerũ, & quẽ miſiſti IESVM Chriſtũ. Huius cognitionis quoniã in hoc ſeculo nobis ſolũ primitiæ cõtingunt cũ labore, in altero uerò plenior modus & menſura citra moleſtiã & labores, legimus hic iuſtis euẽturam pacem. De qua pace Apoſtolus: Deſiderãs diſſoluí & eſſe *Luc. 23.* *Philipp. 1.*

esse cum Christo, in quo & per quem tranquillè uiuam & spirem per spiritum æternæ uitæ, rebelle carne, peccato & morti obnoxia, in terram dissipata.

Qui ambulat in directione sua.) Heb. Et it coram eo. Refertur relatio uel ad Deum, in hanc sententiam: Qui ambulat coram Deo in hoc seculo piè & sanctè, super eum uenturam pacem in futuro. Itaq; ueteres Hebræorum sapientes homines dicunt, præsens seculum esse uestibulum futuri, in quod ingredi perinde sit atq; si quis ex uestibulo ingrediatur in palatium. Sic enim aiunt: חעולם חזה דומה, לפרוזדור בפני חעולם חבא התקן עצמך בפרוזדור כדי שתכנס לטרקלין. Vel refertur relatio in ובהר ad iustum. Et coram eo, uidelicet pax: eum in pace mori, & ad pacem proficisci. ut de Abrahamo in Genesi legimus: Ibis ad patres tuos in pace. Quod de pace quam mundus dat, & præsens uita, non accipitur: sed de pace animos consecutura in altero seculo, in quo pij præmia sibi promissa datum iri sperant.

Vos autem.) Altera pars concionis, in qua iustis è medio sublatis, opponuntur iniusti & improbi, quos ad iudicium uocat, grauiter & seuerè eos redarguens: pariter & accusatoris & iudicis in eos munere fungens.

Huc accedite.) Ad thronum ueri & recti iudicij mei: qui tam latè patet, quàm iudicis rectio & gubernatio, neue tempore neue loco circumscriptus.

Filij auguratricis.) Exprobrat superstitionem diuinandi. Qui debebant pendere per fidem ex meis responsis & oraculis, uanas artes diuinandi contra legē Mosæam persecuti sunt. Vocat eos natos hariolæ & adulteri, eorum uitiositate à parentum improbitate amplificata. Nam ut uerisimile esse existimant sapientes homines, è bonis bonos nasci: ita probabile esse, malos ex malis gigni, ut in prouerbio illo indicatur, Malus coruus malum ouum. Similis reprehensio legitur apud Ezechielem: Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Qualis status Hierosolymæ fuerit temporibus Achaz & Manassę, ex historia Regum liquet. *Ezech. 16.*

Super quem lusistis.) Reprehenditur in rebellibus contemptus sanctorū & piorum hominum, qui sese oblectent in ludendis pijs, diducto ore & exertata lingua: qui habitus ludentium & subsannantium hominum est.

Semē mēdax.) Pgenies ab indole & natura Dei degenerās, qui fide & bonitate oblectat, nō hypocrisi & falsæ probitatis simulatione, quæ notat in uoce שקר.

Qui consolamini in dijs.) Heb. habet, Calfacti. Manet in metaphora fornicationis: cuius calor, quē concubitus parit, notatur. Itaq; figuratè calens & feruens deorum alienorum complexus significatur. Quò spectans diuinus spiritus apud Oseam, idololatras incenso furno comparat: Omnes sunt adulteri, tanquam ardens à pistore furnus. *Osee 7.*

Subter omne lignum frondosum.) Contra legem, de qua Moses in Deuteronomio. Speciosa, quæ in mundo quærit hypocrisis, damnantur à ueritate, quæ de se dicit: Ego sum ueritas. fucū uidelicet & speciem pietatis falsam reprobans. Qualis est omnis religio & cultus, Dei uerbo nō institutus. Distributione subiectis partibus, rebellium scelera amplificantur. *Ioan. 14.*

Immolantes paruulos.) Contra legem, de qua in Leuitico: De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch. Vt in hanc legem commiserint, ad imitationem profanarum gentium, Israelitę, ex Regum & Paralip. historia patet. Accusantur immanis idololatriæ, cuius immanitatem auget fœdus diuinum, quo Israelitæ cum Deo iuncti fuerunt, ut eius bonitatem & clementiam effingerent, non Satanem homicidam & latronem imitarentur. Quæ autem immanior crudelitas excogitetur, quàm ea qua à parentibus liberi, ossa & caro ipsorum, alienis dijs mactantur? Quare uerè dicitur, hominem ad humanitatem & colendam societatem natum, omnes feras sæuitie & crudelitate superare. Tam exitialis est morbus originis uitium, à primo homine Satanis ue- *Leuitic. 18.*

teratorijs

teratorijs artibus seducto, in posteritatem humani generis propagatum. At non putant crudelitatem esse, si Deo immolent suos liberos, sed pietatem. se enim facere Abrahami exemplo dicunt, qui filium suum Isaacum Deo mactare voluit. Falluntur. nam Abrahamus quod facere instituit, Dei iussu facere instituit: illi contra uerbum & legem Dei. Sanctorum quidem fidem nixam oraculis diuinis imitari decet, non facta citra fidem. Hęc autem locum nullum habet, si desit uerbum, nobis diuinam uoluntatẽ in rebus gerendis explicans. Ad hæc quoniã impeditus fuit à Deo Abrahamus, ne immolaret filium: indicio est, nullam uictimã placere Deo in humano genere, cuius sanguine placetur eius ira,
Genes. 22. quàm arietis & agni Messię, quem legimus loco Isaaci in hostiam substitutum. 10
Horribilis quidem idololatria fuit in Israelitis & gentibus, qua liberos suos alienis dijs sacrificarunt: sed non minus horribilis idololatria in Ecclesia regnante Antichristo designatur, cum liberi per diram conscientię obligationem, monasticæ uitæ sacrificantur. Nam immolatio hæc eò exitialior est, quo conscientiæ ignis animos urens pernicioſior est quouis materiato igne corpora urente. Cęterùm quàm latè patuerit sacrificatio liberorum apud gentes, uideris apud Clementem Alexandrinum, in adhortatoria Oratione ad gentes.

In partibus torrentis pars tua.) Scita paronomasia colorat reprehensionẽ בחלקי נחל חלקך, hoc est, in lęuib. lapidibus fluminis pars tua: quos uidelicet tu ex fluminibus selegisti in idolũ formandos, in quibus spem tuam reponeres. Perfidiæ crimen obijcit: quorũ Deus ex fœderis lege pars & hæreditas esse debebat, lapis politior idoli speciẽ indutus pars cœperit esse. Contrà quàm Dauid fidelis Dei 20
Psal. 15. cultor compositus fuit, qui sic canit: Dominus pars hæreditatis meæ.

Et ipsis effudisti libamen.) Non Iehoua, cui ex lege Mosæa libamen lætitiæ fundere debebas, non dijs alienis. De cuius ratione uideris apud Mosem.

Obtulisti sacrificium.) hoc est, dapale sacrificium: de cuius descriptione uideris in Leuitico. Quod sacrificium tu offerens, testificaris deos alienos panem tuum, quo alaris, esse: qui debebas agnoscere, Messiam tuum cœlestem panem esse, quo ad ueram & æternam uitam nutriare.

Ioan. 6. *Nunquid super his indignabor?*) In Hebræo uerbo נחם animi mutatio notatur: qua- 30
lis in pœnitentia uel in consolatione eius qui conturbatus fuerat, cernitur. Sententia igitur est: Nunquid eorum malorum quæ propter scelera uestra puniendа in uos immittere decreui, me pœnitebit?

Super montem excelsum.) relicto loco cultui meo destinato, contra legem in Deu
12. teronomio à Mose latam.

Posuisti cubile tuum.) Notatio adulterij cum dijs alienis, de quo illud: Scortati estis post deos alienos.

Et post ostium.) Qui iusserã legẽ meam in forib. & ianuis scribi, ut eius subinde memoria tibi refricaret: tu cõtra iussum meum, deorũ tuorũ monumẽtum in illis collocasti. Sũt qui in hũc modũ interpretãtur: post ostium postẽq; incẽsum 40
dijs alienis factum. Hi citant locum ex Leuitico, ubi אזכרתה pro incenso ponitur: Et ponit memoriale super aram de sacrificio. ubi legitur, אזכרתה

Quia iuxta me discooperuisti.) Ad uerbũ: Quoniam à me detexisti. hoc est, me deserto, uerenda tua turpiter per adulterium dijs alienis detexisti. De quo adulte
3. rio Hieremias: Mœchatus est ligno & lapide. ligno dixit, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti.

Et dilatasti cubile tuum.) nõ uno cõtenta adultero. In regno pastoris stulti, ut montes, ualles, flumina, ripæ, cãpi, culta & inculta loca idolis repleant, satis manifestũ est, Colunt dij alij qui regnis, alij qui urbib. alij qui ædib. alij qui sodalitatib. 50
alij qui ab igne sacro seruent, alij qui integros in prælijs custodiant, alij qui scabiem pellant, alij qui morbum caducum sanent, alij qui peste liberent, alij qui è uinculis eximant, alij qui puerperas tueantur, alij alias ob res coluntur. Olim

Aegyptij

Aegyptij uaria et multiplicia idololatria fuerãt infames: ised si uerè iudices, hos idolorũ cultus superarit superstitio filij perditi, omnia in loco sancto apphanãtis.

Et ornasti te regio unguento.) Non contenta deorum alienorum cultu, etiam neglecto præsidio regis tui Domini Dei, & externos reges tibi conciliare munerib. studes, quorum ope & auxilio utare. Quod est hic, Tẽdis cum oleo ad Reges, pro מלך משר usurpato. Idem crimen perfidię ab Osea propheta obijcitur rebelli genti: Oleum in Aegyptum ferebãt. Exemplũ occurrit in Achaz, & in Osea rege Israelitarum. Meminit olei, quo nimirum & melle abundaret sacra terra. *Osee 12.* *4. Reg. 16.* *Ibidem 17.* Vt Ecclesia temporibus profanationis in eandem reprehẽsionem incurrat, palàm est: quæ in tanta idololatria ut in Aegyptũ oleum ferat, hoc est, mundi huius præsidio se tueatur, diuino neglecto, declarat eius fiducia, quam in sapientia & iusticia humana, in diuorum meritis, in opibus, amicis, & fœderib. cum ijs etiam percussis qui diuersæ religionis sunt, collocat.

Et humiliata es usq; ad infernum.) Notatur abiectio seruilis. Exemplũ in Achaz cernitur, qui se his uerbis Assyriorum regi seruiliter submisit: Seruus tuus sum. Vt spirituali Assyrio Antichristo se submittant, qui in Ecclesia eum sanctissimum appellant, eius pedes osculantes, cõtempto Dauide Messia, palàm est. in quos uerè congruit, quod hic scriptum est, Deijcis te usq; in infernum: hoc est, bono statu, quo in Domino uti possis, relicto, in malum te conijcis, descendẽs in infernum, neglecto cœlo, in quo Dominus auxiliator rex sedet: ad quem ascendere per fidem debebas, non perfidè in infernum descendere, in quo angelus mortis & tenebrarũ uersetur, Satan, non angelus uitæ & lucis Messias, de quo illud: Superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens: non Antichristus, angelus abyssi, qui in regno Draconis rex sedet. *Coloss. 3.* Quantum ad legatos procul missos attinet, si mysticã historiam spectes, liquet à ludæis auxilium petitum: ad Assyrios, & ad Romanos etiam ipsos (ut ex libris Antiquitatum ludaicarum Iosephi patet) legatos missos. Subducto uelo, ut ad aduersarium legati procul mittantur, experimur iam aliquot seculis. Quot enim gentes & regna salutis præsidia per legatos suos ab illo petunt, ipsum adorantes? Cæteris prætermissis, intueare Indulgentiarum diplomata & lubilæos, uanissimè ab illo excogitatos, & non minus uanè ab adoratorib. eius cultos. Itaq; sequitur:

Multiplicasti pigmenta tua.) quibus adultero te commendares.

In multitudine uiæ tuæ laborasti.) Vias rebellis Hierosolymæ opponit uijs Domini, ad declaranda eius peruersa studia. Tu, quæ poteras fidem mihi seruans, & in legis meæ uia uersans, pacata & quieta uiuere: iam in uijs tuis ambulans, labore conficeris. Viæ autem rebellis Hierosolymæ iam explicatæ sunt, cultus ac religio falsa, idololatria, diffidentia de diuino auxilio, in rebus aduersis, fiducia in exteros reges: ut in Ecclesiam alteram Hierosolymam hæc expostulatio cõueniat, sępè indicatũ est. Hęc, uia relicta, de se prędicãte, Ego sum uia, ueritas & uita: quas uias molestas et pernicioſas ingressa sit, Antichristi regnũ documẽto est. qui ut Ecclesiã esset corrupturus errorib. Sibylla etiã ipsa pręsignificauit:

Ψευδαπάτη πιλάσουσιν ἐπὶ χθονὶ φημίζοντες,
καὶ βελίας ἤξει, καὶ σήματα πόλλα ποιήσει
Ἀνθρώποις· τότε δ' αὖ δσίων ἀπανάσσεις ἀνδρῶν,
ἐκλεκτῶν, πισσῶντε, λιγλασίητε γένητε.

Sententia Hebræi textus est: Cum laborares tu in multiplici uia tua, non cogitasti. יאש, hoc est, actum est de me, & desperata sunt studia mea, quæ in inuenienda noua religione & quærẽdis alienis præsidijs collocaui: quæ ut mihi manuum, hoc est uirium mearũ uigore cõparaui, ita nõ est ut metuam ne posthac lãgueam ac deficiã: & cũ in uanis istis uijs tuis uersarere, relictis meis, quẽ quæso metuisti, ut sic mẽtireris? hoc est, per hypocrisim falsã religionẽ uera postha bita sequereres? nõ me sanè metuisti, nõ me reuerẽdi studio hæc molita es, quæ

mei

teratorijs artibus seducto, in posteritatem humani generis propagatum. At non putant crudelitatem esse, si Deo immolent suos liberos, sed pietatem. sic enim facere Abrahami exemplo dicunt, qui filium suum Isaacum Deo mactare uoluit. Falluntur. nam Abrahamus quod facere instituit, Dei iussu facere instituit: illi contra uerbum & legem Dei. Sanctorum quidem fidem nixam oraculis diuinis imitari decet, non facta citra fidem. Hęc autem locum nullum habet, si desit uerbum, nobis diuinam uoluntatẽ in rebus gerendis explicans. Ad hæc quoniã impeditus fuit à Deo Abrahamus, ne immolaret filium: indicio est, nullam uictimã placere Deo in humano genere, cuius sanguine placetur eius ira,
Genes. 22. quàm arietis & agni Messię, quem legimus loco Isaaci in hostiam substitutum. Horribilis quidem idololatria fuit in Israelitis & gentibus, qua liberos suos alienis dijs sacrificarunt: sed non minus horribilis idololatria in Ecclesia regnante Antichristo designatur, cum liberi per diram conscientię obligationem, monasticæ uitæ sacrificantur. Nam immolatio hæc eò exitialior est, quo conscientiæ ignis animos urens pernicioſior est quouis materiato igne corpora urente. Cęterùm quàm latè patuerit sacrificatio liberorum apud gentes, uideris apud Clementem Alexandrinum, in adhortatoria Oratione ad gentes.

In partibus torrentis pars tua.) Scita paronomasia colorat reprehensionẽ בחלקי נחל חלקך, hoc est, in lęuib. lapidibus fluminis pars tua: quos uidelicet tu ex fluminibus selegisti in idolũ formandos, in quibus spem tuam reponeres. Perfidiæ crimen obijcit: quorũ Deus ex fœderis lege pars & hæreditas esse debebat, lapis politior idoli speciẽ indutus pars cœperit esse. Contrà quàm Dauid fidelis Dei
Psal. 15. cultor compositus fuit, qui sic canit: Dominus pars hæreditatis meæ.

Et ipsis effudisti libamen.) Non Iehoua, cui ex lege Mosæa libamen lætitiæ fundere debebas, non dijs alienis. De cuius ratione uideris apud Mosem.

Obtulisti sacrificium.) hoc est, dapale sacrificium: de cuius descriptione uideris in Leuitico. Quod sacrificium tu offerens, testificaris deos alienos panem tuum, quo alaris, esse: qui debebas agnoscere, Messiam tuum cœlestem panem esse, quo ad ueram & æternam uitam nutriare.

Ioan. 6. *Nunquid super his indignabor?*) In Hebræo uerbo נחם animi mutatio notatur: qualis in pœnitentia uel in consolatione eius qui conturbatus fuerat, cernitur. Sententia igitur est: Nunquid eorum malorum quæ propter scelera uestra puniendа in uos immittere decreui, me pœnitebit?

Super montem excelsum.) relicto loco cultui meo destinato, contra legem in Deu
12. teronomio à Mose latam.

Posuisti cubile tuum.) Notatio adulterij cum dijs alienis, de quo illud: Scortati estis post deos alienos.

Et post ostium.) Qui iussẽrã legẽ meam in foribꝫ & ianuis scribi, ut eius subinde memoria tibi refricaretur: tu cõtra iussum meum, deorũ tuorũ monumẽtum in illis collocasti. Sũt qui in hũc modũ interpretãtur: post ostium postẽq; incẽsum dijs alienis factum. Hi citant locum ex Leuitico, ubi אזכרתה pro incenso ponitur: Et ponit memoriale super aram de sacrificio. ubi legitur, אזכרתה

Quia iuxta me discooperuisti.) Ad uerbũ: Quoniam à me detexisti. hoc est, me deserto, uerenda tua turpiter per adulterium dijs alienis detexisti. De quo adulte
3. rio Hieremias: Mœchatus est ligno & lapide. ligno dixit, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti.

Et dilatasti cubile tuum.) nõ uno cõtenta adultero. In regno pastoris stulti, ut montes, ualles, flumina, ripæ, cãpi, culta & inculta loca idolis repleant, satis manifestũ est, Coluntꝫ dij alij qui regnis, alij qui urbib. alij qui ædib. alij qui sodalitatib. alij qui ab igne sacro seruent, alij qui integros in prælijs custodiant, alij qui scabiem pellant, alij qui morbum caducum sanent, alij qui peste liberent, alij qui è uinculis eximant, alij qui puerperas tueantur, alij alias ob res coluntur. Olim

Aegyptij

Aegyptij uaria et multiplicia idololatria fuerãt infames: ised si uerè iudices, hos idolorũ cultus superarit superstitio filij perditi, omnia in loco sancto pphanãtis.

Et ornasti te regio unguento.) Non contenta deorum alienorum cultu, etiam neglecto præsidio regis tui Domini Dei, & externos reges tibi conciliare munerib. studes, quorum ope & auxilio utare. Quod est hic, Tẽdis cum oleo ad Reges, משׁר pro חלך usurpato. Idem crimen perfidię ab Osea propheta obijcitur rebelli genti: Oleum in Aegyptum ferebãt. Exemplũ occurrit in Achaz, & in Osea rege Israelitarum. Meminit olei, quo nimirum & melle abundaret sacra terra. Osee 12. 4. Reg. 16. Ibidem 17.

Vt Ecclesia temporibus profanationis in eandem reprehẽsionem incurrat, palàm est: quæ in tanta idololatria ut in Aegyptũ oleum ferat, hoc est, mundi huius præsidio se tueatur, diuino neglecto, declarat eius fiducia, quam in sapientia & iusticia humana, in diuorum meritis, in opibus, amicis, & fœderib. cum ijs etiam percussis qui diuersæ religionis sunt, collocat.

Et humiliata es usq; ad infernum.) Notatur abiectio seruilis. Exemplũ in Achaz cernitur, qui se his uerbis Assyriorum regi seruiliter submisit: Seruus tuus sum. Vt spirituali Assyrio Antichristo se submittant, qui in Ecclesia eum sanctissimum appellant, eius pedes osculantes, cõtempto Dauide Messia, palàm est. in quos uerè congruit, quod hic scriptum est, Deijcis te usq; in infernum: hoc est, bono statu, quo in Domino uti possis, relicto, in malum te conijcis, descendẽs in infernum, neglecto cœlo, in quo Dominus auxiliator rex sedet: ad quem ascendere per fidem debebas, non perfidè in infernum descendere, in quo angelus mortis & tenebrarũ uersetur, Satan, non angelus uitæ & lucis Messias, de quo illud: Superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens: non Antichristus, angelus abyssi, qui in regno Draconis rex sedet. Quantum ad legatos procul missos attinet, si mysticã historiam spectes, liquet à ludæis auxilium petitum: ad Assyrios, & ad Romanos etiam ipsos (ut ex libris Antiquitatum Iudaicarum Iosephi patet) legatos missos. Subducto uelo, ut ad aduersarium legati procul mittantur, experimur iam aliquot seculis. Quot enim gentes & regna salutis præsidia per legatos suos ab illo petunt, ipsum adorantes? Cæteris prætermissis, intueare Indulgentiarum diplomata & Iubilæos, uanissimè ab illo excogitatos, & non minus uanè ab adoratorib. eius cultos. Itaq; sequitur: Coloss. 3.

Multiplicasti pigmenta tua.) quibus adultero te commendares.

In multitudine uiæ tuæ laborasti.) Vias rebellis Hierosolymæ opponit uijs Domini, ad declaranda eius peruersa studia. Tu, quæ poteras fidem mihi seruans, & in legis meæ uia uersans, pacata & quieta uiuere: iam in uijs tuis ambulans, labore conficeris. Viæ autem rebellis Hierosolymæ iam explicatæ sunt, cultus ac religio falsa, idololatria, diffidentia de diuino auxilio, in rebus aduersis, fiducia in exteros reges: ut in Ecclesiam alteram Hierosolymam hæc expostulatio cõueniat, sępè indicatũ est. Hęc, uia relicta, de se prędicãte, Ego sum uia, ueritas & uita: quas uias molestas et pernicioſas ingressa sit, Antichristi regnũ documẽto est. qui ut Ecclesiã esset corrupturus errorib. Sibylla etiã ipsa pręsignificauit:

Ψευδαπάτῃ πολλάσσωιν ἐπὶ χθονὶ φημίζοντες,
καὶ βελίας ἤξει, καὶ σήματα πόλλα ποιήσει
Ἀνθρώποις· τότε δ' ὦ δσίων ἀπανάσασις ἀνδρῶν,
ἐκλεκτῶν, πισσῶντε, λιγλασίητε γένηϊ.

Sententia Hebræi textus est: Cum laborares tu in multiplici uia tua, non cogitasti. נראש, hoc est, actum est de me, & desperata sunt studia mea, quæ in inuenienda noua religione & quærẽdis alienis præsidijs collocaui: quæ ut mihi manuum, hoc est uirium mearũ uigore cõparaui, ita nõ est ut metuam ne posthac lãgueam ac deficiã: & cũ in uanis istis uijs tuis uersarere, relictis meis, quẽ quæso metuisti, ut sic mẽtireris? hoc est, per hypocrisim falsã religionẽ uera postha bita sequerere? nõ me sanè metuisti, nõ me reuerẽdi studio hæc molita es, quæ

mei

mei nominis nunquam ſis recordata: ſed Molochi, Baalis, Aſtarotis, Chamos, Reginæ cœli. Et cum ita pergis in iſtis uijs tuis prauis uerſari, num me putas iſta tua flagitia perpetuo ſilentio præteriturum, ut tandem in ea non uindicem: quæ longanimitate mea abuſa, omnem planè timorem & metum mei excutis? Meretriciam impudentiam ei obijcit, quam etiam reliqui prophetæ in ea ſeuerè reprehendunt. Hieremias: Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.

Qui autem habet fiduciam.) Vera iuſtitia, per quam iuſti à Deo exaudiantur, explicatur. Hæc iuſtitia fidei iuſtitia eſt, per quam unam Deo ſuus honos tribuitur: ea iure nõ humana, ſed Dei iuſtitia appellatur. Nam per fidem Deus bonus, qui uelit ſibi in Meſsia confidentes ſeruare: & potens, qui poſsit: & uerax ac fidelis, qui quæ promiſerit, in filio Meſsia liberaliter præſtet: & ſapiens, qui norit rationes quibus opem ſuo tempore ferat, agnoſcitur. Hæc autem Deo dare, eſt Deo ſuum dare: quod iuſtitiæ munus eſt, quo fides per amorem Dei fungitur. Igitur legimus hic: Qui autem mihi confidit, &c. ubi Hebræum uerbum uſurpatur, quod eſt protectionem in aliquo quærere, in aliquo ſperare, à quo protegare, ac uelut ſub eius umbra tanquã latibulo defendare. Quare per contentionem fides & ſpes, quibus Domino nituntur pij, deorum alienorum cultui, quem in hac concione refellit, à diuino ſpiritu opponuntur. In quo deorum alienorum cultu pugnante cum fide, omnis in afflictionib. præſidia quærendi ratio continetur, qua ſolus Deus in filio non inuocatur, & aliter inuocatur quàm in hoc eodem ſedente & regnante ad dextram patris, unde ſalutem det ſuis. A' quo throno miſericordiæ, potentiæ & ueritatis deturbãt Meſsiam, qui Deum aliter colunt, inuocant & adorant, quàm eum ſacræ literæ colẽdum proponunt.

Matth. 5. *Hæreditabit terram.*) Similiter Dominus, interpres Ieſaiæ, ait: Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ. Ad pios enim ius fruendi benedictione Geneſ. 1. cœli & terræ pertinet, de quo ad Adamum: Dominamini piſcibus maris, & uolucribus cœli, & uniuerſis animantib. quæ mouentur ſuper terram. De eodem 8. hæreditario iure in Pſalmo: Omnia ſubiecíſti ſub pedibus eius. Cum iniuria igitur piorum & diuini nominis opprobrio terram impij poſsident, eius & cœli benedictione abutentes: ſed non perpetuò per ſuam libidinem ea abuſuri. Firmum enim eſt illud: Semen impiorum peribit, iuſti autem hæreditabunt terrã. Iuſti inquam, iuſtitia fidei, de qua hic uates: Qui autem mihi confidit, hæreditatem accipiet terræ. hoc eſt, qui me in filio Meſsia agnoſcit patrẽ ſuum eſſe, quẽ unum colat ſpiritu amoris & ueritatis, citra hypocriſim: quam hypocriſim lex ſpiritu ſacro non animata, in peccatoribus creat: hunc, qui ſic me colit, fore hæredem terræ, qua utatur non terreno imperio, ſed cœleſti, ad amplificandũ nomen meum. At uerò in eius terræ poſſeſsione oſtẽditur ueritas, de qua Petrus: 2. Petri 3. Sed cœlos nouos & terram nouam iuxta promiſſum illius expectamus, in quibus iuſtitia habitat. cœlo & terra iuſtis replendis, qui cum in uetere terra habi- Rom. 8. tant, hanc & ſub peccati ſarcina laborãtia corpora relinquere cupiunt, ut cum Chriſto in cœleſti regno ac paradiſo pacatè regnent. Huc ſpectantes ueteres Hebræorum ſapientes homines, terram, de qua hic loquitur Propheta, de bono futuri ſeculi ſtatu, quem terram uiuentium uocant, accipiunt. At ſententia myſtica & ſimplex Propheta, pijs & doctis ſpiritu myſteriorum Chriſti nõ eſt obſcura.

Montem ſanctum meum.) Sionem cœleſtem, de quo Dauid ſub figura terreſtris Pſal. 2. Sionis: Ego autem conſtitui regem ſuper Sion ſanctitatis meæ. Contrà, ſuprà Antichriſti regnum profundũ appellatur. & idem Antichriſtus angelus abyſſi Apocal. 9. in Apocalypſi uocatur. quem qui colũt, ſicut ſeſe deijciunt in infernum: ita qui in Meſsia patrem cœleſtem colunt, montem ſanctum & cœleſtem poſſeſſuros hic legimus.

Et dicam

Et dicam.) Heb. Et dicet. Apostoli & Euangelij ministri patefactionis Messiæ temporibus dicent. Sed quid dicent? Sequitur:

Viam facite.) Qua complanata, expeditũ uobis iter ad montem Sion pateat. Figuratè pœnitentia indicatur, per quã impedimenta de uia, qua electi ad cœleste regnum tendant, tolluntur. Sed quæ sunt illa impedimenta? Amor sui, & cõtemptus Dei atq; proximi, incredulitas, Deorũ alienorũ cultus, & omnia quæ in homine terreno pugnant cum diuina lege uitia. Hæc cùm mortificantur per pœnitentiã, uia complanatur & æquatur, qua sine offensione tendas ad regnũ Dei, relicto regno Satanæ, & filij eius Antichristi. Similis suprà concio instituitur: Vox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas Dei nostri in deserto. Suprà reprehenduntur speculatores cœci, muti canes, pastores stulti, dediti auariciæ & luxui: hic uerorum speculatorum & pastorum mentio fit. Sed quid hi præterea clamant? Sequitur:

Hæc dicit excelsus.) potentia & imperio super omnia eminens. Si patrem spectes, is à se sublimis & excelsus est: sin filium, is se à patre excelsum imperiũ in omnia cœlestia, terrestria & infera tenere confitetur: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Itaque Dauid sic loquitur: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. sublimis autẽ & excelsus proponitur electis Dominus, ad cõsiderandum Primò, ut eorum fides aduersus aduersarias potestates cõfirmetur, qui potentem defensorem habeant, cuius in sublimi throno sedentis potestati & imperio omnia subdita sint: cuiq; nulla cõtraria uis resistat, quo minus suos in terra inter sęuas belluas & feras uersantes tueatur. Deinde proponitur sublimis & excelsi Dei descriptio, ex qua discamus ipsum in oculis nõ ferre sublimia & excelsa, qui solus hunc titulum iure creatoris & gubernatoris uniuersitatis huius obtineat, ideo eos ab ipso amari, qui demisso, humili & contrito corde sint: quò pertinent sequentia. Nam quos Deus respexerit? Superiores ne? At tales non reperies. Num parem? Neq; talis usquam comparet. Eos igitur amãter respiciet, qui se potentiæ & maiestati eius submiserint, confitentes cum Abrahamo, se puluerem & cinerem esse. Tales pro suis agnoscit, & eorum in Messia miseretur, ad dandam eis salutem, ut qui Deo in filio omnem gloriam assignent, sibi præter opprobrium peccati nihil. *Matth. ult.*

Habitator æternitatis.) Consolatio ab æterno numine Dei, cui uni tutò fide & spe nitamur, nõ secundum Deum alijs. Hoc epitheto Dei euertuntur dij alieni, & cultus eorum.

Et sanctũ nomen eius.) potentiæ, iustitiæ, sapientiæ, misericordiæ nomen inuiolabile, quod etiã ipsos electos sanctos & inuiolabiles reddit. in horũ enim pectore per spiritũ sanctũ filius habitat, cuius sanctitatis minima portio peccatũ, mortẽ & infernũ uicit, ut quę sanctitatis portio diuinitatis in Messia portio sit.

In excelso & sancto habitans.) in cœlo, luce inaccessa splendido: & in sanctis mentibus angelorũ, supracœlesti luce illuminatis habitans. & ut in his habitat, ita etiam in regenitis è spiritu fidei, in terra quidem peregrinantibus corpore, sed mente cœlum cogitantibus habitat, ut sequitur:

Et cum contrito.) per pœnitentiã ueteris uitæ contuso, de quo spiritu Dauid: Cor contusum & contritum non despicies Domine, contusum uidelicet malleo legis diuinæ, sed quem fides in Messiã uictorem legis gubernet. Quæ fides amore Dei cor inflammans, cor contritũ efficit: quale in Cain, Saulo, Iuda & alijs impijs nõ cernitur, quos pœnitet suorum scelerũ falsa pœnitentia, quæ nõ amore Dei, sed metu pœnæ cum odio Dei coniuncto, nõ spe consequendę ueniæ, sed desperatione diuinæ gratiæ suscipiat. Horũ enim hæc uox est: Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam consequatur. Tale contusum cor non probatur Deo, sed quod precatur, Miserere mei Deus pro magna misericordia tua. Atq; hæc precatio humilis cordis est, de quo sequitur: *Psal. 51.* *Genes. 4.* *Psal. 51.*

Et *humili ſpiritu.*) Qui Deũ in luce uerſari, ſe in tenebris: qui Deũ ſublimem, ſe cinerem eſſe: qui Deũ ſanctum, ſe profanũ & impurũ: qui Deũ perennem uitã eſſe, ſe morti obnoxiam naturã: qui Deũ potentia inuicta amictũ, ſe infirmitate: illũ ueracem eſſe, ſe mendacẽ, agnoſcat. Et cùm ita ſpiritu Dei deiſcimur, omnia in nobis à uetere natura cõtraria Deo ſentientes: Deus pro miſericordia ſua ſe quoq; demittens, pro ſeueritate iuſtitiæ ſuæ nobiſcũ non agit, ſed naturam ſuã ad clementiã propenſam reſpiciens, nos opus manuũ ſuarum infirmũ & debile, ſeruare in filio Meſsia dignatur, cogitãs illud quod Dauid de eo prædicat: Quoniam ipſe nouit figmentũ noſtrum, recordatus eſt quòd puluis ſumus. Huc pertinent illa: Dominus de cœlo in terrã deſpexit, ut exaudiret gemitus uinctorũ, & ſolueret filios morti obnoxios. Item: Dominus in excelſo habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Hanc bonitatem declarauit miſſo filio de cœlo in terram, qui humilia in terra & humi proſtrata erigeret, infirmis robur, mortuis uitam, ignominia crucis notatis gloriã cœleſtem aſsignaret. O' beata infirmitas, quæ potentiſsimis & firmiſsimis in mundo potentior eſt, & firmior.

Psal.104.

Psal.103.

Vt *uiuificet ſpiritum humilium.*) Per ſpiritum ſuum uiuificet: qui quidem ſpiritus in prima reſurrectione animos mortuos per peccatum, eo expiato, & eius iure deleto, ad uitam excitat. In ſecunda autem reſurrectione etiam corpora ad uitam ſuſcitabit, de quo Apoſtolus: Quod ſi ſpiritus eius qui excitauit IESVM è mortuis, &c.

Rom.8.

Non *in æternũ litigabo.*) accuſando, & damnãdo ob peccata, & in damnatos noxæ immittendo uarias afflictiones. In accuſando aũt & condemnando utitur prædicatione legis, peccatũ & iram ſuam in peccatũ accenſam reuelante, quæ duplex eſt: altera naturalis in omniũ animis inſita, altera ſcripta, & literis à Moſe conſignata. Per alterã Deus cum primis parentibus, cũ rebellibus, qui diluuio extincti ſunt, cum Sodomitis & alijs uſq; ad Moſem cõtendit ac litigauit: per alterã, cum Iſraelitis diſceptauit uſq; ad Meſsiæ tempora. Hoc aũt preſentato, per Euangelij legem cum ijs cõtendit, qui uel ipſam nõ recipiunt, cui pareant: uel qui id ore profitentur ſe recepiſſe, uitæ autẽ prauitate & malefactis pernegant. Cum alteris, his uerbis contendit: Prædicate hoc Euangeliũ uniuerſæ creaturæ: qui non crediderit, condemnabitur. Cum alteris uerò in hunc modum: Non omnis qui dixerit Domine Domine, ingredietur in regnũ cœlorũ, ſed qui fecerit uoluntatẽ patris mei qui eſt in cœlo: hoc eſt, qui ſe ſpiritu Meſsiæ duce uolũtati Dei patris, quæ in lege & Euãgelio declaratur, ſtuduerit conformare, per fidem amore Dei & proximi efficacem. Cum Iudæis igitur & gentib. à præſentato Chriſto in mundũ ad hæc uſq; tempora cõtendit. cum alteris ut diſceptet, propter occiſum Meſsiã, & contemptũ eius Euãgelium, oſtendit terræ eorum deuaſtatio, exiliũ, ablatum regnum & ſacerdotium, atque horribilis qua laborãt cæcitas: cum alteris uerò ut cõtendat Deus, propter repudiatum Euangelium ſuſceptis erroribus & mendacijs Antichriſti, declarant tot mala quibus Eccleſia, regnante & ſedente filio perdito in loco ſancto, infeſtatur. De quo recepto aduerſario Meſsiæ Apoſtolus in altera ad Theſſalonicenſes epiſtola ſic uaticinatus eſt: Et propterea mittet Deus efficaciam illuſionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, ſed approbauerunt iniuſtitiam. In hac iudicatione continetur litigatio, de qua hic uates loquitur, Non in ſempiternum litigabo: electos uidelicet relinquendo erroribus & mendacijs Satanæ, omnia in orbe terrarum profanantis: ſed eos tandem pro miſericordia mea liberabo, Meſsiæ mei ſpiritu in eos fuſo, de quo ſequitur:

Matth. ult.

Matth.10.

2.

Neq; *uſque in finem iraſcar.*) qui natura clemens ſim, non inclemens, & electos meos ſemper diligam, eorum peccata odio proſequens, perſonas perpetuò amans;

amãs: qui æternus amor per gratiam electionis efficit, ut ira mea uictoria non potiatur, sed uicta amori, quo meos amplector, cedat, finem habitura. Priuata exempla non opus est recensere. Sic Adamum primum Deus semper dilexit. eius peccatũ puniuit morte, sed temporaria: ea in uitam æternã, sub arbitro Messia electorum uita, conuersa. Idem in Patriarchis, in Mose, Dauide, Salomone, Petro, latrone ad latus in cruce pendẽtis Messiæ saluato, & alijs cernitur. Atque hoc indicat Hebræa uox זעם, iram uidelicet Dei uictoriam non habituram: sed eam uictam clementia, finem tandem sortiri. Quare his uerbis, Ecclesiæ ex Israelitis & gentibus ædificandæ, reconciliationis cum Deo tempora significantur.

Quia spiritus.) Messiæ spiritus. Præcesserat: Vt uiuificem spiritum humilium. Subtexitur mentio, per quem mortui uitam accipiant: hunc spiritum Messiæ esse, quo afflati non ad terrenam, sed cœlestem, non ad animalem, sed spiritualem uitam uiuificentur. In Hebræo, induendi ac operiendi uerbũ legitur: diuino spiritu induendos tegendosq; filios Dei. Hoc uerbum expendens Apostolus dicit, Induistis Christũ: hoc uidelicet in filijs Dei spirãte per halitum ac sacrum suum spiritũ, de quo hic Propheta, A' facie mea spiritus meus induet. hoc est, à facie mea proficiscetur qui operiat & tegat meos, tegumento iustitiæ & uitæ. Sed hoc aliter accidit in prima, aliter in secunda resurrectione. In prima, animi solùm Messiæ induti renouantur: in altera, etiam corpora spiritu ad immortalitatem uitæ induentur.

A' *facie mea.*) Sed quæ est hæc facies? Facies hæc Messias est, de quo in Psalmo: Ostende nobis faciem tuam, (hoc est, Messiã tuum) & saluabimur. Hanc faciem Dei non uidit Moses per suam legem, sed posteriora. partim, quòd iræ & mortis minister sit: iratis non faciem, sed tergum, ijs in quos irascuntur, obuertentibus. partim, quòd ueli & umbrarũ ministerium obeat: umbris corpus sequentibus, non præcedentibus. Similiter apud Oseam facies accipitur: Viuificabit nos post duos dies, & in die tertio suscitabit nos, uiuemus ante faciem eius. quæ etiam, ueterum Hebræorum sententia, Messias est. Neq; aliter Malachias: Ecce mittam angelum meum, & parabit uiam faciei meæ. ubi Malachias uaticinatur de Ioanne Baptista, paraturo uiam Messiæ: quẽ faciem Dei sapientes homines uocari uolunt, quòd in eo non aliter appareat splendor beneuolentiæ diuinæ, atque ipse animus in uultu apparet ac relucet: ut qui uidet Messiam, uideat etiam Deum patrem. ueluti ille ipse his uerbis ad Philippum testatur: Philippe, qui uidet me, uidet etiam patrem meum. Quapropter legitur hic à facie Dei spiritus uiuificator proficisci, ut quem electi ex plenitudine Messiæ accipiant. *Ioan. 1.*

Et flatus ego faciam.) Fit etiam נשמה, hoc est halitus, in Genesi mentio, ubi primi hominis origo explicatur: sed quo halitu ille ad uitam naturalem & animalem animatus sit. hic uerò halitus cœlestis hominis Messiæ memoratur, quo electi ad uitam spiritualem & cœlestem animentur, corporibus quoq; ad eam excitandis. Hebræam uocem Græci reddunt πνοὴν, hoc est halitum & flatum. Similiter Apostolus in Actis: Cùm ipse det omnibus ζωὴν καὶ πνοὴν. hoc est, uitam & halitum. Duplex igitur halitus est: alter naturalis & animalis, qualis est in animantibus & homine, quatenus is ψυχικὸς, hoc est, animalis homo est. alter diuinus & cœlestis, quem Apostolus in homine spirituali è sacro Messiæ spiritu nato ponit, ubi ait: Spiritualis homo omnia dijudicat. In hoc halitus diuinus spirat, de quo hic legimus in Propheta mentionem fieri. Cæterùm ut נשמה cognationem cum cœlo habeat, alio loco indicatum est. *Genes. 2.* *Actor. 17.* *1. Cor. 2.*

Propter iniquitatem auaritiæ.) Exponitur caussa iræ diuinæ in rebelles declarandæ: hanc peccatum esse. Meminit autẽ præ cæteris uitijs auaritiæ, quod hæc fontem scelerum, quæ in primam & secundam tabulam committantur, osten-

dat. Nam auarus bona, quæ auarè comparat, in diſs, quos adoret, habet, Deo
Coloſſ.1. Meſsiæ patre neglecto. ut uerè dicat Apoſtolus, Auariciam idololatriam eſſe. Prohibet primæ Tabulæ lex, peierandũ non eſſe. Vt peierare auarus in parandis opibus, & eis retinendis ſuſtineat, ſatis liquet. Idem delicta, quæ in ſecundam Tabulam deſignantur, omnia ferè cõmittit: parentes, quorum bonis inhiat, dehoneſtat: alterũ fraudare per furta, uſurã & monopoliam nõ uereatur. Vt per auariciam innoxius ſanguis fundatur, documento ſunt corrupti pecunia iudices, & tyranni orbis terrarũ: falſa teſtimonia, quæ auari homines, auariciæ ſpiritu afflati, cùm de pecunia agitur, in alterũ dent, non commemoro, ut uerè Latinus uates canat: — *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?* — Et parum eſſet, corpora ob pecuniæ cupiditatem ab auaris perdi, niſi etiã animos occidere tentarent. Etenim his omnia uenalia ſunt: corpora, animi, cœlum, uita præſentis & futuri ſeculi. Intueare beſtiam cum agno bellum gerentem, ita rem habere comperies. At non ſolùm beſtiam Antichriſtum & eius pſeudoprophetas auariciæ uitio laborare cernimus: ſed etiam eos, qui de Euangelio gloriantur. Quò ſpectat CHRISTVS IESVS apud euangeliſtam Matthæum, qui hæc tempora præuidens, ſic ait: Et refrigeſcet charitas
24. multorum. Sed quo tempore indicat illius frigus humana pectora præcipuè occupaturum? Tempore, quo continget uidere abominationem deſolationis: hoc eſt Antichriſtum, ſedentem in loco ſancto. quem hodie patefieri uidemus per lucem Euangelij, nec tamen reſipiſcimus: ut ueteris hominis uitijs exutis, inuidia, odijs, luxu, ebrietate, ambitione, auaricia, nouum hominem per ſpiritum amoris Dei & proximi induamus. Quid ergo reliquum eſt? Reliquum eſt, quod hic rebellibus intentatur: Propter iniquitatem auariciæ eius iraſcor, & cædo eum. Percunctere hic, quî fiat, quòd ad hanc Euangelij lucem, uitia non ſolùm nõ delentur in auditoribus, ſed etiam in multis creſcunt? Ratio obſcura non eſt ſapientibus.

Et ambulauit mœrens.) LXX ſequitur, qui pro שובב reddunt ἐλυπήθη. Sententia eſt, à Deo auerſum & rebellem, in ſuæ mentis uiam abijſſe: qui non uiã legis diuinæ, duce ſpiritu Meſsiæ, ſed ſemitam legis peccati in ueteri homine rebellantis legi Dei terat. Altera uia cœli, lucis & uitæ uia eſt: altera inferni, tenebrarum & mortis. hanc filij tenebrarum calcant, de qua Salomon: Impio-
Prouerb. 4. rum uia quaſi caligo eſt. illam filij lucis, de qua idem Salomon: Et uia iuſtorum quaſi lux ſplendet.

Vias eius uidi.) clementiæ oculis, quas antea intuitus ſum inclementi aſpectu. Reconciliationis tempora notantur. Commiſerantis uerba ſunt. Qui porrò dixerat, ſe antea iratum oculos auertiſſe, iam reconciliatus aduertere eos dicit: ſed quo oculo clementer pater intuetur peccatorem, ut eum ſanet. Is oculus Meſsias eſt, de quo Ezechiel: Et non miſerebitur oculus meus eius. ubi Paraphraſtes Chaldæus pro oculo reddit Verbũ meum: quod eſt Chriſtus Dominus, in quo ſolo amãter peccatores ad eos ſanandos Deus reſpicit, ut ſequit:

Et ſanaui eum.) Per eum qui dicit: Miſit me, ut ſanem contritos corde. Item: Miſit uerbum ſuum, & ſanauit eos. hoc uerbum Meſsias, de quo Ioannes: In
Ioan.1. principio erat uerbum. Sanatur autem peccator per ſpiritum Euangelij, peccati & mortis ius merito fuſi ſanguinis IESV Chriſti abolentem, & iuſticiæ atque uitæ ius reparantem. Vnde fit, ut Meſsias uitalis arbor appelletur, eius foliis ſanitatem gentibus afferentibus. Sic enim in Apocalypſi ſanctus Ioan-
22. nes de medica hac arbore loquit: Ex utraq; parte fluminis uitæ arbor, afferens fructus duodecim, per menſes ſinguios reddens fructũ ſuum, & folia arboris ad ſanitatem gentiũ. Non legitur, naturã, legem, facultatẽ liberi arbitrij, merita diuorũ ſanare: ſed eũ qui improbos, eorũ uiã intuens, per Meſsiã filiũ ſanat.

Et reduxi eũ.) In Hebræo uerbo indicatur Dominus planè ſuos ducere, inſtar paſto-

paſtoris ducentis gregem. Quare is de ſe ſic apud Ioannem loquitur: Ego ſum paſtor bonus. Contraria leguntur de paſtore ſtulto Antichriſto, apud Zachariam: Contritum non ſanat. Quod à paſtore Meſsia ut curetur, hic legimus: Et ſanabo eum. Atque ut ſanet, animam ſuam pro ouibus ponit, de quo ſuprà: Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Contrà paſtor ſtultus, animas ſui gregis deuorat: tantum abeſt ut ſuam pro illo dependat. Ioan. 10. 11.

Et reddidi conſolationes.) Per ſpiritum conſolatorem, de quo Dominus, eius largitor: Cùm uenerit conſolator, quem ego mittam uobis à patre. Item: Rogabo patrem, qui alium paracletum dabit uobis, ut ſit uobiſcum ſemper, ſpiritum ueritatis. Ex iſs quæ de Spiritu ſancto Propheta meminit, & hic ex Ioanne allata ſunt, uaria illius munera eſſe intelligimus. Vnum, in docenda ueritate cernitur, qui ueritatis ſpiritus uocatur, patefaciēs nobis per lumen fidei Deū patrem, & eius filium Meſsiam, & diuina oracula, quæ in Moſe, Prophetis, & in nouo fœdere cōtinentur: & quæ item regia Satanæ profunditas ſit, & filij eius Antichriſti. Alterū munus, amiſſam uitio primorū parentum iuſticiam & uitam reparare, de quo ſuprà meminimus in explicatione iuſtificationis impij. in hoc munere continetur uis ac facultas fingendi nouos homines, & Dei filios generandi, de quo munere & ui apud Ioannem: Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, &c. Tertium, afflictos animos per teſtificationē de fauore diuino conſolari, à quo munere paracletus & conſolator ſpiritus appellatur. & quoniā non par ratio conſolandi puerilem ætatem & adultiorem à diuino ſpiritu tenetur, legimus apud Ioannem, alium cōſolatorem ſpiritum, adminiſtrationis noui fœderis tempore dari, quàm datus ſit pædagogiæ legalis tempore. Quartū munus eſt, conſolationem & teſtimonium de Dei erga nos fauore pignoris & arrabonis ritu obſignare. De quo munere his uerbis Apoſtolus in epiſtola ad Epheſios: Obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitæ poſſeſsionis, in laudem gloriæ ipſius. Vnde conſequitur: Meſsiam noſtram ſapientiam eſſe, per ſapientię ſuæ ſpiritū: noſtram fortitudinem, per fortitudinis ſuæ ſpiritum: noſtrā uitam eſſe, per uiuificantem ſuum ſpiritū: noſtram iuſticiam eſſe, per iuſticiæ ſuæ ſpiritum, abolentem ius peccati & mortis: & cibum ac alimentum noſtrū eſſe, per ſpiritum carnis & ſanguinis ſui. hoc eſt, omnem ſalutem in electis per ſpiritum Meſsiæ inchoari, continuari & perfici. Vnde & Meſsiæ, ab oleo ſacri ſpiritus quo unctus eſt, nomen inditū, de quo mox infrà uberior inſtituet explicatio. Ioan. 14. Epheſ. 1.

Et lugentibus.) quibus promittitur conſolator ſpiritus: Beati lugentes, quoniam conſolationem capient. Matth. 5.

Creabo fructū labiorum.) Qui meminiſſet per pœnitentiam pectorū contritorum, & eorū per donatum Meſsiæ ſpiritum uiuificatorū & ſanatorum: iam labiorum meminit, quæ tam præclara beneficia ſint celebratura, corde & lingua cōſenſuris in laudem ſeruatoris Meſsiæ. De qua lingua & labio Zophonias: Tunc cōuertam ad populū labium purum. Sed quale eſt hoc labium purum, & quod eius officium? Labium eſt, quo preces ad Deū patrem Domini noſtri IESV Chriſti fundunt electi, & quo nomen eius exauditi celebrant, ut ſequitur in Zophonia: Vt ipſi omnes inuocent in nomine Domini. Sed in cuius Domini nomine? in Meſsiæ, qui à Zophonia uocatur יהוה nomine. Sic enim Meſsias ipſe de ſe Zophoniam interpretatur: Quicquid petieritis patrem nomine meo, dabit uobis. Fit hic mētio à Iſaia labiorum, & à Zophonia purorum labiorū: quæ ut purificentur, ſuprà Propheta noſter explicauit, ubi carbonis candentis meminit, quo labia eius tacta, pura reddita legimus. Etenim in eo ignea ſacri ſpiritus purgans animos & linguam uis inerat, de quo purgante ſpiritu ſæpe mētio facta eſt. Hoc ardenti carbone Apoſtolorū labia mundata, Euangeliū cœleſte ad ſanandam uitioſam naturam diuulgarunt, de quibus in 3. 6.

hunc modum, in Actis: Et uisæ sunt in illis dissectæ linguæ uelut igneæ, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, cœperūtq; loqui. Et talia labia à sponso Mes-
Canti. 4. sia laudantur in sponsa sua Ecclesia: Fauum stillant labia tua, ô sponsa, mel & lac sub lingua tua. fauum uidelicet & mel sacræ doctrinæ, & laudis atq; cōfessionis beneficiorū à sponso Messia acceptorum. Qui fructus est purorū labiorum, cuius fructus in Propheta mentio hic fit. de quo etiam fructu epistola ad Hebræos meminit: Per ipsum ergo offeramus hostiā laudis semper Deo, hoc
Psal. 12. est, fructum labiorū confitentium nomini eius. Contraria labia sunt eorum, qui dehonestantes nomen Dei, impudenter audent dicere: Labia nostra penes nos sunt, quis noster est Dominus? Talia fœda & turpia labia habet be- 10
7. stia, os Draconis tenens, & agni cornua gerens. De quo ore Daniel: Et sermones contra excelsum loquetur.

Pacem ei.) Explicatur fructus labiorum. hæc pacem celebratura merito sanguinis IESV Christi comparatam, per prælium uictoria relata, de qua autor pacis: Ego uici mundum. In pace generatim indicatur bonus status, qui primò cernitur in tranquilla conscientia erga Deum, de remissis peccatis, & deleto mortis inferniq; iure, per piacularem mortem agni, & glorioſam eius resurrectionem. Deinde in halitu & spiritu, per quem Messias suos ad uitā æternam animat, sub spe non pudefaciente, qua expectatur corporum nostrorum è puluere terræ excitandorum ad corporis IESV Christi figuram conforma- 20
tio. demum cernitur in illa intima & arcta coniunctione, qua in uno IESV Christi spiritu, scripti in libro uitæ, cum Deo patre & inter se coniuncti unum redduntur, de quo pacifico uno suis locis meminerimus. Ex hac interiore pace, quā Messiæ spiritus, qui pacis & cōcordiæ spiritus est, creat, nascitur etiam exterior pax & cōcordia, quę & domi inter maritū & uxorē, inter parētes & liberos, inter operas & dominū, & foris in ciuili rectione inter ciues, & inter hos ac magistratū intercedit. Nascitur itē & in Ecclesiastica gubernatione pax, filios Dei inter se in unius religionis professione intimè cōiungēs ac cōsocians. Ex his igitur bonis quæ pax apud Prophetas promissa affert, cognoscit, quanta mala apportent dissidia domestica, ciuilia & ecclesiastica, & maximè discor- 30
dia quæ inter Deū & cōscientias p peccatū accusante & damnāte lege, coorit.

Ephes. 2. *Ei qui longè est.*) Gentibus remotis à repub. olim Dei.

Et qui propè.) Israelitis, quorū sunt testamenta Dei, lex, Prophetarum oracula,
Rom. 9. & ex quibus natus est Messias. Apostolus Paulus locū hunc in epistola ad Ephesios explicat his uerbis: Nunc autē in Christo IESV uos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè, in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum. Breuibus ergo uerbis indicat Propheta noster, quod
Ioan. 10. Christus Dominus noster hoc modo exponit: Erit unus pastor, & unū ouile.

Impij autem.) Per contentionem illustrat beneficia pacis, per Messiam principem pacis in suos collata: scita adhibita cōparatione, qua fluctibus & procel- 40
lis commoto mari impios comparat, qui neq; sibi, furijs agitatos animos gerentes constent: neq; alios quietos & pacatos, quantum in ipsis est, sinunt: neq; cessent prius agitari, quàm lutum & cœnum suarum terrenarū cogitationum ad quieta littora protrudant: hoc est, omnia in mari huius mundi perturbent. In hac comparatione רשע quem significet, indicatur: eum uidelicet significari, qui omnia suis consilijs & factis turbare studet. ut transpositis literis idem sit רשע, quod רעש.

Non est pax impijs.) Epiphonemate concludit contentionem: Pios in pace & tranquillitate uersari, impios in turbatione & continuis motibus. Paulo suprà legitur, pacem tum remotis tum propinquis fore. hic uerò: Non est pax, dicit 50
Dominus, impijs. Non legimus hic dicere hominem, qui mendax est, non esse pacem impijs, quorū felicitatem & pacem in hoc seculo admiratur: neq; legi-

tur

cùr fateri mundũ, abeſſe pacem impijs, quibus pacem & proſperum ſtatum ſedare ille putat: cuius princeps Satan, ſuis opes, honores & imperia promittit, & ſe largiri eis gloriatur: quorũ promiſsione etiam ab ipſo Meſsiam tentatum legimus. Sed legimus Dominum dicere, impijs abeſſe pacem. Itaq; ſi proſperæ res ſunt impijs, & aduerſæ pijs: ad tempus impijs res proſperæ ſunt, & pijs aduerſæ. quæ conuertendæ ſint in quietem completo afflictionũ & laborum ſenario: & ſi procellis huius mundi iactatur eorum exterior homo, interior tamen ſeptenarij quietem & pacem habet in Meſsia, ut is ipſe dicit: In me habebitis pacem. Pacem, inquam, aduerſus peccatum, mortem, & inferni tyrannidem: & eam cœleſtem & æternam, nulla contraria ui labefactandam. Contrà impij habent, qui ad tempus tranquillè putantur uiuere, dum in hoc mundo & ſeculo res eis feliciter cadunt: ſed quæ felicitas eis diuturna non ſit, ſed momentanea, & mox commutanda in æternam turbationem, cùm cœperit in eorum animis Dei iudicium patefieri: quod nõ ferentes, peccati, mortis & inferni terroribus non ſecus conturbantur & agitantur, atque mare procellis & fluctibus agitatur. Et ut mare commotum, cœnum ac lutum in littora protrudit: ita impij iactati procellis malæ conſcientiæ, cœnum & lutum horribilium conuiciorum in Deum eijciunt. Nam ut in hac fide & ſpe acquieſcere, pacem ac tranquillitatem parit: ita fide & ſpe eius carere, efficit in impijs quod hic legitur, Non eſt pax impijs. Beati igitur electi filij Dei, quos Deus pater in filio Meſsia ab his motuum & laborum fluctibus liberat, data eis pace. de qua Apoſtolus: Iuſtificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum. pacem inquam habemus, in mediis etiam huius mundi fluctibus, in quo nimirum fide & ſpe in Meſsiam iacta anchora, ſanctorum nauis aduerſus omnia turbantem Satanam, firmiter ſubſiſtit: defendente hanc nauem illo, cui mundus, procelloſum mare, cui turbator ſpiritus Satan mundum fluctibus aduerſus pios commouens, ſubiectus eſt. de quo uerè dicant pij per admirationem: Qualis eſt hic? quia uenti quoq; & mare obediunt ei. Rom. 5.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM OCTAVVM.

(Clama.) Salutare oraculum exponitur, in quo uates Iesaias iubetur reprehendere in gente ſua hypocritas, qui extra fidem ieiunabant, legi'que ſine lege, hoc eſt, anima legis, quæ fides eſt per amorem agens, operam ad depellendas afflictiones dabant. in quo ſuo ſtudio ſeruandæ legis, falſam de probitate, quæ Deo non probaretur, opinionem ſequebantur. Hæc oracularis admonitio generatim ad omnes omnium temporum prophetas & pœnitentiæ prædicatores pertinet, quocunque tempore pœnitentia docetur, & hypocriſis, falſaq; de falſa religione & probitate oſtentatio refellenda eſt, & uerus Dei cultus defendendus. Quàm autem oratio hæc grauiſsimis reprehenſionis locis inſtructa, his noſtris nouiſsimis patefactionis paſtoris ſtulti, ex mera hypocriſi & ſimulatione falſæ religionis conflati, neceſſaria ſit, ex ipſo uate intelligemus. Etenim ſi unquam hæc hortatio, Clama gutture inceſſanter, locum habuit, his ſeculis locum habere iudicabitur.

Quaſi tuba.) Alluditur ad Moſeas tubas, de quibus mentio fit in Leuitico & in Numeris. Harũ clangore ſalutaris Prophetarũ & Apoſtolorum tubæ clangor adumbratur, de quo hic Propheta noſter: Attolle quaſi tubæ uocem tuã. & Oſeas: In gutture tuo ſit tuba. Nec deeſt hic ſimilitudo, qua Moſeæ buccinæ propheticas has & concionatorias buccinas prefigurarũt, ſiue tubicinem, ſiue materiam ex qua legales tubæ confectæ ſunt, conſideres. Quantum ad Leuit. 25. Numer. 10. Oſeæ 10.

materiem attinet, ea argentum, ut ex Numerorũ libro patet, fuit: quæ materia cõsentanea rebus quas prophetica & Euangelica buccina ebuccinat, fuisse in-
10. dicatur. Nam in his uerbũ Dei continetur, de quo Dauid: Eloquia Domini, eloquia pura, argentum igni examinatum. Quibus uerbis sanctus Propheta diuina oracula propter puritatem, quam habent, & propter uim purgandi animos electorũ per igneum Messiæ spiritũ, argento comparat. Neq; si tubicinem spectes, similitudo qua tubicen propheta & Euãgelij doctores significentur, hac in parte desideratur. Et enim ut tubicen, nisi flatu suo buccinã regat, ea nihil sonat: & ut buccinæ tantũ sonant, quantum tubicen eas inflarit: ita Prophetæ & Apostoli ea sonant, quæ Dei spiritus eorum animis & ori inspirarit. 10
ut patet ex illo: Ecce ego uerba mea in ore tuo pono. Sic non antea Apostoli Euangelij clangorem edere cœperunt, quàm à Christo tubicine, per hali-
Ioan. 20. tum ipsius diuinum spiritum accepissent: Et flauit in eos, dicens, Accipite Spiritum sanctum.

Et *annuncia populo meo scelera sua.*) Munus Prophetarum quale sit, indicatur: Reprehendere delicta & scelera populi Dei, hoc est, electorum in Messia sanabilium: idq; non remissè & segniter, sed fortiter & gnauiter. præcesit enim: Clama gutture, & attolle uocem.

Me etenim de die in diem quærunt.) Reprehenditur hypocrisis & simulatio probitatis, qui sibi uideantur Deum quærere, & uias eius: cùm eum & uias eius, 30
hoc est, uerbum & uerum cultum eius minimè quærant, sed doctrinas humanas, & alienorum Deorũ cultum. Si Iudæos spectes, ut hæc reprehensio tempore Prophetæ, quo uitio Achaz & Manasse omnia corrupta cernebãtur per superstitionem, locum habuerit, palàm est: sin tempora præsentati in mundum Messiæ considerantur, pharisæorum hypocrisis toties à Christo perstricta, nota est. Temporibus aũt sequentibus, quibus filius perditus omnia contemerauit, ut omnia in Ecclesia superstitione, idololatria & simulatione repleta sint, manifestum est, ut uerè locus expostulationi huic pateat: Etenim me quotidie quærunt, uias meas scire uolunt, quasi gens quæ iusticiam faciat, & iudicium Dei sui non derelinquat. 30

Rogant me iudicia iusticiæ.) Iusticiæ iura præ se ferentes ex me sciscitari, semper discunt, & ad ueritatem nunquam perueniunt. Doctrinas enim humanas, quæ luce ueritatis carent, persequentes, cœlestem doctrinam, in qua una ueritas lucet, contemnunt.

Et appropinquare Deo uolunt.) A' quo per hypocrisim longè absint: cuius nota præcipua hic nobis spectanda proponitur, putare hypocritam tum præcipuè Deo familiarem se esse, cùm maximè per falsæ probitatis professionem ab eo abest. Nam hypocrisis simulatio est, qua pietas falsò, ab eo qui fide & amore Dei & proximi caret, ostentatur. Quatuor ergo præcipua hypocritarum uitia sunt. Vnum, quo non solùm homines, sed etiam Deum moliuntur fallere, 40
per inanis probitatis uenditationem, quam Deus aspernetur & odiat: tantum abest ut propter eam, hypocritam gratia sua & fauore dignetur prosequi. cui hic obijcitur: Et appropinquare Deo uolunt. Alterum uitium est, Christo suam, eiusq; membris iusticiam detrahere, uendicando sibi iusticiam quã non habent: cùm uerius iniusticia sit, non iusticia, de qua uanè gloriãtur. Quod uiLucæ 18. tium ostenditur in Pharisæo illo, qui dixit: Non sum sicut cæteri homines. Plena uanitatis & pernicialis hæc pharisæorũ & hypocritarum uox est, quam qui edunt, peccata sua non agnoscentes, redemtionis precium Messiã contemnũt, per miserũ peccati & mortis ius pereuntes. Tertium peccatũ est, Per hypocrisim externè simulare probitatẽ, obseruatis elemẽtis mũdi, & animos auaricia, 50
ambitione, inuidia, odijs, contemptu Dei & proximi obstrictos gerere. Quo uitio ut laborent hypocritæ, mox ex Propheta patefiet. Quartũ est, eos carere,

cere, exilio, ferro, igni, gladio, reste persequi, qui ipsorũ falsam religionem & iusticiam damnãt, & ueram ex fide in Christum manantem colunt: quicq; cùm non exaudiuntur tempore afflictionum, Deũ etiam ipsum maledico ore proscindunt, ea effutientes, quæ sequuntur:

Quare ieiunauimus.) Μιμητικῶς inducuntur hypocritæ expostulare cum Deo, à quo propter sua ieiunia non exaudiantur: qui merita Christi & misericordiam diuinam, propter quam nomine filij exaudirentur, prædicare debebant, non sua merita, sua facta extollere, & amplificare cum Pharisæo illo: Bis ieiuno in sabbatho, decimas do Deo. Quod qui faciunt, idolum ex suis operibus faciunt, & Christum cum iusticia sua de throno suo deturbant, in quo ipsi sedeant cum probitate & iusticia sua. Et hoc est impium hypocritam instar maris commotum, cœnum & lutum aduersus Deum projicere, de quo præcessit mentio.

Humiliauimus animas nostras.) Periphrasis ieiunij, qua corporis castigatio notatur: quæ si spiritu fit, ut ei corpus obediat, laudata castigatio est: sin citra spiritum, studio merendi beneficia salutis, exitialis, ut quæ gratiam Dei excutiat, animos perdens, corpore frustra discruciato. De quo genere pernicioſæ excruciationis Apostolus in epistola ad Colossens. his uerbis: Itaque si mortui estis ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, neq; contrectaris: quæ omnia pereunt ipso abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominum. *Coloſ. 2i*

Cæterùm, quæ hic peruersa de ieiunijs opinio perstringitur, ea reprehensio in omnem superstitiosam elementorum mundi obseruationem ualet: ut sunt feriæ, sacrificia, ciborum & uestium delectus, uota monastica, & si quæ sunt eius generis, quibus regnum bestiæ longè lateq; in Europa, Africa & Asia omnia profanantis, plenum est.

Ecce in die ieiunij uestri.) Occurrit hypocritarum expostulationi: frustra ab eis obseruari ieiunia, qui anima legis careant, fide uidelicet in Deum, & amore in alterum: corpora quidem eorum inedia uexari, animos uerò libidini suæ satisfacere, omni erga proximos misericordia exuta. Quam eorum inclementiam in eo declarari dicit, quòd debitorum nomina auarius tempore ipso ieiunij exigant, opum amorem, Dei & proximi amori, capiti & summæ legis præferentes. de quo apud Oseam Dominus: Misericordiam uolo, non sacrificium. ubi חסד legitur, quæ uox bonitatem, beneficentiam, misericordiam, charitatem & amorem significat. Qua bonitate & sacro amore proximè diuina natura exprimitur, qui perennis amor, bonitas & misericordia sit: qua omnia condantur, conseruantur, & lapsa instaurantur.

Inuenitur uoluntas uestra.) In ipso ieiunij die eos cupiditatib. suis indulgere, non Deum curare, & proximum, ut sequitur.

Et omnes debitores uestros repetitis.) עצבים uoce facultates significari uolunt interpretes, quòd laboribus & molestia comparentur. Citant locum ex Prouerbijs: Et labores tui in domum alieni, uidelicet ueniant. Quò spectat illud Apostoli: Siquidem radix omnium malorum pecuniæ studium est, quam quidam cùm appetunt, aberrauerunt à fide, & seipsos implicuerunt doloribus multis. qui uoce עצבים significantur. Suprà reprehensa est auaricia, quæ quoniam etiam hic seuerè reprobatur, hæc concio priori aptè cohærere iudicatur. Arguuntur hic hypocritæ, qui ieiunij tempore, quo corpora castigari conueniebat, ut parerent diuinæ in animo uersanti legi, asperius suos debitores de nominibus appellare soliti sint. Apparet autem hanc occasionem ab eis arreptam, quòd Israelitæ in publicis ieiunijs conuenirent ad rem diuinã faciendam, ut ex Mose patet. Sic Iezabel damnatura Naboth Iezraelitam, ieiuniũ indixit: quo tempore congregati Israelitæ, falsò accusatũ & damnatum lapidibus & læsæ maiestatis reum obruerent. *5. 1. Timot. 6. 3. Reg. 21.*

Ecce ad lites & cõtentiones.) non ad amoris studia declaranda: quæ studia, pœnitentia

ten tia, in ieiunio ueteris hominis libidinem & cupiditates coercente sese exerens, requirit.

Et percutitis pugno.) Quos uitia cordis uestri pugno pœnitentiæ cædere oportebat, proximum non contra legem de amore editum opprimere: quem qui opprimit, Deum, cuius cognatione teneatur, opprimat.

Nolite ieiunare.) Pergit respondere expostulationi: Quare ieiunauimus, & nos non respicis? uestra ieiunia non sunt huiusmodi, ut propter ea exaudiatur uox
Ierem.14. uestra in excelso. Similiter Ieremias: Cùm ieiunauerint, non exaudiã preces eorũ. ut quorum pectora nõ ieiunent per abstinentiã ab affectionib. auariciæ, ambitionis, inuidiæ, odij: cõtraria ieiunia sanctorũ sunt, quorum ieiunantium
Iudic.20. preces ut exaudiãtur ad thronũ misericordiæ diuinæ, Iudicũ liber & Regũ historia docet. Israelitæ porrò ieiunãtes & flentes seruati sunt, ut quorũ lachrymas exprimeret odium peccati, ex amore Dei susceptum. Dauid ieiunans & flens peccata sua, Deũ ad misericordiã flexit, uenia peccatorũ impetrata. Ni-
Ionæ 3. niuitæ cum ieiunio preces iungentes, ab interitu uindicati sunt: quòd has sub electionis gratia, quæ gentibus nullo tẽpore negata fuit, spiritus timoris ex electione natus gubernaret: & eas gratas in reuelando Messia, Deo redderet. Quis ergo usus sit ieiunij, ex hac cõcione docemur: institutũ id esse, ut ueteris hominis libidine per abstinentiã coercita, ad obediendũ spiritui & ad precandum nouus aptior reddat, quæ precatio fide & spe non pudefaciente gubernata, indubitatã salutem assequitur. Non tamen unũ genus ieiunij est, sed duplex, ad distinctionẽ dispensationis legis & Euãgelij. Alterum legale & Mosęum, alterum Euangelicũ. Legale certo indicebatur tẽpore: ut fuit quod de-
23. cimo Septembris die celebrabatur, de quo uideris in Leuitico. Euangeliũ ab obseruatione temporũ & sacrificiorũ quæ in Mosæo ieiunio offerebãtur, liberum est: quod fides pro occasione frenãdi ueterem hominẽ, & fundendarum precum ad Dominũ usurpat. & hoc ieiuniũ coniunctum est cũ studio benefaciendi alteri, cuius author diuinus spiritus est: effectus, carnis mortificatio, & eius obedientia, qua se caro spiritui ad obediendum subijcit: finis, amplificatio nominis diuini, & bene merendi per amorem de altero studium est. O quàm necessaria forent his postremis temporibus tum priuata tum publica ieiunia: quorum loco ebrietatem, luxum, & omne genus libidinis exerceri, magna nostra pernicie & opprobrio Messiæ, uidemus.

Numquid tale est ieiuniũ quod elegi.) Per interrogationem figurat reprehensionem, ad exprimendam fœditatis falsi ieiunij magnitudinem.

Animam suam.) Ideo apud Zachariam tales dicuntur non Deo, sed sibi ieiunare, qui suam, non Dei iusticiam, suam, non Dei gloriam quærant. Sic enim cum talibus diuinus spiritus expostulat: Numquid ieiunium ieiunastis mihi?

Numquid contorquere quasi circulum caput suum.) Notatur in hypocritis superstitio, qui caput terram uersus curuent, iunci more: quod cœlum uersus, rectum per fidem & amorem Dei tenere oportebat. Sed sic sunt hypocritæ comparati, ut cum serpente Satana, quem referũt, humi curui & flexuosi repant, cœlum pectore non cogitantes, in quo Messiam cœlestem hominem sedentem amplificent, se deijcientes. Eorum aũt animos humi repere in terrena defixos, uitia carnis & terreni hominis, quæ in eis à Propheta arguuntur, declarant: contentiones, iurgia, odia, fratrum durior & asperior tractatio, pauperum contemptus, simulatæ probitatis ostentatio, ueræ despectio. Quare Dominus hæc in
Matth.12. hypocritis considerans, eos uiperarum progeniem uocat.

Et saccum & cinerem sternere.) Corpora sacco induere, animo Sardanapalos & Epicuros uiuere. Huc pertinet uehemens illa obiurgatio Domini nostri:
Matth.23. Væ uobis scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui intus pleni estis rapina & intemperantia.

Numquid

Numquid iſtud uocabitis ieiuniũ.) Repetit interrogationem, intendendi reprehenſionem, et eius confirmandæ gratia: Hoccine uocandum eſt ieiunium, et dies cui faueat Dominus?

Nonne hoc magis ieiunium quod elegi.) Reprehenſo falſo ieiunio, uerum quod ſit, explicat, manens in cœpto interrogationis colore.

Diſſolue colligationes impietatis.) Supra obiecerat, Debita exigitis: hic monet impietatis nexũ aperiendũ eſſe, quo ipſos debitores ligatos tenent. Continentur aũt in improbitatis nexu iniqua nomina per uſuras, fœnerationes & furta, aut quauis mala ratione contracta debita, quæ durius ab his qui ob paupertatẽ ſõluendo nõ ſunt, exigũtur. Hunc nexum, hoc iugũ ſoluendum eſſe. Dicas ergo, omnino debitor de nominib. appellãdis non fuerit, quæ ſoluat. Hic nõ prohibetur, debita exigẽda nõ eſſe: ſed, durius & alieno tẽpore exigẽda nõ eſſe, præſertim à tenuibus qui ſoluẽdo nõ ſint. Eum enim qui ſoluendo eſt, lex charitatis obligat, ut curet ſoluere: & ab eo ſi creditor cõmodo tempore ſuũ repetierit, nõ peccat, modò id non auarè & cupidè, ſed moderatè, ex præſcripto fidei per charitatem agentis faciat. His enim duobus ciuilis ſocietas continetur, ut ius ſuum is, qui credidit alteri ſua, repetendi quæ credidit, habeat: & alter, qui debet, fidem in ſoluendo debito ſeruet: conſiderata hac naturæ lege, Quod tibi uis fieri, alteri facito.

Dimitte qui fracti ſunt, liberos.) Alluditur ad legem Moſæam, qua iubebantur ſeptimo quoq; anno ſeruos manumittere, ac eis libertatem dare. Quam legem ut neglexiſſent Iudæi, à Ieremia ſeuerè reprehenſi ſunt. De lege Moſæa uide- *Hierem. 34.*
ris in Exodo & Deuteronomio. In uoce רציצים Propheta miſerum ſeruitutis *Exod. 21.*
ſtatũ conſiderãdum nobis proponit, in quo qui uerſantur, uerè in quaſſatis nu- *Deut. 15.*
merãtur: præſertim qui ea ſeruitute premũtur, qua eorũ corpora, bona & liberi in dominorũ poteſtate ſunt. Qui tales ſeruos habẽt, ut eis clementiam oſtendant, duo eos impellere debent. Vnum eſt, quòd ipſi natura domini non ſint, ſed ſola clementia Dei: omnibus per peccatum ſeruituti obnoxijs redditis, nemine libero facto. Alterum eſt, ut cogitent ſe grauiore ſeruitute premi, quæ noxæ & mortis ſerui ius eſt: qua ſi uelint liberari, par eſſe ut in ſuos quoq; ſeruos miſericordiam declarent: exemplo Meſsiæ, Domini cœli & terræ, qui in mundum hunc uenit, ſub peccatum & mortem uenundatus, ut peccati & mortis ſeruitute obſtrictos in libertatẽ aſſereret. de qua libertate ipſe ſic loquitur: Si filius uos liberarit, uerè liberi eſtis. *Ioan. 8.*

Et omne onus dirumpe.) ut ego ueſtrum onus & iugum abrumpo, de quo illud: Venite ad me omnes qui onerati eſtis, ego uos reficiam. Sed quod onus is ab- *Matth. 11.*
rumpit? Onus ac iugum abrumpit, de quo conqueritur Dauid: Quoniã mea *Pſal. 38.*
delicta ſupergreſſa ſunt caput meum: me quaſi quoddã onus graue opprimũt. Hinc peccati, mortis & inferni oneri ſubiectus à patre Deo filius Meſsias eſt, ut nos illi eximeret: et noſtra debita ac nomina in ſe recepit, quę peccati & mortis maledictum factus ſolueret, cui maledictioni nos addicti fueramus.

Frange eſurienti panem.) meo exẽplo, de quo Dauid ſeruus meus canit: Dat *Pſal. 96.*
uictum eſurientibus. Item, Qui bonis replet famelicos. Neq; ijs ſolùm qui nos *Pſal. 107.*
non læſerunt, impertiendus panis, ſed etiam hoſtibus noſtris: ut eius perfectionem imitemur, qui ſolem ſuum pariter bonis & malis fulgere ſinit. de qua per- *Matth. 5.*
fectionis diuinæ imitatione Salomon: Si eſurierit inimicus tuus, præbe ei ci- *Prouerb. 25.*
bum: ſi ſitit, præbe potionem. Itaq; Chriſtus Dominus noſter, cœleſtis ille Salomon, qui in hunc mundum uenit, ut in nobis ſpiritum ſacrum amoris excitaret, & eum de ſua copia & abundantia per fidem cõmunicaret, quo afflati patris cœleſtis perfectionẽ in hoc ſeculo pro primitijs & uiatoris ſtatu exprimeremus, ſic docet: At ego dico uobis, diligite inimicos ueſtros, bene precemini *Matth. 5.*
deuouentib. uos, benefacite ijs qui uos odio proſequunt, orate p ijs qui lędũt

& in-

& insectantur uos, ut sitis filij patris uestri qui est in cœlis, qui solem suũ exoriri sinit in malos & bonos, & pluuiam mittit in iustos & iniustos. atq; in hoc amoris spiritu cernitur iustitia non humana, sed diuina: non legis, quam lex ipsa largiatur, sed fidei, quã hęc de Christo nobis præbeat. de qua mox fiet mentio, & de ea his uerbis Dominus noster in eodem loco meminit: Dico enim uobis, nisi abundauerit uestra iustitia plus quàm pharisæorum & scribarũ, non estis in regnum cœlorum ingressuri. Hac iustitia parendi diuinę amoris Dei & proximi legi qui carent, de fide iustificante frustra gloriantur: ut sunt nostro tempore homines ebrij, nomen Dei blasphemãtes, usuris & monopolia proximum opprimentes, sanguinem insontem fundentes, mutuis odijs flagrantes: qui non solùm panem esurienti non frangunt, sed eum etiam, quantũ in ipsis est, suo, quẽ habet, spoliare studeant. Intueamur nostra secula, in quibus sol Messias per Euangelium suum lucens id præstat, quod sol is aspectabilis in luto, quod indurat lumine suo, non emollit, præstat.

Panem tuũ.) non alienũ: qualis est fœneratorũ prædonũ & sacrilegorũ panis.

Et egenos uagos.) Quos qui collegerit, Christum ipsum collegerit. Sic enim is
Matth. 25. ait: Hospes erã, & collegistis me. Hunc igitur domo sua excluserint, qui pauperes & peregrinos excluserint, hospitalitatis iure eis negato. Dicas: Sunt ergo quiuis excipiendi in domum? Fidei lumen ostenderit, charitatem diuinam moderans, ut se pij hac in re gerant: cuius fidei lux ac fax tibi monstret, quid quauis in re agas. qua nisi regare, scias Deo non probari, etiamsi omnes opes tuas profundas, corpus tuum exuras, & uitam tuã impendas. Hinc charitatis humanæ & diuinæ discrimen nascitur: alteram regente luce fidei, alterã superstitione. Charitas diuina, quam lumen fidei gubernat, hic agitur: non superstitio humanæ charitatis. Ex diuina charitate, quam fides regit, quæ proficiscuntur in alios beneficia, ea sic conferuntur, ut præter amplificationem nominis diuini & salutem proximi nihil quæratur, non propria gloria, non salus, in rationem beneficentiæ nulla meriti consideratione ueniente: quæ in hypocritarum simulata charitate spectatur, diuina gratia negligitur. In hos dicitur illud Apostoli: Etsi insumam in alimoniã omnes facultates meas, & si tradam corpus meum ut comburar, charitatem aũt non habeam, nihil utilitatis capio. charitatẽ uidelicet diuinam, de qua, eiusq; & humanæ charitatis discrimine alio loco mentio facta est. Itaq; ut frangas panem tuum esurienti, ut inopes domum introducas, ut nudos operias, lumen charitatis, de qua Ioannes loquitur, tibi ostenderit. Deus charitas est: in qua qui sunt, in lumine sunt, de quo idem
1. Ioann. 2. Ioannes: Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. Sed in quo lumine? in lumine fidei, quod lumen de Dei lumine lumen est, uoluntatem diuinam in omnibus tibi patefaciens, quæ salutis piorum & gloriæ diuinæ interfit scire.

Cum uideris nudũ.) Cùm & tu nudus, à Deo uestiaris corpore & animo. Si corpus spectes, legis quid precetur Iacobus: Si dederis mihi uestimentũ. sin animum, occurrit illud: Christum induistis.

Et carnem tuam.) Si originem spectes, à primo Adamo propagati, una caro sumus, pariter peccato & morti obnoxij. Quæ propinquitas nos cõmouere debet, ut cum afflictis nos quoq; affligamur, cum lugentibus lugeamus, cum esurientibus esuriamus, & cũ nudis nudi simus: hoc est, eorum nuditatem nostrã esse existimemus, quam pro facultatibus nostris tegamus: ut nobiscum Dominus noster Christus affligitur, esurit, sitit, nudus est & luget. Quanto magis nostra caro sunt, qui unam in regeneratione à secundo Adamo IESV Christo originem nobiscum habent, in uno corpore, & in uno capite, per amoris spiritum nobis coniuncto?

Tunc erumpet quasi mane lux tua.) In hoc seculo lumen gratiæ, in futuro gloriæ cœlestis splendor. Locis utiliũ utitur, in cõmendanda charitate, qua alterum

amanter

amanter amplectamur ad bene merendū de ipso. hinc lucē salutarē è tenebris rerum aduersarū effulsurā. Sic enim in Psal. legimus: Beatus qui egeni rationē habet, eum aduerso tēpore liberabit Dominus. qui ut egētium misereatur, nos experimur. de quo meritò canitur illud: Qui inopē excitat ex puluere. Si exemplum Messiæ spectes, is in mundū hunc uenit pauper & inops, non habēs quò reclinaret caput, ut nos pauperes & egenos ditaret cœlestis regni opib. in præsenti etiā seculo pane quotidiano nobis nō negato. Legimus hic, salutis lumē affulgere bene merentib. de altero. Sic Lothus seruatus est in incēdio Sodomorum, per suam qua prosecutus est peregrinos, misericordiā. Abrahamus fessos de itinere hospitiò excipiens, de sobole, qua benedicerent omnes gētes, promissionē nactus est. Sareptana uidua quib. & quātis beneficijs ab Elia affecta sit, ut amāter illū hospitē accepisset, Reg. historia docet. Non unum aūt charitatis & amoris diuini munus est. Tam latè enim id patet, ꝙ afflictiones. in quib. proximus iuuādus est. Lumē igit̄ beneuolētiæ & fauoris Dei illucebit ijs & in præsenti & futuro seculo, qui lugētes consolant̄, qui errantib. uiam ueritatis ostendunt: qui peccatori medicinā, qua sanetur, administrāt: qui captiuos aut liberāt, aut ut patienter ferāt captiuitatē cōsolando efficiunt: qui uiduarum, pupillorum & peregrinorū causſam suscipiunt: qui oppressos iniuria & ui defendunt: aut si defendere nequeant, cōmiseratione animum suum in illos propensum declarant. His omnib. amoris, quem lex præcipit, & spiritus Messiæ in suis per regenerationem excitat, muneribus & officijs salutis lumen affulsurum, radijs eius lōgè lateq; dispersis. Quæ dispersio ac diffusio in dissecandi uerbo Hebræo indicatur, pro quo Paraphrastes habet Apparebit seu patefiet: per auctus uidelicet suos. Vt enim solaris lux mane exoriens, subinde crescit, dum clarissimè sub meridiem splendeat: ita benedictionis diuinæ lux augetur ijs, quos spiritus amoris rexerit, dum perfectè in futuro seculo fulgeat. Contrà habent illo carentes, quos inclementia, inuidia, crudelitas in tenebras præcipitabit. de quibus illud: Et impij in tenebris conticescent. Psal. 41. Genes. 19. 3. Regum 17. 1. Reg. 2.

Et sanitas tua.) Præcesserat de lumine: sequitur de sanitate quam lux parat, de qua lux ipsa: Ego lux ueni in hunc mundum, ut omnis qui credit, in tenebris non maneat, sed habeat lucem uitæ. Item: Vobis timentibus nomen meum orietur sol iusticiæ, & sanitas in pennis eius. hoc est, in uolucri Euangelij prædicatione, cuius fides iusticiæ & uitæ sanitatem affert, quę in hoc seculo initia sua habet, & in altero perficietur. Vt enim corporis sanitas est affectio secundum naturam, ad obeundas actiones animanti aptas accommodata: sic sanitas spiritualis est in natis è spiritu Messiæ, cōformatio mentis ad diuinam uoluntatem, qua filij Dei ad actiones quæ Deo probentur, edendas apti redduntur. Cōtraria ratio morbi est. Cæterùm Hebræa uox propriè longū significat. sed quoniam incrustatio per longum ducitur, fit ut interdum murorum incrustatio & curatio ea uoce notetur, ut ex Paralipomenis patet: Et imposita est incrustatio operi manuum ipsorum. Ioan. 12. Malach. 4. *Sanitas.* 2. Paral. 24.

Et anteibit faciem tuam iusticia tua.) Sed quæ est illa iusticia, quæ bene merentes de altero præcedit, salutem eis præparans? Si fontem spectes, iusticia fidei est, per charitatem agens. Sin ea quæ ex fidei iusticia proficiscuntur: benefacta sunt, & diuinæ actiones, quas non natura uetus, sed spiritus Messiæ, ad expressionem diuinitatis Dei patris edit: à quo spiritu hæ suam dignitatem & promissionem præmij cœlestis gloriæ ducunt. de quo præmio promisso benefactis, Dominus noster apud Euangelistam Matthæum loquitur, & hic Iesaias: Præcedet te iusticia tua. Vocantur autem bona opera & benefacta, iusticia, nota loquendi figura: quòd ex spiritu amoris, quem fides in nostra pectora de Christo inserit, nascuntur, in quo spiritu amoris Dei & proximi, quem credentes ex Christo accipiunt, iusticia obedientiæ & conformationis animorum nostrorum ad 25.

diuinam uoluntatem cernitur. Dicuntur præterea iusticiæ nomine bona opera, quòd fidei iusticia non magis benefactis carere posſit, quàm anima motu & actionibus quas in corpore proferat, unde ſua bonis operibus dignitas conſtat, caret.

Et gloria Domini colliget te.) Futurum ſeculum indicat, in quo cœleſtis regni gloriam ac ſplendorem ſint conſecuturi, qui in hoc ſeculo Chriſti ſpiritu duce, charitatis officia fecerint, ſanctè ſe gerentes. De hac gloria Domini, qua colligẽdi
Matth. 25. ſint benefici, Dominus his uerbis loquitur: Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Sed quæ ratio poſsidendi eius eſt? Hęc exponitur ſequentibus uerbis, ſumpta à benefactis: Eſuriui enim, & dediſtis mihi edere: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus eram, & operuiſtis me: infirmus, & uiſitaſtis me: in carcere eram, & ueniſtis ad me. Ergo quod Dominus dicit, tales poſſeſſuros regnum cœleſte ipſis paratum ab exordio mundi, Propheta noſter his uerbis præſignificauit, Et gloria Domini colliget te: hoc eſt, exulem te in hoc ſeculo, recipiet in cœleſtem patriam. qua cum reliquis ciuibus confecto probroſi exilij curſu fruare. Et id ſignificari in colligendi uerbo, ipſe Dominus indicat, cum ait: Hoſpes eram, & collegiſtis me. hoc eſt, peregrinum & exulem hoſpitio excepiſtis, ad conſolandum, & clementer fouendum. Quare piè ueteres Hebræorum ſapientes homines dixerunt, זרע מותן שכרן של צדיקים לעתיד לבא, hoc eſt, ſcito mercedem iuſtorum eſſe in futuro ſeculo repoſitam. Itaque hinc fit, ut ij in quorum pectore ſpirat Meſsias, præſentem uitam non magnopere curent, quam ſciant lubricam eſſe & fluxam, & plenam ærumnis & afflictionibus: ſed futuram, quam nunquam interituram ſpe præſumunt. & hac ut potiantur cum
Philipp. 1. quiete, præſentem non recuſant amittere, cum Apoſtolo dicentes: Mihi uita Chriſtus eſt, & mors lucrum.

Tunc inuocabis.) Tempore afflictionum, fructus & uſus rectè factorum & beneficentiæ explicatur, precum exauditio. Beneficorum precationem exaudiri,
Prouerb. 21. non maleficorum. de quibus ſuprà: Ne ieiunetis, ut in alto uox exaudiatur uoſtra. Itaque Salomon in Prouerbijs dicit: Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe, & non exaudietur. Ex contrariorum igitur comparatione efficitur id quod hic legimus: Tunc inuocabis. & Dominus exaudiet te: & clamabis, & dicet, Ecce adſum. Nam in inuocantibus in Meſsia Deum patrem, adoptionis ſpiritus uiget: quo interpellatore Deum inuocantes, cum eo intimè & arctiſsimè iuncti ſunt, unum cum ipſo facti: ut cœleſtis amicitiæ & coniunctionis lege Deus pater id uelit fieri, quod ſancti ſanctè uolunt & cupiunt in Chriſto & propter Chriſtum filium fieri: cui ut capiti tanquam membra per ſpiritum interceſſorem ad patrem, inſiti ſunt. Qui ſpiritus & precatur, & potens eſt id quod precatur impetrare, præſtare'que, ut qui patris & filij ſpiritus ſit, in omnia imperium obtinens. Dicas: Sed is ſpiritus non pro ſumma ſua poteſtate agit in ſanctis, ſed ad certum modum, & pro primitijs: at hæ primitiæ ſanctitatis & potentiæ, huiuſmodi ſunt, ut eis nulla contraria uis reſiſtere poſsit, ut quæ non creata potentia ſit, ſed diuina, creaturæ finibus non comprehenſa. Itaque cum minimus modus diuini ſpiritus, quo electi uncti ſunt, ſit regale oleum diuinitatis, in ſanctis omnia poteſt efficere: uincere peccatum, mortem, infernum: ut de fide magnitudinem ſinapi habentis Dominus teſtatur, hac montes transferri. Dicas, in Chriſto hæc poſſe ſpiritum diuinum, & huius lumen ipſam fidem. Fateor id ita eſſe: ſed per quam uim in electis Chriſtus uincit aduerſariam uim? Per ſpiritum ſanctum ſuum, qui regalis imperij in omnia ſpiritus eſt, uincit. Itaque dicere, ſanctitatem inchoatam in filijs Dei, non omnia apud Deum poſſe impetrare, eſt dicere, ſpiritui ſancto, qui inchoatè & pro primitijs in illis agit, non omnia ſubiecta eſſe,

non

non efficaciter ab eo principatum tenebrarum ſuperari: non arrabonem cui tutò confidas, eum præſtare. Idem de inchoata ſapientia, iuſticia, uita, Chriſti ſapientia, iuſticia & uita, hoc eſt diuina ui & facultate ſacri ſpiritus de Chriſto capite in membra ipſius dimanante, iudicium eſt.

Et deſieritis digitum extendere.) minitantes exerto digito afflictis debitoribus dira. Suprà pugni meminit, hic digitorum.

Et loqui quod non prodeſt.) Aduerſus debitores iniqua loqui non decere, quæ eis exitium per tuam inclementiam afferant, non ſalutem per beneuolentiam. ſed decet te affectum eſſe, ut Deus cõditor tuus affectus eſt, qui purus putus amor eſt. Cui amori aduerſatur Satan, odiorum architectus & homicida ab initio. Hunc parentem ſuum imitantur, qui inuidia, odio, inclementia flagrant, à patre Deo & filio eius Meſsia degenerantes: qui Meſsias quanto amore ardeat in humanum genus, ſanguis eius in cruce effuſus declarat. Meminit autem linguæ & orationis, ut quæ malitioſi animi interpres ſit, in utranque partem magnum momentum & uim habens, & ad nocendum & ad commodandum: in ſapientibus & probis ad commodandum, in quorum lingua legem clementię uerſari Salomon dicit, & eorum linguam eſſe ſanitatem. In ſtultis uerò atque improbis lingua quantum damnum det, pater Salomonis Dauid indicat: Lingua eorum gladius acutus. Diuina ergo ſapientia linguam dentium uallo & labiorum ſepto circumſepſit, ne temerè, quæ Deum dehoneſtent, & alteri noceant, loquatur. Quò ſpectantes ueteres Hebræorum ſapientes, ſilentium ſepem ſapientiæ appellarunt: סיג לחכמה שתיקה. *Prouerb.* 31. *Pſal.* 57.

Tunc orietur in tenebris.) in rerum aduerſarum, & ignorantiæ myſteriorum regni cœleſtis tenebris.

Lux tua.) Meſsias. ſuprà: Tunc erumpet quaſi mane lux tua.

Sicut meridies.) qua lux ſolaris clariſsimè ſplendet. Suprà matutinę lucis, hic meridianæ meminit. De utraque luce uideris apud Apoſtolum, in priore epiſtola ad Corinthios. 13.

Et requiem dabit Dominus.) ducet ac aget te placidè, ut paſtor gregem ſuum præſe agit. Tale ſonat Hebræum uerbum נהל. De agno Meſsia legimus in Apocalypſi: Quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet. Sed quò deducet? Sequitur: *Apocal.* 7.

Et replebit ſplendoribus animam tuam.) in ſiccitate, ubi in ardore afflictionum omnia exiccãte, reficiens aqua deeſt, deducet te ad uiuos aquarum fontes, de quibus Ioannes: Et deducet ad uiuos aquarum fontes. Quò ſpectant ſequentia.

Et eris quaſi hortus irriguus.) Beneficos filios Dei, diuinus ſpiritus uiridario & horto, fontiq; perennibus aquis ſcatenti comparat. Vſitata eſt hęc collatio in ſacris literis. Sic ſponſa agni, horto comparatur in Cantico canticorum Salomonis: Concluſus hortus ſoror mea ſponſa. concluſus uidelicet ſepe præſidij diuini, ne qua fera aut beſtia in eam irrumpat, ad ipſam deuaſtandam. Et ut hic apud Prophetam Meſsiæ ſponſa appellatur fons perennium aquarum, ita in eodem illo Cantico appellatur fons obſignatus, propter ſuum ſponſum Meſsiam, qui fons non fallacium aquarum eſt, de quo Zacharias: In die illa erit fons patens domui Dauid. ex quo ſcaturiunt aquæ uitales & purgantes, quib. irrigata ſponſa Eccleſia quoq; fons perennium aquarum appellatur. ut etiam apud Ezechielem eadem illa Iehoua uocatur, propter ſacrum diuini ſpiritus oleum Meſsiæ, quo uncta eſt. *Cantic.* 4. *Zach.* 13. 48.

Et ædificabuntur à te deſerta ſeculorum.) Vt per tyrannos & per auaros & maleficos homines terra uaſtatur, & in ſolitudinem redigitur: ita per beneficos eam cultam reddi, & eius ruinas inſtaurari. Pij enim diuinam bonitatem exprimentes, mundi fundamentum ſunt: qui per ſcelera impiorum uaſtus redditur. ut exemplo eſt diluuium, exemplo Sodomitæ & Gomorritæ: exemplo Chananæa,

per rebellionem Israelitarum in tantam solitudinem, quanta iam tot seculis cernitur, redacta: exemplo erit his postremis temporibus orbis terrarum deuastatio, qua is ob incolarum flagitia, reliquijs electorum (de quibus sæpè meminimus) remansuris, deuastabitur. Hæ beneficorum reliquiæ uerè indicantur deserta mundi reparaturæ, & rupta sepiendo instauraturæ, ut sequitur:

Et uocabitur in te ædificator sepium.) Eum magnifico præconio appellandum reparatorem ruinarum. Suprà legimus: Auferam sepem eius, & erit in conculcationem. hic uerò: Et uocabunt te septorem fracturæ: hoc est, fractæ sepis instauratorem. Hæc autem figuratè dicuntur de sepe sacri Euangelij, qua quæ diruta & uastata sunt per Antichristum, sint munienda. Hac laude ornandos beneficos, qua nulla præstantior laus est: ut nullum maius dedecus cogitari potest, quàm uastatorem mundi appellari. Quo dedecore notatur bestia illa immanis, ex terra nata, aduersarius Christi, & eum adorantes tyranni orbis terrarum.

Conuertens semitas in quietem.) A bonis, qui Messiæ spiritu præditi sunt, instaurandas semitas, לשבת, hoc est ad habitandum. Semitas, quæ uel uastatis regionibus uepribus obsitæ sunt, reparatum iri: uel quæ latronum prædationibus tutæ non sunt, iustorum beneficio tutas fore. uel si placet figurata sententia, à bonis semitas diuinæ legis, in quibus inoffensè ambules, instauratum iri, ad habitandum in ciuitate Dei, de cœlo descendente. Hanc sententiam Paraphrastes sequitur: מתיב רשיעיא לאורחא. hoc est, Conuertens impios ad legem, quam uidelicet præstent. Sed qua ui præstent? Hanc non Paraphrastes sed Euangelij doctrina explicat.

Si auerteris à sabbatho pedem tuum.) Expositis promissionibus de salute ijs præstandis qui de proximo, sacro amoris spiritu afflati, bene merentur: iam ad primam tabulam legis diuinæ conuersus monet eos salutem adepturos, qui sabbathum sanctè colunt: hoc est, qui suam uoluntatem & studia non sequentes, Deum per amorem luce fidei in ipsorum pectore accensum, in se spirare & agere permittunt, ipsi ab operibus ueteris naturæ uacantes. Quæ summa est Moseæ legis, prima tabula comprehensæ. Dicat aliquis hic: Si non aliter Deus promittit se nos seruaturum, quàm si ipsum amemus, & alterum, nemini sanè ipse salutem dederit. Nemo enim est, qui Deum ex sententia legis amet, & alterum. Nam quis est, qui sabbathum sanctificans, Deum toto pectore amet, eum in se sinens agere, non ipse etiam suas cupiditates & uoluntatem sequatur? quis est, qui alterum ut se diligat? Si igitur promissiones de salute ita seruaturus sit Deus nobis, si ipsum ex legis præscripto, & proximos diligamus: promissam salutem nemini præstiterit. Ad explicandam hanc quæstionem, partitio generum promissionis Dei afferenda fuerit. Vnum genus earum promissionum est, quæ carent conditione ac adiunctione: alterum earum, quæ cum adiunctione enunciantur. Quæ carent conditione seu adiunctione, tales sunt, quibus simpliciter salus citra pactionis ac conditionis mentionem promittitur. Qualis est promissio illa apud Mosem: Nouissimo autem tempore reuertêris ad Dominum Deum tuum, & audies uocem eius, quia Deus misericors Dominus Deus tuus est. Quibus uerbis simpliciter promissa misericordia diuina pœnitentiæ donum, sine ulla conditionis ac adiunctionis mentione electo populo promittitur. Item: In nouissimis diebus circumcidet Dominus uobis corda uestra, ut ipsum ametis. Item talis promissio est illa Hieremiæ: Scribam legem meam in pectoribus uestris, ut ne metuatis. Similiter illa Ezechielis: Dabo uobis cor nouum, &c. Huiusmodi promissiones præstantur sine ratione aut respectu conditionis. Nam in donando spiritu initialis fidei & amoris, per pœnitentiam præparantis uiam ad regnum cœleste, non respicit Deus quicquam in nobis antecedens, cuius gratia nostri misertus,

Deut. 4. 30. 31. 36.

tus, lumen fidei in nobis accendat: sed primum ipse salutis lapidem per gratiam electionis ponens, per excitatam fidei lucem nos, ut amore ipsius, peccatorum nostrorum pœnitentiam agamus, & in filio Messia eius beneuolentiam erga nos sentiamus, incitat. Quò pertinet illud: Conuerte me Domine, & conuertar. Item: Nemo ad me uenerit, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. In altero genere promissionum salus promittitur non simpliciter, sed cum adiunctione. Tales hic, & in alijs locis proponuntur: Si esurienti fregeris panem, si nudum operueris, si egentes uagos introduxeris domum tuam, tunc erumpet aurora modo lux tua. In priore genere promissionum admonemur, à diuina misericordia omnia nostra consilia, conatum & uoluntatem anteuerti, in conuersione nostri ad Deum per pœnitentiam: in altero admonemur, salutem nos non nacturos sine illis initijs, quæ Deus antecedente sua misericordia in nobis inchoat & parat: ut sunt, iusticia fidei reuelatis peccata nobis nostra, in quorum per amorem Dei odium adducamur. Sed quæ est illa salus, quæ nobis per fidei lumen & amoris ignem per fidei facem accensum paratur? Hæc salus cum adiunctione promissa, suas partes habet. Nam quædam in remissione peccatorum cernitur, quæ pœnitentiam suorum peccatorum agentibus, & fidem Euangelio habentibus condonantur: quædam in ijs bonis, quæ consequuntur condonationem peccatorum: ut sunt dona spiritus sancti, quæ credentibus fides de Messia impertit. de quo illud: Hoc autem dixit de spiritu, quem credentes erant accepturi. Præterea in salute ponitur uaria uariarum tentationum victoria, quæ in militia aduersus carnem, mundum & principem mundi reportatur: & tandem possessio ipsius cœlestis hæreditatis, confectis præliis comparata. Hæc promissa salus non conceditur cuiquam sine adiunctione, hoc est, nisi per fidem in filium moliatur pœnitentiam, & patienter ferat afflictiones fide & spe munitus. Sic Abrahamus non prius promissa sobole auctus est Isaaco, quàm credidisset promissioni diuinæ: & per patientiam uariarum afflictionum, probata eius fides, spem non pudefacientem de promissa benedictione excitasset. Idem accidisse Isaaco, Iacobo, Iosepho, & alijs patriarchis, constat. Sic Dauid non antea regnum sibi promissum consecutus est, quàm promittenti Deo fidem contra fidem, & spem contra spem de promisso regno habuisset: & uarijs tentationibus probata fide, suam obedientiam in patienter ferendis malis declarasset. His indicatis, ad explicandam quæstionem aggrediemur. Si nemini Deus salutem dat, nisi qui fidem habeat per amorem agentem: nemini sit daturus salutem, qui neue fidem quam ipse postulat, neue amorem quem lex eius requirit, in quoquam inueniat: qui firmam fidem & perfectum amorem à nobis exigat, infirmam fidem & amorem imperfectum reprehendat. Reprehensio enim illa nota est: Exigua fiducia prædite, cur hæsitabas? Et propter imperfectum amorem cum Dauide rogamus, Ne intres cum seruo in iudicium. Item: Remitte nobis debita nostra. Fatemur perfectionem in nobis & fidei & amoris diuina iusticia postulari. At duplici caussa fit, cur propter imperfectionem Dei bonitas nos non damnet. Vna est, Messiæ perfectio & integritas, quæ fidei lumine filijs regni patefacta, & communicata per imputationem, à patre respicitur, non secus atque si nostra esset: qui intelligat iure communionis, quæ inter caput & corpus & eius membra intercedit, filij integritatem & perfectionem nostram esse, quam diro peccati & mortis iuri opponamus. Altera caussa est, cur Deus propter lumen fidei tenue & inchoatum, & propter amorem non absolutum, nos non solum non damnet, sed etiam amanter amplectatur: quòd quantuscunq; modus lucis fidei & amoris in nobis sese ostendit, is spiritus sacri de oleo Messiæ sumptus modus sit: quem modum propter filium Messiam, & electionis gratiam, ex qua proficiscitur, non possit

Hierem. 31. Ioann. 6.

non gratum habere cœlestis pater. Quare, quamlibet exiguum lumen fidei de Messia luce in electis ortum, & in eum rediens ipsum amplectendo, & quamlibet paruum sacri spiritus amoris ignem de spiritu amoris Messiæ in filijs regni ardentem, nulla contraria neue peccati reliqui in uetere homine, neue mortis, neue inferni, neue mundi, neue principis mundi Satanæ uis extinguere potest. Etenim parua fides & infirma, & modicus amor, quo afflati amanter clamamus Abba pater, tam sanus est, ut quamlibet clarum fidei lumen, & ardens ac perfectus amor: siquidem tam parua fides quàm magna, tam modicus amor quàm uehemens ac ardens, ex perfectione capitis Christi IESV manat, in quo æquè paruuli in fide & magni, infantes & grandes natu Deo patri grati sunt: ut parentibus ex carne æquè chari sunt infantes & adolescentes, & hi atque iuuenes constantis que ætatis liberi, quod hi de ossibus & carne illorum pariter participant: imò infantes eo maiore cura prosequuntur parentes, quo imbecilliores sunt, ac infirmiores. Multo minus infirmitate suorum liberorum Deus pater offenditur, cuius amor cœlestis sit & purus putus, & eius regni infantes diuinæ naturæ consortes sint, ex ea nimirum nati per regenerationem è spiritu sacro Messiæ. Quapropter quod fidentibus Deo, & eum atque proximum amantibus, salus, quam & in præsenti & in futuro seculo adipiscantur, promittitur: ea metienda fuerit ex liberali promissione Dei, & ex Messia filio, qui per spiritum suum in electis spirans & agens respicitur à patre, ut nos ab hoc qui fidem ei habemus, & eum amamus, ab ipso filio quoque amemur, & promissam salutem nanciscamur. Firmum enim est illud: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & aperiam ei meipsum, cum omnibus uidelicet thesauris salutis, iusticiæ, fortitudinis, sapientiæ, uitæ & gloriæ, ac splendoris cœlestis mei regni. Sed percunctetur hic aliquis, ut accipiendum sit, credentibus spiritum sanctum dari, cum potius fides à spiritu dimanet, qui efficiat ut nos credamus in filium. Ad occurrendum huic quæstioni, duo hæc concedimus uera esse. Vnum est, spiritum efficere, ut fide amplectamur Christum iusticiam & uitam nostram. Alterum, fidem in comitatu habere spiritum, quem illa nobis impertiat de Christo. Hæc duo ut probentur uera esse, in spiritu uaria consideranda sunt munera: quorum primum est, electorum mouere pectora, ut credant Euangelio. Vnde Apostolus dicit, fidem spiritus fructum esse, quæ nimirum in nullo locum inueniat, nisi eius cor Messiæ spiritu affletur. Sed quærat hic fortasis aliquis, quomodo intelligatur Christus agere in quopiam, priusquam fide cognitus sit? Christus prius natura in electis agit, quàm per fidem agnoscatur agere. Donum enim fidei à quo proficiscitur? A Christo, & per Christum proficiscitur, quem non antea quisquam agnouerit seruatorem suum esse, quàm ipse per lumen fidei ex auscultatione Euangelij excitatum, ostenderit se Messiam illum esse redemptorem mundi. Vt nemo solem prius uiderit, quàm ipse per radios suos uidendum se exhibuerit. Alterum munus est sancti spiritus, agnito iam Christo cœptam per fidem regenerationem continuare, dum factis incrementis & auctibus perficiatur. Hoc autem perficiendæ regenerationis & patefactionis mysteriorum cœlestis regni beneficium, cum nemo nisi per fidem de Messia ut capite accipiat, dicuntur credentes, quantum ad hoc munus pertinet, spiritum accipere, qui inchoando, continuando & absoluendo regenerationem, omnem salutem electis confiçit. Verè ergo iudicatur, alium amoris Dei & sanctitatis modum in iustificante fide cerni, cum primò hæc amplectitur Christum: alium, ut eum amplexa est. ut alius modus regenerationis utrinque spectatur. Nam in priore illa reuelatione Messiæ inchoatæ regenerationis modus: iam uerò reuelato illo & percepta peccatorum remissione, per suos auctus subinde augescens regeneratio

senti-

sentitur, cum ueteris hominis mortificatione. Itaque & de iustificatione fidei differentes, coniunctim & separatim de regeneratione & sanctitate loqui licet, ea ratione quæ hic & suprà in explicatione iustificationis exposita est.

Facere uoluntatem tuam.) Vt falsum ieiunium reprehẽsum est, quod sine pœnitentia suscipitur: ita præposterum sabbathum hic redarguitur, quòd colentes non Dei uoluntatem, sed suam libidinem exequuntur. Quare ut Iudæi peccarunt ieiunando, de proximo malè merentes: ita peccarunt in sabbatho celebrando, in eo non curantes quæ curari iusserat Dominus. Iusserat aũt in illo suam sapientiam, bonitatem & potentiam, qua mundum condidisset sex diebus, & septimo quieuisset, prædicari. Deinde sabbathum eis mandatum est, in quo sacrę doctrinæ auscultarent, ad parendum ei. Præcipuum enim sacri populi insigne est, habere Dei uerbum, atq; ei obtemperare, ad amplificandũ nomen diuinum. Nam hoc si caret, aut si habet, nec tamen ei paret, pro diuino populo censeri nequit. Postremò iussit in sabbatho familiæ & iumentis requiem concedi, ad fatigatas laborib. uires reficiendas. Hæc non curantes Iudæi, uoluptatibus, auaricię libidini, uanis sermonibus de rebus uanis dediti, sabbathum, quod sanctè habere oportebat, polluerunt. Reducto uelo mystici sabbathi & populi, intueamur tempora profanatæ Ecclesiæ: ut in hac tam multis seculis diuinum sabbathum profanetur, satis est manifestum. Passim porrò non ex uolũtate Dei, sed ex carnis, mundi, Satanis libidine uiuitur: non uia Dei, hoc est doctrinæ Euangelij semita, sed doctrinarum aduersarij callis teritur: passim quoque sacrum sabbathum noui fœderis, quod in fide & spe præsidiorum unius Dei patris in filio sanctificatur, in cultu deorum alienorum polluitur, non celebrata sapientia, potentia & iustícia diuina, in qua sola quies & tranquillitas tenetur: sed potentia, sapientia & iustícia humana, in qua nulla quies, sed omnia turbata cernuntur.

In die sancto meo.) quem ipse sanctificaui, hoc est ad amplificandum nomen meum consecraui. Sic enim in Genesi scriptum est: Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit eum. Benedixit quidem, quòd die septimo res sex diebus conditæ uires suas copiosè ostendere cœperunt. sanctificauit autem, destinando eum ad prædicandam per ocium diuinam suam sapientiam, qua omnia tanta solertia condidisset: & homo admoneretur de quiete à ueteris naturæ operibus agenda, & pacatè se Deo totum fide & spe permittendo, ad comparandum uerè tranquillum & quietum statum, qui non senarij, sed septenarij, quietis nostræ in Deo, status est. *Genes. 2.*

Et uocaueris sabbathum delicatum.) Si in delicijs sacram in Domino quietem habueris, in qua ueteris hominis uanis laboribus, noui & cœlestis hominis Messiæ bonis repleberis: eam quietem & tranquillitatem uerè iucundam & delicatam adeptus, de qua Apostolus, uerum illud & diuinum sabbathum à legali sabbatho adumbratum explicans loquitur: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum. *Rom. 5.*

Dum non facis uias tuas.) non uiuens ex uoluntate carnis, sed spiritu Messiæ, ut dicas cum Apostolo: Non amplius ego uiuo, sed Christus in me uiuit: nõ mortali, sed ęterna, non creata uita, sed ea quę Deus est in Christi spiritu. Dum item non sapis sapientia tua, sed ea sapientia quæ est Dei sapientia, Messias benedictus. non item amplius iustus es alia iustícia, quàm ea de qua illud: Christus est factus nostra iustícia. Sic uiuens, sapiens, iustè degens, non uias suas terit, sed Dei. *Galat. 2.*

Et non inuenitur uoluntas tua.) non tuis cupiditatibus, auaricię, ambitioni, odio, inuidiæ indulgens, sed uoluntati Dei parens, huic te patienter subijciendo in omnibus afflictionibus: agnito has Dei opus esse, quo adducare ad patientiam, per hanc ad probatæ fidei robur, inde ad spem pudorem nunquam

offundentem de salute in filio & per filium Messiam comparanda. Qui sic compositus est beneficio regenerationis, uerè sabbathum sanctificat, non suam uoluntatem sed Dei perficiens: non suas uias, sed Dei calcans: non uanum de rebus uanis sermonem habens, sed diuinos & ueros sermones, de quibus sequitur:

Vt loquaris sermonem.) uanum uidelicet: sed quo illustretur nomen Dei, & pij ædificentur. Trium meminit, quorum in colendo sabbatho sit habenda ratio: uoluntatis, morum, & sermonis: ut uoluntas diuinę uoluntati, mores gubernatæ spiritu Christi uoluntati, & uoluntati honestisq; moribus oratio consentanea sit, atq; ita ad normam diuini spiritus omnia in electis quadrent & respondeant. Atque in hac conformatione omnium in homine ad diuinam uoluntatem, iustitia diuina sanguinis ipsius Christi merito reparanda cernitur: quam amissam culpa primorum parentum, originis uitium contrarium iustitiæ diuinæ consecutum fuit.

Iustitia diuina. *Vitium originis.*

Et sustollam te super altitudines terræ.) In sublimem gloriæ statum cum Christo, qui laborum cursu in humili statu confecto, ad glorioſam quietem translatus est. 11. de qua re supra: Et requies eius in gloria. Alluditur ad Chananæam in sublimi sitam, in quam ex humili Aegypto egressi Israelitæ, completis peregrinationis in Arabum solitudine laboribus, sublati sunt. Quæ Chananæa Israelis hæreditas appellata, ad quam hæreditatem considerandam auocet piorum animos, satis liquidum. Est enim terrestris & cœlestis Chananæa, ut terrestris & cœlestis paradisus, terrestris & cœlestis Hierosolyma.

Et cibabo te hæreditate Iacob patris tui.) cœlesti hæreditate, quę hereditas Dominus ipse est in Christo filio, ab electis possidendus. Sic enim is in Leuitico de se loquitur, ad Leuitas: Ego pars & hæreditas tua. Ex quibus uerbis, subducto uelo Leuitarum, intelligimus, uerorum sacerdotum, hoc est regeneratorum ex regij sacerdotij spiritu, Deum ipsum in Christo hæreditatem, hoc est uitam, sapientiam, iusticiam & gloriam esse. De qua benedictione cœlestis hæreditatis in Messia semine Iacob electis assignanda, in hunc modum in Genesi scriptum legitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hoc autem semen sacrosanctum Messias est, in quo filij Dei cœlesti hæreditate cibantur. Sic enim hoc semen Iacob de se dicit: Ego sum panis uitæ. *Ioan. 6.*

IN IESAIAE CAPVT QVINQVAGESIMVM NONVM.

ECce *non abbreuiata est manus Domini.*) Hæc concio oracularis, ad superiora cohærens, hæc ordine continet. Primò, in ea grauis & seuera scelerum reprehensio instituitur. Deinde, supplicia & afflictiones, quibus improbitas punita est, commemorantur. Tertiò, ut confiteantur tandem rebelles delicta sua, ostenditur. Demum, salutaris aduentus seruatoris Messiæ, Israelitarum uitia purgaturi. Vbi perpetuus prophetarum mos, quem in prophetando tenent, obseruandus fuerit: ab his uidelicet sub figura & persona Israelitarum, ea quoq; præsignificari, quæ Ecclesiæ in finem usq; mundi accidunt: ut hæc intelligat, sacris literis proditam siue reprehensionem siue consolationem ad se quoq; pertinere. Statim autem ab initio misere afflictorum obiectionem per occupationem diluit, remouens à se suspicionem inclementiæ & infirmitatis, qui neue tam inclemens sit, ut non uelit tot & tantis malis affectorum preces exaudire: neue tam infirmus, qui suos liberare non possit. Sed quòd non exaudiuntur, ipsorum culpam in caussa esse, non suam uel inclementiam, uel imbecillitatem. Ad quæ autem præcipuè tempora hæc criminum reprehensio pertineat, declarat ipse Apostolus in epistola ad Romanos, ubi indicat, redemptorem Sion nouissimis temporibus uentu- *Rom. 11.*

rum,

rum, qui domum Iacobæam liberet, & eius improbitatẽ abstergat. Sed quam improbitatem? hæc sequentibus uerbis explicatur.

Ecce non est abbreuiata manus Domini.) potentia eius, quæ quà cœlum, quà terra, quà omnia quę cœlo & terra continentur, patẽt, extenditur: pronior ad seruandum, quàm perdendum.

Neq; aggrauata est auris eius.) quæ tam acris est, ut prius exaudiat, quàm afflicti clament, ut infrà legitur: Eritq; ut antequam clament, ego exaudiam.

Sed iniquitates uestræ.) non mea uoluntas, qua propensus sum ad miserendum.

Diuiserunt.) quos probitas arctissimo uinculo coniungeret, improbitas dissociat, inter utrosque interiecta nube, de qua Ieremias in Threnis: Nos iniquè egimus, & rebelles fuimus: idcirco inexorabilis fuisti, & absconsionem posuisti per nubem tibi, ne transeat oratio. Vnde intelligimus, probitati fidei & spei, misericordiæ thronum patêre: non improbitati perfidiæ & diffidentiæ, qua detrahitur gloria potentiæ & bonitati diuinæ, ut per fidem & spem tribuitur. *Thren.3.*

Et Deum uestrum.) ex fœdere uobiscum icto: sed quod uos uiolastis rebellione uestra, non ego, non seruando quæ promisi maioribus uestris.

Et peccata uestra absconderunt faciem eius.) patefaciendã in Messię uultu obsequentibus filijs per fidem, non rebellibus per perfidiam.

Manus uestræ.) quæ ad benefaciendum datæ sunt uobis à Deo, non ad malefaciendum: ad imitationem serpentis diaboli, autoris maleficiorum.

Pollutæ sunt sanguine.) uos agente Satana, qui ab initio homicida est: non agno Messia, qui in hunc mundum uenit, cui det uitam, non eam auferat. Genere scelerum perstricto, iniquitates uestræ diuiserant inter uos & Deum uestrum: iam per distributionem partes perstringit, à sanguinarijs exorsus manibus. Si tempora Achabi & Manasis spectes, legis in historia Regum, tantum sanguinis innocentis fusum, ut eo passim Hierosolyma repleretur. Sin uerò tempora Messiæ præsentati in mundum consideres, ut hunc insontem necarint, palàm est: ob quem peremptum, quantis calamitatibus rebelles ludæi premantur iam multis seculis, eorum exilium & miserabilis cæcitas documento est. Sin uerò Antichristi secula perpendas, ut in hanc reprehensionem, Manus uestræ pollutæ sunt sanguine, incurrant ij qui se patres, pastores & doctores Ecclesiæ, eius que defensores profitentur, nostra & superiora secula demonstrant. Quis porrò ob confessionem sacri Euangelij paucissimis annis in Europa fusum sanguinem enumeret? id que fit illius instinctu, qui se sanctissimum (si Deo placet) patrem uocat: & seruus seruorum, fœda simulatione Christi, appellari sustinet: cum eo nihil profanius sit, sub serui titulo dominatum in omnia sibi uendicans. Huius furorem, regni tenebrarum cardines hypocritæ, monachi, pseudoprophetæ, imitantes, nihil aliud clamant, quàm illud quod Iudæi clamauerunt, Crucifige, crucifige: sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et hoc faciunt, cum sua ieiunia, sabbatha, cum sua sacra, cum suas εἰς πόρκας mittendas missas celebrant. Verè igitur diuinus spiritus suprà conqueritur, è mundo tolli sanctos: Iustus perit, nemine animũ aduertente. Quòd si contingeret IESVM CHRISTVM crucis forma in mundum ad nos redire, qua ad Iudæos uenit, non minore supplicio afficeretur, quàm à Iudæis affectus est: cum eos qui nomen huius confitentur, ita crudeliter reste, igni, gladio, persequentes interimant, Christum in his quoque immaniter insectantes: quem occidunt, qui eius sanctos occidunt. ut ipse cum Paulo expostulans dicit: Saul Saul, cur me persequeris? *Actor.9.* Odio nos habemus Iudæos, & quidem meritò, quòd Christum odio habent: at ut odiant etiam Christum, qui eius Euangelium damnant, huic humanas doctrinas præferentes, satis constat. Damnantur Iudæi, quòd Messiam

siam necarunt: ut hunc necent, qui eius cultores necant, intelligitur ex coniunctione qua Christus caput cum suis membris coniungitur. Blasphemarunt, & etiamnum blasphemant Christum Iudæi: sed multi eorum per ignorantiam, ut de eis testatur scriptura. Christus, ut ab ijs qui nomen eius ore sonant, corde ab eo longè absunt, conuicijs proscindatur, palàm est. Reprehenduntur Iudæi, qui ceremonias à Mose traditas, & tempore exhibiti in mundum Messiæ abolitas, quantum in ipsis est, persequuntur. At nos ceremonias partim ex Mose receptas, partim gentiles, partim de nouo à pastore illo stulto excogitatas, Euangelij libertati prorsus aduersas, obseruamus. Quod Euangelium passim contemnitur, aduersarij doctrinis receptis: cum Iudæi Mosem retineant, eum pueris suis ab infantia instillantes: penes quos, nisi diuina prouidentia Mosem & Prophetas Hebræa lingua loquentes conseruasset, nos his temporibus hoc cœlesti thesauro careremus: quibus, quod hodie callemus Hebraicè, hoc tantum beneficium debemus. Si idololatriam consideres, hac quidem interiore multiplici Iudæi defœdantur, externa carentes: nos & interiore & exteriore iam multis seculis ita uitiati fuimus, ut nulla gens unquam fuerit, quæ idolorum cultu non uel æquata, uel superata à nobis sit. Damnantur Iudæi fœneratoriæ artis: ut hac hodie illos uincamus, etiam inter nos ea de re querela est. & quòd ex usuræ turpi quæstu uiuunt, nostra culpa fit, qui honestam quærendi res necessarias ad uictum & cultum uitæ rationem eis negamus. Quapropter si rectè uere'que iudicamus, quas Prophetæ instituunt reprehensiones in Iudæos, eas ad nos quoq; pertinere, debemus intelligere.

Labia uestra.) quibus doceri & celebrari conueniebat ueritatem, & in quibus ueritatis doctor spiritus Christi uersari debebat, non doctor mendaciorum spiritus draconis. Manibus reprehensis, ad labia quoque reprehendenda progreditur.

Locuta sunt mendacium.) ad imitandum illum, de quo ueritas ipsa Messias sic loquitur: Et in ueritate non stetit, quia ueritas in eo non est: cum loquitur mendacium, ex propris loquitur, quia mendax est, & eius rei pater. Redarguuntur hic pariter doctores & discipuli, & qui præsunt & qui parent. illos falsa & mendacia docere, contempta uera & cœlesti doctrina: hos eis fidem habentes, labia sua non ad laudandam ueritatem, sed ad mendacia dicenda conuertere. Si respicis doctorum linguam in Iudæa gente, audias eorum falsam & plenam superstitione ac hypocrisi doctrinam: sin in aduersarij regno doctores Ecclesiæ, quid quæso labia eorum præter missas, cultum diuorum, merita, indulgentias papisticas, purgatorium, delectum ciborum, uestium & dierum sonare audias, mera mendacia & uanitates? Sin uerò priuata labia & linguam consideras, quid in multis audias quàm mendacia, quæ in rebus contrahendis, emendis, uendendis'que eduntur? Quò pertinet illud Ieremiæ prophetæ: Vaticinabantur mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus & pedibus, & populus meus dilexit talia.

Ioan. 8.

Ierem. 5.

Non est qui inuocet iusticiam.) Non esse, qui iustè clamet. Si in Ecclesia doctores spectes, requiri qui iustè, rectè & uerè doceat, obiurget, acriter'que & liberè in scelera inuehatur, pietatem laudet, rectè consoletur afflictos, de quo munere suprà: Clama, ne cesses, instar tubæ extolle uocem tuam. Sin ciuilem clamorem consideres, in ciuilibus iudicijs desiderari, qui iustè clamet, hoc est iudicet, & ea in priuatis & publicis deliberationibus curet, quæ sint è republica: dum non publica utilitas quæritur, sed priuata: non publica honestas spectatur, sed uitijs habenæ per improbum magistratum ambitioni, auaritiæ, libidini, luxui, & alijs criminib. obnoxium laxant. Qui ne si alios ob flagitia condēnet, ipse se quoq; condēnare uideat, scelera quæ uulgo cōmittunt, impunita relinquit,

relinquit, magno Reipublicæ detrimento, & nominis diuini opprobrio. Quod honestatur, conseruata pietate & honestate morum. Hi non perpendunt, quis bonus rerumpublicarum status sit: eum uidelicet bonum esse, cum ciues magistratui parent, & magistratus legibus, honestè uidelicet uiuendo, sanctèq; & rectè ius dicendo. Quod fit, cum ex legum & æquitatis, interpretis legum, præscripto uiuitur, non cupiditatibus & affectuum libidini indulgetur.

Sed confidunt in nihili.) Reprehensio à fiducia rerum uanarum. In rebus autem uanis continentur, quibus extra & præter Deum confiditur: ut sunt opes, amici, humana prudentia, omnis cultus & religio doctrinæ diuinæ non consentanea, & omnis extra Messiam quærendi salutem uia. Hac uanitate omnia apud scribas & pharisæos temporibus Apostolorum repleta erant: & perfecta eorum legatione, eadem uanitate Ecclesia in regno filij perditi aspergi cœpit. Miserabilis est hæc uanitas, quæ & salutare lumen fidei, & spem ex eo nascentem, desiderari & abesse indicat. Nam ut, nisi fidei lux in corde tuo luceat, promissis Dei non credes, quæ illis tanquam ancora in mari iacta nitur: ita absente fide spes uera locum non inueniet, quæ promissam salutem à Deo & fidei face ostensam expectat, unius Dei promittentis ope & præsidio septa ac uallata. Ex qua consideratione cognoscitur, quid inter falsam & ueram fidem ac spem interst: de quo discrimine alio loco mentio facta est. Et ut in falsa religione spes in rebus uanis ad comparandam salutem ponitur: ita etiam in rectione rerumpublicarum non desunt præsidia uana, quibus ad eam tuendam confiditur: ut sunt thesauri ex pauperum dira uexatione collecti à tyrannis, munitiones, fœdera cum impijs à uera religione alienis contracta. Hæc & eorum similia inania, quibus fiditur, postpolita honestatis publicæ & metus diuini cura, Propheta noster apta uoce תהו uocat, de qua suprà.

Et oua aspidum ruperunt.) Similitudine uanitatem declarat, quam ab aspidum ouis sumit. Vt ruptis ouis uiperæ, exitialis partus exit: sic pernicialis partus est, quem impiorum consilia & falsorum doctorum doctrinæ afferunt: qualis fœtus, letalis Alcorani Mahumetani, & bestiæ super septem colles sedentis falsa religio, fœtus est. Quæ duæ beluæ, uno ferè tempore omnia in orbe terrarum deuastarunt: tempore uidelicet, quo Phocas imperium per malas artes & tyrannidem adeptus est. Quare dignus est dominatus mitratæ bestiæ, qui in reliquas ecclesias à tanto tyranno originem traxerit, non Christo, sed draconе autore.

Et telas araneæ texuerunt.) Aliud simile. Quid inanius telis araneorum, ad texendum ex eis uestimentum? His similia esse consilia & studia impiorum, & pseudoprophetarum doctrinas. Viperæ igitur ut excludantur, & telæ araneorum texantur in regno stulti pastoris, palàm est. Inter serpentes uenenatæ maximè sunt aspides, & omnium uenenatorum pestilentissimæ. Scriptores tradunt, amplius quatuor horas, quos momorderint, uiuere non posse: & cum uiperæ & aliarum serpentum morsus remedio non careant, solum aspidis morsum curari non posse. Hanc etiam ferunt duplicem linguam iactare ac uibrare, ad mortiferum uenenum fundendum. Tale uenenum ferunt in lingua sua falsi doctores, quorum lingua draconis & aspidis Satanæ lingua est: qui ore suo ut letale uenenum fundat, experti sunt primi parentes: & experiuntur omnes, quos is errorum ueneno per suum filium peruersum, & eius mendaces uates, ministros errorum, interficit.

Pedes eorum ad malum currunt.) Suprà manuum, hic pedum meminit, manibus, pedibus, ore, animo, ad scelera patranda eos promptos esse: quibus ad glorificandum nomen Dei, & ad benefaciendum alteri, paratos esse conueniebat. Sed ab his contraria fieri, ut sequitur:

Vastitas

Vastitas & contritio.) Omnia ab his uastari & proteri. Intueamur tempora bestiæ, à qua ut omnia miserè in domestica, ciuili & Ecclesiastica gubernatione deuastentur, sæpè indicatum.

Viam pacis nescierunt.) imitãtes Satanam discordiæ autorem, & profligatorem pacis, tum interioris tum exterioris. Nam introducto in mundum peccato, soluta pace conscientiæ, & consensionis omnium partium hominis inter se cum Deo, dissidium perniciale conflatum est, in quo caro cum spiritu mentis perpetuum bellum gerit. Sin externa spectes dissidia, omnis discordiæ tum priuatæ inter priuatos domi & foris, tum publicę, rerumpub. & regnorum, idem ille Satan machinator est, & autor. Hunc architectum odiorum, inuidiæ, dissidiorum & bellorum, eius ministri, impij in terra homines imitantes, omnia tum in imperijs, tum in Ecclesia conturbantes, concordiam & pacem (ut hic dicit uates) nesciunt. Contrà compositus, pacificus agnus Messias est: qui in hunc mundum uenit, ut dissolutam pacem repararet & componeret, pacificatis omnibus quæ in cœlo & in terra continentur. Is dicit: Pacem relinquo uobis. Satan dicit, cum suo filio perdito: Bellum relinquo uobis. alter dicit: Beati pacifici. alter uerò: Beati bellifici. alter filios cum parentibus per spiritum concordię, ut est apud Malachiam, consociat: alter per spiritum discordiæ, domi & foris intestis dissidijs omnia replens, dissociat.

Coloss. 1. *Ioan. 14.* *Malach. 4.*

Non est iudicium in greßibus eorum.) Amplificandi gratia repetitur eadem sententia, In callibus eorum non esse ius. ut qui regantur spiritu draconis, peruersoris omnis iuris & æquitatis: non spiritu agni, de quo suprà, Qui iudicabit in iustitia.

Semitæ eorum incuruatæ sunt eis.) Vias eorum peruersas esse. Sed quę sunt hæ uię? Præcessit, Cogitationes eorum cogitationes uanæ. Hæ peruersæ dicuntur, cum ad legis diuinæ normam non quadrant: rectæ uerò, cum quadrant. Nam una lex & doctrina Dei docet, quis rectus status sit, quem Deus probet: eum uidelicet rectum esse, qui amori Dei & proximi quem lex præcipit, respondeat: cum uidelicet Deus præ omnibus diligitur, & secundum Deum homo Deo proximus, & pari tecum dignitate præditus: & cum post hominem quæque natura condita, ea existimatione perfectionis, quam à Deo accepit, habetur. Hunc ordinem qui peruertunt, uias suas peruertere dicuntur: ut cum deos alienos colunt, uiolata & imminuta gloria Dei: cum elementis mundi, cum astris, cum bestijs diuinitas iungitur, ad illa colenda: cum diuis & angelis, inuocationis honor designatur, cum parentes dehonestantur, alterius bona diripiuntur, adulteria committuntur & stupra, sanguis innocens funditur, falsa testimonia ad alterum opprimendum dicuntur. Hæc qui faciunt, quoniam ordinem & statum congruentem ad regulam legis diuinæ de amore Dei & proximi peruertunt, uias suas peruertere dicuntur: ut contrà eas rectas custodire, si consentaneè amori Dei & proximi uixerint. Est enim amor ille sacer iustitia Dei, non piacularis, sed conformans animos nostros diuinæ uoluntati per fidem de Messia electis communicanda, qua rectus status conseruatur: & ea si absit, amittitur. Vt autem bifariam uiæ rectæ deprauentur, docendo & uiuendo, id aliàs indicatum est.

Rectus status.

Propter hoc elongatum est iudicium à nobis.) Accusationi à Propheta institutæ subiungitur responsio, qua conuicti criminum à Propheta obiectorum, ad concessionem & deprecationem se conuertunt, confitentes culpam, & eius ueniam sibi fieri postulantes. Sed quo tempore hæc confessio præcipuè fiet? His nouissimis patefactionis filij perditi, & reconciliationis Ecclesiæ ex Israelitis & gentibus describendæ, temporibus fiet. Sed quid confitebuntur? Primò confitebuntur, ab ipsis iudicium seu ius longè abesse, & à iustitia se non apprehensos: hoc est, eam se non assequutos. Proinde secum pro æquitate talionis

lionis lege agi: hoc est, iure se tot malis & afflictionibus infestari, & hostium iniuriæ se patere, nullo neque iure neque iusticia ipsos defendente, qui ius & iusticiam neglexerint, insontibus non solum non defensis, sed etiam ipsis omni genere fraudis & iniuriarum oppressis. Iusta confessio hæc est, nata ex consideratione mensuræ illius, de qua omnium factorum bonorum & malorum mensurator Messias his uerbis meminit: Qua mensura uos metimini, eâdem metientur nobis alij. *Matth. 7.*

Expectauimus.) iam multis reiectionis nostri & profanationis seculis.

Lucem.) redemptionis ex tam misero statu lumen.

Et ecce tenebræ.) ignorantiæ Dei & eius filij Messiæ, & afflictionum tenebræ: quæ nobis, regno & sacerdotio, luceq; oraculorum priuatis offusæ sunt. In quibus tenebris ab Antichristo illatis, Ecclesia ut conqueratur se circumuallari, hodie incipimus agnoscere.

Et in tenebris ambulauimus.) repudiata luce Messiæ.

Palpauimus sicut cæci parietes.) Hæc antea prædixerat Moses in Deuteronomio: Percutiet te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris. De hac cæcitate supra Propheta noster, ex sententia Mosæ: Excæca cor populi huius. Quàm latè autem excæcatio hæc pateat, suprà monstratum. Cæterùm cæcatio hæc non est priuatio cuiusuis lucis: non enim lucis naturæ, sed lucis de qua lux ipsa, Ego sum lux mundi. Nam qui sapientia uigent, quam lux naturæ ueteris format, maximè cæci à Messia iudicantur, ut id aliàs indicatum. *Deut. 28.* *6.* *Ioan. 8.*

Impegimus meridie.) clarissima Euangelij luce fulgente, sed quam non uideremus cæci. Si Christi uersantis inter Iudæos, & Apostolorum tempora spectes, ut scribæ & Pharisæi meridiana luce Messia splendente impegerint, declarat Ioannes his uerbis: Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non apprehenderunt. Nostri scribæ & pharisæi satis hodie noti, ut offendant, meridiana Euangelij luce fulgente, clarum est hodie: inter quos quoque sunt, & erunt, qui suas tenebras & cęcitatem confitentes, liberè testabuntur: Attrectauimus ut cæci parietem, & tanquam oculis capti palpauimus, impingentes in meridie. Nihil refert exempla quę nota sunt, producere. *Ioan. 1.*

In caliginosis quasi mortui.) Variant interpretes in explicatione uocis אשמנים. Alij decidunt à שממה, ut sit sententia: In desertis locis iacuimus, ut mortui. Alij ab אשם, in damnatis ac deuotis locis, quæ piaculum sit attingere, mortui iacemus, planè contempti & detestabiles. Qua loquendi phrasi summus contemptus & opprobrium significatur, quibus honesta sepultura inter honestos minimè sit concessa, sed probrosa. Quòd se mortuum fatentur, idipsum est quod Apostolus dicit: Quæ assumptio nisi uita ex mortuis? Nam uerè mortui sunt, qui Messiæ spiritu carent: qui præstat in regeneratione ex eo natis ad uitam æternam, quod anima præstat animantibus ad uitam mortalem, quę in his fluxis & lubricis seculis degitur. Si desertum ex Hebręa uoce placet, occurrit solitudo & desertum in quod mulier Ecclesia exposita est temporibus filij perditi, de quo aliàs ex Apocalypsi Ioannis. Sin uerò damnati & deuoti loci arrident, quàm execrabili opprobrio affecta sit electorum Ecclesia, profanante eam dracone per bestiam ex terra ascendentem, palàm est, & nos id hodie confitemur nostra salute: & idem Israel mysticus confitebitur, ut cœperit ei lux Messias illucere. *Rom. 11.* *12.*

Rugimus ut ursi.) Ab ursi fame lacessiti fremitu, & à columbarum gemebunda & querula uoce, similitudo amplificandi luctum gratia mutuatur.

Expectauimus iudicium.) uindictam in nostros hostes. Suprà: Longè abest iudicium à nobis.

Salutem.) Suprà: Et non apprehendit nos iusticia: Repetitur eadem sen-

tentia, ſed alijs uerbis. Sed cur abeſt à nobis expectanda ſalus? Sequitur:

Multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ.) Libera confeſsio, & ad ſalutem his poſtremis temporibus Iſraelitis & gentibus neceſſaria. de qua confeſsione Moſes in Leuitico his uerbis prædixit: Et confitebuntur iniquitatem ſuam, & ego recordabor fœderis mei. 26.

Coram te.) ſpeculante bonos & malos. De quo Salomon in Prouerbijs: In omni loco oculi Domini, ſpeculantes bonos & malos. de quo etiam præclarè Sibylla: Prouerb. 15.

Οὐ λήσει θεὸν ὅσσ' ἐπιφράξατε, πάντα γὰρ εἰδεν.

Et peccata noſtra reſponderunt nobis.) conuicerunt nos reos teſtimonio conſcientiæ: quod in loco reſpondere eſt huic linguæ. Hoc genus teſtificandi lege accuſante & condemnante peragitur, de quo horribili accuſatore & iudice Dominus: Eſt qui accuſet uos Moſes, uidelicet per legem. Hæc igitur tantum abeſt ut iuſtificet, ut etiam accuſet & damnet. Ioann. 5.

Quia ſcelera noſtra nobiſcum.) Phraſis Hebræa indicat, eos deprehenſos & conuictos ſcelerum, quæ diſsimulare & tegere nequeant.

Peccare & mentiri contra Dominum.) Genere memorato, partes delictorum enumerat. Hebræa uerba oſtendunt, ipſos à Domino defeciſſe, fœderis fide uiolata. Notum enim eſt deficiendi uerbum משׁע, & fidem fallendi בחשׁ. Fons & caput omnium criminum perfidia attingitur, quæ in negato Meſsia, unico fœderis diuini arbitro, ſe prodit. Tribus uerbis utitur diuinus ſpiritus, quibus rebellio & defectio indicatur: deficiendi ab imperio, fallendi fidem, & à Deo recedendi. uerbum נסוג eſt. Se defeciſſe, fidem fefelliſſe, & à Deo non ſerudão eius legem, receſsiſſe, deſertis ducis Meſsiæ ſignis, indicat.

Vt loqueremini calumniam.) peruerſa, hoc eſt amori Dei & proximi aduerſa, quibus & Dei honos imminueretur, & proximus euerteretur. Tale ſonat עקשׁ. Salomon in Prouerbijs per contentionem ipſi iuſticiæ (quæ eſt conformatio cogitationum, dictorum & factorum ad legem diuinam, de amore Dei & proximi) opponit עקשׁ, hoc eſt peruerſitatem. Sic enim ſapientia loquitur apud Salomonem: Ineſt in ſermonibus oris mei iuſtícia, non prauitas aut peruerſitas. Prouerb. 13.

Et tranſgreſsionem.) Locutos quæ ſpirarent rebellionem, quæ auerterent à recto ad prauum, à uero cultu Dei ad falſum. Eſt enim סרה, ἀποστασία apud Ieremiam. Et quod סרה locutus es contra Dominum. 28.

Et locuti ſunt in corde uerba mẽdacij.) Aduerſus Deum & proximũ. aduerſus Deum quidem, ſimulantes probitatem ore, pectore odium & cõtemptum ſpirantes. Hinc apud Oſeam, Ephraim arcus fallax uocatur: Facti ſunt arcus fallax. ea phraſi hypocriſi notata, quę præferat ore fidem, corde ſequatur Deos alienos. Venuſta ſimilitudo ab arcu mutuatur, minante ſagittarum iactum, ſed quas é neruo mittere delumbatus nequeat: ita omnia fallacia eſſe in hypocritis. Non aliter comparatos ſe erga proximos eſſe confitentur, quos fallendi & circumſcribendi gratia, aliud ipſos corde ſentire, aliud loqui & ore promere non pudet, quod eſt שׁקר. Tale cor & linguam ut odio habeat Deus, indicat Salomon in Prouerbijs: ubi ſex Deum odiſſe memorat, de quibus ſuprà mẽtio facta eſt. Oſee 7. 6.

Quia corruit in plateis.) Cauſſarum tantorum malorum commemoratio hic retexitur.

Veritas.) Hypocriſi, ſimulationi, mendacijs, de quibus præceſsit mentio, אמת, hoc eſt ueritas & fides opponitur. animos, ſermonem & facta cum uerbo Dei per fidem, per amorem non fictum agentem, conſentientia, deeſſe ſibi conqueruntur. Eſt enim uerum, id quod integrum, purum, ſyncerum eſt. Atque id primò in Deo cernitur, qui ipſa ueritas, ſyncerítas & integritas eſt. Deinde ſpectatur in ijs quæ Dei conſortia ſunt. Nam unumquodq; , quantum de Deo participat, tantum uerum eſt. Sic in omnibus rebus à Deo conditis,

ditis, uerum quiddam inuenias, ut bonum: in ijs autem naturis quæ per regenerationem è sacro spiritu Dei natæ sunt, præcipuè ueritas in Messia ueritate Dei elucet & apparet. qui uerbum & exemplar illud est, cui quodque ut consentit, ita uerum est. Quare rectè ueteres dixerunt, quæ fiunt, habere causſam efficientem, exemplarem & finalem. A' Deo enim, & per Deum, & in Deum, fieri omnia quæ fiunt. A' Deo, ut efficiente causſa, quod sunt, habent: quod uerum sunt, per eius uerbum Messiam uerum sunt, cui cum ut exemplari causſæ respondent, ueri rationem tenent. Quòd uerò bonum sunt, ex eo bonum sunt, quòd in Deum ut finem referuntur. Hinc appellationes rei, ueri & boni natæ. Itaq; Messię cognitione qui carent, meritò confitentur id quod hic legimus: Quia corruit in uicis ueritas. hoc est, passim aduersario mendaciorum parente, & hoste ueritatis, omnia per suos fucos & hypocrisim corrumpente, nihil neque publicè (doctoribus non ueritatem, sed mendacia docentibus, & in foro iudicibus falsa iudicia exercentibus) neque priuatim omnibus mendacijs & fraudib. repletis, synceri reperitur, quod congruat synceritati & ueritati Deo in Messia benedicto.

Et æquitas.) Hebræa uox נכחה rectum, hoc est à norma legis diuinæ non abscedens significat, & quod præsentiam oculorum Dei ferat. Similiter Amos: Nescierunt facere rectum. Per prosopopœiam inducuntur ueritas & rectum offendere in uicis, ut incedere nequeant: hoc est, officio & munere suo per hominum improbitatem fungi. *Amos 3.*

Et facta est ueritas in obliuionem.) Instar gregis in caulam secluſi coarctata est, ut nusquam appareat: quod est נעדרת. Veritatis lucem, quam oportebat in aperto lucere, in obscuro loco latêre absconditam: quòd eam doctores mendaciorum, qui filij tenebrarum, non lucis sint, minimè ferant. Suprà platearum & uicorum meminit, in quibus corruat ueritas: hic anguſtorum locorum, quibus concluſa sit, mentio fit.

Et qui receſsit à malo, prædæ fit.) Probos uiros se aliorum prædæ exponere, propter ueritatis profeſsionem. Intueamur, præter superiora, hæc nostra secula: quæ in tota Europa mala ueritatem Messiam contra aduersarium confitentibus accidant, palàm est. Quorum fusus sanguis, clamore suo thronum ipsum Dei ad uindicandam tantam tyrannidem sollicitans, de prędatorum iniuria & ui testimonium dat. Vera docentes pseudoprophetarum calumnijs patent: corrupti erroribus & affectibus iudices, probos falso iudicio opprimunt, & improbos absoluunt. Sed tantam electorum miseriam, ut tandem respiciet Deus, sequitur:

Et uidit Dominus.) clementiæ oculis tantam Eccleſiæ miseriam intuens.

Et malum apparuit in oculis eius.) grauiter ferens, abeſse iudicium: hoc est, ultionem aduersariorum, & Eccleſiæ liberationem.

Et uidit quia non est uir.) Qui tam afflictę Eccleſiæ opem ferret, aduersario omnia depopulante & uastante.

Et aporiatus est.) Stupor abominantis in Hebræo uerbo significatur. Exprimitur in hoc uerbo uehemens mariti Messiæ in sponsam suam amor, qui ἀνθρωποπάθως abominationem & detestationem sibi affingit, quod illam tanto tempore hostibus defœdãdam permiserit, uindicis iure & interceſsoris officio omni ablato, ut præceſsit & sequitur:

Quia non est qui occurrat.) qui intercedat, placando Deum precibus. Indicat diuinus spiritus, spiritum precum temporibus profanationis Eccleſiæ defuisse: atq; hanc deſolationem loci sancti in causſa esse, cur Dominus ad liberandam suam sponsam fortiter se sit accincturus, ut sequitur. Notum uerbum occurrendi & intercedẽdi est מיתגרע, pro quo Paraphrastes reddit. Quòd non esset qui staret ad precandum pro eis.

Et *saluabit sibi brachium suum.*) Messias unicus interceſſor, arbiter & placator Dei. Hunc seruare suos suo sibi brachio, sua ipsum fultum iusticia. Hic cognoscitur, quem Deus ordinem in promissis suis præstandis quasi perpetuum ten eat: nō prius hanc potentiam brachij sui ostendere, & fœderis sui fidem & promissa implere, quàm omnia ita sint facta desperata, ut nihil minus ui deatur futurum quàm ut lux aliqua salutis affulgeat. Sed cur id diuina ratione accidit? Accidit sanè, ut electorum fides per uarias afflictiones, quasi per ignem probetur, & Dei potentia in hostes patefiat, & bonitas atque fides erga eos quos diligit declaretur. Quare quod legitur hic, Ipse saluabit sibi: intelligimus, Messiam suam gloriam tot seculis dracone totum orbem terrarum seducente, obscuratam, tandem asserturum. ut sequitur:

Indutus est iusticia.) A Propheta Messiæ armatura & militaria indumenta describuntur, quibus indutus prælium cum hostibus suis & Ecclesiæ sit initurus. Aduersarius cum suis tyrannis induitur crudelitate, qua iusticiam opprimat. Contrà Messias legitur indui iusticia, qua iniusticiam euertat. Aduersarius galea, non salutis, quam afferat, sed exitij, qua omnia perdat, induitur. Contrà Christus salutari galea armatus, salutem mundo apportat, exitio profligato. Demum aduersarius ultionis uestimēto amicitur, quam de probis sumat: Messias ultione uestitur, quam de improbis & sceleratis expetat, probis defensis. Quapropter legitur hic indui iusticia, qua ipse uindicet in impios, & liberet suos, eis sua iusticia de sua plenitudine communicata, ut contra hostes tuti sint. Non enim sibi solus induitur iusticia, sed suæ sponsę Ecclesiæ, cuius iusticia, sanctitas & redemptio sponsus Messias est. Qui suprà conquesti fuerant à se longè stare iusticiam: hic eam propè adesse intelligunt.

Et *galeam salutis.*) Qui suprà conqueruntur, Expectauimus salutem, & procul aberat à nobis: hic eam adesse sentiunt.

Vestimentis ultionis.) sumendo de aduersario, extollente se supra omne id quod est numen Dei.

Et *opertus est quasi pallio zeli.*) ἀνθρωποπαθῶς zelotypus sagatus Messias inducitur, qui zelotypia incitatus de adultero Antichristo, cum quo Ecclesia longo tempore adulterata est, pœnas expetiturus sit. Sic enim de hoc adultero loquitur
Oſee 2. Oseas: Sequar amatores meos, qui mihi panem, aquam, lanam, oleum, potionem præbeant.

Et *timebunt ab occidente.*) Explicatur fructus, quem Messiæ cœlestis armatura & prælium allaturum sit: hunc cerni in liberatione Ecclesiæ, quæ ab oriente & occasu fidei & amoris cultu Deum patrē in Messia filio sit cultura, quæ antea aduersarium sedentem in loco sancto coluisset. qui Messias uocatur hic nomen Iehoua, ut id suprà capite nono indicatum est. Indicat Propheta, impletum
Geneſ. 17. iri, quod Abrahamo antea promissum fuerat: In semine tuo benedicentur omnes gentes. De quo Dauid præcinuit: Cōuertentur ad te omnes fines terrę. Similiter suprà Iesaias: Et fluent ad eum omnes gentes. Quod ut intelligendum sit, scriptio in libro uitæ, & electio, qua solum qui comprehenduntur seruantur, perdocuerit.

Et *uenerit quasi fluuius uiolentus.*) Non una affertur interpretatio horum uerborū. Sunt enim qui in hunc modum interpretantur: tum salutem Israelitis & gentibus affulsuram, cum submersus fuerit aduersarius instar fluuij absorpti à mari. לבא expositio, ut sit לשון שקיעה: hoc est, de significatione submergendi. Idem uerbum de sole occidente dicitur ויבוא השמש. Alij in hunc modum, Cum uenerit sicut fluuius afflictio: hoc est, non antea obtinebit in orbe terrarum redemptoris Messiæ Euangelium, in liberatis ex aduersarij regno electis, quàm ingruerit tanta afflictio, quanta non ingruit à condito mundo. Hanc sententiam confirmant Domini nostri uerba apud Matthæum, ubi ait: Et erit tanta
24. afflictio

afflictio, quanta non fuit à condito mundo: sed decurtabitur propter electos, ne uniuersa caro intereat. Hi autem electi sunt, quos Propheta hic dicit metu & reuerentia culturos Dominum ab oriente & occasu. Similiter Daniel: Et ueniet tempus, quale ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usq; ad id temporis, non fuerit. At tempore eo euadet populus meus omnis, qui inuētus fuerit scriptus in libro. de quo libro suprà Iesaias. In hoc libro scriptos, Christus uocat electos. & signatos in cœlo. hos liberatum iri ex sententia Prophetarum, in maximis regnorum mundi & terræ motibus. Horum sententiam etiam Ioannes in Apocalypsi explicat, ubi uarijs terram afficiendam cladibus dicit, illo tempore quo ex Babylone uindicandi sint scripti in libro uitæ. Daniel. 12. 4.

Quem spiritus Domini cogit.) Messię spiritum, hostis ac aduersarij, instar procellosi fluminis commoti, uim & impetum cohibiturum: non secus atq; aquas in prima molitione mundi in unum locum spiritus coegit ac coercuit. Ad quod opus figuratè hic alluditur, in uerbo נסקה indicatur: Messię ritu, signi per Euangelium elati spiritum, aduersarij impetum fracturum ac fugaturum. nota enim est uexilli uox נס, & fugandi uerbum נסמה. De signo suprà: Et erit in die illa radix Isai, quæ stat in signum populorum. De quo signo Messia sequitur: 11.

Et uenerit ad Zion redemptor.) Messias. Apostolus Paulus Septuaginta secutus, quorum lectio tum peruulgata erat, dicit: Et ueniet ex Sion ille qui liberat, & auertet impietates à Iacob. Hebræus habet: Et ueniet ad Sion redemptor, & ad eos qui resipuerunt à peccato. Singulas partes explicabimus ordine.

Et ueniet.) Hic, nouissimis temporibus per patefactionem Euangelij se præsentaturus: qui iam multis seculis aduersario in templo sedente, & Satana orbē terrarum erroribus seducente, occultatus fuit. De hoc aduentu suprà mentio facta est. Is sanè accuratè & diligenter perpensus, mysteria Mosæa & Prophetarum de profanationis & reconciliationis temporibus aperiet, & arcana quæ in noui fœderis scriptura & in Ioannis Apocalypsi traduntur patefaciet. At quoniam in commētarijs in Mosem editis, & in hac commentatione sæpè huius aduentus, ut explicandus sit, meminimus: eius expositionem nihil retulerit, ad intelligendum prophetam hoc in loco retexere. 11.

Ad Sion.) Si radicem & oliuam spectes, occurrunt Israelitæ, qui ex carne & spiritu promissionis tales sunt. Sin oleastrum, electi ex gētibus, hoc est, in uniuersum electorum cœtus ac Ecclesia occurrit. Quò pertinet mysterium, de quo his uerbis Apostolus meminit: Nolo uos ignorare fratres mysterium hoc, ne sitis apud uosmetipsos elati animo, quòd excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & sic totus Israel saluus erit. Quibus uerbis ordine hæc docet Apostolus. Primò, tempore prædicationis Euangelij, ministerio Apostolorum factæ, Israelitas reiectos & excæcatos fuisse, reliquijs paucis solum seruatis. Deinde, eam reiectionem & excæcationem mansuram usq; ad tempus aduentus redemptoris Messiæ, de quo his uerbis Dominus: Erit domus uestra deserta, donec dicatis, Benedictus qui uenit in nomine Domini: qui uenit in hoc inquam patefactionis sui aduentu, in quo per Euangelij lucem toti terrarum orbi accendendam, sub occasione reuelationis aduersarij, spiritu præseris aderit. Tertiò, in hoc reuelationis sui aduentu ipsum duo præstaturum: quorum alterum regni aduersarij destructio est, alterum imperij cœlestis extructio: reconciliatis sibi Israelitis, & instaurata per orbem terrarum electorum Ecclesia. De qua reconciliatione hic Propheta: Et uenerit Sioni redemptor, & eis qui recesserint ab iniquitate in Iacob. Rom. 11. Postremò futurum, ut sicut tempus fuit certum, quo modicæ reliquiæ fuerunt sacri Euangelij luce illustratæ: sic fore, ut plenior numerus, hoc est omnes scripti in libro uitæ, in hac gente sint illuminandi. Quò pertinet collatio Apostoli, in qua paucas seruatas reliquias, cum plenitudine Israeliticæ gentis sal-

Rom.11. uandæ confert. Quòd si lapsus illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum? Quæ autem excæcationis, quæ ex parte illis accidit, & plenæ illustrationis mystica ratio sit, & quæ in uniuersum consideratio sit huius mediĳ aduentus primum absoluturi, & præcessuri postremum, ut aurora claram lucem præcedit, ea de re sparsim ex pensitatione temporum profanationis & consecrationis Ecclesiæ, in explicatione Mosæ & Prophetarum meminimus. Dicas, nunquam fore ut Iudæis regnum & sacerdotium restituatur. Si de regno & sacerdotio externo, quale habuerunt in administratione ueteris fœderis, intelligis: concedimus quod sumis. Sin de regno & sacerdotio Messiæ, quod spirituale regnum & sacerdotium est, oleo sacri spiritus constans, accipis: quod proponis, negamus. Restituendum enim Israelitis Dauidis Messiæ regnum, quale reliquiæ tempore Apostolorum seruatæ habuerant, Moses & reliqui Prophetæ comprobant, idem noui fœderis scriptura confirmante. Quid enim aliud erit,

Osee 3. tempore nouissimo quæsituros Israelitas regem suum Dauidem, hoc est Messiam: quàm eos regale sacerdotium quæsituros? Quid aliud erit, eos spiritu nouo ornatum iri: quàm, eos regio & sacerdotali spiritu Messiæ exornatum iri? Atque idem uult Propheta noster, ubi hic meminit, fœdus sacrum per spiritum Messiæ redemptoris cum Iacobæis sanciendum. Sed quæ & qualis uia sternitur ad cœleste Messiæ regnum comparandum? Sequitur:

Et ad eos qui resipuerint in Iacob.) Resipiscentibus, & peccatorum pœnitentiam agentibus, Messiam salutem daturum. Sed qui resipiscent ad salutem accipiendam? In Iacobæis, hoc est in electorum Ecclesia Messias, ut illius caput, resipiscentiæ cœleste donum, sacri spiritus fœdus, regnum cœlorum & eius iusticia locum inueniunt: extra eam, nusquam. Ideo hic legitur: Cum uenerit redemptor Sioni. non dicit, Cum uenerit redemptor Messias Draconi & eius ministris. nam his ueniet non ut redemptor, sed ut iudex. ut dæmones ipsi

Matth.3. confitentur, cum dicunt: Quid rei nobis tecum est IESV fili Dei? ueniſti huc ad cruciandum nos ante tempus? Non dicit item, Cum uenerit redemptor Babyloni: cui ueniet ut eam destruat, & humi prosternat: quæ ex terra nata, cœlum petere audeat, ad euertendum thronum Messiæ. quam is ut spiritu suo sit deleturus, suprà legimus: Spiritu oris sui interficiet impium. & hic: Quem spiritus Domini fugat.

Hoc fœdus meum cum eis.) Qui meminisset Messiæ redemptoris ad Sionem uenturi, iam ostendit quid suo aduentu sit præstaturus: fœdus nimirum cum ea percussurus. Sed quale fœdus? Sequitur:

Spiritus meus.) Percussurum fœdus cum eis non literæ mortificantis, & legis in saxeis cordium tabulis scribendæ, quale fœdus arbitro Mose ictum cum Is-

Exod.19. raelitis legimus, intercedente sanguine uituli, de capienda hæreditate terræ Chananeæ: sed percussurum fœdus sacri spiritus legis uitæ, exarandæ in cordibus carneis, arbitro sacrosancto Messiæ sanguine, de accipienda hæreditate

Deut.30. 31. cœlesti. de quo fœdere sacri spiritus uideris apud Mosem, Hieremiam, Ezechielem, & alios prophetas. Atq; hoc fœdus clarè eius autor & perfector Mes-

Luc.22. sias his uerbis explicat: Hoc poculum nouum testamentum est per sanguinem meum, qui pro uobis funditur. id est, Hoc poculum sacrum monumentum ac signum est noui testamenti, seu fœderis spiritus fusi sanguinis Messiæ merito uobis donandi, ad amissam iusticiam & uitam reparandam. Nam spiritus Messiæ iustificator, uiuificator & sanctificator electorum, de quo hic loquitur Propheta, sanguinis IESV CHRISTI piacularis in cruce effusi, & resurrectionis atque glorificationis eiusdem IESV Christi opus est, ut le-

1. gimus apud Ioannem: Spiritus nondum erat datus, quia Christus nondum erat

erat glorificatus. Sed quod nomen habet is ſpiritus? Spiritus adoptionis filiorum Dei uocatur, quo afflati inclamamus amanter, Abba pater: quem antè ut iudicem, per ſeruilem legis Moſeæ ſpiritum metu & tremore formidaueramus. De hoc ſpiritu adoptionis, quem in ipſa iuſtificatione ſui improbus accipit, uideris apud Apoſtolum in epiſtola ad Romanos & Galatas. 8.
Cæterùm quòd dicit hic, Spiritus meus: indicatur, nemini ſpiritum hunc, niſi de Meſsia tanquam capite dari: de cuius copia & abundantia niſi quis accipiat ſpiritum, eum nunquam ſit habiturus. Atque hoc ipſum eſt quod ſpiritus apud Ioannem dicit: Spiritus de meo accipiet, quod annunciabit uobis. Ioan. 14.
Item Pater enim filio ſine mẽſura dedit ſpiritum, de cuius plenitudine quodq; membrum corporis illius, quod eſt Eccleſia, ſuum modum ſumit, per quem iuſticiæ, uitæ, ſapientiæ, fortitudinis Dei particeps ad optimum quem adipiſcatur ſtatum reddatur.

Qui eſt in te.) A me ut capite, in te ut corpus meum, fuſus: qui ſpiritus oleum illud benedictum eſt, quod primò funditur à patre in Meſsiam ut caput. Deinde ex capite, in eius corpus Eccleſiam dimanat. De quo oleo Pſalmo centeſimo trigeſimotertio: Sicut oleum bonum ſuper caput deſcendens, ſuper barbam Aaron. Qui Aaron, ſubmota figura, eſt Meſsias, cœleſtis Aaron. Et de hoc ſacri ſpiritus oleo mox infrà Propheta noſter copioſè loquetur: Spiritus Domini ſuper me, eo quòd unxerit me, &c.

Et uerba mea.) Quæ ſpiritus meus in corde tuo repoſitus, ex ore tuo eloquitur. De quo apud Euangeliſtam: Non uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris mei, qui loquitur in uobis. Quæ maxima dignitas eſt electorum, ipſos ſacro Dei patris ſpiritu uiuere, loqui, agere, per intimam eorum cum Deo, in filio, coniunctionem. Vnde Ioannes: Ex hoc cognoſcimus, in eo nos manere, & ipſum in nobis, quòd de ſpiritu ſuo dedit nobis. Quare ut præceſsit de ſpiritu, ſic ſequitur de ore. Matth. 10. 1. Ioan. 4.

In ore tuo.) Vt ipſum amplificans, nomen eius confitendo, tuam ſalutem confícias. De quo Apoſtolus: Corde creditur ad iuſticiam, ore fit confeſsio ad ſalutem. Rom. 10.
Suprà exprobratur eis cor uitioſis cogitationibus corruptum, & lingua mendax: cogitationes eorum, cogitationes uanæ: & labia ueſtra loquuntur mendacia. In quibus furis & falsò iurantis, hoc eſt Antichriſti ſpiritus, de quo Zacharias meminit, antea uerſatus fuerat: hic promittitur in eorum corde & labijs, Meſsiæ redemptoris ſpiritum habitaturum. Zach. 5.

Et de ore ſeminis tui.) Ex promiſsione ſeminis, de quo ſuprà: Omnes filij tui docti à Domino. Tales ſunt filij cœleſtis Sion. ut hæc enim maritum non terrenum, ſed cœleſtem habet, qui Meſsias eſt, nouus & de cœlo cœleſtis homo, factus in ſpiritum uiuificantem: ita ipſa ſponſa Zion Eccleſia, cœleſtis ſponſa eſt, & eius ſoboles ſuperne è ſpiritu cœleſti nata.

IN IESAIAE CAPVT SEXAGESIMVM.

SVrge.) Diuinus ſpiritus hortationem inſtituit, qua hortatur Eccleſiam electorum, ut tandem humi ſe erigat, excitata ſplendore Euangelij. De Babylone ciuitate Antichriſti ſuprà myſticè legitur: Deſcende, ſede in puluere. De Hieroſolyma hic: Surge & illumināre. Hæc igitur ex puluere terræ ad ſplendorem regni regis ſui Meſsiæ extollitur: illa, de ſplendore huius mundi humi, quæ ſe in cœlum extulerat, proſternitur. Hieroſolymę autem inſtaurandæ his extremis temporib. magnificam

affert descriptionem, in qua illam celebrat à splendore regis Messię, à quo sit illuminanda: ab amplitudine: à muneribus, quibus à uarijs orbis terrarum gentibus exornanda sit: ab ædificij & murorum firmitate: à tranquillitate, quam ab hostibus quibus antea uexata fuit, habitura sit: à probitate ciuium: & ab omni bonorum abundantia. summatim à bono & felici statu eam commẽdat, & laudat. De singulis ordine inter interpretandum meminerimus.

Illuminare.) absterſis regni aduersarij tenebris, quæ tibi ad tempus, tempora, & dimidium temporis offusæ sunt: ut harum occasione, quanta lucis his nouissimis temporibus tibi ostendendæ gratia sit, sentias. de qua luce sequitur:

Quia uenit lumen tuum.) Messias, qui tibi in regeneratione præstat, quod mundo ueteri sol aspectabilis præstat. 10

Et gloria Domini.) reconciliationis splendor & gloria in Messia. A' maiestate regis Messiæ celebrat Ecclesiam. Quæ ante ignominia & opprobrio affecta, à serpente per filium perditum fuisti, iam gloria & splendore regis Messiæ ornaberis. Qui splendor iusticiæ & uitæ splendor est, quo sponsa Hierosolyma amicietur. de qua gloria suprà: Surge Sion, induere uestimentis gloriæ tuæ.

Quia ecce tenebræ operient terram.) Vt olim, cum liberandi essent Israelitæ ex Aegypto, hos lux circumfulsit, Aegyptios tenebris obruentibus. Accipiuntur hic quoq; tenebrę afflictionum, terrarum orbem temporibus reuelationis Messię infestaturæ. de quibus paulo suprà: Cum uenerit quasi fluuius afflictio. Quod 20 afflictionis tempus Dominus noster diem ultionis uocat apud Lucam, & anxietatis gentium. superuenturæ orbi terrarum. Vbi adhibita dijudicatione spirituali accuratè uidendum fuerit, quæ ad Hierosolymæ mysticę desolationem, & quæ ad interioris uastationem, quæq; ad hæc postrema patefactionis Messiæ per Euangelium omnibus gentibus in testimonium prædicandum tempora, quæq; ad eum aduentum in quo cum maiestate ad iudicandos uiuos & mortuos ille ueniet, referenda sint. Nam in eo sermone quem habet Dominus noster, ubi destructionis Hierosolymæ apud Euangelistas & sui aduentus meminit, omnia Prophetarum mysteria explicantur: idq; tectius ab ipso fit, ut qui nondum mortuus, & è mortuis excitatus, glorificatus esset. Cuius resurrectionis & glorificationis, clara mysteriorum quæ in Mose & Prophetis continentur, expositio donum est. 30

Super te autem orietur Dominus.) Repetit eandem sententiam, consolandi & confirmandi gratia. Si primam reuelationem Messiæ, quæ sub præsentationem eius in mundum, & Apostolorum tempore contigit, spectes, mystica Hierosolyma illustris est Christi præsentia, concionibus, signis, morte, resurrectione, & ex Sion Euangelij lege per Apostolos promulgata. Sin generatim Ecclesiam electorum ex Iudæis & gentibus descriptam consideres, quæ uera Hierosolyma est, in hac interne & uerè locum habuerint, quæ hic à Propheta exponuntur: regnum Messię, lex sacri spiritus, ara Messias, uiuentia sacrificia, non incen 40 denda igne Mosaico, sed eo in quo claritas Dei lucet, efficax ad regenerandũ.

Et ambulabunt gentes.) Laus ab amplitudine, & multitudine ciuium. Suprà: Et timebunt ab occidente nomen Domini, & ab ortu gloriam eius. Vbi in timore, liberalis Dei cultus, quem adoptionis spiritus per fidem & amorem creat,
Apocal. 19. cernitur: non illiberalis cultus, quem seruilis legis Moseæ spiritus efficit. Legitur de Babylone ciuitate Antichristi, quòd magna sit: Et cecidit Babylon ciuitas magna. Quanto uerius Hierosolyma de cœlo descendens, magna ciuitas
Apocal. 21. appellabitur, de qua idem Ioannes: Et sustulit me spiritus in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatẽ magnam, sanctam Hierosolymã, descendentem à cœlo, habentẽ claritatẽ Dei. Dicit sibi ostensam sanctã ciuitatẽ. Cõtraria 50 de Babylone, ut suprà indicatũ est, dicuntur. Dicit item se uidisse illam de cœlo descendentẽ, nõ ascendẽtem de terra, ritu Babylonis, immanis bestiæ & terre-

stris

ſtris feræ: neq; eam à dracone ortum ducere, ſed à Deo. à quo ſuperne nata, è cœleſti Meſsiæ ſpiritu dicitur de cœlo deſcendere. Neq; ait eam in tenebris abyſsi uerſari, ut Babylon uerſatur, cuius ſedes in profundo caligine obſito eſt. ſed dicit eam habere claritatem Dei, de qua hic Propheta noſter antea monuerat: Et orietur tibi Dominus, & gloria eius: hoc eſt, glorioſa & ſplendida lux Meſsias, à qua luce dicit idem noſter Propheta illuminandam Hieroſolymam: non à luce aſpectabili ſolis, non à luce quæ in lege Moſæa lucet, multo minus à luce quæ in philoſophorum doctrina emicat, quæ mera caligo eſt ad lucernam agnum, de qua Ioannes: Et lucerna eius eſt agnus. Apocal. 21.

Et reges.) Similiter Daniel: Et omnes reges ſeruient ei. Qui antea beſtiam Antichriſtum adorarunt, iam illuminati Euangelij luce, Meſsiam in cœleſti Hieroſolyma adorabunt. Quare Ioannes in Apocalypſi ſic ait: Et decem cornua quæ 17.
uidiſti in beſtia, hi odio proſequentur meretricem, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnem eius comedent, & igni cõcremabunt. Horum uerborum interpretationem in Annotationibus ad Apocalypſim texuimus. Amplificat Propheta Hieroſolymæ ſplendorem, à perſonis colentium ipſius regem Meſsiam. Vnde cognoſcimus, à Deo perſonarum rationem non haberi. neque nimirum ſeruos ſuam ſeruitutem, neque pauperes paupertatem, neque diuites diuitias, neque reges regium ſplendorem à Meſsiæ regno abarcere: ſed omnibus patere ad illud aditum. Verum quidem eſſe, diuites potentesq; in hoc mundo homines difficile ingredi in regnum Dei, ſi ueteris hominis facultatem ſpectes: non item, ſi Deum contempleris, cui facillimum ſit per filij ſpiritum quoſuis ad ſe conuertere, qui omnium pariter Dominus ſit, peccatum, mortem, infernum, mundum, & eius principatum ſubiectum ſibi habens.

Leua in circuitu oculos tuos.) Quaquauerſus ab ortu & occaſu, à ſeptentrione & meridie, Hieroſolymam pomœria ſua in terrarum orbe prolaturam: quæ amplitudo illius decorabit regem Meſsiam. Nam in copia & multitudine eorum qui imperio parent, regia amplitudo & maieſtas declaratur, ut uere Salomon in Prouerbijs teſtatur: ברבות חדרת מלך. Sed hac de re aliàs mentio facta eſt Prouerb. 14.
aliquoties.

Omnes iſti.) Πάντες, cum admiratione accipiendum id fuerit. Omnes iſti, qui tam miſerè à regno meo diſperſi fuerunt, iam abſterſo exilij probro, in lumine Meſsia collecti tibi ueniunt.

Filij tui de longè uenient.) Qui ut hactenus procul à luce tua, Meſsia, in Phariſaiſmi Iudaici, Mahumetici & Papiſtici tenebris uerſati ſunt, iam propè uno ſpiritu in Chriſto marito tuo, cum patre Deo coniungendi aderunt.

Filiæ tuæ lac ſugent.) Tam blãdè à te nutrientur, quàm nati in ſinu aut ulnis à matre nutriuntur. Sic enim Hebræus habet. nam תאמנה de ſignificatione אמרן eſt, quæ uox propriè fidum & fidelem ſignificat. inde pro diſpenſatore, curatore & nutricio ſumitur, à quo præſens uerbum Educabuntur ac nutrientur, cum fide & fideli cura, ducitur. Itaq; indicatur à Propheta in eo uerbo fidelis diſpenſatio & cura, quæ Euangelij doctrina continetur, de qua Apoſtolus, præſens uerbum explicans, his uerbis admonet: Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. quod ſupereſt autem, illud requiritur in diſpenſatoribus, ut fidelis aliquis reperiatur. Fidelis autem diſpenſator in Hebræa lingua dicitur אומן.

Tunc uidebis.) Mirabili redemptionis opere animaduerſo, copia & abundantia omnium bonorũ affluet. Notũ enim fluendi uerbum נהר. & quoniam Hebræi compoſitis uerbis carent, ea ſimplicibus efferunt. Sunt qui reddunt Fulgebis, ut Paraphraſtes, & qui eum ſequuntur: quòd in eo uerbo copia & abundantia ſignificetur, qualis in fontibus flumina fundentibus, & in perenni luce cernitur.

Mirabitur.)

Mirabitur.) Est מחר tam metu mali expaueſcere, quàm ſtupore pręter ſpem allati boni corripi: ut pręſens locus indicat.

Et dilatabitur cor tuum.) præ gaudio. Oſtenditur natura lætitiæ, qua cor diffunditur ac dilatatur, ut triſtitia contrahitur. Vnde noto tropo, dilatari pro exhilarari. Quæ temporibus repudiationis ob ſterilitatem triſtitia afficiebaris, iam temporibus reconciliationis lætitia perfundêris. Quare ſuprà: Gaude ſterilis.

Multitudo maris.) Ad implendam promiſsionem factam Abrahamo, Eriſq; pater המין, hoc eſt multitudinis gentium. Atque is à multitudine, cuius pater eſſet futurus, non Abram amplius, ſed inſerta ה prima המין litera, Abraham eſt appellatus: & uxor eius, quæ antea Sarai, hoc eſt Sara mea, uocata fuerat, poſtea Sara, lodo in He mutato, appellata eſt, quę numeroſam ſobolem ex ſpiritu promiſsionis eſſet procreatura.

Fortitudo gentium.) Maritimas & terreſtres copias confluxuras ad Hieroſolymam ſponſam Meſsiæ, duce doctrina Euangelij. חיל propriè apud Hebræos eſt dolor & labor. hinc transfertur ad grauitatem, induſtriam & fortitudinem, quòd hæc ſine laboribus non magis conſtet, quàm auro & argento ſua puritas ſine purgatore & probatore igne conſtat. & quia in exercitu & eius duce militaris fortitudo ſpectatur, fit ut hic pro exercitu & copijs uſurpetur. ut apud Samuelem: Et egrediebatur exercitus. 1.Reg.14.

Inundatio camelorum.) Arabum camelis utentium magnam uim Hieroſolymam confluxurã, in quibus Iſmaelitæ, Madianitæ, Idumæi, Amalechitæ, Nabathęi, Moabitæ & Ammonitæ numerantur. Vnde cognoſcimus, in regno Meſsiæ neue Iſraelem, neue Græcum, neue Arabes, neue Scytham, neue alterius cuiuſuis gentis rationem haberi: ſed nouam creaturam, quam ſolus Meſsiæ ſpiritus finxerit, non natura. Cæterum in uoce שבע copia & abundantia notatur, quæ affinitate coniuncta cum ſeptenario eſt, qui ut quieti, ita etiam rerum abundantiæ ſacratus eſt. ut indicio eſt uniuerſitas hæc, qua ſex diebus condita, ſeptimo die quies ſumpta eſt.

Et dromadarij Madian.) Madianitarum Arabum meminit, ut ex Cethura Abrahamo genitorum. Epha filius Madian fuit, de quo uideris in Geneſi. Cæterùm בכר de uelocibus & robuſtis camelis uſurpatur: quòd in primogenitis, quæ בכירים appellantur, primò robur ſeſe oſtendat. 25.

Omnes de Saba uenient.) Saba nepos Abrahami, filius Iechan. Sabææ, felicis Arabiæ regioni, inde nomen uidetur inditum, quæ thure & auro abundat. Etiam populos ex concubinis Cethura & Agare natos ipſi Abrahamo, celebraturos Dominum, ſeruili poſito ingenio, & liberali per ſpiritum Meſsiæ induto. Vt populus qui legali pædagogię ad tempus ſubditus eſt, patefactionis IESV Chriſti temporibus, finita pędagogia, adoptionis ſpiritu, qui excuſſa ſeruitute Deum patrem liberali ſpiritus cultu in filio Meſsia colat: ut licet uidere apud Apoſtolum, in epiſtola ad Galatas, ubi hoc myſterium ſanctè explicat. Quare non temerè numerantur hic Abrahamo ex concubinis geniti Madianitę & Iſmaelitę. Hi ut olim uiuerent uerè, ſic precatus eſt Abrahamus: Vtinam uiuat Iſmael. de cuius genere ſequitur mentio. Geneſ.17.

Omne pecus Cedar.) Cedar & Nabaioth filios eſſe Iſmaelis, ex Geneſ. quoq; patet. Myſticè ut aurum, thus, oues, ara, templum exponenda ſint, pro noui fœderis & cœleſtis regni & ſacerdotij ratione, ſatis clarum eſt. Cedareni & Nabathęi, Iſmaelitę, Arabię Petreę populi ſunt: ut Sabęi Arabię felicis, ex Abrahamo propagati. Ibidem 25.

Qui ſunt iſti, qui ut nubes uolant?) Scita comparatione celerem gentium ad Euangelium Meſsiæ confluxum colorat. Quid porrò celerius in cœlo nubium diſcurſu? Item nubibus pij in eo conferuntur, quòd ſicut nubes fundunt aquam

aquam, terram ad fructificandum fœcundantem: ita piĳ ſuperne nati, cœleſtis doctrinæ pluuiam fundunt, quæ Eccleſiam ad ferendos uarios amplificationis nominis diuini & amoris proximi fructus uberat. Conſiderandus hic nubium ortus & uſus fuerit.

Et ſicut columbæ.) Aliud ſimile à columbis mutuatum, quibus filĳ Dei, ut ſpiritus ipſe Meſsiæ quo reguntur, columbæ comparatur. nam is columbæ ſpecie ſuper Chriſtum, cum à Ioanne baptizaretur, apparuit. Columba uolucris pudica, coniugĳ ſeruans, ſimplex, & minimè uirulenta eſt. Vnde Dominus: Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Et in Canticis: Oculi tui oculi columbarum. Eadem uolucris uaga non eſt, ſed in nidum ſuum præpeti uolatu uolare ſolet. Rectè item uolant columbæ. talis uolatus ſanctorum eſt. Ideo legimus Dauidem hunc in modum precari: Quis det mihi pennas columbarum, ut uolem? Tales pennas ad rectè uolandum leguntur à Chriſto redempti habere: Qui ſunt iſti, qui quaſi columbæ uolant ad feneſtras ſuas? Eôdem pertinent pedes columbarum pennati: quibus ſignificatur, piorum pedes, hoc eſt affectus, non in amore rerum terrenarum hærere fixos, ſed pennatos in cœleſtia ferri. Poſtremò columbæ יונים uocantur ab Hebræis, quòd iniuriæ & prædę obnoxię ſunt. notum enim eſt uerbum יגה. ſic ſunt piĳ in mundo peregrinantes, impiorum iniuriæ opportuni. *Matth. 10. Cantic. 1.*

Et naues maris in principio.) Sicut olim regnante Salomone, Tyriorum naues ad ædificandum templum Salomonium, & ad reparandum idem, ut collapſum per Babylonios fuiſſet, materiem deportarunt: ita in templi cœleſtis, quod electorum Eccleſia eſt, reparatione, certatim dona ſua afferent gentes. *1. Eſdr. 3.*

Et ædificabunt.) miniſterio Euangelĳ.

Filĳ alieni.) Gentes, ex quibus deligentur Apoſtoli, qui Iſraelitas ad cognitionem Meſsiæ adducent. atque ita figura implebitur Cyri regis Perſarum, qui ut Iudæos ex Babylonia captiuitate myſtica liberauit, & eis poteſtatem reparandi templum & Hieroſolymam fecit: ita in his nouiſsimis temporibus ex gentibus delecti Apoſtoli, quos filios alienigenas uocat Propheta, Iudæos miniſterio prædicationis Euangelĳ ex uera hac & ſpirituali captiuitate Babylonis, ad cœleſtis Hieroſolymæ muros extruendos liberabunt. Vbi accidet id quod prophetauit Aggæus: Maior erit domus iſtius poſterioris gloria, quàm prioris fuit. implendo nimirum illo, de quo Apoſtolus ex Prophetarum ſententia meminit: Excæcatio ex parte Iſraeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & ſic totus Iſrael ſaluus erit. *Aggæi 2. Rom. 11.*

Muros tuos.) diſsipatos per Antichriſtum. Vt hos muros explicet Zacharias uates, ſuprà indicatum eſt. Horum murorum fundamentum eſt cœleſtis Meſsias lapis, quem nobis præfigurat lapis ille ſapientibus notus, tutus aduerſus omnem ignis iniuriam, qui ipſe igneus ſit, omnem impuritatem conſumens, & cætera ad puritatem deducens. Talis Meſsias lapis eſt in ordine rerum ſpiritualium: tales etiam lapides ſunt electi filĳ Dei. Talis murus eſt cœleſtis Hieroſolymæ igneus murus, qui claritate & ſplendore diuinitatis Hieroſolymam illuſtret ad eam purificandam, contraria ui abſumpta. Apud Hebræos à calore murus חומה appellatur, qui ex lapidibus igni coctis conſtet. 4.

In indignatione enim mea percuſſi te.) ſed non hoſtili, ut te perderem.

Et in reconciliatone mea miſertus ſum tui.) diuini fauoris & beneuolentiæ hanc reparationem opus eſſe. Nota beneuolentiæ uox eſt רצון. quò pertinet miſerendi uerbum רחמתי.

Et aperientur portæ.) Oſtio patefacto Meſsia, de quo is ipſe apud Ioannem: Ego ſum oſtium. quod oſtium iam aliquot ſeculis clauſum cum fuerit per aduerſarium, tandem aperietur. Similiter ſuprà: Aperite portas, ut ingrediatur gens iuſta. Qui meminiſſet murorum, iam portarum meminit, quæ in muris *Ioan. 10.*

poni

poni ſolent. Ioannes in ſacra ſua Apocalypſi duodecim portas Hieroſolymam de cœlo deſcendentem ciuitatem regis Meſsię habituram dicit, quorum explicatio ſuprà inſtituta eſt.

Et reges earum.) Qui Antichriſtum ante eius pateſactionem errore ſeducti coluerunt, iam eo detecto, purè Chriſtum colent. Nam ut Conſtantinus, Theodoſius, Iuſtinianus, & alij laudati principes Antichriſti erroribus fuerint implicati, declarant templorum & ararum extructiones, in quibus diui colerentur, & miſſæ celebrarentur. Documento item eſt unctum ſacerdotium, & eius ueſtitus à Leuitis mutuatus, & elementorum mundi obſeruatio: quæ quàm uaria fuerit tempore Conſtantini, & ſubinde aucta ſit poſteris temporibus ab epiſcopis Romanæ eccleſiæ, unà cum opibus, luxu, tyrannide, ſatis clarè liquet. Non commemoro, ut ij qui ſtatim Apoſtolorum tempora ſecuti ſunt pij homines, conqueſti ſint, Eccleſiam ab Apoſtolorum doctrina & pietatis diſciplina degeneraſſe: ut hæc uidere licet in Clementis, præceptoris Origenis, Stromatis, & aliorum ſcriptis. At iam his nouiſsimis temporibus, quibus Antichriſtus per Euangelij lucem patefit, reges paſtoris ſtulti abominabilem ſuperſtitionem pertæſi, ſeſe Chriſto adiungent: ut hodie eius adiunctionis exempla in Germania, Polonia, Anglia, Dacia, Pruſsia, Scotia oſtenduntur: & quàm multorum animi in Italia, Gallia & Hiſpania ad id inclinent, ſatis notum eſt. De Mahumetanis taceo, in quibus ut ſint non pauci, qui ad ſacrum Meſsiæ Euangelium propendeant, certa eſt fama: & conſtat, etiam aliquot Mahumetanæ ſectę doctores ob confeſsionem doctrinæ Euangelicæ, quòd dicerent hanc candidam eſſe, & Mahumetanam nigram, à tyranno Turca Conſtantinopoli capite damnatos eſſe. Adeò incipit plenius impleri, quod hic uaticinatur Propheta noſter Ieſaias: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges eorum miniſtrabunt tibi.

Gens enim & regnum quod non ſeruierit tibi.) Euangelium Meſsię ſponſi tui coluerit.

Peribit.) ſceptro ſpiritus Euangelij, regno ceſſuro regi regum Meſsiæ, lapidi ſine manu de monte exciſo: ut eſt apud Danielem. Daniel. 2.

Solitudine uaſtabuntur.) ex lege talionis: ut quæ gentes & reges adorantes beſtiam, alios uaſtarint.

Gloria Libani ad te ueniet.) Alludit ad materiem lignorum, quam Libanus olim Salomonis templo ædificando præbuit. Myſtica ratio obſcura non eſt. Arbores quæ hic memorantur, figuratè nobis arbores ſignificant, de quibus Pſalmo primo: Et erit ſimilis arbori ad riuos aquarum conſitæ, quæ fructum fert tempore ſuo. Ex talium arborum materia uiuum templum Salomonis Meſsiæ his poſtremis temporibus inſtaurabitur, quod temporibus Apoſtolorum ædificatum fuit, & interiectis ſeculis ab Antichriſto Babylonio uaſtatum.

Et pinus.) Septuaginta cedrum reddunt. Hac arbore Libanus abundat, cuius magnam copiam Libanus Salomoni per Tyrios ſuppeditauit.

Ad ornandum locum ſanctitatis meæ.) Typo ſanctuarij myſtici ſubmoto, ſancti homines, uiuum ſanctuarium & templum Dei, occurrunt, in quibus per ſpiritum ſuum Deus habitat. Ad hoc ſanctuarium extruendum ex cœleſti illo Libano monte uiuæ electorum arbores electionis gratia cæſæ, per procelloſum mare huius mundi deportantur, è quibus Hieroſolyma de cœlo deſcendens, cœleſte ſanctuarium ædificetur. Contrariam ſanctuario appellationem Babylon habet, quæ locus profanationis abominabilis appellatur: in cuius terra impietas mulier domum ſuam, in qua habitet, legitur extruere. Zach. 5.

Et locum pedum meorum glorificabo.) Sanctuarium locum pedum ſuorum uocat, qui in templo Eccleſia per ſpiritū gratiæ & fauoris ſui inambulet. Et quoniam hoc

hoc templum in terra, dum electi in ea peregrinantur, ædificatur, dicitur id pedum Dei locus, ut terra ipsa scabellum pedum Dei, & cœlum sedes dicitur. Ad hæc sic appellatur propter subiectionem, qua Messiæ marito suo coniugali obedientia subiecta est, ut mulier marito tanquam corpus capiti subdita est.

Glorificabo.) In præsenti seculo gloria & ornatu luminis gratiæ, in futuro lumine gloriæ Ecclesiam decoraturus.

Et uenient ad te curui filij tui.) Qui antea dixerant, Humiliare, transeamus super te: iam humiliter ad te uenientes, proni ad uestigia pedum tuorũ, honoris gratia se inclinabunt. quod est ישתחוו. Sed in quo Ecclesiã uenerabũtur? Sequit:

Et uocabunt te ciuitatem Domini.) in qua non, ut antea, filius perditus habitet: sed Iehoua Deus pater, per sacrum filij Messiæ spiritum.

Pro eo quod fuisti derelicta.) serpente diabolo, mille ducentos & sexaginta dies, seu quadraginta duos menses te persequente. Apocal. 12.

Et odio habita.) à mundo, & à Satana principe mundi.

Et non erat qui pertransiret.) per aduersarium omnibus desolatis. Hoc enim innuit Hebræa uastitatis periphrasis.

Ponam te in superbiam seculorum.) quæ antea in abiecta conditione, Satanæ iniurijs patuisti: iam magnifica & splendida facta, Satanæ & eius ministris imperabis. Est igitur uitiosa & laudata superbia. Vitiosa superbia, est supergrediens animi elatio, qua superbi homines de sua fortitudine, sapientia, opibus, potentia, ad imminuendam gloriam Dei, & ad opprimendos alios efferuntur. Laudata autem superbia est, qua pij regio Messiæ spiritu aduersus mundum & principem mundi Satanam, aduersus peccatum & mortem, & aduersus ipsius inferni portas extolluntur, ad glorificandum nomen Dei patris in filio Christo, cui omnes diuinas dotes acceptas referunt, à se nullam sibi tribuunt. In hac superbia cadunt omnia humana, uis naturæ ueteris, humana sapientia, iusticia, fortitudo: & sola diuina facultas, sapientia, iusticia & fortitudo in Messia deprædicãtur, in quo gloriari de istis diuinis muneribus, sanctorum opus est & officium, quod est honestè & sanctè superbire.

Et suges lac gentium.) Diuinæ sapientiæ lac, quod Euangelij ministerio ad nutriendos cœlestis Hierosolymæ ciues suppeditatur. Qui meminisset ciuitatis, murorum, portarum & ciuium: iam eorum quoque mentionem facit, quæ ad sacræ ciuitatis ciuium uictum pertinent. Tibi ô Hierosolyma, cui antea doctrina humana cibus fuit, iam cœlestis doctrinæ lac cibus erit: lac inquam, de quo in Canticis cœlestis Salomon Messias, Bibi uinum meum cum lacte meo. Cant. 5.

Et mamilla regum lactaberis.) Suprà: Reges erũt nutricij tui. Viderint igitur hodie Principes & Reges, qui de accepto Euangelij lumine & relicta Babylone gloriantur, ut uerè in ipsos competat is titulus: Vos estis nutricij Hierosolymæ meæ. Quem titulum perdent, si profusione opum, luxu, ebrietate, libidine perditi, tyrannide in suos grassentur, sine pœnitentia Christum in ore habentes, & in pectore Sardanapalos spirantes, & eos tota uita exprimentes: quos maximè conueniat rectæ gubernationis honestæq; uitæ lumine suis subditis prælucere. Solent enim Principũ & Regum mores & uita in animos eorum qui parent imperio, influere. Quare suprà in maledictione ponitur, si Princeps puer detur populo: Dabo pueros principes eorum. & Salomon: Væ terræ cuius rex puer est. Cæterùm nutricios Ecclesiæ principes se præstant, partim si Euangelium docendi priuatim & publicè potestatem faciant: partim si stipendia illius doctoribus pendant, & Ecclesiastica bona nõ in suum usum, ad alendos equos & canes & adulatores, & ad exercendum luxum, sed in pauperum & scholæ atq; in ministrorũ Euangelij usum conuertant. Demum nutriciorũ munere fungent, si suos ab aduersarijs, pios homines cœlesti doctrina spoliare molientibus, defendãt. Aduersarij hoc uatis nostri oraculo abusi in

regno ſtulti paſtoris ſui, regum opes & potentiam, imò in reges ipſos imperium ſibi hic promiſſum confirmant. Sed quid aliud faceret beſtia ex terra nata cum ſuis pſeudoprophetis, quàm ut terreſtria & carnalia bona, contemptis cœleſtibus & ſpiritualibus, perſequatur?

Et ſcies.) Probata uariæ afflictionis igni fide, agnoſces id quod ſequitur.

Quia ego.) Meſsias.

Dominus ſaluãs te.) à Deo patre miſſus, ad dandã ſalutẽ tibi: nemo p̃terea alius.

Redemptor tuus.) ad te redimendum ex tyrannide peccati & mortis, & aduerſariæ poteſtatis tenebrarum, perſoluto precio ſanguinis mei.

Fortis Iacob.) Fortis ille heros, de quo ſuprà: Et fortium diuidet ſpolia. Hi ſalutares Meſsiæ tituli, Iehoua, ſeruator, redemptor, fortis, in omnib. grauiſsimis tentationibus fide cõprehenſi, uictoriã concertantibus indubitatam pariunt. 10

Pro ære.) pro doctrina humana, impura & aſpera doctrina, ut æs & ferrũ impura & dura metalla ſunt, afferam aurum & argentum puræ & ſuauis doctrinæ Euangelij.

Et pro lignis æs,) Pro deterioribus reponenda meliora & præſtantiora. ut ſunt aurum & argentũ præſtantiora ære & ferro, ita hæc lignis & lapidibus meliora habentur. Nam impura metalla, ut plumbum, æs, ferrum, cuprum, ſtannum, per admirabilem in hac naturæ obſcuritate uerſantem artem mutantur in aurum & argentũ, in quæ lapides & ligna non conuertuntur. In Eccleſia quoq; æris & ferri uſum fore, ſed cuius æris & ferri? Aeneæ & ferreæ doctrinæ legis, qua pectora durius tacta ad pœnitentiam, & per hanc ad amabilem cœleſtis regni lucem præparantur: ut lex durior & ferreus pædagogus eſt ad Meſsiam & eius ſuaue Euangelium, cuius fulgente luce, durius in pectoribus electorum legis munus deſinit, ut ſequitur. 20 Gal. 3.

Et ponã uiſitationem tuã pacem.) Amabile ſceptrum pacis Meſsiæ latura, quæ antè dirum ſpiritualis Aſſyrij Antichriſti ſceptrum tuliſti. De quo Zacharias: Et humiliabitur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Aegypti recedet. 10.

Et præpoſitos tuos iuſticiam.) Quæ antea exactores aſperos, uim & iniuriã intentantes experta es, iam iuſticiæ ſceptrum regis Meſsiæ experieris. In duris autem exactoribus numerantur, qui doctrinas & præcepta hominũ ad obſeruandum ſeuerè exigunt: quales cauteriatam conſcientiam reddunt in his, qui uera pietate abnegata, falſam per ſuperſtitionem ſequuntur. Talibus exactoribus paſtoris fatui regnum plenum eſt, de quibus uideris apud Apoſtolum in altera ad Timotheum epiſtola. Aequè aſperi & duri exactores ſunt, qui diuinam legem Decalogi, quam per legem, hoc eſt, ui & facultate naturæ præſtes, requirunt. Quale legis præſtandi ſtudium non pacem, non iuſticiam quæ Deo probetur, ſed miſerè turbantem animũ iniuſticiam parit. Nam lex extra Chriſti ſpiritum cùm tentatur perfici, Deo in filio Meſsia, qui ſolus iuſtificat, gloria ſua detrahitur, & naturæ facultati aſsignatur, quod iniuſticiæ ſummæ eſt: per quam Deus de throno miſericordiæ ſuæ deturbatur, qui ſolus per filium Meſsiam iuſtos & ſanctos, per ſpiritum iuſticiæ & ſanctitatis reddit. Sed quales præfectos præficiet Chriſtus Hieroſolymæ ſuæ? Præficiet præfectos, hoc eſt Apoſtolos & doctores, qui per Euangelij miniſterium pacem in conſcientijs creant, de qua ſæpe mẽtio fit: quiq; ut iuſticia uera, quæ Deo ſatisfaciat, cõparetur docẽt. De his p̃fectis ſuprà: Quàm pulchri ſunt pedes annũciantis pacẽ? 4.

Non audietur ultra iniquitas.) Nota iniurię uox חמס eſt, Eccleſiã à uaſtantiũ & diripientium tyrannide ac ui tutam fore. ſuprà: Captiuitas à forti tolletur.

In terra tua.) Alluditur ad myſticæ Hieroſolymæ, quẽ habuit, ſtatum: qui talis fuit, ut ſemper direptioni, uaſtationi & contritioni hoſtili uicinarum & remotarum gentium patuerit. Sed ut hæc grauiter uexata, interdum à ui & iniuria liberata, pacem aſſecuta eſt: ſic Eccleſiam cœleſtem Hieroſolymam, Chriſto regnante,

regnante, à ſuis hoſtibus pacem & tranquillitatem in priore quidem reſurrectione quæ peregrinanti & certanti, in altera uerò quæ triumphanti glorioſo ſtatui reſpondeat, adepturam.

Non erit tibi amplius ſol ad lucendum.) Quæ, ut cœleſtis & noua Hieroſolyma, luce non aſpectabili, ſed inaſpectabili ſit illuſtranda: luce inquam regenerante ad participatum diuinæ claritatis. Quarę ſequitur:

Sed erit tibi Dominus.) De quo Ioannes in Apocalypſi: Et ciuitas non eget, neque luna, ut luceat in ea. nam claritas Domini illuminat eam, & lucerna eius eſt agnus. Dicit lucernam eius eſſe agnum: non Moſem, non lumen naturæ, nõ ullum philoſophiæ lumen. Apocal. 21.

In lucem ſempiternam.) quæ nunquam ei occidat, ut ſol & luna occidunt: ſed quę ſemper ſplendeat. ferè עולם certi temporis ſpacium ſignificat, hic æternitatem. Atq; ut lucet agnus Meſsias ſuis æterno ſplendore: ita ipſi uitam æternã dicuntur habere, in ipſis uerè uiuificante illius ſpiritu uerſante. Nominatur autem ſeculum & rerum duratio עולם, quòd ſecula, ac temporum rerumq; quæ ſeculorum ſerie menſurantur decreta, in diuina mente lateant, hominibus abſcondita. Nota enim uox eſt.

Et *Deus tuus in gloriam tuam.*) Claritati, ſplendori & gloriæ fore Hieroſolymæ, Deum: hoc eſt, in Deo, non in creatis rebus laudandam & celebrandam Hieroſolymam, qui nimirum in Meſsia, per ſacrum huius ſpiritum ſit ſapientia, iuſticia & uita cœleſtis Hieroſolymæ. Eſt & ſua gloria iſs qui in mundo celebres habentur, ab humana potentia, ſapientia & opibus, ſed quæ pereant cum ſuis poſſeſſoribus, ut perijt Aſſyrius Babylonius, Alexander Magnus, & alij cum mundanæ ſuæ ſapientiæ & potentiæ gloria perierunt. At filiorum Dei gloria nunquam peribit, qui ex mundo non ſint: & Deus eorum gloria ad æternã laudem ſit, nulla ui & iniuria obſoleſcens.

Non occidet tibi ſol tuus.) Meſsias, inaſpectabilis ſol non occidet in mũdo inaſpectabili, ut ſol is aſpectabilis in mundo hoc aſpectabili occidit. Dicas, etiam Hieroſolymę de cœlo deſcendenti & peregrinanti aſpectabilem ſollem lucere oriri & occidere. Quatenus Hieroſolyma cœleſtis eſt, & noua, eatenus ei ſol is aſpectabilis non lucet: quatenus uerò peregrinatur in terra, uas imbecille, corpus ſecum circumferens in priore reſurrectione, ſolem orientẽ & occidentem & ſplendentem ſibi habet. In altera autem reſurrectione, ſole nullo alio uſura, ut tota cœleſtis à corpore & animo facta, quàm Meſsia benedicto, & ſplendore diuinitatis Dei patris in filio Meſsia.

Et luna tua.) ſplendore Dei & agni perfuſa. Sed quæ eſt illa cœleſtis luna? Tu iudica. ea alijs locis explicata eſt.

Et complebuntur dies luctus tui.) Explicantur ordine fructus luminis, de quo mentio præceſsit. Lucente Meſsia ſole, diſcuſsis afflictionum tenebris, Eccleſiam perenni gaudio perfuſum iri. De quo ſuprà: Gaudium & lætitia inuenietur in te. Lux enim naturã exhilarat. de qua Salomon: Lux oculorum lætificat animam. Atq; is primus amabilis lucis fructus eſt. 51. Prouerb. 14.

Populus autem tuus omnes iuſti ſunt.) fulgente in eorum cordibus Meſsia per fidei lumen, quod in hoc ſeculo ad iuſticiam priori reſurrectioni conuenientem fulget: in futuro autem per lumen gloriæ ad perfectã iuſticiam, alteri reſurrectioni congruentem fulgebit. De qua iuſticia illud: Fulgebunt iuſti ut ſol. Qui alter fructus eſt lucis Meſsiæ, iuſtos efficere ex iniuſtis, pios ex impijs. Matth. 13.

Hæreditabunt terram.) ut filij legitimi: qua utuntur impij ut ſpurij. Ita quę legitur de his: Impij peribunt. de illis: Iuſti hæreditate accipient terram. Alius fructus. Pſal. 37.

Germen plantationis meæ.) Electos ſurculum plantationum eius eſſe, quos ipſe conſerat ad ſplendorem lucis Meſsiæ in paradiſo cœleſti, ad afferendos fru-

Ioann. 15. ctus, quibus cultor cœlestis pater glorificetur. In hac igitur figurata locutione consideranda occurrunt: cultor ipse Dominus, de quo apud Ioannem, Pater meus agricola est: surculi, qui conseruntur, electi & scripti in libro uitæ, non scripti in libro inferni & mortis. hortus in quo conseruntur, Paradisus est, de quo ad latronem, qui hortulani specie suis à resurrectione apparuit: Hodie Luce 23. mecum eris in paradiso. Præterea spirabilis ille & uitalis spiritus, cum aquis generatricibus, de quibus sæpè meminimus, cõsiderandus proponitur. Demum fructus, quos consiti magna cura surculi afferunt, & finis horum, glorificatio Matth. 5. & amplificatio nominis diuini est, de quo fine illud: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum qui est in cœlis.

Opus manus meæ.) sacri Messiæ spiritus artificio nouum opus fictum.

Minimus in mille.) Quartus fructus lucis Messiæ, propagatio filiorum regni cœlestis: ut sol aspectabilis in mundo hoc aspectabili, propagationis stirpium & animantium per fœtificum suum lumen caussa est: ita lux Messias propagat liberos suæ cœlestis Hierosolymæ, quorum numerus simpliciter ac omnino nõ paruus sit, & exiguus, sed magnus futurus, qui notatur in millenario numero, denarij cubo.

Et paruulus.) Cœtus electorum, qui regnante dracone Satana per filium suum perditum, contemptus in mundo iacuit, robore Messiæ regis carens: iam hoc splendente, robustus erit, omnia uicturus. צעיר enim uox qualitatem minoris denotans, opponitur potenti & robusto. Quare cognoscitur ex hac cõtentione, qua ratione Messias in declaranda potentia sua, ad euehendam sponsam suam Ecclesiam utatur. In hac ratione inferni & cœli, mortis & uitę, infirmitatis & roboris, tenebrarum & lucis, ignominiæ & gloriæ uices admirabiles cerni, diuina sapientia & prouidentia gubernatas.

Ego Dominus.) cuius seruandi meos electos uoluntati nemo resistat, & ego omni aduersariæ potestati resistam, ad defendendas uias bonitatis & ueritatis meæ in filio Messia.

Tempore eius.) Appropinquantis salutis tempore, impletis aduersarij temporibus, cuius regni certum in decretis meis tempus designatũ est, extra quod non egredietur eius tyrannis, certo numero, pondere & mensura Prouidentia omnes casus & euentus & totam rerum naturam metiente: cui numero, mensuræ & ponderi nihil neue adimi neue addi possit.

IN CAP. SEXAGESIMVM PRIMVM.

Spiritus Domini.) Salutaris architecti Hierosolymæ cœlestis ciuitatis, qui Messias est, descriptio in hac sacra concione adhibetur: in qua ordine Seruatoris munera, quibus ad seruãdos suos fungitur, explicantur. Primò autem meminit Spiritus, sed cuius & qualis spiritus? Non sanè cuiuslibet spiritus: non enim creati spiritus, qui uarius in hac uniuersitate cernitur. Nam in hoc aere est spirabilis natura, qui uentus dicitur, ex Dei thesauris prodiens: in stirpibus spiritus ineſt eius uitæ, quæ alendis & nutriendis illis, & ad certam molem augendis munere suo fungitur: in animantibus spiritus uitæ animalis, sensum & motum & uim generandi administrans spectatur. homo habet spiritum cõmunem cũ stirpibus & animantib. & præter hunc, cernas in eo spiritum cuius uis in ratione, mente & intelligẽtia sese ostẽdit. Sed præter hos spiritus, præstãtissima spirandi facultas in homine spectatur, quæ ipsum animat ad eam uitã quæ Dei uita est: quę ipsum sapientẽ reddit ea sapientia quæ Dei sapientia est, nõ creata sapientia. Idẽ de fortitudine & iusticia iudiciũ est. Is spiritus hic prędicatur, quo prędituſ, & eo citra mensurã, Messias creditur: & quo ad mensurã donationis illius electi ac scripti in libro uitæ beneficio

regenera-

regenerationis ornantur. Atque is ſpiritus dicitur hic Iehoua patris ſpiritus, in Meſsiam per conceptū in ſacra uirgine de cœlo profectus, qui electis non animalem, ſed ſpiritualem, non terrenā & creatam, ſed cœleſtem & non creatam, quæ creatura ſit, uitam inſpiraret: & eorū corpora terrena olim cœleſtia, & animalia ſpiritualia in die excitationis mortuorū ad uitam, efficeret. Vnde Meſsias ab Apoſtolo appellatur, de cœlo cœleſtis homo, in ſpiritum uiuificantem factus: ſecus quàm homo primus appellatus eſt, homo nimirū de terra terrenus, in animā animali uita præditam effictus, cuius corpus ex terræ limo efformatum, terrenū, non cœleſte eſſet: & anima in corpore & per corpus ea munera obiret, quæ ueteri mundo congruebant: ut ſunt ſentiendi, mouendi, generandi ſobolem, & res præſenti uitæ commodas intelligendi munera & officia. Spiritus aūt ſacer Domini, quo Meſsias ſupernè unctus eſt, fuit in hoc halitus & flatus Dei patris uiuificans, & nouam atq; cœleſtem ſobolem ad uitam æternam generans, quæ horum elementorū uita non ſit, ſed ſupracœleſtis uita, ad eam quoq; per eundem halitum ac ſpiritum corporibus magna totius naturæ conditæ expectatione excitandis. Atq; id præſtat & præſtabit Meſsiæ ſpiritus, de quo hic: Spiritus Domini ſuper me. ubi uocula Super duo indicat. Alterum, præſtantia diuini ſpiritus eſt, qui nō infernè aſcenderit, ut ſpiritus beſtiæ Antichriſti infernè aſcendit ex abyſſo: ſed ſupernè in filium Meſsiam, cœleſtis uidelicet conceptus ui deſcenderit: & ita è ſpiritu conceptus credatur, ut non certum eius modum in cōceptu, ſed omnem eius copiam ſine menſura & modo, ut eſt apud Ioannem, acceperit. Alterum igitur quòd in uocula Super notatur, eſt, in IESVM Chriſtum ſupernè ita reſediſſe ſpiritum Iehoua patris, ut meritò ſicut is Dei patris ſpiritus appellatur, ita etiā filij ſpiritus appelletur, partim quòd naturà illum & plenè ex cōceptu habeat: partim quòd pater cœleſtis nemini ſui ſpíritus modum largiri ſtatuat, niſi eum ex filij Meſsiæ ſpíritu accipiat. Hinc crebrò illa uſurpantur: ſpiritus filij, ſpiritus Chriſti. de quo Apoſtolus: Quod ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, is non eſt eius.

Apocal.13. *Ioann.3.* *Rom.8.*

Eo quòd unxerit me.) Meminerat ſpíritus: iam unctionis mētionem facit, quòd ſacer patris ſpíritus oleum illud diuinitatis ſit, quo filius unctus, rex & ſacerdos ſalutaria ſua munera peragit: ſacerdotis quidem officio fungens in ſacrificādo, precando, docendo & benedicendo. Hoc enim in adminiſtratione legis ſacerdotale munus erat, ſub figura noſtri ſacerdotis muneri præludens, qui Meſsias uerus ſacerdos eſt, qui non pecudes ad placandum Deum patrem, ſed ſeipſum piacularem hoſtiam obtulit: doctorem non legis Moſęæ, duræ & aſperæ legis, ſed ſuauis Euangelij legis exhibet: precatorem item & interceſſorem agit ad patrem, quem is ſemper exaudiat, ut qui pari cum patre poteſtate præditus, quæ precatur, ipſe præſtet, ſed à patre exaudiente præſtet. Idem de benedictione iudicium, qui re benedicit: cùm ſacerdotes legales nō re, ſed uerbis benedicere ſoliti ſint. Oleum autem regiæ unctionis, in quo ſe declaret, peccati, mortis, inferni & poteſtatis tenebrarum uictoria, & ſpíritus ſancti, qui in filijs regni aduerſus omnem aduerſariū principatum regnet, donatio documento eſt. Atq; hæc cauſſa eſt, cur toties in prophetis ſacri ſpíritus ſit facta promiſsio, ut quo unctus IESVS filius Dei, Meſsiæ ac Chriſti nomen ſortitus, omnem ſalutem in electis expediat. Nam per hunc is regenerat filios Dei, per hunc docet omnem ueritatem, per hunc cōſolatur in rebus aduerſis, & pectora tanquā arrabone obſignat, de fauore Dei: per hunc uiuificat, & uerè probos & ſanctos reddit, quos tandem ſit glorificaturus. Dicas: Si diuinus Meſsiæ ſpíritus omnem ſalutem efficit pijs, quid ergo caro Meſsiæ, quid eius ſanguis, quid mortis meritū & reſurrectio efficit? Spíritus is de carne Meſsiæ in nos manat. Tollas igitur carnem & ſanguinem, tollas humanā naturam de Meſsia: ſpolias omni ſacri ſpíritus munere electos, quē hi de plenitudine ſpíritus, quo caro

Christi deuncta est, accipiunt. Tolle meritum mortis & fusi sanguinis, & præstitæ obedientiæ Messiæ: sustuleris etiã spiritum sanctum, sustuleris ueram iusticiam, uerũ gaudium, uerum testimonium de fauore reconciliati patris, liberans nos à iure peccati & mortis: sustuleris uitam æternam. Nam sacri spiritus donatio, meritorũ obedientiæ Christi usque ad mortem & resurrectionis eius donum est. Quare si fundamentũ salutis spectas, mortis & fusi sanguinis IESV Christi meritum occurrit. Sin id quod ędificatur super fundamentũ meriti, & eius fructũ cõsideras, occurrit spiritus Messiæ, primorũ parentũ culpa amissam iusticiã & uitam reparans. In merito igitur mortis Messiæ, & eius obedientia, piacularis & satisfaciens iusticia, quã seuero Dei iudicio, accusantiq; & condemnanti legi opponamus, cernitur. in Spiritu sancto, cõformans animos nostros cum diuina uolũtate iusticia spectatur: cuius spiritus in electis primitias Pater tanti facit in filio, unde proficiscuntur, ut peccatũ, mortem, & portas inferorum frangat, & earum de salute testimoniũ nulla contraria uis labefaciat. Nam hæ primitiæ, regij sacerdotij primitiæ sunt: cuius regij sacerdotij oleo uncti electi, filij Dei, domini omniũ, uitæ & mortis, cœli & inferni, peccati & iusticiæ, præsentis & futuri sęculi constituuntur. Ad hoc mysterium præsignificandum, mons Oliueti à Zacharia memoratur, super quo nouissimis temporibus patefactionis Euãgelij Dominus staturus sit, interiecta media ualle magna, per quam electi fuga sibi consulturi sint. Is oliuarum mons clarus oleo, & fissus, nobis regium sacerdotium in ijs qui sacerdotes & reges oleo sacri spiritus Messię uncti sunt, indicat. Hoc filij Dei per gratiã adoptionis uncti, per fugam ex regno draconis & filij perditi, salutem sibi comparant. Nam duo hæc, sacerdotium & regnum Messiæ, eos qui regalis huius sacerdotij oleo delibuti sunt, exitio omni liberant. Sed unde hoc oleum salutare proficiscitur? Supernè de cœlo proficiscitur, quod nobis mons celebris precationibus Messiæ præfigurat, de quo sublimi diuinitatis oleo illustri monte illud: Cùm ascendisset in altum, & captiuã duxisset captiuitatẽ, dona dedit hominibus. Sed quæ dona? Dona olei, spiritus regij sacerdotij, de quo hic eius dispensator: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me.

84. Psal. 68. Ephes. 4.

Ad *nunciandũ mãsuetis misit me.*) Sacro, quo unctus sit Messias, oleo expositio, iam ordine eius munera exponet: indicato prius, ad confirmandã suam functionẽ, à quo missus sit: deinde quib. missus sit: postremò, ad quod munus obeundũ missus sit. Qui misit, pater Iehoua est. dicit enim, Dominus misit me. de quo apud Ioannẽ: Qui misit me, uerax est, ut faciã uoluntatem eius q̃ misit me. In eo aũt qui missus est, Messia, duæ spectantur formæ ac personæ: altera filij, altera serui. Si filij personã consideras, intellĩgitur à patre missus, ut paris cum eo potentiæ & potestatis, qui dicat: Et tua mea sunt. sin alteram, hoc est serui personam seu formam spectas, is ad tempus posita filij & Domini omnium forma, serui figurã ac personam induit, semetipsum inaniens usque ad peccati & mortis maledictionem. Hanc igitur formã seruilem & abiectam sustinens, nõ solùm patre, sed etiam angelis (ut scriptum est, Paulo minor angelis factus) minor apparuit, imò etiã homine ipso contemptior in mundo uisus est. Nam crucis opprobrium tulit, quale nullus hominum ferret, ut uerè de se diceret: Vermis sum, & non homo. Hac figura missus à Deo, mirabili uictoriæ genere clarus factus est. Nam peccatum factus, uicit peccatũ, ad liberandos nos peccato: mortuus uicit mortem, ad uitam suis dandam: infernũ subiens, fregit ferreas inferni portas, ut suos in cœlestem lucem transferret. Atq; ad hoc lætum nuncium nunciandum afflictis, dicit se missum, ut sequitur:

Ioan. 7. Ioan. 17. Philip. 2. Psal. 8.

Ad *nunciandum.*) Exponit, ad quod munus fungendum missus sit: scilicet, ad Euangelium, hoc est lætum nuncium per Apostolos in orbe terrarum prædicandum missum esse. quod est לבשר, LXX εὐαγγελίσασθαι. Est aũt Euangelium cœlestis

lestis doctrina, Apostolis per Spiritū sanctum patefacta, qua docetur, merito mortis Messiæ donari nobis spiritū sanctum, cuius ui merito sanguinis IESV Christi patrem cœlestem nobis reconciliatum, condonatis delictis, filiŋq; iusticiam & uitam nobis cōmunicari credamus. Hinc fit, ut Euangeliŋ ministerium appelletur administratio non literæ, sed spiritus: non mortis, sed uitæ: nō condemnationis, sed iusticiæ. Sic enim ait Apostolus: Qui & idoneos nos fecit 2.Cor.3.
ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritus. Nam litera occidit, spiritus aūt uiuificat. Et quantum ad dispensationem iusticiæ attinet, idem ait: Nam si administratio cōdemnationis gloria, multo magis excellit administratio iusticiæ in gloria. Dispensari autē spiritum per prædicationem fidei in filium IESVM, cuius ui credamus nobis placari Deum remissis delictis, & per eum accipere nos promissam iusticiā & uitam æternam, idem Apostolus his uerbis 9.
testatur in epistola ad Galatas: Hoc solum cupio discere à uobis, ex operibus legis spiritū accepistis, an ex prædicatione fidei? Hoc est, ex prædicatione Euangeliŋ, docentis ex fide in Messiam donari credentibus spiritum generantem filios Dei, & amissam iusticiā & uitam reparantem acceperitis, an ex doctrina legis & operum? Dicit hic Dominus, se missum ad Euangeliū prædicandum. Contrà Moses, missus ad legem in monte Sina Arabiæ Petreæ promulgandam legitur, de quo illud: Lex per Mosem data est. Quid autē inter Ioan.1.
hanc & Euangelium interfit, ab utriusq; promulgatore, à locis in quibus edita sunt, à munere, ui & facultate, & ab ijs quibus promulgantur, satis id clarum est ex alijs scripturę locis, & ex hoc uatis nostri oracculo. At quoniā in hac concione totū Messiæ munus, quo ad seruandum humanū genus fungitur, explicat: nemo miret, ad id cōfirmandum ex Propheta nostro testimoniū à Christo citatū. Sic enim legimus apud Lucā: Et uenit Nazareth, ubi erat nutritus, & in- Luca 4.
trauit pro cōsuetudine sua die sabbathorū in synagogā, & surrexit ut legeret. & traditus est illi liber Iesaiæ prophetę. & ut explicuit librū, inuenit locum ubi scriptū erat: Spiritus Domini super me, propterea q̄ unxit me, &c. Et cōplicato libro, reddidit ministro, ac resedit, & omniū in synagoga oculi erāt defixi in eū. Cœpit aūt dicere ad illos: Hodie impleta est hæc scriptura in auris. uestris.

Mansuetis.) Explicatur, quibus Euangeliū ad salutem annuncietur. Non promiscuè omnibus salutare esse Euangeliū: non enim iusticia & sapientia humana inflatis, nō securis de peccato, & de Dei in illud iudicio. Etenim talibus Euangelium crucis aut offendiculo est, aut stulticiæ: offendiculo quidem hypocritis, stulticiæ uerò Epicureis, quorum utrorumque hodie magnus numerus est, ut semper fuit. Sed quibus Euangelium salutare est? לעניים, hoc est afflictis & deiectis animo salutare est, qui uitiosam suam naturam & peccata agnoscunt, & eorum ueniam à Deo fieri cupiunt. Talibus legitur hic Euangelium, quod cum fructu audiant, annunciari. Quare sequitur:

Vt mederer contritis corde.) Exponit ordine, quæ salus administratione Euāgeliŋ afferatur: medicinam, qua sanetur peccati morbus, se per Euangeliŋ nunciationem afferre. Pœnitentiæ uidelicet malleo per legem cōtusis se mederi, per sacri Euangeliŋ spiritum. Nam lex doctrina est, Dei uoluntatem, quid hæc fieri uelit aut nolit, declarans, & eos qui contra illam quid commiserint, accusans & damnans. Contrà Euangeliŋ doctrina ostendit, unde uis petenda sit legem exequendi: & si quid contra eam peccatum sit, unde medicinam & ueniam peccati petas commonstrat. Proponit enim tibi Christum medicum, cuius sanguis abluat tibi culpæ labem, & ex quo haurias spiritum, quo afflatus legi parēre incipias. Lex igitur cùm imperat quæ fieri conueniat, neque ut fiant uim præstat, pectora accusando & damnando deiŋcit & frangit. Fides autem in Messiam, quæ Euangeliŋ prædicatione continetur, impetrat quæ lex imperat: hoc est, spiritum charitatis & amoris Dei exhibet, qui carnea

pectora efficit, quæ saxea & lapidea lex reliquerat. Quare lex uitiosæ naturæ
Rom.7. indicis munere fungitur, de quo munere illud: Peccatū non cognoui, nisi per legem. Euangelium uerò per prædicationem fidei in filium, medicinā, qua indicatus morbus sanetur, adhibet. Hinc apud Prophetas noui fœderis lex, quę spiritus adoptionis lex est, nō in tabulis saxeis, ut lex Mosæa, sed in tabulis carneis scribi legitur. Præterea lex Mosæa, iræ diuinæ & maledictioni obnoxios
Gal.3. reddit transgressores. Sic enim scriptum est: Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Euangelium contrà, transgressores legis credentes in filium, maledictū & peccatum factum, maledictione peccati & mortis liberat: benedictione spiritus, iusticię & uitæ in IESV Christo, eis donata. Atq; hoc ipsum est quod hic dicitur, Vt mederer contritis corde. Sed hac de re aliquoties etiam suprà mentio facta est.

Et prædicarem captiuis indulgentiam.) Se missum, quo ijs qui captiui abducti, peccati & mortis serui facti sunt, libertatem ediceret, nuncians eos remissis peccatis & deleta morte liberos factos, donata libertate ueræ iusticiæ & uitæ. de
Ioan.8. qua libertate ipse sic loquitur apud Ioannem: Si liberos uos filius fecerit, uerè liberi estis. Si liberos, inquit, filius uos fecerit, donato spiritu sancto, seruitutē peccati & mortis dissoluente, & liberum iusticiæ Dei & uitæ ius restituente, uerè liberi estis. de quo libertatis spiritu Apostolus: Vbi spiritus Domini, ibi
2.Corint.3. libertas. Vbi spiritus Messiæ, inquit, regius ille spiritus, dominatum in peccatum, in mortem, in infernū, in mundum, in principatum mundi, in ipsum Satanam & eius ministros tenens, ibi ueræ libertatis ius locum habet. ut contrà seruituti miseræ locus, ubi contrarius spiritus, qui draconis spiritus est per peccati & mortis tyrannidem, in filijs diffidentiæ regnat. Quare Dominus hoster, cùm dicit hic se missum à patre, qui captiuis libertatem edicat, non de quauis
LIBERTAS. libertate loquitur, & seruitute. De qua aūt libertate loquatur, ex partitione eius cognoscetur. Nam cùm duplex libertas sit, altera ciuilis, altera sacra & cœlestis: de hac fit hic mentio, quæ ciuili adumbratur. Est autem ciuilis libertas, uiuendi ut uelis, tuta & recta, hoc est, legib. reipub. bene constitutæ consentanea potestas, per quam liceat tranquillè & securè uiuere. Contraria conditio seruitus est, quæ ut uelis secundum naturam uiuere, potestas non est. Huic sub tyrannis uiuentes obnoxij sunt: illa uerò utuntur, qui in laudatis Rebuspub. degunt. quales sunt, regnum, optimatum potestas, & ea respub. quæ communi nomine dicitur Respub. At hac de re aliàs in Mosæ explicatione mentio facta est. Sacra aūt & cœlestis libertas, uiuendi ut uelis rectè, hoc est consentaneè Euangelio, tuta & tranquilla potestas est, qua liceat à iure peccati & mortis, & ab obseruatione elementorū mundi liberam conscientiam per spiritum Messiæ tueri atq; per eundem regalis sacerdotij beneficio in omnia imperium obtinere. Quod attinet ad ius peccati & mortis, ut ab hoc liberi sint Messiæ
Rom.8. spiritu præditi, his uerbis docet Apostolus: Lex spiritus uitæ, (hoc est, spiritus ipse sanctus uiuificans) liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Dicit, lex spiritus uitæ: non dicit, ratio & uoluntas humana, quæ uitiata originis uitio, serua peccati est, non libera iusticiæ libertate. non dicit, Legem Mosęam liberos à iure peccati efficere, quæ peccatū iudicans accusat & damnat. Quod uerò ad elementorū mundi obseruationem attinet, ab hac libertas quem locū
Galat 4. in filijs regni teneat, declarat illud: Sic & nos cùm essemus pueri, sub elementis mundi eramus, in seruitutem adducti. Sed quomodo ab hac seruitute liberamur? Sequitur inibi: At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quoniam aūt estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Itaq; iam non es seruus, sed filius. Sunt autem elementa mundi, res externæ, quas qui obser-

obſeruant, religionis ergò obſtricti conſcientia obſeruādas eſſe credunt: ut apud Iudęos Moſęæ ceremoniæ fuerunt, quę de delectu dierū, ueſtium, ciborū, ſacrificiorum, & ſi quæ eius generis ſunt, editæ fuerunt. Ab harū obſeruatione, ut præſentatus in mundum fuit Meſsias, liberos reddidit ſpiritus adoptionis, interioris Dei cultus autor. ueluti idem Apoſtolus teſtatur his uerbis: Poſteaquam cognouiſtis Deū, quomodo conuertimini denuò ad infirma & egena elementa, quibus iterū ab integro ſeruire uultis? dies obſeruatis, & menſes, & tēpora, & annos. Quanto magis ſpiritus Chriſti nos ab obſeruatione elementorum mundi liberat, quæ filius perditus partim ex Moſe repetijt, partim de ſuo excogitauit? Is cōtempta religione noui fœderis, nō perpendit, in ſolo Meſsia, ad nulla mūdi elementa affixo, ſed liberè ad dextram patris in throno gratiæ, iuſticiæ & uitæ æternæ regnante per ſacrum ſuum ſpiritum, Deum parem colendum eſſe. Ad quem cultum ſacræ literæ & myſteria ſeu ſacramenta nos reuocant, & ab alia omni colendi Deum ratione auocant: ut id alio loco demonſtratum eſt, aduerſus eos qui nimis exiliter & anguſtè de regno Meſſiæ loquuntur. Demum dominatus & imperium in omnia, ut cadat in libertatem, in quam nos Meſsias per ſpiritum aſſerit, indicat illud in Pſalmo: Omnia ſubiecit pedibus eius. Nam principatus regius, quem datum ſibi Chriſtus, ut reſurrexit è mortuis, fatetur, Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: conceditur etiam electis, regio ſacri ſpiritus oleo unctis. de quo illud: Fecit nos reges & ſacerdotes. Dicas: Si reſtitutus eſt dominatus & mundi imperium pijs, quid ergo faciemus illi: In mundo afflictionem habetis? Cur ſancti exilijs, captiuitatibus, & tot malis infeſtantur? Cur Apoſtolus monet fideles, ut poteſtatibus mundi pareant, & tributa eis ſoluant? Quid his reſpondeatur, in Exodo indicatum eſt. Libertati electorum contraria eſt ſeruitus, quæ in regno Satanę & in Babylone ciuitate Antichriſti cernitur: quæ eſt miſera conditio, in qua non liceat tranquillam conſcientiam à peccati & mortis accuſantis & damnantis iure defendere. Eſt autem ius peccati & mortis, ius quo nobis peccatum & mors dominantur. Dominatur autem peccatum primò, cùm nos totos ita poſsidet, ut per id nihil ſanctè neue cogitare, neue uelle, neue agere liceat, ſed pręcipites in uitia ferimur. De quo iure ſic loquitur Apoſtolus: At ego carnalis ſum, uenditus ſub peccatum. Itaq; ut empta in emptoris ius & poteſtatem ueniūt: ſic uenditi ſub peccatum, toti in peccati poteſtate ſunt, ut quò illud impulerit, proni & præcipites ferantur. Eôdem ſpectat Dominus apud Ioannem, ubi ait: Qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati, libera rectè & cogitandi & agendi facultate ſpoliatus. Idem iudiciū de iure mortis eſt, quod ex iure peccati naſcit. Stipendiū enim peccati mors eſt: ut præmium & ſtipendium iuſticiæ uita. Nam qui in peccati carcere captiui detinentur, ita mortis tyrannide opprimūtur, ut nullam prius uitæ cōparandæ ſpem cōcipiant, quàm è nexu exempti ſint. Etenim ut animantiū corpora mortua dicūtur uitali animæ halitu ſpoliata: ita uerè mortui iudicantur, qui uitali IESV Chriſti ſpiritu carent, qui locum non inuenerit in ijs quos peccatum captiuos tenet. Hoc igitur mortem intentandi ius, quod peccatū habet, partim in corporis, partim in animæ morte ſpectatur: ut utraque autem mors conſecuta ſit delictum primi hominis, conſtat. At quanto præſtantior eſt uita animorum, tanto acerbior horum mors eſt, quàm corporum. Nam hæc mori dicuntur, diſcedente ab eis animo: animi uerò, priuati Deo, perenni & æterna eorum in filio Meſsię uita. Nam ut animali halitu ad temporariā uitam corpora animantur: ita ſpirituali flatu animi electorum per ſpiritū Meſsiæ ad uitam æternā uiuificātur. Horribilis igitur mors animorū eſt, quā noxa eis affert, in qua perpetuò peccatū per legem ipſos ad thronū iuſticiæ Dei accuſat & cōdemnat: quod maximè dirū & ſæuū ius peccati eſt. Quid enim intolerabilius ſenſu iræ diuinæ in peccatū accenſæ

Galat. 4.

Pſal. 8.

Matth. ult.

Apoc. 1.

Ioann. 16.

Rom. 13.

Exod. 21.

Rom. 7.

Ioan. 8.

Rom. 6.

censæ fuerit? Hanc qui sentiunt, uel senserunt aliquando, de eius grauitate & onere testimonium ferre possunt. Et quoniam peccatum hanc suam letalem tyrannidem per legem cõdemnantem exercet & declarat, meritò hinc lex pec
1.Corinth.5. cati uis appellatur, de qua Apostolus: Peccati potentia lex est. Quare iure hæc iræ, non gratiæ, mortis, non uitæ, inferni, non cœli, maledictionis, non benedictionis ministra appellatur: sed hoc munere illa nõ sua natura, qua bona & sancta est, sed per occasionem peccati utitur. Nam id cum ostendit, & delere nequit, tam diro officio fungi dicitur. Contrà cum peccatum indicatum & reuelatum Messias per spiritum suum uincit, iusticiam largiens, & uitam, is meritò de se hic dicit, à patre unctum & missum, qui libertatem, per peccatum & mortem captiuis edicat.

Et clausis apertionem.) Addit Hebræus, carceris: Vinctis edici solutionem carceris. sed cuius carceris? Carceris sanè, in quo peccati, mortis & inferni uinculis uincti à Satana tenemur. Qualis status longè miserrimus status est, carceris nomine nota figura loquendi appellatus. Hunc miserum statum ut Iesaias carcerẽ
Zach.9. uocat, ita etiam infernus is appellatur, & eum Zacharias lacum nominat: Tu quoq; in sanguine testamenti tui, emisisti uinctos de lacu: hoc est, solutis peccati, mortis & inferni uinculis, liberos eos reddidisti, ea libertate de qua præcessit mentio, ipsis donata. Quid autem nomine inferni significetur, aliàs indicatum est. Sed quis solutionem carceris tam tetri clausis edixit, & edicendo eam solutionem perfecit? & quomodo, & qua ratione perfecit? Non sanè ullus è primo de terra terreno homine conceptus & natus, nõ ullus patriarcha, non Moses, non ullus Propheta, neq; ullus angelorum, qui ut ministri electorum, non poterant seruatoris nomen obtinere. Sed hoc nomen in eum solum congruerit, qui uniuersam naturam conditam in se complexus, diuinitatem totam continet. Qualis non angelus, sed homo fuerit: sed talis homo, qualis Messias est, æternũ uerbum patris, homo spiritu sancto per conceptum sine modo & mensura perfusus. Itaq; is dicit hic, se missum à Iehoua patre, ad redẽptionis electorum opus perficiendũ, neminẽ alium missum. Sed qua ratione & modo missus à patre Iehoua, hæc quæ hic memorantur, salutis munera absoluit? Hac ratione absoluit, quòd ipse seruus, cũ Dominus omnium esset, factus est: ut in libertatẽ, qui serui & mãcipia peccati eramus, nos uindicaret: & qui uacãs culpa omni, iusticia Dei & uita perẽnis erat, in carcerem dirum, peccatũ & maledictũ mortis factus, concludi se permisit, ut nos iusticia & uita ornaret, soluto tetri carceris nexu. In qua ratione liberandi nos, duo pręstitit. Alterum est satisfactio, qua iusticiæ diuinæ satisfecit, dum innocens pro nocentibus, & insons pro sontibus mortẽ & carcerem inferni subeundo, redemptorium sanguinis sui precium persoluit. quod est apud Zachariam, Messiam sanguine testamenti sui uinctos è lacu emittere. Alterum est, immensæ clementiæ Dei patris declaratio, qui sustinuerit filium suum in mortem tradere, qua expiaret peccatum, ut nobis uitam liberali gratia condonatis delictis daret. Atq; ita simul iusticię Dei satisfactum est, qua peccatum inultum non sinitur: & uia ad ostendendam misericordiam inuenta ac munita. Quòd legitur hic, uinctis carcerem per Messiam solutum, latius carcer sumitur quàm apud Petrũ. Nã hic accipitur generatim pro misero
1.Petri 3. statu, in quo sunt qui peccati & mortis uinculis cõstricti sunt. apud Petrũ uerò, ubi ait, Sed uiuificatus spiritu, in quo etiam abijt, & spiritib. qui erant in carcere prędicauit, qui inobedientes fuerãt quondã. ubi arctius sumit carcer, pro statu eorũ qui ante præsentatũ in mundũ Messiã expectabãt publicã lucis Euãgelij patefactionẽ: cuius ut illi quoq; participes fierẽt, anima Christi separata à corpore in sepulchrũ cõdito, triduo illo patefaciẽdi opus liberationis munere fun
85. cta est, & cõfecto triduo corpori restituta est. Quod est, ut in Psalmo legit, Nõ relinques animã meã in inferno: hoc est in eo statu q̃ anima mea ęgrè à corpore seiuncta,

seiuncta, ad id redire cupiebat, ad perficiendam salutem mũdo per resurrectionem mei, sine qua illa perfici non poterat. quod erat, Christi separatam animã in inferno uersari: ut animi electorũ in carcere & inferno dicebantur antè publicè mũdo reuelatum Christum habitare, quòd expectarent eius patefactionem: non quod omnino luce carerent in specu quodã subterraneo, quem limbum uocarunt, concluſi. Quare carcer & infernus aliter intelligitur, cùm in eo uersari sancti & pij dicuntur: aliter, cum impij & maledicti. Nam hi ita in carcere inferni detinentur uincti, ut nunquã ex eo solutis peccati & mortis uinculis liberentur: quorum ignis non extinguatur, & uermis nunquã moriatur. *Marci 9.*
Illi uerò in carcere, de quo hic Propheta, & Petrus in sua epistola loquitur, uersantur, quem eis, ut scriptis in libro uitæ, sanguis Christi aperiat, non peccatum perpetuò clausum teneat. Quare apud sapientes homines alter carcer infimus infernus, & carcer alter superior appellatur. hũc electorum esse, alterũ maledictorum. De hoc fieri mentionem in Psalmo: Liberasti animã meam de inferno infimo. *Psal. 85.* Item in Deuteronomio: Quia ignis succensus est in ira mea, & ardebit usq; in infernum inferiorem. *32.* Intra huius ferreas portas quamuis peccatum omnes concludat, si seuerum iudicium diuinæ iusticiæ spectes, gratia tamen electionis in Messia, quorum nomina consignata sunt in cœlo, ex illo liberantur, quamlibet ad tempus eius uim & ignem sentiunt. Vt etiam Christus in cruce pendens, inferni huius maledictionem & dirum ignem expertus est, clamans: Deus meus cur deseruisti me? Quare cùm hoc modo distinctè *Psal. 21.* de carcere & inferno loquimur, ea distinctio non ex loco simpliciter dimetienda fuerit, sed ex eo statu quo qui propius à luce diuinæ beneuolentiæ absunt æstimanda. ut in cœlo uersari dicuntur, quos fauoris Dei lumen circumfulget in Messia luce electorum. Ex his patet primò, duplicem infernum & carcerem nobis in sacris literis proponi: alterum corporatũ, alterum spiritualem. Corporatus est, in quo corpora sepulta usq; ad diem resurrectionis custodiũtur, & infernus proprie nomine שְׁאוֹל significatur, & omnibus ex primo Adamo natis hæc sententia destinatur: Ex terra es, & in terrã conuerteris. At in hoc car- *Genes. 3.*
cere & inferno diuersa ratione electorum & reproborum corpora concluſa iacent. nam horum corpora excitabuntur ad probrosam & ignominiosam è terræ puluere uitam: illorum, ad gloriosam. Spiritualis infernus ac carcer ut diuidatur, iam indicatum est. Pergamus.

Vt prædicarem annũ placabilem.) Qui meminisset beneficij soluendæ seruitutis & aperiendi carceris, iam anni reconciliationis & placationis mentionem facit, in quo uenditi sub peccatũ, libertate donãdi sint. Is annus patefactionis Messiæ annus est, de quo suprà: Tempore רָצוֹן, hoc est tẽpore quo erat mihi fauor & beneuolẽtia in meos electos ostendẽda, exauditus es ô fili, ut per te illos seruarem. Et Apostolus in altera epist. ad Corinth. Ecce nũc tempus acceptũ, ecce *6.*
nũc dies salutis. ubi tẽporis uocula Nunc, & Hodie, in illo, Hodie si audieritis, totũ tempus reuelationis gratiæ diuinæ à Christo mũdo exhibito, usq; in finẽ mũdi cõplectitur. Itaq; in hoc recõciliationis anno, ad iubileum Mosæ annũ, in quo libertas & reditus, ac aditus cuiuis ad patriã hæreditatem patefiebat, alluditur. De quo iubili anno, præfigurante hunc à Messia annũ edictum Iubi- *Leuit. 25.*
leum, in Leuitico mystica explicatio instituta est. In hoc igitur placationis Dei tẽpore hæc considerantur. Primò ea, in quibus declaratur ira diuina placanda, ut est peccatum & mors, & amissa hæreditas cœlestis. Deinde ea, quæ placato Deo peccatũ & mortem abolent, & hæreditatem restituunt. hæc cernuntur in morte & resurrectione Messiæ, atq; eius euectione ad splendorem cœlestis regni & uitæ, effuso inde Spiritu sancto omnium reparatore, & euertente aduersariorum & hostium regnum, de quo sequitur:

Et diem ultionis.) de hostibus Messiæ & electorũ eius sumendæ. Est tempus ultio-

ultionis impiorum, in quo per Euangelium in illos Dominus uindicat, eorum tyrannide deiecta. Qualis est dies ultionis, in quo Satanis crudelitas coerceẽ, & filij eius Antichristi regnũ destruit spiritu oris Messiæ, ad liberãdos electos in hac priore resurrectione ex misero errorũ & tenebrarum carcere. Priuatam priuatorũ uindictam non cõmemoro. Est item tempus ultionis, in quo uenturus cum maiestate filius, generalem uindictã de impijs ad æternum ignem damnandis, expetet. Horribile his hoc tempus ultionis erit, ut pijs amabile & suaue, in altera illa resurrectione, spe ab uniuersa natura præsumpta. De utroq; ulciscendi tẽpore loquitur hic Propheta: sed de posteriore sub figura prioris, de quo Prophetarũ more aliàs. Itaq; utrumq; tempus & salutis piorũ, & interitus impiorũ, in decretorũ Dei tabulis consignatũ est, ut neq; pij de redẽptione sui desperare debeant, neq; impij hostes securi de diuina ultione esse possint. Quæ tẽpora in Dei prouidentia annotata, his extremis temporib. summã consolationẽ afflictæ Ecclesiæ attulit. Graues hostes sunt, qui fortunis & necessarijs rebus ad uictũ nos priuant: grauiores, qui corpora sua uita spoliant: sed longè grauissimi sunt, qui animis suam uitam, quæ Deus ipse est in Christo spiritu, auferre moliuntur. Qualis hostis est Satan, omniũ hostilium consiliorũ aduersus Messiam & electos eius architectus. Is pariter corporis & animi uita filios Dei spoliare studet. ut exemplo est primus Adamus, quem & paradiso, & uita tum corporis tum animi priuauit. pari clade posteros illius affecit, inuecto in mundum peccato, & morte stipendio peccati, morte inquã utriusq; corporis & animi, importata. Corpus quidẽ interemit, huic ipso adempta uitali anima sensum & motũ administrante: animum aũt occidit, fide ei ablata, per quã agnosceremus Dei erga nos fauorẽ, in qua cognitione uita æterna posita est. Nam hæc quid aliud est, teste Messia, uitæ huius per spiritum suum largitore, quàm noscere Deũ patrem, & eum quem is misit, IESVM Christum. Quare uerè Satan homicida & mendax, atque mendaciorũ pater, qui mendacijs omnia perdere studeat, appellatur: cuius libidini si Deus indulgeret, cũcta cum homine perderet, stirpes, animantia, elementorũ temperiem, & domestica, ciuilia & ecclesiastica imperia. Quare præstat, ut armati fide aduersus hunc hostem in acie ad uictoriã comparãdam semper uigiles stemus, expectantes uindicem ultoris manum, de qua hic: Ad edicendum diem ultionis Dei nostri.

Ioan.17.

Vt *consolarer omnes lugentes.*) misso de cœlo spiritu consolatore, qui uexatos uarijs afflictionibus consoletur. De quo apud Ioannem: Si enim non abiero, consolator ille nõ ueniet ad uos: sin aũt abiero, mittam eum ad uos, qui uos ex seruitute in libertatem assertos, & persequente mundo ac principe deo & eius Satana, consoletur. Legimus hic, Vt consolarer lugentes: sed quos lugentes? Num'ne omnes qui sunt in luctu, consolatur spiritus Messiæ? Absit, sed eos lugentes consolatur, de quibus Dominus loquitur: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, ego refocillabo uos. Dicit ueniendũ esse lugentibus, ad se. Non igitur nisi qui ueniunt ad Messiã, consolationẽ in luctu à spiritu consolatore accipiũt. Veniunt aũt ad illũ, qui fide agnoscunt à patre eum missum, cuius nomine in afflictione reficiantur. Quare Satan, & filius perditus, & eius pseudoprophetæ, tyrannique orbis terrarũ, sæui Ecclesiæ persecutores, in luctu erunt, nulla consolatione refocillandi, ut ad Messiam fide non uenturi, in quos extat hæc sententia edita: Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Sic Cain lugens consolatione caruit, qui non ueniens ad Messiam, qui heri & hodie est, dixit: Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam mereatur. Similiter ipsius Cain posteri, qui in diluuio extincti sunt, lamentantes suam miseriam, consolationis expertes fuerunt. Idem de Sodomitis & Gomorræis cœlesti igne absumptis, & de Pharaone in mari rubro absorpto, & de alijs Messiæ & Ecclesiæ hostibus exemplum ostenditur. Quod legimus hic, lugentes qui fide

Matth.11.

Luc. 6.

uene-

uenerint ad Christum, consolatione affici, duo inde discimus ad consolandum ualde commoda. Vnum est, luctum ac mœrorem non esse signum iræ diuinæ, sed gratiæ, ut quem gaudium consolatore spiritu comitetur. Alterum est, non lugentes consolatione carere: ut sunt in mũdo securi de iudicio Dei homines, uoluptatibus & delicijs affluentes. Hac parte qui sibi beati uidentur, miseri sunt, ut lugentes: diuersa parte beati, de quibus Dominus, Beati lugentes: ut qui sint spiritus consolatoris, qui uere beatos reddit, participes. Duo igitur hæc paradoxa uera sunt, & inter se minimè pugnantia: Beatos & gaudio perfusos homines, miseros esse: & miseros in luctu uersantes, beatos, propter uerã beatitatem consequentem luctũ, de quibus hic Dominus loquitur: Missus sum ad consolandos lugentes. quæ consolatio non est consolatio, quali mundus suos consolatur, quæ mortem & exitiũ affert: sed consolatio est, quali cœlestis spiritus Messiæ suos perfundit, in qua uita æterna & gloria cœlestis regni consistit. *Matth. 5.*

Et ponerem fortitudinem lugentibus Sion.) Hebræus habet: Ad dandam lugentibus Sion gloriam ac decus pro puluere. Alluditur ad morem lugentium, qui soliti sunt se puluere ac cinere cõspergere. Hac loquendi figura indicatur, crucis luctuosæ statum gloriæ & splendoris regni cœlestis statu cõmutandum esse, ut sicut Messias euectus est de ignominia & opprobrio crucis, ad gloriam & decus regni patris sui: ita Sionios, hoc est electos euectum iri ad idem cœlestis regni decus. Vt autem uariæ sunt afflictiones, ita uarius luctus est & mœror. Nam est afflictio, quam direptio fortunarum, inopia, exilium, captiuitas, incendia & opprobria, quibus ab altero afficimur, afferunt. est item afflictio, quam morbi & aduersa ualetudo creant. Est demum animi uexatio, quæ in tentationibus fidei aduersus diffidentiam in uetere homine hærentem & contra Satanam certantis sentitur, cùm is ex animis nostris diuinæ promissionis uerbum, & in id fidem excutere molitur. Quæ longè grauissima afflictio est, luctum inducens maximè egentem consolatore Christi spiritu, luctantem nostram fidem confirmante.

Oleum gaudij pro luctu.) Amplificat spiritus Messiæ consolatorium munus, ab oleo mutuata translatione. In oleo inest leniendi, sanandi, & fouendę lucis uis, quæ naturà exhilarat. Huc spectat illud: Vnxit te Deus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. Hoc oleum Spiritus sanctus est, consolandi & exhilarandi munere fungens. Hoc oleo, quo Messias unctus est, electi quoque membra illius unguntur, ad perennem sacerdotij regij lætitiam & gaudium.

Pallium laudis pro spiritu mœroris.) Alia figura amplificat beneficiũ consolationis, à consuetudine mœrentium & lætantium sumpta. Opponitur hic mœrori luctus, ut quæ diuersa & cõtraria inter se sint ab origine, natura & exitu. Etenim luctus ac mœror à præsentis aut imminẽtis mali sensu originem ducit: lætitia uerò à præsentis mali, aut certo appetentis indicio ac sensu nascit. Quare mœror ægritudo est, naturæ terrestris luce & fouente calore carens: lætitia autem cœlestis, affectio est in luce uersans. Atq; hinc accidit, ut harum affectionum contrarius effectus & exitus sit. altera enim atrum sanguinem, qui atra bilis est, gignit, insaniam creans: altera sanguinem puriorem efficiens, corporis & animi ualetudinem confirmat. Huc spectans diuinus spiritus, mœrentem animum כהה hoc est obscurum uocat, & lætitiam oleo lucem fouenti comparat. Hæc expendens Salomon, sic in Prouerbijs ait: Spiritus tristis explicat ossa. *Prouerb. 17.*

Et uocabuntur in ea fortes iustitiæ.) Hebræus habet, Arbores iustitiæ. Quò facit, quod sequitur: Plantatio Domini, qua glorificetur. Missum filium, qui liberatos iure peccati iustos ex iniustis reddat. quos pulchra similitudine arboribus comparat, in quibus ut radix, scapus, rami, folia & fructus cernuntur: ita in sanctis eadem cernuntur. Nam si radicem spectes, hæc in his fides in Mes-

ſiam eſt, ex quo illa diffundit in pios ſuccum uitalem Spiritus ſancti, ut ex radice in arborem humor alens & nutriens diffunditur. Hinc illud: Iuſtus ex fide uiuit, ut quæ ex Chriſto electorum uita ſpiritum uiuificum in credentem fundat. Rami autem in his diuinis arboribus ſunt, facer amor ex radice fide natus: qui amor non ſecus ſe explicat & extendit, atque rami in arboribus ſe explicant & extendunt. Atque in his ut fructus proferuntur copioſi, ita ex amore uarij & multiplices fructus benefactorum eduntur, quibus illuſtretur pater cœleſtis in filio Meſsia. Sic enim is apud Euangeliſtam dicit: Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum qui eſt in cœlis. Quò pertinet quod hic legitur לְהִתְפָּאֵר, hoc eſt, ut glorificetur.

Abac. 2.

Matth. 5.

Et ædificabunt deſerta.) Miniſtri noui fœderis, per doctrinam ſacri Euangelij. De hac ædificatione ſic loquitur Apoſtolus: Dei ædificatio eſtis. item, Poteſtatem nobis dedit Dominus in ædificationem, non in deſtructionem ueſtri. Electorum aũt eccleſia, ædificiũ illud eſt per cœleſte Euãgelium extruendum, cuius architectus Meſsias: miniſtri architectationis ac ædificationis, Apoſtoli & Euangelij doctores: finis architectationis, electorum ſalus & amplificatio nominis diuini eſt. At hoc ædificium ita reparabitur in hac prima reſurrectione, ut ea reparatio figuram prælatura ſit illius ædificationis, qua in ſecunda reſurrectione ad plenam maieſtatem & gloriam ædificabitur ſacra ciuitas, gloriæ & maieſtati ſui architecti Meſsiæ confirmanda.

1. Corinth. 3.

Et ſtabunt alieni.) Sua ſtudia gentibus in reconciliandos Iſraelitas declaraturis, utriſq; in unũ ouile ſub uno paſtore Meſsia congregandis. De figura quam prætulit Perſa Cyrus, ſuprà meminimus.

Et paſcent pecora ueſtra.) Euangelij doctrina oues paſcent, de quibus paſtor cœleſtis: Oues meæ uocem meam audiunt. relicta ſtulti paſtoris uoce, quæ mortis & inferni uox eſt, illa cœleſtis uitæ.

Ioan. 10.

Et uinitores ueſtri erunt.) Vineã culturi, de qua ſuprà Propheta meminit, in qua principem locum tenet uitis quæ de ſe prædicat: Ego ſum uitis uera. uinum ſapientiæ non humanæ, ſed diuinæ fundens, quod æterna lætitia ſanctorum pectora exhilaret.

Ioan. 15.

Vos ſacerdotes Domini uocabimini.) Sacerdotali ſacri ſpíritus oleo uncti, ad offerendas uiuas hoſtias, & ad fungendum precandi & docendi munere.

Fortitudinẽ gentiũ comedetis.) Gentib. ſuã ſtrenuitatem, induſtriã, fortitudinẽ & opes certatim cõmunicaturis, ad ædificandam Eccleſiam ex Iſraelitis.

Et in gloria eorum ſuperbietis.) A' quibus antea deſpecti fuiſtis, mundi fabula facti: iam in eorum gloria celebres eritis, conuerſo opprobrio in æternũ decus. Et ſubmoto typo Iſraelitarũ, in uniuerſum Eccleſiam electorum, quæ in mundo contempta iacuit, ſplendidam per luce.n Meſsiam fore.

Pro confuſione ueſtra duplex.) Ignominiam compenſandam duplici gloria: hoc eſt, abundè opprobrium crucis cœleſtis regni ſplendore compenſandum. De qua cõpenſatione Apoſtolus: Nam momẽtanea leuitas afflictionis noſtrę mirè ſupra modum æternũ pondus gloriæ parit nobis. Atq; hoc ipſum eſt quod hic legimus, In parte ſua: hoc eſt, in hæreditate gloriæ cœleſtis regni, quam eis aſsignaturus ſit Dominus, eos ouaturos, confecto probroſæ crucis curſu.

2. Cor. 4.

Propter hoc in terra ſua.) promiſſa in hæreditatem. Sed in hac typus & figura, in cœleſti hæreditate expreſſa ueritas cernitur.

Lætitia ſempiterna erit eis,) pro tẽporaria mœſticia & luctu. Explicant duplicia.

Quia ego Dominus diligens iudicium.) Redditur cauſſa, cur ſit redempturus ſuos à iure & æquo, cuius ſit Dominus amans. Quod ius & æquũ in præſtandæ promiſsionis fide, quam uiolare neq; debeat neq; poſsit, ſpectatur. De hac æquitatis fide, eiusq; iure inuiolabili magna electorũ conſolatione apud Ieremiam,

ſic

sic Dominus loquitur: Qui dat solem ad lumen diei, ordinem lunæ & stellarũ ad lumen noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus eius: Dominus exercituũ nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens corã me cunctis diebus: si mensurari poterũt cœli sursum, & inuestigari fundamẽta terræ deorsum, ego abijciam uniuersum semen Israel, propter omnia facta eius. *Ierem. 31.*

Et odio habens rapinã in holocaustum.) Qui rapinã in alijs, etiamsi uertatur in holocaustũ, odio habeo, & æquũ & ius requiro, quod holocaustis prę ferẽ: idem ego ius & æquũ in præstandis promissis meis seruabo. Duo ergo his uerbis Dominus ad considerandũ proponit. Vnum est, externũ Dei cultum, qui in ceremonijs uersat, carentem interiore, qui fidei per amorẽ agentis cultus est, Deo improbari. Hic enim legimus, Odio habeo rapinã in holocaustũ: hoc est, oẽm cultũ & sacra fide & amore carẽtia detestor. cõtrà iudicio, hoc est iuris & æqui norma, quę fidei per charitatẽ agentis norma est, delector. Alterũ est, certò tandem electos pro iure promissionis, quod delere nulla aduersaria uis queat, seruatum iri. Quod ius expenditur ex bonitate Dei promittentis salutẽ, & ex fide præstantis promissionẽ, non ex dignitate meritorũ, illorum qui seruantur.

Et dabo opus eorum in ueritatem.) Mercedem ac præmiũ fideliter se eis soluturum. Opus, pro mercede & prẽmio operis: noto tropo. Similiter in alio loco: Non pernoctet opus mercenarij, hoc est, merces operi & laboribus mercenarij debita. Dicit se mercedem fideliter suis pensurũ, ubi non meritũ in benefaciente, cui merces ex debito respõdeat, sed promittentis liberalitas, & fides præstãtis promissa, pro sua liberali gratia, ponderatur. Nam omnia in bene agentib. diuinæ bonitatis munera sunt: Spiritus ipse sanctus, cuius impulsu fides habetur Messię, & Deus amatur, bonæq; actiones eduntur, quib. gratuitò promittuntur à Deo præmia sua in filijs regni munera remunerante. Quibus hæreditas iure adoptionis filiorum, antequam cœperint operari, destinatur. *Leuiti. 19.*

Et fœdus perpetuum feriam cum eis.) Ex fœdere quod Deus cum suis sancit, per antegredientem gratiam electionis dimanare salutem. *Ephes. 1.*

Et scietur in gentibus.) gloriã reconciliationis Israelitarum, ut naturalis oliuæ deprædicaturis. Quorum agnoscent esse, quæ Apostolus in epistola ad Romanos eis tribuit. *Rom. 9.*

Omnes qui uiderint eos.) ex tam horribili captiuitate & seruitute externa & interiore, in regni Messiæ libertatem assertos.

Cognoscent illos.) doctore spiritu Messiæ, semen Domini esse: semen inquam supernè è spiritu adoptionis natum.

Cui benedixit Dominus.) benedictione cœlestiũ bonorum, ut iusticiæ, uitæ, sapientiæ, cognitionis mysteriorũ à seculis absconditorum. De qua benedictione Apostolus his uerbis: Benedictus Deus, & pater Domini nostri IESV Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus Christo. Dicit Christo: ut per quẽ, & ex quo, pater omnem benedictionẽ in suos fundat. Hæc igitur in benedictione diuina sunt ponderanda. Primò, is qui benedicit, Pater cœlestis. Deinde, is per quem & in quo pater benedicit, qui filius Messias est. Tertiò, ij qui benedicuntur: hi scripti in libro uitæ sunt. Demum benedictionis diuinæ munera, quæ cœlestia & spiritualia munera sunt. *Ephes. 1.*

Gaudens gaudebo in Domino.) Gratulatio Ecclesiæ, de beneficijs Dei patris per filium Messiam collatis, & iam memoratis.

In Domino.) Non in mundo, & eius potentia & sapientia. Sed quæ est caussa tanti gaudij? Sequitur:

Quia induit me uestimentis salutis.) At quod est hoc salutis uestimentum? Messias benedictus est, de quo Apostolus: Christum induistis. Hoc induti salutem habent, & uerè iusti à Deo iudicãtur, qui sit iusticia & sanctitas in Christo electo- *Gal. 3.*

rum filiorum Dei. Induimur autem Christo per fidem, ut quæ nobis Christum cum omnibus thesauris eius impertiat. Quare rectè dicũtur, qui hac ueste uestiuntur & pallio amiciuntur, iusticia, sapientia, uita & gloria Dei uestiri & amiciri. Contraria uestis est, ueteris hominis uestis, peccati & mortis uestis: quæ exuitur, altera induta. Vnde fit, ut salutis & iusticiæ uestimentũ militaris etiã uestis habeatur, loricæ, galeæ, clypei, thoracis, balthei & gladij uicem præstans. Nam hoc sago qui amiciuntur, aduersus omnem iniuriam & tempestatem, quam peccatum, mors, & inferni potestates afferunt, tuti sunt. Itaq; meritò gratulatur sibi Ecclesia gratulatione, quæ hic à Prophetа describitur.

Quasi sponsum decoratum corona.) In hac comparatione ab ornatu sponsi mutuata, alluditur ad splendidum uestitum sacerdotij, in uerbo יכהן: cuius amictus quàm decorus fuerit, ex Mose patet, qui etiam potentissimos admiratione afficerit, ut exemplo est Alexander Magnus, de quo uideris apud Iosephum. Ex hac comparatione intelligimus, Ecclesiam electorũ sponsam esse, & sponsum habere. Sed qualis hæc sponsa est, & qualem sponsum habet? Sponsus est Messias, in omnia cœlestia, terrestria & inferna rex & imperator, regali sacerdotio & eo æterno florens: quod indicatur in uerbo יכהן. Et qualis sponsus Messias est, talis eius sponsa Ecclesia iudicatur, quæ ipsa quoq; regio sacerdotio decoratur, de cuius regali dignitate in Psalmo canitur: Astitit regina à dextris tuis, auro uidelicet sapientiæ, iusticiæ & uitæ diuinæ ornata. de qua sponsa & sponso illud diuinum Salomonis carmen, quod Canticum canticorũ uocatur, à diuino spiritu compositum est. Similiter Apostolus carmen illud explicans, ut inter sponsum Christum, & sponsam Ecclesiam coniugiũ contrahatur, his uerbis ostendit: Nullus enim unquã suam ipsius carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, sicut & Dominus Ecclesiã, quoniam membra sumus corporis eiusdem, ex carne & ossibus eius. Dicit primò Apostolus, Christum maritum & sponsum esse, & Ecclesiã eius uxorem & sponsam. Deinde, Ecclesiam ex carne & ossibus Messiæ expromptam, ut ex primi Adami ossibus & carne uxor Eua exprompta est. Vnde credimus, spõsam Ecclesiã omnium eorum bonorũ consortem & participem reddi cum suis membris, quæ in Christo sponso ac marito insunt. Sed hoc interesse inter Messiã & Ecclesiam, quòd ille naturali iure, ut naturalis filius, cœlestiũ bonorum hæres sit: hæc uerò cum suis membris iure adoptionis, quæ naturà peccato obnoxia sit, & morti. Atqui aliter adoptionis iure huius sęculi filij adoptantur in hoc mundo, aliter ij qui adoptionis gratia à Deo in filio Messia ornantur. Nam qui in hoc mundo adoptiui filij fiunt, de carne & ossibus eorũ à quibus adoptantur, nihil sumunt: de ossibus aũt & carne Christi, qui per regenerationem è sacro eius spiritu, in eiusdem iusticiæ & uitæ participatum admittuntur, desumunt. De quo participatu illud: Ex Deo nati sunt. item: Vos estis consortes diuinæ naturæ. Quæ summa est Ecclesiæ & eius membrorũ consolatio, ut meritò hic gratulabundè canat: Gaudẽs gaudeo in Domino seruatore meo, & gestit anima mea in Deo uindice meo. Cæterùm in כלית uniuersa supellex ad ornatum muliebrem parata, quam Latini mundum uocant, significatur.

Psal. 45.

Ephes. 5.

Sicut enim terra profert germen suum.) Postremò gratulatur in hoc carmine Ecclesia, de amplitudine sua, longè lateq; in terrarum orbe fulsura. Atq; hoc longè præstantissimum beneficium illustri comparatione, quæ à terra cœlestis luminis & pluuiæ in germina sua mutuatur, exornat: ut inquam horti luce & pluuia pręparati sua seminaria & stirpes procreant, ita in Ecclesia amplè propagata à Deo, iusticiam diuinam fulsuram. idq; sub id tempus fore, quo ad euersionem regni Antichristi Euangelium Messiæ longè clarissimè in orbe terrarum splendebit.

IN

IN CAPVT SEXAGESIMVM SECVNDVM.

PRopter Sion.) Qui meminerat iuſticiæ à Domino procreãdæ, in eodem oraculo explicando Propheta uerſans, oſtendit Dominum non ceſſaturum per ſuos Prophetas ſalutem Sioni denũciare, donec eius iuſtícia ut ſplendor exeat, eiuſq; ſalus tanquã fax ardeat. Etenim Propheticum munus uſq; ad Meſsiam & eius patefactionem durauit: neq; antea lectionis Prophetarũ uſus exoleſcet, quàm Chriſtus IESVS cum maieſtate ad iudicandos uiuos & mortuos uenerit. Nam per ſeruos ſuos Prophetas Dominus omnia quæ euenerunt, & quæ uſq; in finem mundi euentura ſunt, præſignificare uoluit. In hac igitur concione hæc ordine fuerint perpendenda, Saluator ipſe ac redemptor, Meſsias. deinde ij qui ſeruantur. hos eſſe Sionem ac Hieroſolymam, hoc eſt Eccleſiam electorum in Chriſto IESV, ad æternã gloriam cœleſtis regni. tertiò mala, è quibus fit redemptio: hæc ſunt peccatum, mors, tyrannis Satanæ, & filij eius Antichriſti. quartò, effecta redẽptionis: in his numerari ſalutem, precio redemptoris comparatam. In quo duo ſpectantur, mors & reſurrectio è mortuis. In ſalute autem à uate hæc ordine numerantur: reconciliatio cum Deo, nouum nomen, corona ac diadema regium, aſsignatio promiſſæ hæreditatis, connubiũ ſponſi Meſsiæ cum ſponſa Eccleſia, miniſterium propagandæ ſalutis, & eius conſeruãdæ, eorum qui redimuntur perennis uictus, demum finis redemptionis. De ſingulis ordine.

Propter Sion.) non propter hoſtes: ad interitum, non ad ſalutem deſtinatos.

Non tacebo.) Vt hoſtes putant me tacere, dum ad tempus meam Sionem, eorum libidini uexandam permitto. qui in Pſalmo ſic loquũtur: Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam ne uideat. *Pſal. 9.*

Non quieſcam.) A' ſtudio ſeruandi, ut quam ſemper diligam, etiam cùm arbitratur ſe à me neglectam, & obliuione quadam obliteratam.

Donec egrediatur.) tempore patefactionis Euangelij.

Vt ſplendor iuſtus eius.) Iuſticiã Sionis ſplendori cõparat. Sed quæ eſt illa ſplendens & fulgens iuſticia? Meſsias eſt, de qua Ieremias: Vocabitur aũt hoc nomine, Iehoua iuſticia noſtra. Extra Chriſtum igitur nullam lucem, nullam iuſticiam, nullam ſalutem cernas: ſed meras tenebras, iniuſticiam, exitium. *Ierem. 23.*

Videbunt gentes.) illuminatæ per lumen Euangelij, quod lumen Meſsias ipſe eſt, qui de ſe dicit: Ego ſum lux mundi. *Ioan. 8.*

Iuſticiam tuã.) Meſsiam, in te per igneum & flammeum ſpiritũ amoris fulgentem. Qui ſpiritus ex capite Chriſto proficiſcens, ut uita ſanctorũ eſt: ita eorum etiam, conformans ipſorũ uoluntatem cum diuina (quæ hac lege exprimitur: Ama Dominũ Deum tuum) iuſticia erit, ut id aliàs indicatum eſt. Vnde efficitur, ut ſancti iuſticiã, qua præditi eſſe dicuntur, & alienam & ſuam eſſe in ipſis uerſantem, affirmare poſsint. Alienã quidem, quòd ea non ex lege, non ex factis legis, non ex nobis oriatur, ſed per imputationẽ gratuitam credenti donetur. nam hæc aliena iuſtícia Chriſtus IESVS eſt, quem ſola fides conciliat credenti: nõ naturæ uires, non lex, non ulla legis facta. Hæc aũt iuſticia ut aliena eſt, ſi naturam ſpectes, & legem: ita etiam noſtra fit, cùm Chriſtus nobis aſſcriptus & imputatus per clementiã Dei patris in nobis ſpirat, per ſpiritũ ſuum ueram uitam, iuſticiam & ſanctitatem in nobis reparans, in ipſa iuſtificatione noſtri. Atq; ita hac ratione Chriſtus & aliena iuſticia eſt, & noſtra: idq; duplici ratione. Primò, quòd imputatur nobis pro iuſticia, dum eius merita & obedientia, noſtra merita & obedientia fiunt. Deinde, dum Spiritus ſanctus, qui Chriſti ſpiritus eſt, in ipſa iuſtificatione noſtri in nos fuſus, uitam & iuſticiam

obediendi legi diuinæ, quæ uitio originis amissa fuerat, in nobis incipit reparare. Nam sicut originis uitio, quod alienum uitium est, ab Adamo nimirum primo in nos propagatum, quisque tanquam suo uitiosus redditur, id non extra, sed intra se in uisceribus ueteris hominis grassari sentiens: sic aliena iustitia, quæ Christus est, ita iusti reddimur, ut ea quisque tanquam sua iustus dicatur, dum cuique suus ex capite Christo iustitiæ & probitatis spiritus, qui amoris diuini spiritus est, in ipsa iustificatione communicatur. Sed quæras, an hunc sacri amoris spiritũ iudicio Dei opponere liceat: & an is qui Christi spiritus sit, fretus merito sanguinis illius, uincat peccatũ, mortem, infernũ, & potestates tenebrarũ. Ea de re suprà, & alijs locis explicatio instituta est. Pergamus.

Et uocabitur tibi nomen nouum.) absterso nomine ueteris naturæ, in qua fœdissima nomina peccati & mortis locum inueniunt. Sed quod & quale est nomen illud nouum, quo SION nominabitur? Est nomen sponsæ cœlestis, nomen ciuitatis nouæ de cœlo descendentis, nomen filiorum Dei, atq; nomen ipsum Dei, de quo apud Ezechielem his uerbis: Et nomen ciuitatis ex die illa Iehoua. Vocatur autem hoc nomine propter participatum sacri spiritus, qui diuinæ naturæ spiritus est, de quo sæpe meminimus. Atq; hoc ipsum est quod legitur in Apocalypsi Ioannis: Et scribam super eum nomen Dei mei. Sed quid est, scribere in nobis nomen Dei? Nihil aliud est, quàm ea genitura nasci, de qua illud: Ex Deo nati sunt. Et hoc est illud nouum nomen, multo præstantissimum nomen, quod regeneratio è sacro Messiæ spiritu indit. Postremò, nouum nomen in eo spectatur, quòd quæ cum mundo, & aduersario ex mundo & principe eius dracone nato, adulterans, repudiata appellata est: iam detersо adulterij opprobrio, suo marito Messiæ reconciliata uocabitur. ut sequitur: Non uocaberis amplius derelicta.

Ezech. 48.

Ioan. 1.

Quod os Domini.) os Messiæ, ex cuius carne & ossibus ut depromitur sponsa Ecclesia, ita ea in communionem familiæ & nominis mariti uenit, ut nominetur illo ipso nomenclatore sponsa cœlestis, sponsa uncta oleo diuinitatis: ut Messias nouus & cœlestis homo, oleo sacri Spiritus citra modum & mensuram unctus appellatur. Mariti enim est, uxori nomen à se dare. Quod est hic: Quod Domini os pronunciabit.

Et eris corona gloriæ.) regia dignitate ornata. de qua illud: Astitit regina ad dextram eius.

Psal. 45.

Non uocaberis amplius derelicta.) ut uocata es temporibus profanationis. quibus draco te persequens, orbem terrarum seduxit.

Et terra tua non uocabitur amplius desolata.) Conferenda hic spirituali dijudicatione mystica terræ Chananeæ hæreditas, cum mystico populo: & uera, hoc est cœlestis hæreditas, cum spirituali Abraham semine.

Sed uocaberis, uolũtas mea in ea.) Ad uerbum in Hebræo: Tibi uocabitur uolũtas mea in ea. hoc est, De te dicetur, me tibi fauere, seu te mihi charã esse. De hoc fauore ac beneuolentia reconciliati mariti, his uerbis Oseas: Et sponsabo te mihi in sempiternũ, & sponsabo te mihi in iustitia & in misericordia, & dicam non populo meo: Populus meus es tu. Et ipse dicet: Deus meus es tu.

Osee 2.

Et terra tua inhabitabitur.) quæ longo tempore uasta iacuit, de qua Moses antehac prædixerat: Terræ quoq; memor ero. Hebræus habet בעולה, quæ uox sonat maritata. Terram fore frequentem & populosam. Comparat mysticã terram mystici populi, iam desertam & desolatam, uiduæ: & bene cultam ac frequentatam, uxori habenti maritum. Nam ut uidua sobolem non gignit, sed ea quæ marita est: sic terra, quæ mater uiuentium uocatur, deserta & uasta cùm est, fœtus non edit, sed cùm colitur cœlesti luce & spiritu maritata.

Leuit. 26.

Et gaudebit sponsus super sponsam.) Sic porrò spõsus Messias de sponsa sua in Cantico canticorũ Salomonio canit: Sponsa mea ueni. & sponsa Ecclesia de sponso Mes-

ſo Meſsia: Veniat dilectus meus in hortum ſuum. Et is de pulchritudine ſuæ ſponſæ: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Et de pulchritudine 5.
ſponſi, ſponſa in eodem carmine, & Pſal. Specioſus forma præ filijs hominum. 45.
Vt autem pulchritudo amoris cauſſa ſit, nemo niſi oculis captus ſit, ignorat. Hæc autem pulchritudo in IESV Chriſto ut capite, in ſponſa Eccleſia ut corpore, in ſingulis electis ut membris cernitur. Vniuerſa autem in compoſitione & conſenſione capitis, corporis & membrorum cernitur: quam contemplabimur, quum apparuerit id quod futuri ſumus. Quod ſi apparuerit, ſimiles 1. Ioann. 3.
Deo erimus, à quo admirabilis hæc pulchritudo manans in Meſsia marito, in
10 ſponſa Eccleſia, & membris electis filijs Dei, in die inſtaurationis huius uniuerſitatis apparebit.

Et gaudebit ſuper te Deus tuus.) te redempta & ſaluata. Quæ ſalus quoniã in bonis ducitur, de ea Deus gaudere dicitur: q ſe ut ſummo bono delectat, ita ijs ut delectet & gaudeat neceſſe eſt, quæ ab ipſo bona & pulchra ſunt, ſummũ bonum exprimẽtia & imitãtia: ut eſt ſpõſa Eccleſia, templũ in Meſsia diuinitatis.

Super muros tuos Hieruſalem cõſtitui cuſtodes.) Hi partim angeli ſunt, excubitores & cuſtodes Eccleſiæ, aduerſus eius hoſtes à Deo conſtituti: partim Apoſtoli & Prophetæ ſunt, excubias docendo Euangeliũ & precando agentes. Hæc cuſtodia, & ea publica, quæ per Antichriſtũ intercepta eſt, his nouiſsimis tempo
20 ribus inſtaurationis Eccleſiæ reſtitui incipit. Dico, publicam prædicationis Euangelij cuſtodiam interceptam: nam occulta Eccleſiæ cuſtodia nunquã fuit ſublata. Hanc enim Deus etiam in ſolitudine errorum oberrantem, prouidentiæ & gratiæ electionis ſuæ pabulo pauit, de quo Ioannes in Apocalypſi his uerbis: Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut uolaret in deſertum, in Apoc. 12.
locum ſuum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis à facie ſerpentis. ſiquidem electos ſuos Deus pro ſua bonitate nunquã deſerit, quin eos in tenebris, in morte, in inferno, in medijs erroribus perſequutionis tueatur, ne pereant, ſed conſeruentur ad tempus oſtenſionis lucis, uitæ, ueritatis.

Iurauit Dominus.) Solennis promiſsio, de ſalute Sioni præſtanda proponitur,
30 quã iureiurando cõfirmat. Hæc nos admonet primò, ſalutem mera gratia Dei conſtare. Nam ubi promiſsio locũ habet, meritis locus nullus fuerit, ut quæ legem & facta eius antecedat. ut hac de re apoſtolus Paulus in epiſtola quã ad Galatas ſcripſit, his uerbis diſſerit: Nam ſi ex lege eſt hæreditas, iam non eſt ex promiſsione. Ex promiſsione aũt eſt ſalus & hæreditas, quæ ante datã legem Abrahamo facta eſt. Sic enim ſcriptũ eſt: In ſemine tuo benedicentur oẽs gentes. Quę promiſsio etiam in paradiſo, ſtatim à caſu ipſi Adamo & poſteris eius facta eſt. Vnde liquet, quia ſalus ex promiſsione tanquã ex fonte dimanat, eam neq; ex lege, neq; factis legis, ſed una fide, quæ Deo ſalutẽ promittenti habeatur, cõprehendi. Alterũ eſt, cuius hic admonemur, ut firmã Dei promiſsio-
40 nem eſſe credamus, iuſiurandũ à Deo interponi. Sic enim hic legimus: Iurauit Dominus per dextrã ſuam, & per ſuæ potentiæ brachiũ. Vbi potentiæ & fortitudinis ſuæ mentionẽ cùm facit, nobis noſtra infirmitas & robur hoſtiũ perpendenda proponũtur: Sionem Eccleſiã diuinę fortitudinis dextra & lacerto muniri, quo adiuta, pugnantem aduerſus ſe Satanã uincat. qui hoc unũ molit, ut & Dei promiſsionẽ, & noſtrã in eam fidem euertat. Demũ diſcimus, penes Sionem uictoriã ſtare, quã Dei promiſsione per fidẽ nitens, de mundo & principe mundi Satana, peccato, morte, ferreis inferni portis fractis reportet.

Et laudabunt Dominũ.) gratias agẽtes de muneribus à Deo per Meſsiã acceptis, & hic à Propheta expoſitis. Atq; in hunc diuina beneficia celebrandi uſum, ſa-
50 cra cœna ex myſtico pane & poculo conſtans, à ſeruatore Chriſto inſtituta eſt. dicit enim is: Hoc facite in mei cõmemorationem. Sed quid faciendũ ſit, apoſtolus Paulus explicat, ubi ait: Quotieſcunq; comederitis panẽ hunc, & de 1. Corinth. 11.

poculo biberitis, mortẽ Domini annuncietis, donec uenerit. His uerbis clarè exponitur, quid credendũ & faciendum sit ijs q̃ sacra cœna utentur. Credendũ nimirũ esse, IESVM Christum à patre in mundum missum, qui peccata nostra morte & fuso sanguine expiaret: & eum excitatum è mortuis, sedere ad dextrã patris, in regio maiestatis suæ throno, in quo imperiũ in omnia gerẽs, perficiendæ salutis nostræ patronũ ageret: & misso in corda nostra Spiritu sancto, nos tueatur, consoleẽ, & corroboret, donec cũ gloria & maiestate ad transferẽdos nos in glorioſum suũ regnum ueniens, nostra quoq; corpora suo corpori conformet. Hæc qui credũt, sacrũ panẽ edere, & de poculo bibere iure possunt, ad mortem Domini in conuentu sanctorũ annunciandã: hoc est, ad beneficia per mortem Domini in nos collata celebrãda: quę antea cõueniat meditata & cogitata tenere, q̃ ad hoc conuiuium accedatur. Quare hæc uerba, Hoc est corpus meũ quod pro uobis datur, hoc facite in mei recordationẽ: indicant sacramentalem & mysticũ panẽ μνημόσυνον, hoc est monumentũ, & admonens traditi in mortẽ corporis Messiæ signũ esse: quo qui uescuntur, cõtra aduersarias potestates recordanẽ & testificãtur, crucifixũ & elatum ad dexterã Dei Christum, unicũ seruatorem mundi esse, qui expositi in mortem corporis & fusi sanguinis merito nobis patrẽ ad remittenda peccata, & ad donandũ Spiritum sanctum, ad uerã iusticiam & uitam regenerantem, reconciliarit. Qui sacer panis, quoniã qui eum edunt, cõfitentur se meritorũ mortis Domini cõsortes esse, ab Apostolo cõmunicatio corporis Christi appellatur: Panis quem frangimus, non'ne cõmunicatio corporis Christi est? Et de poculo: Poculũ benedictionis cùm benedicimus, (hoc est, de eo gratias Deo agimus) non'ne cõmunicatio sanguinis Christi est? ex poculo enim bibẽtes testificantur, eorũ beneficiorum quæ ex fuso in ara crucis sanguine acceperũt, & accipiunt, se participes esse, ea in cœtu fidelium celebrãtes. Quod qui faciunt, grati & memores in merita Christi, dijudicare corpus Christi, & pane mystico dignè uesci dicũtur. Qui uerò merita traditi corporis & fusi sanguinis Christi fide nõ agnoscunt, panem sacrũ indignè comedere, & ex poculo suo exitio bibere censentur: quòd non expendũt, hoc conuiuiũ ad amplificãdum Christũ, dum ueniat, in conuẽtu fideliũ pijs institutum esse: nõ impijs, qui pane quidẽ sacramẽto & mysterio uesci possunt, sed re sacramẽti, hoc est IESV Christo nõ item. Nam ij Christo & carne eius uescũtur, qui primò credũt carnem illius pro peccatis expiandis immolatam: deinde ex ea, ad iustificandos nos ad uitã excitata, sacrum spiritũ, quo illa citra modum uncta est, in nos proficiſci. In quo, & per quem Spiritum, Messiæ caro nobis salutaris redditur: & extra eum, nullo modo. Spiritus enim est qui uiuificat, carne citra illum nullum momentum afferente ad comparandum cœlestem uitam & gloriam. Eodem modo solum pij sanguinem Christi biberint. Dicuntur autem bibere eum, qui credunt sacrosanctum sanguinẽ pro peccatis delendis fusum: deinde hunc sanguinem glorificatum, & ad claritatem cœlestis regni translatum, ex quo dimanet Spiritus sanctus ad nos iustificandos & uiuificandos, qui iniusti & mortui per peccatum in mundo fueramus. Hæc de Christi carne & sanguine cognita qui tenent, & ea in comedendo pane mystico & in bibendo ex diuino poculo, in cœtu piorum celebrant, rectè in sacra cœna se gerũt, gratos & memores erga beneficia Christi hic à Propheta commemorata se declarantes: persuasi, se præsentis Christi carne & sanguine ad uitam æternam ali, ut pane sacramento ad uitam naturalem aluntur. Sic Apostoli, sic sancti Martyres hoc pane & poculo usi sunt, cum salute sua & laude Messiæ benedicti: in quæstionem non uocantes, an corpus CHRISTI sub qualitatibus panis, mutata eius substantia, lateat: aut, an pronunciatis his uerbis, Hoc est corpus meum, cum pane ita uniatur corpus Christi, ut aqua cum glacie, ferrum ignitum cum igne unitur:

aut

aut cum pane, uel in pane, uel ſub pane uerum corpus Chriſti corporatè edendum pariter pijs & impijs porrigatur. Huiuſmodi inquam quęſtiones nullam in controuerſiam olim apud ſanctos homines uenerunt: ſed hoc ſtuduerunt, ut amanter inter ſe panem & poculum diuidentes, Chriſti crucifixi mortem uſque ad mortem prædicarent, & mutuum amorem ut membra unius corporis & capitis, in uno amoris ſpiritu cõiuncti declararent. Iam uerò propter quæſtiones illas, in quibus explicandis ſacræ literæ non occupantur, conuiuiũ hoc quod amplificandis & illuſtrandis meritis Chriſti & amori teſtificãdo inſtitutum eſt, ad odia & diſſidia exercenda conuertitur. Quæ faxit Chriſtus ut ex Eccleſia tollantur, impleto oraculo illo noſtri Prophetæ, Non æmulabitur Ephraim Iuda: ut uno corde, una uia & cultu Deum patrem colamus, exemplo illorum de quibus in Actis Apoſtolorũ, Multitudinis credentium cor unum & anima una erat. De qua coniunctione antea prædixerat ex ore Ieremiæ diuinus ſpiritus, his uerbis: Et dabo eis cor unum, & uiam unam, ut me cunctis diebus timeant. Dicat aliquis, credere panem Chriſti corpus non fieri, eſſe temerè in potentiã Dei inquirere, qui efficere non poſsit, ut panis filij ſui corpus reddatur. In horũ uerborũ, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meũ, explicatione, non proponitur nobis credendũ, re ipſa panem enũciatis uerbis iam memoratis corpus Domini fieri: ſed pro ratione ſacramentalis ſermonis admonemur, ut in ſacri panis fractione & poculi propinatione, per gratiarum actionem memoriã beneficiorum quæ per mortem IESV Chriſti accepimus, celebremus. Porrò ſi in cœna Domini omnipotentia Dei ageretur, de ea ut ſe declaratura eſſet in hac panis & corporis Chriſti coniunctione, edita fuiſſent à Prophetis teſtimonia, ut de alijs fidei articulis edita fuerunt: ueluti eſt Chriſti conceptus è Spiritu ſancto, & eius è uirgine natiuitas: ut item ſunt articuli de eius reſurrectione & exaltatione ad dextrã patris, & ut ſunt miracula de aſpectu cæcis, de auditu ſurdis, de ſermone mutis, de ambulandi facultate claudis reddita. de quibus in Prophetis extant oracula, quæ prius prodita ſunt quàm illa fierent: de hoc aũt miraculo, panem cõſecrationis (quæ uocãt) uerbis, ſiue à pijs ſiue impijs miniſtris prolatis, fieri corpus Domini, neq; in Moſe, neq; in Prophetis oracularia, ut de alijs, teſtimonia inuenias. Longè aũt maius miraculum foret, panem quem piſtor coquit, fieri corpus Chriſti, in cœleſtis regni gloriam translatum, quàm ſurdis auditũ & cæcis aſpectum reſtituere, & mortuis uitam dare. Quod ne quidẽ cum ipſa natura pugnat, in qua cernimus frumenti grana in terram iacta ut mortua ſunt, ad uitam ſolaris lucis & pluuiæ beneficio excitari. Dicant alij, Si abſurdũ uidetur affirmare panẽ corpus Chriſti fieri, non tamen abſurdum eſſe, ſi quis credat, cùm ſacramenta non ſint inania & uacua ſigna, cum pane dari corpus Domini, ut idem ualeat Eſt in hac oratione, Hoc eſt corpus meũ, quod Cum aut In, in uel cum pane præberi corpus Chriſti. Si hic admittendus tropus eſt, cur non potius admittitur tropus ſacramentali ſermoni cõgruens, qualis ſpectatur in ea otatione qua circũciſio præputij carnis, appellata eſt fœdus Domini, quòd eſſet ſignum fœderis diuini: & agnus nominatus Peſah, quòd monumentũ tranſitus eſſet in Aegypto per angelum facti: Vt etiam in nouo fœdere baptiſmus regenerationis lauacrum uocatur, non quòd natura ac re ſit regeneratio, neq; quòd per eum à miniſtro ſpiritus ijs qui baptizantur, ut mox probabitur, exhibeatur: ſed quòd ſacramentum, hoc eſt ſacrum regenerationis è ſpiritu Meſsiæ ſignum ſit. Dicunt nonnulli zelo quodã perciti, niſi dicamus cum pane aut in pane eſſe corpus Domini, periculũ fore, ne de eius amplitudine, qua cœlum & terram, & omnia quæ his continentur, ambit, derogetur: ambiri aũt corpore Chriſti cœlum & terram, hoc eſt id ubiq; eſſe, & ita etiam in pane, Dei dextram omnem hanc uniuerſitatem cõprehendentem, ad quam ſedeat Chriſtus, comprobare.

Primò

Primò si corpus Christi confirmatur in pane esse, quia ubiq; sit, quid opus ergo est id cum pane uescentibus à ministro præberi: quod iam, cùm ubiq; dicatur esse, in ore, in stomacho & in animis habeant omnes, priusquam à ministris id administretur? At dicas, cum pane corpus in peccatorũ remissionem adhiberi, ut sentias tibi remissa esse peccata. O frater, per fidem in traditum ad expianda peccata mundi IESV Christi corpus, sentimus nobis condonata esse peccata, non in corpus à ministro cum pane exhibendum: & in panis fractione memoriã beneficiorum factæ peccatorũ remissionis celebramus, nõ beneficium condonationis delictorũ per fidem in Christum cum pane cõiunctum accipimus. Deinde, quantũ ad dexteram Dei pertinet, hac uniuersitatem hãc cõprehendi, eamq; quatenus per eam omnia in cœlo & in terra administrant, ubiq; esse, nemo nõ fatebitur: & eadem ratione Christũ ad eam sedentem ubique esse affirmabitur, quatenus in solio uidelicet maiestatis suæ sedens, gubernationis præsentia hanc uniuersitatem moderatur. Atqui cùm hoc modo ubique Christus dicitur esse, iure quæritur, cùm in eo ut uncto Dei tria cernantur, corpus, animus, & sacer spiritus: an ne omnia quæ Christo tribuuntur, corpori eius quoq; tribuantur? item, an ne quæ ei Spiritus sancti ratione adsignantur, etiam corporis & animi ratione adsignentur? Arbitror neminem esse qui inficietur, quædam attributa corpori cõuenire, quę animo non cõueniant: quædam huic item, quæ spiritui sacro, quo unctus est, non congruant: quędam demum personæ Christi, quæ neue corpori, neue animo, neue spiritui conueniant, sed soli personæ Christi. Etenim huius corpus artus & membra, ossa & sanguinem habere dicitur, quibus animus, qui spiritus est, non corpus, caret. Nam ut Christus excitatus è mortuis, se corpus ex membris & ossibus compactum, quod spiritus non esset, confirmarit: ex euangelista Ioanne clarum est. Prętera in Christo corpus & anima oleo Spiritus sancti uncta dicuntur: quod de spiritu sacro non dicitur, qui ungere, nõ ungi affirmatur, ut de hoc Christus
63. ipse fatetur apud Iesaiam: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me. Personæ uerò Christi quædã tribuuntur, quæ neue corpori, neue animo, neue Spiritui sancto tribuũtur, ut eũ esse unctum regem & sacerdotẽ, qualis nec corpus nec animus, nec spiritus dicitur, sed persona Christus: qui quoniã regij sacerdotij oleo delibutus est, rex & sacerdos huius uniuersitatis, eum sedere iure ad dextram patris omnia gubernantem & moderantem confitemur: non corpus, non animũ, non spiritum eius sacrum, sed Christum ipsum hominem, imperij in omnia oleo unctum. Sicut etiam hunc Ecclesiæ sponsę suæ caput esse, non corpus, non animũ, non oleum Spiritus sancti, asserimus: sed personã corpore, animo & spiritu sacro constantem. Per quem spiritum quoniam nobis Christus omnem salutem perficit, per quem nimirum iustificamur, sanctificamur, uiuificamur, & in omni afflictione consolamur, & per eum tandem glorificabimur: præstaret sedulò & magna cum diligentia docere, nobis eam Christi præsentiam salutarem esse, qua corporis sui spirituali præsentia intimè nobis præsens sit, qua inquam corpus & sanguis eius per sacrum Spiritum nostra uita sint, noster uiuificus cibus: non de locali præsentia sollicitum esse, qua in pane, seu cum pane, in ore corporato, in stomacho & in animis nostris corporatè corpus & sanguis Christi præsentia fiant. Nam corpus, ossa, & sanguis eius non per se corporata ratione, sed per spiritũ suum animos nostros tangunt, ad impertiendam uitam æternam. Sed dicat hic aliquis: cùm corpus & animus Christi separata non sint à Spiritu sancto, à quo uncta sunt: consequetur, ut quæ Spiritui sancto tribuuntur, ea etiam corpori & animo Christi tribuantur. Fatemur corpus & animũ & Spiritum sanctum in IESV Christo indissolubili coniunctione coniuncta inter se esse, quam nulla uis dissuat. sed qualis est hæc quæso coniunctio? Coniũctio est diuersarũ naturarum in unam quam

consti-

conſtituant, perſonã, non attributorũ. Siquidẽ per hanc coniunctionẽ & ſocietatem nõ efficitur, ut quæ uni alicui ex his tribuunt, alteri quoq; ut indicatũ eſt, tribuãtur. quod etiã ex ſequentib. clarius fiet. In explicatione igitur uerborũ ſacræ cœnæ conſiderandũ nobis eſt, quia ſermo is, Hoc eſt corpus meũ quod pro nobis traditur, Sacramẽtalis ſermo eſt, ideo ſimilitudinem quandam inter ſacramentũ panẽ & corpus Chriſti cernere licet, propter quã panis corpus, & uinũ ſanguis appellet: indicata in hac appellatione nõ rei & naturæ cõiunctione, ſed myſtica & ſacramẽtali: q̃ quem uſum panis terrenus alẽdo corpori & eius uirib. confirmãdis præſtat, ad ſeruãdam uitã animalem, eũ cœleſtis panis Meſsias benedictus, nutriendis animis ad cõſeruandã ſpiritualem eorũ uitã afferat. Sed ita alat & corroboret, ut ea alẽdi corroborãdiq; uis liberè antè, pòſt & in ipſorũ ſacramentorũ uſu ſe proferat. Nã hæc uis à Chriſto ſedente ad dexterã patris omni tẽpore citra obſeruationẽ rerum externarũ petitur, & tribuitur petenti, & tributa in ſacra cœna celebratur, quã præſens Chriſtus conſolando & confirmando auget, qui promittit ſe conſolatore & confirmatore ſuo ſpiritu congregatis nomine ſuo affuturum: qui maximè præſens aderit inter eos qui conueniunt ad celebranda mortis ſuæ beneficia. Sic Apoſtoli in fractionem panis myſtici, cœleſtem panem Meſsiã attulerunt, quem deprędicarent: & poſt peractum myſteriũ perpetuò eum in pectore, quo ueſcerentur, retinuerunt, circunquaq; eum circũferentes ſecum, & in cœnã præſentem ferentes: & eum qui ſeipſum cõmunicaret, in illa inuenientes. Non enim hoc ſacramentũ, abſentis Chriſti ſacramentũ eſt, ſed præſentis, ſpirantis nimirum & uiuentis in eorũ animis, qui ſe in hac cœna cõuiuas exhibent. Sicut baptiſmus præſentis ſpiritus regeneratoris, non abſentis ſacramentũ eſt: ſed ita præſentis, ut ad baptiſmũ & eius miniſtrationem affixus eſſe non intelligatur. Nam huius diſpenſationem ex Apoſtolorũ actis intelligimus, & præceſsiſſe, & conſequutum baptiſmũ: neq; omnib. datum Spiritũ ſanctum, quos Apoſtoli abluerunt: ut Simon magus, qui ſimulauit fidem, exemplo eſt. Hinc efficitur, non conſequi, quia ſacramenta nominibus rerum, quarũ ſigna ſunt, nominantur, ideo inter ſacramenta & res ſignificatas rei coniunctionem confici: & res quæ ſacramentis ſignificantur, cum ſacramentis à miniſtris exhiberi ac diſpenſari: ſed earũ liberam diſpenſationem ad ſummũ ſacerdotem Meſsiam pertinere, qui credentibus ſe cõmunicat, eorũ fide ex Euangelij auſcultatione excitata, non ex ſacramentorũ adminiſtratione accepta. Nominatur quidem corpus Domini, & corporis cõmunicatio: ſed quoniã hæc nominatio myſtica eſt, & ſacramentalis, ut accipienda ſit, clarè ipſa ſermonis ratio & fidei analogia declarat. Idem de oratione qua baptiſmus lauacrum regenerationis uocatur, iudicium: & id aliàs indicatum eſt. Dicat fortaſſe aliquis hic, Si earum rerum quæ à ſacramentis ſignificantur, diſpenſatio ad ſacramentorũ uſum alligata nõ eſt, ut omnes qui his utuntur, res etiã ipſas in illis ſignificatas accipiant, cur igitur cœnam his uerbis inſtitutam accipimus: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum? Vbi uidetur Chriſtus indicaſſe, cum pane accipi corpus Chriſti ad comedendum. Item, quid faciemus Ananiæ, qui (ut ſcriptũ in Actis legimus) de baptiſmo ſic loquitur ad Paulum: Surge & baptizare, & ablue peccata tua. Vbi apparet ſignificari peccatorũ ablutionem ad baptiſmi adminiſtrationem aſtringi, & eam cum baptiſmo diſpenſari. Similiter legimus, de peccatorũ remiſsione Petrum loqui: Delictorũ pœnitentiam agite, & baptiſetur unuſquiſque ueſtrũm in nomine IESV Chriſti, in remiſsionem peccatorũ, & accipietis Spiritũ ſanctum. Vbi uidetur Petrus peccatorũ remiſsionem & donationẽ Spiritus ſancti ad baptiſmi miniſtrationẽ alligare. Quod attinet ad hæc uerba, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meũ: quid accipiant & comedant frangentes panẽ, & quid bibant accipientes poculũ noui teſtamẽti, Apoſtolus explicat Actor. 2.

plicat in priore ad Corinth. epist. ubi ait, Quotiescũcp ederitis panẽ hunc, Nõ dicit, quotiescũcp ederitis corpus à ministro cũ pane corporatè exhibitũ. Idem de poculo iudiciũ est. Sed quoniã is panis quẽ iubemur edere, mysticus & sacramentalis panis est: eo admonemur quocp cœlestis panis Messię benedicti, quo per fidẽ uescamur, & uesci debeamus. Quantũ ad Ananiæ de baptismo uerba attinet, non uult is peccatorũ ablutionem ad baptismũ alligari: sed eam baptismo declarari, & per eum testimoniũ ab illo qui baptisat, Spiritus sancti, quem habeat, dari, qui præsens in baptizato peccata abluat: ut is Spiritus abluens uitiorũ sordes aqua, in sacris literis appellatur. Quas sordes baptismus sacramentali ratione abluit, admonendo spiritualis aquæ, uerè & naturà ueteris hominis labem & uitiositatem abstergentis. Nam Paulus fidei spiritus flatu tactus, priusquã iuberetur ab Anania baptisari, peccatorum sibi gratiam & condonationem per fidem factam sensit, qua fide incitatus his uerbis suam in Actor. 22. Christum obedientiam declarauit: Quid faciam Domine? Non aliter Petri uerba accipienda erunt, quorũ sententia non est, remissionẽ peccatorũ & donationem Spiritus sancti ad baptismi administrationem affigi: sed, pœnitentiam agentes & credẽtes in Christum, cùm baptizantur, palam ostendere sibi condonata esse peccata per sanguinẽ IESV. Et quoniam qui baptizantur, in nomine, patris & filij & spiritus sancti baptizantur, qui mortificato uetere homine nouum in ablutis lauacro regenerationis sint creaturi, subinde in singulos dies spiritualis renouationis factis incrementis: hi sanè auctus efficiunt, ut baptisati dicantur donum Spiritus sancti accipere: & id quidem sacramentali & mystica ratione, propter ueteris naturæ mortificationem, & renouationem nouæ, cuius non quidẽ absentis, sed efficaciter prętentis baptismus admonens signum sit, quã renouationem spiritus adoptionis liberè per ministerium prædicationis Euangelij excitatus inchoet, continuet & perficiat. Qui ut electorum & filiorũ Dei proprius est, & maledictis & uafris iræ nunquam communicandus: ita hunc à ministro baptismi, qui Christo à patre dati non sunt ut seruentur, nunquam accipient: sed credentes ex capite Christo, ut perenni omnis perfectionis spiritualis fonte accipient. fides enim est unica illa fidelis manus, qua omnes salutis thesauri in pectora electorũ reponendi accipiuntur. Similiter necp corpus Christi unquam, quod edant, & sanguinẽ, quem bibant, minister impijs, in Christũ nõ credentibus uerè & corporatè exhibebit: quòd qui his uescũtur, uitam æternam ut uiuifico fidei spiritu prædíti habent. Dicat aliquis: si ita res habet, ut non pariter credentibus & non credentibus Spiritus sanctus in baptismo, & in cœna corpus & sanguis Domini dispensentur & exhibeãtur uerè & reipsa à ministro, fiet inde, ut affirmandũ sit, sacramentorum administrationis dignitatem à credẽtibus pendere, & ita uilescet & eorũ & ministrorũ ministerium. Sacramẽtorum dignitas ex diuina institutione, qua instituta sunt, ut sacrarũ rerum quarũ admoneant, signa sint, pendet. Quæ si insunt ijs qui sacramentis utuntur, salutaria eis signa sunt: sin minus, noxia. Ab institutione ergo, & rebus significatis, (sed quæ in usu sacramẽtorum credentibus per suam ἐνέργειαν adsint, non absint) sacramenta & eorũ ministri dignitatem suam ducunt, non ab eo quòd pariter omnibus quæ per illa significantur, reipsa à ministris præsententur. Constat enim, impios pœnitentiam simulantes, & spiritu regeneratore carentes, ab Apostolis baptisatos, quem baptisati non acceperunt. Constat item, Iudam panem sacramentũ manducasse, corpus Christi (ut uerè & sanctè Augustinus ait) non manducasse: & sanguinem eius non bibisse, ut de poculo sacramento bibit. Corpus enim Christi qui Ioan. 6. edant, & sanguinẽ eius qui bibant, Dominus noster apud Ioannem claris uerbis testatur. Quæ eius interpretatio quantam lucem afferat, ad intelligendum quomodo panis mysticus dicatur κοινωνία esse corporis IESV Christi, ij qui

sentiunt

ſentiunt hunc in ſe communicatione ſuæ iuſticiæ, uitæ, ſapientiæ & fortitudinis ſpirare atq; uiuere, hac de re uerè rectéq; docere poſſunt: cæteris ea uerba, ut ſurdis, fabulæ ſunt. Quales ſunt, qui uiuentis Dei filium Meſsiam redemptorem ſuum eſſe per fidem non agnoſcunt: aut ſi ore præ ſe ferunt ſe agnoſcere, corde tamen ab eo longè abſunt, & tota uita eum negant. Quorum alij hypocritas Phariſæos, alij Sardanapalos & Epicureos, non Chriſtum exprimunt. Hi quia in Baptiſmo regenerationem, qua noui homines reddantur, & in Cœna corpus Domini, quæ beneficia id morti traditum mundo contulerit, non dijudicant, ſuo exitio panẽ ſacramentũ ſe edere, & falſò ſe baptiſatos credere debent, quòd eas res quarum per ſacramenta admonentur, non habeant, ſpiritu nimirum regeneratore & cognitione meritorum mortis IESV Chriſti, quæ corde cognoſcant per fidem ad iuſticiam, & ore confiteantur ad ſalutem, & tota uita declarent ad amplificandum patrem cœleſtem, carentes. Ex his patet, quid interſit inter Euangelij prædicationem, & ſacramentorum adminiſtrationem. Dominus noſter mandatum dedit Apoſtolis, ut ante omnia Euangelium annunciarent: deinde credentibus baptiſmum, regenerationis ſacramentum, miniſtrarẽt. Quòd niſi fides in animis eorum qui baptiſantur inſit, baptiſmus eis nullum uſum ſit allaturus. Idem iudicium de Cœna Domini, qua bene nemo ſit uſurus, niſi tanquam in rem præſentem, fidem in IESVM Chriſtum, antea ex Euangelij auſcultatione excitatam afferat: qua prælucente intelligat, cur Chriſtus à patre in mundum miſſus ſit, quam ſalutem nobis per mortem & reſurrectionem ſuam apportarit, & cur Cœnam ſacram, & quem ob uſum inſtituerit. Vnde nos diſcimus, neminem melius ſacrum Domini panem in cœtu ſanctorum eſurum, & de poculo bibiturum, quàm eum qui Chriſtum probè cognitum in cœnam ſecum per fidem tulerit: ut exemplo ſunt Apoſtoli & ſancti martyres, & quocunq; tẽpore Meſsiæ ſpiritu prædíti homines. Hanc neceſsitatem ante omnia annunciandi Euangelium, Apoſtolus conſiderans, confitetur ſe miſſum ad euangelizandũ, non ad baptiſandum: non enim quòd ſacrum myſterium & ſacramentum baptiſmum extenuaret, hęc dixit: ſed quòd præcipuè neceſſarium eſſe oſtenderet doctrinę cœleſtis lumen, cuius fides myſticum lauacrum utile & ſalutare redderet, tantopere euangelizandi munus commendauit. Sic enim ait Apoſtolus: Gratias ago Deo, quòd neminem ueſtrûm baptizauerim, niſi Criſpum & Caium, ne quis dicat quòd meo nomine baptizauerim. baptizaui autẽ & Stephanæ familiam. præterea haud ſcio num quem alium baptizauerim. Non enim miſit me Chriſtus ut baptizarem, ſed ut euangelizarem. His uerbis non obſcurè Apoſtolus indicare iudicatur, ſacramenta non inſtituta eſſe, per quæ miniſtri eas res quarum ſigna ſunt, re ipſa exhibeant: ſed diuina ſapientia inſtituta eſſe, quæ rerum ſpiritualium, & earum præſentium, non abſentium, quas ex Euangelij prædicatione didicimus, nos admoneant: baptiſmus quidẽ ueteris hominis quem exuamus, & noui quem in Chriſto induamus, ad ambulandum in nouitate uitæ: cœna uerò Domini, beneficiorum per mortem illius acceptorum, quæ in cœtu fidelium deprędicemus, admoneat. Hunc enim uſum explicat Dominus cœnæ inſtitutor, dicens: Hoc facite in mei commemorationem. Et quid faciendum ſit, diſertè ſignateq; Apoſtolus (ut indicatum) exponit, ubi in cœnæ Domini inſtitutæ explicatione non dicit, Chriſtum cum pane corpus ſuum, quod tum certo circumſcriptũ loco ad menſam aderat, diſcipulis corporatè communicaſſe: & in poſtera tempora miniſtros, his uerbis enunciatis (Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum) corpus Chriſti aut panem factum, aut cum pane, aut ſub pane uere, & (ut ſic loquar) localiter præſens ſumentibus prębituros. Et quantum ad baptiſmum attinet, eius uſum idem Apoſtolus in epiſtola ad Romanos, quis & qualis ſit, perſpicuè oſtendit. Quòd ſi quæ conſolatio in baptiſmo & in ſacra

Matth. ult.

1. Corinth. 1.

Matth. 26.

Rom. 6.

cœna affertur, ea in ijs rebus cernitur, & ex eis capitur, quarum ſacramenta ſi-
gna ſunt. Vt baptiſmus conſolatur nos, dum admonet nos ſacri ſpiritus regene
ratoris, qui in cordibus noſtris habitet tanquã unica & uera σφραγὶς & ἀρῥαβὼν,
conſolator & confirmator animorum noſtrorum in omni afflictione & tenta-
tione, qua à carne, mundo, & principe mundi, ab Antichriſto & eius pſeudo-
prophetis tyrannisq; orbis terrarum tentamur, uexamurq;. Et quantum atti-
net ad Cœnam Domini, in hac pĩj conſolationem, diuidentes inter ſe myſticũ
panem, capiunt: primò, quòd ſentiunt præſentem in ipſorum cœtu Chriſtum
eſſe, cuius carnis & ſanguinis ſpiritualibus dapibus ueſcantur: & eius præſidio
tecti, contra omnem aduerſariam peccati, mortis, & portarum inferni uim de-
fendantur. Chriſtus igitur cœleſtis panis, naturâ & uerè per ſpiritum ſuum con
ſolatur confirmatq; piorum animos: ut panis ſacramentum ſacramẽtali & my-
ſtica ratione confirmat, quatenus ad Chriſtum ſeruatorem credentium pecto-
ra reuocat, qui ſe in cœtu ſanctorum præſentem munerib. ſacri ſui ſpiritus ex-
hibeat, quæ cum gratiarum actione publicè celebrentur. Vnde is panis nõ uul-
garis panis, ſed Domini panis appellatur. Deinde conſolatione afficiuntur,
quòd in hac amabili & ſuaui panis & poculi diuiſione, publico teſtimonio di-
uini amoris uinculo inter ſe conſtrictos in Chriſto IESV capite, unum cum
Deo patre eſſe ſe declarant: qua declaratione & teſtificatione meritorum Chri
ſti & eius præſentiæ in ſacra cœna, & tam arctæ coniunctionis ſui inter ſe, quid
quæſo dulcius, & ad conſolandum aptius excogitari poteſt? præſertim ſi qui
conueniunt, fide non ficta, ſed uera, quæ per charitatem & amorem Dei & pro
ximi agens, pios non lateat, ſed lucernæ ritu per benefacta luceat, conueniant.
Quòd ſi quis hic percunctetur, cum dicitur Chriſtus in ſacramentis præſens
adeſſe, an ne eodem modo in his, & in ijs qui illis utuntur, præſens adſit: in hu-
iusrei explicatione, Chriſtum aliter in Sacramentis, aliter in hęc uſurpantibus,
aliter in cœlo, aliter in hac uniuerſitate intelligimus eſſe. In ſacramentis, myſti
ca & ſacramentali (ut indicatum eſt) ratione adeſt, ut res ſignificata in ſuo ſi-
gno, non præſentia naturalis & localis coniunctionis, neq; alligatę & aſtrictæ
rerum ſacrarum exhibitionis: ſed præſentia ſignificationis & admonitionis,
quæ ſacramentalis & myſtica præſentia eſt, qua rerum cœleſtium & ſpiritua-
lium præſentia animis noſtris admonemur: ſacramentis ipſis nos à terrenis ad
cœleſtia, à corporatis ad ſpiritualia, ab aſpectabilibus pro more myſteriorum
ad inaſpectabilia ſubducentibus. In credentib. autem, qui ſacramentis utun-
tur, Meſsias uerſatur præſens, præſentia communicationis ſuæ iuſticię, ſapien-
tię, fortitudinis, uitę: quę uera κοινωνία Chriſti eſt, cuius panis myſticus quoniã
ſacramentum eſt, is κοινωνίαν corporis Chriſti appellatur: ut myſteria ſeu ſacramẽ
ta earum rerum nominibus, quarum ſunt ſacramenta, appellari ſolent. ſicut cir-
cunciſio præputij carnis, fœdus Dei: & agnus, Peſah: petra in ſolitudine à Mo-
ſe percuſſa, Meſsias appellata fuit. In ſacramẽtis igitur Chriſtus adeſt myſti-
ca & ſacramentali ratione, in credentibus uerè per ſacrum ſuum ſpiritum tan-
quam in templo habitationis ſuę, quibus ſe intimè præſentem conſortio iuſti-
ciæ & uitæ ſuæ oſtẽdit: cuiuſmodi præſentiæ ipſius Meſsiæ ſolum ratione pre-
dita natura, & ea ſcripta in libro uitæ, particeps eſt, ut ſunt angeli & homo. Et
hac ratione ſacramenta non ſunt uacua & inania ſigna, ſed ornata rerum, qua-
rum ſacra ſigna ſunt, præſentia, & ea efficaci, dum nobis Chriſtum in cordibus
noſtris uiuentem & ſpirantem per ſuum ſpiritum, indicant. In cœlo autẽ Chri-
ſtus ſedens ad dextram Dei habitare dicitur præſens, pro ſtatu glorię & maie-
ſtatis ſuæ ab omni iniuria & labe liberum regnum obtinẽs: in quo ad dextram
potentiæ & imperij in omnia Dei patris ſedens, adoratur tanquam Dominus,
& inuocatur tanquam patronus & arbiter uniuerſæ ſalutis. Quale autẽ ſit hoc
cœlum, utq; ſupra omnes cœlos creatos & materiatos exaltatũ ſit: ea de re aliàs

mentio

mentio facta est. Postremò in hac uniuersitate Christus præsens adesse accipitur, primò ut rex & administrator, qui omnia in omnibus gubernet & administret, ut per eum cuncta condita sunt & creata. Hæc administrationis præsentia tam longè lateq; patet, quàm dextra Dei omnia ambiens patet: & tam longè lateq; extenditur, quàm cœlũ, terra, abyssus, & ea quæ in cœlo, terra & abysso continentur, extenduntur. Demum præsentia eius in hac omni natura in eò perpenditur, quòd de eius perfectione omnia quę cõdita sunt, participant. Nã in his nihil cernas, quod in Messia non cõtineatur, ad cuius tanq; uerbi sui & exẽplaris inspectionem, Deus pater cuncta creauit. Nam in Christo IESV corpus & anima, & oleum sacri spiritus, à quo Messias & Christus appellatur, cernuntur. Si corpus spectes, in eo omnium rerum corporatarum perfectio continetur. Sin animam, quæ perfectio in animis rerum animatarum inest, in Messiæ anima comprehenditur, siue stirpium, siue animantium sensum & motum habentium: siue hominis anima intelligentia & mente præditam, siue ipsos angelos à corpore separatos spiritus consideremus. Vnumquodq; igitur hac ratione eatenus Christum prẽsentem habet, quatenus de eius perfectione participat. Demum quantum ad spiritum sanctum attinet, per hunc rationis consortib. naturis, quæ locum in regeneratione ad participatum diuinæ iusticiæ & uitæ gloriæq; cœlestis regni habẽt, præsens est. Atq; hæc præsentia Christi maximè salutaris est) & propria filiorum Dei: cuius etiam corpus & sanguis illorũ animis præsens est, ad præbendũ eis perennem & cœlestem uictum, prout carnis & sanguinis IESV spiritus in credentibus spirat, & eis uitam dat. Hoc modo caro & sanguis Christi à principio, antequam is prẽsentatus fuisset mundo, omnib. sanctis qui unq; fuerũt, per spiritũ uidelicet sanctũ (qui omniũ seculorũ spiritus est) uitã dederũt, cũ crederẽt Christũ IESVM à Deo in mundũ mittendũ, qui merito fusi sanguinis & ui excitationis ad uitã, omnẽ salutẽ electis suis paraturus esset. Et hac parte ueteris fœderis sacramẽtis, noui sacramenta præstãt, quòd hęc præsentati, illa præsentãdi signa fuerũt. Hęc post alios eruditos & pios uiros, de mysteriis ac sacramentis, inuitatus occasione per Prophetam oblata, admonere uolui: de qua mea explicatione libenter patiar Messiæ spiritu ornatos homines iudicare. Quę si eis probabũtur, bene est: sin minus, sciant, quæ scripsi, probãdi me Christo & eius mẽbris studio scripsisse: & me ita cõparatũ ac cõpositum esse, ut nõ offendar, si qui fratres, qui cõtra aduersariũ Christi, sacrũ Euangelium profitẽtur, in sacrarũ literarũ explicatione (saluis capitib. uerę religionis) à me dissentiunt. quib. ex animo omnem benedictionem præsentis & futuri seculi, quam eis cœlestis pater in filio IESV Christo largiatur, opto: cui sit gloria in omnem æternitatem, Amen.

Et bibẽt in atriis sanctis meis.) Ad Mosęam legẽ alludit, p quã secũdis decimis non licebat uesci, nisi intra Hierosolymę muros. iuxta illud: Corã Domino comede tis. ubi Corã Domino comedere est, Hierosolymis in ciuitate Dei comedere. *Deut. 12.*

Transite transite per portas.) Ad Euãgelij prędicatores auersio: primùm his ingrediendũ per portas in Hierosolymã de cœlo descendentẽ, & ab eis pręparandã uiam alijs. Præparari aũt in illã ingressum per Euãgelij prædicationẽ, qua excitẽtur electi ad pœnitẽtiam salebras uitiorũ & errorũ submouentẽ. Atq; ad hãc præparationẽ lumẽ doctrinæ & sanctitatis uitę in Euãgelij doctoris. pertinet, quod auditoris. præluceat, de qua luce lux ipsa Messias: Sic luceat lux uestra corã hominib. Sed per quod portarũ ostium ingrediendũ est: hoc, ut suprà indicatũ, apud Ioan. ostẽditur: Ego sum ostium: per me si quis introierit (in ouile uidelicet, hoc est in ciuitatẽ nouã Hierosolymã) seruabitur. Ingredimur aũt in hanc ciuitatẽ per ostium Messiam, cũ credimus in hoc omnes thesauros diuinę iusticiæ, sapientiæ & uitæ repositos esse, quos nobis Hierosolymæ ciuib. aperiat, & apertos cõmunicet. Conat aduersarius Christi ingredi in Ecclesiam: sed furis, qui illã deprædet, modo, nõ pastoris: quoniã nõ per Christũ ingreditur. *Matth. 5.* *Ioan. 10.*

de quo his uerbis ostiũ cœlestis Hierosolymæ apud Ioann. loquit: Hic nõ uenit nisi ut mactet & furet. Qualis fur Antichristus est, inferni pses: per quẽ in ciuitatẽ Babylonẽ plenã errorũ cõfusione, eius cultores ingrediunt, suo interitu.

Leuate signum.) Messiam, per prædicationem Euangelij.

Dicite filiæ Sion.) uos prædicatores Euangelij.

Ecce saluator tuus uenit.) ad liberandũ te ex Satanæ & Antichristi regno. Venit aũt per aduentũ præsentationis sui, p accẽsum Euãgelij lumẽ, quod filius tenebrarũ Antichristus submouerat, terrarũ orbe obducto tenebris errorũ suorũ.

Et merces eius cum eo.) Sed quæ est hæc merces? Merces est, de qua Dominus ad Abrahamũ: Ego ero merces tua. Præter Dominũ enim nihil est quod electos, ut ꝓximos diuinæ naturæ, beare queat. Is igit ut uita est in Christo filio sanctorũ, ita merces eorũ & beans prẽmiũ est, quo in hoc seculo in lumine gratię fruũtur, in futuro in glorię lumine eodẽ fruituri, qsq; pro modo sacri Spiritus, quẽ à capite Messia acceperit. Nã Deus merces & præmiũ, nõ Arithmetica, sed Geometrica ratione suis electis se impertiet fruẽdũ, quãtũ interierit ad gloriã ipsius, & ad usum & decorum membrorũ in Ecclesia, corpore capitis IESV Christi. *Genes. 15.*

Redempti à Domino.) sanguinis Messiæ precio.

IN CAP. SEXAGESIMVM TERTIVM.

QVis est iste qui uenit de Edom?) Qui superiore cõcione Sionẽ Ecclesiã de futura redemptione cõsolatus est, iam ab interitu quo hostes perituri sint, eam cõsolatur. Hęc em̃ duo in Messię Regis regum & Domini dominãtium gubernationẽ cadũt, electorũ liberatio, & hostiũ profligatio: qui generationi Edõ, ut filij Dei Iacobi nomine accipiunt. Nã Esau Edom appellatus, quia Iacobi hostis fuit, nobis apta figura hostes eorũ qui à lacobæa gẽte præfiguranr, refert. De qua figura in Genesi mẽtio facta est, ut uidelicet electi à repudiatis, filij Dei à filijs Satanæ, carnalis homo à spirituali origine. natura, uita, studijs & benedictione differat. Præsignificant aũt in hac ocularí cõcione, postrema patefaciendi Antichristi, & eius regni per claritatẽ Euãgelij abolẽdi, tẽpora. Qui Antichristus, quoniam ex Romano imperio extitit, & sedẽ eius occupauit, si qui sunt qui nomine Edõ Romanos accipiãt ea ratione quę iam exposita est, aliq; modo ferri eorũ sentẽtia potest. Vt aũt duę sint bestiæ à Ioan. in Apocal. descriptę, quarũ alterã uiderit Ioann. ex mari, alterã de terra ascendentẽ, & facientem potestatẽ prioris bestiæ, ea de re aliàs meminimus. Nõ simplici igit oratione uictoriã de potentib. Ecclesiæ hostib. à Christo referendã esse prædicit Iesaias, sed figurata. Nõ enim simplicit dicit, Vincet hostes suos Christus: sed inducit Ecclesiã admirabũdẽ percunctantẽ de triumphatore, à recẽte hostiũ cæde reuertẽte, Quis est qui uenit ab Edom? intinctis uidelicet hostiũ cruore uestib. à Bosra? Vbi figuratẽ, cruenta uictoria ab hostib. reportãda significat. Hoc tamẽ nequaq; accipiendũ fuerit, quasi Messias in mũdo eo modo bellũ sit gesturus cũ inimicis suis, quo terreni reges gerũt, humanis armis pugnãtes, & sanguinẽ fundentes: ueluti nostris temporib, extiterũt, qui se missos à Deo dicerẽt, ad nouam Hierosolymã uictis hostib. extruendã. Hoc genus uictoriæ lõgè abest à cœlesti rege Messia benedicto, cuius armatura qualis sit, iam sæpè ex Mose & Propheta nostro & alijs, & ex noui fœderis scriptura indicatũ est. Nã præter Mosæ, Prophetarũ & Noui testamẽti doctrinã, nulla alia recipit, cui fidẽ ad salutẽ cõparandam demus. Neq; aliam sacrę scripturę interpretationẽ cõprobant spiritu Messiæ docti homines, q; eam quæ analogiæ fidei, nitẽtis ꝓditæ Scripturæ, cõsentanea sit. Analogiæ aũt ac normæ fidei interpretatio cõsentanea esse iudicat, quę aut claris locis scripturę ad obscuriores explanãdos utit: aut ita adhibet, ut in ea omnia ad summã gloriæ Dei in Christo & ædificationis Ecclesiæ, ex regula Legis tabulæ primæ de amore Dei, & secũdæ de dilectione alterius, referãtur. Contrà habet doctrina quæ sacris literis nõ cõtinetur, & cõfirmatur locis Scripturę perperã expositis: quorũ

interpretatio

interpretatio normæ fidei dissentiēs, gloriā Dei minuit, salutēq; proximi euertit. Qualia sunt dogmata, quæ de suo excogitat filius perditus, & ea per scripturā sacrā perperā falsoq; expositā cōfirmat: & qualia dogmata sunt, quæ seditiosi homines ex falsò intellecta scriptura sacra, ad sua consilia defendenda fingunt. Ad fidei aūt regulā infallibilē, omniū interpretū qui sacras literas explicarūt, & etiam nunc explicāt, interpretationes exigēdę sunt: ut eorū psonarū ratione deposita, nō quales sint, & qua existimatione uulgò habeant qui docēt, sed quid doceant, an ea cū sacris literis & analogia fidei cōueniant, ponderet. Vtinā hodie hæc pēsi haberemus: nō tot factiones & dissidia in Ecclesia existerēt, cū alij alios sectātes, errores etiā eorū quos sequunt, magna cōtentione, p ueritate defendūt & tuent. Exēpla, ut satis nota, nihil interest oltēdere. Quāto satius esset cū Apostolo dicere: Ne qs glorietur in hominib. Omnia nāq; uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mūdus, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia inq; uestra sunt, uos autem Christi, Christus uerò Dei: ut filius uidelicet unigena & naturalis, caput omnis perfectionis spiritualis: uos uerò Christi, ut membra & filij Dei in Messia, & per Messiam, secundum gratiam adoptionis. 1. Corinth. 3.

Formosus in stola sua.) Splendorē imperatorij uestitus, & heroicū incessū, excellentē fortitudinē præ se ferentē, Sion in redēptore Messia admirat. Qualis amictus & incessus eum decet, qui ad liberandos suos ultionem de hostibus sumere molitur. De quo uestitu suprà: Indutus est uestimento ultionis.

Ego.) Percunctāti Ecclesiæ respōdet uictor Messias: Ego, inquit, ipse sum, nemo alius, neue in cœlo, neue in terra. Sed qualis est triumphator Messias? Sequitur:

Qui loquor iustitiam.) Duo sibi tribuit is: se iustitiā seruare, & multū esse ad seruandū. Suam uictoriā sibi cōstare sermone iusticiæ, & ui ac facultate seruādi. Cęteri reges uictoriā sępe cū iniuria aliorū sibi parātes, & regna prorogātes, tandē miserè pereūt, neq; se, neq; suos seruātes. Nō talis Messias rex & imperator est, qui nō ui, nō armis, sed sermone iusticię, ad liberandos suos efficaci, regnū suum administret & tueat. Loquitur aūt iusticiā Christus, primò cum Euangelium docendum per legatos suos curat, ex cuius auscultatione ueram iusticiam, quæ Dei iusticia est, cōparetur. Deinde, cū eos qui sermoni de iusticia fidem habere nolunt, perdit. Nam his duob. cōstat sermo IESV Christi, quē de iusticia habet: altera parte salutē credentib. altera parte interitū nō credentib. afferēte. De altera parte illud: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, hoc est credēdo nouā uitam induerit, baptismi mysterio *Math. ult.* designatā, saluus erit. De altera parte illud: Qui nō crediderit, condēnabitur. Item: Sermo meus, quē locutus sum, iudicabit eos in nouissimo die. Itaq; meritò etiā is *Ioan. 10.* ipse Dei sermo appellat, de quo Ioann. Et uocabit nomē eius sermo Dei. *Apocal. 19.* Hoc aūt nomē obtinet primò Messias triūphator Edom, quòd ipse æternū illud uerbū est, per quod Deus architectus mundum hūc cōdidit & administrat, de quo illud: In principio erat uerbū, & Deus erat uerbū, omnia per ipsum facta sunt. *Ioann. 1.* Deinde sermo Dei appellat, quòd Dei patris arcana enarrat: neq; ulli patefiant abdita cōsilia Dei nisi per interpretē Messiā. De quo illud: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. *Ioan. 1.* Nā ut oratio mētis arcana patefacit: ita sermo Christus patris sui arcana per sacrū Spiritū, qui profunditates Dei penetrat, aperit. Postremò, sermo Dei noster Edomitarū uictor nominat, quòd is omnia sermone, siue electi seruādi sint, siue hostes delēdi, perficit. Sermone nimirū Euāgelij, qui diuinæ iusticiæ, tū ad seruandū, tum ad perdendū efficax sermo est, de q̄ hic seruator mūdi: Ego loquor iusticiā, & multus sum ad seruandū. Iusticia hæc, si impios spectes, uindicās & puniēs iusticia est: sin pios, seruatrix. Huc respiciens Ioann. in Apocalyp. hunc uictorē IESVM Christū sic describit: Et uidi cœlū apertū, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum *Apocal. 19.* uocabat fidelis & uerax, & per iusticiā iudicat & pugnat. Dicit se uidisse cœlum apertū: quod antecq; per Messiæ Euangeliū patefiat, clausum dicitur. de quo clauso cœlo suprà mētio facta est. Deinde uidit nostrū uictorē sedere super equū album, qui color innocētiæ & iusticiæ cōsecratur: per quē uictoriā de iniustis hostib. re-

portat. & fidelis atq; ueracis titulo nominatur: ut in quo, & per quem Deus pater
2. Corint. 1. omnes promissiones suas Amen & etiam esse declarat. Postremò uidit eum pugnare & iudicare in iustitia: quod est hic, Ego loquor in iustitia.

Quare ergo est rubrum uestimentum tuum?) Quæ interrogasset de reditu ex cæde Edomitarum, iam de ueste, cur rubeat, interrogat. Cui respondere inducitur Messias, suam uestem rubere, qui solus prælũ calcarit. In qua responsione se calcatori uuarum, & hostes uuis quæ calcantur, comparat: quorum cruore, cruento prelio commisso, uestis sua infecta sit. Sic etiam Ioann. Et uestitus erat ueste tincta sanguine.

Calcaui eos in furore meo.) beneuolentiã & fauorẽ agnoscere recusantes. Itaq; q natura mitis agnus sum, missus ad tollẽda peccata mũdi, ipsi sua culpa & odio q̃ me, ꝑse 10
Apocal. 5. quunt̃, furentem in ipsos leonẽ ex me faciunt. de quo illud, Vicit leo de tribu Iuda.

Et aspersus est sanguis eorum.) sanguinẽ דָּם appellari uolũt, ꝙ uitę robur in eo situ sit.

Dies ultionis.) de dracone, & Babylone, spirituali regno Antichristi, expetendæ.

Annus retributionis.) annus quo mei electi sint redimendi, uindicta sumpta de Babylone. Est igitur electis suum & seruitutis & redemptionis tẽpus, in diuina prænotione consignatum, & numeratum.

Circumspexi, & non erat auxiliator.) Suprà: Solus calcaui torcular. quod ad amplificãdam laudẽ uictoris Messiæ pertinet. Laudi datur, etiam si quis multis adiutus, potẽtes hostes uicerit: maiori, si paucis fretus: in maxima laude ponit, si solus uictoriam de hostib. retulerit, nullius ope subnixus. Quare admonemur hic, credendũ 20
esse, unum solum redemptorẽ & mũdi seruatorem esse, non plures: qui est IESVS Christus, unigena filius Dei uiuẽtis, primogenitus uniuersę creaturæ, sanctitas, iustitia & uita electorũ: nemo alius, in hac uniuersitate. Nã si rationẽ reportãdæ uictoriæ cõsideras, is solus mortuus est, ut mortẽ deleret: solus peccatũ, hoc est peculiaris peccati uictima factus est, ut peccatũ tolleret: solus ex mortuis resurrexit, ut uiam resurrectioni ẽ mortuis omnib. scriptis in libro uitæ præmuniret: solus præterea ad dextrã patris elatus est, nactus nomen Imperatoris in supera, terrestria & 30
inferna, ut suis quoq; gloriosum regnũ pararet, & in hoc seculo in omnib. tẽtationib. liberè sine omni elementorũ obseruatione inuocatus, & ad nullas res externas astrictus opẽ ferret. Quòd si hostes carnales & terrenos spectes, ut horũ tyrannidem per Euãgelij sceptrũ opprimat & euertat, superiora Neronis, Diocletiani, Domitiani, Maximini & aliorũ, & hæc nostra secula declarant: ut uerè gloriet̃ noster IESVS Christus, à se solo prælũ calcari. Hæc aũt de Christi uictoria, qui solus uicerit mundũ & tenebrarũ principatũ, nõ ita sunt accipiẽda, ut nulli secundũ illũ uictores aduersariarũ potestatũ euadant; sed ꝙ ipse nisi prior hostes uicisset, spõsa eius Ecclesia, huiusq; mẽbra nullã referrẽt. Dicit̃ ergo Christus solus superasse & triũphasse, tanq; unicus dux & Impator: nos uerò tanq; militãtes sub illius signis, nõ nostris uirib. ac facultate, sed IESV regio spiritu munitos, uincere & triũphare, q̃ nostra salus, armatura & uictoria sit, ꝑ nobis & in nobis luctãs & uincẽs. Beati q̃ in hoc militię genere merẽt, sub Messia duce, & Impatore in omnia potẽtissimo. 40

Et inebriaui eos.) Babylonẽ & eius cultores uino furoris mei, ut illa ipsa Babylõ in-
Apocal. 17. ebriauit omnes gẽtes uino scortationis suę. Lege ergo talionis agit̃ cũ aduersarijs.

Miserationum Domini recordabor.) Sionem inducit Propheta, commemorantem uetera Dei in se beneficia: quæ ne frustra contulisse uideatur, eum hortatur, ut etiam in posterum promissa sua & fœdus olim initum seruans, sibi afflictæ salutem dare uelit. De locis inter interpretandum monebimus.

Quæ reddidit nobis Dominus.) bona pro malis, non improbitatem nostrã respiciens, quominus nobis benefaceret: multo minus meritis, quę nulla sunt, commotus, ut nos tantis beneficijs afficeret. Sed unam clementiam in suo Messia intuitus est, in benefaciendo nobis.

Et dixit: Veruntamẽ populus meus est.) Inducit̃ Deus cogitasse de Israelitis suis liberãdis, 50
quos degeneres fore non putaret, ꝙ essent in fœdus semel inscripti. Nã in fœdere eo spectasse Dominũ, ut & ascripti rectè probeq; se gererẽt: sicut hi, ut recitata fuis-

sent

sent fœderis uerba, professi sunt, se cõsentaneè fœderi uicturos, & ei obedientes fo re. Atqui hæc non ita accipiunt de Deo, qui ignorarit quales essent futuri sui: sed ἀνθρωποπαθῶς hęc de illo dici intelligunt, humanis affectionib. Deo affictis, ut diuinę melius accipiant. Talis igit humanorũ morũ fictio à parentib. sumpta, propo nitur nobis cõsideranda. Porrò hi ubi cogitãt filios suos fore morigeros, opẽ eis fe rũt, & benignè eos tractant. Sic hic Dominus cũ suis agere legitur: Populus meus sunt, & filij: quos quoniã existimaui non degeneraturos, neq; fidẽ falturos, eos ex Aegypto redemi, in solitudine Arabũ seruaui, in Chananæã deduxi, uicinas propter eos gẽtes subiugaui: ab Assyrijs & Babylonijs liberaui, & ab alijs atq; alijs malis eos eripui: usq; ad postrema tempora, quibus me palàm in carne manifestaui. Exod. 24.

De quo tempore his uerbis Apostolus: Et citra controuersiam magnum est pietatis mysteriũ, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, uisus est angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria. 1. Timoth. 3.

In omni tribulatione eorũ nõ est tribulatus.) Interpretũ sentẽtia לֹא scribit, & לוֹ legitur, ut sit sentẽtia: Dominũ unà cũ suis affligi, & angustia rerũ aduersarũ premi. Similiter apud Zachariam dicit: Qui uos offenderit, pupillã oculi mei offendet. Et in libro Iudicũ: Doluit super miserijs Israel. Similiter in Actis scriptũ est: Saul Saul cur me persequeris? Quæ loquẽdi forma summã Domini in suos beneuolentiã tũ in prosperis tũ aduersis reb. declarat, qui eorũ afflictionẽ cõmunem sibi esse cõfiteatur. Sunt interpretes, qui negantẽ uocẽ לֹא in hunc modũ interpretant, In omni angustia eorũ nõ angustia: hoc est, pro meritis afflicti nõ sunt, neq; ita uexati sunt calamitatib. ut perierint: sed id euenit eis, quod Moses euenturũ ipsis prædixit. Attamẽ cũ essent in terra hostili, nõ penitus abieci eos, neq; sic despexi ut cõsumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Etiam interpretatio toleratur: Res angustas & aduersas electorũ non esse res aduersas, si conferantur cũ gloria quę illos comitatur. Quò pertinet illud Apostoli: Nam momẽtanea leuitas afflictionũ. 2. Corinth. 4.

Et angelus faciei eius saluauit eos.) Sic ab angelo primogenita Aegyptiorũ cędẽte liberati sunt, & ex Aegyptia seruitute uindicati in libertatẽ: & in solitudine peregrinãtibus angelus interdiu in colũna nubis, noctu in colũna ignis præcessit: & per angelũ tot milib. Assyriorũ deletis, Hierosolyma liberata est. Sed quæ est facies illa Dei, de qua hic legitur: Et angelus faciei eius? Messias hæc facies est, de qua Malachias: Ecce ego mitto angelũ meum, & præparabit uiam ante faciem meam. Legati igitur Dei, siue cœlestes angeli, siue homines in terra, facies ipsius Dei, hoc est Messiæ angeli dicuntur, qui nimirum mittũtur à Deo, ut Messiæ seruatori ad eum fide cognoscendũ, uiam præparent, in quo pater cũ non secus eluceat atq; animus in facie, Messias facies patris uocatur. Dicuntur autem angeli seruatores, ut etiam homines sancti, legatorum Dei munere fungentes (ut fuerunt pij Iudices & Reges) hoc titulo insigniti sunt, quod præcedentes Messiam uerum seruatorem, imagine quadam & figura præsignificarunt. Aut simpliciter angeli faciei Dei angeli uocantur, quòd coram eo uersentur, & faciem eius præsentes uideant, ut de his Christus Dominus noster loquitur: Angeli qui uident faciem patris, &c. Malach. 3. Matth. 18.

In delectatione sua.) pro amore suo, quo nos prosequitur: non pro amore, quo nos ipsum priores prosequimur. Dei enim amor quo nos amat, amoris in nobis, quo ipsum amemus, causa est: qui nisi nos prius amans, sacrum Spiritum amoris nobis in nostra pectora fundat, nunquam eum amaturi simus.

Et indulgentia.) parcens eis pro clementia sua natiua, qui ut perderentur meriti fuerant, quod est חמלה. Reuocanda hypothesis ad thesim.

Redimet eos.) gratis, ex Aegypto Israelitas, & ex spirituali Aegypto Ecclesiã suam, per Israelitas præfiguratam.

Et portauit eos.) iam redẽptos summa cura fouit, sicut mater atq; nutrix infantes in ulnis & humeris suis portãs, fouet atq; alit: unde Ethopœia hæc sumpta est. Similiter Moses in Deuteron. Assũpsit eum, & portauit in humeris suis. Sed quò portauit? Si Israelẽ mysticũ spectes, portauit per deserta Arabiæ, in promissam hæreDeuter. 32.

ditatem, terram Chanaan. Sin generatim Ecclesiam scriptorum in libro uitæ, portauit hanc ex sua Aegypto liberatam, in promissum cœlorum regnum. De quo illud: Pœnitentiam agite, in propinquo est enim regnum cœlorum.

Et eleuauit eos cunctis diebus seculi.) Leuantur filij Dei, deprimũtur hostes: his inferno destinatis, illis cœlo. Suprà de hostib. Conculcabo eos in ira mea. hic de filijs: Et leuauit eos. Sed quò, submoto typo, leuantur? Apostolus explicat: Si resurrexistis
Coloss.2. unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens.

Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt me.) nõ tales se declarãtes, quales debebãt se declarare, & ego uolebã. Cõmemoratur improborũ & rebellium liberorũ cõtumacia, quo in maius extollat misericordia diuina in seruatore Messia. Si Israelitas spectes, quid eis acciderit, & etiamnũ accidat, clarũ est. Quid uerò præsentato in mũdum Christo Ecclesiæ hucusq; acciderit, & etiamnũ accidat, Antichristi tẽpora ostendũt, & his nouissimis temporib. expectatio salutis, ut uerè etiã hęc cũ Israelitis dicat: Pro suo amore & indulgẽtia redemit me, & portauit me, donato mihi Euãgelio, & spiritu eius: ego aũt immemor beneficiorũ quæ in me cõtulit, à seruatore meo Christo defeci, amplexus Antichristum, cuius dogmatis fidem habui, Euangelio contempto: dumq; mendacijs aduersarij obtemperare studui, dolore afficere ueritatis & sanctitatis Messiæ spiritũ non puduit, ut sequitur:

Et afflixerũt Spiritũ sanctũ eius.) rebellãdo Prophetis, ante manifestatũ mũdo Christũ: & hoc manifestato, Apostolis, spiritus sacri ministris. Dolore igit̃ afficit Spiritus sanctus, cũ eius dispẽsatores contẽnuntur, cœlestẽ doctrinã afferẽtes: & cũ pij homines uiderint improbos, laxato improbitati freno, resipiscere, & ad meliorẽ frugẽ redire nolle.
Ephes.4. Prophetæ nostri uerba ponderans Apostolus, in epistola ad Ephes. sic ait: Ne cõtristetis Spiritũ sanctũ Dei, per quẽ obsignati estis in diem redẽptionis. Quib. uerbis ostẽdit sanctũ cõtristari Spiritũ, cũ ij qui eum habẽt, contur bant̃: q; horũ afflictiones & dolores, Christus suos esse iudicet: cuius spiritus, sanctorũ spiritus est. At uerò nõ solũ in alijs nos perturbamus spiritũ Dei, sed etiã in nobis & à nobis perturbatur, cum uitiositas in carne nostra quicquã commiserit, quod aduersum sit illi. Hũc dolorẽ pij in perpetua illa carnis ac spiritus lucta sen-
Rom.7. tiũt, ingemiscẽtes cũ Apostolo: Quis me eripiet ex corpore morti obnoxio? Et ut spiritus contristationis suæ causæ sunt, ita eius exhilarationis suæ quoq; causæ nõ desunt: ut si eorum qui rectè & sanctè docent, doctrinę non repugnemus: & si ita in uetere homine frenẽtur cupiditates, ut nouus & interior homo suum gnauiter munus obeat, cum gaudio & lætitia, de qua Apostolus: Regnum Dei est iusti-
Rom.14. cia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.

Et cõuersus est eis in inimicũ.) quẽ amicũ, ei obsequẽdo per fidẽ & amorẽ, habere potẽrãt. Atqui eis sic hostis factus est, ut pater rebellib. liberis hostis fit: qui ad recõciliandũ ppensus, facilè cũ eis redit in gratiã, si pœnitentiã impulsore diuino Spiritu meditent̃. unde toties tẽporum recõciliationis mẽtio fit. Ex hoc loco discimus, quẽq; talẽ sibi facere Deum, amicũ uidelicet uel inimicũ, patrẽ uel asperũ iudicẽ, qualis ipse fuerit, fidelis uel infidelis, rebellãs uel obsequẽs. Hinc illud: Cũ puersis
2.Reg.22. peruertẽris. cũ peruersis puersum, hoc est durũ & inclementẽ, cõtra naturã tuam, quæ clemẽs est, te ostẽdes: cuius pprium opus sit misereri, nõ irasci, seruare, nõ perdere, amicũ præstare, nõ inimicũ. Talẽ igit̃ quisq; sortit̃ Deum, qualẽ fide uel infidelitate sibi finxerit. Exẽpla in Cain & Abel, in Semo & Chamo, in Esau & Iacobo, in Iuda & Petro, & in uniuersum in impijs & pijs exhibentur.

Et ipse debellauit eos. Meminerat Dei in hostẽ cõuersi: iam belli in rebelles facti mẽtionẽ facit. Bellũ aũt hoc partim externũ, partim internũ cernit̃. Internũ, per legẽ accusantẽ ac condemnantẽ cõscientiam de culpa, gerit̃: quod lõgè grauissimũ bellum est. Externa bella contra peruicacem gentẽ gesta per Assyrios, Babylonios, Græcos & Rom. nota sunt. Mysticę rationis explicationẽ retexere, nõ fuerit opus.

Et recordatus est dierum seculi Mosæ.) Inducitur Israel in hoc postremo exilio & calamitate, prisca Dei beneficia in se Mose duce collata recolere: & orare, ut quẽadmodum

admodũ ſeruaſſet olim ſuum populũ, ita in his poſtremis temporib. ſeruare uelit. Sic enim infrà orãt: Attende de cœlo. itẽ: Reſpice, populus tuus omnes nos.

Populi ſui.) ſemel in fœdus ſuſcepit, cuius Deum pœnitere nequeat. Sic enim Apoſtolus: Nã dona quidẽ & uocatio huiuſmodi ſunt, ut eorũ illũ pœnitere nõ poſsit. Hoc modo precãs Iſrael, Deo ſuę ꝓmiſsionis & fœderis admonito, exaudiet. Sic em̃ Moſes de eius in gratiã Dei reditione uaticinatus eſt: Tũc orabunt ꝓ impietatib. ſuis, & recordabor fœderis dpepigi cũ Abrahamo, Iſaac & Iacob. *Rom. 11.* *Leuiti. 26.*

Vbi eſt qui eduxit eos de mari.) magno miraculo, exſiccato eius alueo. quod inſigne redemptionis beneficium perierit tibi, ſi cum poſteris illorum in gratiam non redeas, quibus factum ſit hoc promiſſum: Ero Deus tuus, & ſeminis tui. *Geneſ. 17.*

Cum paſtoribus gregis ſui.) ducibus tribuum.

Spiritum ſanctum eius.) Hunc ut liberaliter in Moſem, in Aaronẽ, in ſeniores populi & in Prophetas fudiſti: ita his nouiſsimis temporibus etiam in nos fundere digneris, promiſſum tuum ſeruans, quod his uerbis apud Ezechielem explicatur: Et dabo uobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio ueſtri. *Ezech. 36.*

Vt faceret ſibi nomen ſempiternum.) Vltimus finis redẽptionis electorũ, & dilectionis hoſtiũ eſt, gloria Dei. Huc pertinet illud Apoſtoli, citatũ ex Exodo: In hoc ipſum excitaui te, ut annũcietur nomẽ meum in tota terra. At hoc nomẽ tuum celebre deleretur de rerũ natura, ſi tu populũ tuum ſemel electũ ſineres perire dicturis hoſtibus, te tam bonũ non eſſe qui uelis, neq; tam potentẽ qui poſsis, neque fidelem uel ueracem qui promiſſa tuis facta præſtes. Quam ſalutem aũt promiſeris Iſraelitis tuis, ex Moſe & Prophetis liquet. Submoto uelo, ut hæc generatim ad electos prefiguratos per Iſraelitas pertineãt, nihil refert indicare.

Quaſi equum in deſerto.) Similitudine illuſtrat beneficium, in qua oſtẽdit omnia cadere in diuinam prouidentiam, cuius ſpiritu iumenta & homines gubernentur, nihil temerè & caſu accidat.

Attẽde ad ea.) memor fœderis & ueterũ beneficiorũ, q ipſe fateare Iſraelitas etiã errãtes & miſerè afflictos populũ tuum eſſe, dicẽs: Etiã populus meus ipſi. Cœli mentionẽ faciunt, ut de quo proficiſcatur ſalus tanq; de ſede diuinitatis.

Vbi eſt ζelus tuus.) quo in Iſraelẽ ſpõſam tuã flagras, quo olim inflãmatus illã ab hoſtib. deſẽdiſti. קנאה à Græcis reddit ζῆλος, & ζηλοτυπία. Quę affectio naſcit ex eo, q alter potit, q nos potiri cupimus. In hortãdo utunt̃ loco de ardẽte amore & ſtudio, q olim ſuos nõ aliter atq; ſpõſam ꝓſecutus ſit: q d ſtudiũ induta crudelitate exuiſſe uideri poſsit, ſi Iſraelẽ ſemel ſibi cõiugali fide copulatũ deſerat.

Et fortitudo tua.) cuius laudẽ amiſeris, ſi tuos derelinquas: dicturis hoſtib. te infirmiorẽ eſſe q; tuos ſerues: falſoq; te tibi clemẽtię & potẽtiæ laudẽ uẽdicare, & eã à quoq; tibi tribui. Quę nõ niſi ſummo tuo opprobrio patieris de te dici.

Multitudo uiſcerum tuorum.) quę olim effuderas, & iam obduruiſſe uidentur in te, permittente tantam hoſtes tuos rabiem in tuos exercere.

Miſerationũ tuarũ.) Quib. olim ꝓſecutus es populũ tuum, & miſericordiã ei daturũ te deinceps promiſiſti. Sic enim per Ieremiam de tua clemẽtia, qua nos ſis proſecuturus prædicas: Idcirco conturbata ſunt uiſcera mea propter eum, miſerans miſerebor eius, dicit Dominus. Vbi duarum uocum, quæ hic memorantur, fit mentio, מעי & רחם: quæ duæ uoces intimum amorem, penitiſsimè in uiſceribus & pectore hærentem ſignificant. *Ieremi. 31.*

Super me continuerunt.) Quæ uiſcera miſericordiæ ut antea in me effuſa ſunt, ita iam compreſſa conſtrictaq; uidentur. חבק uerbum notum eſt.

Tu enim pater noſter.) Qui pro natura cœleſtis parẽtis, tuis filijs, qui nos ſumus, miſericordiã & clemẽtiam negare nequeas, cuius hęc uox ſit: Si mater obliuiſci poteſt infantis ſui, ego obliuiſcar ueſtri. Qui meminiſſẽt uiſcerũ miſericordiæ, iam patris mentionẽ ſubijciunt: quo nomine eum ad miſerandum flectant. Omnia hic θεσπιτικὰ ſunt, & ad miſericordiam commouendam apta.

Et Abraham neſciuit nos.) Te redẽptorem & ſeruatorẽ noſtrũ agnoſcimus, nemi-

nem

nem alium,nõ Abrahamũ,non Iſaacũ,non Iacobũ,nõ Moſem,nõ ulllũ prophetam.Hi enim omnes mortui ſunt:tu aũt uiuis,ad iuuandũ facilis & potẽs.Hæc precatio, quã habituros Iſraelitas in nouiſsimis temporib. Propheta prædicit, ut generatim in Eccleſiam miſerè afflictã cõgruat,noſtra tẽpora indicãt.quę calamitoſum ſuum ſtatũ ſub Antichriſto deplorãs,eadẽ in precãdo ꝓponit, quæ Iſraelitas propoſituros hic legimus: Tu Domine,qui tempore Apoſtolorũ tot beneficia in me cõtuliſti,& interiectis tẽporib.me tyrannidi aduerſarij tui permiſſam,uiſus es deſeruiſſe,ueteris zeli,fortitudinis & clemẽtię tuę oblitus:iam uerò quia pater noſter es,& nos filij tui,ut noſtri miſereariſ precamur,quem unũ in filio Meſsia ſeruatorẽ noſtrũ agnoſcimus & confitemur, neminẽ ꝓterea alium neue in cœlo neue in terra. Nos iam multis ſeculis cor durũ geſsimus,loco eius cor molle & tractabile in nobis ſacri Spiritus tui digitis fingas & formes.Errauimus Antichriſti erroríb.implicati:ſed his ſubmotis,in rectam uiam prælucẽte Meſsia luce nos reuoca.Aduerſarius ille nos, ſacrũ tuum templũ diripuit,in eo ſedẽs iam multis ſeculis:fac tu,ut hoc tẽplum tuum,quod eſt Eccleſia,denuò in terrarũ orbe inſtaurẽt,reſtituta doctrina quæ per Apoſtolos ꝓpagata fuit.Hac ad tempus ꝑ Antichriſtũ ſubmota & obſcurata,ſed nõ antiquata, ſumus quaſi quibus tu nunc̃ dominatus per Euãgelij tui ſpiritum fueris, quic̃ non fuerimus à te filij nominati. Sed tales ſumus, quibus paſtor ille ſtultus,tuo nomine obliterato, nomen ſuum dederit: à quo Eccleſia tua, à Romano Antichriſto Romana,& à Mahumeto Mahumetana Eccleſia nuncupata ſit.

Et redemptor noſter.) per filium Meſsiam redemptorem,qui heri & hodie eſt,omnium electorum à cõdito mundo uſq; in eius finem redemptor & ſeruator.

Quare errare nos feciſti?) Locũ diuini cõſilij in hortãdo uſurpãt, tacitæ obiectioni ꝑ occupationẽ occurrẽtes:ſe q̃dẽ ſuo uitio in tãta mala incidiſſe,ſed non ſine Dei cõſilio,quo errorũ & recti inceſſus, tenebrarũ & lucis,inferni & cœli,mortis & uitæ uices diſpenſent, qui pro ſuo nutu & arbitrio ſpiritũ ſuum ueritatis lucis & uitæ tribuat & deneget. Itaq; qui nõ hoſtilib. ſed paternæ prouidẽtiæ tuæ decretis errauimus,rogamus te,ut q̃ pater noſter es,& nos filij tui,uelis nobis Meſsiæ tui ſpiritũ reddere, q̃ doctore in rectã Euãgelij uiam ingrediamur: qui promiſeris fore, ut in nouiſsimis temporib.tecũ in gratiã per Dauidẽ Meſsiam,eius ſpiritu in nos effuſo redeamus. ut eſt apud Oſeam: Et poſt hæc reuertẽtur filij Iſrael,& quęrẽt Dominũ Deũ ſuum,qui eſt Meſsias benedictus,Rex regũ & Dominus dominãtium. Itaq; cũ hic legit̃,Quare feciſti errare nos Domine à uijs tuis:nõ eo modo Deus errorũ populi ſui autor dicit̃, quo Satan,& praua uoluntas. Praua enim uolũtas ad malũ, quod patret, inclinat & propendet,& id per uitioſitatẽ ſuam probat,bonũ improbat.Satan ita incitat ad malũ, quod cupiat perfici, & ꝑ id improbos perdere ad imminuendã gloriã Dei moliatur. Deus uerò q̃modo cõcludere in peccatũ, tradere in reprobrã mentẽ,pectora indurare & excęcare dicat̃,aliàs explicatũ eſt.Is primò autor errorũ dicitur,ſubtrahẽdo ſpiritũ ueritatis,eius lumẽ nõ dãdo:et ſic orbatos luce ueritatis, ſuis cupiditatib.permittẽdo,per quas Satana rectore ferãtur in quoduis ſcelus. Deinde Deus erroris & indurationis eatenus autor eſt,quatenus is cęcatos & obfirmatos in rerum natura tolerat & agitat: quales ſunt,qui niſi eos toleraret & ſeruaret & moueret,nulli eſſent,nullo q̃ modo mouerent̃:cũ omnes naturæ conditæ quòd ſunt, quòd uiuunt,quod q̃ mouentur,in illo ipſo,& per illum ipſum,& ab illo ipſo ſint,moueantur & agitentur,qui omnium ſuſtentans,uiuificans & mouẽs natura eſt.Sed de hoc argumento ſuprà tractatio inſtituta eſt.

Induraſti cor noſtrum, ne timeremus te.) non molliendo pectora noſtra ſpiritu tuo, ut te metueremus. iam uerò hoc reddito nobis, effice, ut te uenerantes metuamus: ut pollicitus es per Prophetas, te in pectora noſtra fuſurum ſpiritum ſanctum, quo afflati te piè colamus. Sic enim apud Hieremiam ſcriptum eſt: Et timorem mei indam in cor eorum, ut non recedant à me. Quare

aliter

aliter Deus maledictorum pectora indurat, aliter electorũ. hos indurat ad tempus, non ut induret, hoc est, ut indurati pereant: sed ut suo tẽpore, qui errarunt, in uiam redeant: qui cæci fuerunt, lumen ueritatis recipiant: qui durum pectus habuerunt, molle & ad obtemperandum Euangelio tractabile & sequax assequantur. Vnde fit ut legamus, Israelitas agnituros suos errores, & precaturos Deum, qui in nouissimis temporib. reuelationis Messiæ uelit in ipsis, adeptis erroribus spiritũ ueritatis excitare, ut in recta uia ambulent. Contrà maledictorum corda ita indurat Deus, ut dicat hanc in eos sentẽtiam: Discedite à me maledicti in ignem æternum. qui paratus est Diabolo & angelis eius. *Matth. 25.*

Conuertere.) Lamentati miseriam suam, Deum ut sibi reconcilietur precantur. Est enim שוב hic, recõciliandi & in gratiam redeũdi uerbũ. Vt stet igit promissio illi apud Zachariã cum hortabũtur: Cõuertã eos, quia miserebor eorũ. Vbi duo in Zacharia promittuntur. Vnum est, Deum cõuersurum electos suos ad pœnitentiam, spiritu pœnitentiæ eis concesso, de quo Ierem. Conuerte me Domine, & conuertar. Alterum est, Deum cõuersis ad se misericordiam daturũ, & cum eis rediturũ in gratiam. Quare utrunq; opus diuinæ gratiæ opus esse, pœnitentiam & reconciliationem, libenter credunt pij: quod impij contemnunt. *Zach. 9.*

Propter seruos tuos.) memor fœderis cũ Abrahamo, Isaaco & Iacobo icti. cuius memorẽ te fore erga tuos Israelitas, apud seruum tuum Mosem his uerbis promisisti: Et recordabor fœderis mei, quod pepigi, &c. *Leuitic. 25.*

Quasi nihilum possederũt populum sanctũ tuum.) Hebr. indicat, pauli sper populũ sacrũ possedisse promissam terrã: neq; eo modo possedisse, quo ut possideret promissum fuit, ut in Mose & suprà indicatũ est. Vrget igit in precãdo promissionẽ diuinã, à qua ductum argumentũ maximũ põdus & momentũ habere intelligũt.

Hostes nostri conculcauerunt sanctuarium.) Si mysticũ templũ spectes, hoc Romani conculcarunt. De quo sic Daniel: Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce uẽturo. Sin, quod huic ex altera parte respõdet, Ecclesiam uidelicet electorũ: hoc tẽplũ ut cõculcarit figuratus à Romana bestia, res ipsa docet. *Daniel. 9.*

Facti sumus quasi principio.) Sentẽtia Hebr. uersus est: fumus, quasi nunq; dominatus fueris, quiq; tuo nomine nõ fuerimus nominati. Duo deplorant, quibus Deum ad clemẽtiam cõmouebant. Vnũ est, se regno & sacerdotio ita spoliatos, quasi eis nunq; fuerint exornati. Alterum est, se nomen populi Dei & filiorum eius perdidisse, ut amplius nõ Dei populus & filij appellent. Orãt ergo ut promissis suis stans efficiat, ut populi diuini & filiorũ nomine iterũ censeant. ut impleatur illud Oseæ: Et dicã non populo meo, populus meus es tu. & ipse dicet: Deus meus es tu. Hæc Israelitarũ deploratio indicat, ad Babyloniã captiuitatẽ hæc quæ in Propheta nostro leguntur, referri non posse. Etenim in illa principes uiros & sacerdotes habuerunt, quorum regium sacerdotium nõ prius exoleuit, quàm uenit Messias. ut patet ex oraculo illo Iacobi antiquissimi prophetæ: Non auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat Silo. *Oseæ 2.* *Genes. 49.*

IN CAP. SEXAGESIMVMQVARTVM.

VTinam dirumperes cœlum.) Pergũt precari. nã hæc quæ sequunt, ad superiora cohærẽt. Præcesserat: Aspice de cœlo, hic subijcit: Vtinã ruptis cœlis descẽdas. Hic aũt descẽsus non ex loci mutatione accipit, sed ex patefactione & declaratione iudicij diuini in impios. Itaq; Paraphrasti Chaldæo, pro Descendẽdi uerbo placet patefaciẽdi uerbũ אתגלי. Similiter in Genesi, in narratione iudicij diuini in Sodomam declarati, pro Descendam & uidebo, אתגלי reddit. Nam propriè ascendere non dicuntur, quæ in loco esse non iudicantur. In loco autem propriè non sunt, quæ situ partium loco mensurandarũ carent: ut sunt corpore carentes naturæ, Deus & spiritus à materia separati. Quib. non magis, si uerè iudices, in loco esse tribuit, q̃ quæuis alia corporata affectio: ut est, esse album uel nigrum, esse magnum uel paruum.

Dicas,

Dicas: Quomodo igitur Deus dicetur ubiq; esse? imò potius dicetur nusquã esse, si in loco non sit? Deum affirmamus ubiq; esse, & nusquam. Vbiq; esse, quatenus perfectionem suam uel actionem in cõdendis rebus, & conditis conseruãdis explicat. nusquam uerò, si localem rationem spectes, qui situ partium quas loci spacijs definias, careat. Idem iudicium de angelis est. Quare hi quoq; ascendere & descendere dicuntur, non locum mutantes, quo non contineantur: sed manifestatione ministerij ac officij, ad quod fungendum mittuntur. Dicas, angelos esse partem uniuersi, & ita uerè dici eos in mundo ut loco conti neri. Si accipis angelos in uniuerso & mundo esse ut partem, conceditur id uerum esse. Sin uerò intellígitur idem partẽ esse uniuersi, quod situm habere determinatum in uniuerso, negatur quod sumitur. Quapropter hæc duo uera esse docti homines admittunt, naturas corporis expertes in loco esse, & eas in loco non esse. In loco quidem esse, declaratione actionis, & manifestatione suæ functionis: non autem esse in locali ratione, quæ partium dimensione careant. Dicas, Deum & angelos in cœlo uersari, quod indicet eos in loco esse. Quale sit cœlum, in quo Deus & angeli uersantur, materiatum ne cœlum ac corporatum, an spirituale, partium situ & extensione carens, ea de re aliàs mentio facta est. Neq; propterea, quia creati spiritus finitæ sunt naturæ, ideo locum certum & determinatum, quo circumscribantur, habebunt. Nam aliud est finitæ perfectionis esse secundum naturam, aliud loci terminis finiri, & locali modo determinari.

A *facie tua montes defluerent.*) Vt olim, cum populũ tuum ex Aegypto eduxisses, in montem tanta cum maiestate descẽdisti, ut uisus sit is igni ardescere, & quasi incendio in humorem præ ignis ardore colliquescere: & ut olim Sodomam & Gomorram pluuia sulphuris & ignis consumpsisti, sic nouissimis his temporibus patefactionis Messiæ hostes tuos absumas. Ab exemplis ueteris fortitudinis & potentiæ, confirmatur hortatio.

Vt *notum fieret nomen tuum.*) nomen potẽtiæ tuæ. Agitur hic gloria nominis tui, unde in hortando ducitur argumentum, & quidem maximum ad mouendum pondus habens: O Domine, si deseras tuos, dicent de te hostes nostri, imò tui, te tam potentem non esse, qui tuos electos liberes: & fidem à te in præstandis promissis non seruari: quæ tua maxima sit futura ignominia & opprobrium. Vt nominis igitur tui gloriam asseras aduersus inimicos tuos, nos liberes & serues. Nam qui sunt hostes nostri, etiam tui sunt: qui nimirum in nobis delendis, nomen quoq; tuum delere studeant. Omnino enim nostra salus cum gloria nominis tui, & hæc cum nostra salute coniuncta est. In hoc cardine hortationis, quam fides instruit, uersatur omnis electorum in omnibus grauibus tentationibus uictoria: cuius uictricis fidei opus est, persuasum habere nostros hostes Dei hostes esse: ab his nos si uincamur, Deum quoq; uinci: nostras calamitates Dei calamitates esse, quibus nõ secus tangatur atq; nos tangimur. atq; ita quẽcunq; nobis mala accident, à Deo ut patre nobis eius filijs accidere, non malo nostro, sed bono, & ad gloriam eius qui nobis per crucem ad splendorem cœlestis regni uiam parat in filio Messia. Quàm necessaria sit hæc precandi ratio hoc loco exposita, hoc tempore præcipuè experimur.

A *facie tua gentes turbarentur.*) Te per sacrum Euangelium, quod hostes tui condemnant, & eius cultores hostiliter persequuntur, iudicium tuum patefaciente, conturbentur hostes tui: qui ita suas res firmas esse gloriantur, ut dicant: Nõ mouebimur. ut audet scelerata illa Babylon dicere, Regina sedeo, uidua non sum, luctum non uidebo. Meminit gentium non sine mystica ratione. Nam ut Israelitarum nomine sancti, ita gẽtium nomine profani hostes Dei, sanctuarium, hoc est electorum Ecclesiam Dei uastantes, accipiuntur. Quò pertinet illud Domini apud Lucam: Et Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur

Luce 21.

pleantur tempora gentium. Vbi, si umbram & figuram spectes, mystica Hierosolyma à Romana gente Tito Vespasiano duce proculcata est. Sin interiorem Hierosolymam, hoc est scriptorum in libro uitæ cœtum: hanc à gentibus profanis, hoc est ab Antichristo & eius membris, mensibus quadraginta duobus calcari cernimus. Qui Antichristus ob id abominatio desolationis, omnia in Ecclesia desolans & uastans, filius perditus, rex locustarū omnia depopulātium, pastor stultus ouium gregem quantum in ipso est deuorans, appellatur. Ad hunc hostem delendum ut descendat Dominus, orant electi filij Dei. Daniel. 9.

Cum feceris mirabilia, non sustinebunt.) Descendas, ut facias ad illustrandum nomen potentiæ tuæ, mirabilia, quæ spe non præsumpsimus. Intueamur præsentia tempora, ex quibus indicia capimus operum Dei admirabilium, quæ in hoc reconciliationis tempore edentur.

Descendisti.) Oraculare præteritum est, futuri loco usurpatum. Descendas, ut montes à conspectu tuo fluant. Sed qui sunt hi montes? Potentissima in mundo sunt: ut est aduersarius Messiæ, montis instar excelsi aduersus Deum se extollens: ut sunt item potentes in orbe terrarum tyranni, bestiam Antichristum adorantes. De hoc monte sic uaticinatur Ieremias sub figura mysticæ Babylonis: Ecce ego ad te mons pessime, qui corrumpis terram uniuersam, ait Dominus: dabo te in montem combustionis, & non tollent de te lapidem in angulū, & lapidem in fundamento: sed perditus eris in æternum. Quibus uerbis prę- Ierem. 51.
significat, Babylonis regnum funditus interiturum.

A' seculo non audierunt.) Qui mentionem fecerat mirabilium, iam diuinus Spiritus significat hęc talia fore, quę nec auris audiuerit, nec oculus præter Deum uiderit, quæ quidem Deus pro clementia sua sperantibus in se præstiturus sit. In hoc salutari oraculo hæc ordine ponderantur. Primò, Deum pro sua bonitate destinare bona, quibus electos suos exornet. Deinde, ea talia esse quæ auris & oculus humanus non capiat, sed solus Dei spiritus, & quibus is patefecerit. Tertiò, ea bona promissionis diuinæ uerbo, cui spes nititur, contineri. Dicit enim, quæ sit exhibiturus sperantibus in se, fides autem & spes ex fide nata, solo promittentis Dei uerbo fulciuntur. Postremò discimus, Deum semper maiora & præstantiora beneficia electis suis conferre, quàm ipsi spe præsumant. Quod quamuis semper eueniat tum in externis & corporalibus, tum in interioribus & spiritualibus beneficijs: tamen duo hic præcipuè tempora generatim significantur, quibus id sit euenturum. alterum reconciliationis Israelitarū cum Deo maiorum ipsorum, & instaurationis Ecclesię tempus est: alterum instaurationis omnium quæ illo tempore fient, quo Messias ueniet ad iudicandos uiuos & mortuos. Hoc secundæ resurrectionis tempus erit, illud primæ: in quo quæ contingent, præfigurabūt quæ in altero euenient. De quo his uerbis Ioannes loquitur: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondū apparuit id quod futuri sumus. Scimus autem, quòd si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. In eandem sententiam apostolus Paulus in priore epistola ad Corinthios, uerba Prophetæ nostri explicat. 1. Ioan. 3.

Occurristi lætanti.) eum exaudiendo. Gaudij meminit, quòd cum afflictione cum patientia, precatione & spe, lætitia coniuncta sit in ijs, qui in hoc mundo sub signis ducis sui Messiæ militant. De quo gaudio his uerbis Apostolus: Spe gaudentes, in afflictionibus patientes, precationi instantes. Quæ uerba nostrum Prophetam explicant. Rom. 12.

Et facienti iusticiam.) In sperantibus, quos exaudiat Deus, duo cerni: lætitiam in afflictione ex promissa salute natam, & ipsam iusticiam quam faciunt sperantes: hoc est, iustè rectore sacro spiritu agentes. Nam in præstanda salute quem ordinem seruet Dominus, aliàs indicatum est. Primò promitti salutem, cuius promissioni fides habeatur. deinde immitti afflictiones, quas patienter feren-

do probetur, hoc est corroboretur fides: & ex corroborata fide nascatur spes, sine dubitatione expectans promissam salutem, cum perpetuò iustè sanctéq; uiuendi ex præscripto diuini spiritus studio. His paucis uerbis tota militia sanctorum hominum, qua aspirant ad salutem consequendam, explicatur, & eius comparandæ ratio hic à Propheta ostenditur: sed quam nemo intelligat, nisi cuius in afflictionũ igne instar auri fides probetur. Duo hic propheta noster cõiungit, fidem ac spem: & ipsa benefacta, hoc est fontem seu originem benefaciendi, & ipsos bonos fructus qui ex fidei & spei spiritu per amorem agente proficiscuntur. Quos bonos fructus uocat iusticiam, ut etiam suprà uocauit, Et præcedet te iustícia tua: de benefaciendi studijs loquens.

Et recordabuntur tui.) per sacrum amoris spiritum, bonitatis tuæ & legis, quam exequantur, memoriam nunquam deposituri. Sed quomodo ad spem & ex spe ad facultatem benefaciendi peruenitur? Vsu crucis & afflictionum, ut sequitur:

Ecce tu iratus es.) uarijs afflictionibus nos afficiens.

Et peccauimus.) Ratio afflictionum exponitur: sed quæ electis non interitum, sed salutem sub spe redemptionis afferant, ut sequitur:

Et saluabimur.) fide & spe nostra in Messia redemptore, iram in peccata nostra accensam uincente.

Et facti sumus ut immundum.) Salutaris hæc confessio est, per pœnitentiam saluti uiam muniens, de qua meminerat: Et saluabimur. Confessio hæc ostendit, à natura uetere & ortu eius, omnes nos originis uitio immundos & impuros esse. De quo impuro & immũdo ortu Dauid: In iniquitate genitus sum, & in peccatis concepit me mater mea atq; ita egere nos medico, qui hoc uitium & morbum sanet: qui medicus suprà capite quinquagesimotertio descriptus est. Cognoscendum igitur hic fuerit primò, quæ & qualis fuerit iustícia originis primi hominis. Deinde, ut eam amiserit, & uitium contraxerit. Quid & quale sit hoc uitium originis, ut propagatum in omnes posteros, quęq; mala hoc uitium humano generi & toti uniuersitati dederit: ita ut omnia in homine utroque exteriore & interiore corruperit, nullo loco iusticiæ, quæ in natura cernatur, relicto, & libertate omni sanctè cogitandi & uolendi, rectéq; agendi ablata per ius peccati, in quod propagati à primo homine tanquam mancipia uenditi sunt, morti obnoxij facti. Præterea considerandum, ut amissa iusticiæ & uitæ salus, de qua hic (Et saluabimur) sanata uitio originis recuperanda sit, & qualis hæc iustícia sit, quodq; nomen in sacris literis habeat, & qua diuini spiritus ui nobis patefiat & communicetur: & uter homo, exterior ne an interior, an uterque huius iusticiæ sit sedes & officina, dum in hoc seculo uiuimus: aut in neutro uersetur, sed tota extranea sit: aut partim extranea sit, partim intra nos uersetur, nos nouos homines ex Deo generans beneficio iustificationis. Hæc & alia quædam solent considerari in confessione hac: Cũcti immundi sumus, & menstruati panni símilis est iusticia nostra. Diuinus spíritus ut meminisset iusticiæ fidei, quam fidentes ac sperantes in Deum habent, hinc per contentionem, omnem iusticiam quæ lege & legis factis constat, hoc est, quæ à natura citra Messiæ spíritum proficiscitur, opponit: asserens, hanc totam impuram & immundam esse, & símilem panni menstruati, quo nihil fœdius & turpius. Porrò quàm immundum sit menstruum, ex eo patet, quòd eius superuentu acescunt musta, sterilescunt attactæ segetes, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum quibus insederunt decidunt, speculorum fulgor ipsarum aspectu hebetatur, acies ferri perstringitur, aluei apum emoriuntur, & in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili ueneno morsus inficitur. Quare diuinus spíritus naturæ nostræ & eius iusticiæ impuritatem perpendens, eam longè aptissima comparatione

menstruato

menſtruato panno comparat. Quam comparationem perpendant hypocritæ, qui rationis & uoluntatis humanæ uires extollentes, liberum his tradunt eſſe, pro nutu ſuo, ſe poſſe ad bonum & ad malum conuertere, alterum expetendo, alterum fugiendo. Hic audis, in uetere natura omnia ita uitioſa & impura eſſe, ut menſtruati panni ſint ſimilia. Alijs ex Ieremia עי placent ueſtes detritæ, ſeu abiectæ: alijs pannus menſtruatus. poſterior interpretatio nobis, quanta ſit immundicies noſtra, clarius indicat.

Et cecidimus quaſi folium.) uigore ſacri ſpiritus Meſsiæ carentes, quo uno uireſcũt electi: & eo deſtituti, non ſecus marcent, atq; folium arboris detracto ei uitali humore marcet.

Et iniquitates noſtræ quaſi uentus abſtulerunt nos.) ſuper petram Meſsiam, per fidem non fundatos. Quales folijs & paleis, & peccatum uento à quo improbi auferuntur & diſsipantur, comparat.

Non eſt qui inuocet nomen Domini.) In filio Meſsia, precum ſpiritu in tanta profanatione templi tui ſubtracto. de quo mox ſequetur mentio.

Qui conjurgat & teneat te.) qui excitatus fide, fortiter teneat te, ad dandam tuis ſalutem: adeò multis iam ſeculis occupat omnia, abominanda illa deſolatio in templo tuo ſedens. quæ in nocte regnans, non permittit ea opera facere, quæ interdiù ſolent fieri per Meſsiam lucem propoſitum diei, ad lucis & diei opera edenda: qualia ſunt, Euangelium purè colere, & ei credere, & ex præſcripto & ductu fidei rectè uiuere, Deum adorare ſpiritu & ueritate, precari, toleranter crucem ferre, inimicis benefacere. Contraria opera, noctis opera ſunt: in qua nocte contingit, quod hic ſcriptum eſt: Et non eſt qui inuocet nomen tuum. Hinc fit, ut Dominus noſter apud Ioannem ſic loquatur: Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt: uenit nox, quando nemo poteſt operari. Sed quæ eſt illa nox? Nox eſt, quam Antichriſtus mundo offundit, nox errorum & mendaciorum. Cui contraria eſt dies, cui Chriſtus præeſt. Et is de utroque tempore ſic loquitur: Erit domus ueſtra deſerta, dum dicatis: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Erit inquam domus ueſtra deſerta tempore noctis excæcationis ueſtræ, donec dicatis, Benedictus Meſsias lux, noctis tenebras depellens, qui uenit patefaciendus per lumen Euangelij, in nomine Domini, patris ſui cœleſtis: non ut uenit aduerſarius eius, qui afflatus ſpiritu draconis, non Domini, ſed ſuo nomine, ſuam gloriam quærens, Dei imminuens, uenit. Ioann. 9. Matth. 23.

Abſcondiſti faciem tuam à nobis.) Ex prophetia quã Moſes in Deuteronomio exponit: Ego autem abſcondam faciem meam, &c. ſubtracto uidelicet ab eis regno & ſacerdotio. 10.

Et abſtuliſti nos in manu iniquitatis noſtræ.) Labefaciendi & reſoluendi uerbo Hebræus ſignificanter utitur: abſconſo amabili Dei uultu Meſsia, tabe conſumi illo carentes: & in manus, hoc eſt ius & poteſtatem peccati traditos ac uẽditos, miſerè contabeſcere.

Et nunc Domine pater noſter es.) Confeſsi uitia ſua & mala, ad precationem ſe conuertunt, quę his nouiſsimis reconciliationis temporibus ad Deum patrẽ, Meſsia patrono & arbitro ſalutis intercedente, fundetur. Loco in precando apto utũtur, à perſona Dei & ſua ſumpto: à Dei quidem perſona, qui pater ſit: à ſua uerò, qui filij ſint, & manuum Dei patris opus, quod is deſtruere nolit. Peccaſſe ſe dicunt, ſed ut filios patri: & tali patri, qui propenſus ſit natura ad miſerendum & ſeruandum, non ad ſæuiendum & perdendum.

Nos uerò lutum.) A ſua infirmitate in hortando & precando ducunt argumentum ſe debile & fragile lutũ confitentes, & fictile ex limo terræ opus agnoſcentes: cuius Deus pater pro ſua clementia facilè miſereatur. Hoc opus perpendẽs Dauid, ſic canit: Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus Pſal. 103.

mentibus se. ipse enim nouit figmentum nostrum, memor nos esse puluerem.

Exod. 4. In appellatione hac, qua Deum patrem uocant, respiciunt ad illud: Filius meus primogenitus Israel.

Ne iraſcaris Domine.) Patris naturam potius declarans, filijs tuis ueniam dando, quàm iudicis seueritatem ad perdendum ostendendo.

Exod. 34. *Ne ultra memineris iniquitatis.*) Qui ad Mosem confitearis, te ad miserẽdum & ad ignoscendum naturâ pronum esse: tua misericordia, quæ ab æterno est, in omnia opera tua, quæ cœlo & terra continentur, se extendente.

Ecce respice.) clementiæ tuæ oculis, non iræ: & uultum duri iudicis, quem hactenus nobis ostendisti, tandẽ aliquando à nobis auerte: & patris faciem, suauem & amabilem faciem exhibe, quam tam longo tempore à nobis, sine rege, sine principe, sine sacrificijs, sine ara, sine ephodo, sine theraphim manentibus, amouisti.

Populus tuus omnes nos.) fœdere, cuius te non pœniteat, & cuius fidẽ fallere ne-

Genes. 17. queas, tibi iuncti. Sic enim ad Abrahamum te Deum nostrũ fore confessus es: Ego ero Deus eorum. Item: Et ambulabo inter uos, uosq; eritis populus meus. Promissionis & fœderis admonent. unde argumentum ductum in hortando, magnam uim & pondus habet.

Ciuitas sancti tui facta est deserta.) Vrbes eius sanctas solitudinem esse: urbes inquã quas tu sacras tibi fecisti, ab hostibus profanatæ, in solitudinem redactæ sunt. Tua igitur gloria cum nostra salute coniuncta quoniam agitur, nos, ut tui nominis honorem tueare, seruare uelis.

Sion deserta facta est.) Quæ tua ciuitas est, electa à te, in qua habites. Sic enim de

2. Paralip. 6. ea tu testificaris: Elegi Hierusalem, ut nomen meum sit in ea.

Domus sanctificationis nostræ.) Quam extrui iussisti, in qua uersarere, & responsa dares, precesq; tuorũ ad propitiatorium exaudires. Submota desolationis mysticæ Hierosolymæ & templi umbra, omnia uerè accidisse in Ecclesia, interiore illa Hierosolyma & templo comperies, quæ hic accidisse exteriori Hierosolymæ & templo leguntur. Sub id enim tempus, quo per quartã bestiam, Romanam gentem, Hierosolyma uastata, & templũ eius incensum, atq; Israel in exilium missus est, Hierosolyma interior & templum Dei, quod nos sumus, ut dirui & uastari cœperit (regno Euangelij, sacro Messiæ sacerdotio, Prophetis, hoc est sinceris Euangelij doctoribus, per filium perditum, qui Apostolorum temporibus errorũ mysterium meditari cœperat, ablatis, satis constat. adeò ut utraq; Ecclesia, & Israelitica & gẽtium, in hoc patefactionis per lumẽ Euangelij aduẽtu, orare habeat: Igitur tu Domine pater noster es, nos lutum sumus, tu figulus es noster, cuius manuũ opus sumus omnes, ne iraſcaris Domine tantopere, neue perpetuò esto memor improbitatis nostræ. En respice nos omnes, sumus populus tuus: ciuitates sanctitatis tuę, solitudo sunt: Sion in solitudinem redacta est, Hierosolyma desolata, nostra domus sacra incendio deflagrauit. Huc quoque lugubre Ieremiæ carmen quadrat, & in hanc lamentationem aliquot Psalmi compositi sunt.

Et omnia desiderabilia.) Vt sunt uaria regni & sacerdotij munera, cœliq; & terræ sacræ benedictio, corporum & animorum ornamenta, quæ præcipuè in religione spectantur. Hæc omnia expetenda bona ablata sunt, & contraria mala importata.

Nunquid super omnibus his continebis te?) ut nos uindicta de hostib. nostris non sumpta, nos perpetuò deseras? absit. Nos porrò non dubitamus fore, te stantẽ promissis tuis per Mosem & Prophetas enunciatis, nos liberaturũ: per Messiam Dauidem non terrena, sed cœlesti Hierosolyma instaurata, templo non manibus humanis, & ex lapidibus & cedris montis Libani, sed ex uiuis lapidib. de cœlo sumptis reparando: templo inquam longè ampliore extructo, quàm materiatum

teriatum illud templum à Salomone & Zorobabele extructum fuit. Precamur enim, ut Hierosolyma & templum ædificetur, quod ex promissis tuis ad fines orbis terrarum extendatur, cuius fundamentum sit Messias, doctrinæ Prophetarum & Apostolorum fundamentum. Super hoc fundamẽtum Hierosolyma ciuitas tua ædificata, firma maneat in æternum, nullis Babyloniorum, Græcorum & Romanorum, hoc est Antichristi machinis expugnanda.

IN IESAIAE CAPVT SEXAGESIMVM QVINTVM.

10 QVæsierunt me qui antea non interrogarunt.) In hac concione primò gentium electio & uocatio ad Euãgelij gratiam, & Israelitarum reiectio, quę præsentati IESV Christi in mundum tempore contigit, eiusq; causa explicatur. Deinde reliquiarum gentis Israeliticæ seruatio exponitur. Postremò noua Hierosolyma de cœlo descendens, hoc est sacra ciuitas ex Israelitis & gentibus per architectũ Messiam ædificanda describitur. Conqueri suprà leguntur Israelitæ, uastata Hierosolyma, incenso sanctuario, urbibus sacræ terræ in solitudinem redactis, res suas in misero statu esse. In hac concione reiectionis, & malorum quæ patiuntur, ratio redditur.

20 *Quæsierunt me.*) Gentium uocationem à Propheta prædici, apostolus Paulus in epistola ad Romanos interpres est, hunc locum citãs, & Mosem, ubi ait: Ipsi prouocauerunt me in eo quòd non est Deus, & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Hebræus habet: Quæsitus sum ab his qui non petierunt. Quæsitus, pro inuentus & peruestigatus. Ex quibus uerbis hæc ordine discimus. Primò, salutem ex una misericordia Dei omnibus ijs qui seruandi sunt, contingere. Hic enim legitur, à non petentibus inuentum Deum, qui salutem daret. Deinde discimus, iusticiam & uitam æternam neque ex lege, neq; ex factis ac operibus legis, sed ex fide in Messiam comparari. Documento sunt gentes scripta lege carentes, & benefactis quæ
30 lex requirit. Sic enim de his scribit Apostolus: Abalienati sunt à republica Israelis, & extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, Deoq; carentes in mundo. Et Moses: In gente stulta irritabo eos. hoc est, in gente oraculis meis, in quibus sapientiæ lux refulget, carente. Vnde igitur gentes salutem nactæ sunt? ex sua'ne probitate, quam ex natura & disciplina naturalis legis hauserunt? At quę probitas in ijs cerni potuit, qui idololatria infames, Dei in mundo expertes fuerunt? Ex electione igitur diuina, & uocatione ad sacrum Euangelium IESV Christi, & eius fide seruati sunt, quotquot ex gentibus in libro uitæ scripti reperiebantur: ubi nõ humanæ uoluntatis conatus, sed gratia Dei, non meritum, sed misericordia, omnium gentium cogitationem, consilia & stu
40 dia antegrediens spectatur. Tertiò monemur, neq; eos qui scriptam legem habent, ex lege iustificari: ut argumento sunt Iudæi, gloriantes de lege, quos repudiatos in hac prophetia legimus, gẽtes lege carentes in gratiam receptas. Quartò monemur, pariter omnes gentes & Iudæos sub peccatum conclusos, ut omnium quorum quidem nomina in cœlis signata sint, Deus misereatur in filio Messia, quocunque tempore eis patefaciendo per sacrum Euangelij lumen. Quocirca Apostolus huc spectans, cum repudiationis Israeliticæ gentis & uocationis ad gratiam mẽtionem fecisset, sic ait: Quemadmodum autem & uos quondam increduli fuistis Deo, nunc autem misericordiam estis consecuti per illorum incredulitatem: sic & isti nunc increduli facti sunt ex eo, quòd uos
50 misericordiam adepti estis, ut & ipsi misericordiam consequantur, in his uidelicet postremis reconciliationis temporibus. Atque his expositis, Apostolus hanc sententiam subtexit: Conclusit enim Deus omnes sub incredulitatem, ut

Rom. 10. Deut. 32.

Ephes. 2.

Rom. 11.

omnium misereretur. Quibus uerbis Apostolus indicat, ex sententia Mosæ & Prophetarum, Dei consilio & decretis incredulitatem uitio primi hominis in mundum subijsse. Dicit enim, Concluſit omnes sub incredulitatem. Vbi quæritur, uolens ne concluserit, an nolens. Si nolens, cur igitur legitur Concluſit? & quæ quæso fieri possunt, ipso nolente & inuito? Cadunt igitur in uoluntatem diuinam pariter bona & mala, lux & tenebræ, mors & uita, infernus & cœlum, piorum & impiorum casus. Deinde Apostolus in sententia iam recitata, indicat electos sub peccatum concludi non suo malo, sed bono. Dicit enim, Vt omnium misereretur. Igitur neque gentibus olim abalienatis à republica Dei, sua incredulitas nocuit, quominus uenirent in gratiam Dei: quæ quamuis Deo, quem ipsæ agnoscerent, caruerant: Deo tamen, à quo amanter
Ephes. 1. agnoscerentur, non caruerunt, electis semper ante mundum cõditum dilectis à Deo, in Christo reuelando. Neque item Iudæis, quòd rempublicam Dei, cuius aliquando ciues fuerunt, per infidelitatem amiserunt, exitiosum erit. Stat enim illud: Et isti nũc increduli facti sunt ex eo quòd misericordiam estis adepti, ut & ipsi misericordiam consequantur. Atque hoc ipsum est, concludi omnes sub peccatum à Deo, ut omnium misereatur. Quare uerè dicitur, omnia electis Dei cedere in bonum, & scriptis in tabula inferni & maledictionis in malum: & uerè rectèq; iudicari, aliter peccare & incredulos esse electos, aliter maledictos: hos peccare ad mortem, peccato neue in hoc neue in futuro seculo condonabili, quod in Spiritum sanctum peccatum est: illos condonabili peccato, quod in filium hominis Messiam, non in Spiritum sanctum est, delinquere: atq; ita non peccare eos ut pereant, sed ut in Christo, quem contra Spiritus sancti testimonium non auersantur, opera misericordiæ & bonitatis diuinæ in uitijs eorum, cum hæc per filij sanguinem sanantur, manifestentur. ueluti de cæ-
Ioan. 9. co respondit Dominus, neq; maiores neq; illum ipsum deliquisse: sed eum cæcum natum, ut Dei opera in eo illuminando declararentur. Sicut etiam medi-
Matth. 9. cus Christus fatetur se in mundum uenisse nõ propter iustos, sed propter peccatores, quos uocatos ad pœnitentiam delictorum morbo liberet. In quorum numero continentur gentes olim incredulæ, quas hic inuenisse suorum uitiorum curatorem Dominum, diuinus spiritus indicat, quem non quæsierant: inuenisse inquam, ipso monstrante rationem qua inuenirent, non natura: ipsoq; trahente ad se, non ultro currente natura, quæ hostili per uitiositatem suam inimicitia Deum persequebatur.

Expandi manus meas.) Exponitur ratio reiectionis Iudæorum, quæ in eorum ingratitudine cernitur, qui tot beneficia quę expansis manibus Dominus eis exhibuerit, aspernati sint. Pansionem hanc manuum IESVS Christus his uerbis
Matth. 23. explicat: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur domus uestra deserta. Atq; hoc ipsum est, Expandi manus meas ad te, &c. Et infrà: Isti fumus erunt in furore meo. quod est uindicis iudicis, desertam rebellis gentis domũ reddẽtis.

Ad populum incredulum.) de lege gloriantem: sed anima & spiritu legis, quæ fidei in Messiam spiritus est, carentem. Primò incredulitatem, ut fontem scelerum, reprehendit: deinde malefacta, quæ ex incredulitate proficiscuntur.

Qui graditur in uia non bona.) non in semita legis diuinæ, sed in deuia & mala uia legis peccati, in terreno & uetere homine aduersus Deum belligerãtis, & à recta uia (quæ de se prædicat: Ego sum uia, ueritas & uita) abducentis. Propter hanc uiam contemptam, Deum ad iram concitatum esse, sequentia indicant.

Ad iracundiam me prouocauit.) ut rebellis & degener soboles, de qua Moses antea prædixerat in Deuteronomio his uerbis: Deum qui te genuit dereliquisti, obli-
32. tus es Dei creatoris tui. & noster Propheta in principio libri: Filios educaui & euexi, & ipsi spreuerunt me.

Ante

Ante faciem meam.) Peruicax impudentia reprehenditur, qui audeant in Dei conſpectu perfricta fronte delinquere, Moſe, Prophetis & Meſsia ipſo filio contemptis.

Qui immolant in hortis:) contra legem Moſeam, non Hieroſolymis, in loco ad ſacrificia & faciendam rem diuinam deſtinato. Deuter. 12.

Et ſacrificant ſuper lateres.) incenſa ſuper lateribus ſuffientes, quæ debebant Deo Iſrael ſuper ara ſuffitoria in templo ſuffiri: quę ara non fuit latericia, ſeu ex lateribus extructa. Ex qua autem materia ædificata ſit, uideris in Exodo. Damnantur, quòd ſuas cogitationes ad normam legis diuinæ non libratas, ſecuti ſint. quàm autem latè pateat hæc reprehenſio, ſatis clarum eſt.

Qui habitant in ſepulchris.) ad ſuſcitandum ex mortuis, & ad eos ex inferis euocandos contra legem: ut Saul Samuelem euocaſſe legitur.

In delubris idolorum.) Eandem ſententiam, ſed alijs contextam uerbis, repeti nonnulli uolunt: ad cadauera bene in tumulis ſeruata eos pernoctaſſe. Alijs יצרים loca deſerta ſunt: quæ obſeruata ab ijs qui dæmonum in ſolitudine uerſantium reſponſa ſciſcitantur, reprehendit.

Qui comedunt ſuillam carnem.) lege prohibitam.

Et ius profanum.) Generalis reprehenſio, qua ab eis in cibum animalia in lege prohibita, admiſſa, reprehendit. Propheta delicta enumerat, quæ Iudæi ante exilium Babylonium commiſerunt: quorum nominibus delicta deſcribit, quę Iudæi poſt captiuitatem illam in terram ſuam reuocati deſignarunt. Quæ ut ſeuerè à Domino noſtro redarguantur, apud Euangeliſtam Matthæum uideris. Non'ne uerè dicuntur in hortis ſacrificare, loco alieno, & incenſum extra ſacrum templum, & eius ſuffitoriam aram, ſuper lateribus adolere, & in ſepulchris ac tumulis ad mortuos conſulendos uerſari, atque ſuillam & reliquorum immundorum animantium edere carnem, qui uitijs obnoxij ſunt, quę his uerbis à Domino reprehenduntur: Appropinquat mihi populus is ore ſuo, & labijs me honorat, cæterùm cor eorum procul à me abeſt: ſed fruſtra me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Quod eſt, ad ſepulchra pernoctantes ex mortuis reſponſa ſciſcitari, & immundis ueſci, & hoſtias non in loco ſancto immolare, & amœna loca ſpecioſis arboribus conſita deligere, in quibus Deus colatur. Qualem cultum plenum ſimulata pietate, humanæ doctrinæ per ſapientiam & iuſticiam humanam, humilitatem & angelorum θρησκείαν præſe ferentes inſtituunt, in ordinem redacta cœleſti doctrina. Nam hęc quoniam crucifixum Meſsiam nobis contemplandum proponit, ex quo ueram ſapientiam, iuſticiam & uitam hauriamus, pro ſtultitia habetur. Itaq; ut in hanc reprehenſionem incurrat paſtor ille ſtultus, & eius pſeudoprophetæ, & qui horum reſponſa, quæ dæmonum reſponſa ſunt, in deſertis locis ab eis redita colant, ſatis hodie clarè agnoſcere cœpimus. Matth. 15. 21. 25. Iſaiæ 29. Marci 7.

Qui dicant, Recede à me.) Reprehenditur in rebellibus rectè monentium & docentium repudiatio: ut fuerunt Prophetæ, & temporibus præſentati in mundum Chriſti, Chriſtus ipſe & eius Apoſtoli. In quos his etiam uerbis inuehitur Dominus noſter: Vos quoque implete menſuram patrum ueſtrorum. Serpentes, progenies uiperarum, quomodo effugietis iudicium gehennę? Ecce ego mitto ad uos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & illorum aliquos crucifigetis, & occidetis in Synagogis ueſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat ſuper uos omnis ſanguis iuſtus à ſanguine Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Itaque certò ſcitote, horum omnium pœnas daturam eſſe nationem hanc. Vt autem filium ipſum Meſsiam ad illos miſſum contempſerint, dicentes, Matth. 23.

Recede à nobis,ne ad nos accedas: & ſic contemptum occiderint, qui uerè & rectè doceret:id apertè ex noſtro Propheta & Daniele patet,& res ipſa docet. Huc pertinet acerba illa reprehenſio, qua illos Meſsias in hunc modum de ſæua crudelióq; rebellione reprehēdit:Nouiſsimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens,Reuerebuntur filium meum. agricolæ autem conſpecto filio,dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, uenite occidamus eum, & occupemus hæreditatem eius. & apprehenſum eum eiecerunt ex uinea, & occiderunt. Itaque hoc ipſum eſt quod hic legitur, קֹדֶשׁ שִׁתִּיךְ:hoc eſt, quoniam ſanctifico te(uſurpato ſanctificandi uerbo per ἀντίφρασιν) quoniam deuoueo te,ac execror,ut apud Latinos ſacrum pro execrabili uſurpatur. ut,

— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames? —

Sicut etiam בָּרַךְ benedicere pro maledicere, apud Iobum:& iuſtificare pro damnare ſumitur.ut patet ex illo:Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis.

Iſti fumus erunt in furore meo.) Explicatur ſupplicium in rebelles, à iudice Meſsia intentatum:Flagitia illorum fumum in naſum Meſsiæ concitare. Figuratè ira indicata, cuius ardor in naribus micat. Hunc fumum his uerbis iudex Meſsias apud Euangeliſtam explicat, in loco iam citato. Quum ergo uenerit Dominus uineæ, quid faciet agricolis illis? Malè cum ſint, malè perdet illos: & uineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. Atque hi alij agricolæ ſunt, de quibus Propheta noſter in principio concionis
Deut. 32. meminit: Inuentus ſum ab his qui me non quæſiuerunt. De hoc fumo furoris diuini antea Moſes prædixerat:Ignis accenſus eſt in furore meo.

Ignis ardens toto die.) Seueri iudicij Meſsiæ iudicis ignis, de igneo & flammeo throno in rebelles immiſſus,de quo throno illud: Thronus eius flammæ ignis,
Daniel.7. rotæ eius ignis accenſus. Qui igitur ignem amoris diuini, qui in mundum ad luenda peccata eius apparuit, contempſiſſent, ut igni iræ diuinæ perderentur, par fuit.

Ecce ſcriptum eſt coram me.) delictum ueſtrum rebellionis, in libro iudiciario meo ad puniendum annotatum eſt. Indicatur, memoriam uindicandæ improbitatis non obliterandam. Sic ſuprà, Iſraelitarum perfidia in tabula legitur in-
Hierem.17. ſcripta, & libro impreſſa, ut in poſteros eius teſtimonium duret. Similiter apud Ieremiam, peccatum Iudæ ferreo ſtilo, & in ungue adamantino ſcriptum legitur.

Coram me.)oculis meis omnia ſpeculantibus in cœlo & in terra,bonos & malos,ut etiam ſanctè Sibylla canit:

πανλοχράτως, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα.

Hanc ſententiam comprobat naturæ lex in omnium pectore ſcripta, quam
Sophocles. his uerbis Tragicus expreſsit,ut aliàs etiam citatum eſt:

ἔστι μέγας γὼ ὀρανῶ
Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει.

Vbi à Sibylla & uate Græco, cum Dei potentia & imperio in omnia, coniungitur uis ac facultas cuncta contemplandi. Vt enim qui omnia ſapienter creauit, & creata prouidenter adminiſtrat, non omnia uideat & intueatur?
Pſal. 94. Quò pertinet illud: Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculos, non uidebit?

Non tacebo.) diſsimulans contumaciam tam rebellium liberorum. Minantis uindictam patris locutio, de qua ſequitur mentio.

In ſinu eorum.) non leuiter ulturus uitia eorum, ſed ita ulturus, ut ſentiant fumum in nares meas concitatum.

Et iniquitates patrum ueſtrorum.)Exemplum ſeueritatis diuinæ iuſticiæ nobis conſiderandum proponitur: poſteros qui deliquerint, & ſua & ſuorum maiorum delicta

delicta pœnis luere. Dicas, ut posteri maiorum delicta luent, cum quisq; pro æquitate diuina pro suis, si mala sint, factis puniatur: sin bona, præmijs ornetur? Scriptum enim est: Reddet cuiq; pro factis suis. Luunt posteri maiorum scelera, quatenus hæc illi ipsi imitantur & faciunt. Quò pertinet seuera & acerba illa sententia Dei in Exodo exposita, de uindicandis maiorum criminibus in posteros, ut Deus statuat de his in tertiam & quartam generationẽ ultionem petere. Et hanc sententiam Dominus noster Christus expendens, sic ait: Veniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Zachariæ: hoc est, de uobis plena uindicta sumetur, qui maiorum uestrorum scelerum mensuram impletis. Metuat ergo sibi sanguinaria illa meretrix Babylon, sanctorum Christi martyrum sanguine cruentata. Rom2. Exod.20. Matth.24.

Hæc dicit Dominus.) Altera pars concionis explicatur, quæ reliquiarum Israeliticæ gentis seruationem continet. de quarum seruatione ut apostolus Paulus loquatur, nostrum Prophetam interpretans, in epistola quam ad Romanos scripsit uideris. Iesaias scita similitudine hic utitur, à uite mutuata, quam feræ aut hostes intactam reliquerunt, in qua dicitur benedictio diuina esse, hoc est, suauis uini liquor. Idem accidisse in paucarum reliquiarum Israeliticę gentis seruatione. Comparantur autem hæ uuis, propter uitem Messiam, in qua hæ uuæ natæ, dulce diuinæ iusticiæ & sapientiæ mustum fundunt. Sic enim Dominus cœlestis uitis de se loquitur apud Ioannem: Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit, & omnem qui fert fructum purgat, ut fructum copiosiorem afferat. Rom.11. Ioan.15.

Et educam de Iacob semen.) semen promissionis è spiritu Messiæ natum. Vt seruatæ sunt reliquiæ tempore præsentati Christi in mundum, ita in diebus reconciliationis, reliquiæ quoq; seruabuntur à scorijs repurgandæ, de quibus Zacharias meminit: In omni terra, dicit Dominus, partes duæ dispergentur & deficient, & tertia pars relinquetur in ea, & ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicuti uritur argentum, & probabo eos sicuti probatur aurum: ipsi inuocabunt nomen meum, & ego eos exaudiam. Qui locus etiam suprà citatus est. Zach.13.

Et hæreditabunt eam.) terram promissam. Deponẽdum uelum: nam μυστικῶς hæc accipiuntur de uera illa & cœlesti hæreditate, quam Chananæa nomine hæreditatis appellata præfigurat.

Electi mei.) quorum est promissio salutis, Messias, sanctitas iusticiæ & uitæ æternæ.

Et uallis Achor.) Ad historiam alluditur. quæ apud Iosuam explicatur. Traiecto Iordane, & excisa Hierichunte, initium salutis Israelitis affulsit, quæ propter Achan sacrilegum fuit illis impedita & perturbata. unde nomen ualli Achor inditum est, à perturbatione uidelicet & luctu, in quem uindicis Dei ira ob furtum illos coniecit. Vindicato autẽ scelere isto, & placato Deo, Israelitę in spem potiundæ promissæ terræ uenerunt. Itaq; quemadmodũ uallis Achor post desperationem occupandæ terræ Chananęæ, facta est uallis spei: ita aduersitas & afflictio Iacobæis cedet in amplam comparandæ salutis spem. Similiter nostro Prophetę uaticinatur Oseas: Et inde ei dabo suas uineas, uallemq; Achor, ad aperiendam spem: & canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Aegypti. Præcesserat in Osea mentio de solitudine, in quam ductam gentem Israeliticã Deus amanter sit allocuturus. Vt accipienda sit solitudo, in quam electorum Ecclesia ducta, illo comi & suaui sermone, qui amabilis Euangelij sermo est, & quo tempore eò sit usura, ea de re iam sæpè habitus est sermo. Ioſ.7. Oſee 2.

Qui requisierunt me.) precando delictorum ueniam sub tempus finiendę profa-

nationis,

nationis,& desolationis stantis in loco sancto. De qua quærendi Dominum ra
Oseæ 3. tione prænonuit Oseas: Post hæc reuertentur filij Israel,& quærent Dominũ Deum suum,& Dauid regem suum.

Et uos qui reliquistis Dominum.) Per contentionem,probos pœnitẽtiam scelerum meditantes,& improbos illam recusantes, inter se à statu, qualis utrisq; sit euenturus,comparat:alteros seruatum,alteros perditum iri.

Et obliti estis montem sanctum meum.)Sionem montem, cultu mei & oraculis inclytum,& nouissimis temporibus Euangelio ex illo edito & superne fuso spiritu sancto clarum.

Qui ponitis fortunæ mensam.)Gad interpretantur Martem, sic appellatum à bellica incursione & excursione. גדד enim est, excursiones & incursiones militari more facere.Sunt alij,qui de sidere Iouis exponunt.Sed prior interpretatio affinior est etymo Gadi. Reprehenduntur Israelitæ,qui cœli sidera coluerint, conditore siderum contempto: non perpendentes, sidera creata, quæ homini in terra uersanti seruiant, tanquam principi & domino suo. Sic enim Moses in
Deuter. 4. Deuteronom. monet:Ne fortè leuatis oculis ad cœlum, uideas solem & lunã, & omnia astra cœli,& errore deceptus adores ea, & colas,quæ creauit Dominus Deus cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt. Vbi Moses argumentum ducit contra adorantes sidera cœli, à conditione astrorum, & dignitate humani generis:Astra uidelicet creata esse,quæ nobis seruiant,lumen & calorem suppeditando: ergo adorari non debere. Turpe enim esse, seruos à Dominis adorari. hominem autem cœli & terræ dominum esse, ex iure creationis eius ad imagi-
Genes. 1. nem Dei,satis cõstat ex Genesi,& ex Deuteronomij loco iam citato: cui etiam angeli destinati sint ad ministrandum,non ad dominandum.

Et libamen super eam.)Hebr.Et implentes meum libamen. מני idolum est, à numero sic appellatum. Notum enim est numerandi uerbum מנה. Quare sunt qui de Mercurio interpretantur, quem eius cultores putant negotiatoribus in numerando occupatis propitium esse. Alijs aliud est.

Numerabo in gladio.)Elegans paronomasia cernitur in מני & מני יתי.

Et uocaui uos.)Tempore prophetarum,& præcipuè nouissimis prædicationis Euangelij temporibus.

Et non respondistis.)per fidem amplexantes Messiam.

Locutus sum.)Per filium meum,& eius Apostolos.

Ioan. 9. *Et non audistis.*) sed falsos doctores, dicẽtes: Recede à nobis:scimus quis Moses sit,te autem ignoramus.

Et feci stis malum in oculis meis.) Prophetas meos hostiliter persequendo, & Messiam filium occidendo.

Et quæ nolui.) cultum deorum alienorum per incredulitatem, & ex hac dimanantia uitia.

Ea elegistis.)per uoluntatem uestram,non meam,in uerbo meo declaratã: cui ut ad normam oraculorum meorum, non uestris cupiditatibus, ad uestrarum cogitationum præscriptum pareretis,uos selegeram.

Propter hoc dicit Dominus.)Reprehensa rebellium contumacia in malo,iam quo afficiendi sint supplicio ostendit: indicans illustri contentione, proborum res bono,improborum malo statu fore.

Ioan. 6. *Serui mei comedent.*)de pane,qui de se prędicat:Ego sum panis uiuus,qui de cœlo descendi. si quis ederit ex hoc pane,uiuet in æternum. Edunt autem ex hoc pane, qui sentiunt in pectore suo,Christum per spiritum suum intra se uersari, testimonium dantẽ,Deum patrem sibi reconciliatum,ad dandam uitam æternam. Quo cœlesti pane serpens diabolus cum sua sobole non uescitur,sed pul-
Genes. 3. uere terræ: quem cœlo priuatus, prono super terram repens pectore, edit. Et ut pij nutriuntur ad uitam cœlestem, conseruandam pane cœlesti: ita etiam

nutriuntur

nutriuntur pane terreno, ad terrenam uitam ſuſtentandam. Firmum enim eſt hoc: Primùm quærite regnum Dei, & iuſticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Nam utraque benedictio, corporata & ſpiritualis, terrena & cœleſtis, piorum iure dominij propria eſt. De quo Dominio illud: Domínamini piſcibus maris. Item: Subiecit omnia pedibus eius. Vterque panis & benedictio continetur in precatione quam Dominus noſter IESVS Chriſtus docuit: Da nobis panem quotidianum. de quo loquitur diuinus ſpiritus: Ecce ſerui mei comedent. *Matth. 9.* *Geneſ. 1.* *Pſal. 8.* *Matth. 6.*

Et uos eſurietis.) ſpoliati pane Meſsia, quem contemnitis: conficiendi utraq; fame, & ſpirituali & corporali. De altera illud: Diuites eguerunt & eſurierunt. de altera Amos: Mittam famem audiendi uerbum Domini. Hæc longè miſerrima fames eſt, qua qui laborant, uita æterna carentes, miſerè pereunt. At aliter fame hac electi premuntur, aliter repudiati. Quod diſcrimen ſatis, præſertim his temporib 1s, manifeſtum eſt. *Pſal. 33.* *Amos 8.*

Qui ſerui mei bibent.) aquam, de qua illud: Si quis biberit aquam quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Hæc aqua filijs Dei nota eſt, & ſæpè expoſita. *Ioan. 4.*

Et uos ſitietis.) cum diuite illo epulone, de quo in parabola Dominus apud Lucam loquitur.

Serui mei.) me colentes in Meſsia, non beſtiam ſatis notam adorantes.

Lætabuntur.) lætitia non qua mundus ſuos afficit, quæ uana lętitia eſt, & letalis: ſed lætitia illa, qua Chriſtus ſuos oleo ſpiritus ſancti, quod ueræ lætitiæ oleum eſt, exhilarat. De quo ueræ & æternæ lætitiæ oleo Pſalmus: Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Quod oleum gaudij Apoſtolus his uerbis explicat: Regnum Dei eſt pax & gaudiū in ſpiritu ſancto. *44.* *Rom. 14.*

Confundemini.) Per contentionem amplificandi lætitiam filiorum Dei gratia, opponitur confuſio ipſi gaudio: quòd pudore, quem ignominia offundit, affectis triſtitia & mœror oboritur.

Et dimittetis nomen ueſtrum iuramentum electis meis.) Impiorum nomen execrabile fore filijs Dei, qui in hunc modum ſint iuraturi: Si iſtud commiſi, eadem mihi accidant mala, quæ impijs illis acciderunt. Similis imprecationis diræ formula legitur in Numeris, de adulterij ſuſpecta muliere: Et adiurabit eam ſacerdos iuramento maledictionis. Quare in utroq; loco, apud Moſem in Numeris, & hic apud Ieſaiam, שבועת, hoc eſt iuramentum, uim execrationis & maledictionis habet, quòd execratio in iureiurando contineatur. Nam iurans ſic cogitat: Si id feci, hoc aut illo malo peream: aut ſi id feci, eadem calamitate qua ille flagitioſus perijt, peream. Atq; hoc eſt quod hic legitur: Et dimittetis nomen ueſtrum iuramentum electis meis.

Et interficiet te Dominus Deus) Vtraque uita te, præſentis & futuri ſeculi, ſpoliaturus. Paraphraſtes Chaldæus de ſecunda morte interpretatur. Hebræorum ergo ueterum ſententia quoq; duplex mors ſtatuitur: altera prima, communis omnium: altera ſecunda, impiorum propria. ſed quid altera ab altera differat, ea de re in Apocalypſi mentionem fecimus.

Vocabo.) ſacro ſpiritu Meſsiæ nomen indente. Explicat, quid electis filijs ſit euenturum. Primò, eos nouo nomine appellandos. Deinde, hoc nomen adeptos, benedictionem non à dijs alienis, ſed à Deo uero quæſituros. Demum, per hoc ipſos iuraturos. *Apoc. 2.*

Nomine alio.) nouo, quod cœleſtis regenerationis beneficio adipiſcentur: uocandi nimirum filij Dei, qui antea filij hominis uocati fuerūt, peccato & morte obnoxij. Sed de hoc nomine ſuprà quoq; mentio facta eſt. Et ut nouo nomine electi nominabuntur: ita nouo & inaudito nomine Meſsias caput electorū nominabitur. Hoc nomen dicunt eſſe יהשוה pentagrammaton, nomen quatuor uocales continens, & unam conſonantem: cuius ſuprà meminimus. De

hoc

hoc nomine Ioannes etiam Capnion Phorcensis, singulari eruditione & doctrina uir præditus, hoc Sibyllę carmen citat:

Δὴ τότε γὰρ μεγάλοιο θεοῦ πάϊς ἀνθρώποισιν
ἥξει σαρκοφόρος, θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ,
τέσσερα φωνήσντα φέρων, τόδε δ' ἄφωνον ἐν αὐτῷ.

In quo qui benedictus est.) Hebr. Qui benedixerit sibi in terra, in Deo uero sibi benedicet: hoc est, qui quæret sibi benedictionē in Deo, nō à Diis alienis quæret aut petet: sed in eo & per eum petet, de quo illud ad Abrahamū: In semine tuo benedicentur omnes gentes terrę. Quod semen Messias benedictus est, secundus ille Adamus, cuius primus figuram prætulit. Quos duos Adamos, alterum terrenum, alterum cœlestem, ab initio ueteres Hebręorum sapientes homines indicatos his uerbis uolunt: Ecce Adam sicut unus ex nobis factus est. Non legitur, sicut unus ex uobis, demonstratis angelis: sed unus ex nobis, demonstrato altero Adamo, illo cœlesti Adamo, qui per angelum humana specie apparuit Adamo terreno. Itaq; Onkelos sic reddit Hebræa, חאדם חוד יחידי מניה. id est, Ecce Adam unigena meus in æternitate ex meipso. In quo quia omnis Dei benedictio rata fit & firma, additur hic Amen. Sic enim ait Apostolus in altera ad Corinth. epistola: Quotquot enim sunt promissiones Dei, per ipsum sunt etiam, & per ipsum Amen. Cęterùm in benedictione hæc ordine proponuntur perpendenda. Primò, quid sit benedictio diuina, & quæ in ea partes & genera cernantur. Deinde, qui benedicantur: hoc est, qui munera Dei, præcipuè spiritualia ueræ iusticiæ & uitæ munera accipiant. Tertiò, quis sit ille in quo, & per quem Deus pater suam benedictionem largiatur. Postremò, in quæ tempora potissimum copiosior benedictio sacri Euangelij cadat, & quæ benedictioni eius contraria sint: & quo tempore & per quem maledictio præcipuè sese ostendat, maledictio uidelicet de qua Zacharias: Hęc est maledictio quæ egredietur super omnem terram. Quæ maledictio, errorum & mēdaciorum feralium maledictio est, qua Satan per Antichristum totum terrarum orbem affecit. Quæ contraria est benedictioni, quam hic prædicit quæsituros electos Dei in Christo IESV. Quæ benedictio doctrinæ ueræ est, salutem æternæ iusticiæ & uitæ afferens, deleta maledictione peccati & mortis & mendaciorum draconis.

Genes. 17.

2. Corinth. 1.

Zach. 5.

Et qui iurat in terra.) in qua ut fornace afflictionum igni incensa, quęrēdi benedictionem, inuocandi, & in Deo iurandi patefit locus.

Iurabit in Deo.) non in diis alienis, ut regnante & seducente orbem terrarū dracone iuratum est. Iurabit inquam in Deo, interponens eum, ut summā sapientiam & ueritatem, quæ neq; fallatur neq; fallat, testem: & eos qui alios fallunt, nomine eius temerè usurpato, impunè habere non sinat. Sic autem iurare, est Deum in Messia ueritate & sapientia patris rectè colere, & summū honorem ei tribuere, quem prima Decalogi lex requirit, & una fides per sacrū amorem ei assignat. Nam sic iurantes, Deo scientiam qui omnia norit, & ueritatem qui fallere & mētiri nequeat, atq; iusticiam qua de periuris pœnam expetat, agnoscunt. Hoc modo quoniam soli pij iurant, & diis alienis seruientes non iurāt, legimus hic, electos nouum nomen noui hominis & filiorum Dei adeptos, & à nemine quàm ab uno Deo patre in filio Messia benedictionem quærentes, in Deo iuraturos: non in angelis, non in diuis, non in astris, non in ulla creata natura: per quam qui iurant, falsò iurare, etiamsi de rebus ueris iurent. Ideo tales ne iurent, apud Oseam prohibentur: Neq; iurauerītis, uiuit Dominus.

Osee 4.

Ex præsenti Prophetæ nostri oraculo efficitur, fore ut in Ecclesia electorum, ac scriptorum in libro uitæ, unum solum Dei numen colatur, nulli dij alieni, idololatria in illorum cœtu extirpata. De quo cultu Zacharias his uerbis: Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, & erit nomen

men eius unum. Itaque hoc ipsum est quod hic legitur, Et qui iurabit, in Deo iurabit.

Amen.) Est אמן assseuerantis & confirmantis uocula, Sit ratum & firmum id quod iuraui. item uox Hebræa ueritatem in loco significat, quæ interpretatio etiam hic recipitur. Iurabit per ueritatis Deum, hoc est per uerum Deum. Sic Græci reddũt θεὸν ἀληθινόν, & Paraphrastes קיימא. Primò autem Deus uerus agnoscitur esse, qui à se Deus sit, & ab eo omnia sint & in cœlo & in terra, nihil cõmixti & concreti habẽs: sed natura simplex, firmus & integer. Deinde uerus Deus & ueritas ipsa dicit̃, qui neue fallat, neue à quoq; fallatur. Demq; quę promiserit, bona fide præstet. Itaque ab una origine ducuntur uoces, quæ in Heb. lingua ueritatẽ, fidem, fidelem, firmũ & integrũ sonant. Cõtrà, dij alieni, dij falsi, nõ ueri dij uocantur. Primò enim natura dij non sunt: sed uana hominum cogitatione dij, qui inuocentur, finguntur. Deinde, ijs non tribuitur quòd mundum & quæ in mundo sunt creârint, & creata conseruent: ut uero Deo, quem electi nouo nomine insigniti colunt, tribuitur. De quo scriptum legitur: Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem & mare creasti. Tertiò, alieni dij ueri Dei nomen nõ tuentur, quòd scientia omnium carent: neq; de eis dici potest, quòd omnia scientes neue falli neue fallere possint: ut de uero electorum Deo dicitur, cuius oculos, qui omnia in cœlo & in terra lustrant, nihil fugit. Demum, de eis non affirmatur, quòd salutem miserè afflictis promittant, & promissam præstent: sed contraria de ijs prodita leguntur. Nam per illorum cultum Aegyptij, Assyrij, Babylonij, Græci & Romani perierunt: & per uerum suum Deum pij semper seruati sunt, & etiamnum seruantur: deos alienos in regno filij perditi adorantibus per cæcitatem & amentiam, quã capti sunt, intereuntibus. Quare in iurandi ratione, de qua hic mentio fit, hæc considerant̃. Primò, per quæ iuretur. Deinde, quid, qui iurant, de eo per quem iurant, testificentur: prẽterea, quibus de rebus iuramentum fiat. non enim de re falsa licet iurare, quod esset Deum mendacem testem facere: neq; de re leui, quod esset Deum contemnere. Demum consideratur, qui uerè iurent, hos pios esse, & filios Dei: non impios, & filios Satanæ. hos fide carentes, si iurent, falsò iurare: hoc est, mendaci & falso animo, quem solus uerum spiritus Dei, qui ueritatis spiritus est, fecerit. Psal. 89.

Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.) Ordine beneficia, quibus afficiendi sint qui uerè colunt Deum in manifestato Messia, narrantur: afflictiones finem suum habituras, quibus orbis terrarum, illo præsertim tempore quo abominationem desolationis in loco sancto stantem apertè uidere cõtinget, premetur. Matth. 24.

Et abscondítæ sunt ab oculis meis.) electis meis per pœnitentiam ad me conuersis, de quibus paulò suprà Propheta: Et relinquetis nomen uestrum iuramentum electis meis. ob quos calamitates inuasuras orbem terrarum Dominus dicit decurtandas, ne uniuersa caro intereat. Abscondi dicuntur ab oculis Dei mala, quæ cessat ad puniendos qui rebelles fuerunt, infligere, ut ad ipsum resipiscentes redierunt: ut contrà calamitates, quibus improbos cõtumaciter in malo perseuerantes in eius oculis patent, non ahsconduntur. de quibus Dauid: Oculi eius super gentes respiciunt, quæ exasperant, &c. Psal. 65.

Ecce ego creo cœlos nouos.) Si tempora instaurationis Ecclesiæ, quorum initia hodie cernimus, spectes, cœli noui & terra noua dicuntur creari, innouato Ecclesiæ statu per Euangelium Messiæ: in hac innouatione, cœlo & terra, quæ fuerant ærea & ferrea, hoc est inclementia, redditis clementibus & benignis. Sin uerò instaurationem Ecclesiæ consideres, qualis futura erit in altera resurrectione, occurrit cœli & terræ renouatio, de qua Petrus his uerbis meminit: Expectantes & accelerantes aduentum diei Dei, per quem cœli incensi soluentur, & elementa æstuantia liquescent. Cœlum nouum & terram nouam, iuxta 2. Petri 3.

promiſſum illius expectamus, in quibus iuſticia inhabitat. De hac inſtauratione per ignem conficienda, etiam uaticinata eſt Sibylla:

——ῥεύσει δ' ὑ πυρὸς μαλερῦ καταρραλκὴς
Ακαμάτῳ, φλέξῃ δ' γαῖαν, φλέξει δ' θαλάσσας,
καὶ πόλον ὐράνιον, καὶ ἤματα, καὶ κλίσιν αὐτὴν
εἰς ἓν χωνεύσει, καὶ εἰς καθαρὸν ἀναλέξει.

Creo.) ברא pro חדש, innouandi uerbo. Eſt igitur ברא aut creare aliquid ex nihilo, aut creare ex aliquo quod ex nihilo eſt: ut ſtirpes & animantia ex elementis, quæ ex nihilo condita ſunt, diuina ſapientia conflauit. aut eſt ſingulari ratione ita innouare, ut quæ innouantur, uideantur ex nihilo condi, propter inſtaurandi modum, omnem creatæ naturæ agendi uim ſuperantem.

Quia ecce ego creo Hieruſalem.) per ſpiritum Meſsiæ filij mei innouandam, quæ antea per ueteris naturæ uitia & filij pditi errores turpiter defœdata apparuit.

Exultationem.) in me præ gaudio reſtitutæ ſalutis exultantem, quæ deiecta antea in mundo iacuit.

Et exultabo in Hieruſalem.) ut ſponſus in ſpõſa, uindicta ſumpta de adultero mundo & filio perdito: qui antea in illa à me ad tempus repudiata, exultauit.

Et non audietur ultra fletus.) Si prior reſurrectio ſpectetur, hæc per ſuperlationem accipiuntur, & per comparationem ad priora tenebrarum & errorum ſecula. Nam Eccleſia nunquam, dum in terra uerſabitur, fletu ſuo & uexatione crucis carebit. Sin altera reſurrectio conſideratur, in ea ſimpliciter & omnino nullus fletus, nulla afflictio locũ inueniet in electorum Eccleſia, conformata hac ſponſo ſuo Meſsiæ glorificato.

Non erit ibi amplius infans dierum.) ante tempus huic auferendus. In reſurrectione priore promittitur electis longior ætas, de qua illud: Pietas habet promiſsionem præſentis & futuri ſeculi. Item: Timor Domini apponit dies. In altera uerò reſurrectione, quæ corporum & animorum reſurrectio eſt, immortalitate fruemur in ſumma beatitate, ſine omni moleſtia, unum nimirum cum ſummo bono Deo in ſpiritu Meſsiæ facti.

1. Timoth. 4.
Prouerb. 10.

Quoniam puer centum annorum morietur.) Puer morietur, qui centenarius morietur. Hac hyperocha longitudo uitæ ſignificatur.

Et peccator centum annorum maledictus erit.) Si quis centenarius obierit, dicetur de eo, quòd propter crimen aliquod obierit.

Et ædificabunt domos.) tempore reſtitutæ benedictionis, contrà quàm accidit temporibus maledictionis, de quibus Moſes: Domum ædificabis, & non habitabis in ea. In priore reſurrectione benedictio cœli & terræ, & pax exterior ab hoſtibus temporaria, non pugnabit cum benedictione ſpirituali regni ſpiritus Meſsiæ, cœleſtis & ſpiritualis regis. in altera reſurrectione omnia erunt ſpiritualia, corpora, animi, & benedictio corporum & animorum. In hac benedictione ueritas & res expreſſa, in illa exteriore umbra & figura uerę benedictionis cernitur.

Deut. 28.

Non ædificabunt, & alius inhabitabit.) ut accidit tempore maledictionis regnante dracone, per filium perditum, omnia motibus, ſeditionib. bellis perturbantem.

Secundum enim dies ligni.) Repetit promiſsionem de longiore uita, amplificandi gratia. hanc futuram ſimilem ætati arborum, in quibus inuenias quæ diutiſsimè uiuant, & diutius quàm animantia, propter quaſdam rationes quas phyſici afferunt. Prima eſt, quòd arbores minus diluti humoris & aquoſi continent: atq; inde accidere, ut non facilè frigore congelatæ enecentur. Altera eſt, quòd innatam pinguedinem & lentorem habent, qui non facilè corrumpatur & conſumatur: & quamuis arbores ſiccæ & aridæ natura ſint, tamen quia humiditatem non facile ſiccabilem continent, diu uitam conſeruant. Tertia cauſſa eſt, cur longo tempore durent, quòd ſubinde iuueneſcant, aſsiduè germinibus in

locum

locum eorum quæ ſeneſcunt renaſcentibus. Diuinus igitur ſpiritus uitæ arborum longitudinem conſiderans, eis ſanctorum uitam, quam eis pietas ſit protractura, comparat: ut in alijs quoque rebus ſancti homines in terra uerſantes arboribus conferuntur. De qua collatione aliàs meminimus. Accedit huc memoria arboris uitæ, quæ Meſsias eſt, cuius fructu uitali ueſcentes, ad eam uitæ longitudinem ſint peruenturi, de qua ipſa uitæ arbor meminit apud Ioannem: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Quæ uita, uera illa uita eſt, quam Propheta tectè hìc ſignificat. *Ioan. 3.*

Et opera manuum eorum inueterabunt.) Duratura opera manuum electorum, ut quę autore ſpiritu Meſsiæ fiant, æternis regni cœleſtis præmijs ornanda. Hac ratione facta ſanctorum hominum durare, interpretatur Ioannes in Apocalypſi, Opera ſua eos ſequuntur: in futuro uidelicet ſeculo decoranda. *Apocal. 14.*

Et non laborabunt fruſtra.) Secus quàm accidit temporibus maledictionis, promittitur benedictio, qua piorum labores ſint fortunandi, de qua benedictione in Pſalmo: Et omnia quæ faciet, proſperè faciet. Vt autem uarij ſunt labores pro uaria uocatione: ita cuiuſque uocationis labores proſperè ceſſuros, ad amplificandum nomen Domini, & uitæ humanæ uſum. Quare ut improbitas, qua à Deo ſummo diſceditur, cuncta maligna reddit, cœlum, terram, prouentuſq; cœli & terræ, & labores: ita probitas ac pietas per quam ad Deum proximè accedìtur, omnia benigna & benedicta efficit, cœlum, terram, & quæ his continentur: quòd hæc electorum fidei, propter coniunctionem qua per illam Deo intimè coniungimur, ſubiecta ſint, eiq; ad amplificationem nominis diuini pareant. Quod nomen una fide per ſacrum amoris ſpiritum honeſtatur, & perfidia dehoneſtatur. Cæterùm diſtinguuntur labores pro munerum & rectionum uarietate. Sunt enim ſui labores, qui in domeſtica rectione: ſunt ſui, qui in ciuili: ſunt demum qui in Eccleſiaſtica procuratione ſumuntur: quorum nullum à pijs fruſtra ſuſceptum iri. Horum omnium, tum eorum qui præſunt, tum qui parent conatum, ſtudia & labores Deum fortunaturum. Atqui ut eorum labor qui in Eccleſia fidos paſtores præſtant, excellentior eſt cęteris laboribus: ita eius præcipuè Deus, ne fruſtra impendatur, rationem habet, quòd per eum humani generis ſalus procuratur, & nominis diuini gloria præcipuè agitur: quæ cum electorum ſalute ita coniuncta eſt, ut neutrum ſine altero conſiſtat. Quomodo enim Meſsias capitis & mariti dignitatem tueatur, ſi corpore electorum, quod per cœleſtis & æterni Euangelij adminiſtrationem defendat ac conſeruet, careat? Hos Satan, & eius miniſtri pſeudoprophetæ, orbisq; terrarum tyranni quoniam odio proſequuntur, Deus pater Domini noſtri IESV Chriſti, ſuorum legatorum labores ne in uanum abeant, ſumma cura regit & moderatur. Intueamur noſtra reuelationis Antichriſti tempora, in quibus quot periculis expoſiti ſint Euangelij Chriſti doctores, perſecutiones, exilia, proſcriptiones, direptiones facultatum, carceres, gladij, ignes, aquæ, laquei, documento ſunt. Quare quàm neceſſaria ſit hæc Dei promiſsio, Electi mei nō fruſtra laborabunt, ſacri Euangelij miniſtris, grauis eorum adminiſtratio declarat. Nam utrique & doctores & auditores, in quanta aduerſus carnē, infeſtam cœleſtibus rebus, & propenſam in terreſtria, aduerſus mundum, & principem deumq; eius diabolum, aduerſus pſeudoprophetas lucta uerſentur, tot martyrum his ſeculis propter ſacri Euangelij profeſsionem, & ob contrariæ doctrinæ abnegationem, fuſus ſanguis teſtatur. Dicas: his ſeculis qui docere ſe dicunt Euangelium, inter ſe non conſentire: quæ contentiones & diſsidia argumento ſint, uerum Euangelium, quod pacis, non diſcordiæ Euangelium ſit, ab iſtis non prædicari: & ueritatem à Catholica, hoc eſt à Romana eccleſia, in qua concordia cernatur, ſtare. Qui hoc modo argumentantur, quàm captioſa &

fallaci utantur conclusione manifestius est, quàm ut referat eam refellere. Nam uetus dictum est, multitudinem errantium, & eorum in errore consensum, errori minimè patrocinari. Erroribus autem uarijs & horrendis Romanam Ecclesiam implicari, res ipsa docet: & semper inuenti sunt, qui eos damnarent. & hoc præcipuè tempore excitauit Deus, qui ipsos palàm patefacerent, & contra eos constanter fortiterq; sacrarum literarum armis tecti pugnarent, & pugnando ex electorum cordibus extirparent. Si pastor ille stultus probat suam superstitionem ueram esse religionem, quòd hæc tanta concordia iam aliquot seculis recepta sit & defensa: quanto uerius cœlestis doctrina, quæ hoc tempore in Europa cœpit denuò prædicari, probabitur uera rectaq; esse? Nam in hanc primus Adamus statim à contracta noxa, Abel, Seth, Enochus, Noa, Abrahamus, Moses, Prophetæ, & omnes sancti homines consenserunt: & quorum nomina scripta sunt in cœlo, consentient usq; in finem mundi: cum à uestris erroribus, in quos antea consenserant, multi præstantes literis & pietate uiri incipiant dissentire, qui hanc cuius lux hoc seculo cœpit in orbe terrarũ splendescere, usq; ad mortẽ concordes pergant tueri, conspirantes in ueterem doctrinam, quam uos nouam uestro exitio, nos uerò ueterẽ & antiquissimam nostra salute ante conditum mundum à Deo conceptam existimamus esse.

Quod dicitis, inter nos non cõuenire: hic iurè quæritur, qua in re dissentiamus? An in eo quòd quidam ex nostris, uestra de iusticia operum, de meritis sanctorum, de purgatorio, de indulgentijs, de idolis in tẽplis in quibus colatur Deus statuendis, de patrocinio & inuocatione diuorum, de uotis monasticis, & alia pernicioſa dogmata comprobant: quidam non comprobant, sed refellunt? At omnes hi quos dicitis inter se dissentire, in eo conueniunt, quòd affirmãt hanc uestram doctrinã esse falsam, & cum Euangelio à Christo per Apostolos promulgato ex diametro pugnare. Aut iudicatis hos in eo inter se dissentire, quòd alij Christum IESVM solum nostram iusticiam & sanctitatem esse affirmãt, quem una fides & sola talem esse agnoscat, & ita hac ratione sola iustificet: alij uerò secus sentiant, qui etiam factis nos iustos fieri doceant? At neq; hac in parte, neq; ulla alia in re, in qua capita ueræ salutis contineantur, inter se contendunt. Nam hi omnes uno ore confirmant, fide in IESVM Christum, & ea sola, iustificari improbum: non lege, non factis legis, non facultate liberi arbitrij. Sed objciunt, alios dicere, Fide nos iustificari, quæ nobis iusticiam Christum per imputationem communicet, extra nos uersantem: alios, in nobis degentem. Vt hac in parte non rei, sed uerborum concertatio cernatur, alio loco indicatum est. Similem logomachiam nonnulli monent cerni, quòd alij Christi humanam naturam creaturam esse uolunt: alij contrà, solum in ambiguitate uocis Creatura discordiam excitari, reipsa concordiam non desiderari, neque humanam Christi naturam deificari ut cesset esse humana natura, & desinat caro carnis naturam exuere, sed humanam totam ita perfundi oleo diuinitatis, ut sedens ad dexteram patris, parem cum Deo patre sapientiam, parem potentiam, par in omnia imperium & gloriam habeat. Qui si ita sentiunt, piè an impiè sentiant, docti spiritu homines facilè iudicarint. Sed objciunt, nos dissentire in interpretatione Cœnæ Domini, alijs Est idem ualere putantib. quod significat, alijs quòd figura, alijs nullum tropum admittentibus: alijs asserentibus panem dici corpus Domini, quòd in pane uerum Domini corpus à ministro dispensetur, pariter credentibus & non credentibus, & corporato ore id accipi: alijs sentientibus, Christum spiritu præsentem esse pijs tantum, ad cœleste & spirituale nutrimentum, non impijs: atque localem corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam in sacris literis neque tradi, neque sentiri à quoquam. Fatemur hac in parte dissidere inter se nostros: at hoc dissidium qua in re cernitur? Non sanè in ijs rebus, in quibus nisi consentiamus, periclitetur

nostra

noſtra ſalus: ſed in explicatione uerborum Cœnæ diſſentitur, ſalua confeſsione earum rerum, quarum noticia neceſſaria eſt ad ſalutem: in qua conueniunt, non diſſentiunt. Nam in ijs conſentiunt, quę in Cœna ut capita ſalutis comprehenduntur: Chriſtum IESVM uidelicet corpus ſuum in mortem tradidiſſe, & ſanguinem fudiſſe, ad comparãdam nobis remiſsionem peccatorum & uitam æternam. atq; id corde credere, cedere nobis ad iuſticiam: & ore palàm confiteri, ut in ſacra Cœna debet fieri, párere ſalutem. In hoc quoniam cardo ſalutis uertitur, omnes concordes ſunt atq; conſentiunt. A' uobis autem pari concordia diſſentiunt, qui panis naturam relictis qualitatibus mutari dicitis: qui adorari Chriſtum in hoſtia, qui ſalutem ex miſſatione ueſtra tanquam opere operato (ut uocant) confici, & in ea Chriſtum offerri pro peccatis uiuorum & mortuorum affirmatis. in hos errores uos conſentitis, pontificem ueſtrum terrenum ſumma concordia adorantes: nos uerò ab illis diſſentimus, uno corde & ore Meſsiam pontificem cœleſtem adorantes. Vos errores defenditis, contrarios Euangelio Chriſti: nos aduerſos huic errores nõ defendimus, ſed palàm eos refutamus & refellimus, clarè oſtẽdentes Deum ueſtrum, quem uos colitis & oſculamini, Antichriſtum eſſe, principem errorum, tenebrarum & mortis: nos uerò pariter omnes Meſsiam Deum ex Deo, lumen ex lumine Deo, ueritatis, lucis & uitæ principem eſſe cõfitemur. Quòd ſi inter nos diſſenſio aliqua exiſtit, ea huiuſmodi eſt, quæ ſalutis capita aduerſus aduerſarium defenſa non conuellat: ut eſt, de deſcenſu Chriſti ad inferos: de electione & repudiatione: de præſcientia diuina: de oraculorum Prophetarum interpretatione: de Chriſto, ubiq; ne ſit, an ſecus: de cœlorũ diſtinctione, in quod uidelicet cœlum Chriſtus aſcenderit, & quale id cœlum ſit, & de alijs nonnullis diſſenſio: in qua nihil à nobis committitur, quod ſalutis ſummam labefactet, ut eam ueſtra in defendendis erroribus perniciosis concordia labefactat: quam non ſpiritus Meſsiæ, ueræ concordię & amoris ſpiritus, inter uos conciliat, ſed ſpiritus draconis, qui tali uos coniunctione conſociat, quali inter ſe fures & adulteri conſociantur. De qua peruerſa coniunctione illud in Pſalmis canitur: Si furem uidiſti, conſentis cum eo, & cum adulteris eſt pars tua. Et ſi quæ inter nos diſcordia oritur, ea profunditati tenebrarum quas paſtor ueſter ſtultus loco ſancto affudit, accepta refertur: quæ tenebræ altiores ſunt, & craſsiores, quàm ut ſtatim diſcuti queant: tanta rerum ſacrarum imperitia, tanta cæcitas, tantaq; caligo terrarum orbem per illum & eius pſeudoprophetas occupauit. Sed nos gratias Deo patri Domini noſtri IESV Chriſti agimus, quòd in lucem è tenebris translati ſumus, quas uos luci præfertis, & nos qui hanc ſequimur inimicè & hoſtiliter perſequimini. Obijcitis nobis Dauidicos & Monaſterienſes anabaptiſtas, qui letales errores ſparſere. Fruſtra hos & falsò obijcitis. de his enim poſſumus dicere, quod Ioannes de ijs dixit qui ſuo & reliquorum Apoſtolorũ tempore falſas doctrinas in uulgus ediderũt: Exierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis. Noſtri, errorum quos illi ſeminarũt, autores non ſunt, ſed Satan: contraria enim his docent. Dicas: ſed occaſionem ex ueſtris ſcriptis ſuorum dogmatum & ſectæ arripuerunt. Si propterea illorum errores in noſtros, tanquam eorum autores, referri debent, quòd quædam fortaſsis in illorum ſcriptis qui Euangelium ab initio cœperunt prædicare, repererunt, quæ uiderentur errorem quem animo conceperant cõfirmare: eâdem ratione ſacris literis omnium hæreticorum falſa dogmata & errores imputari debent, quòd nullus illorum fuit, qui non falſæ doctrinæ ſuæ & inueniendæ, & inuentæ corroborandæ, ex ſacra ſcriptura occaſionem & materiam ſumpſerit. Qua in re idem uſu uenit, quod in araneis & apibus, ex ijſdem floribus his mel ſalutare, illis uenenum ſugentibus. Quare contra cauillatores hos iure gratulantur ſibi ſacri Euangelij doctores & auditores, de hac quæ hic apud Prophetam noſtrum proponi-

Pſal. 50.

1. Ioan. 2.

tur, promissione: Et non laborabunt frustra. quamlibet aduersarij in hoc summo conatu & studio incumbãt, ut eorum labores uanos & irritos reddant: sed falluntur, eorum cõsilia & conatus frangente Deo, qui suorum seruorum labores fortunãs, Euangelij odore totam ferè Europam implet: nauseam omnibus timentibus Dominum, stercoris pastoris stulti fœtore creante. Satis de his: pergamus.

Neq; generabunt in conturbatione.) Terrorem abfuturum parturientibus. contrà q̃ cõtingit temporibus maledictionis, in quibus uarijs motibus & terroribus omnia perturbãtur. Quòd si etiam sanctę mulieres in partu cruciatum sentiunt, eum tamen fides quæ saluas parturientes efficit, ita lenit & mitigat, ut in partu per patientiam omnia lęta & salutaria meditentur, sententiam hanc Dei comiter & æquè ferentes: In dolore paries. Si matrem Ecclesiam spectes, ut hac spe sponso suo Messia nixa liberos pariat, & paritura sit, sibi minimè ab aduersario metuens, his seculis incipimus experiri. *Genes. 3.*

Quia semen benedictorum Domini est.) semẽ regenerationis beneficio è spiritu Messiæ sacrum & diuinum, ac benedictione iusticiæ & uitę ornatum: non amplius semen primi Adami, peccati & mortis maledictioni obnoxium.

Eritq; antequam clament.) qui soboles mea sint, de qua pręcesit: Et soboles benedicta Domini. ex hac promissione, cui tutò confidunt omnes electi Dei, partem in regeneratione habentes, discimus nos Deo patri ita curæ esse, ut priusquam cogitemus de salute, quã in rebus aduersis consequamur, is ipse iam constituerit secum, nos seruare uelle: eius cura, prouidentia ac fauore omnia nostra consilia, conatum & studia præueniente, ut parentum amor infantium preces præuenit. Dicas: Si ita res habet, quid ergo opus est precatione? satis enim nobis fuerit ad salutem parandã, antegrediens illa beneuolentia Dei. Vt Deus pro beneuolentia sua præuidet salutem quam suis dare uelit, ita etiam media ad salutem comparandam præuidet. In his continetur precator spiritus, diuinę promissionis donum. Est enim is spiritus interpellator & precator spiritus, de quo his uerbis Apostolus: Siquidem hoc ipsum quod oraturi sumus, ut oportet non nouimus, uerùm ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sed cuius is spiritus, spiritus est? & unde in nos proficiscitur? Is spiritus, Messiæ spiritus est, ex illo in nos proficiscens: regij sacerdotij spiritus, per quem patrem inuocantes inclamemus Abba pater: & priusquam inuocemus & noscamus quid oraturi simus, spiritus is adoptionis occultis gemitibus suis patrocinatur pro nobis. Et hoc est quod hic legimus: Et priusquam inuocent, eos exaudiam. *Rom. 8.*

Et adhuc illis loquentibus.) Spiritu Messiæ in eis precante & intercedente, cui cœlestis pater nihil deneget, & cui omnia in cœlo & in terra subiecta sint. Dicas, non semper exorari patrem. Semper exoratur, hoc spiritu orante: sed suo tempore, hoc est opportuno: quo ut exaudiamur, Deo sit gloriosum, & nobis salutare. Quòd si contingit nos non exaudiri, debemus scire, aut non appetijsse tẽpus in quo exaudiremur: aut nos precatore spiritu preces nostras non fudisse, sed spiritu animalis & ueteris hominis, qui in precando non Dei gloriam, sed suas cõmoditates spectat, impulsos nos orasse. Exẽplis locus is illustrãdus est.

Et serpenti puluis panis eius.) hoc ad puluerem terræ, quam lambat, damnato, per sententiam illam in eum lata: Maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & puluerem comedes cunctis diebus uitæ tuæ. Indicatur, submota figura, Satanam serpentem damnatum ad puluerem terræ, hoc est deuictum à Christo, non nociturum Ecclesiæ sanctorum: ut sequitur.

IN CAP.

HAec dicit Dominus.) In creatione nouæ Hierosolymæ, de qua mentionem fecerat, ad quod templum & sacrificia eius ac sacra animum Dominus sit adiecturus, Vates indicat, sequentia cum præcedentibus apto ordine coniungens.

Cœlum sedes mea.) me non capit: quanto minus materiata domus, ex lignis & lapidib. constans, me capiet? Quod Salomon confitetur his uerbis: En cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc quam ædificaui? Aspectabile cœlũ amplitudine, splendore, lucisq; & caloris munerib. quoniam insigne est, legitur hic Dei solium ac thronũ esse, in quo sedẽs tanq; Rex & Imperator, cũcta inferna regat & administret: terra uerò, ut infimũ & obscurum elementũ, scabellum pedum eius dicitur. Is habitus per ethologiam, à regali magnificentia regũ in solijs suis sedentium mutuata, Deo ipsi affingitur. Hac igitur loquendi forma, Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum: primò indicatur, Dei prouidentia omnia in cœlo & in terra regi & gubernari. Sic enim Dominus apud prophetã Ieremiam, Prophetæ nostri uerba interpretans loquitur: An non cœlũ & terrã ego impleo? dicit Dominus. cura uidelicet & prouidentia mea. Similiter in Psal. canitur: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descẽdero in infernũ, ades. Similiter Moses: Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus Deus in cœlo sursum est, & super terram deorsum, nec est alius. Deinde ex his uerbis cognoscimus, in hac rerũ uniuersitate nihil temerè, casu & fortuitò, sed omnia Dei consilio & ratione accidere: cuius prouidẽtia, à cœlo usq; ad terrã, & ad omnia quæ cœlo & terra cõtinentur, pertingat. Postremò, Dei præsens numen uerbis his significatũ, Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedũ meorum, impios admonet, ut pœnitentiam suorum delictorum agentes, ad pietatem se conuertant: qui intelligant se coram præsente Deo peccare, cuncta oculis suis lustrante & speculante. pios uerò consolatur, qui intimè præsentem in animis suis per filij Messiæ spiritum habeant, à quo ab omni aduersariæ potestatis iniuria & ui in omnibus tentationibus defendantur. Ieremi. 23. Psal. 139. Deut. 4.

Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi?) postq; cœlum & terram me non capiunt. Duo indicat his uerbis: unũ est, neq; Salomonium, neq; quod à Zorobabele tẽpore solutę captiuitatis Babylonię reparatũ est templũ, tale fuisse in quo Deus spiritu & ueritate, hoc est citra obseruationẽ elementorũ mundi, cultus sit. Sed ad aliud, hoc est cœleste & spirituale templũ cõuertendos fuisse oculos, in quo uerè & citra figurã & imaginem adoraretur & inuocaretur. Errarunt igitur Iudæi, qui uero cultu Dei, qui in fide & amore illius cernitur, carẽtes, securi de rebus aduersis, perpetuò sonarunt Templũ Domini, templũ Domini: non uerò, Fides fides, pœnitentia pœnitentia: templo manu facto & sacris eius externis confidentes, Deo diffidentes, & eas res quæ ceremonijs in templo peragendis figurabantur, negligentes, de quibus mox mentio fiet. In eandem reprehensionem sub figura Israelitarũ incurrunt, qui in regno Antichristi in manufactis templis, à Domino non iussis extrui, nõ Deum, sed idola colũt: non sacra à Deo instituta, sed aliena, & à Dei uerbo dissentanea persequũtur: nõ clamantes, Colite Deum per fidem in IESVM Christum: sed, Colite & adorate diuos, audite missas, extruite idolis aras, accendite eis cereos: nõ Euangelium Christi, sed doctrinas errorum Antichristi adorate. Alterũ est quod indicatur his uerbis: Vbi est ista domus quam ædificetis mihi? Futurum, ut abolito templo materiato, & cultu eius, templum sine manibus extruatur, in quo Deus communicatione sacri sui spiritus sit habitaturus. Frustra igitur expectari à Iudæis terreni templi in terrena Hierosolyma fabricationem, & uanè in regno aduersarij ac stulti

paſtoris tantos in ædificandis templis (neglecto templo uero & cœleſti) ſumptus fieri: de quo mox loquitur Propheta.

Quis eſt iſte locus requietionis meæ?) in quo ego quieſcã, declaratione uniuerſæ bonitatis, ſapientiæ, potentiæ, iuſticiæ, & uitæ meæ. Hoc templum non cœlum aſpectabile & creatum, multo minus ullum opus humanis manibus & arte ex lignis & lapidibus ædificatum erit, ut ſequitur:

Omnia hæc manus mea fecit.) cœlum & terram, & omnia ex quibus materiatũ templum extruitur & exornatur: ut ſunt ligna, lapides, cementũ, aurum, argentum & gemmę, & fabri ipſi extructores templi. Significat, in nulla creata natura, diuinitatis ſuæ non conſorte, ſe requieſcere, ſuis bonis in eam effuſis: ſed in ea natura, quæ ſuæ magnitudinis & maieſtatis capax ſit, ut eſt Chriſtus, & huius corpus Eccleſia, ut ſequitur:

Ad quem autem reſpiciam?) ut in eo tanq; in tẽplo meo habitẽ? Huius bipartita ratio eſt. Vna ut capitis, quod eſt Chriſtus IESVS, in eo tota diuinitate corporatè, hoc eſt uerè, non per figurã, ut in tẽplo Salomonio, habitante. De quo tẽplo
Apoc. 21. Ioan. Deus omnipotens templũ illius eſt, & agnus. Altera ratio templi, in quo Deus quietè habitat, in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia ſanctorũ, cernitur: quæ Eccleſia ſacrũ Dei templũ eſt, nõ manu factũ, ſed ſacro ſpiritu per regene-
Epheſ. 2. rationẽ extructũ. De quo tẽplo Apoſtolus: Ea creſcit in templũ ſanctũ in Domino, in quo & uos ædificamini, in habitaculũ Dei per ſpiritũ. In Meſsia templo, & eius corpore Eccleſia, atq; in ipſis mẽbris capitis Chriſti, & corporis Eccleſię, ſcriptis in libro uitę, expreſſa ueritas tẽpli ſpectatur. In Salomonio tẽplo figura & umbra ſpectata fuit. In Antichriſti tẽplo, idolis & doctrinis falſis dicato, error & ſtulticia cernitur. Nam in ſolo Chriſto & corpore eius Eccleſia, diuinitas Dei patris cõtinetur & capit: nõ extra horũ fines & terminos, in quauis alia natura ſacri Spiritus non participe. Et ita Meſsias Dei patris templũ eſt, ut in hoc, & eo ſolo pater inuocetur, ueręq; colatur: in eo ſolo preces factæ exaudiantur: & qui precantur, cũ Deo recõcilientur: & per eum ſolũ reſpõſa & oracula quæ uitã afferãt, reddantur. Iudęi ergo relicta ueritate, imaginẽ: relicto nucis nucleo, corticẽ: poſthabito corpore, umbrã perſecuti ſunt, & etiamnũ perſequuntur, dum poſthabito cœleſti templo, ad terrenum his nouiſsimis temporibus reparandum oculos conuertunt, ut meritò hic reprehendantur his uerbis: Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi?

Niſi ad pauperculum.) Dominũ ſibi domũ eligere, in qua habitet, afflictos, & uaria cruce deiectos atq; humiliatos: in his ſe habitare uelle, per Spiritũ ſuum conſolatorẽ & uiuificatorẽ: nõ in inſolentib. & ſuperbis, quorũ animũ humana ſapientia, iuſticia, opes & potẽtia extulerint. In ijs ergo Deus dignabit ſe ſubmittẽs uerſari, qui agnita uitioſitate ſua, & iudicio eius perterriti, cum Dauide da-
Pſal. 51. mãt: Miſerere mei Deus pro magna tua miſericordia. itẽ: Miſerere mei Deus,
Pſal. 6. quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniã cõturbata ſunt oſſa mea. Nõ ergo Babylõ illa ſuperba templũ Dei eſt, quæ audet ſibi in cœlũ & terrã & inferos poteſtate uẽdicata, arrogãter dicere, In cœlũ aſcendã: ſed draconis & potẽſtatũ tenebrarũ templũ eſt. Legimus hic, Deum עני, hoc eſt afflictũ reſpicere: unde diſcimus, & præclarus crucis uſus ſit. hac effici, ut Dei tẽplum, in q̃ quietè pacateq; habitet, paremur, afflictione frangẽte ſuperbũ & inſolentẽ ueteris hominis ſpiritũ p̃ patientiã: hac fidẽ ꝓbante & cõfirmãte: fide uerò ꝓbata Deum, cũ theſauris uitę æternę, p̃ Chriſti ſpiritũ animis noſtris cruce deiectis inſerẽte.

Et contritum ſpiritum.) malleo legis ad pœnitentiam capeſſendam fractum. Sic enim fractis propinquum eſt regnum cœleſte: hoc eſt, regnum in quo peccatorum remiſsio & ſpiritus ſanctus, unicus ſacri templi Dei conſecrator, donatur. de quo Ioannes Baptiſta, frangendi humanos animos & ſpiritus per pœ-
Matth. 3. nitentiam miniſter, ſic loquitur: Pœnitentiam agite, in propinquo eſt regnum cœlorum.

cœlorum. Hinc Dauid: Cor contritum & humiliatum non despicies Deus. Psal. 51.
Legimus hic, Deum respicere fractum animo. At ut eum clementer respicit? Respicit clementer, cum tale cor in illo format, quale Dauid in se creari precatur: Cor nouum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uiscerib. meis.

Et trementes sermones meos.) Tremor is nõ desperationis tremor est, quali Cain, Saul, Iudas, & cæteri impij homines & dæmones ad Dei sermonem tremunt: sed tremor est uenerationis & reuerentiæ, qua sermonem Dei, fracti spiritu, liberali pauore & tremore uenerantur, uitiosam suam naturam damnantes, & misericordiam reconciliati patris in filio Messia celebrantes. In quibus hoc modo uetus natura per tremorem mortificantis pœnitentiæ, & noua in Christo erecta per fidei uiuificãtis spiritũ induitur, templum sactum efficiuntur, in quo Deus cum filio mansionem faciat. De qua apud Ioannem Dominus his uerbis loquitur: Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, & ad eum ueniemus, Ioann. 14.
& mansionem apud eum faciemus: per spiritum uidelicet sanctum. De quo idem Ioannes: Et ego rogabo patrem, & alium cõsolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum.

Qui immolat bouem, quasi qui interficiat hominem.) Qui templum reiecerat, iam cultũ & sacra eius reijcit, in quibus sacrificia non postremũ locum habuerunt. In horum reprehensione duo indicat. Alterum, falsa de eis opinio est, quòd putarũt Iudæi, carentes fide, sacrificia per se placere Deo. Alterum, eorũ abrogatio est: futurũ significans, ut uera sacrificia, quę in contrito & fracto spiritu cernuntur, locum habeant. De quibus in Psal. Dauid: Sacrificium Dei fractus spiritus. de Psal. 51.
quo hic Propheta: Quem autem respiciam, nisi afflictum & contritum spiritu? Quo contrito spiritu & corde, & per fidem uenerante dicta Dei, si quis carens uictimis litet externis, perinde diuinus spiritus dicit esse, ac si quis hominẽ occidat. Grauissimum facinus est hominem, conditum ad imaginem, quam exprimat, Dei, perimere. Sed quantum facinus arbitraris esse uictimam mactare, in cuius oblatione peccata expiari putes: contempta unica illa expiatoria hostia IESV Christo, quem Moseæ hostiæ adumbrarunt? quem nisi agnoscas peculiarem uictimam esse quæ mundi peccata expiet, à iure peccati damnante ad æternam mortem, nunquam sis absoluendus.

Quasi iugulet canem.) ad sacrificia prohibitum: cuius etiam precium ne inferretur in templum Domini, lex cauit. Vt canes rabie, libidine, uoracitate & adulatione infames sint, satis notum est. Deut. 23.

Quasi qui sanguinem suillum offert.) lege quoq; prohibitum: ut animal immundum, se in luto uolutans, & stercora uorans. Suillum sanguinem offerunt, qui Epicuri de grege porcos & Sardanapalos uiuunt: hoc est, qui se in luto cupiditatum uolutantes, stercore uoluptatum carnis uescuntur. Quos nobis sues, qui dæmonijs correpti, ut est apud Euangelistã, in mare precipitati perierunt, præsi Matth. 8.
gurarunt. qui impurorum dæmonum afflati spiritu, maris huius mundi fluctib. obruti, miserè intereunt, dum in porcos degenerantes, per terrenas carnis uoluptates perire malunt: quàm agni puri animantis ingenium imitantes, per amorem rerum cœlestium in agno Christo seruari.

Quasi qui benedicat idolo.) Nostro interpreti ex און placet idolum reddere: quòd homines idolorum cultum, non de sententia Dei, sed de sua cupiditate quę אין est, instituunt. Notum enim est concupiscendi uerbum אוה. Sic idololatria Bethel appellata est Bethauen. & מעלי אין dicuntur, qui alienum Dei cultũ comminiscuntur ex sua cupiditate, non ex sententia uerbi Dei, ad miserè piorum hominum conscientias diuexandas.

Hæc omnia elegerunt in uijs suis.) suas uias ac instituta, non Dei sequentes. Via Dei erat, ut Moseæ sacrificia, unicum sacrificium mundi peccata expians, IESVM Christum præfigurarent: in quem per fidem animum suum, qui sacrifica-

crificabant, intenderent: in cortice sacrificij mystici non hærerent, sed in Messiam tanquam in scopum ac finem uniuersæ legis collimarent. At Iudæi hac uia relicta, in sacrificijs salutem quærebant, neglecta salute quam Christus in illis adumbratus solus afferre poterat. Nō secus in bestiæ regno delinquitur ab hypocritis, qui sacramentis sine fide utentes, non Christum seruatorem, qui nos gratuitò seruet: sed suum opus quod uocant operatum, quærunt, quo saluentur: ex sacramentis & opere idola quæ colant, neglecto Christo, fabricantes. Et hoc ipsum est uiam Domini relinquere, & suam sequi. Quos perpendere oportebat, sacramēta instituta esse, quæ nostros animos ad Christum ipsum, nostram salutem & uitam, in omnibus afflictionibus subducerent, non in sui cultum & adorationem traherent.

Et in abominationibus suis.) non in benefactis, quæ ad normā legis meæ ederent.

Vnde & ego eligam illusiones eorum.) puerilia & ludicra, quibus ludificentur: ut quemadmodum me ludibrio habuerunt, ita etiam ipsi ludibrio sunt futuri in orbe terrarum. Si Iudæos spectes, ut hi omnibus gentibus fabula facti sint, palàm est. In regno Antichristi ut hypocritæ ludus & deliciæ omnibus fiant, nostra tempora indicant.

Leuiti. 26. Deuter. 28. *Et quæ timebunt, adducam eis.*) omnia mala quæ eis Moses in lege minatus est. Sed cur tot & tantis malis infestantur? Sequitur:

Quia uocaui.) per Prophetas ad pœnitentiam, & per Apostolos tandē ad amplexandum filium meum Messiam.

Et non erat qui responderet.) parens doctrinæ meæ, per resipiscentiam.

Audite uerbum Domini.) Apostrophe ad pios, ad Dominum se fracto spiritu conuertentes.

Dixerunt fratres uestri.) iam reprehensi.

odientes uos.) propter filium, & eius Euāgelium, à uobis receptum per fidem.

Math. 10. De quo odio Dominus ipse apud euangelistam Matthæum sic loquitur: Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & surgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos: & eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Neq; uerò mirandum est, tantis odijs aduersus pios flagrare impios. Alteri enim lucem & ueritatem, alteri tenebras & mendacia & mendaciorum architectum Satanam sequuntur. alteri ex mundo sunt, hoc est rebus uanis (ut sunt pecuniæ & opum cupiditas, ambitio, luxus & uoluptates) delectantur. alteri ex mundo non sunt, sed ex Deo: hoc est, ijs rebus quæ Deo probantur, afficiuntur: ut est innocentia, & rerum cœlestium amor, tolerantia in afflictionibus, studium benemerendi de omnibus & amicis & inimicis. Hæc diuersa natura, studia & mores pariunt odium, quo improbi probos inimicè persequuntur. de quo hic Propheta noster: Dixerunt fratres qui odiunt uos. Hoc odium statim à contracta culpa à primis parentibus, cœpit inter filios Dei & serpentis Satanæ sobolem exardescere, ex sententia illa diuina in serpentem lata: Ini-

Genes. 3. micitiam ponam inter te & mulierem, & semen illius & semen tuum. Sic Cain ipsum Abelem, & Cain progenies Sethi progeniem, & à diluuio Cham Semum: Aegyptij, Chananæi, Chaldæi, Israelitas: Esau Iacobum, Saulus Dauidem: impij reges & eorum prophetæ & sacerdotes, ueros Prophetas: Pharisæi, scribæ & pontifices, Christum & Apostolos odio insectati sunt. & in regno stulti pastoris, ueros cultores Dei, rasa illa hypocritarum gens capitali odio persequitur. Atqui non solum draco Satan & eius liberi, electos inimicè infestant: sed etiam electi ipsi inter se ad tempus odia exercere possunt, quæ præter uarias alias causas, præcipuè diuersa religio, aut in unius religionis professione, locorum religionis non una interpretatio in eis creat. Vt, si mystica exempla spectes, documento sunt Iudæi & Ephraimenses, de

quibus

quibus ſuprà ex Propheta noſtro mentio facta eſt. Sin ſubmoto myſtici po- 11.
puli uelo, uniuerſam electorum Eccleſiam conſideres, tempora Apoſtolo-
rum & hæc noſtra occurrunt: in quibus, omnes Mahumetanos, Iudæos, Pa-
piſtas, Euangelij luce nondum illuminatos, nemo inter maledictos numeret,
& expunctos ex electorum numero affirmet: ut hi autem cum illis qui lumen
cœleſtis Euangelij acceperunt, pugnent & belligerentur, ſed zelo per igno-
rantiam ueritatis, ſatis manifeſtum eſt. Neque etiam qui hodie ex aduerſarij
tenebris in lucem translati ſunt, quamuis in ſumma & capitibus ueræ religio-
nis inter ſe conſentiant, in locorum tamen quorundam religionis explicatio-
ne prorſus nō conſentiunt, ſed interdū ſatis acerbè inter ſe diſſentiunt: ut exem
plo ſunt Lutherani, Zuingliani, Suenkfeldiani, & nonnulli alij. At quoniam
horum diſsidia ex odio ueritatis non naſcuntur, quod in electis & ſcriptis in
libro uitæ locum non habet: hæc ipſa diſcordia aliquando finem habebit, ele-
ctionis gratia pacem in pacifico agno Meſsia inter hos ipſos conciliatura, ut
impleatur illud: Ephraim non æmulabitur Iuda. Aliter diſsidet Satan cum
ſuis, ab electis, quos capitali odio, ut hoſtis ueritatis, propter Meſsiam pro-
ſequitur, quos funditus perdat, & quantum in ipſo eſt, ex omni rerum natu-
ra deleat.

Et *abiecerunt propter nomen meum.*) propter confeſsionem fidei, qua confitentur
me ſeruatorem ueſtrum eſſe. Hanc confeſsionem Satan & eius membra ferre
cum non poſsint, uos à ſe expellūt, extorres & exules factos. Quod eſt מנרכם.
Reſpicitur ad illud ſuprà memoratum: Qui dicunt, Recede à me.

Glorificetur Dominus.) Verba ſunt improborum, irridentium & probos, & eo-
rum quem profitentur ſeruatorem Meſsiam. Glorificetur Dominus Meſsias
ueſter in uobis liberandis, qui tot malis & opprobrijs propter eum afficimini:
ut uideamus uos lætitia, de ſalute quam expectatis, perfundi. Sic quoque per
ſarcaſmum Chriſto ipſi in cruce pendenti inſultarunt: Si rex Iſrael eſt, deſcen-
dat nūc de cruce, & credemus ei. Vt his poſtremis temporib. Euangelij hoſtes
pios crucis pondera & iugum ferentes illudant, hæc uox ab illis edita teſtatur:
Vbi nunc eſt Chriſtus ueſter, qui uos facultatibus priuatos, in exilium miſſos,
& mortis periculo expoſitos liberet? Vbi eſt Euangelium ueſtrum, quod uos
ex tot & tantis malis uindicet? oſtendat ſe ſeruator ueſter Meſsias, ut amplifi-
cetur nomen eius, uos redimentis. Sunt qui in hunc modum interpretan-
tur: Dixerunt fratres ueſtri, uos odientes, propter nomen meum, glorificetur
Dominus: hoc eſt, propter nos, qui propiores ei ſumus quàm uos, qui immun-
di eſtis, amplificatur & glorificatur. At ſic inſultantibus in uos, non apparebit
Dominus ad lætitiam: ſed uobis, qui me fide amplectimini. illi uerò confun-
dentur, me contemnentes: ſecus quàm ipſi putant, qui exiſtimant uos pudo-
re affectum iri in tanta afflictione.

Vox *fremitus de ciuitate.*) Hieroſolyma, in qua ut ſeditioſorum hominum tumul-
tus & clamor tempore uaſtationis eius, & foris hoſtium excitatus ſit, ex Ioſe-
phi hiſtoria de bello Iudaico clarum eſt. Huc pertinet illud Chriſti apud Lu- *Lucæ 21.*
cam, Danielis prophetiam explicans: Cum autem uideritis circundari ab exer- *Daniel. 9.*
citibus Hieroſolymam, tūc ſcitote quòd immineat deſolatio eius. Erit afflictio
magna in terra, & ira in populo hoc, & cadent in acie gladij, & captiui ducen-
tur in omnes gentes. Hieruſalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tem
pora gentium. Atq; hoc ipſum eſt quod hic legitur: Vox fremitus de ciuitate.
Subducta figura calamitatis quæ Hieroſolymis accidit, occurrunt calamitates
quibus Eccleſia uexatā & uexabitā ſub iudicio patefacti & contēpti Euangelij, à
domo Iacob, hoc eſt ab electis inchoādo iudicio. De quo iudicio illud: Prędica
bitur Euangeliū omnib. gentib. in teſtimoniū. In teſtimonium inquam iuſti iu- *Matth. 24.*
dicij, cū gladius in rebelles in magna orbis terrarū concuſsione ſtringetur. De

quo

de quo aliquoties ſuprà meminimus. Sed quid inde accidet? Sequitur:

Antequam parturiret.) Eccleſiam repentè & ſubitò numeroſam ſobolem parituram, quæ aliquanto tempore in ſolitudine errans, ſterilis fuiſſet. Qua de re uideris ſuprà. In hoc partu hæc fuerunt conſideranda: maritus qualis ſit, qui mulierem hanc grauidam faciat: & qualis mulier ſit, quæ grauidetur: præterea qualis ſoboles gignatur, & è quo & quali ſemine concepta naſcatur. Demum ad quod prædicationis Euangelij tempus præcipuè referẽda ſit numeroſæ ſobolis procreatio, de qua hic fit mentio: an ad tempora Apoſtolorum, aut ad interiecta inter Apoſtolos & noſtra tempora, aut ad hæc nouiſsima reſtituti Euangelij tempora: aut ad utrunque tempus, ad Apoſtolorum uidelicet, & hæc noſtra tempora referendum ſit, quod in hac concione de propaganda Eccleſiæ ſobole legitur. De his quoniam ſæpè in Moſe & in hoc noſtro Propheta meminimus, ſuperuacaneum fuerit harum quæſtionum explicationem retexere. Paraphraſtes Chaldæus ſic reddit Hebræa: עד לא מיתי עקא לה התפרק עד לא ייתי לה זיע בהבלין על ילדה יהגלי בולבת. hoc eſt, Antequam eueniat ei anguſtia, ſeruabitur: & priuſquam ei dolores partus, rex patefiet. Vbi uolunt, uelle Ionathanem ſignificare præſentatum Meſsiam regem in mundum, antequam Hieroſolyma à Romanis euerſa fuiſſet, in ſummam rerum anguſtiam deuoluta. Apud Ioannem in Apocalypſi ſcriptum eſt de muliere Eccleſia, ut pepererit prius filium marem, quàm à dracone infeſtata, in ſolitudinem coacta ſit ſecedere, in ea erratura mille diebus ducẽtis ſexaginta. Meſsias autem mas appellatur ob uirilem fortitudinem, qua ſuos & ſponſæ ſuæ hoſtes ſit deuicturus.

Apocal. 12.

Quis unquam audiuit tale?) Interrogatione colorat admirabilem partum Zionis, per cõparationem à diſsimili. Terrã non uno tempore eniti, omnesq; ſuos fructus ferre, neque gentem aliquam ſemel naſci. Zionem autem liberos ſuos ſubitò párere. Hac hyperocha utitur ad amplificandam mirabilem pariendi & fœcunditatem & celeritatem, qua Eccleſia ſuam ſobolem parit: eam nulla aduerſaria ui impediente à pariendo.

Nunquid ego qui alios párere facio.) Conſolatio ex loco uoluntatis & facultatis mutuatur, per comparationem maiorum & minorum: ſe uelle & poſſe efficere ut pariat Zion. Qui mulieres, cum uenerint ad labores pariendi, ut pariant iuuo: quanto magis meam ſponſam Zionem iuuabo, ut pariat mihi cœleſti de cœlo in terram miſſo marito, cœleſtes ſuos & ſacros fœtus? De quo marito ſuprà: Nam maritus tuus erit creator tuus, Dominus exercituum nomen eius. In בשביר frangendi uerbo, enitendi labor notatur, quo fœtus ligamina franguntur. Eccleſiam ſponſam in enitendo omnes parturiendi labores ſuperaturam, qui in afflictionibus & perſequutionibus, quibus Euangelij hoſtes illam, quo minus ſuo marito Meſsiæ liberos procreet, impedire laborant, tolerantur. Sed ipſam, hanc omnem difficultatem uicturam: unde orituram lætitiam, de qua ſubiungitur mentio.

Lætamini cum Hieruſalem.) de uictis eius hoſtibus, & ipſa per Meſsiam maritum liberata.

Qui diligitis eam.) ut matrem ueſtram, amantes eam amore, non quali terrena ſoboles terrenam matrem amat: ſed amantes eam amore illo diuino, de quo Ioannes: Deus amor eſt, & qui manet in amore, in Deo manet. Ex quo amore cum uos nati ſitis, diuina & cœleſtis ſoboles, ſacro amore matrem ueſtram Hieroſolymam de cœlo deſcendẽtem amatis, non odio proſequimini, ut eam draco & filius eius primogenitus Antichriſtus odio proſequitur.

1. Ioan. 4.

Qui lugetis ſuper eam.) quòd tãta crudelitate aduerſarij eam inſectãtur: ſed quorũ furor reprimẽdus ſit, matre ueſtra liberata. Vnde gaudio uos afficiemini, luctu ueſtro & matris ueſtræ cõuerſo in lætitiã, & gaudio hoſtiũ mutato in luctum.

Vt ſugatis

Vt ſugatis & repleamini ubere.) lac ſpiritus conſolatorij ſugatis. Quia ſemel Eccleſiam mulieri parturienti comparauit, in cœpta allegoria manens, lacti quod infantes ab uberibus ſugunt, nutrimentum quo filij Dei ab infantia aluntur, comparat. De quo lacte Apoſtolus: Lactis potu uos alui. 1. Corinth. 3.

Ab omnimoda gloria eius.) à ſplendore patefacti Meſsiæ, lucis electorum, ablatis tenebris errorum aduerſarij.

Ecce ego declino ſuper eam quaſi fluuium pacis.) Duo promittuntur ſponſæ Eccleſiæ: alterum pax eſt, alterum gloria gentium. De pace utraq; exteriore & interiore, uideris ſuprà. Gloria gentium ut cedat Eccleſiæ & liberis eius, intelligimus ex eo, quòd quicquid præſtans habent gentes in omni genere munerum naturę, in cognitione rerum & artium, in eloquentia, in uarijs animorũ & ingeniorum dotibus, in ſcientia gubernationis priuatarum & publicarum rerum, id omne in Eccleſiæ uſum conuerti uidemus. Nam quæ præclarè à Pythagoræis, Platonicis, Peripateticis, à Mathematicis, a Phyſicis & Medicis, à Iuriſconſultis tradita ſunt, & diuina cura hactenus conſeruata, ut Eccleſiæ ipſi deſeruiant, non eſt obſcurum. At hæc gloria nihil eſt ad eam quæ in Euangelio cernitur. cuius prædicationis munus, ex gentibus delectis Apoſtolis, quantam ſalutem Eccleſiæ afferat, non eſt obſcurum. Ex quorum miniſterio licet lac diuinæ ſapientiæ ſugere, de quo hic: Quam ſugetis, ad ubera portabimini

Quomodo ſi cui mater blandiatur.) Hac comparatione ſtudium Dei patris, quod in conſeruandis electis ſuis declarat, indicatur. Hinc illud apud Apoſtolum: Benedictus Deus & pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui eſt pater miſericordiæ, & Deus omnis conſolationis, conſolans nos in omni afflictione noſtra. Dicitur mater liberos ſuos magis diligere, quàm pater. Quem laborem grauidi uteri, partus & educationis tempora indicant. Atq; hinc fieri, ut in deſcribenda cura quam Deus pater erga ſuos liberos in filio Meſsia gerit, magis à matre mutuetur ſimilitudo, quàm à patre. 1. Corint. 1.

Ita & ego conſolabor uos.) in afflictione: quæ quoniam materia eſt cõſolatoris ſpiritus Dei, accidit ut tantopere hæc commendetur. Nam ſi tollas ex electorum Eccleſia afflictiones, neq; patientiæ, neq; probandæ confirmandæq; fidei, neque ſpei quæ ex probata fide naſcitur, neq; conſolationi diuinæ locum relinqueris. Beati, qui hæc in cruce & eius militantibus ſtratagematis experiuntur, & experti ſunt.

Et in Hieruſalem conſolabimini.) extra quam nulla ſit conſolatio & ſalus.

Et oſſa ueſtra ſicut germen germinabunt.) Si reſurrectionem primam ſpectes, accipitur uiror, quem reconciliationis ſpiritus creabit per humorem uitalem, ex perẽni aquarum fonte Meſsia fluentem. De hoc uirore, quo Iſraelitarum & gentium Eccleſia, in mundo mortua iacens, uiuifico Euangelio caret, Apoſtolus, ut ſuprà quoq; indicatum ex ſententia myſtici oraculi apud Ezechielem expoſiti, ſic loquitur: Quæ aſſumptio niſi uita ex mortuis? Sin uerò ſecunda reſurrectio ſpectatur, in qua corpora ex terræ puluere ad uitam ſuſcitabuntur: ut hęc uerba, Et oſſa ueſtra ſicut herba germinabunt, accipiantur, fidei de reſurrectione carnis articulus oſtendit. Atq; hæc Sibyllę etiam ignota non fuiti Rom. 11. Ezech. 37.

καὶ τότε νεκρικοὺς ψυχὰς, καὶ πνεῦμα, καὶ αὐδὴν
Δώσει ἀναστάσιος, καὶ τ' ὀστέα ἑρμοδίνασα
ἀρμοῖς παυσοίοις, σαρξὶ σάρκας, καὶ νεῦρα,
καὶ φλέβας, ἠδ' ἐπὶ πᾶσι μέρμα.——

Et *cognoſcetur manus Domini.*) potentia Meſsiæ, liberatoris ſuorum, & ultoris hoſtium.

In igne.) iudicij igne, electos purgaturo ad claritatem Dei, & hoſtes ad obſcuram orci caliginem damnaturo: ut ignis is aſpectabilis aurum & argentum purgando à ſcorijs clara & ſplendida reddit, lutum urendo atrum efficit. De hoc

igne iudiciario mox infrà: Quia Dominus in igne iudicabit. Hinc fit, ut Messias iudex oculos flammeos habere, & in throno igneo sedere dicatur. Minimè autem mirum uideri debet, legi Dominum igne iudicaturum, eiusq; iudicium igne perfici. nam in igne hæc tria cernuntur: lux, calor, & uis perficiendi separandiq; pura ab impuris. Etenim luce sua ignis cuncta collustrat, calore frigus discutit, & ui sua pura ab impuris segregat, & quæ ignem ferunt perficit, & ad summum splẽdorem, quem quidem habere possint, adducit. Dico, Quæ ignem ferunt, ut sunt aurum & argentũ. quæ enim non ferũt, non perficiuntur, sed consumuntur: ut sunt stipulæ, fœnum, scoriæ, & impura metalla: quæ in sua elementa, ex quibus constant, dissoluta disparent. Hæc igitur tria, lux, calor, uis purgandi & segregandi, in iudiciario illo Dei igne quoq; insunt. Nam in Messiæ spiritu, quo diuinum iudicium peragitur, lucem cuncta etiam occultissima patefacientem cerni, piorum animi hoc igne illuminati testantur: & eiusdem lumen impiorum quoque pectora sentiunt, eorum conscientijs per hunc ignẽ ad ipsos condemnandos per legis igneæ ministerium patefactis. Vt autem calor in eodem hoc spiritu insit, similiter utrique sentiunt: pij, amoris calorem, quo calefacti Deum ardenter amant: impij, calorem ipsos urentem in medio
Luce 13. etiam frigore & gelu, quo per odium Dei & sanctorum glaciantur. Quò pertinet stridor dentium, cuius Dominus apud Euangelistam meminit. Demùm ut iudiciarius is ignis diuini spiritus purificandi & adducendi ad splen-
Actor. 15. dorem Dei uim teneat, declarat igneus fidei uigor, quo Petrus fide purificare corda dicit. Nam in illuminante fidei luce mundandi purgandiq; animorum uitia & labem uim inesse, comprobat regeneratio quæ fidei spiritu constat, qui accendit in ijs qui regenerantur, amoris diuini calorem, absumentem cuncta in uetere homine, quæ cum lege hac de amore lata pugnant: Deum ama supra omnia, & alterum ut teipsum. Vt autem ignis in quo uenit Messias, electos illuminat, purgat & perficit: ita cum impijs contraria ratione agit, ut qui contrario modo comparati sint ac compositi, in materia subiecta discrimine, non in igne reperto: ut idem usuuenit in cera & luto, & igne hoc aspectabili.

Et quasi turbo quadrigæ eius.) Sed quæ & quales sunt hæ quadrigæ & currus? Currus sunt, de quibus illud: Currus Dei decem millia, millia angelorum, & Dominus inter eos. Is Dominus Messias est, quem & eius sancti cœlestes legiones aduersus omnes aduersarias potestates stipant. Congruit autem similitudo à turbine concitato & impetuosiore uento ac spiritu sumpta, in seuerum Messiæ iudicium, quo impij hostes sunt subuertendi. Itaque ut sanctus Helias uisus est in curru igneo in cœlum auferri, in eo Dei splendore fruiturus: ita impij quadrigis igneis & turbine furoris diuini agitati, in stagnum ignis sulphure ardens præcipitantur, in eius caligine miserè perituri.

Et in gladio suo.) Gladius is latissimè patet. Nam eius nomine significantur bella, pestes, fames, terræmotus, & præcipuè spiritus Messiæ de quo suprà: Et spi-
21. ritu oris sui interficiet impium.

Ad omnem carnem.) Rebelles, & Euangelio non obtemperantes, hoc gladio iudicandos & puniendos.

Qui sanctificabantur, & mundos se putabant.) contra legem sæpè expositam. Generatim accipiuntur omnia sacra, præter normam & regulam legis diuinæ instituta & obseruata. Eadem paulo suprà sunt memorata.

Et murem.) Mure immundo & noxio animante in pastoris stulti regno qui uescantur, doctrinæ terrestres, impuræ & perniciosæ, documẽto sunt. Quos mures & glires impuros nemo numeret.

Ego autem opera eorum.) Qui meminisset iudicij, iam generatim eorum quæ iudicanda sint mentionem facit: ut sunt cogitationes, dicta & facta ex malis animi cogitationib. & cõsilijs profecta. Sed quando iudicium hoc fiet? Sequitur:

Venio

Venio ut congregem.) Ad uerbum: Veniet, ut congregem omnes gentes. Sententia est: Tum iudicabo cogitationes & facta omnium, cum uenerit tempus colligendi omnes gentes, ad auscultandum Euangelium, in priore resurrectione: & in ultimo aduentu, in secunda resurrectione, ad auscultandam sententiam iudicis in uiuos & mortuos dicendam ex eiusdē Euangelij mei sententia. Propheta de priore collectione hic loquitur apertè, & de altera prophetico more pro ueteris fœderis ratione tectius. Quantum enim attinet ad prædicationis Euangelij tempus, ut in hoc iudicium exerceatur, declarat illud apud Ioannem de iudiciario spiritu: Cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio, quo iudicio dicit principem mundi Satanam iudicatum, per spiritum uidelicet prædicati Euangelij. De altero iudicio, in quo ad tribunal Christi collectorum uiuorum & mortuorum facta & cogitationes iudicabuntur, extat clarus articulus fidei, de quo Apostolus his uerbis: Colligis tibi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est cuique iuxta facta sua. *Ioann.16.* *Rom.2.*

Et uidebunt gloriam meam.) pij gloriam patefactæ misericordiæ diuinæ de sua salute, impij gloriam reuelatæ iustitiæ iusti iudicis de suo merito interitu. Nam in Euangelio continetur utriusque, & clementiæ & iustitiæ diuinæ reuelatio. Ex huius porrò sententia Deus cuicq; pro fide & perfidia, & utriusq; factis, reddet.

Et ponam in eis signum.) Referendum hoc fuerit ad primum patefactionis Euangelij tempus, in quo initia iudicij cœperunt fieri per ministerium prædicationis Euangelij ab Apostolis annunciati. Itaq; signum quod legitur hic positum in Apostolis, prædicationis Euangelij signum est: signum quidem salutare credentibus, & exitiale non credentibus. Signum ac uexillum accipitur, de quo suprà Propheta meminit: In die illa radix Isai stabit in signum populorum. *11.*

Qui saluati fuerint.) ex seruatis reliquijs Israelitarum, per Apostolorum ministerium.

Ad gentes in mare.) A' Tharse Iapheti filio Cilices orti sunt, quorum metropolis Tharsus nomen conditoris retinuit: apostoli Pauli patria, & literarum ludo olim clara, ut disciplinarum gloria quondam cum Athenis & Alexandria contenderit. Ab hac urbe, quoniam maritima est, mare Cilicum, & insulæ in eo (ut uidetur) Tharsis appellantur. *Genes.10.* *Strabo libr.14.*

Et non uiderunt gloriam meam.) gloriam Euangelij mei cœlestis, in quo splendor æternæ uitæ & iustitiæ fulget.

Et Lydiam.) Lud in Genesi inter Semi liberos numeratur, à quo Lydia, Cræso rege nobilitata, nomen longè uetustissimum habet.

Italiam.) Thubal in eadem Genesi recensetur inter liberos Iapheti. Alij Hispanos, alij Italos esse uolunt. Nos ex Ezechiele cognoscimus, aquilonares populos esse ex Thubale natos. sic enim ait: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch & Thubal. *Ezech.38.*

Et Græciam.) A' Iauan filio Iapheti, nepote Noæ, Græci & Itali, ingeniorum, literarum & artium, belli & pacis laude celebres, progeniti sunt.

Et adducent omnes fratres uestros.) Apparet hæc ad reconciliationis Israelitarum tempora referenda esse, in quibus Apostoli & Euangelij ministri ex gentibus delecti, per Euangelij prædicationem patefacientem Messiam Israelitas adducturi sint ad sanctum montem Sion: hoc est, ad sanctorum Ecclesiam, in qua uno spiritu per Messiam colant patrem cœlestem, impleto typo Cyri gentilis regis, de quo suprà meminimus. Et quoniam Euangelij doctrina ab Apostolis Hebræis hominibus annunciata, non alia, his nouissimis temporibus Ecclesiam gentium & Israelitarum instaurabit: uerè dicitur, Apostolos missos olim in orbem terrarum, etiam his seculis postremis suo munere fungi. Nam Ecclesia super nullum aliud fundamentum ædificatur, quàm Apostolorum & Prophetarum. *Ephes.2.*

phetarum. Non enim aliqua nouorum Prophetarum doctrina, qua reparetur Ecclesia, expectatur: ut nec nouus aliquis tertius Dauid, instauraturus omnia: sed una Mosæa, Prophetica & Apostolica doctrina satis erit ad templi & Hierosolymæ cœlestis extructionem, quæ super unum fundamentum IESVM
1. Corinth. 3. Christum, secundum Dauidem, Dauidem illum uerum, de cœlo cœlestem, ædificabitur.

Donum Domini.) Per Euangelij lucem illuminati dicuntur Domino Minha, uinum uidelicet sacrificum, à ministris Euangelij offerri, dum ab eis parantur per cœlestis doctrinę prædicationē, ut reddantur gratum sacrificium Deo in Messia Minha cœlesti sacrificio, quo uno delectatur Deus pater, de quo uideris in
Leuitic. 2. Leuitico.

In equis & quadrigis.) Figuratè de ministerio suauis Euangelij accipitur. Indicatur, non ui ad fidem adducendos, sed amanter suauiterq; ducendos.

Et in carrucis.) Interpretantur nonnulli de equis gradarijs molliter incedentibus, quibus sint uehendi: non succussatoribus. Qua locutione indicatur, qualis doctrina sit Euangelium, & quale eius ministerium, & ut comparati eius ministri esse debeant. Si carrucæ placent, Latina uox uestigia Hebræa retinere uidetur.

Quomodo si inferant filij Israel.) Vt olim Israelitæ, cum Mosæa lex uigeret, in puris uasis sua munera Domino obtulerunt: ita nouissimis temporibus electos oblatum iri Deo pro muneribus, puro sacri Euangelij ministerio.

Et assumam ex eis in sacerdotes.) regalis sacerdotij spiritu Messiæ ungendos. Alluditur ad sacerdotium Aaronis, ex Leuitica familia delectum. Sed subducta huius umbra, occurrit sacerdotium non carnali & terreno oleo, sed cœlesti & spi-
1. Petri 2. rituali unctum, de quo Petrus: Vos estis gens sancta, regale sacerdotium. Vnctio igitur accipitur sacerdotalis, de qua Ioannes: Vnctio docebit uos omnia: quæ sacri spiritus unctio est. Cur autem diuinus Messiæ spiritus oleum appelletur, ea de re aliàs mentio facta est.

Quia sicut cœli noui.) A firmitate commendatur bonus Ecclesiæ status: hunc tam firmum fore, quàm noui cœli & terrę status firmus erit. Pōderamus autem Ecclesiæ stabilitatem primò ab æterna & immutabili electione Dei: deinde à capite Christo, qui Ecclesiæ, ut corpori suo & eius membris, nulla ui conuellendus inseratur, per sacrum cœlestis sapientiæ, iusticiæ, uitæ & gloriæ spiritū. Demum Ecclesiæ firmus & stabilis in omnem æternitatem status comprobatur ab eo, quòd in Messia filio unum indissolubile fit cum Deo patre per regenerationem, per quam ipsa cum suis membris nascitur ex semine non mortali, sed immortali, per sermonem Dei uiuentis. Vt igitur hoc semen quod est IESVS Christus, uiuentis Dei uiuus & æternus sermo, humorem spiritualem ad genituram firmam continet: ita soboles ex hoc semine nata firma est, & ab interitu prorsus libera, quæ summa electorum consolatio est. Nam sentiunt regenerationis beneficio Christum in se uiuere, per spiritū eius qui non sit elementorum mundi huius spiritus, sed Dei patris spiritus, ad participatum uitæ æternæ, quæ Deus ipse est, in Messia, regenerans. Non comparat ueteri cœlo & terræ Ecclesiam sponsam, quorum habitus sit transiturus: sed nouo cœlo & terrę, quorum habitus sit firmus & integer permansurus, ut per ignem ad summam quam habere possit perfectionem purgatus. De quo igne purgaturo hanc uniuersitatem, suprà ex Petro fecimus mentionem. Quanto autem præstantior est ignis, spiritus igneus Messiæ purgans & perficiens electos, quàm ignis purgaturus cœlum & terram: tanto præstantior & excellentior est & erit firmus illorum status, ad quem per spiritum de empyreo diuinitatis cœlo missum, purgati adducentur, quàm is est quem nouum cœlum & terra habebunt.

Et nomen uestrum.) nomen filiorum & hæredū Dei, ex regeneratione inditum:

non

non nomen filiorum primi hominis, terreni & ueteris hominis, quod perit & aboleſcit unà cum carne & carnali natura, in terrę puluerem redactum.

Et erit menſis ex menſe.) In nouilunij die, ex Moſeæ legis præſcripto feriæ ad colendum Deum celebrabantur. Secus rem habere in noui fœderis adminiſtratione. In hac non uno aliquo die menſis, neq; uno aliquo menſe certo, ſed ſingulis diebus & menſibus, hoc eſt perpetuò & indeſinenter, Deum electos colere: eius cultu neq; ad locum, neq; ad tempus, neq; ad perſonam gentis, neque ad ſexũ adſtricto, ut fuit in Moſæa ueteris fœderis adminiſtratione adſtrictus. Atq; hoc ipſum eſt quod hic legitur: De menſe in menſem, de ſabbatho in ſabbathum ueniet omnis caro coram me adoratum. Adoratum uidelicet ſpiritu & ueritate: hoc eſt liberè, ſine reſpectu & obſeruatione loci, temporis & elementorum mundi. Nam is ſpiritus, quoniam fidei & amoris ſpiritus eſt, ut eſt perpetuus, & ad nullas res externas affixus, ita uerus in uero ſabbatho Dei cultus perpetuus eſt. O felices, qui in hoc ſabbatho quietè pacateq; per abnegationem ſui, Deum colunt per fidem, in omnibus ſuis cogitationibus, conſilijs, dictis & factis à Deo pendentes, rebus proſperis moderatè memori & grato animo utentes, aduerſas patienter ferentes: & ad eas declinandas, ad nulla externa præſidia, ſed ad unam Dei opem, quam ferat in filio Meſsia, confugientes: à ſuis item operibus, quæ ueteris hominis opera ſunt, uacantes: & Dei, quę noui & cœleſtis hominis opera ſunt, exequentes, & in omnib. probantes quæ ſit Dei patris bona uoluntas, quam ſequantur, ſua relicta. Hoc ſtudere, moliri, facere, eſt perenne ſabbathum Deo conſecrare, in cuius unius cultu uera ſanctorum quies & tranquillitas defenditur, & extra id omnia impacata & perturbata ſunt. Quare in cultu huius ſacri ſabbathi omnia quæ in uetere natura etiã præſtantiſsima habentur, ut ſunt uires ueteris rationis & mentis & uoluntatis, cadunt, & nouæ intelligentiæ & uoluntatis uires locum inueniunt.

Omnis caro.) electi & ſcripti in libro uitæ ex gentibus & Iſraelitis. Huc pertinet illud Apoſtoli: Donec plenitudo gentium aduenerit, & ſic totus Iſrael ſaluus erit. *Rom.11.*

Vt adoret coram facie mea.) Non coram beſtia, neq; coram imagine eius, ut temporibus prophanationis adorata fuit.

Et egredientur & uidebunt.) aduerſario iudicato per ignem iudicij, iam ſæpè iudicati. Locutio hæc, Egredientur & uidebunt, ſumitur à conſuetudine, qua parta de hoſtibus uictoria, uictores ex caſtris egredi ſolẽt, ad contemplandum proſtratum & cæſum hoſtium exercitum. Vt olim cæſo Aſſyriorum exercitu ante Hieroſolymam, ciues Hieroſolymitani egreſsi ſunt, ut cernerent miſerabilem hoſtium factam ſtragem ab angelo: ita interitum hoſtium Meſsiæ & eius ſponſæ Eccleſiæ uiſuros, ſcriptos in libro uitę.

Vermis eorum non morietur.) Figurata locutio à uermibus in cadaueribus natis mutuatur: qua ſignificantur uermes in mortuis conſcientijs, hoc eſt, uita Chriſto carentibus nati: quas per condemnantem legem non ſecus arrodent, atq; uermis carnem cadauerum, in quibus naſcuntur, arrodunt & conſumunt. Sed diſsimilitudo in eo cernitur, quòd uermes in cadaueribus geniti moriuntur, & ignis quo cadauera exuruntur extinguitur. Secus uermis conſcientias mordẽs per iudicium noxæ, & ignis eas urens habet, ut hic ſcriptum eſt: Quoniam uermis eorum non morietur, & ignis eorũ non extinguetur. ignis uidelicet urentis iudicij, per conſcientiæ accuſantis & condemnantis teſtimonium: qui uerus inferni & orci ignis eſt, quo nullum grauius & intolerabilius ſupplicium inuenitur. De quo horribili igne teſtimonium ferunt, qui eum experiuntur, aut aliquando experti ſunt. Hęc Prophetæ noſtri uerba citat Dominus noſter apud Euangeliſtam Marcum: Satius eſt tibi in uitam ingredi mancum, quàm duas manus habentem abire in gehennam, in ignem inextinguibi- *Marci 9.*

lem, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. In hac igitur contentione, qua piorum ſtatus cum impiorum miſera conditione per contrariorum collationem confertur, duo hominum genera nobis ad conſiderandum proponuntur. Alterum eorum eſt, qui ad uitam deſtinantur alterum, qui ad mortem & exitium. & quorum neutri ſuum finem conſequuntur, niſi per media ad finem præuiſa. Vaſa porrò gratiæ ſalutem conſequi per fidem in filium Meſsiam, mortificantem per pœnitentiam ueterem hominem, & nouum generantem, qui per beneficia & tolerantiam crucis ad poſsidendam regni cœleſtis hæreditatem tendant. Vaſa autem iræ ad exitium & mortem ſemel ab æterno à Deo præuiſam, laxis frenis properare, per contemptum Meſsiæ, & malefacta quæ per infidelitatem edunt. Et ut duo genera uaſorum ſunt, alterum ſcriptorũ in libro uitæ, alterum deſignatorum in libro mortis: ita duo diuerſi ſtatus offeruntur nobis perpendendi, alter felix & beatus, alter infelix & miſer. De altero noſter Propheta mentionem fecit, qui his uerbis hic ab eo deſcribitur: Ecce ego in eos quaſi pacis fluuium extendam: Videbitis, & gaudebit cor ueſtrum, & oſſa ueſtra ſicut herba uireſcent. De alteris uerò uaſis: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Gaudeant ergo & hilari animo ſint, qui fide Meſsiam amplectuntur, & eum ſuum ſeruatorem agnoſcunt, eiuſq; ſpiritu duce omnia exequi cupiunt, quæ patri cœleſti probantur. Nam tales certò perſuaſum habeant, ſua nomina in cœlo ſignata eſſe, quæ nulla aduerſaria uis ex illo deleat. Habent enim credentes in Chriſtum, arrabonem Spiritum ſanctum, quo animi eorum obſignati, gloria cœleſtis hæreditatis nunquam ſpoliabuntur: qui nimirum ueritatis ſpiritus ſit, cuius teſtimonium neq; falli neq; fallere unquam poſsit: ut non fallitur neque fallit Deus pater, à quo is Spiritus per filium IESVM Chriſtum in piorum corda funditur. Cui ſit gloria & honor in æternum: Amen.

COMMENTARIORVM M. BORRHAI *in Ieſaiam Finis.*

APOCALYPSIS,
hoc est, Patefactionis Sancti Ioannis Theologi,

PER MARTINVM BORrhaum Explicatio.

In qua non parum multa reperies Lector, ab alijs uel prætermissa, uel aliter tractata: nostris uerò temporibus cognitu in primis necessaria.

APOCALYPSIS,
Hoc est, Patefactionis Sancti Ioannis Theologi,

PER MARTINVM BORRHAVM
Explicatio.

IN CAPVT PRIMVM.



REVELATIO IESV CHRISTI.) Qui arcana patris, in cuius sinu residet, cõsilia, de omnibus quę Ecclesiam scire referat, per spiritum suum patefacit. De quo Ioannes: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. per spiritum uidelicet, de quo illud: Cum uenerit spiritus ueritatis, ὁδηγήσει, hoc est, tanquam dux uobis ad omnem ueritatem præibit, quam uidelicet eo patefaciente cognoscatis. Ioan.1. Ioan.16.

Quam dedit illi Deus.) filio IESV Christo confitente, se quæ habet, à patre habere: & ab eo, quæ loquitur & docet, audire. Sic enim apud Ioannem loquitur: Ego quæ audiui ab eo, hæc loquor. Ioan.8.

Vt ostenderet.) pro summi sacerdotis munere & officio, quod in docendo, precando, benedicendo, & arbitrum inter electos & Deum patrem agendo, & in largiendis etiam ijs pro quibus arbitrum agit, uersatur.

Seruis suis.) Deus pater se colentes spiritu & ueritate, seruos suos uocat: ea uoce non degenerem & seruilem conditionem notante, sed ingenuam & liberalem, qua utuntur filij cœlestis regni. De quo libero statu assertor ueræ libertatis sic loquitur: Verè liberi estis, si uos liberos filius fecerit. Hi ergo serui Dei appellantur, quòd soli Deo in filio Messia seruiunt, eum fide & amore colentes, & omnia obedientiæ officia exercentes. Nam apud Hebræos עבר seruire & colere est, & עבודה seruitus & cultus diuinus. Idem 8.

Quæ oporteat citò fieri.) In nouissimis temporibus in regno Antichristi, & in patefactione eius per sacram Euangelij lucem mundo restituendam, & quæ in instauranda Ecclesia oporteat fieri. Quæ quidem longum tempus habere nobis uidentur, breue autem Deo, apud quem mille anni perinde sunt atque momentum & dies unus. Etenim Deus extra & supra tempus est: cui omnia æquè præsentia sunt, præterita, præsentia & futura. Vtitur diuinus spiritus hic uerbo Oportet: quo indicat, omnia quæ in hac rerum uniuersitate eueniunt, siue bona siue mala, ineuitabili Dei proposito euenire, nihil temerè, fortuitò & casu, nec minus tamen libera illius uoluntate. Quod ut accipiendum sit, aliàs indicatum est. 2.Petri 3.

Seruo suo Ioanni.) In patefaciendis igitur arcanis Dei is ordo seruatur. Primum locum Pater, alterum Filius CHRISTVS, tertium Spiritus sanctus: quartum angeli iussorum Dei & rerum reuelandarum ministri spiritus: quintum Prophetæ: sextum Ecclesia, cui Prophetæ, qui ei diuinam uoluntatem exponant, destinantur, habet. De Patre hic legimus: Quam dedit ei pater. De filio: Reuelatio IESV Christi. De spiritu filij, interprete arcanorum Dei, in sacra Scriptura crebra mentio fit, de quo Petrus his uerbis: Non enim uoluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti Dei homines. Quantum attinet ad angelos, legimus hic; Misso angelo. Propheta autem 2.Petri 1.

tem, ad quem missus angelus dicitur, Ioannes est. Ecclesiæ propter quas Ioannes prophetica luce illuminatus fuit, mox nominabuntur. Quæ magna Dei beneuolentia est, qua is Prophetas seruos suos & Ecclesiam prosequitur: hanc & prophetas ea dignitate ab ipso Deo pro clementia eius ornari, ut in consortium cognitionis abditorum suorum consiliorum, doctore & interprete Spiri-
Amos 3. tu sancto, admittantur. De qua dignitate Amos sic loquitur: Non faciet enim Dominus Iehoua quicquam, quod non seruis suis prophetis patefaciat. Sed propter quos sua arcana patefacit? Propter Ecclesiam patefacit, ad quam seruandam missus est filius in mundum à patre, missi apostoli, missi prophetę, mis-
1. Corinth. 12. si doctores. Sic enim Apostolus hac de re disserit: Alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores. Item ad Ephesios: Et idem dedit alios quidem apostolos, alios prophetas, alios autem euangelistas, alios pastores ac doctores, ad instaurationem sanctorum in opus administrationis in ædificationem corporis Christi. Habet & aduersarius suos legatos & prophetas, sed mendaces: suos doctores, sed qui afflati spiritu draconis, & os eius habentes, ea doceant quibus dehonestetur nomen Dei, & Ecclesia non construatur, sed destruatur.

Qui testificatus est sermonẽ Dei.) eius sacrũ Euãgeliũ p̃dicauit: q̃d est, testificari de
Actor. 1. Deo patre, & filio IESV Christo, cui⁹ Apostoli in Actis uocant̃ testes. & sacra
Psal. 18. doctrina in Psal. testimoniũ: & sic Ioan. etiã dicit̃ hic testatus de IESV Christo.

Beatus qui legit.) Acclamatione prophetiæ huius usum explicat. In hac quoniam utriusq; Christi & Antichristi, regnum describitur, uerè beatus iudicabitur qui relicto Antichristo, Christum IESVM amplexus fuerit: quòd in altero iusticia & uita, in altero contraria cernuntur. Vt salutares autem conciones de Christo & eius regno à Ioanne habeantur, ad Satanæ & filij eius perditi regnum detegendum, liber is uerè Euangelicus ostendit. Accedit ad utilitatem eius, quam pio lectori afferat, quòd in eo cõtinetur mysterij Prophetarum explicatio: quod quibus in rebus uersetur, inter interpretandum admonebimus.

Tempus enim propè est.) in quo, quæ longè retro secutis à Mose & Prophetis de Messiæ regno prędicta sunt, confectis regni Antichristi temporib. impleant̃.

Ioannes septem Ecclesijs.) Expositio prophetiæ titulo, exordit̃r à salutatione. Nomine septem Ecclesiarum Asiaticarum, Ecclesias in orbe terrarum sparsas, & his nouissimis temporibus Euangelij luce illustrandas alloquitur, eis salutem precans, quæ in gratia & pace continetur. In gratia notatur fauor reconciliationis, qua Deus Ecclesiam sibi reconciliauit. In pace, animorum tranquillitas, quam reconciliati cum Deo, aduersus peccatum, mortem & diram inferni
Rom. 5. potestatẽ habent. De qua Apostolus: Iustificati per fidem, pacẽ habemus erga Deum. Ioannes Apostolico more Ecclesiæ gratiã & pacẽ precatur, qui præsciret p̃cipuè his postremis tẽporib. patefactionis regni Antichristi, fauore diuino & pace illi opus fore, contra draconis & aduersariorũ regni Christi furores.

Ab eo qui est.) omnia sapienter moderans & gubernans.

Et qui erat.) cum omnia ipso creante fierent, priusquam quicquam essent.

Et qui uenturus est.) omnia in postera tempora, usq; in finem quæ fient, creaturus & creata gubernaturus. Breuibus uerbis Deum principium, medium & finem omnium esse mõstrat: ideo per hunc solum salutem Ecclesiæ confici. Quę Ioannes hic dicit, Sibylla quoq; diuino carmine his uerbis effatur:

Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἀγήτορα κόσμου,
ὃς μόνος εἰς αἰῶνας, καὶ οὐχ αἰῶνος ἐτίχθη,
αὐτογενὴς, ἀγένητος, ἅπαντα κρατῶν σθένει παντός.

Et à septem spiritibus.) Indicat Ioannes, qua ui Ecclesiæ salus paretur. hanc esse sacrum Spiritum. Memorantur aũt septem spiritus, propter unius spiritus septem, quas in renouanda Ecclesia explicat, uires. De quibus Iesaias meminit, ex quo Ioannes hæc de septem spiritibus affert.

Qui sunt

Qui sunt coram throno eius.) Spiritus enim Messię iudiciarius spiritus est, per quē Deus mundum iudicat, ut est apud Ioannem: Cum uenerit ille, arguet mūdum de peccato. Et ut is mundum de peccato arguit & condemnat: ita electos filios Dei in mundo uersantes, sed qui ex mundo non sint, peccati & mortis tyrannide à throno diuinæ iusticiæ & clemētiæ missus liberat. Hoc spiritu unctus IESVS filius Dei, iudicem agit: per eum electos seruat, & impios perimit, ut est apud Iesaiam: Spiritu oris sui impium interficit. Quare sequitur: Ioan. 16. ii.

Et *à* IESV *Christo.*) In quo septem spiritus plenè & citra modum residēt, qui in membris Christi ad modum donationis eius uersantur. Quorum hæc nomina sunt: Timor, sapientia, intelligentia, consilium, fortitudo, scientia & quies.

Qui est testis fidelis.) Dei patris. de quo teste Iesaias his uerbis uaticinatus est: Ecce testem populis dedi eum, ducem & præceptorem gentibus. Paulo suprà Ioannes testari dicitur, quæ uiderit: hic princeps & summus testis memoratur, à quo, & per quem Prophetę & Apostoli testificandi potestatem, tanquam ministri & legati eius, accipiunt. 55.

Primogenitus mortuorum.) qui primus ex mortuis ad uitā excitatus est, ut sui corporis, quod est Ecclesia, membris uiam ad uitam æternam præmuniret. Hinc Christus ut hic primogenitus ex mortuis uocatur, ita ab Apostolo primitiæ eorum qui obdormierunt appellatur: primitiæ uidelicet resurrectionis. Sic enim ait: Nunc autem Christus resurrexit ex mortuis, primitiæ eorum qui dormierunt. Postquam enim per hominem mors est, etiam per hominem resurrectio mortuorum est. Sed per quem hominem? per secundum hominem, de cœlo cœlestem hominem factum in spiritum uiuificantem, ex quo iusticia & uita, & ea æterna in electos dimanaret: ut ex primo homine creato in uitam animalem, peccatum & mors in posteros eius dimanarunt. 1. Corin. 15.

Et *princeps regum terræ.*) Vt cui pater omnem potestatem in cœlo & in terra dederit. Huic ergo omnis principatus, ut huius uniuersitatis monarchę subiectus est, qui in femore suo scriptum habet: Rex regum, & Dominus dominantium. Primò autem princeps regum est, quòd per eum ut æternam sapientiam Dei, reges regnant. Sic enim is apud Salomonem de se loquitur: Per me reges regnant, & principes iusta decernunt. Deinde, quòd reges & principes orbis terrarum aduersus Christum nihil obtinere possunt, quorum consilia & conatus in eius potenti manu posita sint, quæ pro nutu suo impediat uel promoueat. Sic enim scriptum de eo est: Dominus dissipat consilia principum. Postremò, principis regum titulum iure sibi uendicat Christus Dominus noster, qui lapis ille sit sine manibus ex monte excisus, regna mundi contriturus: de quo uide is apud Danielem. Prouer. 8. Psal. 32. Daniel. 2.

Et *qui dilexit nos.*) prior nimirum, cum adhuc inimici essemus. Sed quam significationem sui amoris, quo electos suos ab omni æternitate complexus est, exhibet? Sequitur:

Et *lauit.*) ipse purus & mundus, & omni uitio à conceptu è Spiritu sancto, & à partu è uirgine carens.

Nos.) immundos à conceptu & partu.

Per sanguinem suum.) Mortuus ipse propter peccata nostra, quæ fuso innocenti sanguine expiret: & excitatus è mortuis ad uitam, propter iustificationem nostri, quam de cœlo misso sacro sanguinis sui spiritu conficeret. Qui spiritus, ablutionis diuinæ & cœlestis cœlestes aquas continet. de quibus Ezechiel: Et effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatib. uestris. Sed qualis est hæc purgans & mundans aqua? Sequitur inibi: Et spiritum nouum ponam in medio uestri. Sanctus enim Messiæ spiritus purgans illa uis est, qua tota regeneratio ad ueram iusticiam & uitam perficitur. Quę regenerandi uiua & efficax uis cur aquæ & spiritus nomen teneat, notum est ijs, Ezech. 36.

Geneſ.1. qui cognationem illam naturalem quæ inter aquas & ſpiritum intercedit, perpenſam tenent. Abluimur ergo à peccatis primò, cum ea nobis clementia Dei, merito fuſi ſanguinis Chriſti remitti ſentimus. Deinde, cum donato nobis Spiritu ſancto, interior noſter homo in dies renouatur, conformando ſe legi huic, Dominum Deum tuum ſupra omnia toto corde ama: & exterior mortificatur cum ſuis cupiditatibus, graſſantibus aduerſus diuini amoris ſpiritum in mẽte, quæ interior homo eſt, uerſantem.

Et fecit.) ipſe ſummus rex & ſacerdos.

Nos.) ſanguinis ſui ſpiritu mundatos.

Pſal.51. *Reges.*) regio & principali ſpiritu unctos, de quo Dauid: Spiritu principali cõfirma me. Spiritu inquam regium oleum cõtinente, quo Chriſtus in regem eſt unctus: unde nomen apud Hebræos משיח, & apud Græcos χριστὸς habet. De 45. quo oleo regiæ Maieſtatis in Pſal. Vnxit eum præ cõſortibus. Et apud Ieſaiam: 61. Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me. Huius Regis regali oleo, ex ipſo ut capite manante, uncti filij Dei, reges quoq; creantur, imperium in peccatum, in mortem, in ipſius inferni æreas portas habentes, & per idem diuinitatis oleum omnes quantumuis grauiſsimas tentationes uincentes.

Et ſacerdotes.) unctos ſpiritu Meſsiæ, per quem liceat intelligere cœleſtis regni arcana, & ea docere, precariq;, & hoſtias uiuas offerre Deo. Nam hæc munera ſacerdotalia munera ſunt, quæ in oleo ſpiritus ſancti, quo electi unguntur ſacerdotes, continentur. Oleum aſpectabile uim fouẽdi lucem & ſanandi habet. Tale oleum ſacerdotale ſacri ſpiritus oleum eſt, in quo lumen cernendi res diuinas fouetur, & ius ſanandi conſcientias ineſt. De luce cernendi res cœleſtes & 1.Ioan.2. diuinas, legimus illud: Sed ſicut unctio ipſa docet uos de omnibus. ſacerdotalis uidelicet ſacri ſpiritus Meſsiæ unctio, in electis manẽs. De qua idem Ioannes: Ibid. 2. Et unctio quam uos accepiſtis ab eo, in uobis manet. quam inquam de copia Ioan.1. & abundantia ſpiritus Meſsiæ accepiſtis, de qua illud: De plenitudine eius o- Pſal.133. mnes accepimus. Qui eſt ille cœleſtis ſacerdos Aaron, ex quo oleum hoc ſacri ſpiritus in barbam & oram ueſtimentorum eius defluit: hoc eſt, in Eccleſiam, quæ Chriſto tanquam ueſte amicitur ac ueſtitur. De quo Aarone & oleo uide- 30 ris in Pſalmis. Quæ autem uis ſanandi conſcientias in hoc oleo inſit, apud Ie- 61. ſaiam Dominus ipſe docet.

Deo & patri ſuo.) ad amplificandum Deum patrem in filio Meſsia, ſummo rege ac ſacerdote.

Ei gloria.) nemini alteri: non illi qui ſe ſupra id quod eſt numen Dei effert, dicens: In cœlum aſcendam, &c.

Et imperium.) in omnia cœleſtia, terreſtria & infera, quod à patre filius ſibi conMatth.ult. ceſſum fatẽ, ubi ait: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Cuius nomẽ ut elatũ ſit ſupra omne nomẽ, & in nomine IESV omne cœleſtiũ terreſtriũ Philip.2. & infernorũ genu ſe flectat, uideris apud Apoſtolũ in epiſtola quã à Philippenſes ſcripſit. Non eſt igitur mirum, per fidem hoc nomine ſubnixam, mundum, & omnia potentiſsima in mundo, ſubiecta regi Meſsiæ, uinci.

Ecce uenit in nubibus.) ſe iudicem declaraturus per regiũ, quo unctus eſt, ſpiritũ. Vt aũt ſe in hoc ſui & Antichriſti reuelationis per Euãgelium aduentu, & qualem in eo aduẽtu, quo cum maieſtate ueniet, iudicem præſtaturus ſit, ſuis locis monebitur: & ea de re aliàs in Moſe & Prophetis mentio facta eſt.

Ego Ioannes.) Narratio, qua Ioannes, quo loco & tempore eorum quæ in hoc libro continentur, patefactio facta ſit, explicat.

Qui & frater ſum ueſter.) In regeneratione è ſpiritu ſacro, patrem Domini noſtri IESV Chriſti uobiſcum agnoſcens noſtrum patrẽ eſſe, & nos eius filios, & inter nos fratres, Dei hæredes, & cohæredes Chriſti. Beneuolentiæ locum continet tam amica appellatio, quòd ſe fratrem fatetur eorũ eſſe, quibus patefactum ſibi à Deo hoc oraculum exponit.

Et pa-

Et particeps in afflictione.) in qua eorum qui inter se amant, amor non secus probatur, atq; aurum igni. Quibus afflictionibus sanctus Ioannes sub Diocletiano affectus sit, ex historijs clarum est.

Et regno.) cœlesti IESV Christi regno, cuius regio spiritu ornati, omnia quæ nobis eueniant mala uincimus, in eo & per eum, qui regno & principe mundi Satana & cunctis orbis terrarum tyrannis maior est & potentior.

Et patientia.) Coniungit cum afflictione, ex qua nascitur, patientiam: quę in nobis probationem fidei, spem non pudefacientem excitantis, parit.

In IESV Christo.) in quo, & per quem filij Dei omnia confirmata per patien-
80 tiam fide & spe superāt, certò persuasi, se, qui affliguntur cū Christo, cū eodē glo- *Rom.8.*
rificatū iri. Nō gloriat sanctus uir de opib. & potentia & sapientia huius mūdi, qua floreat: sed de afflictione, de patiētia, & regno Domini nostri IĒSV Christi crucifixi, quod regnū in cruce se declarat: cū aduersarij regnū in luxu, uoluptatib. & delicijs huius mūdi se ostētet, ueltuti infrà legimus: Et mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide precioso & margaritis.

Fui in insula.) Notatio loci.

In Dominico die.) Notatio tēporis. Is dies in primitiua Ecclesia propter memoriam resurrectionis Domini nostri IESV Christi, loco sabbathi ad sacras & diuinas res per ocium meditandas & celebrandas ordinatus fuit, in quo coactus
90 piorum cœtus cœlesti doctrinæ auscultandæ, & precibus publicè fundendis, curandisq; mysterijs seu sacramentis operam daret.

Scribe in libro.) Vt sermo animi, & sacri spiritus in sanctorum animis uersantis interpres est: ita literæ diuino beneficio inuentæ, & à Deo commendatæ, animorum & sermonis interpretes sunt, rerum memorabilium monumēta ad posteritatem transmittentes.

Et in medio septem candelabrorum.) in medio Ecclesię, non extra eam, per spiritum suum habitare Christum, ut caput eius: cuius Ecclesia, in quam fundat cœlestis uitæ habitum, corpus sit. Qui igitur Ecclesię membra non sunt, ut Christo carent, ita in exitio & morte sunt. Quid autem nomine septem candelabrorum
00 accipiatur, Ioannes mox exponet.

Similem filio hominis.) Non dicit similē angelo, sed filio hominis esse, qui in uiso *Ioan.1.*
apparuit. Non enim sermo Dei angelus factus est, sed caro, hoc est homo: de quo mysterio aliàs mētio est. Deinde, quoniam Christus hic ut iudex describitur, qui suam Ecclesiam sit liberaturus, ultione de hostibus expetita: is ipse specie homine nati, Ioanni representatus est, qui similiter cum humano genere tē- *Hebr.10.*
tatus, sed citra culpam, sciat æquum ferre iudicium, non in omnium hominum delicta pari seueritate animaduertens: aliter nimirum eos qui per infirmitatem & ignorantiam, aliter eos qui studio & scienter, odio ueritatis (quod in Spiritum sanctum delictum est) delinquant, puniens.

Vestitum ueste talari.) Describitur Christus à sacerdotio. ποδήρης enim uestis ad
40 talos & pedes usq; demissa, inter Aaronis uestes numerata fuit. Cuius uestis cā *Exod.28.*
dor, nobis eius summi sacerdotis innocentię puritatem ostēdit, de quo Iesaias: *53.*
Eo quòd crimen non fecerit, & in cuius ore dolus inuentus non sit.

Et præcinctum ad mammillas cingulo aureo.) Aureum cingulum, quo Christus ad pectus cinctus apparuit, regij sacerdotij dignitatē significat: cuius cor baltheo regiæ sapientiæ bene munitū, omnia in cœlo & in terra sapienter administret, & suam Ecclesiam regij sacerdotij spiritu aduersus aduersarias potestates fortiter cōstanterq; defendat. Quò, ut nonnulli sanctè interpretant, pertinere uidet, q; hic Christus ad māmas, nō ad renes ac lūbos cinctus apparuisse legit. Vbi indi-
50 cat, Christū regalis sacerdotij sapiētia, fortitudine & cōstantia nō opus habuis- *11.*
se, qua libidinē, qua caruit, coerceret. Apud Iesaiā legimus, Mesię lūbos & renos cinctos iusticia & fide. At ea uerba nō indicāt in illo libidinē fuisse, & pra-

Iesaiæ 11. uas cupiditates, quas oportuerit cingulo fidei & iustitiæ frenari ac cohiberi: sed potius his Christū caruisse, loco earū fide & iustitia in ipso regnante. Mētio hic cinguli fit, cuius q̄q; Moses in descriptione uestitus sacerdotalis meminit.

Caput autem eius.) Capitis meminit, in quo mēs, corpus ipsum & eius mēbra regens, tanq̄; in arce sedē suam habet. Quid crines significēt, id ex Nazaræorū crinib. quibus uirile robur & fortitudo tribuit, clarū est. Candor aūt & albor capillorū, quā significationē in Messia habeat, eius innocētia declarat. Quāta uerò prudētia & sapientia Christus suum corpus Ecclesiā regat, hęc ipsa in tot & tātis huius mūdi, maris sanè procellosi, fluctib. quibus iactat, experitur. Itaq; non una caussa est, cur Christo pater omnē iudicādi potestatē cōmiserit. quarū Prima cernit in eo, q̄ unigena Dei filius ut hęreditatis iure Dominus omnium sit, par potētia & sapientia Patri, qui cū uocet ipsa sapientia Patris, meritò iudicis uniuersitatis munere fungit, iudicādi facultatē sapientia sibi uēdicante, quæ de

Prouerb. 8. se apud Salomonē sic prędicat: Meum est consiliū & æquitas, mea est prudētia & fortitudo, per me reges regnāt. Altera causa in eo cernitur, q̄ Christus Deus & homo cum sit, ea parte qua Deus est, errare in iudicādo nō possit. quatenus uerò homo, humani generis infirmitati, ipse infirmitatē expertus, cōpati sciat. quò is ipse spectauit, cū diceret: Potestatē pater dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Tertia caussa est, cur pater Messiæ iudicādi potestatē commiserit, quòd is caput Ecclesię esset cōstitutus, in quo iudicādi facultas collocata est. In capite enim, corpus & huius membra iudicandi & regendi uis sita est, quòd mētis & sapientię sedes habeat. Demū iudex omniū constituit redēptoris iure. qui humanū genus redemerit. Redemptores enim & uictores, uictorię in hostes, & redemptionis suorū iure, iudicādi potestatē meritò sibi uēdicant.

Et oculi eius ut ignis flāma.) Oculi nō obscuri & caligātes, sed lucidi, Christo summo regi & sacerdoti tribuuntur, ut quē nihil fugiat & lateat. Huc spectans diui-

Zach. 3. nus spiritus apud Zachariam dicit, lapidē Messiam septem oculis omnia contemplantib. ornatū esse. Qui oculi quia igne flammei sunt, impurū non ferunt, sed id ceu ignis consumūt, omnē in Ecclesia impuritatē expurgātes, & impios ignea iudicij ui cōsumentes. Hinc thronus eius apud Danielē, in quo Messias iudex sedet, igneus esse dicitur. Metuāt igit sibi ab his igneis oculis, cūcta speculātibus & probantib. impij in terra homines, qui dicere audēt: Nō uidet nos. Videt enim uos, cuius oculi lucidi & clari ad uos tanq̄ stipulā consumendos igneā uim habeant. De qua oculorū iudicis Messiæ ui, aliàs fusius meminimus.

Pedes eius chalcolibano similes.) Affectus ardentes amore in suam sponsam Ecclesiam, in Christo indicātur: quibus Christus nō secus feratur, atq; corpus pedib.

Psal. 35. fertur. Pedibus aūt affectus notari in sacris literis, clarum est ex illo: Ne ueniat mihi pes superbiæ. Ecclesiæ pedes, ut purgentur, opus habent. De quibus Do-

Ioan. 3. minus ad Petrum: Qui lotus est, non habet opus nisi ut pedes lauet. Christi autem pedes, ut lauentur opus non habent, qui puri chalcolibani, tanquam in fornace igniti, similes sint. De chalcolibano uideris apud Scriptores rerum.

Et uox illius.) Euangelij cœlestis uox.

Tanquam uox aquarum multarum.) ad quam aquæ, hoc est gentes, sint confluxuræ.

Iesaiæ 2. De quo confluxu Iesaias: Et fluent ad eum omnes gentes. Vbi ut Propheta in uerbo נהרו, gentes instar fluminis ad Zionem Ecclesiam & Euangelij legem confluxuras dicit: ita Ioannes hic uocis aquarum meminit, ad indicandum, populos certatim ad Euāgelij uocem confluxuros. Intueamur, præter superiora Apostolorum secula, hæc etiam nostra.

Et habebat in dextera sua.) In dextra Messiæ, potentia omnia administrans significatur. Dextra enim manu opera conficiuntur. Quare rectè sapientes uiri, homi-

nem ad res prudenter gerendas conditum, præ cæteris animantibus manus habere tradunt. nam hæ pluribus artibus, quas ille exerceat, ut instrumentum deseruiunt:

seruiunt: uelut in texendi, suendi, fabricandi, pingendi, sculpendi, colendiq; agros artibus licet cernere. Et quoniam inter manus quæ multifidæ sunt, & flexus digitorum ad capiendum premendumq; commodissimos tenent, dextra principem locum tenet: huius in Messiæ descriptione fit mentio. Cur autem in animantibus dextræ partes potiores sint sinistris, ex Physicis pete rationem. Sed quid dextra sua Messias continet? Sequitur:

Stellas septem.) Has septem stellas, Ioannes septem angelos esse interpretatur: quorum septenario uniuersus doctorum Euangelij numerus comprehēditur: ut septem candelabris, uniuersa Ecclesia significatur. Dextra Christi, sacri Euangelij ministros complectitur, qui à luce cœlestis doctrinę quam afferunt, & ab innocentis uitæ lumine quo alijs prælucent, stellæ appellantur. De quibus sic loquitur Dominus, eas in dextra sua tenens: Vos estis lux mundi: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrē uestrum qui est in cœlis. Hos etiam stellis Daniel cōparat, his uerbis: Et qui ad iusticiam erudiunt multos, quasi stellæ. Has stellas igitur Christus dicitur complecti dextra, quas aduersus omnem contrarium potentatum, quæ earū maxima consolatio est, tueatur & defendat. In expendenda similitudine considerandum fuerit, ut in stellis lucis claritas & uis ignea caloris insit, utq; claritate & magnitudine inter se differant. Quò pertinent etiam, quæ Apostolus in epistola priore ad Corinthios, de hac à stellis mutuata similitudine disserit. *Daniel 12.* *1. Corin. 15.*

Et ex ore eius gladius anceps, acutus.) Hæc sumpta sunt ex Iesaia: Et posuit os meum quasi gladium acutum. Is gladius oris Messiæ, Euangelij sermo est, quo Ecclesiam suam defendit, & hostes conficit. De quo idem Propheta: Et spiritu oris sui impium interficiet qui spiritus per sacri Euangelij prædicationē in orbe terrarum exeritur. Et si huius cœlestis gladij uim consideres, quā erga electos declarat, occurrit illud eiusdē prophetę Iesaię: Dedit mihi linguā eruditā, ut sciam tēpestiuè loqui cū fesso. Ex his intelligimus, qualis rex sit noster Messias. Huius mūdi reges equis, quadrigis, gladijs, bōbardis aduersus hostes suos armantur: noster Rex, qui in femore suo scriptū gerit, REX REGVM, ET DOMINVS DOMINANTIVM, gladio armatur, quē in ore gestat: hoc est, cuius arma sunt sermo & doctrina. Sed quæ & qualis doctrina? Nū Mosea? nū philosophica? Absit: sed Euāgelij cœlestis doctrina, in quo cœlestis uitæ spiritus spiret, cuius administrationē Euāgelij prædicatio cōtinet. Atq; sola hęc ad instaurādos animos ad uerā quę Deo probetur probitatē & uitā, & ad tenebrarū regnū cū eius impijs cultorib. euertendū efficax erit: nulla alia doctrina. Tāta uis est gladij eloquētiæ nostri Regis Messiæ, quo is armatus peccatū cōfecit, iusticia reparata: mortē hostē occidit, uita restituta: inferni portas fregit, cœlo patefacto: principatū tenebrarū deleuit, ad lucis cœlorū regnū uia munita. Huic igitur gladio, quē Messias Rex in ore suo gestat, mors & uita, infernus & cœlū, omnesq; potestates superę & inferæ, omnisq; in mūdo principatus, & mūdus ipse subiecta sunt. Is anceps est & acutus. Anceps quidē, utraq; parte scindēs: altera piorū ueterē hominē iugulat, ut nouus uiuat: altera impios, quos penitus perimat, scindit. Acutus aūt, qui penetret ad ipsa usq; uiscera, separās spiritū à carne, tenebrarum regnū à regno lucis, consilia mundi à consilijs Dei. Quare gladius is suam longitudinem & latitudinem & profunditatem habet, tam lōgē lateq; patens, quam thronus Messiæ patet, Hunc gladium, ubicunq; pij uersantur, defensorem suum & uindicem aduersariæ potestatis sentiunt: quem gerat nimirum is, cui omnis potestas à patre in cœlo & in terra data est. *Iesa. 40.* *11.* *50.*

Et facies eius sicut sol.) Describitur Christus, ab aspectus splendore, quo splendeat non ut luna, aut aliquod aliud sidus: sed ut sol, splendidissimum in cœlo astrum, alijs lumen fœnerans. neque splendeat ut sol quamuis cœli partem tenens: sed eam, qua eius fulgor maximam lucis & caloris

uim

uim ostendit, qui meridianus cœli limes est. Cur autem splendor aspectus Christi solari splendori, & omnino soli, non lunæ Christus in sacris literis comparetur, ratio huius rei in alio loco explicata est. Et quãtum ad præsentem descriptionem, in qua nobis Christus mundi iudex describitur, attinet: huius aspectus solis instar maxima cum uirtute micantis fulgere dicitur, quòd Christus Ecclesiam suam amabili & suaui cognitionis Dei patris & sui luce illustret, & eam ad claritatem diuinam expurgando igneo splendore perducat: ipsos uerò Ecclesiæ hostes non secus consumat, atque ignis stipulam ac paleam consumit. Quapropter Christus sol aliter pijs, aliter impijs splendet. Hos enim splẽdore suo ceu lutum indurat, & induratos perdit: illos uerò mollit ut ceram, & emollitos seruat. Si quis uelit exempla huius diuerso modo splendentis solis Messiæ cognita habere, intueatur, præter superiora, hæc nostra patefactionis Christi & Antichristi secula.

Cecidi ad pedes eius penè mortuus.) ad tam splendidum & augustum uisum, in quo filius hominis IESVS Christus ad dexteram Maiestatis sui patris regnans apparuit. Similia accidisse Manoæ, Danieli, & alijs, legimus.

Noli timere.) Consolatur deiectum Ioannem. De locis cõsolatorijs ordine meminerimus. Meminit dextræ, qua prehensus sit à Messia. quæ dextra, roborãs illa & confirmans dextra est, de qua in Psalmo: Dextra tua suscepit me. Ostenditur hic, quanta sit infirmitas hominis à uetere natura, quæ conspectum Messiæ in throno amplitudinis suæ sedentis non ferat: ideo opus esse confirmatore spiritu dexteræ Christi, quo legati eius confirmati, patefactionem mysteriorum regni cœlestis ferant, & eam constanter in mundum denũcient, ad regnũ lucis propagandum, & ad tenebrarum imperium euertendum.

Psal. 63.

Ego.) secundum Patrem, nemo alius.

Primus.) per quem pater mundum hunc molitus sit. Non igitur est quòd tibi metuas. nam qui loquitur, non malo tuo, quem perdat, sed bono, quem seruet, tecum loquitur. Et non tuo solius nomine tecum uerba facit, sed omnium electorum nomine: qui ex hoc tibi reuelato oraculo discant, suam salutẽ non longè abfore, sed propè esse.

Et nouissimus.) per quem pater ut omnia condidit, ita omnia sit instauraturus, qui principium & finis omnium sim. Is igitur qui tecum loquitur, & conditoris & redemptoris ac amabile Seruatoris nomen habet: quod tu ames, non formides.

Et uiuus.) Non igitur hoc uiuo, ut mortifero, deijciare: sed erigare, ut uiuifico: qui apud patrem uiuo, ut meis uitam largiar, non eos occidam.

Et fui mortuus.) Vt per mortem mihi & meis electis ad cœlestem uitam uiam præmunirem, & ad eam excitatus uiuificum spiritum mitterem.

Et habeo claues inferni & mortis.) Præclarus consolandi locus est, qui omnem de rebus aduersis metum scriptis in libro uitæ eximit. Ab eis esse ac stare, qui mortis ad eam abolendam, & inferni ad eius portas frangendas, claues habeat: qui nimirum mirabili genere uictoriæ uictor mortis, ipse mortuus, & inferni uictor, ipse inferni tormenta passus, & suis etiam electis uictor euaserit: ut minimè cuiquam illorum neue à morte neue ab orco metuendum sit. Et ut Christus mortis & gehennæ claues tenet: ita etiam regni cœlorum claues, per quas illud suis ad participatum iusticiæ & uitæ æternæ aperiat, tenet. Sed quales sunt hæ claues? Claues sunt prædicationis cœlestis Euãgelij, quas commendat suis Apostolis ac legatis, de quibus apud Euangelistam: Et dabo tibi claues regni cœlorum. potestatem inquam prædicandi Euangelium, cui fidem habentibus cœlũ aperitur, ad inueniendos in eo thesauros uitæ. Sic enim idem Dominus noster, has claues habens, apud Marcum ait: Ite in mundum uniuersum, & prędicate omni creaturæ: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit, Cæterùm

Matth. 16.

Marci 16.

rùm hic ad claues Eliacimi, de quibus Iesaias meminit, alluditur. 22.

Et candelabra septem, quæ uidisti.) Explicat in uiso oblata candelabra, quæ & qualia sint. Hæc esse Ecclesias, quarum uniuersitas septenario, quieti sacrato numero, comprehenditur. Dicitur autem Ecclesia candelabrum, quòd in ea lux luceat, quæ de se prædicat: Ego sum lux mundi. Messias igitur *Ioan. 8.* est illa lux supracœlestis, posita super candelabrum Ecclesiam, in ea omnia collustrans. De qua his uerbis Dominus apud Euangelistam: Neque accendunt lucernam, & ponunt illam sub modio: sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui sunt in domo. Omnibus quæ hic de clauibus, stellis & candelabris à Ioanne afferuntur, ea quæ aduersarij in regno cernuntur contraria sunt. nam is candelabrum Ecclesiam non luce illuminat, sed totum tenebris obscurat, ablata ei luce Messia: quem odio, ut tenebrarum, non lucis filius prosequitur. Et quantum ad stellas attinet, huius legati non stellæ de cœlo lucentes sunt, sed tenebriones, abyssi caligine offusi, & eam alijs offundentes: per quam non cœli, quod aperiant, neque mortis & inferni, ex quo liberent uinctos: sed inferni, quem omnibus ad interitum, clauso cœlo, patefaciant, claues habent.

IN CAPVT SECVNDVM.

ANgelo *Ephesinæ ecclesiæ.*) Epistolæ à Ioanne ad septem ecclesiarum angelos, hoc est legatos ac pastores missæ, indicant, quem statum Ecclesia tum habuerit: & quem sequentibus temporibus, & præcipuè his nouissimis seculis sub restituti Euangelij patefactionem habitura sit, quæque in ea laudanda & uituperanda sint, ostendet. Nominantur autem ecclesiæ Asiæ, ut quæ Euangelij luce tum illustres essent.

Qui ambulat.) Christum non otiari, non sedere, nihilq; agere in medio septem candelabrorum: sed præsentem in Ecclesia, omnia uigilanter per angelos, hoc est Euangelij legatos & ministros, administrare.

In medio septem candelabrorum.) Ad Mosem candelabrum, & eius lucernas, atq; *Exod. 25.* ad sacerdotis curam alluditur. Sacerdotalis enim muneris erat, oleum curare, & septem lucernas purgare, eisq; oleum infundere. Submota umbra, quarum lucernarum & cuius effundendi olei, quo lumẽ foueatur, noster sacerdos Christus IESVS curam gerat, pijs obscurum non est: quorum pectora unctione omnia docente uncta sunt.

Scio opera tua.) eius oculis omnia in hac uniuersitate, bonos & malos, & eorum opera & facta contemplantibus. de quibus oculis paulo suprà: Et oculi eius ut ignis flamma.

Et laborem & patientiam tuam.) Quæ in Ecclesia commendanda sint, indicat. Primò, laborem & patientiam commendat: Laborem quidem, quem sustineat in pugna aduersus carnem mundum, & tentatorem Satanam principem mundi, aduersus tyannos persequutores: patientiam autem laudat, qua moderatè & patienter res aduersas, quibus in tanto prælio infestatur, tolerat. Si Ecclesiam primitiuam consideres, quæ hæc passa sit à tyrannis Romanis & falsis fratribus & pseudoprophetis, satis liquidum est: sequentia secula non commemoro. Si præsentia tempora consideres, quibus malis & cladibus Ecclesiam aduersarius Christi uexet, homines pij incipiunt hodie experiri: qui quòd tantos labores per patientiam ferunt, laudantur.

Inueneristi eos mendaces.) Vt fuerunt tempore Ioannis, Nazaræi, miscentes legem cum gratia, legiq; & factis eius iustificãdi uim tribuentes: ut erat item Hebion, de quo uideris apud Eusebium. Qualis item erat Cerinthus, & alij. In his autem

autem postremis temporibus, in quæ propheticus in sancto Ioanne oculus intuebatur, ut falsi uates, pseudoapostoli & doctores, quibus Antichristi stulti pastoris regnum refertum est, patefiant, & patefacti reprehendantur mendacij, satis clarum est.

Et tulisti.) toleratis patienter rebus aduersis, quæ tibi ab aduersarijs contigerunt. quod in Ecclesia laudatur: non quòd falsos Apostolos, ad eorum errores conniuens, & eos dissimulans, toleret. Hæc quidem commendantur in Ecclesia. Sed quæ habet Christus, de quibus cum Ecclesia expostulet? Sequitur:

Quòd charitatem primam reliquisti.) Sed quę est illa prima charitas, omissa ab Ecclesia? Est ille diuini amoris spiritus, qui ab initio in Ecclesia tẽpore Apostolorum flagrauit, & paulatim deinde remissior fieri cœpit, dum sequentibus seculis occupato à filio perdito templo Dei, eius ardor extinctus sit. His autem restituti Euangelij postremis temporibus, non tanto ardet amore Ecclesia, quanto olim arsit. Hæc glorians de restituto Euangelio, in hanc reprehensionem meritò incurrit: Sed habeo quod in te redarguam, charitate pristina cares. Quæ ut
Matth. 24. ardorem suum esset remissura, prædixerat antea Dominus ipse his uerbis: Et refrigescet charitas multorum. De hac refrigescente charitate, sępè in explicatione oraculorum, Iesaiæ meminimus.

Quare memor esto, unde excideris.) Vt cœperit Ecclesia sensim Apostolorũ etiam temporibus à pristino Euangelij uigore excidere, expostulatio iam exposita indicat. Sed uerissimè hæc queribunda admonitio his temporibus locum habet, qua Ecclesia admoneatur, ut meminerit unde exciderit: ut nimirum sacrũ cœlestis doctrinæ, regnante filio perdito, lumen amiserit: & hoc tempore incipiente iterum luce Euangelij fulgere, hanc non eo studio quo debeat amplectatur, sed amor in ea in Deum & proximum langueat & considat: cui medendo morbo una pœnitentia adhibenda sit, ut sequitur:

Age pœnitentiam.) Quæ si ullis temporibus necessaria fuit, his nouissimis patefactionis Christi & Antichristi seculis necessaria erit: omnibus pijs ut ea in Ecclesia locum inueniat, indesinenter precantibus, & eam abesse lamentantibus.

Fac opera priora.) amoris & charitatis opera, quæ fidei lumen per Euangelium accensum in comitatu suo habet.

Sin minus.) Adhortationi ad pœnitentiam adiungit minas. Hæc minabunda hortatio ut in nostra tempora congruat, res ipsa docet: in quibus mundus inclinans ad interitum, ultijs scatet. Nam in ore quidem multorum Euangelium sonat: in pectore, odio, inuidia, hypocrisi, ambitione, auaricia, & alijs uanis cupiditatibus flagrantibus, & in aperta scelera sæpè erumpentibus.

Veniam tibi citò.) breui uarijs calamitatib. terrarum orbem infestaturus, de quibus cladibus mox fiet mentio.

Mouebo candelabrum tuum.) Vt cœperit tempore Apostolorũ, ingruentibus falsis prophetis & apostolis, quos lupos Apostolus in Actis uocat, cãdelabrum
Actor. 20. Ecclesiæ moueri loco, non est obscurum: dum sequentibus temporibus omnia tenebris aduersarius occuparit. Et his nouissimis temporibus, ut hæc prophetia impleatur, mutati candelabri, hoc est aliquot Ecclesiarũ priuatarum Euangelij luce, quam antea habuerunt, exempla documento sunt. Quid alijs Ecclesijs, nisi per pœnitentiam, dignã Euãgelio uitam degentes, redeant ad Deum, sit euenturum, ex Ioannis hac seuera admonitione poterunt cognoscere.

Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum.) Reprehensioni subiungit laudẽ. Temporibus his restituti Euangelij commendanda Ecclesia est, quæ damnatis nostrorum Nicolaitarum in regno Antichristi stupris ac fœda libidine, ac turpi idololatria, liberum coniugium Euangelij ministris, Ecclesiæ pastoribus & doctoribus permittit, neq; fert ut amplius huius mundi Nicolaitæ locum apud se teneant, quod in hac laudandum esse, per Ioannem monet diuinus spiritus:

cuius

cuius prophetia ad nos præcipuè qui in fines & terminos nouissimorum temporum incidimus, pertinet.

Quæ & ego ipse odi.) cui pudicitia & honesta matrimonia & uera religio probentur: contraria, ut à me prohibita, reprobentur. Metuant ergo sibi funestis stupris, in fœdissimæ meretricis Babylonis regno infames Nicolaitę. Audiunt enim, Dominum palàm hic eorum libidinem detestantem dicere: Quæ ego quoq; odi. Hac uoce, in regno stulti pastoris tot nefandis stupris defœdatus cœlibatus, unà cum suis monasticis uotis illa confirmantibus, funditus corruit.

Qui habet aurem.) patefactam per sacrum Messiæ spiritum: quo qui carent, surdas aures ad percipiendum ea quæ Deo probentur, habent.

Vincenti.) in prælio aduersus carnem, mundum, & eius principem Satanam, & aduersus primogenitum illius filium Antichristum & eius pseudoprophetas inito. Vincenti inquam: sed qui non humanæ, sed diuinę sapientiæ & fortitudinis, quæ Apostolus in epistola ad Ephesios memorat, armis tectus uincat. *Ephes. 6.*

Dabo edere de arbore uitæ.) de Messia, arbore uitali, uitam æternam ea uescentibus per fidem donante. Ad uictricem pœnitentiam, sub signis agni militãtem hortatur, promisso uictoribus uictu, non terrenam, sed cœlestem uitam parien te. Est & arbor mortis & exitij: qua qui uescuntur, miserè pereunt. Hæc arbor in abysso & inferno consita est per draconem: & eius letali fructu uescuntur, qui bestiam in orco natam, & draconis pectus & os habentem adorant, de qua infrà suis locis mentio fiet.

In medio paradisi.) cœlestis regni paradiso, in quo sempiterna justicia, uita & gloria habitant. De hoc paradiso, eius cultor his uerbis ad latronem loquitur: Hodie mecum eris in paradiso. Hunc terrestris, quem Moses describit, paradisus præfigurauit.

Secunda epistola ad Smyrnæos scripta.

Et angelo Smyrnæorum Ecclesiæ.) Hæc altera est, quam Ioannes iussus est scribere, epistola: in qua Smyrnæorum ecclesiam uarijs afflictionibus uexatam consolatur, eam ad patientiam cohortãs, propositis præmijs quibus in cœlesti regno ornanda sit. Et hæc hortatio & consolatio ita ad Smyrnensem ecclesiam fit, uti generatim ad erigendam afflictam Ecclesiam omnibus temporibus pertineat. & quoniam eam in postremis patefactionis Antichristi temporibus, quibus regno Draconis ruina sua intẽtatur, maximis afflictionibus obnoxiam fore prænouit diuinus Spiritus: ideo hanc Ioannis admonitionem præcipuè ad nostrorum seculorum Ecclesiam consolandam spectare, iudicant omnes pij homines.

Hæc dicit primus & nouissimus.) Consolatur Ecclesiam, à qua stet Messias contra aduersarios, qui primus sit & æternus Dei sermo, per quẽ omnia condita sint: & qui nouissimus sit, mansurus nimirum in omnem æternitatem, hostibus suis extinctis. Spem igitur hac Messiæ descriptione, Ecclesiæ afflictæ excitat, & hostilem principatum terret. Quot quæso his temporibus, Euangelij & eius cultorum hostes miserè perierunt, per hunc primum & nouissimum uindicem suorum electorum: quorum alij per desperationem, alij subita & inexpectata morte perierunt. Et ut quæso consilia potentissimorum hominum, quę aduersus Ecclesiam ineunt, cum maxima eorum ignominia & perturbatione cassa & irrita fiunt: ut reipsa & euentu comperiamus uerum esse, quod Dauid de Messia primo & nouissimo uaticinatus est: Astiterunt reges terrę, & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Sed quid facit interim is primus & nouissimus? Sequitur inibi: Qui habitat in cœlis, irridet eos, & Dominus subsannat eos. Quid enim ad hunc aliud sunt, quàm bulla, ci- *Psal. 2.*

nis & puluis? Talis bulla & puluis fuerunt Nero, Diocletianus, Domitianus, Iulianus: noſtri tẽporis Euangelij perſecutores nõ nomino, ut ſatis notos. Quot quæſo horum breui tempore uictor Agnus ſuſtulit, Eccleſia ſua aucta, & ea in medio afflictionum probatore igne conſeruata?

Qui fuit mortuus & reuixit.) excitatus è mortuis, ut ſuam uitam daret, de cœlo uiuificatore ſpiritu miſſo: quam hoſtis tuus ex Eccleſia tibi nũquam auferet: ſed hac ipſe ſpoliatus, ſempiterna morte tenebitur.

Iſaiæ 40. *Noui opera tua.*) Apud Ieſaiam afflicta Eccleſia conqueritur, ſuam uiam Domino abſconditam eſſe, & iudicium ſuum ab eo prętereri: hic diuinus ſpiritus Eccleſiam aduerſis rebus quaſſatam conſolans, dicit eius opera, afflictionem, paupertatem, carceres & reliqua mala quę patitur, nota eſſe ſedenti in throno, non abſcondita, quibus tandem ſit liberanda.

Paupertatem.) rerũ anguſtiam, direptis piorũ bonis, & eis in exilium abactis.

Sed diues es.) Corrigit, conſolandi gratia: Eccleſiam diuitem eſſe cœleſtibus diuitijs affirmans, quæ in tenebris lucem, in morte uitam, in ægeſtate diuitias & gloriam propoſitam habeat.

Et blaſphemiam eorum.) Cõuicia item in Eccleſia iactata, nota eſſe Domino, dum hæretici, ſchiſmatici, ſeditioſi, rebelles, apoſtatæ, dęmonijs obſeſsi homines uocantur. Sed à quibus huiuſmodi contumelijs afficiuntur? Sequitur:

Qui ſe dicunt Iudæos eſſe.) Hi præcipuè cõuiciantur, qui ſe maximè pro ueris Dei cultoribus haberi uolunt, uendicantes ſibi titulos Sanctiſsimorum & Patrum.

Sed ſunt ſynagoga Satanæ.) Agni cornua gerentes, & os Draconis habentes: ut Iudæi, qui Chriſtum & eius Apoſtolos inimicè perſecuti ſunt, minimè Iudæi fuerunt hoc eſt ſpiritu Iudæi, & ueri cultores Dei, ſed Satanæ cœtus.

Matth. 10. *Nihil horum timeas.*) Huc pertinet conſolatio, qua Chriſtus ſuos cõſolatur: Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c.

Quę paſſurus es.) afflictione patientiam, hac probationem, probatione ſpem, quæ non pudefacit, paritura.

Ecce miſſurus eſt diabolus.) clades & afflictiones, quibus ſancti in terra homines infeſtantur, Deo ut iudici tribuuntur, Satanæ ut quæſtori & carnifici: qui non aliter calamitates inferat, neq; plures machinetur, quàm Deo uiſum ſit: (ut exẽplo Iobus eſt, & omnes pij) neq; etiam Eccleſiæ ullas ærumnas parare poſsit, niſi bono illius, ut ſequitur: Et dabo tibi coronam uitæ.

Vt tentemini.) ad probandam explorandamq; fidem ueſtram per afflictionum ignem, de quo ſequitur:

Et habebitis afflictionem dierum decem.) Denario continetur totũ perſecutionis Eccleſiæ tempus Eſt enim denarius ſumma numerorũ. Aut numero decem dierũ pręcipuum aliquod tempus, quo Eccleſia uexãda ſit, accipitur, quod ad decennium ſit duraturum: : in quo continuæ clades terrarum orbem, ſub deſtructionem regni Antichriſti, quaſſaturæ ſint. Numero enim dierum indicari annos oraculares, etiam antè nos nonnulli rectè monuerunt.

Qui uicerit.) per fidem amore Dei ardẽtem, ſub patientia rerum aduerſarum, mundum & principem mundi Satanam uicerit.

Vſq; ad mortem.) ſed in qua lateat æterna uita, ut potius aditus ad uitam, quàm mors, ſanctorum mors cenſeri debeat: ut ſequitur.

Et dabo tibi coronam uitæ.) coronam regij ſacerdotij, qua coronata, cũ tuo ſponſo in omnia uictrix imperes, domina mortis & uitæ, inferni & cœli facta. De qua

Pſal. 45. regiæ & ſacerdotalis dignitatis corona mox fiet mẽtio. Pſal. Aſtitit regina, &c.

Non lædetur à morte ſecũda.) Hæc cernit in ea morte, qua maledicti unà cũ corporib. excitatis è puluere terræ, in die iudicij ad letales inferni tenebras, Dei uita priuati damnabunt. Ab hac morte uictores ad uitã immortalẽ, unà cũ corporibus trãslatos, liberatũ iri: à morte aũt prima liberos nõ fore, Hãc enim mortem

ex primq

ex primo Adamo omnes nati obeunt, ex sententia illa semel in peccatum lata: Genes. 3. Ex terra es, & in terram reuertêris. Nam prima mors est, qua qui moriuntur, animalis ac naturalis uitæ halitu priuantur per animi à corpore discessum, qui omnibus ex primo homine satis indeclinabili Dei sententia destinatus est. Et hanc mortem aliter pij, aliter impij appetũt: in his temporariam hanc mortem excipit mors altera nunquam finienda, illorum obitum uita in omnẽ æternitatem mansura comitatur: ut uerè iudices in his mortem primam non esse interitum omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemq; uitæ irrequietæ in quietẽ immortalem, cuius coronam non nisi fortiter pugnantes adipiscuntur, ut hic legitur: Qui uicerit, dabo ei coronam uitæ, & non lædetur à morte secunda. Vbi diuinus Spiritus ducem, prælium, milites hostes, arenam in qua prælium committitur, arma militaria, uictoriam, præmium, consideranda nobis proponit. Singula nota sunt certatoribus.

Tertia epistola ad Pergamenses.

Hæc dicit qui habet gladium ancipitem.) Hunc gladium, qualis sit, explicat Iesaias: Spiritu oris sui interficiet impium. de quo alio loco fusius loquetur Ioannes.

Vbi sedes Satanæ est.) Sed quæ est hæc sedes Satanæ? Sedes Antichristi est, hodie satis noti: cuius sedes, Satanæ sedes appellatur: quòd in hoc pestifero solio sedens aduersarius Christi, Satanæ spiritu agatur: qui mendaciorum, errorum, hypocriseos, tyrannidis, homicidiorum, & omnium malorum quę in barathro & abysso inferni fabricantur, machinator spiritus est. Cõtraria sedes ac solium Christi est, quod Dei solium est, non in inferno, sed in cœlo collocatum. In quo sedens rex & imperator Christus, omnia sapientiæ, ueritatis, iusticiæ, clementiæ, & uitæ spiritu moderatur. Et quoniam eius spiritu Ecclesia regitur, non legimus hic eam in sede Satanæ, sed ubi Satanæ sedes sit, habitare: hoc est, inter impios, sed non impiorum more uersari. Intueamur nostra tempora, quorum præludia tempore Apostolorum cœperunt fieri, tum iniquitatis mysterium agente filio perdito. 2. Thess. 2.

Et tenes nomen meum.) Seruatoris & redemptoris nomen, constanter & fortiter id confitendo aduersus aduersarium sedentem in solio Draconis. Habet & is nomen suum, nomen uidelicet Stulti pastoris, & Angeli abysi, & perditionis, nomen Babylonis meretricis, & bestiæ omnia uastantis. Cuius nomen tenent, qui hanc beluam, eius charactere ac nota signati, adorant.

Nec meam fidem negasti.) corde credens Euangelio meo ad iusticiam, & ore confitens me ad salutem: ab ea confessioue neq; carcere, neq; exilio, neq; egestate, neq; morte te abarcente.

Sed habeo aduersus te.) Ecclesiæ, cuius uirtutes laudatæ sunt, uitia iam notantur.

Habes istic tenentes doctrinam Balaam.) Qua parte Ecclesia Nicolaismum & Balaamicam doctrinam teneat, pijs non est ignotum. Nam in hac ut libidini, luxui, auariciæ dediti homines tolerentur, in hoc patefactionis Messiæ tempore, palàm est. Vtinam hęc uitia tantùm in sede Satanę reperiantur: non etiam in ijs qui sedem illam damnantes, ore Euangelium crepant, uita Epicuros exprimunt. quæ præuidens diuinus Spiritus in Ecclesia repertum iri, satis grauiter ea oracular hac reprehensione perstringit. De Balaamo uideris in Numeris.

Quod odi.) non personas, quas per pœnitentiam seruari cupio. Quam pœnitentiam si unquam necesse fuit prædicare, his nouissimis temporibus ijs necesse fuerit prædicare, qui pastorum munere in hac renouatione Ecclesiæ fungun tur: in qua ut & doctores & auditores frigeant, communis querela est. Nam uideas, homines imperitos cœlestis doctrinæ ministerium obire. Vnde necesse est consequi, ut Ecclesia in hanc quæ hic legitur de luxu, libidine, auaricia, ambitione, reprehensionem incurrat: non qua pereat, sed ut rediens ad meliorem frugem seruetur. Quare sequitur:

Resipisce.)ueterem hominem exuens, & nouum qui CHRISTVS IESVS est, induens. Ad pœnitentiam hortatur, propositis & supplicij & præmiorũ locis.

Alioqui ueniam tibi citò.) uindicaturus in scelera tua, quæ me seruatorem in noua uita colere recuses. Indicat tempus, quo purganda sit Ecclesia: quam ad tertiam
Zach.13. partem excoquendam per probatorium ignem Zacharias prædixit, tertia etiam parte illum expertura. Qua de re alio loco meminimus.

Gladio oris mei.)spiritus Euangelij gladio, quod his nouissimis temporibus, o-
Matth.24. mnibus gentibus in testimonium iusti iudicij Dei prædicabitur.

Quid spiritus dicat ecclesijs.)Hęc uerba indicant, sub nomine Pergamensis ecclesiæ, generaliter Ecclesiam repurgandam à suis uitijs accipi.

Ex manna abscondito.) Hoc occultum manna, quo uescuntur uictores, CHRISTVS IESVS est, absconditus quidem mundo, sed notus suis electis, quem
Exod.16. Mosæum manna in solitudine Arabum deplutum præfigurauit: quo qui uescebantur, à morte liberi non reddebantur: hoc uerò qui uescuntur, æternam uitam uiuunt. Sed cernere etiam licet inter utrunque manna suam similitudinem. Manna mysticum de cœlo tempore nocturno descendebat, & suborta luce colligebatur. Manna nostrum cœleste, tempore nocturno, quo mundus cæcitate ignorantiæ Dei laborat, descendit, ut illum illuminet, & illuminatum pascat, & alat spirituali & cœlesti carnis suæ & sanguinis sacrosancti alimento: quem cibum ipse suis, non alienis, ut summus sacerdos, uescendum impertit: quem ore spirituali, quod fides formet, excipiunt. Præterea in manna uetere sentiebatur suauitas: quàm suauis sit nostrum manna, sentiunt ij, qui eo ad uitã æternam per sensum fauoris reconciliati secum patris cœlestis uescuntur. Manna item rotunda, quæ omnium perfectissima figura est, & cum rore descendebat: nostrum manna ut cum rore cœlestis Euangelij descendat, hoc est nobis patefiat, fideles homines sua cum salute experiuntur. & huius mannæ perfectionem declarant hi tituli: Filius Dei unigena, Caput omnis perfectionis spiritualis, Dominus exercituum, Deus uniuersæ terræ, &c.

Et dabo tibi calculum candidum.) qui Christus est: is candore iusticiæ & splendore uitæ cœlestis prędítus, omni peccati & mortis nigrore caret. Qui albus calculus per fidem nobis communicatur ad nostri iustificationem, atro uitiorum & mortis naturæ ueteris calculo sublato. In calculis firma natura cernitur. talis noster calculus est: & ij quibus is calculus datur, ad induendam naturam cœlestem aduersus omnem contrariam uim firmam & stabilem. Olim albis calculis in iudicijs insontes absoluebantur, atris condemnabantur. Nostro calculo albo Messia benedicto, à iure peccati & mortis absoluuntur ei fidem habentes: atro noxæ lapillo damnantur, eidem illi fidem habere dedignantes. Qui causas in naturæ obscuritate latentes & inuolutas scrutantur, physica quadam ratione & arte, quam autoribus suis reliquero, purum & candidum lapidem parari tradunt, qui tutus aduersus ignis iniuriam, impura metalla, eis aspersus, ad puritatem & perfectionem adducat. Quanto id melius in ordine rerum spiritualium & cœlestium noster supracœlestis lapis Messias præstiterit, ut electos, per fidem eis adhibitus, ex impuris puros, ex terrenis cœlestes, ex fragilibus firmos contra omnem aduersariam uim reddat?

Et in calculo nomen nouum scriptum.) Nomen hominis cœlestis, & filij Dei unigenæ: non nomen ueteris hominis & terreni, & ex semine uiri corrupto concepti, neque quæ sit ex mariti uitioso semine grauida facta geniti: sed uirgine incorrupta nati. Et in calculo Messia nomen nouum scriptum, etiam ijs quos per regenerantem spiritum attigerit, noua nomina indit: nomina inquam filiorum & hæredum Dei.

Matth.16. *Quod nemo scit.*)per ueterem naturam, rerum cœlestium ignaram. de qua illud
1.Corinth.2. Domini: Caro & sanguis tibi non reuelauit. item: Animalis homo nõ percipit

ea quæ

ea quæ Dei sunt. Nomen hoc nouum in lapillo albo scriptum, nomen est nomi num omnium summum, cui omnia cœlestia, terrestria & infera genu flectunt.

Nisi qui accipit.) regenerationis ui ac beneficio: cuius spiritus omnia scrutatur, etiam profunditatem Dei.

Quarta epistola ad Thyatirensis ecclesiæ angelum scripta.

Et angelo Thyatirensis ecclesiæ.) In hac clara Lydiæ urbe, ut multi improbi cũ probis mixti fuerunt, falsæq; à falsis doctrinis sparsæ, atque fœdæ scortationes toleratæ fuerunt: ita diuinus Spiritus tempora posteriora & hæc postrema respiciens, Ecclesias reprehendit, quæ lumen Euangelij habentes, multos corrumpi sinant.

Quia permittis mulierem Iezabelem.) Babylonem illam nobilem meretricem, quæ infrà describitur: à Iezabele Achabi uxore, Sidoniorum regis filia, præfiguratam. de quo typo & umbra uideris in historia Regum. Nam ut hæc idololatriam patriam in Israeliticam terram intulit, & eius ministros falsos prophetas aluit: ita nostra Iezabel in Draconis solio sedens, omnis idololatriæ & falsorum prophetarum mater est, & cunctæ libidinis altrix. An autem penitus idololatria & falsa doctrina ex Ecclesijs, quæ de restituto Euangelio gloriantur, eliminata sit, & stupra nulla aliaq; uitia in ea alantur, pij facile iudicarint. 3. Reg. 16.

Quæ dicit se Prophetam.) in cuius pectoris scrinio omnia cœlestis regni arcana reposita sint: quæ ius docendi, statuendi & abrogandi quæuis pro nutu & libidine sua habeat, adeò ut hæc Iezabel in templo Dei sedens, audeat se supra omne id quod est numen Dei extollere. Hic legimus, hanc non dicere se esse falsam uatem: sed uatem, cuius omnia oracula debeant pro sacro haberi, contra quæ uel musitare capitale sit.

Et dedi illi tempus ut resipisceret.) pro longanimitate mea, qui nolim peccatorem perire, sed resipiscerre ut uiuat.

Nec resipuit.) ut illa Achab uxor, impia Iezabel, non resipuit, ut recederet à malo, per prophetam Heliam toties admonita. Quanto minus uera illa Iezabel, purpurata meretrix Babylon, per Helias horum nouissimorum temporum ad pœnitentiam resipiscet? destinata nimirum ad interitum, quem sibi uolens per rebellionem aduersus sedentem in throno Dei conflat. Sed quid faciet is? Sequitur:

Ecce ego.) iustus iudex scelerum.

Mittam eam in lectum.) De letali morbo, quo nostra Iezabel peritura sit, figurata locutio. Hanc (quæ infrà dicit: Sedeo regina, & uidua non sum, & luctum non uidebo) in lectum prosternandam, in quo miserè, quæ multos perdiderit, pereat.

Et qui adulterio miscentur cum ea.) tum falsæ doctrinæ, tum uitiorum communicatione. Translatio in adulterio nota est ex sacris literis. Qui hic adulterij meminit, infrà adulteræ & meretricis mentionem facit. Nam, quam hic Iezabelem, infrà Babylonem scortum nominat.

Afflictionem maximam.) terrarum orbem infestaturam, propter uitia & crimina non resipiscentium. de qua afflictione in Iesaiæ explicatione, ex Euangelistis sæpè meminimus. Hanc tantam fore dicit Dominus his temporibus nouissimis reuelationis filij perditi, quanta non fuerit à constitutione mundi, nec futura sit. Ideo hic mentio fit afflictionis maximæ.

Et liberos eius.) ex meretricatu & scortatione natos. quorum hodie quãtus numerus sit, declarat Antichristi per Iezabelem figurati regnum.

Interficiam.) gladio, peste, fame, terræmotibus, & spiritu oris mei perituram.

Et qui non cognouerunt profunditates Satanæ.) qui malis Satanæ artibus, uix penetrandis, non decipiuntur. Vt sua profunditas & abyssus sapientiæ imperscrutabilis

tribuitur Deo, qua ad uitam illuminantur electi: ita sua altitudo ac profunditas adsignatur Satanæ, qua per letalem errorum stultitiam decipiantur scripti in libro mortis. Quantum autem tenebrarum & caliginis diaboli altitudo & profunditas sit, nos hodie incipimus agnoscere, in hunc abyssum reuelandum missa de cœlo Euangelij luce.

Quemadmodum dicunt.) sibi Satanæ artes ignotas esse: se, ut homines simplices, simplicem Euangelij doctrinam cupere sequi: qui nisi hoc studeant facere, facilè sibi à doctoribus, ministris diaboli, transformantis se in angelum lucis, imponi posse. Sed quid his qui sic comparati sunt, fiet? Sequitur:

Non mittam super uos aliud pondus.) aliud tentationis onus, quàm hoc quod iam sustinetis: cui resistite per Euangelij doctrinam, quam contra falsa dogmata, quæ uobis Satan per suos ministros obtrudere molitur, retinete, dum ueniam insceleratos uindicaturus, ad uos filios meos à Iezabele Babylonia liberandos.

Et custodierit usq; in finem opera mea.) ut sunt fidei agentis per charitatem, & cõstantis confessionis IESV Christi opera: quæ opera sua uocat, ut à spiritu suo profecta. Contraria opera sunt Satanæ, & filij eius perditi Antichristi.

Dabo illi potestatem super gẽtes.) Euangelio infestas, quas uicturus sit duce Christo, non gladio humano, sed diuino: qui spiritus Euangelij gladius est.

Psal.2. *Virga ferrea.*) Hæc sunt ex Psalmo desumpta. Qui antea in pios uirga acsceptro ferreo grassati sunt, tandem uindice Christo uirga ferrea regentur, cuius duritie non secus confringentur, atq; uasa à figulo ex luto ficta confringuntur. Qui uasis scitè, ut terreni ex luto ficti homines, comparantur: ut pij, supernè ex cœlesti spiritu nati, stellis cœli comparantur.

Sicut ego accepi à patre meo.) ut naturalis eius filius, de natura eius genitus: uos uerò à me ut adoptionis filij, qui naturâ non Dei, sed Adami, terreni hominis,

Rom.7. sub peccatum & mortem uenditi, filij estis.

Malach.4. *Dabo illis stellam matutinam.*) me Solem iusticiæ, de quo Malachias: Vobis timentibus Dominum orietur sol iusticiæ.

IN CAPVT TERTIVM.

Epistola quinta, ad Sardensem Ecclesiam scripta.

ET angelo ecclesiæ quæ est Sardis.) Vitiorum Sardensis ecclesiæ reprehensio quàm latè pateat, nostra tempora ostendunt.

Quia nomen habes quòd uiuas, & mortuus es.) Et ministros & Ecclesiam redarguit, quòd ea uita quæ in Christi spiritu se per bonas actiones declarat, careant. O quàm longè lateq; hæc reprehensio hodie patet.

Esto uigilans.) Ad pastores hæc hortatio pertinet, quos in bene pascendo grege Ecclesia, per sinceram sacri Euangelij prædicationem, & eius ad formãdam sanctitatem uitæ accommodationem, uigilare cõueniat: adhibito seuero acriq;, aperta scelera falsasq; doctrinas eliminandi studio.

Zach.11. *Et confirma.*) doctrina Euangelij: secus quàm facit stultus ille pastor, quẽ Zacharias describit.

Pauca nomina.) filio perdito maiorem fœdante partem: qui Apostolorum temporibus, sed tectiùs, grassari cœpit, dum sequentibus temporibus omnia sordibus errorum suorum defœdarit. In postrema autẽ hac Euangelij patefactione paucos adhuc reperias, qui, tantopere charitate refrigescente, uitijs subinde augescentibus, sanctè se gerant.

Gal.3. *Qui non inquinauerunt uestimenta sua.*) induti uestem, de qua illud: Christum induistis. qui est uestis illa nuptialis, de qua meminit apud Euangelistam. Christum

Matth.22. autem induimus, puram & candidam uestem, cum eius spiritum accipimus, in quo

quo candor & puritas ueræ probitatis cernitur. Hoc qui aguntur ad omnia honesta officia peragenda, præmio ornantur, de quo sequitur mentio.

Quia digni sunt.) non suo, sed Agni merito & innocentia: qui electorum innocentia & sanctitas est.

Vestietur uestimentis albis.) ueste triumphali & gloriosa, quali uictores amiciuntur.

Et non delebo.) ut per firmam electionem scriptum in libro uitæ. De qua æterna electione, quam nulla uis euertat, illud Apostoli: Vt maneret propositum secundum electionem: firmum uidelicet, & ineluctabile.

Nomen eius.) quod in nomine nouo, in albo calculo Messiæ scripto, continet.

De libro uitæ.) in quo scripti sunt ad uitam æternam accipiendam, quos pater elegit, ut sancti reddantur per nouum sacri amoris spiritum, de quo illud: Deus charitas est. Et Apostolus: Vt essent sancti per charitatem. Magna hæc est consolatio, in hoc libro scriptos nunquam ex eo deletum iri. Firmum enim est illud: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Item: Oues meas nemo rapiet de manu mea. Quis enim rapiat? Num peccatum? At hoc uictum est per eum qui propter has oues peccatum factus est, ut eas peccato liberaret. Num mors? At hæc abolita est, per eum qui maledictio mortis redditus est, ut nos à maledictione eius in uitam assereret. Num Christus ipse harum ouium nomina ex cœlo expunget? At is, ne delerentur illa ex cœlo, relicto cœlo, inferni tormẽta subijt: & huius ferreis portis fractis, in cœlum elatus est, ut nobis cœlum, in quo ante conditum mundum nostra nomina signata sunt, aperiret, misso de eo cœlesti spiritu in nostra pectora, qui tanquam arrabo pectora nostra confirmaret, de possidenda cœlesti hæreditate. At huius testificationem, qui spiritus ueritatis sit, neq; falli neq; fallere potens, quis mendacem reddet? aut eius cui omnes aduersariæ potestates subiectæ sint, testimonium, quo minus feratur, impediet? Hac doctrina consolentur se, qui fidei spiritu Christum ad sanctè uiuendum amplectuntur. Nam tales in libro uitæ, de quo hic Ioannes meminit, ex quo nunquam deleantur, sua nomina consignata sciant.

1. Ioan. 4. *Ephes. 1.* *Rom. 8.* *Ioan. 10.* *Ephes. 2.*

Epistola sexta, ad Philadelphensis ecclesiæ angelum scripta.

Hæc dicit Sanctus.) ab omni labe uacuus, & quem nulla uis corrumpat, quiq; ab omni uitio quod interitum afferat, intactus sit: & eos qui per fidei spiritum ei inserti sunt, sanctos reddat. *Sanctus.*

Et uerax.) qui se ueritatem uocet: Ego sum uia, ueritas & uita. & per quem omnes promissiones Dei ueraces, hoc est fidæ, certæ, firmæq; sint, nihil falsi admixti habentes. Est enim uerum, quod simplex est, sincerum, purum & incorruptum. *Ioan. 14.* VERVM.

Qui habet clauem Dauid.) qua liceat ei per potestatem & imperium in omnia, cœleste regnum aperire, & infernum claudere: & idem illud claudere, & infernum aperire. Quæ clauis etiam arcana sapientiæ & scientiæ mysteriorũ Dei patefaciendi potestas est: quę arcana unus Christus per spiritum suum aperit & reuelat. de quo illud: Spiritus omnia perscrutatur, etiam profunditates Dei. Nam Messię à patre liber, in quo occulta & abscõdita mysteria de salute scripta sunt, datus est, quem is solus aperit suis electis, & alienis claudit: eum nimirum luce sapientiæ humanæ minimè aperiente, sed solum ea luce de qua Ioannes: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quod est hîc: Aperit, nemine claudẽte: claudit, nemine aperiente. Hanc clauem etiam Apostoli tenent, sed ut ministri Messię, quatenus missi ab eo in mundum, Euangelium docent: cui qui fidem habent, aperitur eis cœlum, non habentibus clauditur. Aperitur inquam cœlum per ministrationem Euangelij, cum credentibus ex illo lux beneuolentiæ diuinæ illucet: & cum luce mittitur sacer spiritus, reconditos cœlestis sapientiæ thesauros patefaciens. *1. Corinth. 2.* *Ioann. 1.*

Ioan. 10. *Ecce dedi coram te ostium apertum.*) Hoc ostium apud Ioannem de se sic loquitur: Ego sum ostium, si quis per me introierit, &c. Hoc ostium aperitur per fidē, clauditur per perfidiam: per quod qui ingrediunt in regnum Dei, egrediuntur ex regno Satanæ. Habet & infernus, magna Draconis ciuitas, suas portas & ostium, quas Draco suo filio primogenito Antichristo & eius cultoribus aperit per rebellionem, qua Agno rebellant, & sanctos eius crudeliter insectantur.

Et nemo potest claudere.) Vt aduersarius claudere tentat, cum Euangelium uetat doceri: & eos qui id profitentur, carcere, exilio, igne, gladio, reste crudeliter persequitur.

Quia exiguam habes uirtutem.) Ecclesiæ, inter tot & tam potentes hostes uersanti, non magnas ad resistendum illis uires esse: ideo ei ostium Messiam aperiri, per quod ingrediens in regnum cœleste, inde uim sacri Spiritus accipiat, qua ipsa fulta hostes uincat per fidem, de qua illud: Hæc est uictoria quæ uincit mundū, 1. Ioan. fides uestra. Per quam quoniam imbecillis in mundo & cōtempta Ecclesia seruat sermonem Agni, de præmijs quibus ornanda sit subijcitur promissio.

Seruasti sermonem meum.) Euangelij sermonem, non sermonem aduersarij, quem is sublato sermone Agni seruari iubet. Seruatur autem Euangelium, cum fides ei adhibetur: deinde, cum fides per pœnitentiam & benefacta palàm declaratur. Demum, cum constanti confessione eam quam pectore tenemus fidem, ore contra Antichristum & tyrannos Antichristi spiritu afflatos testamur & profitemur.

Ecce dabo tibi de synagoga Satanæ.) Si literam spectes, & tempora Apostolorū, indicatur, Iudæos quosdam se aggregasse Ecclesiæ fidem simulantes, qui Iudæi, hoc est ueri secundum spiritum Iudæi non essent. Sin posteriora & nouissima hæc tempora: quid Ecclesiæ hactenus accidat à Iudæis se ei accommodantib. satis constat. Qui cum nihil minus sint quàm ueri Iudæi, timentes Dominum, se & Ecclesiam decipiunt, simulantes fidem qua carent. Sed quid tandem Iudæis eueniet? Sequitur:

Ecce adigam illos.) Nouissimis his reconciliationis eorum cum Deo maiorum suorum temporibus, de quibus aliàs monuimus ex Mose & Prophetis & Apostolo Paulo, & infrà quoq; monebimus.

Vt ueniant.) amplexi Messiam, agnito eius Euangelio.

Et adorent.) patrem Domini nostri IESV Christi, spiritu & ueritate culturi.

Ante pedes tuos.) Tē regio Messiæ mariti tui spiritu ornatam, reginam illam esse & dominam omnium confitentes, de qua Psal. Astitit regina à dextris tuis.

Et sciant.) ex tot signis euersionis regni Satanæ, & redēptionis meorū, editis.

Quòd dilexi te.) priusquam tu me diligeres, qui te in filio Messia ante iacta fundamenta mundi dilexerim: tu, cum peccato deturpata me odisses, ad me per me conuersa, cœpisti me diligere, sermonē meum per me, hoc est, per Spiritum meum, liberali gratia donatum, seruans. De quo sequitur:

Quoniam seruasti.) non ueteris naturæ ui, sed nouæ, è spiritu filij supernè natæ.

Sermonem patientiæ meæ.) sermonem Euangelij mei, quo docta ad mortificādum ueterem hominem patienter crucem toleras, persuasum habens illud: Siquidē Rom. 8. simul cum ipso patimur, ut unà cum illo glorificemur.

Et ego seruabo te.) per eum spiritum, quo tu me diligens, sermonem meum seruas. Sed aduersus quæ Ecclesia conseruabitur? Sequitur:

Ab hora tentationis.) aduersus afflictiones, quibus his postremis temporib. reuelationis filij hominis, & destructionis regni aduersarij, totus terrarū orbis infestabitur: & quidē tantis, quantæ non fuerunt à condito mundo. De quibus ex Iesaia, Daniele, & cęteris Prophetis & Euāgelistis, aliàs crebrò mētio facta est.

Ecce uenio citò.) De hoc patefactionis mei Euangelij aduentu, de quo aliàs in Mose & Prophetarum explicatione meminimus.

Tene

Tene quod habes.) Euangelium corde, fidem ei habendo, & ore ipsum confiten do, & benefactis exprimendo, ad comparandam coronam gloriæ, sedulò cum mundo & principe mundi Satana pugnando.

Vt nemo accipiat.) ex hostibus tuis, te per contrariam Antichristi doctrinam deuicta.

Qui uicerit, faciam illum columnam.) propter constantiam confessionis fidei. Alluditur ad columnas duas æreas, quas Salomon in templi à se extructi uestibulo posuit, de quibus uideris in historia Regum. 3. Reg. 7.

In templo.) De hoc templo Apostolus: Vos estis tẽplum Dei. Quod & ipsum columna uocatur. Sic enim Apostolus: Vt noris quomodo oporteat in domo Dei uersari, quæ est Ecclesia Dei uiuentis, columna & stabilimẽtum ueritatis. 1. Timoth. 3.

Dei mei.) Patris mei: quẽ Deum suum uocat, qui esset eius filius, Deus ex Deo, clamans: Deus Deus meus, cur deseruisti me? Psal. 21.

Et foras non egredietur amplius.) Explicatur firmitas columnæ: eam firmum locum habituram in templo Dei, eius gloriam nunquam imminutum in amplius, ut per aduersarium omnia in templo Dei prophanantem imminuta fuit: ad quem egressi electi Dei, iusticiæ & uitæ splendore spoliati sunt.

Et scribam super eum nomen Dei mei.) Eos consortes fore diuinæ naturæ. De quo consortio Petrus: Vos estis consortes diuinæ naturæ. Hinc principatum creat regeneratio è spiritu sacro, de quo autor regenerationis: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, &c. Inscribi igitur sanctis nomen Dei, est, ipsos filios Dei ex Deo ac spiritu Dei nasci. Qua inscriptione quid quæso præstãtius & salubrius potest electis euenire? In qua porrò inscriptione peccati per consortium iusticiæ Dei in Christo, uictoria mortis per participatum uitę quę Deus est in Christo, uictoria inferni per consortium splendoris cœlestis regni, per hanc inscriptionem nobis communicati, comparatur. Hac uictoria columnæ in templo Dei erectę, & nomine eius insignitę, illustres redduntur. 2. Pet. 1.

Et nomen ciuitatis.) Eos censeri inter ciues non terrenę, sed de cœlo descendentis ciuitatis, quam nouam Hierosolymam uocat, per comparationem cum terrena, in qua typus & figura quæ exoleuit cernebatur. Ecclesia item Dei ciuitas nouæ Hierosolymę nomen in regeneratione sortitur, per cõparationẽ cum eo statu in quo uersata est, Dracone eam sub Antichristo in solitudine huius mũdi persequente. A' quo statu ab erroribus misero, hęc ipsa liberata, & nouum per cœlestis Euangelij spiritum adepta, noua Hierosolyma appellatur: atq; nõ ex terra, ut synagoga Satanę, sed de cœlo descendere dicitur. Quę in terra quidem militat peregrinans, sed è cœlo originẽ ducit. Tantisper autem in terra militat, dum mundi consummatione facta, sub aduẽtum Christi mariti etiam corpore per uim resurrectionis secũdæ innouata, in cœlum glorioſa transferatur, quæ in resurrectione prima ab animo solum noua in hoc mundo apparet. Vnde fit, ut in altera resurrectione descendere, in altera ascendere dicatur. Sed de hac re infrà accuratius disseretur.

Quæ descendit de cœlo.) in quo ante iacta fundamenta scripta fuerat. In cœlo inquam, quod claritate & splendore lucis, uitæ, gloriæ, carni inaccesso, illustre sit. Itaq; is nouę Hierosolymę descẽsus de cœlo, non ex loci, sed status mutatione æstimandus fuerit.

Nomen meum nouum.) ex iure coniugij, quo sponsa Ecclesia in familię, nominis, & omnium bonorum quę sponsus ac maritus Messias habet, communionem transit. Quę summa est Ecclesię & membrorum eius consolatio.

Septima epistola ecclesiæ Laodicensis angelo scripta.

Principium creaturæ Dei.) De hoc principio Apostolus: Primogenitus uniuersæ creaturę. Sic appellatur, quòd per eum omnia creata sint: de quo uideris apud Paulum in epistola ad Colossenses, & alijs tum ueteris tum noui

fœderis

fœderis ſcripturis. Ab hoc principio uniuerſæ creaturę, in exordio ipſo admonitioni autoritas conciliatur.

Quia neq; frigidus es.) Sub nomine Laodicēſis eccleſiæ (in qua tolerati ſunt multi qui Euangelio & eius fidei conſentaneam uitam, frigētes amore Dei & proximi, minimè uiuerent) reprehenſio inſtituitur: qua generatim ſtatus quem Eccleſia poſteris temporibus, & præcipuè his poſtremis habitura eſſet, reprehenditur: fore uidelicet, ut exiſterent in ea, qui neq; frigidi neq; feruidi eſſent, ardore nimirum diuini amoris carentes. Quo qui prædicti ſunt, ueteris hominis uitia delerunt, & has contrarias uirtutes colunt. Intueamur noſtra tempora, in quę hanc reprehenſionem congruere, pij omnes communi querela & lamentatione tam prauorum morum teſtantur.

Vtinam frigidus eſſes.) frigus in amore Dei & proximi agnoſcens, & ueniam quā ei Deus det, precans.

Incipiam te euomere.) Alludit ad aquam tepidam, uomitum prouocantem. Tempore eorum qui Euangelium ore crepant, & pectore mundum ſapiunt & uiuunt, Chriſtum ad uomitum, quo ex ore ipſius euomantur, pellici: qui nimirum cultores ferat, quorum fides per diuinum illum amorem ſplendeat & ardeat: non uerò hoc igne carētes ferat, ſed eos faſtidiat, & faſtiditos à ſe reijciat, ut aquam tepidam ſtomachus ad nauſeam & uomitum inuitatus ex ore eijcit. Tales enim cum prophetis Baal in utranq; partem claudicantes, partim Deo, partim mūdo, partim Chriſto, partim Antichriſto ſeruiūt. In quos tepidè Chriſtianos Heliæ, hoc eſt pœnitentiæ in nouiſsimis temporibus prædicatores, his uerbis inuehētur: Quouſq; claudicatis in utranq; partem? Vt autem his ſeculis partim Chriſto, partim Antichriſto ſeruiatur, non opus eſt id exemplis demonſtrare. 3. Reg. 18.

Quia dicit, Diues ſum.) Sunt qui glorianť de diuitijs & opib. terrenis, quibus acquieſcūt. Sunt itē qui humanę ſapientiæ opes oſtētant. Sunt demū qui ſibi cognitionis rerū cœleſtium, quæ ſacris literis continenť, diuitias uēdicant, cuius uix elemēta nota tenēt. Omnes tales diuites hic reprehenduntť, ut qui minimè ſuæ tenuitatis & miſeriæ memores, cū Propheta nō confiteanť: Vnicus & pauper ſum ego. Neq; expendūt illud Domini, Beati pauperes ſpiritu: ut colligat ex contrariorū collatione, infelices eſſe diuites ſpiritu. quales ſunt tepidi, qui hic redarguuntur: qui tales cum ſint, pro feruidis ſe uenditant: hoc eſt, tenues cum ſint, pro diuitibus: miſeri cum ſint, pro felicibus: lippi cum ſint, pro perſpicacibus: nudi cum ſint, pro bene ueſtitis ſe oſtentant. Pſal. 45. Matth. 5.

Et neſcis.) fidei luce miſeriam tuam tibi non oſtendente, & ea latente per lumen rationis humanæ, quod ueterem hominem inſolentē reddit, non deijcit.

Quòd es miſer.) à natura, ab ortu ipſo obnoxia peccato & morti: à uarijs calamitatibus: à qua miſeria terrenæ opes, humana ſapientia & potentia nos minimè liberent.

Et pauper.) ueris diuitijs, quæ ſolæ uerè diuites reddunt, ſpoliatus: diuitijs inquam ſpoliatus in cœlo recōditis, quas neque fur furetur, neque tinea exedat, neq; ærugo conſumat.

Et cæcus.) luce carēs, de qua lux ipſa: Ego ſum lux uera. Qua qui carēt, uerè cæci ſunt, etiamſi uidere ſe per humanæ ſapientiæ lumē putēt. Per quod qui ſe cernere dicūt, in eos cōuenit illud Domini: Si cæci eſſetis, nō haberetis peccatū: nunc aūt cū dicitis, Videmus, peccatū ueſtrū manet. Quę pernicioſa cęcitas ijs exprobratur, qui ſe iactant uidentes eſſe, & ſapientes, cū uerè cęci ſint, & ſtulti. Ioan. 6. Ioan. 9.

Ac nudus.) exutus ueſte, de qua illud: Chriſtum induiſtis. Hac ueſte qui amicti non ſunt, uerè nudi iudicantur: eorum nuditatem nullo habitu, quem in hac uniuerſitate quærant, tegente. Gal. 3.

Suadeo tibi.) Acrem obiurgationem tēperat ſuaui hortatione, qua Eccleſiam ad pœ-

ad pœnitentiam cohortatur, qui nolit improbos, ad quos probos efficiendos Ezech. 18.
in mundum hunc uenit, per suam improbitatem perire, sed potius ad se redire,
ut seruentur.

Emere à me.) Sed quo precio emitur hoc aurum? Nullum sanè precium, quod
nos de nostro ad tantum thesaurum comparandum persoluamus, occurrit: sed 1. Corinth. 6.
id solum de quo Apostolus, Empti estis precio magno.

A' me.) In quo pater omnes iusticiæ, sapientiæ & uitæ thesauros reposuit, ut in
quo diuinitas corporatè tanquam capite uniuersæ spiritualis perfectionis habi
tet, & ex eius copia & abundantia cuiq; membro corporis eius suus perfectio-
nis modus accipiendus sit. iuxta illud: De plenitudine eius omnes accepimus. Ioan. 1.
Legimus hic: Emite à me. Sed quid emendum? Sequitur:

Aurum ignitum ex igne.) Hoc aurum ignè candens, flammeus amoris spiritus est,
nemini nisi de Christo per fidem communicandus. Quod aurum ignitum lex
requirit: Ama Dominum Deum tuum præ omnibus toto corde, & alterum ut Deut. 11.
teipsum. Hoc autem aurum precio emitur, cum credimus spiritū amoris sacrū
precio fusi sanguinis IESV Christi piacularis nobis dari. de quo precio & cōpa
rato thesauro illud Apostoli: Mortuus est propter peccata nostra, & excitatus Rom. 4.
propter iustificationem nostri. Vbi ab Apostolo in morte agni precium, quo
ematur thesaurus uitæ indicatur. In resurrectione uerò è mortuis, thesaurus i-
pse qui est Spiritus sanctus, nobis amissam iusticiam & uitā reparans, ostendit.
Est etiam ipsum uerbum Dei aurum ignitum, hoc est purum putū, omni labe
& uitio carens: Verbum, quod nobis nisi Messias in corda nostra per spiritum
suum indat, eo nunquam fruemur. Nec non & animi nostri sacri spiritus igne
probati, aurum dicuntur, de quo Iobus: Probat me quasi aurum. Sed à quo ani- Iob. 23.
mi auri ritu probati emūtur? A' Christo eos emas, qui solus eos sacri sui spiritus
igne purgatos, & à uitiorum scoria emundatos, largitur.

Et uestimenta alba.) Quæ antea in regno Satanæ & Antichristi atris uestita fue-
ras, nigrante nimirū peccati & mortis uestitu. Candor puritatē & lucem præ se
fert. De Ecclesiæ è spiritu Christi ad ueræ probitatis puritatem & splendorem
regenitę uestitu, accipitur illud Iesaię: Sacerdotes tui induti iusticia. Quę iusti- Hierem. 23.
cia Messias benedictus est, de quo Hieremias: Et uocabit iusticia nostra. Huic
aduersa uestis est, qua nos primus Adamus de terra terrenus homo uestiuit, ni-
mirum noxæ & mortis amictus.

Vt non appareat dedecus nuditatis tuæ.) nuditatis ueteris & terreni hominis, originis
uitio defœdati, turpitudo. Quæ nuditas ut obscœna sit, exēplo est primus ho-
mo, qui ut sensit se innocētiæ uestitu nudatū, in corrupto corpore fœda cupidi Gen. 3.
tate & libidine grassante, ei ea nuditas pudorem offudit. Itaq; Apostolus: Si ta- 2. Corin. 5.
men uestiti, non nudi reperiamur. Non nudi inquam innocentis agni pelle, de
quo illud: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. quo nos tecti sentimus Ioan. 1.
quid illud sit: Beati quorum tecta sunt peccata. tecta uidelicet ueste innocen- Psal. 31.
tiæ Messiæ. Hac autem primò dicimur tegi, cum per fidem agnoscimus san-
guinis eius merito nobis remissa esse peccata: Deinde, cum ex eodē illum Spi-
ritum sanctum ueste ueteris hominis nos exuentem, & induentem amictu no-
ui, qui restitutæ iusticiæ & uitæ uestitus est, accipimus.

Et collyrio illine oculos tuos.) Hoc collyrium, quo lippientes oculi mentis nostræ
unguntur, oleum legis spiritus uitæ præbet. De quo unctorio oleo legis uiuifi
cātis, & illuminātis lippientiū & cæcorū oculos, Ioannes: Vnctio docebit uos 1. Ioan. 2.
de omnib. In oleo apta natura accendēdis & fouēdis lucernis cernitur. Quò fi-
gurata locutio de collyrio lippis oculis ad eos illuminandos illinendo spectat.

Vt uideas.) illuminatus noui hominis luce, qui antea per ueteris lumen, quod
mera caligo est, cernere nō poteras. De quo illud: Animalis homo nō percipit 1. Corinth. 2.
ea quæ Dei sunt. De spiritualis uerò sacri Spiritus oleo deunctis oculis: Spiri-
tualis homo omnia dijudicat. quod est hic, uidere & cernere, Ego.)

Ego.) qui non ueni in mundum ad uocandos diuites, uestitos, cernentes, iu-
Matth.9. stos: sed pauperes, quos diuites: sed nudos, quos bene amictos: sed cęcos, quos uidentes: sed iniustos, quos iustos, uocatos ad pœnitentiam reddam.

Quoscunque amo.) meo amore, meorum fidem, probitatem, pœnitentiam antegrediente.

Arguo.) eorum improbitate me inuitante, quos castigatos seruem: non deterrente, quos per contemptum seueriore disciplina perdam, ut qui ex ouib. meis
Ioan.10. sint: mihi à patre, quas seruem, datis. Amoris igitur in patre cœlesti, seuerior castigatio, siue uerbis siue crucis ferula constet, signum fuerit. Vnde Dauid: Bonum est mihi quòd humiliasti me Domine. In ea enim deiectione, ueteris hominis insolentia deprimitur: ut nouus in nobis homo, ingenium mitis agni referens formetur.

Aemulare ergo.) In ζήλωσον, ardens persequēdi pietatem studium notatur: quod opponitur tepori, qui iam reprehensus est.

Ecce pro foribus adsto, & pulso.) uarijs modis uos inuitans ad pœnitentiam.

Et aperuerit ianuam.) per pœnitentiam, mei amore & odio uitiorum susceptam.

Ingrediar ad eum.) Ingressus is à donis Spiritus sancti æstimatur, quæ cum aperienti ianuam Christus largitur, ad eum ingredi, & mansionem apud eum facere dicitur.

Et cum eo cœnabo.) cœna ex spiritualibus carnis & sanguinis Agni dapibus ap-
Ioan.6. parata, de quibus ipse apud Ioannem loquitur. Quid autem sit uesci ad uitam æternam carne Christi, & bibere eius sanguinem, & ut pij solum hoc uictu alantur, ea de re aliàs. Fit autem hic non prandij, sed cœnæ mentio, quòd hæc sub uesperam quieti se daturis instruatur. Sic habet uespera sanctorum, in qua laboribus crucis exantlatis, paratur nobis sacra cœna, in qua nobiscum hilariter Agnus à se paratis dapibus super mensam suam cœnet. De qua mensa his uer-
Lucæ 22. bis apud Euāgelistam meminit: Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi Pater, ut edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo.

Dabo ei sedere mecum in solio meo.) Imperium ut mecum in omnia, uicto peccato, morte, & toto tenebrarum principatu, habeat. Adhęc, etiam in sedendi uerbo, iudicandi potestas indicatur, qua sint functuri, regij sacerdotij spiritu ornati. Angeli non sedere, sed adsistere solio Messiæ dicuntur: qui nimirum ministrorum officio, non iudiciaria potestate fungantur. Electi autem, ut iudices & domini uniuersitatis, dicuntur sedere. Vnde autem tantę humani generis dignitatis ratio colligenda sit, consideratio mysterij sermonis Dei caro facti id ostenderit. de quo aliàs meminimus. Dicat aliquis, Christum apud Matthæum fateri, suum non esse, cuiquā potestatem sedendi ad dextram Dei patris conce-
Matth.20. dere. contrà uerò hic eum dicere: Dabo ei sedere mecum in solio meo. Non pugnat ipse secum. Apud Euangelistam enim loquitur, non habere se à se potestatem illam: hic uerò, habere eam, sed quam Pater sibi excitato è mortuis dede-
Matth.ult. rit. ut ipse fatetur cum ait: Dedit mihi Pater omnem potestatem in cœlo & in terra. sicut etiam à Patre uerè Deus est, & filius, atq; omnium quæ pater habet hęres. Itaq; sicut filius seruat quos pater ei dedit: ita hic legimus, à filio collocari in throno suo, quos Pater ei assignauit, quos sic amplificaret.

Sicut & ego uici.) Indicat, pro iure communionis, quæ inter sponsum & sponsam, caput & corpus intercedit, uictoriam & cœlestis regni gloriam qua fruitur sponsus Messias, cedere Ecclesię sponsæ, & eius membris. Quæ summa sanctorum hominum in hac, quam in mundo contra sęuissimos hostes agunt, militia consolatio est.

IN CAPVT QVARTVM.

POst hæc uidi.) In hoc admirando uiso, solium, & iudex Agnus cum Patre in illo sedens, senatores item, & quatuor animalia circa solium uersantia, postremò

ſtremò Agni iudicium per legatos ſuos exequendum deſcribitur. Hoc autem iudicium, ut nouiſsimis temporibus per uarias calamitates in orbem terrarum peruaſuras declarandum ſit, ſuis locis explicabitur.

Et ecce oſtium apertum.) Sed quæ eſt hęc porta & oſtium? Sic de ſe loquitur: Ego ſum oſtium. hoc cum ſe ſanctis aperit per ſacrum Spiritum, ad cœlum, cuius lux myſteria Dei patefaciat, aditus patet. *Ioann.10.*

In cœlo.) unde patefiunt arcana Dei cõſilia. Quale autẽ cœlum nomine cœli, & ut ſolium cœleſte accipiatur, alio loco indicatum eſt.

Et uox prima, quam audiui.) Eſt tuba legis Moſęę, ſonitu ſuo omnia terrore replẽs. Eſt item tuba prophetica, futura denuncians, & impiorum peccata ſeuerè redarguens, & pijs ſalutaria ſignificans. Demum item tuba Euangelica eſt, ſalutem quæ mundo afferatur reſonans. Tuba, cuius uocem audiuit Ioannes, partim oracularis, duros caſus & triſtia fata quibus infeſtanda ſit terra: partim Euangelica, lęta Eccleſiæ prænuncians, tuba eſt.

Aſcende huc.) Cœli mentio facta eſt, in quod aſcenditur, non deſcenditur. Aſcenſus autem is non ex loci mutatione, ſed ex mentis, oculos ſuos leuantis ad conſideranda cœleſtia, qualitate ponderatur: ut nec cœlum, in quod aſcenditur, & ex eo deſcenditur, ex localibus interuallis & ſpacijs menſuratur.

Quæ oporteat fieri poſt hæc.) tempore nouiſsimo, ſub reuelationem Antichriſti, per Euangelij lumen. Et quoniam propoſito Dei indeclinabili, regni Chriſti & Antichriſti, lucis & tenebrarum, crucis & gloriæ uices diſpẽſantur, quibus declaretur diuinæ ſapientiæ, iuſticiæ, potentiæ & miſericordiæ magnitudo: uſurpatur hic uerbum Oportet, quod temerè non eſt prætereundum. *Eccleſ.3.*

Et ſtatim fui in ſpiritu.) pateſaciente mihi arcana & abdita Dei conſilia.

Et ecce ſolium poſitum erat in cœlo.) Iudiciariæ poteſtatis in impios, ad liberandos electos, exercendę ſolium.

Et ſuper ſolium ſedens.) Meſsias ad dextram patris. de qua Dauid: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Meſsias enim eſt, cui pater dedit omnẽ iudicandi poteſtatem. *Pſal.109.*

Et qui ſedebat, ſimilis erat.) Explicatur ſpecies ſedentis in throno, ſub ſimilitudine Iaſpidis & Sardij. Alter lapis uiret, alter igneo fulgore rubet. Vterque color in Meſsiam conuenit. per hunc enim electi uirent, ad æternam uitam conſeruati: qui lapidis color eſt. per eundem pij ignea luce colluſtrãtur, Deo, qui ignis eſt, ſimiles reddendi: & impij uruntur, ad excruciantem ignem, & eum æternum damnati. De quo illud: Ite maledicti in ignem æternum. *Matth.25.*

Et iris circa ſolium.) fœderis pacis, & diuinæ erga electos beneuolentiæ ſolium circundantis ſignum. De iride uideris in Geneſi. *Geneſ.9.*

Et in circuitu ſolij ſolia uigintiquatuor.) Seniores ſupra uigintiquatuor thronos ſedentes deſcribuntur. Non ſanè hi ſeniores dicuntur ſedere ſuper thronos ſuos, qui dent iudici Meſsiæ conſilium: ſed qui ſententiam illius & conſilia approbent, & ea tanquam legati exponant alijs. Non alia ratione & iudicum nomina tenent, & eorum ſolia ſeniorũ & iudicum ſolia appellantur. Quæ uigintiquatuor eſſe uidit Ioannes, qui numerus ex duodenario duplicato conſtans, legatorum Dei qui in diuino ſenatu & iudicum ordine numerãtur, muneri congruet. His enim ut duodecim tribus Iſrael iudicãdi poteſtas data ſit, ex Euãgeliſta cõſtat.

Veſtibus candidis.) Deſcribitur ſeniorum ueſtitus, de quo Apoſtolus: Induamini nouum hominem.

Coronas aureas.) Qui ſint regio ſacerdotio præditi.

Ex ſolio procedebant fulgura.) Deſcribitur uſus iudiciarij ſolij. huius poteſtas quoniam in puniendis improbis & ſeruandis probis ſpectatur, fulgurum hic & tonitrui & ardentium lampadum mentio fit. In fulgoribus & tonitruis diuini iudicij ſeueritas: in lampadibus uerò ardentibus, partim conſumens ſceleratos,

partim illuminans & purgans filios Dei, ad diuinæ iustitiæ & uitæ claritatem ignis accipitur. Vt hic de throno Agni lampades igne flammantes prodeunt: sic apud Danielem, solium illius igneum, & ministri solium circumstantes flammei esse dicuntur, qui apud Iesaiam Seraphim appellantur.

Daniel. 7.
Iesaiæ 6.

Quæ sunt septem spiritus Dei.) Quoniam Agnus omnem suam administrationem spiritu conficit, huius & eius septem uirium mentio fit, quibus totum Messiæ munus & functio peragit. Similiter Iesaias, iudiciariam Messię potestatē describēs, Spiritus mentionē facit: quo ut regio oleo unctus, iudicis officio fungitur.

11.

Mare uitreum.) Per mare uitreum, duo in iudiciaria Messiæ functione significantur: alterū profunditas est, alterum claritas & perspicuitas. De profunditate legitur illud: Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Nam Christi iudicium in cœlum, in terram, & in infernum usq; pertingit. Claritas autem in eo ostēditur, quòd omnia circa solium lucida sunt, & perspicua, instar chrystalli: iudicis oculis omnia speculantibus, quos nihil fugiat ac lateat. De qua claritate Salomon: Oculi Domini speculantur bonū & malum. Quò pertinet similitudo à chrystallo mutuata: Mare uitreum chrystalli simile.

1. Corinth. 1.

Et circa solium quatuor animalia.) Quatuor animalia hic descripta, generatim Agni legatos circa solium eius uersantes significant: qui legati quaternario numero ab Ezechiele describuntur. Is numerus denarium, summum numerorum continentem, complectitur. Nam unum, duo & tria, senarium conficiunt, primum perfectum numerum: cui addita quatuor, denarium constituunt. unde tantam laudem quaternarius habet, sacrosanctum nomen Dei continens. Conuenit præterea quaternarius quatuor mūdi finibus, in quibus animalia hic descripta munus suum obeunt, ad thronum Messię iudicis sibi mandatum.

1.

Plena oculis.) Legatos, sapientiæ diuinę luce prędítos, nihil earum rerum quas in terra ad homines expediant, fugiente. De his oculis uideris apud Ezechielē.

2.

Animal primum simile leoni.) Animi legatorum fortitudo & cōstantia, specie leonis notatur. Exempla in sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & in omnibus cœlestis Euangelij doctoribus cernuntur. Sic etiam Nabuchodonozor leo apud Hieremiam appellatur, cuius Deus legatione ad castigandos improbos uteretur.

Secundum simile uitulo.) Notatur hac similitudine in diuinis legatis laborum tolerantia, & ad eos ferendos robur: quale in aratore boue cernitur. Similiter in basibus lauacri Salomonij leones & boues cernebantur, mystica, non dissimili huic quæ à Ioanne affertur, ratione.

Tertium animal habens faciem instar hominis.) Hæc species indicat, in legatis Dei prudentiam, moderationem & scientiam rerum gerendarum requiri, sine quibus uirtutibus legationis munus non perficitur. Homo enim ratione & intelligentia prædítum animal est.

Quartum animal simile aquilæ.) Celeritas in exequēdis mādatis indicat. Huc uocādæ & aliæ quæ in aquilis cernunt dotes. Aquilarū ut similes sint Apostoli, declarat illud: Velociter currit sermo eius. Si prophana exēpla requiris, talis aquila fuit Cyrus, qui Babylonem euertit. Talis aquila fuit Alexander Macedo, qui Persas uictoria lōgè celerrima subegit. Romanus dux ut aquilā in obeūda sua legatione effinxerit, ostēdit Moses: Excitabit in uos gentē aquila uelociorem.

Aquila.

Deut. 28.

Alas senas.) Alę affinguntur legatis, ad expeditū res mandatas expediendi studium, quo ardere debeant, ostendendū. Et quoniam senarius perfectus numerus est, laboribus & actionibus sacratus, sex alę singulis animalib. tribuuntur, quorū sedulitati nihil desit, quod ad exequendā legationē pertineat. Porrò in senario alarum sex, sacri Spiritus uires in Iesaia explicatæ considerant, diuinis legatis necessariæ. Similiter apud Iesaiam ipsis Seraphim sex alæ assignantur, quarum duabus uolent; duabus uultus suos, & duabus pedes contegant.

6.

Et requiem

Et requiem non habent.) Munus legatorũ, quo in celebrãdo Deo funguntur, exponit: Animalia sine intermissione dies & noctes dicere, Sãctus, sanctus, sanctus, Dominus omnipotẽs. Similiter eum laudare apud Iesaiam legũtur Seraphim.

Gloriam.) Hunc solum dignum esse clara & illustri maximorum meritorum fama. Hæc gloria continet dignitatem & amplitudinem. Dignitas Deo tribuit, cum eum solum cum filio Messia autoritatem cultu & honore dignam habere agnoscimus, cui omnia in cœlo & in terra iure pareant. Amplitudo autem tribuitur ei, cum eum potẽtia & maiestate, & copiarum cœlestium & terrestrium abundantia pollere fatemur. De qua gloriæ parte illud: Dominus exercituum, qui hic à Ioanne uocatur παντοκράτωρ.

Et honorem.) Is Deo patri & filio eius tribuitur, cum opinionis nostræ de diuina beneficẽtia & bonitate significationem declaramus, ut cum publicè Deum laudamus & celebramus, & ei sacrificio laudis litamus, cum eum inuocamus & adoramus, cum gratias agimus de acceptis ab eo beneficijs. De hac parte honoris, sequitur mentio.

Et gratiarum actionem.) Hæc præcipua honoris, quem sedenti in solio damus, pars est: in qua agnoscimus, quæcunq; bona habemus, illius bonitati accepta ferenda esse.

Et adorant uiuentem.) quæ honoris pars est, qua patrí & filio Messię diuinitas tribuitur: cui uiuenti in perennia secula, omnia supernè & infernè sese subijciant, genua eius maiestati flectentia.

Et abijciunt coronas suas.) Non eis priuãdi, sed uictoris Agni beneficio se illas habere cõfitentes. seeus quàm facit aduersarius Agni, qui se coronãs, Agno suam regiam coronam detrahere studet: dum in templo Ecclesia sedẽs, solium suum super solium Messiæ, & omne id quod est numen Dei, extollit.

Quia tu creasti omnia.) solus, nemine adhibito in consilium. ut is ipse apud uatẽ Iesaiam de se prędicat: Quis direxit spiritũ Domini, & cũ quo cõsilium iniit? A' creatione mundi Dei nomen amplificãt, in qua amplificatione Dei eius etiam uerbum Messias & spiritus continentur. Sic enim Dauid canit: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Itaq; ubi legimus apud Iesaiam, Gloriam meam alteri non dedero: Messias non excluditur, sed dij alieni. ut sequitur illic: Et laudem meam simulachris. *Psal. 33.* 42.

Eaq; tua uoluntate sunt, & creata sunt.) De qua Psalmus: Quęcunq; uult facit, in cœlo & in terra. Laudatur à uoluntate condendi omnia, cum facultate coniuncta. quod de nemine secundum Deum dici possit. Multa uult draco fieri, quæ non fiunt: multa molitur aduersarius facere, quæ impeditus à sedente in solio non facit. Quanta hodie tyranni orbis terrarum aduersus Euangelium mala machinantur, quæ per eum qui quæcunque uult facit, & quę non uult ut fiant, impedit ne fiant, impediuntur, ne in rem conferantur. Hæc pij homines cum fide ponderant, non paruam accipiunt consolationem. 33.

IN CAPVT QVINTVM.

IT *uidi in dextra sedentis.*) Descripto solio, & iudice in solio cum legatis & senioribus sedente, hic ratio & iudicij forma, quam iudex in iudicando seruat, describitur: hunc de factis omnium sententiam ex aperto libro dicturum.

In dextra sedẽtis.) non in læua. Iudicij integritas atq; æquitas notatur. Sic enim in Deuteronomio, legem igneam in dextra tenere Dominum, legimus. 32.

Librum scriptum intus.) Liber Domino, quẽ in manu teneat, tribuitur, in quo singulorum dicta & facta tum bona tum mala annotata sint. Et dicitur is liber intus & extrà scriptus, ut in quo tum animi cogitationes omnium, quamlibet occultæ, tum facta foris edita perscripta sint: quę iudex Messias sedens in throno iudicaturus sit. Similia de libro apud Danielem leguntur. 7.

Septem ſigillis obſignatum.) Qui non prius ſit aperiendus ad dicendam ex eo ſententiam, in ſceleroſam Babylonem, ad liberandos electos, quàm certũ in decretorũ Dei tabulis conſignatũ appetierit tẽpus. Septem ſigilla mox explicabunt.

Et uidi angelum fortem.) Euangeliſj doctores, fortitudinis ſpiritu armatos. Sed quo munere angelus is fortis fungitur?

Prædicantem uoce magna.) Euangeliſj miniſtrorum munus eſſe, docere ſolum Chriſtum IESVM, à patre deſignatum, qui librum arcana eius continentem aperiat, de quo illud, Qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrat: & ex eodem libro iudicium mundo proferat, de quo Ieſaias, Et iudicium gentibus proferet. Item: Non caligabit, neq; frangetur, dum in terra ſtatuat iudicium. aperto uidelicet libro iudiciſj, qui ſeptem ſigillis obſignatus hic legitur.

Et nemo poterat neq; in cœlo neq; in terra.) nec ex angelis, neque ex diuis, ad quos abdita conſilia & iudicia patris patefaciendi munus non pertineat, qui ſermo ille interpres patris non ſint, de quo apud Ioannem: In principio erat ſermo. quiq; non ſint lux illa obſcura illuminans, de qua propheta: Dedi te in lucem gentium. Ex quibus demũ nullus à patre iudex uniuerſitatis conſtitutus ſit, ut filius Meſsias. uelut is ipſe teſtat, dicens: Pater omne iudicium dedit filio.

Et ego flebam multum.) Quòd in libro continerentur duo, quæ niſi patefierent, ſalus confici non poſſet: alterum, redemptio eſt, & liberatio electorum in libro conſignata: alterum, euerſio regni & principatus Satanæ & filij perditi, qui Babylon illa nobilis in orbe terrarũ meretrix eſt. Hæc autẽ in libro illo neceſſaria electorũ ſaluti contineri, ſequẽtia docebũt. Itaq; cum intelligeret ea à nemine patefieri poſſe, ſed obſignata ac clauſa manerẽt, legit hic Ioãnes ploraſſe.

Et unus de ſenioribus dicit mihi.) quidam conſiliorum Dei conſcius. In perſona Ioannis generatim electi accipiũtur, quibus nondum conſilia redemptionis per Chriſtum patefacta ſunt. Hi omnes conſolationem accipiunt.

Ecce uicit leo.) Meſsias. Sed quos hoſtes uicit? peccatũ & mortem, & omnem principatum tenebrarum uicit: uicturus etiam fœdam illam Babylonem, regnum Antichriſti. Leoni, ab animoſitate & inuicta animi fortitudine claro animali, agnus Meſsias comparatur. In hoc Ioannis uiſo ſpectatur illud in Geneſi. Catulus leonis Iuda.

Geneſ. 49.

Stirps Dauid.) Ad illud Prophetæ Ieſaiæ reſpicitur: Egredietur ſurculus de ſtirpe Iſai. Ex uirgine enim Maria, uxore Ioſephi, natus eſt Agnus uictor: qui Ioſephus ex tribu Iudæ, Dauidica fuit ſtirpe: mulieribus in nomen familiæ, in quam nubunt, abeuntibus.

Ieſaiæ 11.

Agnus.) De quo illud: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. quem Moſeus agnus Peſah dictus præfigurauit. Expendẽdum hic ingenium agnorum, & eorum uarius quem afferunt uſus. Expendenda item hoſtium ingenia, ut hi non agnis, ſed efferatis & immanibus feris cõparentur: ut ſunt urſi, lupi, pardi, apri, & uenenati ſerpentes.

Ioan. 1.

Daniel. 7.

Agnus ſtans.) non ſedens: ut qui eſſet ad ſumendam de hoſtibus ſuis uindictã, & ad ſalutem ſuis electis dandam, accinctus. Sic Ioſuæ apparuit ſtans, cum eſſet Chananæos deleturus, ad aſsignandam promiſſam hæreditatem ſuis Iſraelitis. Similiter ſtare, non ſedere legitur apud Ieſaiam, Srat Dominus ut iudicet populos: ad ultionem uidelicet de impijs hoſtibus bellicoſi ducis ritu expetendam. Sedere ergo dicit, cum conſilia init, quietus de adminiſtrando regno ſuo: ſtare uerò, iam uindicaturus in impios, & more ducis egreſſurus ad liberãdos ſuos. Sic apud eundem Ieſaiam, more herois in prælium proficiſci legitur.

Ioſuæ 5.

Ieſaiæ 42.

Tanquam occiſus.) partim ſic apparuit Agnus, ad indicandum, IESVM per obedientiam qua patri uſq; ad mortem obediẽs fuit, ad tantam amplitudinem euectum, nomine comparato cui in throno patris ſedenti ſupera, terreſtria & infera genua flectunt: partim uerò interfectus apparuit, ut intelligerẽt electi

Philip. 2.

per uniuę

per unius Agni mortem patêre ſibi ad uitam & gloriam cœleſtis regni aditum. Demum ut ſciant impij, ab ipſis Agnum, quem occiderunt, & quotidie odio & inuidia occidunt, ſupplicium ſumpturum. Huic enim pater ut crucis & glorię, infirmitatis & roboris, mortis & uitæ perito, omnium iudicandi poteſtatẽ dedit. Quò pertinet appellatio filij hominis: Cum ſederit filius hominis in ſolio maieſtatis ſuæ. Filius inquam hominis, qui omni iniuriæ crucis fuit opportunus: quod eſt hic, Et in medio ſeniorum Agnus ſtans tanquam occiſus. Matth. 19

Habens cornua ſeptem.) quibus plena iudicandi & imperandi poteſtas ſignificatur. Tropus in cornibus unde mutuetur, ſatis conſtat. Quoniam autem hæc poteſtas ſpiritu ſacro perficitur, dicit hæc ſeptem cornua ſeptem ſpiritus eſſe, qui ordine apud Ieſaiam numerãtur. De oculis, ſuprà quoq; mentionem fecit.

Et accepit de dextra ſedentis.) Patris, à quo filius omnia habet. à quo, ut hic dicit ſe accipere librum de dextra ſedentis patris in ſolio: ita apud Ioãnem ait, ſe loqui quæ audiuerit ex patre. Ioan. 8.

Prociderunt ante Agnum.) eum adorantes, ut filium uiuentis Dei, totam eius diuinitatem corporatè, hoc eſt uerè & naturà continentem.

Habentes citharas.) ad celebrandum Agnum, à beneficijs redemptionis ſcriptorum in libro uitæ.

Et phialas aureas.) Alluditur ad incenſa, in Moſea lege parari iuſſa: de quorum confectione uideris in Exodo.

Quæ ſunt precationes ſanctorum.) Ratio incenſorum explicatur. Nam ut horum ſuauis & gratus eſt odor, ſurſum ut aereæ & igneæ naturæ tendens: ſic ſanctorum precationes grato odore ſedentem in ſolio afficiunt, per nubes ad eum penetrantes in cœlum, de quo ſpiritus proficiſcitur precum ſalutarium formator. Generatim hic ſancti accipiuntur, tum uiui tum mortui: quos non precari ut arbitros ſalutis & interceſſores intelligimus, ſed qui ſpiritu Meſſiæ arbitri inſtincti ſupplices orent, ut illius imperio ſubiecti ſalutẽ accipientes, non cuiquã dantes. Vt aũt arbitri & aduocati munus ſoli Chriſto tribuat, & quæ in eo cõprehendantur, id aliàs indicatum eſt.

Et canticum nouum.) De quo Ieſaias antea prædixerat: Cantate Domino canticum nouum. Ieſaiæ 42.

Quoniam occiſus es.) per mortem, ad hanc accipiendi librum, & eum aperiendi, & ex eo iudicandi dignitatem & gloriam euectus.

Et redemiſti nos.) piacularis mortis beneficio, de qua præceſsit mentio: Quoniám occiſus es. Ordine memorantur inuiolatæ uictimæ merita. Primum cernitur in redemptione & uindicatione, qua ex peccati & mortis & errorum Antichriſti ſeruitute in libertatem regni cœleſtis uindicamur. De qua libertate aſſertor ipſe libertatis: Si filius uos liberarit, uerè liberi eſtis. In hoc redemptionis beneficio hæc perpendenda fuerint: redẽptor ipſe quis, & qualis ſit. tum redimendi ratio: & qualis ſeruitus ſit, ex qua redimimur: & libertas, in quã redempti uindicamur, quę́q; res in libertate cernantur. Redẽptor nõ aliquis angelus eſt, non diuorum quiſquã, ſed unigena Dei filius Meſsias benedictus. Modus redimẽdi nõ cõſtat neue auro, neue argento, neue pecudũ immolatione, neue meritis ullius creatæ naturæ: ſed unius ſanguinis IESV Chriſti precio. precio ſanè, cuius preſtantiam nulla res in hac uniuerſitate æquet. Seruitus miſerabilis ex qua redimimur, noxæ & mortis ſeruitus eſt. In libertate, in quã aſſerimur, ſpiritus filij, ueram iuſticiam, uitã & gloriam afferens cernitur: ſpiritus in quam, nos reges & ſacerdotes ungens, de quo beneficio ſequitur. Ioan. 8.

Reges.) Non reges, quales huius mundi reges ſunt, terrena imperia mox abolenda regentes: ſed reges, qui cum Meſsia rege regno cœleſti, nulla ui uiolando potiuntur. cui regno ac imperio peccatum, mors, infernus, principatus tenebrarum, Antichriſtus cum ſuis pſeudoprophetis, & cunctis orbis terrarũ tyrã-

nis, & omnia potentíſsima in mundo ſubiecta ſunt. Beati, qui oleo regali ſpiritus Meſsiæ uncti, in hoc regno partem habent.

Et *ſacerdotes.*) munere ſe offerendi Deo, precandi, & gratias agendi, docendiq; per unctionem omnia docentem, perfungentes.

Et *regnabimus.*) non draco, non Antichriſtus: conuerſis orbis terrarum finibus, ad Euangelium Agni

Super terrã.) ſed nõ ex terra, uerùm de cœlo, ex cœleſti ſpiritu Meſsię renati. Hinc infrà legĩ Hieroſolyma de cœlo deſcẽdere, in terra cœleſti regno regnãs.

Et *audiui uocem angelorum.*) celebratũ iri Agnũ ab angelis, illius miniſtris, & à legatis, ſanctis hominib. & reliqua cũcta natura cõdita: cuius antea per draconẽ & Babylonẽ laus impedita fuerat, in hoc carmine, ut filij Dei omnib. diuinitatis numeris abſoluti, adorãda maieſtas proponĩ: quo cultu angeli, diui, & reliqua uniuerſa natura condita caret. Inducĩ uniuerſitas hæc celebrare Agnum, quòd per hũc omnia cõdita ſint, ut ſermonẽ Dei: & eadẽ p ſanguinẽ eius repa rentur, & pacificentur cùm Deo, reſtituto homine ſuæ integritati. De qua pacifica tione & reparatione, qua uniuerſa creatura à ſeruili ſuo interitu ſit liberãda, liRom. 8. beratis filijs Dei, aliàs ex ſacris literis mentio facta eſt.

IN CAPVT SEXTVM.

Iudicium Agni. IT *uidi cum aperuiſſet Agnus unum de ſigillis.*) Explicantur ſeptem obſignati libri ſigilla, & ipſum iudiciũ ex aperto libro faciendũ. Sed quod eſt illud tẽpus, in quo iudiciũ exercebĩ? Duplex id in ſacris literis occurit conſiderandũ: alterũ particulare, alterũ uniuerſale. Particulare eſt, quod in unã aliquã gentẽ declarat. quale fuit Sodomę & Gomorrę, Aegyptiorũ, Chananęorũ, Aſſyriorũ, Babyloniorũ, Perſarũ, Gręcorũ, & Romę à Gothis aliquoties uaſtatę iudiciũ: et quale iudiciũ eſt, quod in populos et gẽtes quotidie exercet. Vniuerſale uerò iudiciũ bipertitũ cernĩ: alterũ uiuorũ, alterũ uiuorũ & mortuorũ. Viuorũ generale iudiciũ ex Prophetis & noui fœderis ſcriptura intelligĩ eſſe, quod ſub Euãgelij patefactionẽ in toto terrarũ orbe fiet. de quo iudicio Ieſaias ſic loquĩ, Et iudiciũ gentib. proferet: patefacta uidelicet Babylone, regno Antichriſti. Et de eodẽ Dominus noſter apud Matthęũ:
Matth. 24. Prædicabĩ hoc Euãgeliũ omnib. gentibus, in teſtimoniũ. Sed in quod, & in cuius rei teſtimoniũ? In iuſti ſanè iudicij teſtimoniũ, quod Agnus in improbos, ad liberandos electos ſuos per uarias afflictiones, ex aperto libro immittẽdas, exercebit: ſed quę propter hos, ne uniuerſa caro intereat, ſint decurtandę. Atq; hoc iudiciũ primę reſurrectionis iudiciũ eſt, multis in hac reuelatione à Ioanne uerbis explicatũ. Alterũ iudiciũ generale uiuorũ & mortuorũ iudicium erit, quod ſecundæ reſurrectionis, cui prima pręludet, iudicium futurũ eſt. Atq; hoc apertis conſcientiarũ libris exercebitur, de quib. infrà: Et libri aperti ſunt, & iudicati ſunt mortui ex ijs quę ſcripta erãt in libris ſecundũ opera ipſorũ. Vt aũt non unũ genus iudicij eſt: ita nõ una librorum, & eorum aperiendorum ratio iudicatur eſſe. Quotuplex aũt ſit liber, quẽ Agnus in ſolio maieſtatis ſuæ ſedens tenet, ex iudicij partitione cognoſcitur.

Et *audiui unum de quatuor animalibus.*) Quorum tanquã legatorum munus ſit, ſententiam & iudicium Agni mundo ipſi denunciare.

Tanquam uocem tonitrui.) quę ſeuero iudicio congruit. itaq; ſuprà: Et de throno prodibant fulgura, & tonitrua, & uoces.

Equus albus.) Equus militare animal, iudicij Agno, quem ad puniẽdos impios, & liberandos pios conſcendat, aptus eſt. Dicitur autem album equum conſcẽdere, cum in aduerſarios & hoſtes ſuos iuſtum rectumq; iudicium exercet, cui candor competit.

Habet

Habet arcum.) ex quo intento mitteret iræ suæ iacula, quibus hostem conficeret. Quæ spiritus Euangelij iacula sunt, de quibus Iesaias: Spiritu oris sui interficiet impium. Habet & draco arcum suum, ex cuius neruo per filiũ perditum ignita inuidiæ, odij, & persecutionis electorum tela mittit. Sed hunc arcum, Agni sedentis in cœlesti solio arcus frangit ac cõterit, de quo illud: Arcus fortium fractus est. *Iesaiæ.11.* *1.Reg.2.*

Et data est ei corona.) uictoriæ sacrę, quò pertinet mentio albi equi. De equis uarij coloris, uideris apud Zachariã, quò hoc uisum spectat. Victorię huius initia, quãtũ attinet ad tẽpora restitutionis Euãgelij, & patefactionis Antichristi, iam cernimus: plenam sensuri publicarũ orbis terrarũ afflictionẽ temporibus confectis, de quibus sequitur.

Et exiuit alius equus rufus.) Superioribus seculis uarijs semper terra calamitatib. infestata est: bellis, fame, peste, terræ motibus: ut documẽto sunt bella in Romanũ Imperiũ à Gothis, Vãdalis, Hunis, Persis, Sarracenis, Mahumetanis, Turcis excitata. Sed hæ clades nihil sunt, ad eas clades quę restituta Euãgelij luce mũdo, sub reuelationẽ Antichristi his postremis tẽporib. terrarũ orbẽ uexabunt. De quib. Dominus, ut sæpe aliàs citatũ, prophetarũ oracula interpretans apud Euãgelistas meminit, & eas Ioannes in hoc uiso clarè explicat. Hæ calamitates per equum rufum, nigrũ, pallidũ, &c. significantur. Equus rufus sanguinaria bella indicat, quib. improbitas incolarum terræ puniatur. Quorũ bellorũ satan machinator est: sed permittente & ea moderãte Agno, qui tyrãnos excitat, ut flagella, quib. scelera uindicentur. Sic uirga diuini furoris Assyrius appellatus est. *Iesaiæ 10.* Idem de Babyloniorũ, Persarũ, Gręcorũ & Romanorũ tyrannis iudicium. Apud Zachariam prophetã scriptum est, ut per noctẽ is uiderit uirum conscendentẽ equum rufum, eumq; stantẽ inter myrtos, quæ erant in profundo: post quem fuerint equi rubri, uarij & albi, quos miserit Dominus ad peragrandam terram: qui ut peragrassent terrã, eam in tranquillo statu cœpisse esse. Sed quid hoc uiso fuit significatũ? Si mystica spectes, significatum fuit, omnia pacata fore, Babylone in profundo sita, à Persis & Medis euersa: qui Persæ & Medi per equos rufos & albos significati fuerunt, illis cruentum bellum in Babylonem excitãdũ, his uictoriã de eadẽ illa reportandã protẽdẽtibus. Sin uerò submoto mystici oraculi uelo, res figuratas cõsideras, occurrit perpẽdendũ: nouissimis his tẽporibus, nõ prius terrã pacato statu fore, quàm per insidentẽ equo rubro Messiã cœlestẽ Cyrũ, uarijs motib. & sanguinarijs bellis in terrarũ orbe excitatis, Antichristi regnum euersum fuerit, & Hierosolyma electorum liberata. *Zach.6.* *Iesaiæ 44.*

Vt tolleret pacem de terra.) gente contra gentẽ & regno contra regnũ, temporibus abolitionis imperij Babylonis meretricis, omnẽ in terra pacem conturbãtis, consurrecturo. Præsignificat item eam pacis conturbationem, quæ futura sit tẽporibus destructionis dominatus capitis maioris inter duo capita, in Romanę monarchię aquila apparẽtis: Quod est Mahumetanũ imperiũ, natũ cum de Ecclesiæ principatu inter Romanũ & Cõstantinopolitanũ episcopũ disceptatio esset, utroq; episcopo illũ sibi arroganter uendicante. *Esdræ.11.*

Et ecce equus niger.) Annonæ caritas, certũ exitiũ nigrori cõparatũ afferens, significat. Præcesserat de bellis: iã de fame, quã funesta bella in comitatu habẽt, uaticiniũ sequitur. pręterita tẽpora ex historijs nota sunt. Nostra secula si intueare, quantũ precia rerũ omniũ crescant, satis manifestũ est, magna nostra querela. Initia hæc sunt dolorũ, duriora sequentẽ tẽpora, cladib. unà cum hominũ imꝑbitate inualituris. Sed quod malũ tantã annonę difficultatẽ comitat? sequit:

Ecce equus pallidus.) Aptus is color est significandæ pesti, quæ solet bella & rerum ad uictum necessariarũ penuriam consequi. In equo pallido, præter pestẽ, etiam alia, & ea uaria morborum genera, quibus mors creatur, accipiuntur. Coniungit cum morte infernum, hoc est sepulchrorum mentionem, in quibus

mortui reponuntur. Nota enim est Hebræa uox שאול, quæ foueam ac sepulchrum propriè significat: unde translatio mutuatur, ad eum statum notandum, in quo qui uersant, beneuolētię diuinę luce carent, caligine & tenebris obsepti furoris iudicis Agni. Itaq; nō pari modo bellis, fame & peste afficiuntur electi & maledicti: alteris morte quidem temporaria, non æterna destinata: alteris utraq;. Alteris mors quam in præsenti seculo obeunt, medicina est, ac remediū: alteris uenenum. alteram nimirum mortem parante noxa in Spiritum sanctū, alteram peccato in filium hominis.

Et à bestijs terræ.) In lege calamitas hæc à Mose explicata est, & à uatib. repetita: quę cum cæteris cladibus quas Moses cōmemorat, ut Israelitis intentata est: sic eadem Ecclesiæ prę figuratæ per Israelitas quoq; intentatur, cùm rectè ex Euangelio se non gerit. Intueamur superiora & hæc nostra secula, in quibus plenè quæ hic prædicuntur, implebuntur.

Animas interfectorum propter uerbum Dei.) non propter scelera sua, quæ draco & eius filius Antichristus nō oderunt, ut qui ipsi perditè sceleroſi sint, ac omnium criminum architecti.

Vidi inter altare animas.) In sigillo isthoc aperto præcipuè postrema hæc indicantur tempora, quibus interfectorum animæ Deum ad uindicandum sanguinem suum precum clamore sint sollicitaturæ: Ecclesia quidem à temporibus Apostolorū, sub Nerone, Domitiano, Traiano, M. Antonino Vero, Septimio Seuero, Iulio Maximino, Decimo Traiano, Licinio Valeriano, Aureliano, Diocletiano & Maximiano, Constantio & Iuliano, magnis calamitatibus affecta est: sed quàm grauiter his proximis temporibus sub Antichristi patefactionem cœperit infestari, & quàm atrociter uexanda sit deinceps, dracone & filio eius perdito sentientibus suum regnum in hoc patefactionis Christi per sacri Euangelij lucem aduentu periclitari, res ipsa & exitus docebit.

Subter altare.) Aræ fit mentio, propter Christum cœlestem illam aram, super quam qui mactantur propter confessionem ueritatis, Deo gratæ uictimę reddūtur: & super quam aram piorum preces fusæ, à Deo exaudiuntur. Interfectorum autem animæ quòd non supra aram, sed infra eam uidentur, dignitas aræ Messiæ significatur: cui sancti ut membra suo capiti subiecti sunt, agnoscētes extra Christū arā nullā esse, neq; expiationē peccatorū, neq; reconciliationē qua recōciliemur patri, neq; precationis ullam esse exauditionē. Alluditur ad duas Mosæas aras, uictimariā & suffitoriā: quarū altera expiationi peccatorum, altera incensis sacrata erat. Exod. 30.

Vsq; quò Domine.) In oratione hac de ulciscendo sanguine piorum, non priuata uindicta spectatur, sed assertio & uindicatio gloriæ Dei, quam uident periclitari impunè grassantibus impijs in filios cœlestis regni: qui non propter sua crimina, sed propter Euangeliū Agni, & eius testimoniū uexētur. Accidūt igit tēpora, quando pro inimicis orandū sit, & eis benefaciendū. accidūt itē, quādo ut pereant hostes, precantur pij, cum uident gloriæ Dei causam agi, cui sciunt omnia debere cedere: & præstare ut totus is mundus aspectabilis in fauillas abeat, quàm uel minimum illi decedat, cui nihil decedere queat sine totius uniuersitatis detrimento & exitio.

Stolæ albæ.) Puritas à uitiositate notatur, qui essent loti sanguine Agni. Hic cognoscimus primò, interfectorum animos supereſse & uiuere, non cum corporibus extingui: quos Deum precari legimus, ut uindicet suorum sanguinem ab impijs fusum. Alterum est, separatos à corpore animos non ociari, & ab omni actione uacare, quos hic legimus orationē aduersus sanctorū hostes fundere, de quibus diuina iustitia uindictam ad asserendam gloriam suam expetat: quod flagrantis amoris in pios in terra uersantes, & miserè ab improbis uexatos, in beatis mentibus signum est. Postremò intelligimus, sanctorum animos

animos cum Christo in cœlo uersari. Leguntur enim hic subter aram Messiæ preces suas fundere per cœlestem spiritum. Itaq; Apostolus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quę, eorum qui in Christo moriuntur, & propter sacrum eius Euangelium perimuntur, summa consolatio est. Hos uiuere, etiam ipsa uita IESVS Christus testatur, cum dicit, eos qui sibi fidem habent non mori, sed de morte in uitam transire. & idem ad latronẽ: Hodie mecum eris in paradiso. Philip.1. Ioan.5 Lucæ 23.

Et dictum est eis ut requiescerent.) dum impleatur mensura improbitatis Babylonis meretricis, quæ occisis electis propter testimonium IESV, impletur: & ea impleta periturum sanguinarium scortum, Ioannes hic significat.

Et cum aperuisset sigillum sextum.) De terræmotib. qui præcipuè in his postremis tẽporibus patefactionis desolationis, in loco sancto stantis, quæ Antichristus est, futuris, eorum, post mentionem bellorum, famis & pestis Dominus noster apud Euangelistam his quoq; uerbis meminit: Consurget gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt pestilentia & fames & terræmotus in singulis locis. Quæ igitur Ioannes septem sigillis consignata uidit, Dominus uno fasce quaternario nobili numero comprehendit. Matth.24. 2.Thess.2. Matth.24.

Et sol factus est niger.) Tenebræ calamitatum insignium significantur. Eadem in Iesaia uate leguntur. Iesaiæ 13.

Et luna facta est sicut sanguis.) Horribilis humani generis interitus significatur. Nominantur duo maiora sidera, in animantium usum præcipuè deputata, sol & luna: alterum interdiu, alterum noctu lucens. Genes.1.

Et stellæ de cœlo ceciderunt.) Clarorum hominum casus notatur. In hoc afflictionum tempore clarissima quæuis sideribus comparata, in mundo casura regna: & eorum præsides, sapientissimos quosq;, & potentissimos: & præcipuè Babylonis, quæ se supra sedem suam collocasse gloriatur, miserabilis casus significatur. De quo infrà: Cecidit Babylon. Et hoc est quod hic legitur: Et stellæ de cœlo ceciderunt.

Et cœlum recessit sicut liber.) Ex Propheta Iesaia hoc mutuatũ: Et tabescet omnis militia eorum, & cõplicabuntur sicut liber cœli. & omnis militia eorũ defluet. Iesaiæ 34.

Et omnis mons.) Figurato sermone cladẽ amplificat. Explicatur figura loquendi sequentibus uerbis: Et reges terræ & principes, &c.

Quoniam uenit dies magnus iræ illius.) in Babylonẽ effundendæ, ad liberandã electorum Ecclesiam.

Et quis poterit stare.) non tectus Agno, à se stante?

IN CAPVT SEPTIMVM.

POst hæc uidi quatuor angelos.) Vt suprà per quatuor equos, is qui sedet in throno iram suam ostendit: sic quatuor angeli, eiusdem iræ in terrarũ orbẽ effundẽdæ ministri sunt. qui orbis terrarũ, quatuor angulis, hoc est finib. Oriente, Occasu, Aquilone & Austro continetur.

Ne flaret uentus.) ut in spirabili natura rerum uita & conseruatio continetur: ita ea absente, uiuentia squalent & concidunt. Notatur igitur in impedito uento ne spiret, uastatrix uis & calamitas cuncta perdens, de qua mox: Nolite nocere terræ.

Quibus datum est.) ab Agno sedente in throno commissum, quo iudice, anathemate terra his nouissimis tẽporib. percutiet, in quib. Euãgeliũ per suos legatos & angelos ministros diuinę gratię in pios, & irę in impios declarãdę patefiet. Prouerb.10.

Quousq; signemus.) Quòd p calamitates electi nõ delẽdi, ut impĩ, essent: sed cõseruãdi, ut qui sint mundi fundamentũ. Sed quod est illud signũ, q̃ qui signant ex electis, nõ peribũt? Hoc signũ partim cernit in cruce, cuius in corpore notas ferũt: qb. Apostolus, de Stigmata Domini nostri IESV Christi in corpore meo fero, q̃ sunt mortificationis ueteris hominis signa. partim signant spiritu Sancto, Gal.6.

ſancto, qui teſtimonium ferat, electos uictores in afflictionibus euaſuros. de
Epheſ.1. quo ſigno Apoſtolus: Obſignati ſpiritu promiſſionis ſancto. At quoniam hoc ſignum non apparet, niſi ſe proferat foris confeſsione fidei, legitur hic, Dei ſeruos in frontib. ſignari: quòd in frõte animi notæ ac ſigna appareant. & quia animi, quorum in fronte indicia oſtenduntur, diuinitatis proxima ſedes ſunt, legitur etiam ſanctos nomen Dei in fronte ſcriptũ tenere. Alluditur in hoc Ioan-
Ezech.9. nis uiſo ad Ezechielem, apud quem iubentur ſigno Thau ſignari, qui ab imminente clade immunes erant futuri: quod eſt ſignum ſpiritus uitæ Meſsiæ, præſens & efficax ſignum ad eos quos ſignat, liberandos. Qui obſignator pectorum electorum ſpiritus, quia ſanguinis IESV Chriſti ſpiritus eſt, hunc diuina ſapientia præfigurari uoluit Agni ſanguine, qui Iſraelitarum domuum poſtib. aſperſus fuit, ut ab imminente Aegyptijs clade tutæ forent. Cæterùm ut pij in fronte ſignum Agni gerunt, ſic impij characterem beſtiæ, de quo infrà mentio fiet, ferunt.

Et audiui numerum ſignatorum.) Numerantur ſcripti in libro uitæ: impij non item,
Matth.7. qui in diuinum cẽſum minimè ueniunt. de quibus illud: Non noui uos. hoc eſt, non agnoſco uos tanquam filios meos. Numerari igitur electos, amoris & beneuolentiæ Dei erga eos ſignum eſt.

Centum quadraginta quatuor millia.) Primò ſignantur Iſraelitę, ut naturalis oliua. Ex Moſe & Prophetarum oraculis apertum teſtimonium affertur de Iſraelitarum reconciliatione, qua cum Deo ſint ante extremum iudicium reconciliandi, liberati ex afflictionibus, quibus quatuor angeli terrarum orbem uaſtaturi ſunt. Hos autem hactenus redijſſe cum Deo in gratiam, nemo affirmarit. Nam neq; tempore Apoſtolorum, quo reiecti ſunt: neq; interiectis ſeculis, quibus omnia perdito filio deſolante per abſentem Euangelij lucẽ redire in gratiam cũ Deo potuerunt, ut etiam hos non redijſſe, eorum cæcitas & miſerum exitium comprobant. Adhuc igitur reſtat tempus, quo hæc obſignatio, cuius in Ioannis uiſo mẽtio fit, fiet. Quod eſt aduentus Meſsię tẽpus, quo is per hanc poſtremã & nuper reſtitutã Euãgelij patefactionẽ uenit. De quo aduẽtu Ieſaias, citãte eum
Rom.11. apoſtolo Paulo, meminit, ubi ait: Aduenier ex Sion qui liberat, & auertet im-
Ieſaiæ 59. pietatẽ à Iacob. De quo quęſo aduẽtu Chriſti Apoſtolus loqui Prophetã intelligit? De eo, quo, illo in mundũ repręſentato, Apoſtoli Euangeliũ prędicarũt? At tũ Iſrael reiectus fuit, lõgè miſerrima cęcitate affectus. Nũ de ultimo, quo ſtipatus angelis aduenier cũ maieſtate, ad iudicãdos uiuos & mortuos? At tũc nõ recõciliatoris, ſed iudicis ritu ueniet. Ergo loquit̃ de interiecto aduentu, quo ipſe per reſtituti Euangelij ſpiritũ electis ſuis, quos aduerſarius profanarat, prę-
ſentẽ ſe reddet. In quo aduẽtu patefacto filio perdito, Iſraelitę & gẽtes cũ gratu-
Matth.23. latione Meſsiam mũdi ſeruatorẽ excipientes, acclamaturi ſint: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Hęc uerba enũciaturos Iſraelitas, Chriſtus eorũ recõciliationis tẽpora indicãs fatet̃. De quorũ reſtitutione poſt Moſem & Prophetas & Chriſtum Dominũ noſtrum fidum Prophetarũ interpretẽ, & apoſtolum Paulũ, Ioannes clarè hic loquitur. Quare mirũ ſit, ſi quis dicat, ea quæ hic Ioannes ſcribit, à temporib. Apoſtolorum uſq; ad poſtrema hęc tẽpora potuiſſe impleri, cum nulla ſigna confectæ reconciliationis per ſignationẽ in eorum frõte factam appareant: neq; ulla publica indicia extent, quibus declaretur miſeram gentem in gratiam receptã, ſed cõtraria omnia: excęcatio, Chriſti eiuſq; Euangelij ignorantia, horribilis captiuitas & exiliũ. Dicat fortaſſe aliquis, eos ſub extremũ uitę tẽpus cõuerti ad Deum à Deo potuiſſe. Quid potuerit Deus facere, in quæſtionẽ in prẽſentia nõ uenit: ſed an eorũ quæ dicit̃ Deus feciſſe, publica aliqua & illuſtris ſignificatio in mũdo appareat, qualẽ in Iſraelitarũ reconciliatione futurã Prophetæ prædicũt, & eam hic cõfirmat Ioannes, ſigni quo Iſraelitarũ frons ſignãda ſit mentionẽ faciens, quod ſignũ, fidei profeſsionis, &

uitæ

uitæ Euangelij Christi consentaneæ declarationis signum est. Qualis signatio non cernitur in ijs, qui per totam uitam cæci ac surdi in mundo uixerunt. Est autem in Prophetarũ oraculis, Israelitas solenni & publica recõciliatione, quam mundus cernat, cum Deo maiorũ suorum redituros in gratiam, de cœlo in eorum pectora spiritu Messiæ fuso, ut id clarè in Iesaia & alijs Prophetis indicatũ est: quo spiritu ipsi circũcisi, & aquis eius mundati, & eiusdem lege in ipsorum cordib. scripta, Deum sint culturi fide & amore in filio Messia. Sic em̃ ait post Mosem Iesaias: Super montẽ excelsum ascende tu qui Euangelium nũcias, extolle fortitudine uocẽ tuam qui euangelizas Hierusalẽ. Euangelij igitur quod publicè prędicatum auscultabũt, luce Israelitę illuminati cõuertent̃ ad Deum, Messiam eius his uerbis excepturi: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Quę publica excepti Messię celebratio declarat, Israelitarũ reconciliationẽ nõ confectũ iri per occultã eorũ sub obitũ redẽptionem. Dicas: quid ergo fiet Israelitis, qui hactenus in tãta cæcitate hinc excesserũt, si eis tẽpore emigrationis in hoc seculo, salutis lux nõ affulsit? Omnes ne inter irę uasa ab æterno maledicta numerabunt? Huic quæstioni alio loco occursum est. Obijciunt hic nõ pauci, qui diuersa sentiunt, Chiliastarũ errorẽ: in quẽ incidãt, qui futurã Israelitarũ cõuersionẽ cõfirmant. Quid Chiliastæ, inter quos martyres & sancti uiri fuerũt, senserint, expendendũ hic nõ fuerit: qui si corporale aliquod & terrenũ regnũ finxerũt, quo regnaturi sint electi, eorũ errorẽ meritò docti & eruditi sacris literis uiri refutarũt: neq; illis nos quisquã patrocinaturos existimet, qui aliud q̃q; quòd Messiæ cœlestis & spiritualis regis cœlesti regno cõueniat, minimè statuimus. Itaq; hic non expendimus quid Chiliastæ senserint: sed quid ipsa sacra Prophetarũ oracula doceant, considerandũ nobis esse iudicamus. Hæc aũt longè clarissimè monẽt, Israelitas cum Deo maiorũ suorum in gratiam redituros. Quod quoniam hactenus neq; cõtigit, neq; per filium perditũ cõtingere potuit, quod à Prophetis prędictũ est, ut impleat̃ tandẽ necesse est. Interea illustre extat illud Oseæ oraculũ: Quia dies multos sedebũt filij Israel sine rege & sine principe, & sine sacrificio & sine ara, & sine ephod, & sine theraphim: & post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum, & Dauid regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius postremis temporibus. Dicit diuinus Spiritus diu sine cultu Dei Israelitas in mundo mansuros: neq; meminit ullius rationis & modi, quo in isto longo exilij tempore reconciliatio fiat: sed eo confecto, futurum ut quærant Dominum suum, & Dauid, hoc est Messiam regem suum. Quod Daniel præsignificans dicit, desolationem abominãdam in finem usq; duraturã: in finẽ uidelicet tẽporis exilij & excęcationis illius, in tabulis decretorum Dei consignati: & hoc tempore finito, non antea, eos restitutum iri.

Iesaiæ 40.

Deuter. 30.

Ezech 36.

Hierem. 31.

Daniel. 9.

Duodecim millia.) Denotatur numero hoc à Ioanne memorato, iustus & plenus Israelitarum in cœlo scriptorum numerus, quos nihil prohibet etiam secũdum spiritum, ut id aliàs indicatum, Abrahami sobolem esse. Duodecim millia in se ducta, creant centũ uigintiquatuor millia, suprà memorata. Vsurpat̃ hic duodenarius numerus, qui sacer habetur in sacris literis. Duodenis enim tribubus Iacobæa familia distributa fuit, quibus in mysterio totus electorum cœtus continet̃. Celebris itẽ est à duodecim panib. supra sacrã in tẽplo mẽsam positis, qui nobis panẽ uitæ Messiam præfigurarũt. Is quoniam per prædicationẽ Euangelij dispẽsandus erat, duodecim quoq; Apostoli delecti sunt ad numerũ duodecim panũ & tribuum Israelitarum. Prætermitto mentionẽ duodecim fontium, quos Israelitæ in solitudine, ut egressi fuissent ex Aegypto, repererũt: ut duodecim lapidib. ciuitas è cœlo descendẽs Hierosolyma extruat̃, & in ea arbor uitalis cernatur, duodecim fructus ferẽs, infrà Ioannes explicat. Nec mirũ est duodenarium tantopere commendari, qui primus à denario, quem continet, fine numerorũ, fœcũdus numerus est, duos senarios perfectos numeros cõplectẽs.

Exod. 25.

Exod. 15.

Post hæc

Post hæc uidi, & ecce turba multa.) Hæc turba multa est plenitudo illa gentium, ad
Rom. 15. Agni Euangelium cõuersa, de qua Apostolus his uerbis meminit: Donec plenitudo gentium intrarit, & sic totus Israel saluus erit. impleto quod Dominus
Ioan. 10. dicit: Erit unus pastor, & unum ouile.

Stantes ante thronum.) agnito per fidem Agno, sedente in solio. Filijs igitur Dei natis è spiritu Christi, & thronus coram quo hic stare dicuntur, & Christus ipse præsens est: ut in cœlo per interiorem & nouum hominem, tanquem ciues habitare dicuntur.

Et palmæ.) Notatur uictoria fidei, cuius palma arbor, nullis ponderibus cedẽs,
PALMA. signum est. Nam hæc ponderibus si prematur, nequaquam deorsum flectitur, sed sursum curuatur, fornicaturq́, uim facienti fortiter resistens. Sic sancti se habent sub afflictionum pondere, sursum nitentes, per spem in cœlis repositam omnia superantes. De hac arbore uideris apud scriptores rerum.

Salus ei qui sedet.) Omnem Deo patri salutem, per redemptorẽ Messiam filium acceptam ferentes. itaq́ nominantur Deus & Agnus.

Matth. 24. *Qui uenerunt ex afflictione magna.*) superstites ex afflictione illa, qua terrarum orbis afficietur sub testimonio Euangelij, omnibus gentibus prædicandi.

Per sanguinem Agni.) non per facultatem naturæ, & merita humanæ iusticiæ.

Et seruient ei.) colentes eum per Spiritum præsentem, spiritu & ueritate.

In templo eius.) in Ecclesia electorum, ex Deo generata: non in materiatis templis, humanis manibus fabricatis, & idolis profanatis.

Ioan. 6. *Non esurient amplius.*) satiati pane, qui de se dicit: Ego sum panis uitę. quem abstulerat pastor stultus, pascens cultores suos terrestri humanarum doctrinarum
Genes. 3. puluere, qui serpenti quem edat in cibum destinatus est.

Reget illos.) non Antichristus, rex Babylonis, matris omnis confusionis.

Ad uiuos fontes aquarum.) sacri Euangelij spiritus, relictis Draconis dogmatum turbidis & mortuis aquis: non ex cœlo, sed ex inferno manantibus.

Et absterget Deus omnem lachrymam.) Pro modo & ratione primæ resurrectionis, altera simpliciter ab omni crucis uexatione libera erit.

Et cum aperuisset sigillum septimum.) Hoc silentium, partam ab afflictionibus quietem electis denotat. Septenarius enim quieti & uacationi à laboribus sacratus
Genes. 2. numerus est, ut senarius labori.

IN CAPVT OCTAVVM.

ET uidi *septem angelos stantes.*) De eadẽ re uisum proponitur, sed alijs uerbis, prophetico more explicatum. Nam ut superior senarius mundi afflictiones, & septenarius quietem ostendit: sic senarius & septenarius in hac prophetia eadem ostẽdunt, uarias uidelicet afflictiones, & ab his quietem. Sic etiam Prophetis mos est, eadem de re uarijs uisis & oraculis prophetare: ut id ex Iesaia & alijs patet.

Et datæ sunt illis septem tubæ.) concionatoriæ Euangelij tubæ, ad quarum clangorem terræ incolæ uarijs calamitatibus, in hoc reuelationis per spiritum Euangelij aduentu, inuoluentur. Intueamur nostra tempora.

Et alius angelus uenit, & stetit ante altare.) Alluditur ad aram suffitoriam, in qua cœlestis aræ Messiæ benedicti umbra cernebatur. In hac ara Christo IESV, ignis ardet, qui ipsis sanctis preces suas salutares reddit, & impijs pernicioſas. Nã electorum precatione Ecclesia in medio afflictionis æstu augetur & conseruatur omnibus seculis, in quibus Euangelium prædicatur, impijs hostibus in terra pereuntibus igneo oris Christi spiritu, qui sanctorum spiritus est. Quot quęso hodie Euãgelij & eius cultorũ hostes, solo precationis igne de ara Messia sumpto, perierunt, & pereunt? Qui habet aures audiat, quæ in hoc uiso

Ioannes

Ioannes loquitur. Atque hoc ipsum est quod hic legitur: Et impleuit illud de igne altaris.

Et ascendit fumus.) Alludit ad incensa, quorum mentionem fecit: Ascendit precationis fumus unde descendit. Nam spiritus precator de cœlo in pectora electorum funditur, qui precando in cœlum se leuat, eorum quos corripuit corda secum extollens. Itaq; unde sit is descensus & ascensus æstimandus, ij qui in se uiuentem Messiam sentiunt, intelligunt.

Et facta sunt tonitrua.) Exponitur precationis sanctorum per igneum Christi spiritum instructæ, uis. precantur enim electi filij Dei, ut Euangelij tubis sonãtibus in orbe terrarum, iudicium impiorum acceleretur. Quod in tonitruis & fulguribus significatur, & sequente oraculari cõcione explicabitur.

Et manu angeli coram Deo.) Sed quis est ille alius angelus, cui dantur incensa multa, quę det deprecationibus sanctorum? Nomine huius angeli accipiuntur, quos Deus singulari afflatu diuini spiritus incitat ad precandum, tempore quo afflictionum procellis Ecclesia agitatur: quibus precantibus per Agnum, Patrem, is illos exaudiens, spiritum precum in sanctis excitat, quo intercessore Ecclesia seruatur, impijs persecutoribus uindicatis, ut sequitur.

Et septem angeli præparauerunt se ut canerent.) tubarum clangore per ignem in susfitoria ara ardentem, & precatione sanctorum armato. Alluditur ad Moseas tubas, quæ has tubas Euangelij clangorem edentes præfigurarunt. *Num. 10.*

Et facta est grãdo.) Fames, rerumq; penuria notatur, quæ suprà quoq; exposita est, sed alijs uerbis.

Et tanquam mons ardens.) Bellicus furor, omnia sanguine replens, significatur: qui suprà in equo rufo notatus est. Montium & maris figura nota est, in Apocalypsi Ioannis per eam potentissimis in mundo significatis.

Et cecidit de cœlo stella magna.) Varia lues, quæ suprà in pallido equo notata est, significari hic uidetur: quæ clarorum uirorum, quos stellis comparat, casu extiterit.

Et percussa est tertia pars solis.) Afflictionum tenebræ significantur: & quia nondum finis adesset illarum, non totus Sol apparuit obscuratus, sed tertia eius pars. Contrà suprà, cùm aperiretur sextum sigillum, legimus Solem atrum factum, nulla eius parte excepta.

IN CAPVT NONVM.

ET uidi stellam de cœlo decidisse in terram.) In hac uisi parte hæc consideranda fuerint: quid stella cadens de cœlo: quid puteus abyssi, & eius clauis: quid ex eo fumus excitatus: quid Solis obscuratio: quidq; locustæ significent, & quibus hæ & quanto tempore noceant, & quę sit locustarum descriptio, quęq; earum quibus dimicant armaturæ. De singulis ordine inter interpretandum monebimus.

Et uidi stellam.) Nomine stellæ accipitur errorum machinator, dogmata præsertim his postremis temporibus sparsurus, quæ miserè conscientias eorum, quorum frontes diuini spiritus signo consignatæ non sunt, uexatura sint. Nam Draco cernens regnum suum inclinare, per hunc abyssi angelum extremum suum conatum in seducendis orbis terrarum incolis ostendet.

Cui data est clauis putei abyssi.) inferni, ex quo exitialia dogmata proficiscũtur: ut de cœlo salutaris Euangelij doctrinæ ros funditur. Ostendit diuinus spiritus, neq; Draconi, neq; filio eius perdito, neq; ulli pseudoprophetæ & falso doctori, clauem, hoc est, potestatem ullam seducẽdi homines esse, quam non eis Deus cœli, terræ & inferni, & omnium quæ cœlo & terra continen

tur Dominus concedat. Hic enim legimus: Et data est ei clauis putei abyssi.
3. Reg. 22 Sed à quo data est? A` Deo data est, qui impios indurare, qui spiritum men
2. Thes. 2. dacem in ore falsorum uatum, qui efficacem illusionem impijs, ut credant mendacio, immittere dicitur. A` Dracone etiam stellæ de cœlo cadenti, data clauem inferni accipitur: ut infrà dicitur Draco dare potestatem bestiæ. Quo autem discrimine ea potestas à Deo & à Dracone dari dicatur, alias, & per alios indicatum est.

Et aperuit.) per clauem, de qua mentio præcessit. Est ergo clauis, qua aperitur infernus ad nocendum: & clauis item qua aperitur cœlum, ad salutem dandam, de qua suprà monitum est.

Et ascendit fumus putei.) Notantur tenebræ errorum, animi oculos non secus pertentantes, atq; fumus corporis oculos pertentat.

Et obscuratus est.) figura hęc loquendi nota est. Figuratè etiam indicatur, Solem Christum lucem suam non ostendere.

Et ex fumo prodierunt locustæ.) Cæci doctores fumo errorum excæcati significantur, qui non secus animis praua doctrina nocent, atque locustæ nocent satis.

Qualem habent potestatem terrestres scorpij.) De quorum ueneno, quod gerunt
Esaias 9. in caudis, uideris apud scriptores rerum. Horum uenenatis caudis, ut falsi prophetæ & doctores comparẽtur, indicat Iesaias: Propheta autem qui docet mendacium, ipse est cauda.

Ne terrestres herbas læderent.) Vt locustæ solent, quæ harum quæ hic memorantur, figuram præferunt.

Nisi homines qui Dei signum.) errorum fumo, Christi spiritu obsignatis minimè nocituro. Hoc enim qui ornantur, à Draconis & eius pseudoprophetarum erroribus liberi sunt. Nam Agni spiritus, electorũ pectora, frontẽ, ora, pedes obsignans, ueritatis & lucis, nõ mendacij & tenebrarum spiritus est.

Ne occiderent eos.) nõ ciuilem, sed spiritualem gladium in animos stricturi.

Sed ut cruciarentur.) conscientiarum cruciatu.

Quinq; mensibus.) cẽtum quinquaginta annis, singulis, ut oracularibus, diebus singulos annos efficientibus. Tempus significatur, quo grauissimus errorum fumus sub patefactionem Antichristi, incolarum terræ oculos perstricturus sit.

Et in diebus illis.) Tempore tãtæ afflictionis, quæ exposita est, & exponetur in hac oraculari Ioannis concione, in qua (ut indicatum) multa repetuntur.

Similes equis paratis ad prælium.) Describitur locustarum species. Militari animali equo, locustæ militantes sub signis angeli, cui putei abyssi claues commissæ sunt, comparantur.

Et in capitibus eorum quædam quasi coronæ.) principatum & imperiũ in conscientias, eorum quos perdere student erroribus dęmoniorum, sibi uendicantes. Hæc corona, imperij tenebrarum Draconis corona est. Cõtrarius illi Agni principatus est, qui corona lucis & iusticiæ in capite ornatus suos, signum Dei in frontibus gerentes, non cruciat, sed beatos reddit.

Similes auro.) Hypocrisis & simulatio ueritatis ac probitatis, in auri specie notatur. Nõ legitur coronas aureas esse, sed similes auri. Quò pertinet illud:
2. Cor. 11. Transformat se in angelum lucis.

Et facies eorum ut facies hominum.) Non sęuorum animãtium, sed hominum speciem præferunt: quæ foris clementiæ & humanitatis indicia ostendunt, intus crudelitatem & sæuitiem spirant.

Et habebant capillos muliebrium similes.) Muliebris mollities notatur, earum animis carentibus fortitudine & robore diuini spiritus, qui non ex fumo putei abyssi prodit, sed ex luce cœlestis regni in cultores Agni funditur. Quanta porrò

ea porrò mollities sit tempore rerum aduersarum, illorum qui se Agno opponunt, non est opus meminisse, exempla satis nota sunt.

Et dentes eorum.) quibus errores suos defendent.

Quasi leonum.) truculentiam cum humanitate cõiunctam declaraturi, qui imitabuntur eum leonem, de quo ait Petrus: Circuit tanquam leo, quærens quem deuoret. 1. Petri 5.

Habebant loricas ferreas.) Armatura describitur apta locustarum crudelitati. Ferrum impurum & mira duritie metallum est, cætera metalla domans. Talis impurarum locustarum, quæ hic describuntur, armatura est. Contraria armatura clementis Agni est, & eorum qui Agnum colunt: armatura nimirum iustitiæ & bonitatis, qua electi filij Dei recti, & regio uictore cp spiritu agni non lædentur: lædentur igitur in conscientijs suis, qui locustis illis Ægyptijs parebunt.

Et sonitus alarum.) In alatis locustis, celer earum & expeditus in pernicialium errorum fumo diffundendo conatus accipitur: & in alarum sonitu, militaris strepitus, quem in hostes suos edent, notatur. Quò quadrigarum multorum equorum ad pugnam paratorum sonitus pertinet.

Et habent super se regem angelum abyssi.) Is legatus, Draconis principis tenebrarum Abyssi legatus est, aduersarius Messiæ, Principis lucis. Is abyssi angelus ἀπολλύων, hoc est, perditor appellatur, Hebraicè אבדון, hoc est, perditio, qui per suos pseudoprophetas perdat, quorum animos errorum suorum ueneno infecerit: & ab Apostolo is legatus, filius τῆς ἀπωλείας, hoc est perditionis, qui & perditus sit, & omnia perdat, uocatur.

Solue quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.) Descriptis locustis, uexaturis in occidente incolas terræ erroribus & mendacijs Draconis, præsidem habentes angelum abyssi: iam exercitum in Oriente cõgregandum ex Mahumetanis, describit. Nam ut in Occasu regnat Bestia super septem colles sedens: ita in Oriente alterum illud Mahumetanum caput, sanctis infestum, imperium suum tenet. Quod caput, tertium illud aquilæ, quæ Esdræ apparuit, caput est: cui tria aquilæ, quæ quarta Monarchia est, capita in uiso representata sunt, Constantinopolitanum, Pontificium Romæ suam sedem habens, Mahumetanum. Horum capitũ origo, locus, res gestæ, religio & exitus, si considerata fuerint, magnam lucem ad hanc Ioannis Apocalypsim intelligendam afferent. Euphrates, nobile in Oriente Mesopotamiæ flumen est. Mahumetanum caput, etsi iam aliquot seculis uarijs cladibus orbem terrarum affecit, proculdubio tamen his nouissimis reuelationis Messiæ temporibus ægrè ferens Euangelij lucem apud se quoq; spargi, magnas turbas dabit: ut Bestia super septem colles & in Occidente regnans, Euangelij lumine suborto omnia tentat, ut id & illius cultores, quantum in ipsa est, euertat. Nam ut utraq; potestas eodem ferè tempore extitit, altera in Occasu, altera in Ortu: ita utraq; aduersus Agnum, & eius cultores, ad suam tyrannidem tuendam belligerabit. Sed frustra: Agno nimirum uicturo aduersarios sibi principatus. Is enim lapis ille est, sine manibus humani consilij ex monte excisus: hoc est, è cœlo profectus, qui capita illa aquilæ dissipabit & conteret. 4. Esdr. 11. Daniel. 2

Habebant thoraces igneos.) Descriptio hæc conuenit in cruenta, quæ facturi sunt, prælia: quò igniei thoraces, hyacinthinus color, & sulphur spectant. Mahumetanos igni & ferro grassaturos.

Erant tanquam capita leonum.) sæua consilia, aduersa miti Agno, ipsis mente agitaturis.

Et de ore ipsorum procedebat.) conuicia iacientes in CHRISTVM, & Euangelium eius.

Ignis.) truculentia & sæuitie defendentes errores ac mendacia suæ Mahumetanæ sectæ.

Et in caudis eorum.) uenenum superstitionis, & falsæ religionis, blanditie tegentes: qua cum uidebunt se nihil efficere, ad ignem, fumum & sulphur, quibus omnia perdant, animum adijcient.

Similes serpentibus.) ueterem serpentem Diabolum, suum parentem, imitantes.

Et cæteri homines qui non sunt occisi.) Ne quis putet idololatras, homicidas, ueneficos, fornicatores, fures, impunè habituros, ut sequitur:

IN CAPVT DECIMVM.

Ezech. 1. Daniel. 7.

TVidi alium angelum.) Descriptio CHRISTI adhibetur, qualis apud Ezechielem & Danielem cernitur: qui suos electos, ultione de hostibus sumpta, liberaturus sit.

Fortem.) ualidum suorum uindicẽ: qui imperium in peccatum, mortem, infernum, in Draconem, & aduersarium suum angelum Abyssi, habeat.

Descendentem de cœlo.) non ascendentem ex abysso, ut rex locustarum, legatus abyssi, perditor ascendit. Messias, angelus ac legatus primæ notæ Dei patris, dicitur descendere, cum suos uindicat per Euangelij lucem patefactus, & de hostibus ultionem expetit. Qualis descensus his temporibus (superiora prætereo) ut incipiat se ostendere, nõ est obscurum. Vt autem CHRISTVS sit appariturus in aduentu maiestatis suæ, id clarè ex Euangelistis patet, & rectius ex Prophetis, pro ratione administrationis ueteris Testamenti: quos Prophetas noui fœderis Scriptura explicat.

Amictum nube.) sed clara, quæ fundat pluuiam salutaris Euangelij. Contrà rex locustarum amictus fumo legitur. In Mose multa leguntur de nube, ut præsentis Domini signum sit, quæ apud illum uideris.

Genes. 9.

Et iris in capite eius.) Sacrum pacis & reconciliationis signum, quam fortis & ualidus Agnus electis suis sit paraturus. Ex Genesi patet, ut iris in cœlo à Deo constituta sit in fœderis signum, mundum hunc per aquarum diluuium non amplius periturum: quo alluditur à Ioanne. Nam ut tempore Noę iris apparuit, quę præsignificaret, mundum deinceps non deletum iri aquis: ita Ioanni apparuit angelus Messias cum iride capiti eius incumbente, quæ pacis mundo restituendæ signum foret, & in eo afflictiones in orbem terrarum inuasuras finem habituras, ut diluuium finem habuit. Sic enim Dominus ait: Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc usq; tempus, neq; fiet. Similiter antea prædixerat Daniel.

Matth. 24. Daniel. 12.

Et facies eius erat ut Sol.) exhilaraturus suos gratiæ splendore. Suprà legimus, excitato ex puteo abyssi fumo, Solem obscurari: hic uerò, uultum angeli nostri splendere tanquam Solem.

Et pedes eius tanquam columnæ ignis.) pedes accipiuntur benignæ conuersationis, qua cum suis & inter suos uersatur, & instar ignis eos ad claritatem Dei illuminando purgat. Comparantur autem columnæ, propter firmitatem ac stabilitatem. Nam amor quo Messias suos complectitur, lubricus non est, sed in omnem æternitatem firmus & stabilis, quem nulla uis labefactet, manet. Et si impios hostes spectes, Agni pedes ut igneæ columnæ apparent, quibus illos sit conculcaturus, ab ijs minimè mouendus loco: & eos non secus consumpturus sit, atque ignis stipulam ac paleam consumit. Huc pertinet illud: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Psalm. 110.

Et habebat

Et habeat in manu sua libellum apertum.) ex quo sententiam in hostes suos pro electis diceret.

Et posuit pedem suum dextrum supermare.)Hac impressione pedis in terram & mare, significat, ius possidendi terrã & mare ad se & electos suos pertinere, non ad impios. De quo Psalmus: Omnia subiecit pedibus eius, oues & boues & pecora campi. *Psalm. 8.*

Et clamauit uoce magna.) per Euangelij prædicationem, horribili clamore impijs edito, & suaui pijs. Itaque is clamor leonis rugitui comparatur, ut sequitur:

Quemadmodum cùm leo rugit.)Messias leoni ob inuictum animum confertur, de quo illud: Catulus leonis Iuda. Item: Vicit leo de tribu Iuda: hoc est, Messias ex Iudæa tribu natus. *Genes. 49.*

Locuta sunt septem tonitrua.) Terrifica impijs Euangelica prædicatio notatur, quæ in tonitruis diuinę ultionis, aduersus Babylonem regnum Antichristi, nouissimis his temporibus sit instruenda.

Obsigna quæ locuta sunt septem tonitrua.) Quia Ioannis Apocalypsis cõtinebat, quæ his postremis temporibus erant patefacienda: iubetur obsignare, quæ audiuerat tonitrua locuta, quod ea ad tempus latêre mundum oporteret. Intueamur nostra tempora: nónne in his comperimus pleraq; incipere patefieri, quæ superioribus seculis Theologis tũ Græcis tũ Latinis occultata sunt? Itaque uerè dicitur, Prophetarum optimum interpretem esse euentum ipsum, & exitum illorum: quem nos cum uidemus, illi non uiderunt, hodie multa in Prophetis & in hac reuelatione Ioannis intelligimus, quæ maiores nostri non intellexerunt.

Et angelus quem uidi, leuauit manum suam.)Habitus iurantis affingitur Agno.

In cœlum.)In eo uersante Patre, per quem iurare angelum hunc fortem uidit: qui agnosceret patrem originem omnium esse, & omnia quę ipse habet, à patre habere.

Et iurauit per uiuentem.)Qui esset perennis à se uita, & cæteris uitam daret: & se quoque uitam esse, sed à patre: ut Deus à Deo patre, & lux ex lumine Patre.

Tempus non fore amplius.)quale regnante Antichristo, persequente Agnum, fuisset.

In diebus.)reconciliationis.

Vocis septimi angeli.) per Euangelij clangorem, quietem & pacem denunciantis, quam Babylon illa ex terra nata bestia abstulerat.

Consumandum esse mysterium Dei.)Mysterium ac arcanum perficiendum & in mundo patefaciendum, de quo Apostolus his uerbis meminit: Non enim uolo uos ignorare, fratres, mysterium hoc, mysterium inquam reconciliationis Israelitarum, & instaurationis Ecclesiæ electorum: in quo mysterio quæ consideranda tum in Israëlitis, tum in Babylone, regno aduersarij, ut uidelicet duplex sit resurrectio, messis, congregatio, iudicium, instauratio cœli & terræ, & eius generis alia ponderentur, ea de re aliàs mentio facta est. *Rom. 11.*

Vade & accipe libellum apertum.)Nouissima hæc tempora significantur, in quibus Euangelij liber per Ioannem, hoc est, per legatos & ministros nomine Ioannis designatos, per prędicationem aperiendus sit. Quod legitur nõ accipere illum nisi iussus, uocatio innuitur, sine qua Euangelium cum fructu non doceatur: neque quamuis uocem audiunt legati Dei, sed cœlestem. Sic enim hic scriptum est: Et uox quam audiui de cœlo. Demum promptus in legatis animus ad accipiendum Euagelij librum, quem in orbe terrarum aperiant, spectatur. Sic enim respõdet Ioannes: Da mihi libellum. sed quem VOCATIO

promptum & expeditum animum non à uetere natura habeant diuini legati, sed ex noua regenerationis è spiritu Agni beneficio: ne quid de nobis gloriemur. Nam quamuis Deus in nobis, sine nobis non agat: sine tamen uirtibus nostris in nobis agit, nobis ut materia suę uirtutis capaci utens, quę excellens præ cæteris creaturis electorum dignitas est, qui solùm diuini spiritus sunt participes, per quem ad munera cœlestis iusticiæ, uitæ & sapientia sanctificentur, ea accipiẽdo de manu redẽptoris, non sibi de sua uilargiẽdo. At libellus acceptus ab angelo, qualis primò sentitur esse? Sequitur:

Et deuora illum.) A legatis prius deuorandum Euãgelij libellum, hoc est bene cognoscendum & iudicandum, quàm gentibus & populis manifestetur. figura loquendi non est obscura. Hunc librum in ore quidem legatorũ dulcem primò sentiri, propter salutarem doctrinam, qua salus fidem habentibus ei proponitur. Sed in uentrem traiectum, & bene in eo concoctũ amarescere, partim propter mortificationem ueteris hominis, quam libelli cœlestis doctrina per fidem in interiore homine percepta efficit: partim propter persecutionis crucem, quæ eius prædicatoribus subeunda sit, mundo, & in eo regnante Antichristo, ut aduersum ipsi, non ferente. Quæ de libello hîc leguntur, similia reperias apud Ezechielem.

Ezech. 3.

Oportet te igitur prophetare in gentibus & linguis.) Tempora notantur, de quibus Christus meminit: Prædicabitur hoc Euangelium omnibus gentibus, in testimonium. cuius clarissima prædicatio in hæc postrema tempora reiecta, ut ea per occasionem reuelationis aduersarij multis seculis ignorati quis esset, & ubi sedem suam haberet, clarior & illustrior fieret, ut contraria & aduersa contrarijs declarari & manifesta fieri solent.

Matth. 24.

IN CAPVT VNDECIMVM.

ET *datus est mihi calamus.*) Templi, hoc est Ecclesiæ, per Euangelij ab Apostolis prędicati spiritũ, ędificatio significatur. Animo enim cõceptum ædificium, in area decempeda prius metimur, quàm ad id extruendum manus admolimur. In hoc Ioannis uiso ad Salomonium templum figuratè alluditur, quo præfiguratum est spirituale & cœleste templum, Ecclesia scriptorum in libro uitæ. De quo illud: Vos estis templum Dei.

Et altare.) quod Messias est, sine quo neq; extructio templi Ecclesiæ, neq; adoratio Patris constat.

Et adorantes in eo.) Patrem spiritu & ueritate in Agno colentes.

Et atrium quod extra templum est.) Turba electorum, quos nõdum Messiæ spiritus ad colendum Patrem exornauit. Nam in atrio uulgus Israëlitarum qui sacro sacerdotij oleo delibati non erant, uersabatur. Quò alluditur hîc in atrij mentione: ad significandum, tempore quo Apostoli prædicabant Euãgelium, certum electorum numerum fuisse, qui Patrem Domini nostri IESV CHRISTI spiritu & uerè colerent: reliquos per atrium hîc significatos, foras electos, quos gentes, hoc est, Antichristus cum suis cultoribus calcaret: hoc est, sedens in loco sancto, qui est Ecclesia electorum, omnia profanaret & fœdaret. Nam ut Israëlitarum nomine figuratè sancti accipiuntur, ita gentium nomine profani, & à diuino fœdere alieni. Sunt qui ἔσωθεν, hoc est intra, pro ἔξωθεν, hoc est, extra legant. At neq; figura, neq; res figurata, hanc interpretationem tolerare uidetur. Non figura quidem, quòd in templo uetere ac mystico atrium nullum quod intra illud esset, siue Salomonium, siue id quod à soluta captiuitate Babylonia extructum est, contemplere, descriptum legatur. Neq; etiam res adumbrata ac figurata ἔσωθεν feret. Siquidem in ipso templo, hoc est sanctorum cœtu sunt, ara Messias, & Patrem

spiritu

ſpiritu adorantes: quo qui obſignati ſunt, non eiiciuntur foras ad calcandum: quibus, ut ſuprà legitur, nulla contraria uis noceat.

Ne metiaris illud) ad ædificandum per Euangeliĳ ſpiritum.

Quoniam datum eſt gentibus.) De quibus figuratè etiam Dominus loquitur: Et Hieruſalem calcabitur à gentibus, donec inpleantur tempora gentium. *Luce 21.* Vbi ſi figuram ſpectes. Hieroſolyma myſtica à gente Romana, beſtia ex mari nata, ſęua & crudeli beſtia, duce Tito Veſpaſiano proculcata eſt. Sin interiorem Hieroſolymam, hoc eſt electorum Eccleſiam: hãc ab Antichriſto iam *Daniel. 9.* multis ſeculis conculcari uidemus. Qui ob id abominatio deſolationis, *Matth. 24.* hoc eſt abominabilis deſolator, filius perditus, paſtor ſtultus, legatus inferni, & Draconis atq; aliĳs nominibus appellatur. Cæterùm ut non pugnet cũ electione diuina, ad tempus electos aduerſariĳ erroribus implicari, & Eccleſiam ab illo profanari, id aliàs indicatum eſt. *2 Theſ. 2. Zach. 10.*

Menſibus quadraginta duobus.) annis mille ducẽtis & ſexaginta, qui regni Antichriſti anni ſunt: de quorum initio, unde ſupputandum id ſit, uiderint docti ſpiritu Meſsiæ homines, & de eo ſuis locis monebitur.

Et dabo duobus teſtibus meis.) De Apoſtolis accipitur, qui Domini teſtes dicũtur, quòd per Euangeliĳ prædicationem de crucifixo Chriſto, ad expiãda peccata mundi, & glorificato per reſurrectionem ad iuſtificãdos improbos teſtimonium ferunt. De his uideris in Apoſtolorum Actis. Quòd autem *Actor. 1.* duo teſtes nominantur hîc, partim id fit, quòd in ore duorum aut trium teſtimonium poſitum ſit: partim ad indicandum, ueteris & noui Teſtamenti ſcripta ſatis eſſe ad teſtificandum de Chriſto. Quò etiam pertinent duo oliuæ & candelabra, de quibus ſequitur mentio.

Et prophetabunt diebus mille ducentis & ſexaginta.) Tripartita huius numeri interpretatio affertur. Vna de tribus annis & dimidio, quibus Apoſtolorum prędicatio ab excitato Chriſto è mortuis, & eo in cœlos recepto, celebris fuerit. Afferunt huc, qui ſic interpretãtur, ex Daniele dimidiam hebdomadam, *Daniel 9.* qua pactum noui fœderis ſit confirmatum, cum multis. contineri autem dimidia hebdomada, tres annos & dimidium: hoc eſt, dies mille ducentos & ſexaginta. Sunt aliĳ, qui hunc in modũ præſentẽ locum interpretantur: Apoſtolorum prædicandi Euangeliĳ munus uiguiſſe eo tempore, quod datum eſt beſtiæ priori, hoc eſt Romano imperio, quod dicunt duraſſe à primo cõditore mille ducentis ſexaginta diebus, hoc eſt annis, uſque ad translatam Conſtantinopolim Imperiĳ ſedem. Quid in hac interpretatione deſideretur, nõ arbitror doctos homines latere. Quare, ut menſes quadraginta duo expoſiti ſunt de tempore, quo Antichriſtus calcat atrium & ciuitatem ſanctam: ita de eodem tempore dies hi mille ducenti & ſexaginta accipiendi fuerint, qui ſunt anni mille ducẽti & ſexaginta, quibus filius perditus ſedet in loco ſancto. Atq; hoc toto tempore, prophetiã duorum teſtiũ, hoc eſt, Apoſtolorum doctrinam, teſtimonium de Antichriſto Eccleſiam calcante laturam. Vt autem Euangeliĳ doctrina prophetiam de aduerſariĳ regno contineat, ex Euangeliſtis & Apoſtolorum ſcriptis cognoſcere licet.

Amicti ſaccis.) ad teſtificandum luctum de regno tenebrarum Draconis, per Antichriſtum omnia in terra uaſtaturo.

Duæ oliuæ.) oleum ſacri Spiritus per Euangeliĳ miniſterium fundentes ſuis temporibus, quibus iſtud prædicant. De his oliuis uideris apud Zachariã. *Zach. 4.*

Et duo candelabra.) lumẽ cognitionis fauoris Dei Patris, Eccleſiæ placati, miniſtrãtia. Coniungitur ſuauiſsimũ lumen cum oliuis, quod in oleo uis alendæ lucis inſit. In utroq;, in nomine oliuæ & candelabri, ad Moſeam figuram ſpectatur: de qua in Exodo uideris. *Exod. 25.*

In cõſpectu Dei terræ ſtãtia.) ad cuius uolũtatẽ & pręſcriptũ munus ſuũ obeãt.

Et si quis voluerit ei nocere.) Deo legatos ac Apostolos suos tuente, ne prius ab hostibus è medio tollantur, quàm suo munere perfuncti sint.

Ignis exit de ore eorum.) igneus Euangelij spiritus, de quo Iesaias: Spiritu oris sui interficiet impium. Qui igneus spiritus in sanctorum Apostolorum pectore & ore spirat. *Iesaiæ 11.*

Hi habent potestatem.) quam ab Agno per ministerium suum declarent.

Claudendi cœlum.) contemptoribus Agni, ne eis cœlum pluuiam & rorem sacri Euangelij pluat, neque ex eo lucis spiritus ad illos uiuificandos spiret. Quod à tempore Apostolorum sensim cœpit fieri, dum plenius regnante Antichristo, cœlum inducta fame uerbi Dei clausum est. Alluditur ad tempora quibus Helias prophetauit: tum tres annos & sex mẽses clausum fuisse cœlum ne plueret, interprete Domino CHRISTO cõstat. Mystica autem ratio huc congruens, in Regum historia explicata est. *Iesaiæ 5.* *Lucæ 4.*

Et potestatem habent super aquas.) in illas diuinas & cœlestes sacri spiritus in Euangelij spiritum cadentes aquas.

Conuertendi eas in sanguinem.) uindictam de impijs Domino sumente, dum contemptis cœlestibus Euangelij aquis, in omnem improbitatem à Deo ulcisendam incidant. Alluditur ad ea tempora, quibus Moses aquas in sanguinem conuertisse legitur. *Exod. 4.*

Et percutiendi terram.) minitando rebellibus, diuinam iram per uarias clades in terrarum orbem effundendam. Quibus cladibus terra superioribus seculis infestata sit, & nostris infestetur, palàm est: & quibus sequentibus uexanda sit, posteri sentient. Nam Prophetica doctrina tempore Apostolorum edita, & literis cõsignata, toto illo tempore quod ab illis ad nos defluxit, uim suam ostendit.

Cùm autem finierint testimonium suum.) prædicandi Euangelij munere iam peracto.

Bestia quæ ascendit de abysso.) Quarta Monarchia, de qua infrà.

Faciet aduersus eos bellum.) ut constat de Tiberio Nerone, Domitiano, Diocletiano, & alijs. Suprà legitur: Si quis uoluerit eis nocere, &c. Suprà de nondum impleto testimonij tempore loquitur, hîc de impleto.

Et corpora eorum iacebunt.) Notatur per interfectorum Apostolorum corpora in plateis iacentia & insepulta, illorum memoriam tempore trium dierum & dimidij, hoc est, regni Antichristi tempore (quod tempus, tempora & dimidium temporis complectitur) extinctum non iri: sed monumenta Apostolicæ doctrinæ per tribus, linguas & populos in litera spiritu detracto conseruanda. Atque hoc ipsum est quod hîc legitur, Corpora eorum per tres dies & dimidium, &c. Itaque ratio recensendi numerum annorum regni Antichristi diligenter & accuratè in hoc uiso obseruanda fuerit, quomodo hoc tempus numero quadraginta duorum mensium, numero item temporis, temporum & dimidij temporis, & numero mille ducentorum & sexaginta dierum designetur. Qui numeri omnes idem tempus significant, quo Antichristus Hierosolymam ciuitatem Dei, hoc est, Ecclesiam electorum sit calcaturus: testimonium etiam duobus testibus mortuis per relatam in literas Euangelij doctrinam, aduersus bestiam dicturis. Quod est hîc, eos diebus mille ducentis & sexagenis prophetaturos, & eorum corpora tres dies & dimidium in plateis ciuitatis magnæ cubatura, ut sequitur:

In plateis ciuitatis magnæ.) Babylonis, ciuitatis magnæ Antichristi, de qua infrà Ioãnes se interpretãs, his uerbis loquitur: Vę uę ciuitas illa magna Babylon. Huius ciuitatis amplitudo ex imperio longè lateq; patente, & ex multitudine illi in orbe terrarũ parentiũ, mẽsuratur. Quàm latè aũt extẽdatur eius regnum,

gnum, declarant beſtiæ ſedenti ſuper ſeptem colles ſubdita regna, eius pedes oſculantia: declarat magnum illud Mahumetanum aquilæ caput, ab Eſdra deſcriptum, ex beſtia iam memorata natum.

Quæ uocatur ſpiritualiter Sodoma.) Spiritualiter non accipitur, ut opponatur carnali. Quid enim carnalius ciuitate magna Babylone? Sed accipitur, ut ſit diuerſum ab aſpectabili Gomorra & Ægypto. In hac ciuitate flagitia Sodomę & Gomorręe, auariciam, ambitionem, luxum, libidinem, crudelitatem in pios & ſanctos cerni, ſimiliter in ea tyrannidem, qua olim Aegyptus Iſraelitas oppreſsit ſpectari, palàm eſt. Qua autẽ tyrannide Babylon regnum Antichriſti infeſtet Eccleſiam, non eſt opus indicare: de qua in Ieſaia ſæpe & multum dictum eſt, & infrà illa clarè à Ioanne explicabitur.

Vbi & Dominus noſter crucifixus eſt.) Hieroſolymæ, quæ ciuitas Sodoma ut appellata ſit, ex Prophetis nihil refert oſtendere. Accedit huc, quòd Hieroſolyma tum parebat Romano imperio, in quo caput extulit ciuitatis magnę Babylonis rex Antichriſtus. Paſſus enim eſt Dominus noſter CHRISTVS ſub Pontio Pilato, Romano præſide.

Et terræ incolæ gaudebunt ſuper illis.) ut cœleſti Euangelij doctrinæ infeſti, quę mundum & ea quæ in mundo ſunt, damnet.

Et poſt dies tres & dimidium.) ſub impletionem temporis regni Antichriſti.

Spiritus uitæ intrauit in uos.) reſtituto Euangelij ſpiritu, qui temporibus Antichriſti abfuerat, mortua relicta litera. Huc ſunt referenda, quæ infrà de prima & ſecunda reſurrectione traduntur.

Aſcendite huc.) cum triumpho & gloria uincentis cuncta Euangelij, quod uitalem ſpiritum primæ & ſecundæ reſurrectionis continet.

Et in hora illa.) tempore patefactionis Antichriſti, per reſtitutam Euangelij orbi terrarum lucem, in hoc reuelationis, per reſtituti Euangelij lucem filij hominis aduentu.

Factus eſt terræmotus magnus.) magna commotio in regno aduerſarij, & imperijs ac regnis illi ſubditis, ſeditionibus & bellis omnia turbantibus. Intuea mur noſtra tempora, in quibus initia motuum & dolorum cernimus.

Et decima pars.) ab initio reuelationis Antichriſti.

Septem millia.) Satis iuſtus numerus, qui ſeptenario denotatur.

Et reliqui territi ſunt.) cladibus in terram miſsis.

Væ ſecundum abijt.) De afflictione prima & ſecunda uideris ſuprà.

Et ſeptimus angelus tuba cecinit.) clãgore de parta quiete à uexatione, qua Draco per Antichriſtum terrarum orbem miſerè uexauit, edito.

Et facta ſunt regna huius mundi.) his contritis à lapide Meſsia, ſine manu ex monte exciſo. Daniel. 2.

Domini noſtri & Chriſti eius.) hoc iure obtinente imperium in omnia, ut legitimo uniuerſitatis monarcha. Quem principatum iure uictoriæ de principatu tenebrarum partæ, ſibi per reſurrectionem è mortuis comparauit.

Et regnabit in ſecula ſeculorum.) in cœleſtia, terreſtria & infera, deiecto Babylonis regno, quæ impudenter ſibi in cœlum, terram & infernum, triplici corona coronata, imperium uendicauit.

Et iratæ ſunt gentes.) ut infeſtæ regno Chriſti, & ſaluti electorum. De impijs ex gentibus loquitur, gratiam Euangelij contemnentibus, & iudicis Agni iram moleſtè ferentibus.

Et perdes eos.) lege talionis.

Qui perdunt terram.) incolas terræ, erroribus, tyrannide, funeſtis bellis imitantes Draconem, pernicialium errorum, tyrannidis, odiorum, bellorum architectum, & eorum per filium ſuũ Antichriſtum perfectorẽ. Vt is mundi

uaſtator

uastator est, ita Christus mundi instaurator, & salutis eius fundamentum.
Prouer. 10 De quo Salomon: Iustus fundamentum mundi.

Et apertum est templum Dei.) credẽtibus Euangelio, quod antea per Antichristum clausum fuerat non credẽtibus. Alluditur ad templum Salomonium, cui in cœlo ex altera parte respondet cœleste templum, ex uiuis lapidibus cœlestem naturam habentibus extructum.

Rom. 8. *Et uisa est arca testamenti.*) Non Mosea, in qua lex mortis ministra, & manna ad uitam æternam non cibans, collocata fuit: sed arca, in qua lex spiritus
Ioan. 6. uitæ, & manna quæ de se dicit, Ego sum panis uiuificus, reponitur.

Et facta sunt fulgura & tonitrua.) Quibus improbi & flagitiosi ferirentur.

IN CAPVT DVODECIMVM.

ET *signum magnum apparuit.*) de re magna, de uictoria nimirum CHRISTI, de Dracone mũdi principe & Antichristo reportata, & de regno aduersarij, quãto tempore id in terra duraturum sit: & de statu quem Ecclesia habitura sit, Serpẽte satana eam in uasta huius mundi solitudine persequente.

In cœlo.) In quo mulier Ecclesia, ex carne & ossibus cœlestis mariti IESV CHRISTI extructa, consuetudinem suam & conuersationem habet.

Malach. 4. Galat. 3. *Mulier amicta Sole.*) scriptorum in libro uitæ Ecclesia, amicta Sole Messia, de quo Malachias: Vobis timentibus Dominum orietur Sol iusticiæ. Hoc Sole ut uestiantur electi, indicat Apostolus his uerbis: Christum induistis. Is autem amictus uitæ & iusticiæ Christi amictus est, quo induimur, exuto ueteris naturæ habitu, qui improbitatis & mortis habitus est. In Sole lux omnia collustrans, & caloris uis cuncta in terra uiuificans cernitur. Talis est
Ioan. 6. Sol Ecclesiæ suæ, & eius membris, scriptis in libro uitæ, quos uiuifico lumine illuminat. Sic enim is Sol de se loquitur: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habet lumen uitæ.

Et Luna sub pedibus eius.) Indicatur mulier Ecclesia, omnia quæ in hoc inferiore mundo & in tota uetere natura mutationi obnoxia sunt, suis pedibus subiecta habere: huius seculi uidelicet sapientiam, iusticiam, potentiam, opes. Infimum in cœlo sidus Luna, quale sidus sit, ostendit eius lumen, noctu lucens, interdiu caligans: ostendunt res quæ illa lucente in terra nascũtur, & augescunt: ostendunt reciproci maris æstus, & quæ sunt huiusmodi. Cæterum conferendi Solem cum Luna ratio, ad mysterium de Sole Messia intelligendum, aliàs explicata est.

Et in capite eius corona.) Regij sacerdotij corona, quæ sit illa regina, regio mariPsalm. 45. ti sui Messiæ regis cœli & terræ spiritu exornata, quam Propheta his uerbis celebrat: Astitit regina à dextra tua. Sed à cuius dextra? Ab eius dextra, de quo idem Propheta: Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus, &c. Is autem rex Dominus Deus mulieris Ecclesiæ, Messias benedictus est, Sol splendens ad æternam iusticiam & uitam. Quo Sole amicta Ecclesia, in cœlo Ioanni apparuit, pro regio mariti iure in peccatum, mortem, infernum, in cœlestia, terrestria & infera potestatem ac imperium tenens: quod significat corona, quam capiti suo impositam gerit.

Stellarum duodecim.) Duodecim Apostolorũ, quorũ ministerio, & lucis Euangelij ministeriũ est, Ecclesia Solẽ CHRISTVM induit, & Lunã pedib. suis subiicit, atq; uictoriæ corona aduersum mundũ & principatũ eius coronatur.

Vocantur

Vocantur Apostoli stellæ à Daniele, ut etiã à Domino mũdi lux appellãtur: Vos estis lux mundi. Atq; ita uocantur, quòd munere prædicationis Euangelij lucem Messiam mundo patefaciũt, ad Dominatum tenebrarum ex abysso inferni ascendentem, euertendum. Daniel. 12. Matth. 5.

Et in utero habens.) Messiam, quem promissum in utero Mariæ uirginis conciperet, & conceptum ex ea parturiens gigneret.

Clamat parturiens.) Vt ingenti desiderio ab origine mundi expectatum, qui mundum miserè primorum parentum uitio perditum repararet.

Et uisum est aliud signum.) In quo representabatur aduersarius Messiæ, & mulieris Ecclesiæ: hunc ordinem uelut perpetuum tenente diuina sapientia, ut res aduersas per aduersas inter se comparatas declaret.

In cœlo.) In cœlo apparuit Draco, non in quo locum unquam tenuerit, qui ab initio carens ueritatis luce, tenebras cœperit sequi, lucí Messiæ infestus: sed in cœlo legitur apparuisse, ut ad cœlestem thronum à Messia in iudicium uocatus damnaretur. Ioannis 8.

Ecce Draco.) Diabolus, Draco & Serpens figuratè in sacris literis appellatur, propter perniciale mẽdaciorum & errorum uenenum, quod uenenato ac pestifero suo spiritu ac halitu afflat. De hoc uideris in Genesi, & apud Esaiam. Genes. 3. Isaiæ. 27.

Magnus.) potentia & principatu in mundo, cuius à Domino princeps appellatur, eum efficaci potestate in delictis & morte detinens. Huius potentiæ magnitudo ad decipiendum his uerbis hic ostenditur: Et proiectus est Draco ille magnus, qui seducit totum terrarum orbem. Prætereo, quantam is in hoc aere, in aquis, in terræ satis, animãtibus, in hominibus spiritu Christi carentibus, in ipsis principibus & regibus orbis terrarum, & præcipuè in pastore illo stulto sub simulatione tituli Serui seruorum, in omnia sibi dominatum & imperium uendicante, potestatem exerceat. Quam si, ne expleretur pro eius libidine, Deus reprimeret ministerio sanctorum angelorum, nihil in suo ordine & statu à Deo constituto consisteret. Ioann. 12.

Et rufus.) sanguinarius, ut homicida ab initio, funestis bellis omnia miscẽs, & orbis terrarum tyrannos ad fundendum sanctorum hominum sanguinem incitans. De quo Dominus sic loquitur: Ille homicida erat ab initio. Huius sanguinario spiritu afflata Babylõ, mater abominationũ terræ, ebria sanctorum & martyrum sanguine, Ioanni quoq; apparuit.

Habens capita septem.) potestatem suam & tyrannidem per septem capita & decem cornua bestiæ, quæ mox explicabitur, exercens.

Diademata septem.) Imperij & principatus regni tenebrarum, pugnantis aduersus Agnum, & eos qui Agnum sequuntur.

Et cauda eius.) Notatur figuratè adulandi & blãdiẽdi in uafro serpente ars, qua per blanditiem & adulationem etiam stellas cœli, hoc est, doctores religionis, quos instar stellarum doctrinæ & uirtutum luce in Ecclesia lucere cõueniat, sua ueteratoria arte decipiat: ut cum ipso super terram, relicto cœlo, prono pectore repentes, terrena pro cœlestibus doceant. Intueamur Antichristi tempora, & secula illa priora, quibus statim ab Apostolorum doctrina & uita cœptum est degenerari ab illis qui stellarum loco habiti sunt in Ecclesia. Cæterùm in tertia parte stellarum, iustus falsorum doctorum numerus accipitur. Meminit caudæ, cui in sacris literis (ut suprà indicatum) pseudoprophetæ comparantur, ut est apud Esaiam: Propheta autem qui docet mendacium, ipse est cauda. Canes cauda adulantur & blandiuntur: & in caudis Dracones uenenum, quo interimant, gestant. Quò respicit uisum. De serpentis satanæ uersutia, & artibus decipiendi, ut sub figura serpentis Moses meminerit, uideris in Genesi, Esai. 9. Genes. 3.

Et cum

Et cùm peperisset, filium eius deuoraret.) odio illo natiuo, iam ab initio aduersus
Genes. 3. eum accenso, de quo illud: Inimicitias iam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius. Hoc odium Draco declarauit, cùm filium mulieris iam natum, per Herodem in cunis hostiliter insectaretur: & adultum, cum iam cœpisset docere, uarijs contumelijs per Pharisæos, scribas & sacerdotes afficeret: tandemq; falsis iudicijs, per pontifices & Pilatum condemnatum, & cruci affixum, occideret. Sed falsus is conatu suo, quem putauit deuoratum & interemptum, tertio die è mortuis excitatum uidit, de se uictoria parta.

Et peperit filium masculum.) Non fœminam, ut qui mascula fortitudine Draco- 10
ne deuicto, atq; peccati & mortis iure deleto, sponsam suam in ueræ iusticię & uitę ius asserturus esset, & hostes suos recturus sceptro ferreo: quod non muliebris, sed masculi roboris opus fuerit, de quo sequitur:

Virga ferrea.) duro & aspero sceptro, in rebelles & contumaces Euangelij hostes exercendo. Etenim bellis, fame, peste, & terræmotibus, spiritu q; oris Agni delendi impij, sentient hoc asperum & durum sceptrum. Hęc sumpta
Psalm. 2. sunt ex Psalmo altero.

Et raptus est filius eius.) per excitationem è mortuis in cœlum: qui in terra cùm uersaretur, uarijs Draconis contumelijs expositus fuerat.

Ad Deum.) Patrem: à quo missus in terram, infra omnia, qui superior omni 20
bus esset, deiectus fuit. Et inde reuocatus ad Deum patrem, peracto crucis
Philipp. 2. tempore, supra omnia elatus est, nomen adeptus cui omnia cœlestia, terrestria & infera genua flectunt, ut sequitur:

Et ad thronum eius.) ad maiestatis imperij in omnia solium, de quo ipse his
Math. ult. uerbis testatus est: Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra.

Et mulier fugit.) ingruentis Antichristi tempore, cumq; lupi Apostolis succe
2. Thes. 2 derent: de quo tempore Apostolus in Actis, & in altera ad Thessalonicenses epistola.

In solitudinem.) Notatur Antichristi, omnia in uastam solitudinem errorum 30
& mendaciorum redigentis, tempora. In quam solitudinem Ecclesia electorum, non loci, sed boni status indicata mutatione, fugere dicitur.

Vbi habet locum paratum à Deo.) cuius prouidentiæ consilijs, lucis & tenebrarum uices sapienter mensurantur.

Vbi pascant eam.) Conseruationis pastio accipitur, qua mulier Ecclesia, filio perdito regnante, & omnia in orbe terrarum prophanante, conseruatur, ne per illius mędacia & errores miserè pereat, sed in tenebris errorum uersans, cum fœnore his postremis temporibus Euangelij lucem recipiat.

Diebus mille ducentis sexaginta.) tāto tempore regnaturo filio perdito. De tem-
Daniel. 12 pore hoc iam aliquoties mentio facta est, diebus singulis singulos annos efficientibus, ut apud Danielem hebdomas septē annos efficit, ex quo Da- 40
niele numerus is oracularis dierum mutuatus est, quibus desolatio in templo duratura sit. Numerus inquam mille ducētorum & nonaginta dierum, item mille trecentorum & trigintaquinq;, qui à Ioannis numeratis diebus parum differunt. Vterq; non totum illud tempus, quo se spiritualis desolatio in templo Ecclesia ostendit, explicauit, qui statim Apostolorum tempo
2. Thes. 2. re mysterium iniquitatis cœperit agere: sed temporis meminerunt, quo præcipuè dominatu sibi usurpato, aduersarius se ostēdere cœpit. Quod tempore Phocæ accidit, cùm Episcopus Romanus secundum caput aquilæ, per ambitionem principatum in Ecclesia sibi uendicare moliretur, arrepta occasione per dissidia, quibus Occidētales & Orientales ecclesiæ dirimebantur. 50
Quę discordia, Mahumetanæ factioni ad dominatum in Oriente capessendum, euerso Constantinopolitano primo aquilæ capite, uiam aperuit.

Cæterùm

Cæterùm Daniel, temporis quo abominatio desolationis in loco sancto duratura fuit, meminit. Subducto mystici templi & eius desolationis uelo, occurrit ea desolatio, qua filius perditus, præfiguratus à priore bestia, mox describẽda, templum Ecclesiã desolat ac deuastat. Cuius mysterij interpres Apostolus est, in altera epistola quam ad Thessalonicenses scripsit: & eam, 2. Thes. 2
sed tectius, significauit quoq; ex Danielis oracolo Dominus noster CHRISTVS apud Matthæum. Et idem oracolum considerans Ioannes, dicit sibi Matth. 24.
apparuisse mulierem Ecclesiam in solitudinem fugisse, in qua omnia regnãte Bestia secunda squaleant, & cœlo non fundente pluuiam Euangelij annis mille ducentis & sexaginta desolata iaceãt. Quos annos tres & sex mẽses, quibus Heliæ tempore clausum cœlum fuit, prefigurarunt, qui dies hos à Ioanne memoratos, mille ducentos sexagenos efficiunt, triginta dies singulis mensibus continentibus.

Et factum est prælium.) Hoc prælium, quod ab initio ac origine mũdi fieri cœpit, per odium quo Draco sobolem hanc mulieris Messiam persequitur, filio mulieris ad Deum & solium eius rapto diremptum est. De qua uictoria, uictor ipse his uerbis apud Ioannem meminit: Princeps mundi iam iudicatus Ioan. 16.
est. hoc est, uictus & superatus.

In cœlo.) ad solium cœleste, in quo sedenti Christo pater omnem iudicandi potestatem dedit. In quo is fungens iudicis munere, accusantem de noxa electos Draconem, & eos defendentes angelos audit: & his auditis, sententiam ut pro electis suis damnato Dracone dicat, sequentia indicabunt.

Michael & angeli eius.) Hunc archãgelum Daniel dicit stare à populo Israel. Daniel. 12.
Nam ut legiones sanctorum angelorum describuntur, ita etiam inter eos Matth. 26.
Principes & duces ordinantur. Hinc Michaël angelus princeps magnus à Daniele appellatur, & hîc Michaëlem & angelos eius contra Draconem pugnasse legimus, & etiam ab Apostolo archangeli alicubi mentio fit. Atqui 1. Thes. 4.
hoc ita accipiendum fuerit, ut nihilo minus eos in ministris Christi & electorum habeamus, non Domini: quorum Dominus sit Christus, & sancti homines.

Præliabantur cum Dracone.) accusationem Draconis de culpa refellentes, proposito sanguine Agni, reconciliante electos cũ patre, & ius peccati & mortis abolente. Atq; per hanc defendendi rationem, uictoriam de Dracone & ministris eius retulerunt. De qua mox his uerbis: Et ipsi uicerunt eum propter sanguinem Agni.

Et Draco pugnabat.) accusando, & reos propter culpam agendo. Qua accusatione nemo grauius & acerbius quicquam sentiat, nisi fusus insontis Agni sanguis ad tollendum damnatorum peccati ius occurrat.

Et angeli eius.) inter quos suum quoq; ordinem esse, principem locum Satana tenente, hîc intelligimus, & ex illo Domini nostri apud Euangelistam: Matth. 25.
Qui paratus est diabolo, & ministris eius.

Et non ualuerunt.) sententiam iudicis aduersus electos obtinere, qui in mundum uenisset, ut de culpa chirographum in conscientijs illorum scriptum Coloss. 2.
deleret. De quo uideris apud Apostolum in epistola quam ad Colossenses scripsit.

Neq; locus inuentus est eorum amplius in cœlo.) potestate accusandi & damnandi eis ablata, ad cœlestem cœlestis iudicis thronum.

Serpens antiquus.) cuius inuidia iam inde ab initio, peccatum cum morte, primos parentes inuaserat.

Qui seducit totum terrarum orbem.) per ministros suos falsos uates & doctores, quibus à casu primi hominis ante diluuium, & post diluuium usus est, ad homines falsa religione & uarijs sceleribus obstringendos: dum

uentum est ad nouissima tempora, in quibus Draco iam elato ad dextram Patris filio, mulieris hîc descriptæ mysterium ostendere cœpit: & id posteris temporibus duorum testium, hoc est duodecim Apostolorum legatione finita, palàm declarauit.

Proiectus est in terram.) cuius puluerem lingens, contempto cœlesti pane Messia, omnia in eo erroribus & mendacijs implet. Vnde claris documentis comprobat, se in cœlo nullam partem cum sanctis angelis habere: sed terrenis cupiditatibus obnoxium, prono super terram pectore repere, ex
Genes. 3. sententia illa semel in eum lata: Super pectus tuum gradieris, & terram comedes. Quapropter hæc Draconis in terram proiectio, non indicat eum cum Michaële aliquando, & angelis eius, cœlestis beatitatis per sanctitatem uerę probitatis & iusticiæ consortem fuisse: sed eum in cœlo nõ scriptum, diuina sententia ut cœlo indignum, in terram deiectum. Sicut infrà à Ioanne qui dicuntur deleri ex libro uitæ, non ideo dicuntur deleri, quòd aliquando intelligantur in illo scripti fuisse: sed quòd cum electis non scri-
Exod. 32. bantur. Sed hac de re nonnulla in Mose explicata sunt, ubi meminit nominis sui expungendi ex libro uitæ. Vt autem illud Domini nostri de Satana
Ioannis 8. intelligendum sit, In ueritate non stetit: id quoque alio loco indicatum est.

In cœlo facta est nunc salus.) Agni sanguine omnibus purificatis, & spoliato accusandi & damnandi electos iure ipso Dracone.

Et non dilexerunt animam suam.) uitam suam postponentes gloriæ Christi: ad quam asserendã testimonio ueritatis, non dedignati sunt mori. At uerò hoc modo, non diligendo animam suam, eam maximè dilexerunt. Nam in negligenda uita temporaria, æternam consecuti sunt: quam qui studenter adipisci, animam suam non odiunt, sed cum primis dilig̃t, ea dilectione de qua Sa-
Prouer. 28 lomon loquitur: Qui possidet cor, hoc est, qui cordatus est, diligit animam suam. Vt autem hæc duo quæ uidentur paradoxa esse, uera sint, Pij contemnunt & odiunt animam suam, & dilig̃t eam: item, Perdunt animam suam, & seruant: aliàs explicatum est.

Habens iram magnam.) Ira percitum dicit Draconem, quòd cerneret se ab Agno iudicatum & uictum, & electos quos accusarat, ad tribunal Agni liberatos de toto tenebrarum principatu, in crucis ligno triumpho acto. Ob hanc Agni uictoriam, Draco ira accensus, mulierem quæ uictorem filium peperisset, in solitudinem fugientem persequi cœpit, horribiles in terra motus excitans: quòd sentiret breue tempus se habere, quo suam in mundo libidinem expleret, ut cuius furor tandem in utraq; resurrectione prima & secunda reprimendus esset. Itaq; cùm legimus, Satanam iudicatum ac uictum per mortem & excitationem è mortuis Agni, non accipitur id de uictoria quæ afflictione mulierem Ecclesiam liberarit: sed quę illam iure damnatorio peccati & mortis absoluerit: & eius ærũnas & calamitates, quibus ad tempus infestatur, gloria cœlestis regni commutatura sit.

Persecutus est mulierem.) per filium perditum, aduersarium Christi, & sponsæ eius Ecclesiæ.

Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ.) diuinæ curæ ac prouidentiæ alæ, quibus protegenda erat mulier, ne in solitudine errorum aduersarij uagans, miserè periret. Comparari autem diuinam curam, quæ pro muliere Ecclesia geri-
Deuter. 32. tur, aquilæ, patet ex illo Deuteronomij: Sicut aquila prouocans, &c. Vbi, quæ huc pertinent de aquilarum natura, annotata sunt.

Alæ duæ.) quibus à dextra & sinistra defenderetur ab interitu, quem ei Draco ingens machinatur.

Aquilæ magnæ.) potentia & imperio ingenti Draconi se opponenti. Ingens est Draco: sed ingentior aquila diuinæ prouidentiæ. & quãto potentior est

potestas

poteſtas lucis, iuſticiæ, uitæ, poteſtate tenebrarum, iuſticiæ, mortis: tanto po tentior eſt aquila protegens mulierem Eccleſiam, Dracone illam perſequẽ te, quam ad perdendum attingere nequeat, hoc in terram depreſſo, illa uolante. Legitur enim: Vt uolaret in deſertum, in locum ſuum.

Vbi alitur.) per gratiam electionis.

Per tempus.) annum.

Et tempora.) duos annos.

Et dimidium temporis.) dimidium annum. Hoc tempus, quo tempus, tempora & dimidium temporis alitur, efficit mille ducentos ſexaginta dies, qui ſuprà expoſiti ſunt. Sed quærat fortaſsis hîc aliquis, cur uiſum ſit Deo, tempus quo Antichriſtus in loco ſancto ſeſſurus eſſet, obſcurius & tectius indicare? Huic quæſtioni occurrunt, quæ ſuprà de obſignato ſeptẽ ſigillis libro leguntur:

Et eiecit ſerpens.) per pſeudoprophetam Antichriſtum, qui altera beſtia eſt: cui Draco ſeducendi & lædendi poteſtatem dedit.

Ex ore ſuo.) Quod dat Draco beſtiæ, quę infrà dicitur Draconis os habere. Os peſtilens, loquens aduerſus excelſum & ſanctos eius contumelias. Agnus ex ore ſuo iacit ſalutaria, Draco pernicioſa, ut ſequitur.

Aquam tanquam flumen.) uariarum afflictionum & calamitatum aquas, de quibus illud: Tranſiuimus per ignem & aquam. Pſalm. 65.

Et aperuit terra os ſuum.) miſerta mulieris.

IN CAPVT TREDECIMVM.

ET *uidi de mari.*) in quo Draco pro libidine ludit. Hoc mare mundus eſt, qui mari cõparatur, ob uaſtiſsimas quas gignit beluas, & ob fluctus & procellas quibus agitatur. Talis mundus eſt, tyrannos immanes beluas alens, & uariarum calamitatum fluctus perpetuò uoluens. Hinc non immeritò hac parte Satan mundi princeps appellatur: in eo omnia odio, inuidia, libidine, ambitione, auaricia, bellis, commouens.

Beſtiam.) Romanum imperium. Hæc quarta beſtia eſt, quam Daniel deſcribit.

Aſcendentem.) non deſcendentem de cœlo, ut diuina ciuitas Hieroſolyma deſcendit: ſed aſcendentem uidit, contra Deum & Meſsiam eius ſuperbè ſe gerentem. Dicat aliquis, Imperia & ciuitates, poteſtates à Deo ordinatas eſſe, atq; uerè iudicari eas ab eo deſcendere. Vt imperia mundi dicantur à Deo originem habere, & ab eo gubernari, præpoſitis ad illa cuſtodienda angelis: ut item eorum princeps dicatur eſſe Draco, facilè intelligere licet, ſi quid interſit inter diuinam ordinationem & libidinem regnandi in principibus perpenſum ſit. Hanc ſi ſpectemus, hos regi à Dracone: ſin illam, à Deo per miniſtros angelos gubernari & conſeruari, eo modo quo dicuntur à Deo ordinatæ poteſtates eſſe. Rom. 13.

Habentem ſeptem capita.) Ioannes interpretatur hæc ſeptem capita infrà, de ſeptem montibus qui Romæ cernuntur, quorum nomina hæc ſunt: Palatinus, Capitolinus, Auentinus, Cœlius, Eſquilinus, Viminalis, Quirinalis. Septem item reges interprete angelo accipiuntur per capita ſeptem, ut ſunt: Reges, Conſules, Decemuiri, Dictatores, Triumuiri, Monarchia Cæſarum, & ſeptimus externus Imperator qui nondum imperabat, cùm Ioannes oraculum hoc exponeret. nam is hæc ſub Diocletiano Cæſare ſcripſit.

Et cornua decem.) Horum etiam Daniel meminit, ſeptem capitibus non me Daniel. 7.

moratis, & cornua decem sic interpretatur: Cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, regia uidelicet potestate Romanæ ditionis prouincias gubernantes. Quales fuerunt decem Proconsules, de quibus uideris apud historicos.

Decem diademata.) Imperij dignitas & maiestas in decem Consularibus uiris notatur.

Et super capita eius nomen blasphemiæ.) Cæsaribus se in Deorum numerum referentibus, & adorari sinentibus: æternitatem item regni & Imperij, quæ Christi regno ex Prophetarum oraculis debebatur, sibi asserentibus, ut est apud Latinum poëtam, *Imperium sine fine dedi.* Demum illis Christum crucifixum & eius cultores pro ludibrio habentibus, & eos uarijs supplicijs afficientibus. Exemplo sunt Nero, Domitianus, Diocletianus, & alij in Romano imperio tyranni. Prætermitto idololatriam, qua multiplici Roma infamis fuit: ut uerè dicatur, super capita eius blasphemiæ nomen fuisse scriptū. At quoniam hæc bestia figuram prætulit bestiæ alterius, ex terra natæ, quæ mox describetur: ut etiam septem capita plena conuicijs & contumelijs, quas in Christum & sanctos eius euomit, & decem cornua habeat, quibus aduersus Messiam & eius Euangelium armatur, suo loco ostendetur.

Similis erat pardo.) maculis uarijs aspersa & sæuissimo animanti. Varium & uersutum ingenium, quo hæc bestia imperium suum auxit, ex historijs notum est.

Sicut pedes ursi.) omnia Imperij pondere obterens & conculcans.

Et os eius sicut leonis.) Voracitas, hoc est, inexplebilis bestiæ auaricia notatur.

Et dedit illi Draco.) uim suam per tyrannidem augendi Imperium, ei inspirauit: cui ut patri homicidiorum, bella, rapinæ, incendia, cædes, rerum omnium perturbatio & confusio placent: pax, concordia, & rerum bonus & tranquillus status displicent, contrarium ingenium Agni est.

Et sedem suam.) solium abyssi, contrarium cœlesti solio Agni.

Et potestatem magnam.) De qua his uerbis loquitur Daniel: Et deuorabit omnem terram, & conculcabit & comminuet eam. De hac magna potestate bestiæ uaticinata est etiam Sibylla:

καὶ δεσμὸς θήσει λαοῖς, καὶ πάντα ὑποτάξει. Neq; hac potestate contenta fuit bestia: sed etiam ausa est loqui contra Excelsum, & sanctos Altissimi conterere, & confiteri se posse mutare tempora & leges. Vt hanc potestatem exercuerint Romani Imperatores, satis clarum est. Atqui submota umbra, quam sæuam potestatem hæc prior bestia gessit, uerius altera (ut mox demonstrabitur) gerit.

Daniel. 7.

Et uidi unum de capitibus eius, quasi occisum in mortem.) Monarchia Cæsarū est hoc caput, in Iulio Cæsare ortum, quem coniurati peremerūt. Quod caput, paruulum cornu nonnullis à Daniele, è medio decem cornuum ortum, in cuius conspectum tria cornua euulsa sunt, uidetur appellari. Porrò C. Iulius Cæsar, cùm in Gallia, ut unum ex decem cornibus, res bene ac prosperè gereret, domi uerò inimici eius obstarent, quo minus in consulatu petendo eius ratio haberetur: relicta Gallia, cuius procuratio eius opes auxerat, patrię bellum infert, atq; ita nouum cornu fit: paruulum quidem ab initio erat, sed quod mox in grande caput creſceret. Addit Daniel, tria de primis cornibus coram eo esse euulsa: ut erant duo Consulares uiri, & Pompeius Magnus, de quibus eundem Danielem sic locutum uolunt: Et tres reges humiliabit, & ipse potentior erit prioribus.

Daniel. 7.

Et plaga mortis eius curata est.) In Octauiano Augusto uulnus eius letale sanatum.

Et ad-

Et admiratio fuit in uniuersa terra.) propter Imperij amplitudinem. De quo Daniel sic loquitur: Bestia quarta quartum regnum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis. Mundus terrena miratur: sancti in mundo, sed non ex mundo homines, cœlestia suspiciunt & admirantur.

Et adorauerunt Draconem.) Satanam, regnorum & imperiorum mundi principem, qui opinionem de imperij Romani æternitate sparserat, & aduersus sanctos æternumq; Euangelium impios tyrãnos excitauerat. Atq; hoc molitur Satan, ut homines suam in mundo potentiam adorent. Quem etiam non puduit Christum filium Dei, ut idem faceret, tentare. De quo in hęc uer
ba apud Euangelistam legimus: Iterum assumpsit eum diabolus in montẽ excelsum ualde, & ostendit ei omnia mundi regna, & eorum gloriam, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, si prostratus adoraueris me. Huius spiritu aflati superbi orbis terrarum tyranni, pro dijs quoq; adorari uoluerunt: ut de Babyloniæ tyranno Nabuchodonosore, de Alexãdro Magno, Nerone & Domitiano, & præcipuè de Bestia altera per priorem adumbrata constat. De Nerone, ut diuinos honores affectarit, seq; Deo æquipararit, etiam Sibylla uaticinata est: ἰσάζων θεῷ αὐτόν. *Matth. 4.*

Et adorauerunt bestiam.) Deo & Agno suam detrahentes gloriam.

Quis similis bestiæ?) Plena contumeliæ uox, bestiæ honorem tribuere, qui Deo uni congruebat, de quo solo dicitur: Quis similis tibi Domine? Is enim sic de se loquitur apud Iesaiam: Ego primus & nouissimus, & præter me non est Deus: quis similis mei? Romam gloriari se solã esse nulla ui superabilem, Sibylla quoq; hoc uersu testatur: *Iesaiæ 41.*

ἐκ ἐγνως τί θεὸς δυώατται, τί δὲ μηχανᾶται.
ἀλλ' ἐλεγες, μόνη εἰμὶ, κοὐδεὶς μ' ἐξαλαπάξει.

Altera bestia, ut diuinum honorem, qui Deo & filio eius Messiæ competit, sibi impudenter arroget, potestas quam in cœlestia terrestria & infera sibi uendicat, clarè comprobat: quem Apostolus in templo Dei sedentem, supra omne id quod est numen Dei se extollere dicit.

Et quis potest pugnare cum ea?) ut quæ omnia domet & comminuat, uelut de ea Daniel loquitur, ubi ait: Et regnum quartum erit uelut ferreum. ut ferrum comminuit & domat omnia, sic hæc comminuet & conteret omnia. Cum altera bestia ut nemo audeat belligerare, efficit eius excommunicationis fulmen, quo etiam potentissimos in orbe terrarum principes, reges & Cæsares à pugnando secum deterret. Exempla in promptu sunt. *Daniel. 2.*

Et datum est ei.) à Dracone.

Os loquens magna.) contra Christum, & eius Euangelium. Similiter Daniel de cornu eius è medio decem cornuum, uaticinatus est: Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu illo, & os loquens grandia. *Daniel. 7.*

Et data est ei potestas faciendi menses quadraginta duos.) Qui faciunt mille ducentos sexaginta dies, qui dies sunt prophetici dies: hoc est, ut hebdomadæ apud Danielem oraculares hebdomadæ sunt, una hebdomada septem annos continente. Indicatur tempus, quo ab Vrbe condita prima Romæ dominatio duratura sit. Hanc duraturam annis mille ducentis sexaginta. Tot annos bestiæ quartæ imperium stetisse, usque ad eam uastationem qua Gothi duce Genserícho Romam uastarunt, opibus eius Carthaginem, à Vandalis tunc occupatam, translatis. Eo tempore concidit Occidentale imperium Romæ, ut ne quidem nomine Cæsar uel Augustus Imperator esset, usque ad Carolum Magnum regem Francorum. Neque diuina ira contenta fuit clade qua per Genserichum Roma affecta est. nam excitatus est Totilas Gothorum rex, qui captam Romam diriperet, dirueret atque incenderet. Quod hîc legimus, priorem bestiam menses quadraginta duos du- *Daniel. 9.*

raſſe,tanto tempore etiam alteram beſtiam duraturam ſuprà legitur. Daniel eius temporis meminit,ut ſuprà commonſtratum, cùm ait : Et tradentur in manum eius uſque ad tempus,& tempora,& dimidium temporis. Vbi Daniel utriuſque beſtiæ tempus,quo duratura ſit, ſignificauit:qui alteram beſtiam priore,ut rem figuratam in figura,pro myſtico ueteris fœderis modo, comprehendit Separatim autem pro noui fœderis ratione utranque Ioannes deſcribit ſeorſim figura & re, umbra & luce explicata:hoc eſt,myſterio ipſo expoſito,quod antea in Prophetis latuerat. Atq; hoc ipſum in Daniele & reliquis Prophetis diligenter conſiderandum eſt.

Et aperuit os ſuum.) à Dracone acceptum. 16

Vincere eos.) Sed qua uictoria? Victoria ſanè,quæ ſanctis,quos uicerunt, eos occidendo,ſalutaris fuerit,& impijs tyrannis pernicioſa. His enim ſua uictoria exitium & mortem æternam attulit: illis mors temporaria, uitam perennem.

Qui occiſus eſt ab origine mundi.) odio & inuidia Draconis, & ipſis pijs occiſus,qui ſpe præſumeret in nouiſſimis temporibus Agnum occiſum iri,ad eorum peccata expianda,& mortis ius abolendum.

Eſaiæ 13. Daniel. 8. *Et uidi aliam beſtiam.*) Hæc beſtia Antichriſtus eſt, à priore beſtia figuratus, ut antea per Babylonem & Græcum Antiochum figuratus fuit.

Aſcendentem de terra.) prior beſtia de mari, hæc de terra aſcendit, quæ tota 20
terrena ſit,cœleſte nihil ſapiens:ad terram,quam pectore terat cum ſerpente Satana,deiecta, unde ab hac beſtia cum Chriſto & eius ſanctis tam acriter belligeratur. Chriſtus enim cœleſtis homo eſt, de cœlo deſcendens; non terrenus,de terra aſcendens: in quo omnia diuina & cœleſtia cernuntur,nihil terrenum,hoc eſt pollutum,& terrena labe inquinatum. contraria omnia in hac altera beſtia ſpectantur. Obſeruandum hîc eſt,non deſcribi originem huius beſtiæ, qua cœpit ſe oſtendere, quæ Apoſtolorum tempore priore beſtia regnante, errorum ſuorum initia indicarit: ſed tunc ortam eam docet, quando prioris beſtiæ imperio imminuto, hæc ipſa uendicato ſibi principatu in Eccleſia, plenè dominari cœpit. Hoc autem, ut ſuprà 30
indicatum eſt,ſub Phoca accidit imperatore: à quo Bonifacius eius nominis tertius impetrauit,ut caput Eccleſiæ deſignaretur. Quem principatum, magna ambitione antea ſibi Bonifacius primus uendicare molitus fuerat, ne is Conſtantinopolim transferretur,eum Conſtantinopolitanis præſulibus tantopere propter Imperatoriæ ſedis ſplendorem efflagitantibus. qui exiſtimabant par eſſe, ut in ea urbe pontificatus uerſaretur, quæ Imperij ſedes delecta fuiſſet. Hac contentione dominatus factum eſt, ut hæc altera beſtia exiſteret, quam plenam ambitione, auaricia, tyrannide, & crudelitate,à parricida imperatore Phoca decuit dignam haberi, quæ aduerſus CHRISTVM Regem regum & Dominum dominan- 40
tium, imperium in omnia ſibi ſuperbè aſſereret. Quod ad hiſtorias attinet,& alia non pauca, HENRICVS BVLLINGERVS diligentem interpretem præſtitit.

Et habebat duo cornua.) Notatur duplex beſtiæ imperium: alterum quod in
Eſ. 2. cœlum,alterum in terram gereret. Etenim hæc belua efferens ſe ſupra omne numen Dei, Chriſtum & ſanctos eius ſibi ſubijcit, dum contempto ſacro Euangelio, in electorum conſcientijs per ſua decreta regnare elaborat: in cœlum extollens,& ad inferos deturbans,quos libeat. Huc pertinet tripertita illa corona,qua declarat hæc beſtia, ſe imperium in cœleſtia, terreſtria & infera tenere. Duo hæc cornua,duæ claues quas gerit in inſignibus ſuis,explicant. Eſt in hiſtorijs, Bonifacium illum (uerius Maleſacium) octauum,primò Iubilæũ inſtituiſſe, in quo utrunq; cornu ut hæc alte- 50
ra beſtia

ra beſtia geſtet, declarauit. Nam altera die Pontificis habitu, altero Imperatorio apparuit, proclamante ipſo, Ecce duo gladij hîc: qui & præferebantur. Quæ ſuperba & ambitioſa uox palàm oſtendit, ut belua hæc bicornis belua ſit, in cœleſtia & terrena imperium, ſacerdotium & regnum, Pontificiam & Imperatoriam maieſtatem ſibi uendicans.

Similia Agni.) Hypocriſis ac ſimulatio in beſtia notatur. ex ea enim, tota hæc ipſa conflata eſt. Intueamur eius ſuperſtitionem, quam in obſeruatione elementorum mundi oſtentat. Quid enim in hac præter ſales, cereos, aquam conſecratam, aras, idola, ueſtium, ciborum & dierum diſcrimen reperias? Hæc omnia ita obſeruari mandat, ut capitale ſit, contra ea Euangelij libertatem prædicantem hiſcere. Et cùm has laruas enixè colendas curat, ſe interim is hypocrita, Agni ſeruum & eius uicarium eſſe prædicat. Alterum quidem uerè de ſe prædicat, alterum falſo. Nam ſeruum ſe CHRISTI falſo facit, qui illum de throno ſuo, quantum in ipſo eſt, pedibus ſuis ſubiectum detrudit. Verè autem uicarium ſe fatetur, qui abſentis CHRISTI, non præſentis uicem gerat. Quare non legitur, beſtiæ huius cornua Agni cornua eſſe: ſed ſimilia Agni, quem aliqua ſpecie per ſimulationem fictæ probitatis referat, animo, ore & factis Draconem, ut ſequitur.

Et loquitur ſicut Draco.) Quæ, ut ſermone & factis Draconem, mendaciorum patrem & architectum, exprimat, apoſtolus Paulus in altera quam ad Theſſalonicenſes ſcripſit, epiſtola his uerbis declarat: Cuius aduentus eſt ſecundum operationem Satanæ, in omni uirtute & ſignis & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis. Qui draco Satan, ut primis parentibus exitium, mendacium loquens, machinatus ſit, hæc eius uerba oſtendunt, Non moriemini: cùm Deus ueritas dixiſſet, Moriemini. Quo impudenti & mendaci ore illos miſerè perdidit, & Deum ueracem mendacij redarguit. Non alio ore loquitur beſtia Antichriſtus, cui Draco mendacem ſuum ſpiritum inſpirat. Porrò Deus ſuam doctrinam, quam per ſacros Vates & Apoſtolos explicauit, ſatis eſſe ad oſtendendam comparandæ ſalutis rationem dicit: beſtia eam ſatis non eſſe confirmat: ſua dogmata quoque ſeruanda loco uerbi Dei, imò ſupra uerbum Dei, quod reſpuit, habenda eſſe præcipit. Deus ab initio omnibus electis Meſſiam propoſuit, cuius unius fide ſalutem ſuam perficerent: beſtia fingit nos uiribus & facultate liberi arbitrij, per merita noſtrorum factorum ſalutem moliri. Chriſtus ſanguine ſuo nos ab elementorum mundi obſeruatione liberos reddidit: beſtia ad eam conſcientias alligat, ad eam obligationem uotis etiam excogitatis & comprobatis: cùm CHRISTVS nullum aliud uotum nobis cuſtodiendum proponat, quàm quod in baptiſmo, de exuendo uetere homine, & induendo nouo, & quod celebrationem nominis diuini continet, nuncupatur. Deus matrimonia in paradiſo ipſo inſtituta, omnibus communia facit: beſtia impudens libidine & ſtupris terrarum orbem contaminans, ne ſui raſi & uncti ſacrificuli ea contrahant, uetat. Deus, idola ne fiant prohibet: beſtia nemora, ualles, agros, hortos, pagos, dòmos, ciuitates idololatria replens, ut fingantur & in templis ſtatuantur, ad quæ flexis genibus & detecto capite preces fundantur, præcipit: cùm nulla ſit in hac rerum natura imago, in qua, & ad quam & per quam Deus pater adorari & coli uelit, quàm IESVS CHRISTVS, uiua uiuentis Dei imago. Chriſtus regnum ſuum eſſe de hoc mundo negat, neq; permittit ſuis Apoſtolis ut gentium more regnare cupiant: beſtia in principes, reges & Cęſares imperiũ ſibi uendicat, & opes cõgrega

2. Theſſ. 2.

Geneſ. 3

Luc. 17.

Coloſſ. 1.

Matth. 10. re ſtudet illis formidabiles. Chriſtus gratis munera ſua largitur, & ea etiam nullo precio ut diſpenſent, mãdat miniſtris ſuis: beſtia omnia uenalia habet, ſacramenta, ſacerdotia, matrimonia, remiſſionem peccatorum, cœli apertionem, inferni clauſionem. Tanta in hac immani belua auaricia, omnia ſacra & profana confudens regnat. Per hanc uanorum huius mundi honorum inexplebilem ambitionem, qua maxima laborat, fit, ut hæc bicornis beſtia, omnia bellis & ſanguine miſceat, orbis terrarum regibus & principibus inter ſe commiſsis, ad publicam tranquillitatem conturbandam: ut uerè de hac dicatur, eam ſentire & loqui, beatos non eſſe pacificos, ſed bellificos: fœlices nõ eſſe qui mitem & pacis arbitrum Agnum, ſed qui bellorum ſatorẽ Draconem ſequuntur ac imitantur. His, cùm pacificum Euangeliũ & eius cultores inimicè inſectantur, cœlum aperit, infernum claudit, cum Agno per ſua falſa dogmata bellum gerens. Et cum talis ſit, nónne rectè diuinus ſpiritus hîc dicit, eam loqui ut Draconem?

Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem facit.) Antichriſto prioris beſtiæ in crudeliter perſequendis ſanctis, & in labefactando Chriſti regno, ingenium imitante, eiuſq; poteſtatem exequente. Nam ut prior ſermones contra excelſum locuta eſt, & ſanctos altiſsimi contriuit, ita hæc poſterior ſimiliter affecta eſt: imò tanto deteſtabilior priore debet haberi, quanto per ſimulationem Agni pernicioſiora ex ore Draconis loquitur. Illa in fortunas & corpora graſſata eſt: hæc etiam in animos, eos falſis doctrinis corrumpens, graſſatur. Itaq; huius illam figuram & imaginem prætuliſſe, rectè indicatur.

Et facit terram & inhabitantes in ea adorare beſtiam primam.) propter prioris Romani imperij reuireſcentis in poſteriore memoriam. Nam qui poſt deſolatam & uaſtatam à Vandalis & Gothis Romam creati ſunt, non Romani ſanguinis Imperatores, ab altera beſtia Antichriſto ius imperandi accipiunt, nomen Romanorum Imperatorum retinentes: quos pedes ſuos oſculantes, Auguſtos reddit, & orbi terrarum adorandos. Atq; hoc nomine dicitur efficere, ut terræ incolæ priorem beſtiam uenerentur, cuius nomina nõ exoleuerint, & eius poteſtas per ſequẽtes Imperatores reparata intelligatur, quæ Romani imperij poteſtas dicatur eſſe.

Cuius curata eſt plaga.) De hac uulneris curatione ſuprà mẽtio facta eſt. Aut accipitur hîc prioris beſtiæ uulnus ſanatum per ſecundam, eo modo quo intelligimus per eam effici, ut prima à terræ incolis adoretur, dum decem reges cum altera beſtia imperium accipiunt, & Imperatoria amplitudo ab ea confirmatur. Nam ut decem Proconſules prior beſtia habuit, ita altera decem Reges habet: & ut altera ſeptem Reges tenuit, ita altera Septemuiros, hoc eſt, ſeptem Electores, penes quos Imperij arbitrium ſit, habet. Itaque aduerſarius Chriſti, quoniam beſtiæ quæ erat, & non eſt, ſeptem regibus, eiuſq; decem cornibus ſucceſsit, uacuumq; monarcha locum Romæ regnans occupauit: poteſt intelligi, ab hac prioris beſtiæ uulnus ſanatum, & eam conualuiſſe, quatenus qui ſecuti ſunt Imperatores, ab ipſa ius imperandi accipiunt: quorum Imperium Romanum, non Germanicum appellatur. Non enim à Daniele quinq; regna & monarchiæ deſcribũtur, ſed quatuor ſolùm. Quarta ergo, quæ Romanum Imperium eſt, in finem uſque durabit.

2. Theſ. 2. *Et ſigna magna.*) de quibus Apoſtolus in altera ad Theſſalonicenſes epiſtola loquitur: ſed quæ ſigna ac oſtenta falſa, non uera habeantur. ut contrà, ſigna & miracula quæ Deus facit, uera cenſentur. Nam quæ à Deo oſtenta eduntur, præter naturæ inſtitutum curſum, aut ſupra naturam uerè fiunt, qua eius potentia amplificetur, & fides eius oraculis habeatur, ut

tur, ut fuit miraculum ſanatæ lepræ ſolo uerbo, & redditi aſpectus cæco, & excitati è mortuis Lazari. Quæ uerò à beſtia & Satana ſigna fiunt, non ui creante quicquam è nihilo fiunt: ſed aut naturæ actione, quæ nobis non apparet: aut formarum quæ ueras res ad ludificandos nos mentiantur, affictione. Nam Satan parens beſtiæ, quo ualet ingenio & rerum cognitione, agentes cauſas uulgo ignotas, qui aëris principatum ac poteſtatem habeat, ita coniungere poteſt, ut uideatur uera miracula edere, cum naturæ effectione fiant: aut falſas pro ueris ſpecies ad decipiendum offerre: aut res alicunde exhibere, quæ uideantur recens creatæ. Nam hoc unum ſtudet Satan, ut humanas mentes illudat, & Dei gloriam imminuat, ſuis erroribus cõfirmatis. Sed cùm falſa oſtenta & falſo animo facere molitur, fit ut eius & beſtiæ in edendis ſignis poteſtas, diuinæ poteſtati in ſanctis & per ſanctos agenti cedat, ut mendacia & falſa ueris iure cedunt: ut id liquidum eſt in Ægyptijs magis, cedentibus Moſæ, in quo diuinum ſpiritum agẽtem his uerbis confeſsi ſunt: Digitus Dei eſt hîc. Hæc eſt potẽtia & principatus Agni, quo in Draconem & beſtiã Dracone obſeſsam dominatur. De ſignis quę beſtia altera, ex Auguſtorum imperio prodiens, editura ſit, Sibylla ſic uaticinata eſt:

Luce 9. Ioan. 9. Ioan. 11. Exod. 8.

Ἐκ δὲ σελασλωῶν ἥξει βελίας μετόπιθεν,
καὶ σήσει ὀρίων ὑψόθ', σήσει δὲ θάλασσαν,
ἠέλιον πυρόεντα μέγαν, λαμπρωτὶ σελήνην,
καὶ νίκνας σήσει, καὶ σήματα πολλὰ ποιήσει
ἀνθρώποις, ἀλλ' οὐχὶ παλίσφορα ἔσσετ' ἐπ' αὐθρ.

Vt etiam ignem faciat deſcendere de cœlo.) Sed quem ignem? materialem ne, ac aſpectabilem? Sunt qui uolunt, de cœlo deuocari ignem ab Antichriſto, quẽ contineat excommunicationis fulmen, regibus & principibus horribile. Exempla in promptu ſunt. Quàm terribilis iſte ignis & fulmen ſit, etiam ipſi Imperatores ſenſerunt: Henricus quartus Imperator, Fridericus Barbaroſſa, & alij. Et certè inter oſtenta & miracula numerari poteſt, eò dementię uenire potuiſſe homines, ut crederent unum aliquem hominem eſſe in orbe terrarum, ſceleroſum, ueneficum, ſicarium, fœneratorem, idololatrã, omnicq; genere libidinis infamem, qui mittendi uibrandicq; quoties lubeat fulminis ignem, quo iacti miſerè pereant, poteſtatem habeat. Neq; etiam negari poteſt, Draconi aſpectabilem de cœlo ignem deuocandi poteſtatem eſſe, quem ſacræ literæ aëris poteſtatem eſſe fateantur. Atq; eam ut declararit, ouibus & pueris Iobi per ignem cœlo delapſum conſumptis, ex hiſtoria Iobina clarum eſt.

Ephes. 2. Iob. 2.

Et ſeducit homines.) per ſigna & prodigia mendacia, quæ à Dracone per beſtiam eduntur, ut homines in terra ſeducantur, ueritate relicta: aut contrà uera oſtenta à Chriſto per pios fiunt ui diuini ſpiritus, ut pater in filio ampliſcetur, & Eccleſia in ſacro Agni ſpiritu ædificetur. Differunt igitur beſtiæ ſigna, à ſignis Agni, à ui efficiente, à fine & propoſito faciendi ea, & ab ipſo exitu. Horum collatio ſatis nota eſt, & aliàs explicata. Hîc legimus, à beſtia ſeduci homines. Non aliter ab Apoſtolo in altera ad Theſſalonicenſes epiſtola dicitur: Et propterea immiſit illis Deus efficaciam illuſionis, ut crederent mendacio. Sed per quem immittit? per ſerpentem Satanam immittit, ut idẽ Apoſtolus ait: Cuius eſt aduẽtus ſecundũ operationẽ Satanę. Deus igitur deſerendo & permittendo libidini Satanæ, Satan impellendo & probando mendacem illuſionem: uoluntas uerò rebellium praua, parendo Satanæ, ſeductionis cauſa fuerit.

2 Theſ. 2.

Vt faceret in conſpectu beſtiæ.) in conſpectu prioris beſtiæ, cuius uulnus ſanatum eſt, altera beſtia ſigna facere dicitur, cùm ea facit coram beſtia, quæ

hîc ima-

hic imago prioris bestiæ dicitur. Vt est imperium Romanum sequentibus imperatoribus ab Antichristo, qui eius pedes osculantur, confirmatum. De quo sequitur:

Et datum est illi, ut daret spiritū imagini bestiæ.) Aduersarium Messiæ habere potestatem dandi spiritum imagini bestiæ, ut loquatur. Nam ueteri Romano imperio nouum successit, Romæ sedente bestia altera, quæ Imperatores coronat, corroborata eis Imperatoria potestate: & quoniam nouus is dominatus figura & imago est ueteris, legimus imagini bestiæ prioris, cuius letale uulnus curatum est, ab altera bestia loquendi, hoc est, mandandi & præscribendi Imperatorias leges spiritū concessum: sed hac ratione, ut ea loquatur quæ illi ipsi placeant & probentur. Vocatur autem nouum imperium imago prioris Romani imperij, partim quòd titulo tale est, potestate priori minimè par. Etenim prior bestia in orbe terrarum in omnes populos, linguas & gentes dominatum tenuit, qualem imago hęc minimè habet, Mahumetano imperatore in Asia & Africa longè latęq; dominante. Partim uerò imago dicitur prioris bestiæ, quòd eius uariam & multiplicem idololatriā imitatur. Porrò Romæ omnium gentium dij fuerunt culti, superi, terrestres, inferi. In Antichristi regno quàm multiplex cernatur idololatria, non est necesse demonstrare. Prior bestia imperāte, Neptunus, Pluto, Mars, Minerua, Æsculapius, Venus, Iuno, Bacchus, & alij innumeri, quos non enumeres, dij culti sunt, eis templis & aris cōsecratis. posteriore regnante, coluntur uarij diui, quorum alius aliam opem adferre impiè creditur. Margaretā loco lunonis, ad tuendum puerperiū: Vrbanus, qui uberem uini copiam largiatur, loco Bacchi: Georgius uice Martis, qui integros ex prælio reducat: Sebastianus & Rochus, qui peste liberent, culti: quam pestem, à qua tuti essent, Romani in dijs suis numeratunt. Cæteros, qui penè infiniti sunt, Deos prætereo, quos bestia altera, priorem idolorum cultu referens, colitut meritò etiam hac parte prioris imaginem repræsentare dicatur. Prætermitto crimina & uaria uitia, idololatriæ fructus, quibus altera bestia ad imitationem primæ abundat.

Et faciet, ut quicunq; non adorauerint imaginem bestiæ.) Adoratur prioris bestiæ imago, cùm quæ in imperio nouo præcipiuntur, aduersario Christi annuente seruantur: & cum nō seruantur, capitale supplicium intentatur. Intueamur superiora & nostra secula.

Et facit pusillos & magnos.) Is character exterior nota ac signum professionis bestiæ est, per falsa dogmata impressum: hoc est, cùm palàm adorantes bestiam, ore & factis quæ in dextra notantur, declarant, ab illa inuentā & excogitatam religionem sequi se & colere, confitentes eam in Ecclesia summum locum tenentem, omnia iura quæ pro nutu & libidine sua interpretetur, in potestate sua habere: his colentibus bestiam licere emere & uendere, & in communitate ciuium suorum locum tenere.

Et ne quis possit emere.) Excommunicatio & præscriptio significatur. Hac de re decreta & diplomata bestiæ uideris. Atq; hoc excōmunicationis & præscriptionis, quam uocant die acht, fulmen etiam in Principes, Reges & Cæsares uibratur. Nam pontifex Romanus gloriatur se etiam Cæsares de gradu deijciēdi, eosq; in ordinem redigendi potestatē habere. Atq; hoc modo arroganter superbiēs, sibi omnem tum in spiritualibus, tum ciuilibus rebus potestatem, ut suprà indicatum, magna iniuria Agni sibi uendicat.

Aut nomen bestiæ.) profitens se appellari Romani pontificis filium.

Aut numerum nominis eius.) hoc est, palàm confitens se nomen illud colere, quod numerū sexcētorū sexaginta sex habet. Hoc nomē quidā sapiēter esse uult רומית, cuius literæ sexcēta sexaginta sex efficiūt. Etenim ר ducēta, ו sex,

ם qua-

ϖ quadraginta, ϡ decem, alterum ϡ etiam decem, & ν quadringenta efficit. Qui numeri in ſummam collati, ſexcenta ſexaginta ſex conſtituunt. Vbi uidemus, quanta diligentia & circumſpectione ſanctus Ioannes cauerit, ne ſi intelligeretur de Roma loqui, eius Imperatores qui tum Eccleſiã crudeliter perſequebantur, maiore acerbioreq; odio ad ſanctos inſectandos accenderet. Ad hæc, tantum myſterium quod iuſſerat Dominus obſignandum eſſe, non prius patefaciendum fuit, quàm his nouiſsimis temporibus: quæ Chriſti & Antichriſti reuelationis tẽpora cùm ſint, datus eſt ſeruis Dei his ſeculis Propheticus ſpiritus, cuius afflatu aperiant ea quę multis ſeculis fuerunt abſcondita.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ET *ecce Agnus ſtans ſuper montem Sion.*) Non ſuper arenam, ſed mõtem: & non ſuper quemuis montem, ſed montem Sion: firmum ſanè montem Eccleſiam, nobis nulla ui conuellendam repreſentantem. In hac Agnus non dormitare, ſed ſtare, ad eam liberãdam ab hoſtibus, legitur. Itaq; qui meminerat beſtiæ in electos graſſantis, iam Agni Meſsiæ mentionem facit, qui ſuos ne pereant ſeruet. Magnus autem numerus eorum quos conſeruat, in centum quadraginta quatuor millibus indicatur. De hoc numero Iſraelitis aſsignato, uideris ſuprà.

Habentia nomen patris ſui.) non beſtiæ.

Et audiui uocem de cœlo.) in quo ſancti, quos Agnus redemit, ſuam conſuetudinem habent: in terra quidem corpore, mente uerò in cœlo cum Agno uerſantes.

Tanquam uocem aquarum multarum.) Qui meminiſſet Iſraelitarum ut oliuæ, iam gentium ut oleaſtri naturali oliuæ inſitarum mentionẽ facit: has tyrannide beſtiæ liberatas, patrem in Agno ſeruatore celebraturas. Similiter ſuprà, cũ Iſraelitis gentes his uerbis coniungit: Poſthac uidi, & ecce turba multa, quã dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, populis, tribubus & linguis, &c.

Et cantabant quaſi canticum nouũ.) Similiter Ieſaias noui carminis meminit: Cantate Domino canticum nouum. Sed cur appellatur canticum ac carmẽ nouum? Propter nouam & inſolitam liberationem, & propter noui fœderis beneficia per Agni ſanguinem exhibita, & propter ſpiritum nouum, de quo Ezechiel: Et dabo uobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio ueſtri. Hoc cor nouũ opponitur ueteris hominis ueteri cordi, quod regit ſpiritus intelligentiæ naturalis creatus, noui hominis nouum cor regente ſpiritu non creato, ſed ſpiritu qui ſacer Patris & filij Meſsiæ ſpiritus ſit, nouum hominem generans ad diuinæ iuſticię & ſapientiæ, fortitudinis & uitæ participatum. Is nouus ſpiritus, qui Apoſtolorum tempore de cœlo in electorũ pectora fundi cœperat, & interiectis tẽporibus ut per beſtiã eius uitalis halitus interceptus eſt, iam his nouiſsimis temporibus eo denuò electis donato, & beſtiæ peſtifero ſpiritu deleto, nouum hoc carmen de tanta ſalute parta ad celebrãdum Agnũ ſeruatorem canitur, & canetur. Ieſaiæ 42. Ezech. 36.

Ante ſedem.) Hoc ſolùm à pijs remotum non eſt, ſed præſens, ut dextra ipſa Patris, & Agnus in illo ſedens. Hæc enim non loco & locali ratione menſurantur, ſed ex gubernationis & rectionis ſalutaris præſentia.

Et nemo poterat dicere canticum.) Beneficium redemptionis ſolùm filijs Dei per ſacrum ſpiritum intelligentibus, & non alienis. filiorum enim regni eſt, regni cœlorum myſteria cognoſcere. Nam firmum eſt illud: Patrem nemo nouit niſi filius, & cui uoluerit filius patefacere. Patrem autem noſcit,

non

non qui eum cœli & terræ ſolum creatorem agnoſcit, ſed qui eum tãquam patrem ſuum per adoptionis ſpiritum, tanquam filij agnoſcunt. Tales, ut noua ſoboles, nouum carmen canunt: & quod canunt, intelligunt.

Qui empti ſunt.) ſanguinis Agni precio.

2 Corin.15. *De terra.*) ut ex terreno & ueteri homine cœleſtes & noui homines fiant, non amplius primi Adami ex terra facti, ſed ſecundi de cœlo cœleſtis imaginem gerentes.

Virgines enim ſunt.) Hanc uirginitatem his uerbis interpretatur Apoſtolus:
2 Corint.11 Adiunxi uos uni uiro, ut uirginem caſtam exhiberetis Chriſto. Quod accipitur de regeneratis ſpiritu Meſsiæ, in nouum hominem. Nam quantum ad ueterem attinet, tales ante regenerationem quales ſint, declarat emptio eorum de terra, hoc eſt, eorum translatio ex tenebrarum ſatanæ & beſtiæ regno, in regnum Agni, quod lucis & uitæ æternæ regnum eſt. De qua igitur uirginitate is locus intelligendus ſit, contra fœdam & turpem beſtiam omni genere libidinis contaminatam, non eſt obſcurum. Quæ cum ſimulat in ſui adoratoribus uirginitatẽ, omnia ſtuprorum ſuorum obſcœnitate replet.

Hi Agnum ſequuntur quocunq; ierit.) iure emptionis, per quod de ſua poteſtate exeũtes, in Agni poteſtatem ueniunt. Res enim emptæ, in emptoris ius tranſeunt. Quare ut ſub peccatum uenditi iure peccati tenentur: ita eo exempti per precium ſanguinis Agni, in Agni quem ſequuntur, ius ac poteſtatem transferuntur. De quo emptionis iure præceſsit mentio, & ſequitur:

Hi empti ſunt ex hominibus.) Non dicit omnes homines emptos, ſed aliquos: emptos nimirum, ſcriptos in libro uitæ, & Agno datos à Patre, qui emerentur, & excuſſa ſeruitute in libertatem aſſererentur.

Primitiæ Deo & agno.) Notatur in primitijs primogenituræ ius, quo electi ornantur.
a.Petri 2. Quod ius cernitur in regno & ſacerdotio, de quo Petrus: Gens ſancta, regale ſacerdotiũ. Nam renati ex ſpiritu regio & ſacerdotali Meſſiæ, primitiæ & primogeniti dicuntur, quod in primogenitura per Chriſtum & in Chriſto primogenito uniuerſæ creaturæ partẽ habẽt. Ideo legitur hîc, Primitiæ Deo & Agno. Quæ præſtans & excellens dignitas eſt emptorũ precio ſanguinis Agni. Nam hoc primitiarum & primogenituræ iure ornati Domini mortis & uitæ, inferni & cœli, tenebrarum & lucis, peccati & iuſticiæ, cœli & terræ, cœleſtis primogenituræ ſpiritu, cui omnia ſubiecta ſunt, uncti conſtituuntur. De his primitijs & primogenitis in epiſtola ad Hebræos ſcripta legitur:
Hebr.12 Sed acceſsiſtis ad concionem primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.

Et in ore eorum.) ut quod innocentis Agni ſpiritus formarit, non Draco, cuius os beſtia habet.

Iſaiæ 35. *Non eſt inuentus dolus.*) ut qui Agnum Meſsiam exprimant, de quo Iſaias: Eo quòd ſcelus non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius.

Sine macula enim ſunt.) ea ſanguine Agni deterſa. In quo ſanguine ſpiritus ille mundator & expurgator uitiorum ueteris & terreni hominis uerſatur, de quo in Iſaia multa mentio facta eſt.

Ante thronum Dei.) claritate innocentiæ & iuſticiæ inſignem, & nullum ferentẽ uitium ac labem, ut beſtiæ ſolium fert. Quod eſt ſceleratorum & ſcurrarum, de quo Dauid loquitur, ſolium.

Et uidi alterum angelum uolantem.) Nomine angeli, legati Chriſti ad prædicandum Euangelium, aduerſus Antichriſtum mittendi accipiuntur: quos conueniat angelos, puras illas & cœleſtes mentes puritate, & ardenti amplificandi Deum in filio Meſsia & electorum ſalutem procurandi ſtudio imitari.

Volantem.) Celeritas annunciationis Euangelij ſignificatur in uolandi uerbo, de

bo, de qua celeritate illud: Velociter currit sermo eius. Diuinis legatis alæ, ut ipsis Cherubim & Seraphim, affingũtur. Quò uolandi uerbum pertinet, & cœli mentio, in quo uolatus perficitur, ut sequitur: *Psal. 148. Iesaiæ 6.*

Habentem Euangelium.) non doctrinam bestiæ pestiferam, sed salutarem Agni doctrinam.

Aeternum.) ante condita secula in diuina mẽte destinatum, quod suo tempore à contracta culpa, sed quæ antea non sine absconditorum mysteriorum consilio Dei præuisa fuisset, in orbe terrarum prædicandum esset. Habet & bestia suam doctrinam, sed temporariam, non æternam: non in cœlo digito Agni scriptam, sed in inferno à Dracone excogitatam, qua per filium perditum terram seduceret ac corrumperet.

Vt Euangelizares habitantibus.) ad destruendum regnum bestiæ, & ad instaurandum regnum Agni in Ecclesia electorum, quã miserè Antichristus profanarat, & horribili uastatione deuastarat. Præcesserat mentio de emptis de terra, hoc est, redemptis ex terreno bestiæ ex terra natæ regno: hîc mentio de modo & ratione redimendi fit, hãc cerni in cœlestis & æterni Euangelij prædicatione. Qua in re & dignitas illius, & usus quem affert, & munus legatorum Agni quàm amplum sit, ostenditur.

Et omni genti.) Quod his uerbis Dominus apud Euangelistam exprimit: Prædicabitur hoc Euangelium omnibus gentibus, in testimonium. Quæ prædicatio his nouissimis temporibus perficietur. *Matth. 24.*

Voce magna.) non summissa, qualis est eorum qui partim Domino, partim Baalim seruire studẽt. Sed quid dicent diuini legati ipsius Agni? Sequitur:

Timete Dominum.) non seruili & degenere timore, qualis est seruorum, qui Dominos auertendæ pœnæ metu timent: sed liberali ac ingenuo metu, quo liberi parentes metuunt, quos ob bonitatem reuerentur, non propter duritiem & inclementiam seruiliter formidant. In timore igitur sacro, quem sacræ literæ commendant, primò Dei cognitio cernitur, qua is pater agnoscitur qui nobis filijs suis in filio Messia faueat. Deinde studium omnia uitandi, quæ intelligunt patri Deo displicere. Demũ liberalis amor, quo illum non sui studio, propter munera quæ ab eo accipiãt, sed quo eum propter suam bonitatem amant, quam unam in benefaciendo & cauendis sceleribus respiciunt. Is metus Dei in Euangelij ab Angelo hîc descripto nunciandi prædicationem cadit: non seruilis ille timor, de quo Apostolus his uerbis loquitur: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Quo clamore nihil suauius & dulcius, & ad salutem comparandam efficacius est, ut qui per nubes ad solium diuinæ gratiæ penetrans omnia impetret. Hunc filiorum Dei timorem in amore comprehensum, in omnem æternitatem permanere in sanctis confitemur: seruilem autem, temporarium esse. Vt autem in filijs Dei, dum hoc corpus peccato & morti obnoxium secum gerunt, uterq; timor seruilis & liberalis, legis q; castigantis & Euangelij consolantis doctrina locum inueniat: & ut hæc duo uera sint, Pij à peccato, morte, metu seruili & lege liberi sunt, ab his item liberi non sunt, ea de re aliàs meminimus. *Rom. 8.*

Et date illi honorem suum.) qui detractus ei fuerat per bestiam. Fructus timoris Dei explicatur, qui est, Deo patri suum sapientiæ, iusticiæ, potentiæ & bonitatis honorem in filio Messia tribuere, quod munus fidei, quæ in illo diuino timore splendet, opus est.

Quia uenit hora iudicij eius.) quo rebelles ex prædicato Euangelio iudicabuntur, quod omnibus populis in iusti iudicij Dei testimonium his nouissimis temporibus prædicabitur. Atque hoc iudicium per bella, pestem, fa-

mem,terræmotus in singulis locis exorituros,& per spiritum Messiæ in hac priore resurrectione exercebitur. In altera uerò,qua cum maiestate uenturus est Dominus, iudicium in uiuos & mortuos ex eiusdem Euangelij, quod hîc legitur prædicandum, libro fiet. De quo Apostolus: cum iudi-
Rom.8. cabit Dominus occulta hominum, iuxta Euangelium meum, per IESVM CHRISTVM.

Et adorate eum qui fecit cœlum & terram.) non bestiam Antichristum, & imaginem bestiæ:cui Antichristus, ut loquatur & decernat quæ Agno aduersa sunt,spiritum inspirat: neque deos adorate, quos bestia adorat,& adorandos præcipit. Est autem adorare Deum,eum agnoscere qui solus ut omnium conditor,tam bonus sit ut uelit, & tam potens ut possit seruare, & uerax ac fidelis,qui in filio Messia promissam salutem præstet.Hunc honorem Deo patri in filio,& ei solo dari, cum non permittat Babylon,de eius iudicio & casu sequitur durum oraculum.

Cecidit Babylon.) Antichristi regnum,cuius quoniam uetus Babylon figuram prætulit, id Babylon quoq; appellatur. Figura autem & umbra in eo cernitur.Babylon non in alto ac sublimi loco ædificata fuit,sed in planicie. Tale regnum stulti pastoris est,in depressa terra ædificatum: hoc est, terrenum regnum est,non cœleste: sicut hæc bestia ex terra ascendere, non de cœlo descendere suprà legitur.Itaque Iesaias propheta huc respiciens, Ba-
Iesaiæ 44. bylonem תהום his uocat,hoc est,profundum & abyssum: Qui dico profundo,desolare.Babylone significata,qua præfiguratam indicat alteram Babylonem,nouã & spiritualem Babylonem,quæ originem non ex cœlo, sed a-
Genes.10. bysso & profundo orco ducit. Deinde Babylon à superbo Nimroto & robusto uenatore ædificari cœpit,cum turri cuius culmen cœlum attingeret:non secus Babylon altera à superbo animarum, quas capiat, & captas perdat,Antichristo extruitur,cuius fastigium in cœlum usque pertingat,ut qui audeat ad deturbandum (quantum in ipso est)Agnum, de solio suo supra omne id quod est numen Dei,sese extollere, superbè dicens cum Baby-
Iesaiæ 14. lonio rege: In cœlum ascendam,& supra astra Dei exaltabo solium meum. Præterea Babylon propter linguarum confusionem, in quam inciderunt qui Babyloniam turrim ædificare moliti sunt, בבל nominata est. Non aliud nomen congruit in alteram Babylonem,regnum aduersarij,quę meritò Babylon ob tot sectarum,quas non facilè recenseas,confusionem appellatur. Quartò,Babylon uetus plena falsis uatibus,magis,ariolis, incantatoribus, astrologis, & uanis siderum interpretibus,qui cuiusq; uitæ, fortunarum & fatorum notationem ex natalitijs prædictis uana diuinatione rimabantur: noua Babylon ut multis seculis,sedens in loco sancto,pseudoprophetis & falsis doctoribus referta sit,palàm est.Non refero, ut pontifices aliquot fuerint impijs diuinationibus & necromantia infames: ut in eius regno tales præstigiatores tolerentur, nemo est qui nesciat. Quintò, Babylon uetus idolorum omnis generis cultu infamis fuit:nostra Babylon ut simulachris repleta sit,nihil refert demonstrare. Sextò,prior Babylõ Israëlitas,electum Dei populum,captiuum tenuit,eorum templo incenso, Hierosolyma uastata,terra misere desolata, & ut auream adorarent statuam eos coëgit: altera
Daniel.3. Babylon,ut in templo Dei sedens,electos per falsas doctrinas captiuos teneat, eosq; auream superstitionis & falsæ religionis statuam adorare cogat,magno piorum hominum dolore constat. Postremò, ut Babylonem ad liberandum electum populum Persarum rex Cyrus euertit: ita ex gentibus,his nouissimis temporibus,angeli & legati mittuntur, qui uastata altera hac Babylone,electos in ueram libertatem asserant.

Cecidit cecidit Babylon,) Geminatio hæc oracularis prædictionis certitudinem

nem declarat. De uetere Babylone similiter Prophetæ prædixerunt. Sic enim Hieremias: Cecidit cecidit Babylon. Sed de ueteris Babylonis ruina ita uaticinati sunt, ut nostræ miseriæ casum per illius ruinam præfigurarint. *Hierem. 51*

Ciuitas illa magna.) Quàm ampla sit ciuitas aduersarij, Europa documento est, quæ longo tempore tota illum adorauit. Mahumetani capitis, quod ut nasceretur, hæreses in Ecclesia ortæ non leuis causa fuerunt, non meminero, quod aduersus Christum longè latéque in Asia & Africa regnat: quod quadam ex parte non immeritò Babylonis nomine appellari debet. Quare, ut ex Romani imperij ruina, bestia supra septem colles sedens nata est: ita ex eiusdem Imperij, sed Orientalis casu, Mahumetanum caput sese extulit, eas regiones & urbes falsa religione implens, quas Apostolorum ministerium Euangelio impleuerat.

Quia de uino iræ scortationis suæ.) Notatur idololatria, quæ spiritualis fornicatio est, crebrò in sacris literis nominata. Dicitur autem fornicationis uino populos potare, quòd quemadmodum ebrij titubantes aberrant à uia: ita quos Babylon sua idolomania corrumpit, à ueritatis uia abscedunt. à uia inquam, quæ de se prædicat: Ego sum uia, ueritas & uita. A' qua uia recedentes, uerè fornicationem & adulterium committunt, in maritum nimirum fidem uiolantes, qui apud Iesaiam hunc titulum sibi uendicat: Quoniam maritus tuus erit conditor tuus, Dominus exercituum nomen eius. Legimus hîc apud Ioannem, quia de uino iræ scortationis suæ, &c. De hac ira his uerbis Apostolus in altera ad Thessalonicenses epistola: Et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio. Atque hoc ipsum est iræ uinum fornicationis Babyloniæ. Itaque quod hîc uocatur uinum iræ fornicationis, mox appellabitur uinum iræ Dei. *Ioan. 14.* *Iesaiæ 54.* *2. Thes. 2.*

Omnes gentes.) Non dicit paucas aliquot gentes, sed omnes. Ex quibus uerbis intelligitur, an ne per Babylonis ciuitatis magnæ regnum affirmari possit, hactenus quæ de amplissimo Messiæ regno & salute Israëlitis & gentibus affulsura prædixerunt, impleta fuisse.

Et tertius Angelus.) Hæc non ita accipiuntur, ut quæ is angelus denunciat, reliqui non denuncient: sed indicat, quæ in uniuersum legati Dei doceant, docere inquam eos Euangelium, quo electi seruentur, ei fidem habentes: reliqui pereant, eidem aduersantes: ut est Babylon, & eius adoratores.

Et cruciabitur igne & sulphure.) De hoc supplicio infrà fiet mentio: Viui conjecti sunt in stagnum igne & sulphure ardens. De eodem supplicio Dauid: Pluit super impios ignis & sulphur. Descriptionem inferni mysticam sub nomine uallis Tophet, in quo inferno sulphure & igne sint cruciandi impij, uideris apud Iesaiam. *Psalm. 10.*

In conspectu angelorum sanctorum.) his ad solium ipsius Agni iudicis assistenti bus, tanquam iudicij in impios exercendi ministris. In angelis etiam à Ioanne diuini ex hominibus desumpti legati accipiuntur, qui coràm sint contemplaturi Babylonis interitum. Nam hi cum Agno in thronis suis sedentes, illam iudicabunt.

Et ante conspectum Agni.) ut iudicis & uindicis scelerum.

Et fumus tormenti eorum ascendit.) De igne & sulphure præcesserat mentio: hîc de fumo ex ardenti sulphure excitato subiungitur sermo. Is quod ascendere dicitur, primò natura eius respicitur, quem cernimus ex cremata materia non descendere, sed ascendere. Deinde abyssus seu Orcus spectatur, ex quo sicut suprà errorum fumus legitur ascendere ab angelo abyssi Antichristo excitatus: ita hîc scribitur, eundem fumum, qui sulphuris fumus

est, Babylonem perditurum. Talionis enim lege, letali fumo perire debet, quæ perniciali errorum fumo terrarum orbem perdere uoluit.

Nec *habent requiem.*) per accusantem & damnantem in conscientijs eorum scriptam legem. Qua condemnante legis ui cùm sint liberi, empti precio sanguinis Agni, illi pereunt, hi pace fruuntur. de qua illud: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.

Rom. 5.

Hic ergo patientia sanctorum est.) In cruce & afflictionibus salutem expectantium, afflictionibus patiẽtiam: hac fidei probationem, probatione spem non pudefacientem procurante.

Hi sunt qui custodiunt mandata Dei.) non bestię. Sed quæ præcepta custodienda sunt? Præceptum de amore Dei & altero. Sed unde, ut Deum purè ames, & alterum ut te diligas, accipies? Sequitur:

Et fidem IESV.) fidem esse diuini spiritus uim, quæ nobis de capite IESV amoris spiritum impertiat, per quem Dei mandata exequamur. Qui sacri amoris spiritus nouus ille spiritus est, promissus in Prophetis. & noui fœderis, quod spiritus adoptionis fœdus est, tempore de cœlo ui resurrectionis IESV CHRISTI in electorum pectora funditur.

Ezech. 36.

Ioan. 7.

Beati mortui.) Aduersus bestiam consolatur diuinus spiritus pios: eos non debere commoueri, si ab illa prius propter testimonium IESV trucidentur, quàm de ea supplicium sumptum sit. Sic enim morientes in Domino, & propter Dominum, beatos esse: qui temporariam uitam amittentes, in altero seculo ab omnibus malis liberam uitam & æternam adipiscantur, quæ ipsa Deus sit, in Agno Messia, cuius uitæ primitiæ in hoc seculo in interiore homine sese ostendunt: in altero decimis se ostensuris per spiritum Agni, qui & corpora nostra ad uitam excitabit, conformanda corpori glorioso Messiæ benedicti.

Rom. 8.

In Domino.) De quo Apostolus: Non amplius ego uiuo, sed uiuit in me Christus, per spiritũ uidelicet, de quo illud: Spiritus est qui uiuificat. Qui igitur propter testimonium IESV, eius spiritu prædíti moriuntur, beati sunt: ut qui morientes, non uera morte moriantur, & uiuant uera uita. Contrà impijs accidit, qui infelices sunt, qui nimirum morientes uera morte, damnati ad stagnum ignis ardens sulphure, uitam ueram nullam sensuri sint, sed talem quæ mors censenda sit, non uita.

Galat. 2. Ioann. 6.

Vt requiescant à laboribus suis.) Suprà legimus de impijs: Nec habent requiem. Hìc uerò de pijs, hos requieturos à laboribus. Sed qualis est hæc requies, & qui sunt labores, à quibus qui in Domino moriuntur, uacant & quieti sunt? Primò, quies hæc est pacatæ & tranquillæ cõscientiæ aduersus peccatum, mortem & furias inferni, per sanguinem Agni uictoris peccati, mortis & inferni nobis parta. Deinde quies hæc cernitur in exantlata militia, in qua caro aduersus spiritum bellum gerit: quod, dum hæc mortalis uita in mortali corpore durat, perpetuum est, grassante in corpore morti obnoxio cupiditate aduersus legem diuini spiritus in mente uersantem: nec prius pugna remittit, quàm caro in terræ puluerem ex quo ficta est, redacta sit: & spiritus ad Deum, à quo datus est, redierit. Demum quies quam in Domino ex hoc seculo migrantes nanciscuntur, in laborum & afflictionũ uacatione cernitur: quæ pios, dum corporis molem secum circunferunt, uexant: Quæ quàm uariæ sint, non est opus explicare. Etenim præsens uita quæ in mundo hoc degitur, similis est eorum uitæ qui in mari uarijs procellis & fluctibus eius expositi nauigant: quos procellosi maris fluctus non prius superarint, quàm ad portum appulerint. Sic est sanctorum in hoc seculo uita, quæ non antea à suis laborum & calamitatum fluctibus quieuerit,

Rom. 7. Eccles. 12.

quieuerit, quam ad metam futuræ uitæ ab omni moleſtia liberæ gubernatore Chriſto pertigerit. Contrarius ſtatus beſtiæ eſt, & eorum qui eam adorant. De quibus uerè dicitur: Miſeri qui in beſtia moriuntur, nunquam à ſuis laboribus quietem habituri.

Sed opera illorum.) benefacta, quæ fides per charitatem edit. Dicit ſua eos comitari opera, non aliorum, unoquoque ſibi præmium conciliaturo benefactis ſuis, non alteri: ut quiſq; pro ſe ad ſalutem comparandam Chriſto fidem habet, non pro altero. Stat enim illud: Iuſtus fide ſua uiuet. Et hîc: Opera eorum ſequũtur illos. Quare magno errore purgatorium fingitur, in quo aliorum opera & merita alijs ad eorum peccata luenda & ſalutem impetrandam proſint. *Abacuc.2.*

Sequuntur illos.) præmio ornantur, non operum merito, ſed gratia & fauore eius qui ſua in nobis opera coronat: quæ nimirum diuini ſpiritus in nobis ſpirantis & agentis opera ſint, non naturæ, quod confitentur pij, ut omnis gloria Deo patri in Agno & per Agnum cedat. Igitur iuprà angelus æternum tenens Euangelium clamat: Timete Deum, honorem illi date. Quod cùm beſtia non facit, eam opera ſua quibus ſuum honorem Deo detrahit, & ſibi arrogat, ad interitum comitatur.

Et uidi, & ecce nubem candidam.) Deſcribitur iudicium, quo Agnus beſtiã Antichriſtũ, & eius cultores iudicabit: in cuius deſcriptione nubes cãdida, filij hominis ratio, corona aurea, & in eius manu falx, & meſsis quæ falce metitur cõſideranda ſunt. Quantum ad candidam nubẽ attinet, hanc iudicis, in qua appareat, maieſtas requirit: quam niſi tectam nube, eorũ qui iudicantur oculi non ferrent. Sic cùm Chriſtus in cœlũ abiret, in nube à diſcipulorũ conſpectu ſubductus fuit, ad inaſpectabilem gloriam & ſplendorem tranſformandus, quem ſplendorem ac claritatem mortali corpore circundati minimè ſuſtineant. Quod uerò attinet ad nubis candorem, in hoc iudicis candor, hoc eſt ſinceritas & integritas indicatur. Præterea deligitur nubes, ut in qua præſtantia Dei opera declarentur: tonitrua, fulgura, grandines, pluuiæ, in quibus operibus Deus per filium Meſsiam iudicium ſæpe exercet. Sic aquis, quas nubes patefactæ fuderunt, mundus Noæ tempore iudicatus eſt: ſic cœleſti igne è cœlo demiſſo, Sodoma & Gomorra conflagrarunt. Ægyptus grandine percuſſa eſt. Lex diuini iudicij miniſtra, cum tonitruis & fulguribus in monte Sina promulgata. Et Apoſtoli pluuiam cœleſtis Euangelij pluentes, nubibus apud Ieſaiam comparantur, Mandabo nubibus ne pluant: pluuiam uidelicet Euangelij. Daniel antea de nube, cuius hîc Ioannes mentionem facit, meminerat: Et ecce ueniebat in nubibus cœli quaſi filius hominis. de quo ſequitur: *Actor.1.* *Geneſ.7.* *Geneſ.19.* *Ieſaiæ 5.* *Daniel.7.*

Habentem in capite ſuo coronam auream.) Quæ regalis & iudiciarij ſpiritus corona eſt, de quo ſæpe mentio aliàs facta. Vt in candida nube iudicij puritas: ſic in aurea corona, pura & tuta atq; firma aduerſus omnem contrariam uim regia poteſtas ſignificatur: ut aurum ipſum ab iniuria ignis, quo cõſumatur, tutum eſt.

Falcem acutam.) Acre iudicium iudicis notatur, quo non ſecus impij demetendi ſint, atque matura ad meſſem ſeges falce reſecatur, ac demetitur.

Et alius Angelus exiuit.) In prima reſurrectione occurrunt angeli, miniſtri meſsis per hominis filium faciendæ: qui angeli, Euangelij concionatores ſunt: quorum munus eſt, electos tanquam ſelectum triticum in Eccleſiæ horreum congregare, & ſceleroſam Babylonem & eius cultores foras eijcere, & tanquam ſtipulam igni furoris diuini conſumendos tradere. In reſurrectione autem altera, angelis ſpiritibus illis puris ſtipatus Meſsias iu-

dex,uiuos & mortuos iudicans messem facier:de qua is ipse loquitur apud
Matt. 9.13. Euangelistam.

Exiuit de tẽplo.)Nominatur templum,in quo ut habitaculo Dei & filij Messiæ,sanctitas omnis iustitiæ & uitæ uersatur. Hoc templum ipsa electorum Ecclesia est,extra quam neq; sapientiæ,neq; iustitiæ,neq; uitæ suæ communicatione Deus in filio suo usquam se declarat, & propter quam omnia in cœlo,terra & inferno opera fiunt.Ex hac una mittũtur angeli & legati,quorum ministerio salus scriptis in libro uitæ,& interitus hostibus procuretur. Ideo legimus hîc: Et exiuit angelus de templo.Sed ubi hoc templum ædificatum est? Sequitur:

3. Reg. 6. *Quod est in cœlo.*)Non enim hoc templum Salomonium templum est,ex lapidibus terrenis & cedris Libani extructum : sed cœleste templum est,in quo lux lucet Messias,hoc cœlum aperiens & illuminans:in quo item cœ-
Deuter. 32. lo spiritus uitæ quæ de se dicit,Ego sum uita,spirat.De quc cœlo defluit pluuia uitalis doctrinæ, omnem salutem scriptis in cœlo afferens. Quocirca & templi & cœli hîc mentio fit. Qua in re admirandum iudicium Dei contemplari licet, quòd ex templo in quo angelus ille corruptor & perditor sedit, angelus lucis exit, ad reparandam quæ per illum amissa fuit,salutem.Tanta electionis diuinę uis est:quam Antichristus templo Dei auferre non potest,ut id profanari ad tempus potest.

Et alius angelus exiuit de altari.) Ad utranque aram, uictimariam & suffitoriam,hîc in angelo prodeunte ex ara & potestatem in ignem habente alludi tur.Sed in quem ignem potestatem habet? & in quo cernitur illa potestas? Si electos spectes, ignis occurrit de ara Messia prodiens, qui illos pur-
Malach. 3. get & probet.de quo igne Malachias:Ipse enim quasi ignis conflãs,& quasi herba fullonum &c. Idq; ignis præstat uictimarius, hostias uiuas Deo præparans:& suffitorius,hoc est, precator Spiritus sancti ignis. Sin uerò impios consideres,& ipsam bestiam, occurrit ignis furoris diuini ex eadem ara Messia exiens,quo illi conficiendi sint. Et quoniam huiusmodi ignis pios purgans,& impios perdens,cadit in prædicationis Euangelij munus, quo legati Dei funguntur:legimus hîc,Euangelium ex ara prodeuntem, in ignem habere potestatem. Ad hæc, quoniam omni genere cladium impij his nouissimis temporibus uexabuntur,non absurdum fuerit fateri,de cœlo misso igne impios punitum iri,ut olim Sodoma & Gomorra puniti sunt. Quare in legatorũ Messiæ mun⁹ intelligitur ignis deuocãdi potestatẽ cadere,ut in munus deprecationis Heliæ ignis de cœlo deuocationẽ cecidisse cõfitemur.Nã quoniã ut lege talionis paria supplicia paribus delictis debẽtur, quis neget,in Babylonẽ,Sodomã & Gomorrã non solùm æquantẽ, sed superantem etiam flagitijs, cœlesti igne & sulphure diuinam iram animaduersuram? Sodomitæ & Gomorræi luxu,turpi libidine & inhumanitate in fames fuerunt:his uitijs in Babylone accedit apertus cogniti Euangelij cõtẽptus,ut uerè iudices tolerabilius illos in die iudicij quàm hanc habituros.

Et uindemia botros.) Alia diuini iudicij sub uindemiæ uuarum imagine descriptio adhibetur. Et meminit uuarum non cœli,sed terræ, ad indicandum,in terrenos homines cœlesti Agni spiritu carentes,desęuiturum iudicium Dei.

Et misit in lacum iræ Dei magnum.)Alluditur ad Iesaiæ oraculum, in quo Chri-
Iesaiæ 63. stus calcatori uuarum, & hostes uuis quæ calcantur, & miser in quo sunt status torculari comparatur.Sic enim scriptum legimus:Torcular calcaui solus.Meminit torcularis magni Ioannes,qui nimirum meminisset ruinæ Babylonis, ciuitatis impiorum magnæ : Cecidit cecidit Babylon ciuitas illa magna,

Et cal-

Et calcatus est lacus extra ciuitatem.) Suprà templi meminit, hîc ciuitatis. Sed quæ est illa ciuitas? Sanctorum Ecclesia est, sceptro Messiæ regis gubernata, quæ quum malis insidentis nubi candidę beneficio liberetur, & nihil cõmune cum impia Babylone habeat: legimus hîc, impiorum torcular extra eam calcari.

Et exiuit sanguis de lacu.) non uinum. Digni habentur, quorum sanguis fundatur, qui sanctorum sanguinem fuderint. Sic infrà, Babylon ebria sanctorum sanguine uocatur.

Vsq; ad frenos equorum.) Superlatione diuinus spiritus impiorum cædem ac interitum amplificat.

Per stadia mille sexcenta.) Numerus is iustæ ultioni cõgruit. Millenarius enim denarij cubus est. In altero numero, quæ perfectio insit, senarius indicat: Longè lateq; per terram diuinam uindictam sparsum iri.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM.

ET *uidi alium angelum.*) Retexit de clade qua terrarum orbis afficiendus sit, prophetiã. Idq; facit, ut suprà indicatum, pro more prophetarum, qui oraculorum eiusdem argumenti explicationem subinde repetunt.

Et uidi tanquam mare uitreum.) Triumphale carmen exponitur, quo diuini beneficij de uicta bestia magnitudo celebratur ab ijs, qui redempti, quietem à tot laboribus & afflictionibus adepti sunt. Quod est hîc, super mare uitreum igne mixtum electos uictores stare, qui mundum hunc fluctibus rerum aduersarum tãquam mare agitatum, cum probatorio afflictionum igne pedibus suis subiectum habeant. Quò pertinet illud in Psalmo: Transiuimus per ignem & aquam. Quòd autem uitrei maris mentio fit, significatur, crucis beneficio sanctos ad claritatem cœlestis regni peruenire. Eôdem ignis splendor refertur. De uitreo mari uideris quæ suprà memorata sunt. *Psalm. 65.*

Canticum Mosæ serui Dei.) Gratulatorium carmen cantaturos, ex bestiæ secundæ & imaginis bestiæ prioris regno liberatos: quale olim ex Ægyptia seruitute liberati, in rubro mari submerso Pharaone, cecinerunt. Legimus electos super mare stare, in quo impij subuersi pereunt: ut Pharao cum suis in mari rubro absorptus perijt. *Exod. 15.*

Et canticum Agni.) Victoris Agni, sub Dauidis figura cantati, Psalmi extant.

Magna & mirabilia opera tua.) A' mirabilibus operibus laus. In his, præter cœli & terræ, & eorum quæ illis continentur, creationem, redemptionis electorum opera cernuntur: quæ quàm uaria sint, norunt pij.

Omnipotens.) A' potentia laus: cui neq; mundus, neq; princeps mundi Satan, neq; eius filius Antichristus, neq; tyranni orbis terrarum resistant, quominus electos suos seruet.

Iustæ & ueræ sunt uiæ tuæ.) Laus à iustis & ueris ijs, hoc est, consilijs, institutis & iudicijs Dei: hæc iusta, recta & uera esse. Siue durius quid cum suis per res aduersas ad pœnitentiam eos reuocans agat: siue ad tempus res feliciter impijs in hoc mundo affluere sinat, quos tandem miserè perdat: siue inquam quosdam, in quibus misericordiæ suæ magnitudinem, siue in quibus iusticiæ seueritatem declaret, paratos ac destinatos habeat: omnia eius consilia & iudicia, quæ in cœlo, in terra, in inferno, in uicibus iræ & gratiæ, mortis & uitæ, tenebrarum & lucis ostenduntur, uera & iusta

esse: & talia, quæ in ius à nemine uocari debeãt, neq; in ea à quouis inquiri par sit. Itaq; apostolus Paulus Domini uias iustas & ueras agnouit esse, quas illum in Iacobo, eum amando priusquàm bonum, & Esau odiendo priusquam malum quid fecisset, declarasse, his uerbis cõfitetur: Itaq; neq; uolẽtis est, neq; currẽtis, sed miserẽtis Dei. Hoc non cõfitentur, qui humanæ uoluntatis conatu & factis Dei amorẽ conciliari contendũt, & odium Dei præcedere impiorũ malefacta nõ fatentur. Neq; uias Domini rectas & ueras iudicãt esse, qui cũ amicis lobi innocẽtes in hoc seculo afflígi durius non concedant: quos si asperius rebus aduersis infestaret, æquitatẽ ipse suam nõ tueretur, cuius sit insontibus benefacere, sontibus malè. Neq; Dei uias iustas & ueras esse fatentur hypocritæ, qui iniquè secum agi putant, si Deus eos ex ipsorum factis iustos non reputet, & dignos quos regni sui præmijs ornet, contra quos Dominus uias & iudicia sua iusta comprobans, sic loquitur: Amice, non facio tibi iniuriam: tolle quod tuum est, & abi: an non licet mihi facere quod uolo, in rebus meis?

Roman. 9.

Matth. 25.

Rex sanctorum.) A principatu & regno quod in sanctos teneat, & præter eum nemo alius. Gloriatur & aduersarius se regem sanctorum esse, Sanctissimus appellatus: sed falsò gloriatur, qui non sanctorum, sed locustarum ex Orci fumo genitarum rex sit, Abyssi angelus omnia uastans, & sanctos ipsos conterens.

Quis non timebit te Domine?) Laudem Domini ad metum, per acclamantem interrogationem accommodat: hunc, qui tantus sit à potentia, à iustícia & principatu, quo sanctos aduersus omnẽ aduersam potestatem regit & tuetur, meritò metuendum, ac reuerenter colendum esse.

Et glorificabit nomen tuum.) non bestiæ, quæ sibi diuinos honores, qui tibi debentur, uendicat.

Quia solus es sanctus.) Ratio amplificationis, à sanctitate quæ soli Domino assignanda sit, nemini alteri: quam natura & absolutè habeat. Dicuntur & diui sancti: sed qui tales sint gratia adoptionis, non natura, qua originis uitio impuri sint, non sancti. Quo iure igitur aduersarius titulum sanctissimi sibi arroget, ex hoc gratulatorio carmine discimus: Nam tu solus sanctus.

Quoniam omnes gentes uenient.) Quibus patefactum fuerit mysterium illud, cuius Apostolus meminit: Nolo uos ignorare fratres mysterium hoc, ut ne sitis apud uosmetipsos elati animo, quòd excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & sic totus Israel saluus erit.

Roman. 11.

Et adorabunt in conspectu tuo.) culturi te spiritu & ueritate: non bestiam, falso & mendaci cultu.

Quoniam iudicia tua.) uindicta in bestiam, tot seculis ignoratam.

Manifestata sunt.) per sacrum Euangelij lumen.

Et post hæc uidi.) Hæc quæ sequuntur de septem plagis, rei gestæ ordine præcedunt ea quæ iam exposita sunt. Nam bestia prius cladibus hîc descriptis mulctabitur, quàm sancti relata de illa uictoria Dominum ob redemptionis beneficium celebrent.

Apertum est templum tabernaculi testimonij in cœlo.) Alluditur ad tabernaculũ testimonij, à Mose iussum ad exemplar cœlestis tabernaculi & templi extrui, de quo suprà mentio facta est.

De templo.) ex eorũ numero, qui templum in quo Agni spiritus habitat, uocantur. Cui templo quoniam omnis legatio, omniaq; responsa & oracula deseruiunt, & in eo reponuntur: legimus hîc, de templo Dei angelos, hoc est Euangelij ministros prodire.

Vestiti

Veſtiti lino mundo.) Muneris quo funguntur legati Agni, nitor & puritas notatur.

Et præcincti circa pectora zonis aureis.) Significatur, legatos Agni non ſuos affectus ſequi, ſed pectora auro ſapientiæ diuinæ cincta habere: quæ ſpiritus ſacri Euangelij ſapientia eſt, corda legatorum Dei bene aduerſus uarias carnis cupiditates & contra mundum muniens. In auro, unde ſimilitudo mutuata, quæ cernantur, non obſcurum eſt.

Septem phialæ aureæ.) continentes iudicia Dei, per iudiciarium Agni ſpiritum, qui ſeptemplici ui uiget effundenda.

Iræ Dei.) in beſtias & eius adoratores effundendæ.

Et impletum eſt templum fumo.) Afflictionum fumus ex templo in impios ſpargendus notatur, de quo iræ diuinæ fumo Pſalmus : Aſcendat fumus in ira eius. Sic Ieſaias templum Dei fumo repletum uidit, ſignificata per eum fumum excæcatione & uarijs calamitatibus, quibus rebelles erant infeſtandi. Nam ut fumo lædantur oculi, & tenebris quas fumus inducit, afflictiones ſignificentur, ſatis clarum eſt. Legimus hîc, templum fumo impletum Dei maieſtate & potentia, quòd diuina conſilia ac iudicia occulta & abſcondita ſint ipſi mundo, quæ nemo intelligat & patefaciat niſi is de quo illud: Filius hominis qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. *Pſalm. 17. Ieſaiæ 6.* *Ioan. 1.*

Et nemo poterat introire in templum.) Non prius illo plenè aperiendo, quàm ultio de beſtia per ſeptem plagas ſumpta ſit: tum fore, ut triũphale quod tum expoſitum eſt, carmen canatur.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM.

ET *factum eſt uulnus malum.*) Dira ac tetra tum corporum, tum animorum malè ſibi conſciorum uulnera ſignificantur: ſed quibus nõ quiuis, ſed qui beſtiam adorant, ſint conficiendi.

In mare.) Mundus is indicatur, uariarum tentationum procellis ac fluctibus maris inſtar tempeſtuoſus, in quo omnia cruore ſint inundatura.

In flumina, & in fontes aquarum.) Maris qui meminiſſet, iam fluminum in mare fluentium, & ex eo per uiſcera terræ refluentium, & fontium mentionem facit: ſignificato, ſanguine omnia commixtum iri. Alluditur ad cladem illam Ægyptiam, qua aquæ in ſanguinem conuerſæ leguntur.

Et ſanguinem eis dediſtis bibere.) Rationis lege cum beſtia, omnia cruore per tyrannos ex mari mundo ortos replente, iuſtum iudicem Deum acturum.

Et datum eſt illi homines igne urere.) Qui meminiſſet Solis, iam ardoris mentionem facit. Videtur ergo cœli ardor & ſiccitas, & inde orta fames, cum peſte & febribus exitialibus ex ardore natis, ſignificari.

Et blaſphemauerunt nomen Dei.) ſupplicijs non ſupplices, ſed contumaces ac deteriores in malo redditi. Non enim ex eorum numero ſunt, qui Agnum ſequuntur: ſed beſtiam, de qua præceſſit mentio.

Vt darent ei gloriam.) Vt pij rebus aduerſis uexati dant, confitentes eius iudicia iuſta & uera eſſe. Ignis igitur afflictionum non pariter pios & impios afficit: alteros quippe tanquam ceram liquefacit, ad obediendum Deo: alteros luti inſtar indurat, ad pertinaciter diuinæ uoluntati rebellandum. In illis enim pectora tractabilia, mollia & ſequacia reddit oleum diuini ſpiritus: in his corda dura terreſtris Draconis halitus efficit.

In beſtiæ ſedem.) Meminerat cladium, quibus beſtiam adorantes afficiendi ſint: iam cladium quibus beſtia afficiẽda ſit, mentionem facit. huius ſolium ac regnũ tenebris omniũ maximarũ calamitatũ uexatũ iri. par enim eſſe, ut

quod

quod in mundo splendidum apparuit, deinceps miserè uastatum, obscurum & contemptum iaceat.

Et manducauerãt linguas suas præ dolore.) quibus Deum blasphemarant, & nomini eius contumelias dixerant: os nimirum non agni, sed serpentis habentes. de quo bestiæ ore suprà: Os Draconis habet. quod maledicentiæ & mẽdaciorum os est, quo Deus contumelijs afficitur, & ij qui illius nomen sanctificant, hoc est, sanctè pieq; spiritu & ueritate colunt. Intueamur nostra secula. Mandere autem dicuntur linguas suas præ dolore, qui conuiciorum suorum per uaria tormenta & flagella diuinæ ultionis pœnas luunt.

Nec resipuerunt.) ut indurati, & pectore ad mala more parẽtis Draconis obfirmati, ut pereant tandem sua praua uoluntate Deo rebellantes, qui bona obtemperantes ei seruari nolint.

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem.) Alluditur ad mysticam & ueterem Babylonem, quæ à Medis & Persis, ut fluminis Euphratis aquas ab urbe deriuassent, siccato alueo in illam patefacto ingressu expugnata est. Sic futurum, ut commodè altera Babylone Antichristi regnum expugnetur. Sed cùm uiderit se à Christo, uero illo & cœlesti Cyro per sacrum Euangelium euerti, quid moliatur & molitura sit, iam ostendetur. Dico à Christo, cœlesti Cyro. nam ut prior ille, mysticus uidelicet Cyrus, Domini Messias appellatus, ueterem Babylonem ad liberãdos Iudæos expugnauit: sic his nouissimis temporibus per Agnum, uerum illum Messiam, cœlestis pater altera Babylone deuastata, suos electos redimet. Atqui nominato orientali flumine Euphrate, quod sit siccandum: indicatur quoque, caput illud aquilæ Mahumetanum, aduersarium Christo, deuastandum Euangelio, non alia doctrina in orbe terrarum obtentura.

Vt præparetur uia regum ab ortu Solis.) Durat in cœpta allusione ad ueterem Babylonem, & contra eam ab Oriente excitatos reges Medos & Persas. Sic
Ies. 41. enim apud Iesaiam scriptum est: Excitabo ab Aquilone, ueniet ab ortu Solis.

Et uidi ex ore Draconis.) Ostenditur quales sint legati Antichristi, per quos terræ reges excitat aduersus sanctos in prælium. Hos appellari spiritus immundos dæmoniorum, quos tres ex Dracone & bestia & pseudopropheta exire dicit. Primò autem Draconis, ut omnis mendacij & impuritatis autoris ac architecti: deinde bestiæ ex Dracone natæ, & os eius habentis: demum pseudoprophetæ, falsas doctrinas ad falsam religionem constituendam & conseruandam diuulgantis meminit. Draco Satan est: bestia partim Antichristus, partim imago bestiæ suprà explicata: Pseudopropheta, ipse Antichristus est. Huius legati ad terrę reges missi, quos contra sacrosanctum Euangelium excitent, immundi spiritus appellatur, quorum luxus, ambitio, auaricia, libido, sanguinaria consilia satis nota sunt.

In modum ranarum.) Impuri bestiæ legati ranis, palustri & ex limo nato & odioso clamore infesto animali comparantur: quem molestum clamorem ad summum fastidium, præsertim noctu ad dormientium quietem perturbandam ingeminant. Tales esse legatos Antichristi, ex luto, ut palustres, nõ cœlestes homines, natos: & lutũ humanarũ doctrinarũ spargentes, ad cœlestem Euangelij doctrinam è medio tollendam: quiq; lites fugitantes, noctu, ut filij noctis, non Dei, suam plenam molestia & fastidio coaxationem exercent, ad tranquillitatem piorum hominum interpellandam, præter κοάξ, κοάξ suũ nihil sonãtes, Petrus uicarius Christi est, Papa summus sacerdos est, in scrinio pectoris sui omnia iura reposita habet: cœli, terræ & inferni, &

ipsius

ipſius purgatorij claues tenens : Romana eccleſia ſancta & catholica Ecclesia eſt, quæ errare ac hallucinari cum ſuo capite, locuſtarum & ranarum abyſsiq; angelo, non poſsit: huic obtemperandum, cui ſi quis non paruerit, pro hæretico habendus, uirgis cædendus, in culeum inſuendus, reſte ac laqueo necandus, igne cremandus, aquis ſuffocandus, & alijs tormentis de rerum natura delendus. Is eſt harum ranarum moleſta & dira coaxatio, quam in aulis principum ac regum edunt, ad electos Dei filios uexandos, & omni genere calamitatum infeſtandos. Inter plagas Ægyptias numerantur ranæ, ex turbidis aquis excitatæ, quo cuncta in Ægypto infeſtarent: ad quam cladem in his obſtreperis ranis, uerè Ægyptijs, alluditur. Exod. 8.

Ad congregandos illos in prælium.) aduerſus Euangelium Agni, & eius cultores: quod cùm faciunt, Draconem, ex cuius ore exeunt, imitantur, qui homicida ab initio eſt. Conſideremus noſtri ſeculi hæreticorum inquiſitores: in quos ut horum impurorum ſpirituum deſcriptio conueniat, res ipſa docet. Ioannis 8.

In prælium diei illius magni.) Accipitur de prælio, quòd tyranni à beſtia excitati, aduerſus ſanctos facient: ſed die illo magno iudicij, ab Agno iudice dirimendum. In utraq; reſurrectione, prima & ſecũda, dies iudicij magnus cernitur: in altera dies iudicij magnus, quod in aduentu Chriſti per Euangelij patefactionem exercetur, cuius initia hodie ſeſe oſtendunt : (is iudicij dies frequenter apud Prophetas memoratur:) in altera uerò reſurrectione, dies iudicij magnus, hoc eſt, uniuerſalis iudicij dies cernetur, in glorioſo Chriſti aduentu, ad iudicandum uiuos & mortuos celebrandus.

Ecce uenio ſicut fur.) præter expectationem impiorum, qui ſecuri de malis, inſolenter ſe gerunt. Hæc uerba ut apud Euangeliſtam Agnus faciat, ſatis clarum eſt.

Armagedon.) Ab excidio locus ſic appellatus eſt. nam hebræa uox הרמגדון eſt, qua ſignificari indicatur, exercitum pro Antichriſto militantem, ab Agno profligatum, ac funditùs deletum & exciſum iri.

Et facta eſt ciuitas magna.) Babylon, regnum Antichriſti.

In tres partes.) Tria præcipua hominum genera, quæ Babylonis errorum matris regno continentur, ſignificari apparet: Iudæos, Mahumetanos, & Papæ cultores. Nam ut illa in Iudæis per unam ſuperſtitionem, in Mahumetanis per Alcoranum, in Papiſtis per humanas aduerſarij doctrinas regnet, ſatis eſt manifeſtum. Suprà porrò de ſerpente legimus, ut totum terrarum orbem per ſecundam beſtiam ſeducat. Quòd ſi hæc beſtia nomine in Iudæis & Mahumetanis non regnat, ui tamen pari errorum regnat, Draconis uidelicet mendaciorum ac errorum ui, qua ipſa referta eſt. Sed ex his partibus ciuitatis magnæ qui cadunt? Sequitur:

Et ciuitates gentium ceciderunt.) Sed quæ ſunt hæ gentes, & qui nomine gentium ſignificantur? Impij ſignificantur, qui Babylonem colẽtes, Agnum ſequi nolunt. Sic enim myſticè ſuprà etiam de gentibus Ioannes loquitur Quoniam datum eſt gentibus, & ciuitatem ſanctam calcabunt quadraginta duobus menſibus. Etenim, ut Iſraëlitæ ſecundum carnem, electorum & filiorum ſecundum promiſsionem typum præferunt: ita gentes, eos interdum qui Dei fœdere non continentur, præfigurant. At uerò ſub moto typo, in Iſraëlitis ſemper licuit inuenire gentes, hoc eſt, à uero Dei fœdere alienos: & in gentibus Iſraëlitas, hoc eſt, diuino electionis ac ſcriptionis in libro uitæ fœdere Deo iunctos.

Et Babylon magna.) paſtoris ſtulti, totum terrarum orbem ſeducentis per errores ſuos, regnum.

Venit

Venit in memoriam.) quæ multis seculis in mundo regnans, uisa est sic firma esse, ut posset dicere: Regina sedeo, uidua non sum, & luctum non uidebo.

Et grando magna sicut talentum.) grauitas iudicij diuini indicatur.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Væ sedet super aquas multas.) Hæ aquæ infrà explicantur.

Cum qua scortati sunt.) eam adorantes & uenerantes, Agno posthabito.

Reges terræ.) qui in imagine bestiæ suprà explicata continentur.

Et inebriati sunt.) non leuiter erroris uino poti.

In desertum.) in quo mulier Ecclesia errat, regno & sacerdotio Agni ad tempus & tempora & dimidia temporis, per mulierem sedentem super bestiã spoliata. De qua solitudine uideris suprà.

Et uidi mulierem.) Antichristum, qui non uiri, sed mulieris: neq; cuiusuis mulieris, non enim honestæ & pudicæ, sed meretricis: neq; obscuræ meretricis, sed nobilis, cum qua populi & principes & reges orbis terrarum scortentur, imagine Ioanni apparuit. Siquidem Antichristus mundo, quem fœdũ & turpem adulterum ac scortatorem pro marito habet, prostitutus, infrà his uerbis describitur: Et in fronte eius nomen scriptum, Mysterium Babylon magna mater scortationum & abominationum terræ. Vnde accidit, ut non sine diuina ratione, Agni aduersarius rasum gerat caput: qui uirili fortitudine, quæ in capillis (ut ex Nazareatu patet) significatur, priuatus, ad omnem luxum, mollitiem, libidinem atq; ignauiam abiectus est.

Super bestiam coccinam.) Romæ enim, in qua bestia prior dominatum tenuit, sedem suam hæc mulier habet. Quæ quoniam potestatem prioris bestiæ in trucidandis sanctis exequitur, super eam coccinam, ut sanguinaria, sedere dicitur. Ideo sequitur:

Plenam nominibus blasphemiæ.) Videris hac de re suprà, ubi utraq; bestia, prior & altera, quam hîc mulierem meretricem uocat, plena conuiciorum & maledicentiæ in Deum nominibus, ut describatur, comperies.

Et mulier erat circũdata.) Describitur habitus meretricis, pelliciendis ad scortandum secum regibus & populis aptus. Non enim uili ueste amictam, sed purpura & coccino: non ornamentis uulgaribus, sed splendidis, auro nimirum & gemmis & margaritis exornatam legimus. Qui illecebrosus ad stuprum amictus, nobis in hac meretrice omnia ad simulationem & fucum composita esse indicant. Non enim hîc de ornamento ueræ pietatis, de fide & amore quem erga Deum & in humanum genus gerat, non de tolerantia crucis per spem uitæ æternæ adipiscendæ, non de abnegatione sui, de studio rerum cœlestium, quo teneatur: sed de splendido habitu, quo ad scortandum secum alliciat orbis terrarum principes & populos, sermo habetur.

Habens poculum aureum.) amatorium. Dicit id aureum esse, non stanneum, non plumbeum, aut ex alio metallo: ut quæ amatores suos fascinans, suas doctrinas non humanas esse præ se ferat, sed de cœlo profectas. Nam prædicat, se in terra Christi uicem gerere: sedemq; suam diuinam, hoc est Apostolicam esse gloriatur: ut caput illud Mahumetanum iactat, se suum Alcoranum angelorum ministerio ex ore Dei accepisse. Atq; hoc philtro simulationis cœlestis doctrinæ & authoritatis, orbis terrarum populos meretrix sic dementauit, ut oraculorum Dei loco habeant eius placita & decreta: imò eò dementiæ uentum est, ut præ blando nobilis scorti sermone Dei

sermo

sermo contemnatur, atq; in eos crudeliter sæuiatur, qui Agnum & eius Euangelium sequuntur. Atq; hoc ipsum est quod sequitur:

Plenum abominationibus & immundicia libidinis tuæ.) Vt sunt idololatria & flagitia omnis generis ex falsa religione & doctrinis, quas commemorare nihil refert, nata. Itaq; ut hæc meretrix mysterium in fronte scriptum gerat, sequentia indicabunt.

In fronte eius.) ut neminem lateat turpitudo eius, eam Euangelij luce patefaciente, quæ antea illa absente latuisset. Quot enim seculis mysterium Babylonis occultatum fuit?

Scriptum mysterium.) Mysterium duo continet, signum & rem significatam. In signo ac figura uetus Babylõ, quæ captiuos Iudæos detinuit, numeratur. In re uerò præfigurata, Antichristi regnum, electorum Ecclesiam in falsa religione & idololatria detinens. Hoc mysterium his postremis temporibus detegendum, diuinus spiritus in meretricis fronte, ut notum fiat omnibus, scriptum dicit. Suprà autem commemoratum est, ut Chaldæorum Babylon regni Antichristi Babylonem apta figura nobis retulerit. In huius igitur descriptione origo, sedes, iustituta & facta atq; exitus cõsideranda fuerint. Si originem spectes, statim ab Apostolorum confecta legatione, ut Babylon hæc cœperit se ostendere, ceremoniæ aliæ super alias ad obliterandam Euangelij libertatem excogitatæ, documento sunt. Vt uerè dixerit Apostolus, Antichristum suo tempore cœpisse iniquitatem non palàm, sed eius mysterium moliri. Quod mysterium improbitatis & nefarij stupri hîc à Ioãne significatur & explicatur: quod occultè apostolus Paulus, magnus Propheta, in uerbis iam citatis indicauit. Sedem meretricis Romam esse, ex Ioanne hîc, & ex ipso euentu clarum est. Instituta & facta eius nota sunt, exitum tempora ipsa ostendent, cùm electi gratulabundi dicent: Cecidit Babylon.

Et uidi mulierem ebriam.) quæ poculum in manu sua tenere dicta est, quod omnibus propinet ad inebriandum, ipsa hîc ebria à diuino spiritu uocatur: ebria quidem non uino, sed sanguine: non quouis quidem sanguine, (non enim sceleroforum, quos fert, ipsa scelerosa) sed sanguine sanctorum, testimumq; IESV CHRISTI, ebriam. Superiora secula, & hæc nostra intueamur. Quantus enim piorum hominum sanguis in Germania, Gallia, Hispania, Anglia, Italia, ob confessionem sacri Euangelij cœlestis Agni fusus sit, terra ipsa testatur, quæ clamore suo sedentem in throno sollicitat, ut illum in bestiam uindicare uelit. Quare meritò legimus hîc, mulierem bestiæ insidere coccinæ, cui suprà indicatur Draconem uirtutem suam & sedem & potestatem dedisse: potestatem inquam dedisse prælium cum sanctis faciendi, & eos uincendi: sed quæ uictoria his salutaris, illis perniciosa futura sit. Corã qua sanguinaria bestia, mulier altera bestia ex terra nata, potestatem omnem & Deum blasphemãdi & sanctorum sanguinem fundendi exequitur. De qua sanguinaria bestia subiungitur mentio.

Bestia quam uidisti, fuit.) clara & illustris Cæsarum ex Romano sanguine natorum temporibus.

Et non est.) posteris temporibus ut extranei imperium cœperunt gerere, ad interitum illa inclinante. Quæ per Maximum tyrannum in Britãnia uersantem: Eugenium, Sodonem in Africa, Ruffinũ in Oriente, Caianum Stiliconem in Occidente, per Saracenos & regem Persarum euersa est. Qui tyranni fuerunt perniciales illæ pennæ subalares, Esdræ in uiso de aquila repræsentatæ.

Et ascensura est de abysso.) Suprà legitur: Et uidi bestiam de mari ascendentem. Mare igitur hîc est.

Et *interitum abit.*) Primò eius sede translata per Constantinum Constantinopolim, deinde uarijs Barbararum gentium incursionibus deuastata: ut fuerunt Gothi, Vandali, Burgundiones, Longobardi Saxones, & Franci.

Et *mirabantur.*) maiestatem, amplitudinem & splendorem Imperij Bestiæ, & eiusdem tam miserum casum. Sed qui mirabantur? Quorum nomina scripta in libro uitæ nõ erant: dicit miratos, non electos, qui nati ex cœlesti Agni cœlestis spiritu, cœlestia mirãtur & suspiciunt, non terrena: notum habentes illud Apostoli: Itaq; si resurrexistis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens: superna curate, non terrestria. *Coloss. 3.*

Hæc *est mens quæ habet sapientiam.*) Mulieris mysterium cognitum tenens per spiritum sapientiæ sibi patefactum, quod mundi spiritus & eius sapientia non patefaceret.

Septem capita.) De quibus suprà mentio facta est: Et uidi de mari ascendentem bestiam, habentem capita septem, & cornua decem. Hæc capita & cornua hîc explicantur. Quod ad septem capita attinet, ea duplicem habẽt interpretationem: una est, per ea septem colles, quos Roma urbs habet, significari, qui suprà memorati sunt. Altera interpretatio est, septem reges indicari. Sed qui sunt illi septem reges? sequitur:

Quinq; *ceciderũt.*) prioris bestiæ Reges, Consules, Triumuiros, Decemuiros, Dictatores concidisse: & unum supereſſe qui sextum caput est, hoc est, monarchiam Cæsarum, quæ sancti Ioannis tempore nondum expirauerat, sub Domitiano enim Ioannes uixit. Sic probabiliter quidam sentiunt.

Et *alius nondum uenit.*) Id est septimus. quoniam adhuc nullus externus Imperator creatus erat, qui post Domitianum creari cœpit.

Et *cùm uenerit, oportet illum breui tempore manere.*) Nam sub externis Imperatoribus, ut in dicatum, cœpit ruere Romanum Imperium.

Et *ipse octauus est.*) Sed quis est ille octauus rex? Antichristus est: qui quoniam septẽ regibus successit, uacuo monarchia loco ab ipso occupato, de septem dicitur esse. Octonarius numerus prioris bestiæ absolutum cursum explicat, & alterius expressam ipsam ueritatem ostendit. Vmbram enim in priore bestia, ac figuram Antichristi: rem ipsam in Antichristo, ut re præfigurata, sicut suprà demonstratum est, cernere licet.

Et *decem cornua quæ uidisti.*) Hi decem reges prioris bestiæ tempore ueri similiter dicuntur fuisse decem Proconsules, amplitudine Imperij potentissimis regibus pares: tempore uerò posterioris bestiæ, quæ Antichristus est, decem cornua, decem regna esse rectè iudicantur. Quæ quoniam Antichristo post Phocæ tempora parêre cœperunt, dicuntur decem reges imperium Ioannis tempore nondum accepisse, sed potestatem eandem cum bestia Antichristo accepturos: sed hac lege, ut Romanum pontificem caput omnium Ecclesiarum esse agnoscant, quod est hîc: Hi idem consilium habent, suamq; uim & potestatem bestiæ tradent. Sed quæ sunt illa decem regna? Probabiliter dicũt, esse Hispaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Daniam, Poloniam, Bohemiam, Vngariam, Germaniam. Italiam? Si quis rem ipsam expendat, neque septem capita alteri bestiæ deesse dicitur, hoc est, Septemuiros, Imperij arbitros, quos illa ad stabiliendum regnum suum, sed consensu Imperatoris Romani creari decreuit: quibus imperium Romanum ad tuendum Pontificatum & eius Ecclesiam commissum esse, ex historijs liquidum est. Quo tempore autem Septemuiri illi creati sint, in Chronicis annotatum est.

Hi cum

Hi cum Agno pugnabunt.) sic impulsi à bestia, & eius spiritu afflati. Sed non perpetuò pugnabunt, ut sequitur:

Et Agnus uincet illos.) alijs pereuntibus, alijs ex illis ad Euangelium Agni se conuertentibus: ut hodie eius uictoriæ clara exempla, de quibus mox mẽtio fiet, extant.

Quoniam Dominus dominorum est.) non bestia Antichristus, & qui eam adorãt. A facultate coniuncta cum uolũtate, qui uelit & possit, ut Dominus dominorum, uincere.

Et qui cum illo sunt uocati.) oleo regij spiritus, ad dominandum in omnia, cum Agno uncti.

Aquæ quas uidisti.) Vt mundus mari comparatur, in quo Draco Satan pro libidine ludit, atq; reges ex mari ascendere dicũtur: ita populi in quæuis momenta mobiles, aquis quæ uentu quouis agitantur, conferuntur.

Et decem cornua quæ uidisti in bestia.) in imagine prioris bestiæ, hoc est, in nouo Romano Imperio suprà descripto, cuius reges decem iam memorati cornua uocantur.

Hi odio persequentur meretricem.) Huius odij hodie initia cernimus, quod longius unà cum patefactione Euangelij progredietur. Vt deficiant autem à stulto pastore regna suprà memorata, uictore Agno, palàm est. Huc pertinet illud Danielis: Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum altissimi, cuius regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei, & obedient. *Daniel.7.*

Deus enim dedit in corda eorum.) iniecta eis hac mente per spiritum Euangelij ab eis recepti, ut improbam Babylonem relinquerent. Itaq; ut ante exhibitam lucem Euangelij, eodem animo coluerunt meretricem: ita de cœlo patefacto Agno, eadem mente deserent Babylonem, sequentes quò ducit Agnum. Quod ergo decem reges & septem capita quæ suprà exposita sunt, Babylonem coluerunt, id cœlestis regni ignorãtiæ temporibus à Deo præuisis, dandum est. quod uerò hodie relicta illa, Christum in patefacto Euangelio colunt, singulare hoc donum diuinæ gratiæ est & fauoris, in his regibus & septem capitibus Imperij arbitris commendandum.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

ET *post hæc uidi alium angelum.*) Agni legatos ad æternum Euangelium prædicandum missos.

Descendentem de cœlo.) Tales legatos non terrena, sed cœlestia in terra peregrinanti Ecclesiæ annunciantes.

Habentem potestatem magnam.) quæ in efficaci administrationis Euangelij ui, Antichristi regnum destruente, & ex eo electos liberante, cernitur. De qua Euangelij ui uideris suprà.

Et terra illuminata est à gloria eius.) splendore & claritate sacri Euangelij. De qua gloria uideris apud Iesaiam. *Iesaiæ 6.*

Exclamauit uehementer uoce magna.) Constantia & fortitudo legatorum Agni indicatur, qua usuri sint in docendo Euangelio aduersus Babylonem, ad amplificandum nomen Dei patris in filio Messia, & ad salutem electorum procurandam.

Cecidit cecidit Babylon.) Quæ sibi tuta firmaq; stare aduersus omnem ruinã & casum uidebatur, cum animo nimirum suo cogitans: Regina sedeo, & uidua non sum, & luctum non uidebo. Similia gloriantem de se apud Iesaiam legeris. Hunc casum antea per Prophetas diuinus Spiritus prædixerat: de quo uideris apud Iesaiam. Hieremias eadem uerba habet quæ Ioannes: Ce-

cidit Babylon. Vbi si figura ac umbra spectetur, prædictus est casus Babylonis Chaldæorum. Sin ueritas & res expressa, regni Antichristi ruina prædicitur: tam longè prospexit Propheticus oculus.

Babylon magna.) amplitudine finium & potentiæ.

Et facta est habitatio dæmoniorum.) quæ dæmones, non Deum & Agnum dæmoniorum Dominũ coluerit. Significatur, eam in summã solitudinẽ, plenã feris & dæmonibus, in desertis habitãtibus, redactũ iri. Scita uastationis Babylonis descriptio proponitur apud Iesaiam & Hieremiam prophetas. De ruina Romæ, Babylonis meretricis sedis, Sibylla his uersib. uaticinata est:

ἥξει σοί ποτ' ἀνωθρωΐσιν ὑλαύχνιε ῥώμη, 19
ἀρήιος πληγὴ, καὶ λάμψεις αὐχένα πρώτῳ,
λαξεῖ λαοξόῳ, καὶ πῦρ σὲ ὅλῳ λαπανήσει,
λιχλιμιλίῳ ἐλάφροισι νιοῖς, καὶ πλῆτ' ὀλέσται,
καὶ σὰ δέμνια λύκοι ἀλώπεκοι καὶ οἰκήσουσι.
καὶ τότ' ἔσῃ πανέρημος, ὅλως ὡς μὴ γεγονυῖα.

Et custodia omnis spiritus immundi.) in qua antea homines in summis delicijs habitarant, in ea uastata immundas uolucres habitaturas.

Quia de uino scortationis eius.) Exponit ruinæ turpis Babylonis causa: unde cognoscitur, quãtũ malũ sit idololatria, relicto uerò cultu Dei in filio Messia, se obligare: extra quẽ Messiã omnis colẽdi deũ ratio, deorũ alienorũ cult⁹ est. 20

Et mercatores.) quorum auariciam & fœneratoriam artem atq; luxum Babylon ipsa mercatrix & fœneratrix, luxuq; omni & libidine perdita, ut his uitijs non pauci corrupti sunt, comprobat.

Et audiui uocem aliam.) per Euangelij ministros in publicis concionib. editã.

Exite de illa.) eius idololatriã & falsam religionem relinquentes, uera susceptа, & pœnitentia peccatorum adornata, quæ in illa negligitur. Necessaria est hoc tempore hæc hortatio. Quomodo autem migrare ex Babylone intelligamur, id aliàs expositum est.

Quoniã peruenerũt.) patefactis eius delictis ad cœlestẽ iudicis Messię thronũ

Et recordatus est Deus iniquitatis eius.) quam puniat eius mensura impleta. 30

Reddite illi.) per doctrinam Euangelij & sanctitatem uitæ atq; precationẽ, eius improbitatem & furores reprimendo: non ei resistẽdo pensatione malorum, priuata ulciscendi iniurias uoluntate, quam sanctorum fides per patientiam salutem pariens non ferret. Neq; etiam hæc bestia alijs quàm spiritus sancti armis conficitur, quam sine manibus conficiendam Daniel & spiritu oris Messiæ perimendam Iesaias testatur: ut ante Hierosolymam Assyrius per angelum, citra humanam uim perijt, qui non obscuram imaginem Antichristi prætulit. *Daniel. 8.* *Iesaiæ 11.* *4. Reg. 19.*

Sicut & ipsa reddidit uobis.) per mala dogmata, & falsam religionem, & proborum hostilem insectationem. 40

Quantum glorificauit se.) in cœlestia & terrestria & infera imperio sibi uendicato. De hac honoratione & amplificatione, qua se honorat superba Babylon, uideris apud Iesaiam. *Iesaiæ 14.*

Et in delicijs fuit.) luxu & uoluptatibus diffluens.

Sedeo regina.) μιμητικῶς securitas Babylonis explicatur. Non stare, sed sedere se dicit, quæ se Reginam in regio throno sedentem fateatur.

Et luctum non uidebo.) secura de iudicio Dei, meo nimirum solio supra Agni solium elato: & quantum in me fuit, illo de suo deiecto.

Ideo in una die.) Notatur subitus Babylonis interitus: eam perituram, uindice Agno, cùm minimè putet. 50

Mors.) quæ sanctos occiderit, & multorum funestorum bellorum machinatrix fuerit.

Et luctus

Et luctus.) quæ multos pios in luctum coniecerat, & dixerat, Luctu non afficiar, hîc audit: Vno die uenient calamitates eius, mors, luctus, fames, & cætera.

Fames.) quæ tantam sæpe famem in orbem terrarum inuexerit per bella, quæ uel ipsa gessit, uel ut gererẽtur ab alijs autor fuerit, commissis inter se principibus & regibus. Prętermitto famem qua electos, subtracto eis uiuifico pane Messia, conficere studuit.

Quia fortis est Dominus Deus.) consolatio à fortitudine diuina, aduersus potẽtiam Antichristi, quam possit & uelit agnus iudicare, hoc est, damnare & perdere Babylonem, & suos liberare.

Et flebunt illam.) Describitur deploratio, qua eius amatores ruinam ipsius deplorabunt.

Ciuitas illa fortis.) ut potens & firma hæc urbs ac ciuitas sit, declarat eius imperium in populos, principes, reges, & cæsares: qui credunt, ita persuasi, Babyloni claudendi & aperiendi cœlum & infernum, potestatem esse: & sacrum habendum quicquid ipsa statuerit & decreuerit, atque ita diuino iure omnia regna & imperia ei subiecta esse. Ad hoc suum imperium tuendũ, sub specie sanctitatis tot monastici ordines, familiæ & sectæ, tot publicæ scholæ earum doctoribus in uerba illius iuratis institutæ sunt, tot episcopi & cardinales creantur tantis opibus & potentia, ut principibus & regibus sint formidabiles. Quos omnes ciuitatis huius magnæ Regina ita iureiurãdo obstrictos tenet, ut contra eam ne hiscere quidem audeant. Hæc si quis consideret, uerè dicet hanc ciuitatem magnam & potentem esse, cum qua nullum in mundo regnum à potentia miris artibus comparata, aucta & cõfirmata conferri possit. Quàm potens autem sit Mahumetanum aduersarium Christo caput, terrarum orbis iam aliquot seculis experitur.

Quoniam merces eorum nemo emit amplius.) fastu & luxu unà cum Babylone abolendo, in hoc patefactionis filij hominis aduentu. De qua mundi deiectione ac depressione uideris multis in locis apud Iesaiam, & reliquos Prophetas. Est etiam præter ciuilem mercatum, singularis quædã mercaturæ ratio, quæ in Babylonio Antichristi regno exercetur: sed cuius merces in tantum contemptum ueniunt, ut nemo amplius eas emere studeat. Vt est, mercatus qui in indulgentijs, quas uocant peccatorum, in satisfactionibus, in meritis diuorum, in uendendis missis quæ pro uiuis & mortuis celebrãtur, in muneribus Ecclesiasticis pro pecunia assignandis, in sacramentis & matrimonijs non sine precio dispensandis, & in alijs eius generis lucri & quæstus gratia tractandis, negociatio exercetur. Nam tanta impudentia est hæc mulier, ut omnia, prophana & sacra, terrena & cœlestia, pro pecunia uenalia habeat. At tempus est, in quo tales negociatores miserum suę Babylonis casum cum cæteris mercatoribus sint deploraturi, quòd merces eorum nemo amplius emat.

Lætare super ea.) In luctu fore Babylonem, quæ omni genere lætitiæ se affecerat: lætitia autem sanctos perfundendos, qui in luctu fuerunt, ut uera sit sententia illa in impios dicta: Gaudium eorum in luctum conuertetur, & de pijs: Beati lugentes, quoniam hi consolationem accipient. Sed in hac collatione contrariorum, magnum discrimẽ cernitur. Nam impiorum gaudium, temporarium ac momentaneum est: & luctus quem eorum lætitia in comitatu habet, æternus: piorum uerò luctus momentaneus est, & comitãs hunc gaudium in omnem æternitatem durabit. *Matth. 5.*

Cœlum.) iam apertum, quod antea per impiam Babylonem clausum fuerat, negata salutaris Euangelij pluuia. Aut cœlum accipitur pro sanctis in cœlo uersantibus: hos ouaturos, deleta Babylone, Lætitiã hãc & ouationẽ

ſuper interitu impiorum, amplificandi nomen Dei ſtudium excitat, non priuatum odium. Ad quod celebrandi Dei nomen ſtudium omnia ſua conſilia & cogitationes pij homines & ad Eccleſiæ ſalutem referunt. Itaque filij Dei compoſiti ad ingenium & naturam patris ſui, rectè gaudent, cùm impij pereunt, & pij ſeruantur. Nam in hoc ſuo gaudio agnoſcunt, omnia Dei iudicia uera eſſe, & recta. Quò pertinet illud: Lætabitur iuſtus, cum uiderit uindictam. item, Reple uultus errorum dedecore, ut tuum requiratur nomen Domine. Si priuatæ igitur iniuriæ ulciſcendæ ſtudium ſpectetur, occurrit illud, Inimicos diligite: itē, Super caſu inimici ne gaudeto. Sin amplificatio nominis diuini, & ſalus Eccleſiæ, precamur: Reple uultus eorum dedecore. Et huc ſpectat ſpiritus hîc: Lætare ſuper ea cœlum.

Et ſuſtulit unus angelus fortis.) per ſacri ſpiritus Euangelij quod prædicat uim: potens eſt Babylon: ſed fortior & potentior Agnus, per Euangelij ſui ſpiritum illam diſperdens.

Lapidem quaſi molarem magnū.) Sed quis eſt ille molaris lapis magnus, quo Babylon grauata in mare deijcitur? Lapis eſt, de quo lapis ipſe ex Pſalmo: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, is factus eſt in caput anguli: omnis qui ceciderit, &c. Lege talionis agitur cum Babylone: hanc molarilapide Meſsia oppreſſam, in mari huius mundi perire, quæ in mundo ſacrum illum lapidem, & qui eum adorarunt, inimicè quos perderet inſectata eſt. Pſalm. 117.

Et lux lucernæ.) in tenebras calamitatum & interitus Babylone demerſa, & in ea omni rerum proſperarum luce extincta.

Et uox ſponſi & ſponſæ.) Omnem lætitiam abfuturam, qualis figuratè in nuptijs ſponſi & ſponſæ ſignificatur: ſed uocem plenam lætitiæ ſponſi Chriſti & ſponſæ eius Eccleſiæ auditum iri. De qua lætitia mox infrà: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei. quia uenerunt nuptiæ agni.

IN CAPVT DECIMVMNONVM.

ET *poſt hæc audiui uocem magnam.*) Gratulatorium carmen exponitur, quo ſancti Deum celebrant, in Meſsia filio, de profligata meretrice Babylone, & liberatis electis.

Quia uera & iuſta iudicia eius.) Laus à ueris iudicijs, quæ in duabus rebus cernuntur: in euerſione regni Antichriſti, & uindicatione ſanguinis electorum, ad celebrandas nuptias cum Agno.

Et fumus eius.) Excitatus ex infernali igne, meretricem miſerè uexans. Ideo utitur uerbo aſcendendi inferno indicato, cuius angelus & legatus Antichriſtus eſt. Figurata locutio eſt, à fumo ex materia igne cremata excitato, mutuata. De fumo etiam ſuprà mentio facta eſt.

Et adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum.) Deum patrem in filio Meſsia. Nã adoratio in utrunq; congruit: in patrem, ut à ſe Deum, & originem omnium: in filium, ut ex patre Deo Deũ uerè & natura, per quẽ & in quo omnia in cœlo & in terra oriũtur: utriuſq; ſpiritu in omnẽ rerũ naturã pertinente.

Quoniam regnauit Dominus.) euerſo regno Antichriſti, regnante Agno.

Deus noſter omnipotens.) Cuius regno neq; mundus, neq; princeps mundi, neq; potens Babylon reſiſtat. Eſt apud Hebræos Dei nomen שדי, quam Græci ferè reddunt παντοκράτωρ, Latini omnipotens.

Quia uenerunt nuptiæ Agni.) cum ſanctorum Eccleſia, liberata ex regno Antichriſti, celebrandæ.

Et uxor eius ſeſe parauit.) ſponſi ſpiritu ornata, non facultate ueteris naturæ freta. Iraq; in hoc ſacro matrimonio & nuptijs hæc cernũtur: Sponſus Meſsias, & electorum Eccleſia ſponſa: deinde ſponſalia, hoc eſt, ipſa promiſsio

qua

qua ſponſus ſe totum addicit ſponſæ,& hæc ſponſo ſe cõſecrat. In promiſſione aũt continentur iuſticia,uita,& cœleſtis regni gloria,quibus ſponſus Meſsias ſponſam ſuam matrimonij,iure ſit ornaturus: quò cognoſcat ſpõſam Eccleſiam os ex oſsibus ſuis,& carnem ex carne ſua eſſe,uiciſsim hac fide ſe illi totum obligante, qua eum caput ſuum,& ſe corpus eſſe cõfitetur. De qua fide apud Oſeam uatem: Sponſabo eam mihi fide. Oſee. 2.
Tertiò conſiderantur etiam pronubi, quorum miniſterio hæ ſacræ nuptiæ contrahuntur. Hi ſunt angeli,hoc eſt,legati & Apoſtoli,Euãgelij adminiſtratores. Sic enim apoſtolus Paulus de ſe loquitur: Adiunxi enim uos uni uiro ut uirginem caſtam,&c. 2 Corint. 11
Quartò, in hoc matrimonio cernitur quoq; ſuus arrabo,qui ſpiritus Sanctus eſt,confirmator unicus coniugalis coniunctionis, de poſsidenda hæreditate ſponſæ,in ſponſalibus promiſſa. de quo arrabone uideris apud Apoſtolum in epiſtola quam ad Epheſios ſcripſit. Hæreditas autem quæ ſponſæ promittitur,& ſpiritu arrabone non ulla creata natura obſignatur: nõ terrena,ſed cœleſtis: nõ tẽporarij,ſed æterni regni hæreditas eſt. Epheſ. 1.
Sed ad hanc hæreditatem obtinendam quomodo præparat ſe ſponſa,& qualis eſt hæc præparatio de qua hîc legitur: Et uxor eius parat ſeſe? Hæc præparatio non conſtat ui ac facultate naturę,ſed gratia & clementia diuina naturam præueniente. Quæ præueniens gratia, eſt gratuitum ſancti ſpiritus donum, quo ſpiritu ſponſa incitata, per exuitionem ueteris naturæ & induitionẽ nouæ,ſeſe ad cœleſtis regni ſplendorem aſſequendum parat, induta ueſte de qua ſequitur mentio:

Byſſinum autem iuſtificationes ſanctorum ſunt.) ſed quæ eſt hæc iuſtificatio? Iuſtificatio eſt,qua per fidem apprehenſo Chriſto iuſticia & ſanctitate noſtra,iuſti coram Deo patre reddimur, imputata nobis Agni iuſtitia,meritò fuſi eius ſanguinis,& donato ſpiritu Sancto reparante in nobis amiſſam iuſticiã & uitam,ui reſurrectionis eiuſdem. Hæc iuſtificatio ueſtis illa pura & ſplendida ſanctorum eſt,byſsini nomine ſignificata.

Et dicit mihi, Scribe.) Monumentis literarum uiſum de beatitate eorum, qui ad nuptiarum Agni cœnam uocati ſunt, conſignandum eſſe. Qui præſtãs uſus ſacrarum literarum eſt,de quo apud apoſtolũ Paulum & Petrũ uideris

Beati.) participes omnium bonorum in ſponſo Meſsia,quæ pater habet ſapientiæ,iuſticiæ,uitæ,gloriæ.

Qui ad cœnam.) paratam cibo & potu,de quibus ís qui hanc cœnam parat, apad Ioannem clarè loquitur: cuius ſacrum ſignum eſt,cœna ex pane & uino myſtico conſtans. Nam hac myſtica cœna qui utuntur,ſpiritualis cœnę quam Agnus ſponſus præſens cum eis in hoc ſeculo pro primitijs cœleſtis conuiuij celebrat,in altero ſeculo plenè cum eis ſit celebraturus,admonentur. Et ut felices ſunt,qui ad cœnam hanc uocantur: ita infelices iudicantur qui non uocantur: hoc eſt, qui per electionis gratiam ſpiritus fidei afflatu, non uocantur. Ioan. 6.
De qua uocatione Apoſtolus ſic loquitur: Quos prædeſtinauit,eos uocat: & quos uocat,eos iuſtificat. Itaq; ut in libro uitæ non ſcripti,ad cœleſtem hanc cœnam ſalutari inuitatione non inuitantur: ita eius minimè participes erunt Quem enim locum in hac Draco,eius miniſtri dæmones,Babylõ,& huius pſeudoprophetę inueniant,ad inferni tenebras dãnati,& cœleſtis regni ſplẽdore nunquã fruituri? Sed cur potius cœnæ mentio fit,quàm prandij? Cœnæ meminit, quòd hæc,ut ſub finem diei cõfectis laboribus paratur: ita cœna illa cœleſtis non prius electis, quàm curſus laborum & afflictionum huius ſeculi expletus ſit,adornatur. Roman. 8.

Nuptiarum Agni.) in quibus matrimonij lege ſponſa Eccleſia in omnium bonorum ſponſi Agni admittitur participatum.

Vocati sunt.) per sacri Euangelij patefactionem, eorum interioris hominis aures Agni spiritu percellente, ut Euangelio fidem habeant, per quam unã sponsa Ecclesia sponso suo Christo desponsatur.

Hæc uerba Dei uera sunt.) literis consignatam consolationem Verbum Dei uocat, quod scriptum, uerbum æternum, illud Dei uerbum, quo cuncta creata sunt, & creata conseruantur: & quo scripti in libro uitæ, ad uitæ æternæ consortium illuminantur significat. De quo illud legitur: In ipso uita erat, & uita erat lux hominum. Alterum igitur uerbum, natura Dei uerbum est: alterum significatione, natura, uel atramentum, facile litura delendum: uel uox, mox in aërem dissipanda. De utroq; uerbo dicitur, quòd piorum animos consoletur, confirmet, & uitam eis afferat, sed non sine discrimine. Alterum enim id efficit significatione & admonitione, dum animos ad Messiam, quod natura Dei uerbum est, reuocat, in quo uerè consolationem & confirmationem uitamq; per eius uiuificum spiritum accipiamus. ad quod uerbum omnis cœlestis doctrina siue literis mandata, siue uoce enunciata, nos dirigit: à quo carne facto, & apud Patrem regnante, omnem salutem accipiamus.

Ioan. 1.

Et accedi ad pedes eius, ut adorarem eum.) Adoratio hîc accipitur, non qua Deus pater in filio adoratur, ei gloria creatoris & gubernatoris & seruatoris tributa: sed qua reuerentia & ueneratio declaratur in eum, quem diuinis dotibus & muneribus ornatum agnoscimus. Exempla huiusmodi adorationis in sacris literis non desiderãtur, & alio loco indicata sunt. In hoc adorationis genere, non peccauit sanctus Ioannes, qui sacro spiritu præditus, non ignorauit quomodo Deus adorandus esset, & quis honor secundum Deum angelis & diuinis legatis congrueret. Dicas, si non peccauit, cur ergo his uerbis reprehenditur: Vide ne feceris? Hac reprehensione angelus suã animi demissionem, non delictum aliquod in Ioanne, quod admiserit, indicauit: qui minimè nesciret Ioannem non ignorare, aliter Deum, aliter eius legatos honorandos esse: quem sciret ministrum spiritus esse, quo solo Deus uerè colatur & adoretur.

Testimonium enim IESV *est spiritus prophetæ.*) Argumentum ex prophetici spiritus munere: hoc totũ eò spectare, ut de IESV filio Dei, testimonium feratur: prophetasq; & ministros oraculorum Dei unicè studere, ut testificentur, IESVM CHRISTVM in mundum hunc missum à Patre, in mundo mortuum, & ex morte ad uitam excitatum, cœlum penetrasse, qui spiritum Sanctum in corda electorum funderet, cuius ui Pater adoretur: hoc est, sanctè colatur: ei soli omnis sapientiæ, iustitiæ, & potentiæ gloria adsignata: non angelis, non diuis, non ulli creatæ naturæ. Beati, qui hoc testimonium IESV per prophetiæ spiritum in pectore suo uiuum gerunt.

Et uidi cœlum apertum.) claris apertisq; iudicijs bestiam cum suis adoratoribus cõdemnandam indicatur. Nominatur cœlum, ut in quo iudiciarius Agni thronus positus sit: è quo dicente illo sententiam in sceleratos, cœlum apertum, non clausum esse dicitur, ut clausum Babylone pro libidine regnãte apparuit. Quicquid porrò diuinum est, ex aperto cœlo ad nos proficisci dicitur: ut est Messias, Euangelium, Spiritus Messiæ, sapientia, iustitia, uita, & sententiæ in impios dicendæ. Sed quid cœlo patefacto apparuit? Sequitur:

Et ecce equus albus.) Describitur iudex Messias, apertis libris & cœlo, bestiam iudicaturus. Hunc uisum equo albo insidere, quæ uictoris & triumphatoris nota erat.

Fidelis & uerax.) per quã omnes promissiones Amẽ & etiã, sint. De quo his uerbis

uerbis Apostolus: Quotquot enim sunt promissiones Dei, per ipsum sunt etiã, & per ipsum Amẽ, Deo ad gloriã per nos. Atq; hoc ipsum est quod hîc legitur, Agnũ equo albo insidentẽ esse fidelẽ & ueracẽ, in quo & per quem solùm Deus pater promissionis suæ fidem liberet & præstet, per neminem alium. Atq; in grauissimis quibusuis tentationibus electi etiam filij Dei experiũtur, CHRISTVM IESVM solũ illud signũ esse Achaz datũ, & per Ionam figuratum, in quo promissa salus nobis exhibeatur, & de ea exhibẽda nostra corda spiritu illius, tanquam infallibili sigillo arrabone ueritatis obsignentur & confirmentur, nullo alio in hac rerum natura signo. Ad quod salutare signum, salutem omnem promissam à Deo patre confirmans & exhibens, & exhibitam conseruans, nos uniuersa scriptura sacra, & eius mysteria seu sacramenta reuocant: quæ admonendo & significando id præstant, quod fidelis & uerax Agnus natura & re per spiritum suum, ut omnium aduersarum potestatum triumphator præstat, quò pertinet albus, cui insidet, equus. Hoc modo diuinus spiritus de Agno seruatore loquẽs, ampliter & angustè loquitur, non humiliter & demissè. 2. Corin. 1. Ieſ. 7. Ionæ 2. Epheſ. 2.

Et per iustitiam iudicat.) pios præmijs exornando, & de impijs ultionem expetendo. De quo iusto iudice uideris apud Iesaiam. Iesaiæ 11.

Et pugnat.) armis, de quibus idem Iesaias: Et spiritu oris sui interficiet impium. Pugnat bestia mendacio, dolis & malis artibus: tyrannide qua probos euertat, & improbos suos adulatores seruet. Agnus contrà ad defendendos pios, & ad propagandum regnum cœleste contra regnum bestiæ, per ueritatem & iustitiam bellum suum gerit.

Oculi autem eius.) omnia in cœlo & in terra perlustrantes, de quibus Salomon: Oculi Domini speculantes bonos & malos. Prouer. 15

Sicut flamma ignis.) Habet & bestia suos oculos, sed cæcos, & tenebris offusos, è quibus splendentis ignis flammæ non micent ad feruandum, sed fumus obscuri ignis ad perdendum prodeat.

Et in capite eius diademata multa.) Explicantur hæc diademata regia uerbis quę infrà ponuntur: Rex regum, & Dominus dominantium.

Nomen habens scriptum.) in mente Patris consignatum, nomen uidelicet filij unigenæ Dei uiuentis, nomen noui & cœlestis hominis, in quo tota diuinitas habitet corporatè, nomen cui omnia cœlestia terrestria & infera genua flectunt.

Quod nemo nouit.) per spiritum animalis hominis, & ueteris.

Nisi ipse.) & cui uoluerit is patefacere, per spiritum suum omnia perscrutantem, etiam profunditates Dei. Sic enim is de se loquitur: Nemo nouit filium, nisi pater: neq; patrem quisquam nouerit, nisi filius, & cuicunq; uoluerit filius patefacere, per spiritum uidelicet ueritatis doctorem. Matth. 11.

Et uestitus erat ueste tincta sanguine.) Notatur cruenta uictoria, quam de hostibus relaturus sit. Sed ut hæc cruenta uictoria intelligenda sit, id in commentarijs in Iesaiam editis annotatum est. Quem Prophetam, sancti Ioannis uisum respicit. Iesaiæ 63.

Et uocatur nomen eius Sermo Dei.) Nomine ignoto ipsi mundo, Christum uidelicet, Verbum & sermonem Dei uocari in quo, & per quem omnia creata sint, & creata regantur, & sanguine eius cuncta in cœlo & in terra pacificentur. De hoc sermone Psalmus: Dixit, & facta sunt. Et Ioannes: In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat ille sermo: omnia per ipsum facta sunt. Sed quis hic sermo est? sequitur: Sermo, caro factus est. IESVS CHRISTVS igitur, is sermo Dei est, admirabilis sanè sermo uniuersæ creaturæ. De quo Apostolus: Qui est imago Dei inconspicui primogenitus uniuersæ creaturæ: quòd per illum creata sunt omnia, quæ Pſalm. 32. Ioan. 1. Coloſſ. 1.

quæ in cœlis sunt,& quæ in terra. Quapropter Messias benedictus primò Dei sermo appellatur,quòd Deus pater in eo se totum quantus est à sapientia,iustitia,potẽtia,uita & gloria exprimit,ut in filio suo naturali & unigena. Deinde quòd omnibus Deus pater per sermonem suum IESVM,naturam, motum,& uitam tribuit. Tertiò, quòd per hunc sermonem Deus solùm
Ioan.1. se patefacit & enarrat,de quo scriptum legimus:Filius qui est in sinu patris, ipse enarrat: uelut interpres sermo,omnes diuinitatis thesauros continens, quos membris corporis sui exponat atq; patefaciat. Itaq; quoniam in sermone imago eius qui loquitur elucet,fit ut meritò IESVS CHRISTVS sicut Dei patris æternus sermo est,ita etiam imago eius uerè rectè; dicatur esse, qui omnem diuinitatis præstantiam referat & effingat,ut qui Christum filium Dei uidet,per fidei lucem etiam Deum ipsum uideat in Christo,ut in uera & naturali imagine relucentem. Sicut etiam ipse his uerbis ad Philippũ
Ioan.14. testatur:Philippe,qui uidet me,uidet & Patrem meum. Postremò intelligimus ex nomine hoc sacrosancto, quo Messias sermo Dei appellatur, eum meritò seruatoris,instauratoris & iudicis uiuorum & mortuorũ nomen obtinere,cui omnia cœlestia,terrestria & infera pareant,atq; subiecta sint,tanquam Dei uerbo, à quo omnia naturã uitam & motũ habeant.de quo illud:
Ioan.1. In ipso sermone uita erat,& uita erat lux hominum. Ioannes igitur sui similis hîc & in Euangelio,Christum sermonem Dei uocat.

Et exercitus qui sunt in cœlo.) ex sanctis angelis descripti,quorũ suæ sunt legio
Matth.25. nes,armatæ in impios,ad seruandos pios. Quæ piorum hominum in terra peregrinantium magna dignitas est, suæ salutis mentes illas puras & cœlestes habere ministros.

Sequebantur eum.) tanquam ducem & imperatorem suum.

In equis albis.)omnium aduersariarum potestatum uictores, duce Agno.

Vestiti byssino albo & mundo.) innocentia & puritate iustitiæ Agni amicti.Cõtrarius uestitus eorum est,qui in bestiæ castris militant: contra quos cœlestis ille purus exercitus belligerat.

Ex ore eius.) Qui oculorum & capitis meminisset,iam oris quoque memi- nit. Ex hoc gladium ancipitem & acutum prodire, qui aliquoties suprà expositus est.

Vt eo percutiat gentes.) rebelles Euangelio Agni, eumq; negata pœnitentia, puritate & sanctitate uitæ non sequentes.

Et ipse calcat torcular uini furoris.) Figuratè loquitur de opprimendis,& non secus conculcãdis impijs, atq; botri in torculari ad exprimendum uinum cal
Ies.63. cantur. Alluditur ad illud Iesaiæ:Torcular calcaui solus.

Et habet in uestimento.) Sed in quo uestimento? uestimento iustitiæ, sapientiæ,& potentiæ diuinæ,cuius spiritu per sacrosanctam unctionem citra modum & mensuram Messias unctus,amicitur ueste splendoris & claritatis,
Psal.104. de qua in Psal. Amictus lumine sicut uestimento.

Et in fœmore suo.) Nominatur fœmur,quòd in eo regius gladius pendeat,& uirile ad gignendos ex sponsa Ecclesia liberos robur contineatur. Itaq; in ea corporis parte Christus regium titulum scriptum tenet,ex qua prodeunt ei liberi regio principatu aduersus omnem hostilem uim & iniuriam defendi.

Rex regum.) Vt qui in cœlesti solio ad dextram patris sedens, parem cum hoc ipso potestatem in cœlo & in terra habeat: non quidem adoptionis, sed naturali iure,ut naturalis Dei filius, de substãtia & natura eius gentius. Atq; hoc iure Rex regum & Dominus dominantium est. Sancti uerò reges & domini omnium adoptionis iure constituuntur,natura neque filij neque hæredes,sed mortis iræq; diuinæ addicta soboles.

Et ui-

Et uidi unum angelum ſtantem in Sole.) Apertè clarecp impijs ſub iudicio & teſtimonio Euangelij interitum comminantem, eo Sole per patefactionem ſui fulgente, de quo ſæpe ex Malachia teſtimonium citatum eſt. Ephes. 2. Malach. 4.

Ad cœnam magni Dei.) Notatur figuratè interitus, quo impij per bella, famē, peſtem, terræmotus, & ſpiritum oris Dei perituri ſint.

Et uidi beſtiam.) Explicatur præliū, quod Babylō meretrix freta regib. quib. poteſtatē ſuā dat, cū Agno ſit initura. Quos reges aduerſus Meſſiam cōgregatū iri, Dauid Propheta antè prædixerat: Aſtiterūt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtū eius. Pſalm. 2.

Ad faciendum prælium.) Eos Dracone, mundi principe, ad id concitante, pro odio quod in Agnum à principio cœperat gerere, de quo illud: Ponam inimicitiam inter ſemen tuum, & ſemen illius. Geneſ. 3.

Et apprehenſa eſt beſtia.) Explicatur iudicium beſtiæ.

Et cū illo pſeudopropheta.) ut beſtiæ regnū plenū falſis uatibus & doctoriб. eſt. Aut nomine beſtiæ, imago beſtię ſuprà deſcriptę: & nomine pſeudoprophetæ, per antonomaſiā Antichriſtus caput falſorū uatū & doctorū, accipitur.

IN CAPVT VICESIMVM.

ET *uidi angelum deſcendentē de cœlo.*) Angelus is princeps angelus eſt, qui ſe dicit: Pater miſit me: qui apud Malachiam angelus teſtamenti uocatur. Is etiam his poſtremis temporibus de cœlo deſcendere & uenire dicitur, cū per legatos ſuos ac Euangelij miniſtros ſe per Euangelij lucem patefacit. Qui legati de cœlo quoq; deſcendere iudicantur, propter cœleſtem doctrinam, quam ad ligandum Draconem Satanā, & ad electos ex illius regno ſoluendos, in orbe terrarū diuulgant. Deſcenſus igitur is, ut ſuprà quoq; monſtratum eſt, non ex loci mutatione, ſed ex Euangelij cœleſtis patefactione æſtimatur: & quòd adminiſtratores Euangelij cœleſti illuminati luce, munus ſuum nō ab hominibus, ſed à Deo in cœlo uerſante, uocati, exequuntur, de cœlo deſcendere dicuntur. Atq; hoc ipſum eſt: Vidi angelum deſcendentem de cœlo. Ioan. 5. Malach. 3.

Habentem clauem Abyſſi.) Hæc clauis aperiendi & claudendi portas inferni, in prædicationis Euangelij munere cernitur, quo regnum cœlorum electis aperitur: & catena eiuſdem Euāgelij, poteſtas eſt, qua ligatur Draco: ne per pſeudoprophetam totum terrarum, ut antea fecerat, orbem ſeducat.

Manu ſua.) poteſtas & imperiū ligādi Serpentē diabolū, & ſoluēdi electos, nomine manꝰ notat. Hęc manus, dextra manus eſt, de qua ſuprà mētio facta.

Et apprehendit.) per ſententiam damnatoriam à Iudice Agno, latam in Draconē, qua ſentētia is per conſcientiā iudicio dānātis legis captiuus tenetur.

Et ligauit eum per mille annos.) Hîc oritur quæſtio magna, & à multis ſæpe & multū agitata. Vulgaris ſententia eſt, hos mille annos ab Apoſtolorū temporibus numerādos eſſe, atq; in his Satanā ligatū, ne amplius gētes ſeduceret, ut antè in mundū repræſentatū Meſsiā eas ſeduxiſſet. Huic ſupputationi, Satanæ & Antichriſti regnū, quod in illis mille annis uiguit, & Prophetarū oracula, eorūq; in noui fœderis ſcriptura à Domino noſtro Chriſto & ab apoſtolo Paulo & in hac Ioannis Apocalypſi allata interpretatio, ratio item patefaciendi Meſsiā in hæc nouiſsima tempora reiecta repugnare uidētur: in quibus temporibus diuinæ ſapientiæ uiſum eſt, per occaſionē manifeſtationis Antichriſti, Euangeliū longè clariſsimè latiſsimeq; in orbe terrarum cū declaratione magnæ potentiæ Agni patefacere. Singula argumēta hæc ordine explicabuntur. Si hactenus ab Apoſtolorum temporibus mille hi anni impleti ſunt, oſtēdat aliquis horā & momēta impletionis eorū: nō faciłè quiſq; hęc oſtēderit. Nā in mille annis qui ab Apoſtolorū legatione defluxerunt, Draconē per aduerſariū omni errorū genere gētes decepiſſe ac illuſiſſe,

sisse,res ipsa præter Prophetarum & Ioannis testimoniũ,docet. In his porrò annis omnes hæreticos uixisse,Ecclesiã extincta libertate spiritus Agni, ceremonijs & elementorum mundi obseruatione oneratam: in his dogmata de libero arbitrio,de meritis diuorum,& eorum inuocatione:in his simulachrorum cultum institutum,& eis aras ac templa cõsecrata,& à nouo fœdere alienum sacerdotium cùm infinitis ceremonijs partim nouis excogitatis,partim ex Mose repetitis inuentum constat. Prætermitto doctores, qui sancti habentur,suis erroribus non caruisse: qui alio loco etiam ab alijs
2.Thes.2. diligenter sunt indicati. Vt uerè dixerit Apostolus, Antichristum suo tempore iniquitatis mysterium cœpisse moliri, dum is sequentibus seculis in mille illis annis,in quibus putatur cathena Satan constrictus fuisse, apertè se in loco sancto ostenderit:dominatu in Ecclesia,post aliquot de illo contentiones inter Constantinopolitanum & Romanum episcopum habitas, usurpato. Per quem sanè dominatum & principatum plenum arrogantia, superbia,fastu,tyrannide & idololatria,impleri an potuerint, quæ hîc sanctus Ioannes implenda prædicit esse, facile cognosci poterit. Accedunt huc Mosæ & Prophetarum prædictiones,ex quibus intelligimus, ex certo & indubitato consilio Dei,in Ecclesia Antichristum,omnia in ea profanan
Matth.24. tem,uersari oportuisse. Ex Daniele Dominus noster abominationis desolationis in loco sancto stantis meminit. Quæ si literam spectes, & figuram, ut hæc accipienda sit,satis liquidum est. Sin rem ipsam præfiguratam,occurret aduersarius Christi in templo Dei,interprete Apostolo in altera ad Thessalonicẽses epistola,omnia polluens. De eodẽ Iesaias,Hieremias,Ezechiel, Zacharias,& alij Prophetæ, alicubi tectius, alicubi clarius uaticinati sunt: nec quanto tempore lues illa locum sanctum infestatura esset,reticuerunt. Id quod suprà ex Daniele,quem Ioannes sequitur,expositum est. Quod sanè tempus indicat,mille illis annis qui ab Apostolorum tempore ad nos fluxerunt,satanæ furorem à seducendis gentibus non fuisse coërcitum: sed in illis eius libidinem ad illudendos orbis terrarum populos maximè fuisse solutam,occupato ab Antichristo errorũ imperio in omnia: eo etiam tempore Mahumetano dominatu exorto,per quem in Asia & Africa erroribus & mendacijs falsæ religionis omnia replentur. Itaq; cùm fieri nequeat,ut in tẽplo Dei pariter Christus & Antichristus regnet,scripturæ sacræ spiritu doctis hominibus considerandum propono, an in annis mille iam memoratis, ligatum Draconem gentes non decepisse, & Christum per sacrum suum Euangelium in Israëlitis & gentibus regnum suum ex sententia Prophetarum obtinuisse,affirmari possit. Mysterij,cuius Apostolus in epistola ad Romanos meminit,mentionẽ facere prætermitto. is ubi reiectionem Israëlitarum,& eorum reconciliationem tractat,futurum indicat,ut pariter
Roman.11. Israëlitis & gentibus amplissima salus affulgeat,sic loquens: Non enim uolo uos ignorare fratres mysterium hoc,ut ne sitis apud uosmetipsos elati animo,quod excæcatio ex parte Israëli accidit,donec plenitudo gentium aduenerit,& sic totus Israel saluus erit. Ad hæc,plenior salus Israëlitarũ & gentium in illos mille annos incurrere non potuit, Dracone per filium perditũ totum terrarum orbem seducente. Sed illam euenturã utriq;,expletis profanationis tẽporibus,eo uidelicet tempore euenturã,quo Redẽptor ex Siõ aduenerit,de quo aduẽtu ex Iesaia propheta in hunc modũ idẽ Apostolus:
Iesaiæ 59. Sicut scriptum est,Aduenier ex Sion ille qui liberat,& auerret impietatẽ à Iacob. Vbi Apostolo interprete,de quo aduẽtu Christi loquatur Iesaias, utq;, & quo tempore,& qua occasione Israëlitæ sint cum Deo maiorũ suorum reconciliandi,& plenior gentiũ numerus Euangelij luce illustrandus, alio loco expositum est: Loqui inquam prophetã Iesaiam, & post hunc alios,de

eo ad-

eo aduentu, quo Dominus noster Christus per clarissimam Euangelij patefactionem ueniet, per Spiritum suum sacrum de cœlo fundendum pręsens futurus: ut hodie eum uenire cernimus, & sentimus magna cum animi nostri lætitia. Atque hanc perspicuam & illustrem Euãgelij manifestationem in hæc nouissima tempora Deo reijcere placuit, qui cognosceret in his Antichristum patefactum iri, qui antea latuisset, & occultatus fuisset: & huius ortu, natura, sede, erroribus cognitis, filius Messias clarius in terrarum orbe, quem serpens seduxerat, innotesceret: ut solet diuina sapientia contraria per contraria patefacere ac declarare, uitam uidelicet per mortem, lucem per tenebras, ueritatem per mendacia, cœlestis regni splendorem per atram inferni caliginem, gloriam futuri seculi per crucis seculi huius opprobria. Itaq; quo minus hactenus impleta sint, quæ de amplissima Israelitarum & gentium salute Moses & prophetæ prædixerunt, in causa etiam esse ma. ifestandi Christi rationem, quam reuelationis aduersarij occasio offert, cognoscimus. Quocirca cum ita res habeat, quid sit statuendum de mille annis, quorum Ioannes meminit, utq; sint supputandi tenebrarum & lucis, mendaciorum & ueritatis, prophanationis & sanctificationis (senarij laboribus destinati, & septenarij quieti consecrati numeri uicibus consideratis) pijs & sacrarum literarum peritis hominibus iudicandum reliquero. Errores qui Chiliastis (inter quos Christi martyres feruntur fuisse) assignantur de terreno regno, in quo Christus inter suos afflictionum & infirmitatis expertes aspectabili specie regnaturus sit, nihil interest ad præsentis oraculi explicationem ut refutemus: quos natura cœlestis Imperij & cõditio uitæ animalis quæ à carne in præsenti seculo degitur, refellit. Regnum quod in spiritu Euãgelij geritur, in quo pariter electi ex Israelitis & gentibus, Deum patrem in filio Messia sint amplificaturi, hic agitur: de quo sancti iudicent homines. *Chiliastæ.*

Et misit eum.) spoliatum principatu mundi.

In abyssum.) in profundum orcum, infra omnia deiectum, qui sese in pseudopropheta Antichristo supra omne id quod est numen Dei extulerat. In abyssum mittitur, cuius Antichristus, filius Draconis, rex suprà describitur.

Et clausit eum.) adempta ei in electos potestate & dominatu per iudiciarium Euangelij spiritum, quo agnus præditus mortis & uitæ, inferni & cœli Dominus, iudicat: hoc est, condemnat, & uincit omnem tenebrarum principatum. Dicat aliquis, legi apud Ioannem, ab initio Satanam iudicatum. sic enim Dominus ait: Princeps mundi iam iudicatus est. Dominus locutus est de tempore, quo ipse in mundum repræsentatus, mortis suæ & resurrectionis è mortuis ui, Satanæ suam potestatem, qua antea in posteros Adam grassatus fuerat, ademerit: non autem de uberrimo uictricis mortis & resurrectionis fructu, qui tum in orbe terrarum statim perceptus sit. qui non ignorabat, eum non prius plenius & copiosius perceptum iri, quàm filius perditus, ut locum sanctũ occupasset, per Euangelij lumen patefactus fuisset. *Ioan. 16.*

Et obsignauit.) Obsignatio hæc de qua diuinus Spiritus loquitur, in sententia iudicis Agni cernitur, qua Satan cum Pseudopropheta condemnatus, bene obsignatum in conscientia suæ condemnationis testimonium fert, nulla ui aperiendum & resignandum: sicut filij Dei spiritu sacro consignati, certum & infallibile suæ salutis in pectore testimonium gerunt. De qua obsignatione apud Apostolũ uideris, in epistola quam ad Ephesios scripsit. Locutio à sigillis sumpta est, quibus obsignantur quæ temerè aperiri nolumus. *Ephes. 7.*

Vt non seducat amplius gentes.) ut antea per aduersarium Christi seduxerat.

Et post hæc oportet illum solui.) De hac solutione mox fiet mentio.

Et uidi sedes.) iudiciaria solia, in quibus filij Dei sedentes per spiritum iudiciarium, quo præditi sunt, cum Agno draconem, & pseudoprophetã Antichri-

Ioan.16. ſtum, & eius cultores iudicabunt. Qui ſpiritus, ſacri Euangelij ſpiritus eſt, iudicans mundum de peccato, de iudicio & iuſticia.

Et animas decollatorum.) à ſanguinaria meretrice Babylone, & à tyrannis orbis terrarum, qui illam adorant.

Propter teſtimonium IESV.) ore ſuo contra Babylonem, ad ſalutem & participatum uitæ æternæ, confeſsi Agnum.

Et propter ſermonem Dei.) qui Euangelij ſermo eſt, nobis eum ſermonem ſalutarem exprimens, de quo ſuprà: Et uocatur nomen eius ſermo Dei.

Et uixeruut.) in reſurrectione prima, per ſpiritum Meſsiæ uitam cœleſtem adepti, qui antè regnante beſtia mortui fuerant.

Et regnauerunt.) regnum non terrenum, ſed cœleſte adepti, Agno cœleſti rege eos regente per ſceptrum ſacri Euangelij, ſublato ſceptro ſpiritualis Aſſur &
Zach.10. Aegypti & Babylonis, de quo Zacharias: Et humiliabitur ſuperbia Aſſur, &
Rom.14. ſceptrum Aegypti recedet. Regnum locũ habebit, de quo illud: Regnum Dei eſt gaudium, pax & iuſticia in ſpiritu ſancto.

Cum Chriſto.) relicto regno Antichriſti.

Cæteri uerò mortuorum non reuixerunt.) Quorum corpora humi tecta ſunt. Nam corporum ad uitam excitatio generalis, nõ primæ, ſed ſecundæ reſurrectionis opus erit. Quid autẽ de prima & ſecũda reſurrectione ſentiendum ſit, & quid inter utramq; interſit, hoc modo explicandum fuerit. In ſtatu humani generis poſt contractam culpã, bipartita uita & mors cœpit cerni, uita prima & ſecunda: eadem de morte ratio. Prima uita partim in corporib. naturalem & animalem uitam tenẽtibus, partim in animis Dei ſpiritu ad ſpiritualem & cœleſtem uitam afflatis ſpectatur. Ad hanc uitã reſurrectio prima inſtituitur, quæ eorum eſt qui tẽporibus regnantis beſtiæ, ſacro Euangelij ſpiritu ſpoliati, mortui cum iacuerint, reddito eis ſpiritu Agni, uitæ reſtituuntur. Quæ in cognitione Dei
Ioan.17. patris, & eius quẽ is miſit IESV Chriſti, cõſiſtit. Ad quã adipiſcẽdam Euãgelij miniſterium, quod uitalis ſpiritus, non occidentis literæ miniſterium eſt, deſtinatur. Atq; in hac reſurrectione non cœleſtia corpora à mortis & infirmitatis labe libera, ſed terrena: non immortalia, ſed mortalia locum habent. In quibus reſurrectio in eo homine uim ſuã oſtendit, qui interior homo ab Apoſtolo uo
Coloſſ.3. catur, in ſingulos dies regenerationis beneficio per ſacrum Spiritum ad imaginem Dei, hoc eſt ad conſortium diuinæ iuſticiæ & uitæ renouãdus. Secunda uerò uita eorum erit, qui pariter corpore & animo ad cœleſtem & ſpiritualem uitam excitabuntur. Qualem uitam, corporũ è puluere terræ excitatio præſtabit. Et hæc ſecũda reſurrectio erit. Vt aũt duplex uita, ita etiam duplex mors occurrit conſiderãda, prima & ſecunda. Prima quidem eſt, qua corpora animali uita, ex ſententia illa Dei in peccatum lata (Ex terra es, & in terram reuerteris) priuantur, & animi ſpiritu Chriſti carentes ſpirituali uita, quæ Deus ipſe
Geneſ.3. eſt in filio Meſsia, orbantur. Ab hac morte liberantur, qui partem habent in reſurrectione prima. Nam hi corpora naturalis uitæ ad tẽpus non expertia tenent. Secunda autem mors eorum erit, quorũ & corpora & animi ad ignem
Matth.25. illum damnabũtur, de quo iudex Agnus meminit: Ite uos maledicti in ignem æternum. Ab hac ſecunda morte liberi erunt, qui in priore reſurrectione ad uitam continentur. Nam horum animi Chriſti ſpiritum è cœlo hauriunt, & corpora glorioſo corpori Chriſti conformata, uitam ſplendore diuinitatis plenam recuperabunt. Vtramq; igitur reſurrectionem Chriſti ſpiritus conficiet: priorem, in interiore homine: alteram, in utroq;, in corpore & animo. De quo
Rom.8 ſpiritu, utriuſq; reſurrectionis autore, his uerbis Apoſtolus: Quod ſi ſpiritus eius qui excitauit IESVM ex mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit IESVM è mortuis, uiuificabit & mortalia corpora ueſtra, propter ipſius ſpiritũ habitantem in uobis. Quare Chriſti ſpiritus qui habitat in nobis, primam reſurrectionem

ctionem moliens in interiore homine, molietur & alterã, cum corpora noſtra ad uitam excitabit, & ea cum animis coniunget, plenam reſurrectionem effecturus. Prior enim perfecta reſurrectio nõ eſt, una nimirum in ea ſola hominis parte uiuificata: altera ſubinde moriente, dum in terræ puluerem, ex quo facta eſt, fatiſcat. Atq; ad hanc priorem reſurrectionem apoſtolus Paulus alludit, *Rom.11.* ubi futuræ Iſraelitarum reconciliationis mentionem faciens, ſic ait: Quę autem erit aſſumptio niſi uita è mortuis? Quibus uerbis ſignificat, Iſraelitas hactenus in mundo Chriſti Euangelio, eiuſq; ſpiritu carentes mortuos fuiſſe, ut qui uita quæ de ſe ait, Ego ſum uia, ueritas & uita, orbati eſſent: futurum autem, ut eis ſacro donato ſpiritu, in nouiſsimis patefactionis Chriſti temporibus redeuntes cum Deo in gratiam, abſterſo mortis ignorantię Dei opprobrio uiuificentur. Et hãc uiuificationẽ Ezechiel per mortua Iſraelitarum oſſa, & ea ad uitam excitata, interprete Apoſtolo ſignificauit, myſticè alterã reſurrectionem præfigurãs, in qua Chriſtus, cũ maieſtate ad iudicãdos uiuos & mortuos uẽturus, corporib. quoq; uitã reſtituet. Huc referenda, quæ in 3. lib. Reg. in hiſtoriam *Cap.17.* Heliæ annotata ſunt. In hac igitur priore reſurrectione ut omnia ſint myſtica futura, ipſa reſurrectio, meſsis, cõgregatio, ſua conſummatio, ſuum nouum cœlum & terra, noua Hieroſolyma, alias indicatum eſt. Pergamus.

Et cum conſummati fuerint mille anni.) Viſum eſt hic de Gogo & Magogo piis quędam ad cõſiderandum proponere. Vnũ eſt, poſtquã Moſes & prophetæ & noui fœderis ſcriptura apertè clareq; Iſraelitas cũ maiorum ſuorũ Deo in gratiam redituros cõfirmant, quale myſteriũ ſit, quod Apoſtolus in illorũ recõciliatione abſcõditũ eſſe dicit, cũ ait: Nolo uos ignorare fratres myſteriũ. Alterũ *Rom.11.* eſt, cũ omnes poſt Moſem prophetæ, ubi Iſraelitas per Chriſtum redẽptorem monẽt redimẽdos, ſimul etiã terræ Chananeę, quæ hactenus in maximo ſqualore & ſitu iacuit, mentionẽ faciãt, in quã finito exilio illi ſint reducẽdi: percunctari hic licet, an ne cũ Chriſti regno ſpirituali pugnet illorũ in ſacrã terrã reductio: cũ nõ pugnet cũ illo, Eccleſiã militantẽ in terra peregrinari, & his mundi elementis uti: ſicut etiam nihil prohibet, aliquem ſecundum carnem & promiſsionis ſpiritum Iſraelitã eſſe. Tertium eſt: Si terræ Chananeæ poſſeſsio nõ magis pugnat cũ regno Chriſti, quàm quæuis alia, qua ſancti ad amplificãdum patrem in filio Meſsia utũtur: an ne, ut in Iſraelitis electorum typus in finẽ uſq; mundi geritur, ita etiã in Chananęa terra futurarum rerũ figura & adumbratio conſignetur: & qualem electorum cõgregationem, Iſraelitarũ ex cunctis gentibus in terram ſuam congregatio ſit præfiguratura. Quartum, ad quod tempus de Gogo & Magogo oraculi impletio referenda ſit. Ioãnes hic clarè dicit, impletis mille annis has aquilonares gentes contra ſanctam ciuitatem euocandas eſſe. Non aliter Ezechiel id futurum antea prædixit: de quo etiam Ieſaias, *Ezech.39.* ſed rectius præmonuerat. Quæ oracula apertè indicãt, ea quæ de Gogo & Ma- *Ieſaiæ 25.* gogo prædicta ſunt, minimè de bellis ab Antiocho contra Iſraelitas geſtis exponenda eſſe. Nam gentes iſtas ſeptentrionales à Iapheto propagatæ non priùs leguntur terram Iſraeliticam infeſtaturæ, quàm reuelationis Meſsiæ temporibus: & eo tempore, quo iam recõciliati Iſraelitæ terram ſuam recuperatam agnito Chriſto ſeruatore poſſederint. Quintum eſt: Si ita res habet, meritò percunctentur pij, qua myſtica ratione memoratæ gentes tã miſerè diuino iudicio cœleſtiq; igne ſint perituræ, cuiuſq; iudicij iſtud iudiciũ umbrã ſit prælaturum: & quod qualeq; myſterium in Draconis ſolutione, qua is ex carcere ſolutus, iterum ſit ciuitatẽ dilectã, hoc eſt electorũ Eccleſiam ex Iſraelitis deſcriptã, uexaturus. Poſtremum eſt, quod proponitur expẽdendum, ſi umbræ durarũt uſq; ad exhibitum ipſi mũdo Chriſtum, quomodo in Iſraelis exilio, & eius diſperſione in omnes orbis terrarum fines, eiuſq; reconciliatione typi & figuræ uſq; in aduentum Chriſti, in quo ad iudicandos uiuos & mortuos uen-

turus est, duraturæ intelligantur: & ut accipiendum sit, quasdam umbras exoleuisse, quasdam non antea deletũ iri, quàm mundi consummatio facta sit. Hęc in explicatione mysterij Prophetarum, cuius Apostolus & Ioannes in hac sua Apocalypsi meminerunt, ponderanda Mosæ & prophetarum interpretibus relinquo. Quod mysterium, quod duo continet, figuram & res mystice præfiguratas, an hactenus expositum sit, ea de re libenter patiar spiritu prophetiæ præditos homines iudicare.

Et uidi thronum candidum.) In hac iudicij, quod in altera resurrectione fiet, descriptione, hæc perpendenda proponũtur: Solium iudiciarium, & in solio sedens iudex, iudicis munus, & aperti libri ex quibus sententia in uiuos & mortuos sit dicenda: postremò, qui iudicis sententia absoluendi sint, quiq; condemnandi. De singulis ordine inter interpretandum meminerimus.

Magnum.) Magnitudo hæc non mensuratur ex interuallis & spacijs partium loco circumscriptarum, sed ex amplitudine & maiestate imperij in omnia iudicis Agni.

Candidum.) Vt candor solij innocentiam & puritatem iudicis declaret, suprà indicatum est. Ad hunc candidum thronum præfigurandum iussus est mysticus Salomon, typus cœlestis nostri Salomonis Christi IESV, solium ex ebore fabricare, quod à præcipuo albore & candore commendatur. Itaq; in Cantico canticorũ scriptũ legimus, spõsum Christum his uerbis à spõsa Ecclesia laudari: Dilectus meus est candidus, collum tuum simile est turri eburneo. *Cantic. 5.*

A' cuius conspectu.) igneis huius iudicis oculis cuncta contemplantibus, & ad nouũ statũ expurgantibus. De his oculis suprà: Oculi eius tanquã flãma ignis.

Fugit terra & cœlum.) Cœlum & terram & elementa mundi ueteris per lustralem ignem ad summum splendorem & claritatem purgatum iri, iudice Christo, mundum per ignem iudicaturo. De qua instauratione uideris apud apostolum Petrum. *2. Petr. 3.*

Et uidi mortuos.) Horum alios ad splendorem cœlestis regni, alios ad opprobrium excitatum iri. *Daniel. 12.*

Stantes in conspectu Dei.) Non sedentes, sed astantes, ut iudicandi ex apertis libris, de quibus sequitur mentio.

Et libri aperti sunt.) iudiciarij libri, ex quibus iudex sententiam sit dicturus. Est liber Dei in quo omnes scribuntur, boni iuxta ac mali, & eorum cõsilia, opera ac facta: hunc dicit hic generatim apertum. Est item liber Dei qui uitę liber dicitur, in quo solum qui electi ante conditum mundum sunt, ad possidendum cœlestem hæreditatem scripti iudicantur, de hoc libro mox fiet mentio. Aperietur autem liber ille magnus, in quo omnium proborum & improborum cogitationes & facta annotata sunt, cum de omnibus consilijs, studijs & actionibus per testificationem conscientiæ accusantis & excusantis patefactis, sententia feretur in eo die, quo pro tribunali Christus sedens ex Euangelio suo iudicabit, impios quidem, qui cognitum Euangelium respuerunt, ad ignem æternum damnaturus: & pios gloria cœlestis regni, qui sibi fidem per sacrum amoris spiritum agentem habuerunt, ornaturus. De his aperiendis libris uaticinatus antea fuit Daniel: Et libri aperti sunt. *Daniel. 7.*

Secundum opera ipsorum.) declarantia iusticiam cordis, si bona sint: uel iniusticiam, si mala. Quæ autem uera illa cordis iusticia sit per benefacta, & quæ iniusticia per malefacta se declarans, non opus est, ut rem pijs notam, indicare. Meminit autem factorum seu operum, pro quibus quiq; sint iudicandi, quòd in ipsis factis palàm appareat, qualis quisq; sit, utq; animo comparatus ac compositus sit: de latentibus cogitationibus animorum, actionibus testimonium dantibus. Hæ igitur cum fidi testes sint cordium, pro earum testimonio dicitur Agnus iudicium suum facturus: qui ut iustus iudex, neminem non duorum

rum aut trium testimonio cõuictum, sit condemnaturus. Quõ pertinet illud: Ex fructibus cognoscetis eos. Nam ut in bonis fructibus generosa bonæ arboris uis atq; indoles apparet: ita mali fœtus ac fructus de maligna & degenere arbore testimonium ferunt. Quamobrem nõ est mirũ, Christum in eo die quo uiuos & mortuos iudicabit, pro malefactis improbos condemnaturum, & pro benefactis probos absoluturum. De qua ratione iudicandi uideris apud Euangelistam Matthæum. *Matth.7.* *Matth.25.*

Et alius liber apertus est, qui est liber uitæ.) Is liber prædestinationis & electionis diuinæ liber est, in quo solum hæredes regni cœlestis scripti sunt. Et plenus fauore & beneuolẽtia Dei liber est, ex quo eorum qui in eo scripti sunt, nomina nunquam delebũtur, neq; deleri possunt: ut liber in quo impĳ scripti sunt, iudicij, nõ clemẽtiæ, sed seueræ iusticiæ liber est. De libro uitæ Dominus hanc consolationẽ affert, Gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlo: ex quo nimirum expungi nulla aduersaria ui queant. Cœlum igitur uocat Dominus, quem librum uitæ uocat Ioannes. Atq; hunc librum solum sancti, quibus diuinæ electionis gratia per spiritũ reuelatur, legerint, de quo illud: Ipse spiritus testimonium dat nobis, nos filios Dei esse. *Luc.10.* *Rom.8.*

Et dedit mare mortuos suos.) Præcesserat, Et uidi mortuos: hic explicat, unde mortui prodituri sint, se iudicio sistentes. Ex mari & sepulchris, quę apud Hebræos שאול appellantur, prodituros: mari & terra suos mortuos reddituris.

IN CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

ET *uidi cœlum nouum.*) In utraq; resurrectione omnia innouatum iri, sed nõ pari modo: quadam quidem ex parte in priore, perfectè uerò in altera, figuram instaurationis omnium quæ in secũda resurrectione fiet, ea instauratione præferente, quæ in priore fit. Sed hac de re aliàs meminimus.

Et mare iam non est.) quale fuit: nec amplius cœlũ & terra erunt, qualia fuerunt, nouo eorum habitu ueteris memoriam abolituro.

Et ego Ioannes uidi.) in priore resurrectione.

Sanctam ciuitatem.) non talem, qualis ciuitas Antichristi est Babylon, flagitĳs profanam. de qua suprà: Quoniam peruenerũt peccata eius usq; ad cœlum, & recordatus est Deus iniquitatum eius.

Nouam.) non ueterem, qualis Hierosolyma Dauidis ciuitas fuit: sed nouam uidi, à nouo homine Christo ædificatam, per regenerationem è nouo spiritu. De quo nouo spiritu nouæ huius ciuitatis, his uerbis Ezechiel: Et dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri. Qualis autem sit is spiritus, & quod nomen eius, & cur nouus uocetur, & in quæ tempora præcipuè cadat, hac de re aliàs meminimus. *Ezech.36.*

Descendentem de cœlo.) non ascẽdentem de terra ritu Babylonis. Ioannes huius ciuitatis nomen, ortum, fundamenta, materiam, magnitudinem, plateas, muros, portas, fluuium per aream & plateas eius fluẽtem, atq; templum, & res ad uictum commodas, quas arbor uitæ ad fluuium sacrę ciuitatis consita profert, describit. De singulis ordine meminerimus. De nomine mentio facta est: hanc Hierosolymam appellari. Etymum, ut notum, nihil refert explicari. Quantum ad ortum attinet, dicit hanc originem non ex terra, bruto, inerti & obscuro elemento: sed ex cœlo, uiuifica & perenni luce illustri, originem ducère. De quo ortu Dominus noster his uerbis: Ne mireris quòd dixi tibi, oportere uos nasci è supernis. Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Atq; hoc ipsum est quod Ioannes hic dicit: Vidi Hierusalem descendentem de cœlo. è supernis uidelicet, hoc est è cœlesti Messiæ spiritu natam, non è terrestri draconis spiritu, ut Babylonem, genitam. *Ioan.3.*

A' Deo paratam.) ante condita ſecula filio Meſsiæ in ſponſam deſtinatam, quæ à mundo condito certo tempore ornamentis ſuis decoraretur.

Sicut ſponſam.) ex oſsibus & carne mariti ſui Chriſti depromptam.

Ornatam.) omnibus ſacri ſpiritus ornamẽtis, quæ in ſponſa Hieroſolyma pulchritudinem illam creant, quam his uerbis ſponſus in Cantico canticorum celebrat: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra.

Cantic. 4.

Viro ſuo.) cœleſti de cœlo marito, ex quo tanquam altera, hoc eſt cœleſtis Eua deſumpta eſt, quæ cœleſtem & ſpiritualem uitam uiuat, & ex ſe diuinam ſobolem propaget: ut prior Eua ex primo Adamo ſumpta eſt, animalem uitam & naturalem degens, & ſobolem non cœleſtem, ſed terrenam ex mortali ſemine gignens.

Geneſ. 2.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.) Deum per ſpiritum filij in ſanctorum Eccleſia præſentem, communione ſuæ iuſticiæ ſapiẽtiæ & uitæ uerſaturum: non mũdi principem Satanam, per ſpiritum filij perditi. Atq; hoc eſt, Moſæ & prophetarum ſententia, Deum in medio populi ſui & Sionis habitare. Quæ Dei præſentia eſt intima illa præſentia, qua electi unum cum eo fiunt in ſpiritu filij, de quo uno filius unius huius conciliator his uerbis: Rogo ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.

Ioan. 17.

Et abſterſurus eſt Deus.) Si primam reſurrectionem ſpectes, hæc accipienda fuerint per comparationem cum eo ſtatu, quem eccleſia ante Babylonis caſum habuit: ſin ſecundam, hæc ſimpliciter & abſolutè accipiuntur.

Et mors ultra non erit.) In prima reſurrectione mors ſecunda aberit: in altera, utraq; mors. Prophetæ primam reſurrectionem deſcribentes, eadem prædixerunt, quæ hic Ioannes fidus prophetarum interpres. Porrò ſic Ieſaias redemptionem Sionis Eccleſiæ deſcribens uaticinatur: Et nunc qui redempti ſunt à Domino, reuertentur, & uenient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, fugiet dolor & gemitus. Vbi Ieſaias & reliqui prophetæ reſurrectionem hanc primam præſignificantes figuratè, alteram quoque in qua ſimpliciter omnia mala ſint abfutura, & quidem præcipuè accipi uolunt. Solent enim hi pro more ad ueteris fœderis adminiſtrationem ſeſe attemperantes, multa ſub figura & umbra de Chriſti regno & eius aduentu glorioſo, & de felicitate quam ille afferet, uaticinari: quæ omnia clarè in noui fœderis diſpenſatione ab Apoſtolis, ut lucis, non umbrarum, ut ſpiritus, non literæ miniſtri, explicantur.

Ieſaiæ. 51.

2. Corinth. 3.

Ego ſitienti dabo) ſacrij Euangelij aquam, quam aduerſarius ſubtraxerat. De qua ſiti Amos prædixerat his uerbis: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi uerbum Domini. Hanc famem & ſitim Dominum ſedaturum, ſed ex quo fonte aquis hauſtis? Sequitur.

Amos 8.

Zach. 13.

De fonte.) De fonte Meſsia, cuius Zacharias meminit: In die illa erit fons domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, &c. Sed quales aquas is fons fundet? Sequitur:

Aquæ uiuæ) Hanc aquam diuinus ſpiritus apud Ioannem ex oraculo Ieſaiæ his uerbis explicat: Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina ex uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem credentes in eum erant accepturi. Vbi etiam modus ac ratio hauriendi has uiuas aquas exponitur, quæ fides eſt, fidelis illa manus, qua una omnes diuini ſpiritus theſauri in Meſsia repoſiti, nobis communicantur. Harum aquarum fontes obſtruere Philiſtæus ille Antichriſtus elaborauit, effoſsis ciſternis, de quibus Hieremias meminit: Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & ciſternas ſibi diſsipatas foderunt, quæ continere non poſſunt aquas. Is autem populus Dei, ſubmota Iſraelitarum figura, electorum

Ioan. 7.

Hier. 2.

Eccleſia

Ecclesia est, quam aliquot seculis pastor stultus profanans, pane & aquis doctrinarum humanarum, negato Euangelij pabulo, pauit. Hoc autem pastore his nouissimis temporibus, prælucente Messia luce agnito, impleri plenius incipit, quod Ioannes hic impletum iri prædixit, & ante eum Iesaias: Effundã aquas super sitientẽ. De his aquis Dominus noster apud Ioannem meminit, & eas quales sint explicat. Legimus hic, nõ cuiuis propinari aquas has uiuas, sed sitiẽti: Sitiunt autem has, quotquot igneũ diuini iudicij calorem in peccatũ accensum, & grauium afflictionũ æstum sentiunt, eumq; refrigerari ad debilitatas uires reficiendas cupiũt. Vnde enim sitis in animantib. nascatur, nos ipsi in uetere & animali homine experimur. Quò spectat figuratus sermo. *Iesaiæ 44.* *Ioan. 4.*

Gratis.) Liberati Dei patris clementia, nõ merito aliquo nostro. Secus comparatus est aduersarius Agni, cui omnia uenalia sunt, gratis nihil datur. Similia leguntur apud Iesaiam: Venite, emite absq; argento. *Iesaiæ 55.*

Qui uicerit.) Per spem non pudefacientem, quam fides per afflictionum patientiam probata excitat. Ad hæc, tam non potest non omnes quamlibet graues tentationes uincere, quàm Dei promissa, quibus fides habetur in filio Messia, & spe præsumentur, ne'ue fallere ne'ue falli possunt. In hoc uado omnis salutis ancora hæret, quam nullæ tempestates conuellant. Beati, qui in hac militia & stratagematis crucis & tentationũ sacræ uictoriæ experimenta aliquot habent. *Rom. 5.*

Omnia possidebit.) Deum in filio, & in hoc omnia.

Et ero illi Deus.) ut pater filio, non ut iudex seueritatem iusticiæ meæ ei ostendendo: ut sum Deus draconis & ministrorum eius.

Et ipse erit mihi filius.) è Spiritu sacro filij mei Messiæ, per gratiam adoptionis mihi natus, ad mei participatum. Quem participatum indicat illud: Ex Deo nati sunt. Item illud Petri: Vos estis consortes diuinæ naturæ. Aliter autem Messias Filius Dei patris est, aliter nos: ille natura, nos gratia adoptionis. Agnus ita filius Dei est unigena, ut in eo plenè quanta quãta est diuinitas habitet: in nobis diuinitate eius ad mensurã donationis Messiæ uersante, qui de plenitudine eius spiritum sanctum accipimus, quem ille ut caput uniuersæ perfectionis spiritualis sine mensura & modo habet. Is demum ut æternum Dei patris uerbum naturalis eius filius est, per quem omnia creata sunt, & creata conseruantur & instaurantur: nos non item, qui uerbum & sermo Dei non sumus, sed eo ut res conditæ & innouandæ continemur. *Ioan. 1.* *2. Petr. 1.* *Ioan. 1.*

Timidis autem.) Monet, qui in resurrectione, & ea utraq; locum non sint habituri. Timidi sunt, ignaui illi, qui aut omnino cum aduersaria potestate duce Agno prælium detrectãt: aut eo iam inito fugam meditãtur, ducis sui signa profugorum & desertorũ more relinquentes. Est autem metus non uarius generis. Nam est metus quem carnis infirmitas creat, non contẽptus & odiũ ducis Messiæ, de quo illud: Caro infirma est, spiritus uerò prõptus. Is metus in omnibus electis inest, quo metuũt sibi de reb. aduersis, de morte, & periculis mortis. Talẽ metũ tolerat primò dux Messias in suis, sed ita, ut tãdem qui infirmi fuerũt, sibi de malis metuẽtes, posito metu fortiter ad pericula capessenda in militia aduersus hostes regni cœlestis se gerãt. Is metus ut ab initio in omnibus scriptis in libro uitæ reperiat̃, exẽplo patriarchæ sunt, & discipuli Christi. Alter metus est, eorum qui Dei amore carẽtes, in mũdi castris duce Satana, ad mala præsentis seculi fugiẽda, & eius bona conseruanda merere ac militari malunt, quàm Christum imperatorem aduersus mundum & principatum eius sequi. Hi sunt uerè illi ignaui & timidi, quos Ioannes in resurrectione iustorum partem habituros negat: in qua nemo gloriæ & splẽdoris cœlestis regni corona decorandus sit, nisi qui contra peccatum, mortem, mundum, principem mundi Satanam, & huius ministros legitimè certarit, & certando uicerit, per *Matth. 26.*

eum, & in eo, qui ut certemus & uincamus, uires unus & arma ſuppeditat, qui eſt Meſsias benedictus.

Incredulis.) Sunt infideles, qui exigua fide ſunt, & uacillante, eius igniculos quoſdam habentes. Hos à regno Dei non excludi, indicat Dominus apud
Iesaiæ 42. Ieſaiam prophetam, cum ait: Linum fumans non extinguam, & arundinem quaſſatam non confringam. Ergo infirma fide qui ſunt, diuini fauoris & beneuolentiæ nõ ſunt expertes, ut quorum imbecillis fides ſuum robur ſit adepturа, per eum in quo & per quem ad uirilem ætatem & conſtantem adoleſcimus. Tales infideles fuerunt primò diſcipuli Chriſti: ſed quos is non auerſaretur, ſed ferret, dum eorum infirmam fidem per ſpiritum de excelſo miſſum confirmaret. Sunt item infideles, qui malitia ſunt infideles: hoc eſt, qui annunciato & cognito Euangelio Agni, fidem non habent, ſed id inimicè & eius cultores perſequuntur. Hi quoniam in Spiritum ſanctum exitiali delicto delinquunt, eos Ioannes hic dicit à reſurrectione ad uitam æternam excluſum iri.

Et execratis.) omni genere flagitiorum fœdis: quos quoniam talis infidelitas omnium ſcelerum radix efficit, execrabilium ſubiicit mentionem. In horum numero Babylon cum ſuis pſeudoprophetis & adoratoribus continetur.

Et homicidis.) ſiue animo, ſiue ore, ſiue facto, ſiue dogmatis perniciosis ani-
Ioan. 8. mos ipſos necantibus tales ſint. Talium parens eſt Satan, qui fuit homicida ab initio: & inter homines homicidas principem locum obtinet filius ille Satanæ perditus, hodie cœptus notus fieri, ut ſuprà deſcriptus. Qui ut homicidijs infamis ſit, eius funeſta conſilia, facta, bella in orbe terrarum excitata, & exitiales doctrinæ teſtantur.

Scortatoribus.) Nomine ſcortationis omnis libido continetur: ſtupra, adulteria, inceſtus, mollicies, & non nominandus ob pudorem coitus: qua omni turpitudine beſtiæ regnum plenum eſt. A' qua cum honeſta matrimonia improbantur, ſe omni fœdiſsima libidine contaminat, Deo æqua rationis lege delicta delictis puniente. Prior beſtia ut ab apoſtolo Paulo ſtuprorum reprehendatur, flagitioſa libidine commiſſa, in qua cõtra naturæ legẽ fœminæ & maris uſus mutatus ſit, ex epiſtola quã ad Romanos ſcripſit patet. Altera beſtia quæ illi ſucceſsit, & eius imagini ſpiritum inſpirauit, prioris libidinem æquet an ſuperet, res ipſa ſine argumentis docet.

Et ueneficis.) Quales hi ſint, nõ eſt obſcurũ: & his beſtiæ regnum refertum eſſe conſtat. Qua parandi & propinãdi uenenum arte nec ij caruerunt, qui ſanctitate alijs præſtare uideri uolunt. Huc pertinent etiam philtra & meretricis amatorium poculum, quod ad uenenandas conſcientias ſuis amatoribus pro-
Geneſ. 3. pinat. Hanc artem ſuos docet ſerpens ille uenenatus Satan, qui quod uirus primis ad eos necandos parentibus aſperſerit, nos poſteri illorũ teſtamur: & ſanguis Agni documento eſt, quo uenenum illud depelli oportuit.

Idololatris.) quib. Babylon, ut ſuprà Ioãnes monuit, plena eſt. Cæterùm quàm latè pateat idololatria, utq; omnis colendi Deum ratio quam Dei uerbum nõ oſtenderit, idololatria ſit, aliàs explicatum eſt. In idololatria meritò apoſtolus
Coloſſ. 3. Paulus auariciam numerat, quòd pecuniam, qui eius cupiditate tenentur, omnibus præferant, non uerentes præ ea amicos, parentes, liberos & Deũ ipſum contemnere, Mãmona pro Deo culto. De quo auaritiæ uitio præclarè Sibylla hoc carmine uaticinata eſt, quo Babylon Roma laboratura eſſet, & propter hoc & alia ſcelera ruitura:

χρυσὸς γὰρ ἀλλοίοις καὶ ἀργυρίοις πόθος ἔσαι,
ὃς δὴν γὰρ τόσσων θνητοὶ μεῖζον πθέκρειναν,
ὃ φάος ἠελίοιο, ὃς οὐρανόν, ὃς δὲ θάλασσαν,
ὃ γαῖαν πλατύωτον, ὅθεν φύσιν ἅπαντα,
ὃ τὴν παῖδα Διὸς θεὸν, γλυκύτερα πάντων,

ὃ τί-

ὁ πίσσαν τόπων, καὶ δυσεβίαν πλείονων,
τὴν δυσεβίας, καὶ ἀταξίας πολυπλόκους.

Et mendacibus.) qui in bestię cōflato ex mēdacijs, nō in Agni regno, quod ueritatis regnum est, locum habent. In mendacibus generatim numerantur, qui aliud mente sentiunt, aliud ore loquuntur, fallendi gratia, perfidi, periuri, hypocritæ, doctores falsi, quiq; quocunq; modo malis artib. alios circumueniunt ac decipiunt. Mendaciorū architectus & primus author Sathan est, ministri eius impij dæmones & in terra homines, Draconis mendaci spiritu afflati. *Ioan. 8.*

Pars eorum erit in stagno ardenti igne) cum bestia & pseudopropheta, de quibus suprà: Et apprehensa est bestia, & cum illa pseudopropheta, uiui coniecti sunt hi duo in stagnum ignis ardens sulphure. Et de dracone diabolo Dominus: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & ministris eius. *Matth. 25.*

Quod est mors secunda.) soli draconi & bestiæ & maledictis destinata, scriptis in libro uitæ ab ea liberis, qui solum in utraq; resurrectione partem habent.

Et uenit unus ad me de septem angelis.) De quo uideris suprà. Angelus qui significauit ruituram Babylonem meretricem, significat etiam Hierosolymam de cœlo descendentem ædificandam. Nam Dominus qui ciuitatis impiorum destructor est, ciuitatis piorum extructorem se fatetur. Altera igitur ciuitas ambitiosè ascendens, solium suum supra Agni solium collocans, miserè descendit, in stagnum ignis deturbata horribili casu. Altera descendens, glorioſè cum Agno in cœlos ascendit, supra omnia elata. 17

Sustulit me spiritu.) non corpore. Motus igitur is nō ex loci mutatione æstimatur, sed ex noua patefactione rerum cœlestium. Montis autem fit mentio, quòd manifestatio arcanorum Dei non terrena sit, sed cœlestis. Itaq; in montem auferri dicuntur prophetæ, cum eis cœlestia oracula supernè reuelantur. Ad huius rei mysticam significationem, iussus fuit Lothus cum suis in montem fugere. Baracus in monte molitus est uictoriam, qua uinceret Sisaram, in imis locis uictis hostibus. Nec non Christus in monte mysterium futuræ gloriæ suis reuelandæ ostendit. Mons igitur, in quem in uiso sublatus sibi uidebatur Ioannes, ad percipiendum abditum consilium Dei, de extruenda Hierosolyma noua, nobis sub figura ostēdit eum montem, de quo apostolus Paulus loquitur: Superna quærite, ubi Christus est ad dexterā Dei sedens. De quo monte diuinæ sapientiæ lux radiat, & in eo sedens Agnus suos prophetas oracularī luce illuminat, eis patefaciens quæ ad perficiendam Ecclesię electorum salutem pertinent. *Genes. 5.* *Iudicum 4* *Matth. 17.* *Colos. 3.*

Ciuitatem magnam.) Ex ciuibus descriptam, qui stellas cœli numero & arenam maris æquēt. Nam quæ de sobole numerosa Abrahamo promissa sunt, ea subducta Israelitarum figura, ad sobolem illam cœlestem cœlestis Hierosolymæ referuntur. Porrò si Babylon impiorum ciuitas magna describitur, quāto uerius Hierosolyma de cœlo descendens pro amplitudine bonitatis & potentiæ diuinæ, & pro magnitudine meritorum sanguinis IESV Christi magna iudicabitur esse? De cuius amplitudine Zacharias his uerbis loquitur: Absq; muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Similiter Iesaias de ea uaticinatur: Gaude sterilis quæ non paris, &c. Argumentis quæ contra sententiam de amplitudine Hierosolymæ, hoc est Ecclesiæ electorum afferuntur, alio loco occursum est. *Genes. 13.* *Zach. 2.* *Iesaiæ 54.*

Sanctam Hierusalem.) non impurā, ut fuit Babylon, mater execrabilium, infidelium, scortatorum, ueneficorū, homicidarum, idololatrarum & mendacium.

Habentem claritatem Dei.) In filio Messia, in quo & per quem hæc ciuitas omnium particeps est, quæ Deus pater habet, qui illius merces est & præmiū. Est Agnus splendor glorię, & expressa imago substātiæ sui patris. Huius claritatis & splendoris Ecclesia sponsa quoq; in spōso Christo particeps est: sed aliter in

prima

prima resurrectione, aliter in secunda eius splendoris consors erit. De quo discrimine suprà mentio facta est.

Lapidi iaspidi.) De gemmarum ortu, natura & uiribus, uideris apud scriptores rerum: ut earum uim & splẽdorem commodè ad ea referas, quę in cœlesti Hierosolyma cernuntur.

Et habebat murum magnum.) Murus ciuitatis describitur, hunc esse ingentem & altum: ingentem quidem, qui ingentem ciuitatem circundet: altum autem, ut insuperabilem hostibus. Infrà, qua longitudine, latitudine & altitudine fuerit, explicatur. Si percunctêre quod nomen habeat is murus, explicant id Isaias & Zacharias prophetæ. Isaias hunc murum uocat salutem, Zacharias ignem. Nomina hæc in Isaia exposita sunt.

Habentes portas duodecim.) Describuntur portæ, quę quoniã in muris poni solẽt, earum subijcitur descriptio, quarũ etiã propheta Isaias meminit: Aperite portas, ut ingrediatur gens iusta, seruans fidem. De quibus uideris apud illum.

Et ab oriente portæ tres.) Descriptarum portarum ad quatuor mundi cardines, orientem, occasum, septentrionem & meridiem, rationem Dominus explicat, ubi ait: Dico autem uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenturi sunt, & accumbent cum Abraham, Isaac & Iacob, in regno cœlorum. Et quoniam à singulis cardinibus tres principales uenti spirant, sic tres portæ singulis limitibus tribuuntur: ut accipiamus, ab omnibus terræ finibus ad Hierosolymam de cœlo descendentem cõfluxuros, qui illi nomina dent, ut impleatur illud: Conuertẽtur ad te omnes fines terræ. Item: In semine tuo benedicentur omnes gẽtes. Hi autem loci ut intelligendi sint, alio loco indicatum est.

Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim.) Descripto muro & portis, fundamenta muri describuntur: quæ cur duodecim ponantur, in Isaia annotatum est. Et Ioannes ipse explicat his uerbis: Et in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum Agni, qui propter doctrinam Euangelij de Agno fundamenta Ecclesiæ dicuntur. Agnus uerò re ipsa fundamentum est, nemo alius: non Petrus, non ullus alius Apostolus. multo minus fundamentũ Ecclesię erit, sedens supra septem colles, & se Petri successorem uocans: qui, ut eum suprà Ioannes descripsit, aduersarius Agni est, Petrũ neq; doctrina neq; uita exprimens, sed Draconem, cuius pectus & os habet. Iussus est Petrus pascere oues. at has stultus ille pastor deglubit, de quo sic Zacharias loquitur: Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non uisitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet. O' pastor & idolum, derelinquens gregem. Talis pastor est, qui se hodie iactat Vicarium Agni esse, & Petro successisse, & pro fundamento Ecclesiæ se ostentat, audens se iactare petram esse, supra quam Ecclesia fundata sit. O' ruinosum fundamentum. Conferre hunc qui prædicat se esse caput & fundamentum Ecclesiæ, cum Christo: est tenebras cum luce, mortem cum uita, infernum cum cœlo, mendacium cum ueritate, lupum cum agnis, furem cum pastore, angelum tenebrarum cum angelo lucis, principatum orci ac barathri cum cœlesti principatu conferre. Nam quid is commune cum Agno Christo habet, siue ortum ac naturam, siue animũ, os, doctrinam, uitam & mores spectes? omnia in eo ex diametro cum cœlesti Agno Messia pugnant: ut uerè in sacris literis is qui se fundamentum Ecclesiæ & uicarium eius, qui Hierosolymæ ex cœlo descendentis uerum fundamentum est, uocat, filius perditus, abominatio desolationis, meretrix Babylon, idolum, angelus abysi, pseudopropheta, bestia & immanis belua omnia uastans appelletur.

Et ciuitas in quadro posita est.) Explicatur figura ciuitatis: hanc quadratam esse. Hæc forma ad soliditatẽ & firmitatẽ apta est. Eadem figura Salomonij templi & Mosæi

Isaiæ 25. Zach. 2. *Matth. 8.* *Psal. 21. Genes. 22.* *Zach. 11.*

& Mosæi tabernaculi, eorumq; quæ tabernaculo continebantur, ut arcæ, mensæ, ararum & castrorum figura fuit. Quadrata enim figura stabilis & firma iudicatur esse: ut etiam quaternarius numerus præcipuā laudem inter numeros habet, in quo denarius numerorum summam continens comprehendatur. Nam subducta unius, duorū, triū & quatuor ratione, denarius in quaternario cōprehensus conficitur. Eiusdem etiam perfectionem & præstātiam tetragrammatum יהוה sacrosanctum nomen declarat. Hæc est quaternariī & quadratæ figuræ dignitas, qua ciuitas Hierosolyma de cœlo descēdens ornatur. Cui cum hæc figura tribuitur, intelligimus eam aduersus omnē aduersariam uim & potestatem tutā esse, à qua illa nullo modo loco, ut quadrata, moueatur. Nam hāc formam ad omnem æternitatē firmam, cœlestis architectonis digiti nō in terra, sed in cœlo, non humana ratione & arte, sed sacri spiritus arte duxērūt. Quę summa cōsolatio eorum esse debet, qui in hac ciuitate scriptos se ciues esse, testimonio diuini Spiritus sentiūt. Est & sua ciuitas Antichristo, sed quæ nulla figura & forma circundetur, cuiusq; muri nullum solidum fundamentū habeāt, ut quæ Babylon sit plena perturbatione ac confusione: sed arenā maris mobilis & fluctibus agitati fundamentū habeāt. Hinc fit, ut hæc ciuitas uento uehementiore, hoc est spiritu eius cui uenti & mare obediunt, afflata, in nihilum redacta corruat. ut suprà legimus: Cecidit Babylon ciuitas illa magna. Contrà habet urbs Hierosolyma, à Ioanne ex prophetarum oraculis descripta, de qua his uerbis Zacharias propheta: Et uocabitur Hierosolyma urbs ueritatis, & mons Domini exercituum, mons sacer. Atq; hoc ipsum est quod Ioannes hic dicit, καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται. *Matth.8.* *Zach.8.*

Et mensus est ciuitatem.) Suprà meminerat, ciuitatem Hierosolymam esse magnam & amplam: hic quis eam, & qua mensura, & cuius mensura, & ad quantam magnitudinē mensus sit, ostendit. Is qui mensus est, erat qui missus à Deo, cum Ioanne loquebatur: qui angelus erat, minister eius qui omnia in cœlo & in terra certo pondere mensura & numero metitur, qui nouit quos cœlestis ciuitas ciues capiat, quotq; hæc mansiones ab æterno diuina cura & prouidentia paratas teneat, de quibus Dominus his uerbis loquitur: In domo patris mei multæ sunt mansiones. Hæc domus Ecclesia est, cœlestis Hierosolyma, in qua quisq; ciuis sua munera diuini spiritus ad mensuram donationis capitis Christi habet: quod est, In domo patris multas esse mansiones. *Ioan.14.* *Ephes.4.*

Arundine aurea.) calamo non ligneo, nō plumbeo, nō stanneo, sed aureo: mensura enim, eius cuius mensura erat, & eius quod metiendum erat, naturam habebat. Hoc est, hic omnia pura, munda, splendida & firma aduersus omnem iniuriam, in omnem æternitatem intelliguntur esse.

Per stadia duodecim millia.) Is numerus millenariis cubis cōstās, cœlestis ciuitatis magnitudinem declarat: & quoniam hæc undiq; & ex omni parte absoluta est in Messia & per Messiam, cuius hæc ciuitas cōplementū est, legimus hic illam pari longitudine & latitudine & altitudine esse. Vt sicut in Christo longitudo & latitudo & altitudo æqualia sunt, ita etiam eam æqualitatem in corpore Ecclesia cerni, quæ capitis sui Christi omnes uitæ & gloriæ thesauros, ut eius πλήρωμα, cōtineat. Quæ excellēs Hierosolymæ ciuitatis sponsæ Christi dignitas est, omnia cum sponso, oleū diuinitatis spiritum sanctū, sapientiam, potentiam, iusticiam, uitam, communia habens. *Ephes.1.*

Et mensus est murum mensura hominis quæ est angeli.) De explicatione huius loci uideris in Iesaia. *Iesaiæ 26.*

Ipsa uerò ciuitas aurum mundum.) Describitur materia urbis: hanc non lignum, non plumbum, non ferrum aut aliud impurum metallum esse: sed aurum mundum, beneq; à scoriis expurgatum. Sed qualis materia auri est, ex qua nostra cœlestis ciuitas extruitur? Materia est non ex terra effossa, sed ex cœlo

fine

ſine humana arte & induſtria exciſa. Auri materia nimirum is eſt, quem a-
Matth.1. gnoſcimus è ſpiritu ſancto conceptum, & ex Virgine natum, omni labe & ui-
Epheſ.5. tio carentem: ex cuius ſacroſancta carne & oſsibus ſponſa Eccleſia, ſancta & contra omnem afflictionum ignem tuta ædificatur. Quò ſimilitudo ab auro, quod igne probatum eſt, mutuata pertinet.

Et *fundamenta muri ciuitatis omni lapide precioſo ornata.*) Duodecim fundamenta muri, non ex quibuſuis lapidibus conſtare, ſed precioſis: ad ſignificandum, quàm precioſum fundamentum Chriſtus ſit. Gemmarum precia nota ſunt: ſed his tãto Chriſtus precioſior eſt, quanto origo eius & uirtus origini & uirtuti terreſtrium gemmarum præſtat. Vt autem duodecim fundamenta, propter doctrinam de uno fundamento Chriſto IESV, per duodecim Apoſtolos propagatam ponuntur: ita etiam duodecim inſignium gemmarum mentio fit, ad cœleſtis doctrinæ præſtantiam declarãdam. Itaq; ut in duodecim fundamẽtis, duodecim Apoſtolorum Agni nomina, duodecim gemmis inſcripta fuerũt: ita in hoſchene Moſaei pontificis duodecim gemmæ collocatæ legũtur, duodecim tribus Iſraeliticas nobis referentes: quæ tribus, hoc eſt electorum familiæ, Apoſtolorum doctrina ſuper fundamentum Chriſtum fundatæ dicuntur. Quare ſi rectè iudicemus, pariter & fundamenta muri cœleſtis Hieroſolymæ, & eius ciues diuinas & ſacras gemmas, originem, naturam & uirtutem ſupracœleſtis gemmæ IESV Chriſti exprimentes, dicemus eſſe.

Et *templum non uidi in ea.*) quale Salomonium templum fuit, manufactũ. Nam ut terrena Hieroſolyma figuræ & umbræ modo euanuit, & ei cœleſtis ut corpus umbræ ſucceſsit: ita templum uetus diſparuit, nouo ſe oſtẽdente, ad quod ueri Iſraelitæ tum in prima tum in altera reſurrectione cõfluant. Hoc templum Deum patrem eſſe, & Agnum. Deum patrem quidem, quem ſpiritu & ueritate ueri adoratores, ueteris templi & Hieroſolymæ reſpectu liberi, adorent, ut
Ioan.4. Dominus hunc locum interpretans apud Ioannem ait: Mulier crede mihi, uenit hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hieroſolymis, ubi uetus templum erat, adorabitis patrem. Agnum autem tẽplum eſſe, in quo & per quem pater, qui ſpiritus eſt, ſpiritu & ueritate, ſine elementorum mundi obſeruatione adoretur. Sin uerò alteram reſurrectionem ſpectes, tanto cultus & amplificatio Dei patris in Agno & per Agnum liberior erit, quanto ad claritatem & ſplendorem cœleſtis regni propior fuerit acceſſus factus. Ex his liquidum fit, tribus conuenire rationem templi, Deo patri, & filio eius Meſsiæ, & Eccleſiæ. Patri cœleſti, ut in quo omnes theſauri ſapientiæ, potentiæ, iuſticiæ & bonitatis, quos à ſe habeat, uerſentur. Filio Meſsiæ, ut in quo opes & theſauri iam memorati repoſiti ſint, quos à patre habeat. Poſtremò ratio tẽpli Eccleſiæ congruit, in qua prædicti theſauri à Patre in Chriſto & per Chriſtum reponantur, quæ ſit corpus & implementum capitis Chriſti: ex quo corpore à capite Chriſto, quoniam in ſingulos electos ut membra, diuinus ſpiritus proficiſcitur, etiã
1.Corinth.5. hi templum Dei uocantur. iuxta illud: Vos templum Dei eſtis. Cæterùm ut diuerſa ratione hæc uniuerſitas Dei templum uocetur, id aliàs explicatum eſt.

Et *ciuitas non eget ſole.*) aſpectabili ſole & luna. Solent urbes & earum domus laudari, ſi pellucidæ ſint, cœleſti luce colluſtratæ, ut eſt ſol interdiu & luna noctu lucens. Tali luce non opus habituram de cœlo deſcendentem Hieroſolymam, ſed Dei ſplendore & lucerna Agno. Qualis enim hæc urbs eſt, tali luce qua illuminetur eget, luce nimirum illuminãda, quæ de ſe prædicat: Ego ſum
Malach.4. lux uera. Quæ lux ſol ille eſt, de quo Malachias: Vobis timentibus Dominum orietur ſol iuſticię. Qui Agnus eſt, de quo hic Ioannes: Et lucerna eius Agnus. Non ſol aſpectabilis figuram ſolis inaſpectabilis proferens, non lumen rationis humanæ adumbratum in luminari face: non lumen quod in philoſophia lu
Ioan.1. cet, quod mera caligo eſt & tenebræ ad lucernam Agnum, de quibus tenebris illud

illud ſcriptum eſt:Et lux in tenebris lucet. In quibus tenebris ſapientiam,iuſticiam, potentiam mũdi,& (quæ in mundo præſtantiſsima habentur) diuitias, diuinus ſpiritus numerat:quòd hæc nemini æternam uitam & gloriam afferant,ut lux Meſsias affert.

Et ambulabunt gentes.) in uno ouili,ad unum paſtorem Agnum,cum Iſraëlitis aggregatæ.

Quæ ſeruatæ fuerunt.)ex regno Satanæ & Antichriſti, quales ſunt electi & ſcripti in libro uitæ. *Iesaiæ.42.*

In lumine eius.)De quo Ieſaias:Et dabo te in lucem gẽtium. Itaq; in uiſo loãnis is locus ex Ieſaia ſumptus eſt, ut etiam ſuperior:Et ciuitas non eget Sole,neq; Luna,ut luceat in ea.Dicit,gentes ingreſſuras in lumine Meſsia,ut aſſertas ex tenebris ,in quibus regnãte beſtia angelo tenebrarũ ambularãt.

Et reges terræ.) Qui antea ſuum honorem in beſtiam contulerant, eam adorantes, ut ſuprà ſcriptum legitur : hi idem conſilium, poteſtatem tradendi beſtiæ habent.Sed quam his reſurrectionis primæ temporibus, conuerſi ad Dominum per lumen Euangelij,odio ſint proſecuturi,gloriam & honorem Deo dãtes & Agno,cõtra quam antea uino meretricis magnæ inebriati, pugnauerant.

Et portæ eius non clauduntur.) Præ hoſtis metu, qui aberit, eo uicto per uictorem Agnum.

Nox enim.) quam aduerſarius ciuitati Eccleſiæ offuderat. De qua nocte prędixerat antea lux Meſsias his uerbis: Me oportet operari opera eius qui miſit me,donec dies eſt: uenit nox,quando nemo poteſt operari. *Ioan.9.*

Non intrabit in eam aliquid.) ut quæ per lucem Meſsiam ad ſanctitatem collu ſtrata ſit,deterſis uiciorum tenebris.

Quod iniquum.) ut ciuitas Antichriſti Babylon ſceleribus & mendacijs ſcatet.Hæc mutuata ſunt ex Ieſaia Propheta, ubi ſic loquitur : Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta,cuſtodiens ueritatem.Hæc enim ciuitas ab eo ædificatur & regitur,qui de ſe dicit:Quis me arguet de peccato?Et apud Ieſaiã: *Ieſaiæ 53.*
Eo quòd ſcelus non fecerit.

Niſi qui ſcripti ſunt in libro uitæ Agni.)Non Draco, Satan,& miniſtri eius:non beſtia bicornis,in libro inferni & mortis ſcripta.Scripti autem ſunt in libro mortis,quotquot Agnum & eius Euangelium cognitum odio proſequuntur,delictum in ſpiritum ſanctum committentes: non qui ignoratum,non ſequuntur. Nam qui ſuperioribus ſeculis in tenebris errorum Antichriſti uerſati ſunt, & qui etiam hoc tempore zelo quodam in eis ignorantes ueritatis uerſantur,eos Dei iudicio permittimus: qui eorum nomina quos in cœlis conſignauit,quosq; ſuo tempore depulſa errorum nocte, luce regni ſui illuminet,notos habet.

IN CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Ostendit mihi fluuiũ.) Deſcripto cœleſtis ciuitatis ortu ,materia,ſitu, fundamentis,muro,portis,platea,ciuibus,amplitudine,& eius rectore:iam, ne quid bono ciuitatis huius ſtatui deeſſe intelligatur,eam commoditatem deſcribit, quam à fluuio & arbore ad illam conſita habet.Etenim ciuitatum ſitus præcipuè laudatur,qui fluminibus non careat,per quæ res ad uictum cultumq; uitæ utiles , facilè importare & exportare liceat: & ad quæ arbores quæ uberem ſalubremq; fructũ gerant,conſitæ ſint. Ab hac commoditate etiam hanc diuinam ciuitatem commendari, Ioannes oſtendit.

Purum fluuium.) cuius aquæ & natura puræ ſint,& eos quibus aſperſæ fue-

rint,exterſis uicijs ueteris naturæ, puros reddant. Puras nimirum aquas
Ezech. 36. continet is fluuius, de quibus ſuprà ex Ezechiele Propheta memínimus. Contrariæ naturæ fluuium Babylon ciuitas habet, qui per lutoſum alueũ fluens aquas impuras præbet. Contrarium item fluuium Ægyptus huius
Hierem.2. mundi habet,de cuius aquis turbidis ſic Hieremias loquitur: Et nũc quid tibi uis in uia Ægypti,ut bibas aquam turbidã. Qualis autem ſit hęc aqua, norunt qui eam hiberunt,nunc uerò mundam aquam, ex Dei & Agni ſolio manantem bibunt.

Aquæ uiuæ.) Quæ natura uiua eſt,&eos uiuificat,qui eam biberint. De qui
Zach.15. bus Zacharias:Exibunt aquæ uiuæ ex Hieruſalem. Sunt & mortuæ aquæ quas reperias in ciuitate Antichriſti,qui fontem aquæ uitalis obturat,& ciſternas fodit aquas peſtiferas continẽtes,de quibus ſuprà mentio facta eſt.

Procedentem de throno Dei & Agni.) in quo ſolio Agnus ſedens, ciuitati ſuæ, ut rector & gubernator eius,de omnibus prouidet, quæ illi ad bonum ſtatum neceſſaria ſint.

Lignum uitæ.) Hæc uitalis arbor ferens fructum ciuitati ſuæ uitam dantem,& eam conſeruantem,Meſsias benedictus eſt, quæ præfigurata fuit ab arbore uitali, in terreſtri paradiſo conſita, qui cœleſtis paradiſi figuram prætulit,de quo Chriſtus,huius cultor,ad latronem: Hodie mecum eris in
Lucæ 23. paradiſo. Cernitur & arbor mortifera fructum ferens, quem qui ederint, moriuntur,non uiuunt.Ea arbor,ſcientiæ boni & mali arbor eſt,quam Dra
Geneſ.2. co oſtendit Adamo, cuius fructum cùm is comediſſet,mortem contraxit, ex ſententia illa: Morte morieris. Talem etiam arborem ad flumina ſpiritualis Babylonis conſitam,rex Antichriſtus ſuis adoratoribus exhibet: Cuius fructus ut lætales ſint, expertus eſt,& etiamnum experitur, orbis terrarum: Cæterùm quæ hîc ſanctus Ioannes de fluuio in ciuitatis Hieroſolymæ area fluente de arbore reati in utraq; fluuij ripa conſita uaticinatur,ea
Ezech.47. ex Ezechiele ſumpta eſſe,myſterium hoc explicante,ſatis clarum eſt.

Et folia ligni ad ſanitatem gentium.) Similiter Ezechiel: Et folia eius ad medicinam. Sed qualis eſt hæc medicina, & quibus huius arboris folia ad medi-
Ieſaiæ 61 candum adhidentur? Medicinam, & eos quibus illa fit, arbor ipſa uitalis apud Ieſaiam his uerbis exponit:ut mederer contritis corde,miſit me.

Et omne maledictum non erit amplius.) Si reconciliationis & primæ reſurrectionis tempora ſpectes,aberit maledictio,qualem Moſes deſcribit:& aderit benedictio,qualis Eccleſiæ per Euangelium inſtauratæ conuenit. Sin alterã reſurrectionem conſideras,ablata omni maledictione,Eccleſia benedictione fruetur,qualis gloriæ & ſplendori cœleſtis regni congruit.

Sed thronus Dei & Agni.) Regnum & imperium Agni in ſacra ciuitate cerni, non Draconis & beſtiæ:quæ maxima eorum conſolatio eſt, qui in hac prima reſurrectione locum habent,in his miſericordiæ diuinæ,& uitæ æternę, & cœleſtis imperij ſolium uerſari, quo tecti aduerſus omnem tenebrarum principatum tuti ſunt:legimus enim hîc ſoliũ Dei & Agni in diuina ciuitate uerſari.Nam huius ciues quamuis corpore in terra uerſentur,in cœlo tamen ſpiritu,ad ſolium Agni ipſis præſens, conſuetudinem ſuam habere ſe ſentiunt.In cœlo inquam,diuino ſpiritu, diuina luce,diuinis aquis,diuino rore & fructibus uitalibus arboris Meſsiæ illuſtri.

Et uidebunt faciem eius.) in ſecunda reſurrectione eius faciem uiſuri,ut eos ui
1.Ioan.3. ſuros indicat ſanctus Ioannes his uerbis: Scimus autẽ, quòd ſi apparuerit, ſimiles ei erimus,quoniam uidebimus eum ſicuti eſt:ad eum aſpectum admiſſo corpore, quod è puluere terræ excitatum, glorioſo corpori Chriſti conformabitur. In priore autem reſurrectione, nati è ſpiritu Agni, Dei faciem uident, cùm reconciliati, fauorem eius beneficio ſanguinis Agni

nis Agni sentiunt. De qua uidendi Dei faciem ratione, Apostolus his uerbis loquitur: Quoniam Deus est, qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie IESV CHRISTI. Lucem uidelicet è tenebris naturæ iubens illucescere, per quam illuminemur ad cognoscendam gloriam clemẽtiæ eius, nobis in facie Christi affulgentem: quæ in uultu Moseo non affulsit, ut cuius conspectum Israëlitæ non ferrent: in eo nimirum ira, non gratia, morte, non uita apparente. Sed uultus Messiæ fertur, in quo facies Dei plena beneuolentię electis ostenditur. De qua facie Dauid sic canit: Illustret nos lumine uultus sui. Item: Domine in lumine uultus tui ambulabunt. in lumine inquam fidei, uultum clementiæ, & misericordiæ diuinæ exhibente, non iræ, de quo irati Dei uultu alio loco: Vultus Domini super facientes mala. 2 Corint. 4. 2. Corin 3. Psalm. 67. Psalm. 89. Psalm. 34.

Et nomen eius in frontibus suis.) Apud Mosem legimus scriptum, ut summus sacerdos auream laminam diuino nomine insignitam in fronte gestarit: qua significatum est, in Pontifice Agno diuinitatem totam σωματικῶς habitare, & quoniam Ecclesia ex ossibus & carne mariti sui Christi in omnium honorum quæ is habet, participatum exprompta est: legimus hîc, nomen Dei & Agni in frontibus suis sanctos gestare, hoc est, eos diuiuæ naturæ per regenerationem, non ex creata natura, sed ex Deo generandos, participes fore. Quò spectans diuinus spiritus apud Ezechielẽ Prophetam, sic loquitur: Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem. Vt autem nomen Iehoua congruat patri, & filio Messiæ, & sponsæ Ecclesiæ, & ut etiam tribuatur rebus Dei non consortibus, ea de re aliàs meminimus. Ezech. 48.

Quoniam Dominus Deus illuminat illos.) Lumen igitur sanctorum, quo collustrãtur, non est creatum lumen, quale naturale animorum lumen est: sed increatum, Deus nimirum ipse in Messia filio uera luce, in illorum animis lucens. Itaq; Deum per Deum uidẽt sancti. Nam sicut nemo uiderit Solem, nisi per Solem, hoc est, lumen solare, ita nemo uiderit Deum nisi per lumen de quo in Psalmo: In lumine tuo uidebimus lumen. Nam quoniũ homo proximè attingit diuinã naturã: inter eum & Deũ nullo meliore opere interiecto: hunc solum Deus ipse, per spiritum Agni, ad optimum quẽ habeat statum adduxerit, non ulla creatura, quæ omnis aut inferior homine est, aut par, nulla superior fuerit. Atq; hinc fit, ut Deus in Christo sanctorum lux, uita, sapientia, fortitudo, iustitia, uitæ & æternæ gloriæ merces in sacris literis dicatur esse. Atq; ex consideratione hac graduum perfectionis nascitur lex de amãdo Deo præ omnibus, & doctrina de fide filio habenda, ex quo diuinus spiritus in nos proficiscens, qui nos Dei filios ex Deo, Dei consortes generet, ad optimum & beatum statum consequendum. Qui in eo consistit, ut nos nomen Dei in animis nostris scriptum gerentes, unum cum Deo per consortium illius sapientiæ, iustitiæ, uitæ & gloriæ in Agno Messia reddamur. Quod unum unicè nobis ad eam beatitatem, quæ in sacris literis docetur, necessarium est. Hoc unum autem efficit lumen, de quo Ioannes hîc: Quoniam Dominus Deus illuminat illos. Et paulò suprà: Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus. Etenim in hac luce calor sacri amoris continetur, per quem unum cum Deo efficimur: ut natura amoris est, unũ ex ijs qui inter se amant reddere, & omnia quæ ipse uni aduersa sunt segregare. In lumine autem Deo, & lucerna Agno nos illuminante, amorẽ comprehendi, Ioannes alio loco sic monet: Qui diligit, in lumine manet: in lumine uidelicet, de quo hîc mentio fit: Deus illuminat illos. Psalm. 36. Lucæ 10. 1 Ioan. 2.

Et regnabunt.) Non Draco, non bestia, non pseudoprophetæ.

Hæc uerba fidelia sunt.) ut fundata in Mosæ & Prophetarum oraculis, quorũ fidelis interpres est Ioannes, seruus Agni. His uerbis contraria, infidelia & falsa

falsa uerba esse necesse est: qualia sunt Bestiæ, & Draconis, illius parentis, uerba.

Beatus qui custodit uerba prophetiæ huius.) continentia doctrinam de amplecten do perfidem Christo, de uitanda per eius abnegationem Babylone. Ample xari autem seruatorem Agnum, & fugere pestiferam Babylonem, felicitas est: ut contraria facere, infelicitas.

Ne obsignaueris uerba prophetiæ huius.) ut Prophetæ in administratione ueteris fœderis iussi sunt obsignare oracula sua, ut essent clausa & obsignata us que ad definitum tempus, quod patefactionis Christi & Antichristi tem pus est: sic Ioannes, quoniam in nouissima tempora incidit, quibus clausa Prophetarum oracula aperiri deberẽt, prohibitus est, suam Prophetam ob signare, ut quę in ea tẽpora caderet, quibus Mosæ & Prophetarũ mysteria resignatis sigillis, quibus obsignata fuerant, patefieri deberent, utrisq; Chri sto & Antichristo clarè in lucem uenientibus: in quorum manifestatione, omnia abdita occultaq; Prophetarum oracula reuelantur. Quò spectat il lud: Consumandum est mysterium Dei.

Tempus enim prope est.) impletionis eorum quæ de Christo, Antichristi regnũ per claritatem reuelationis Euangelij in toto terrarum orbe prædicandi, de leturo prædicta sunt.

Qui nocet, noceat adhuc.) Ioannes per prophetiæ lumen prænouit, nouissi mis temporibus patefactionis Antichristi refrigescente charitate, omnia o diijs, iniurijs, nocendiq; artibus flagratura esse, ut id Prophetæ antea prædi xerant futurum. Sic enim apud Iesaiam scriptum legimus: Luxit & defluxit terra, & infirmata est: defluxit orbis, & infirmata est altitudo populi terrę, & terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaue runt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum: propter hoc maledictio uo rabit terram. Similiter Oseas: Non est ueritas, & non est misericordia, & nõ est scientia Dei in terra, maledictum & mendacium & homicidium & fur tum & adulterium mundauerũt, & sanguis sanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra, infirmabitur omnis qui habitat in ea. Huc spectans Domi nus noster IESVS CHRISTVS, Prophetarũ ut Doctor, ita eorum fidus inter pres, dicit postremis tẽporibus fore, ut charitas in orbe terrarũ refrigescat: præcipuè uidelicet illis seculis, quibus abominationẽ desolationis, hoc est, submota figura, Antichristũ in templo Dei, quod Ecclesia est, uersantẽ cer nere cõtingat. Sed quo lumine præfulgente hodie illum cernere cõtingit? Euangelij luce præfulgente: quod Euangelium, dicit Dominus omnibus gentibus, in testimonium iusti iudicij Dei in homines iniurioſos reuelan di, prædicandum, qui excusso charitatis freno, nullis non nocendi artibus instructi sunt. Intueamur nostra tempora, in quibus lucente Euangelij nu per mundo restituti luce, ut omnia uitia se proferant, palã est: quæ nemo si ne maximis orbis terrarum afflictionibus, in hac Ioãnis Apocalypsi ex Pro phetarum sententia memoratis, emendatum iri speret. Quo is spectans, dicit hîc: Qui iniuria afficit, pergat iniuria afficere: si malè faciendo perire malit, quàm benemerendo de altero seruari.

Iesaiæ 33.

Oseæ 4.

Matth. 24.

Et qui iustus est.) Iusticiam benè merendo de altero, eumq; diligendi, oppo nit iniusticiæ ac improbitati, qua alter lædítur, ac iniuria afficitur. Sed quæ rat hîc aliquis, qualis sit illa iusticia, qua Deus præ omnibus amatur, & alter ut nos: fidei ne iusticia sit, an legis? Hæc quæstio alio loco explicata est.

Sordescat adhuc.) Hæc improbos suæ libidini permittentis Dei uerba sunt, non scelera commendantis: quæ hodie pij lamentari possint, tollere non i tem: sed unus is tollat, quem Pater mundo iudicem cõstituit, qui est Agnus benedictus, per iudiciarium suum spiritum pœnas de sceleratis experitu rus, &

rus,& probos præmijs ornaturus:his ex tanta orbis terrarum ruina & anathemate,quo illum feriet,ſeruatis,ut ſequitur:

Ecce ego uenio citò.) iuſtum meum iudicium in utraq; reſurrectione declaraturus.

Et merces mea mecum.) conſolatur à mercede & præmio, quo quenq; pro factis ſuis ſit remuneraturus.

Ego ſum alpha & ω.) conſolatur à facultate,ut qui cùm ſit principium à quo omnia oriantur,& finis in quem cuncta referantur, poſsit electos ſuos ſeruare,& hoſtes euertere.

Beati qui ſeruãt mandata.) ſed per eum de quo illud: Non amplius ego uiuo, ſed CHRISTVS in me uiuit. Item:Sine me nihil poteſtis facere. Sine uidelicet ſpiritu meo,qui illa agens uis in filijs Dei eſt,qua diuina de amando Deo & proximo lex ſeruatur,non ulla naturæ ui. Gal. 3 Ioan. 15.

Vt poteſtas eorum in ligno uitæ.) ex qua uitali arbore carpant fructus & folia ſalutaria,quibus depulſo uitio & morbo ueteris naturæ,ſanitatem recuperẽt, per quam apti ad ſeruanda mandata Dei reddantur. Quæ ſpiritus fidei agẽtis per ſacrum amorem ſanitas eſt: amoris inquam, de quo ſanctus noſter Ioannes:Deus amor eſt,& qui manet in amore, in Deo manet.In Græco legitur,eos poteſtatem habere in arborem uitæ. Hæc poteſtas,fidei poteſtas eſt,qua ſibi deuinctam uitalem arborem Meſsiam habẽt,ex cuius fructibus ſalutem accipiant,& eam conſeruent. 1. Ioan. 4.

Et per portas intrent.) per oſtium,de quo oſtium ipſum:Ego ſum oſtium: per meſi quis introierit,ſeruabitur,& ingredietur & egredietur. Hoc oſtiũ qui contemnunt,foris erunt,ut ſequitur: Ioan. 10.

Foris autem canes.) odiorum mutuorum rabie furentes, impudici, uoraces adulatores:tales canum nomine notantur.Sed de his aliàs.

Stella ſplendida.) ſplendore meo æternam iuſticiam & uitam electis meis afferens. Alluditurad oraculum Bileami: Orietur ſtella ex Iacob. At hæc ſtella,ut non cuiuſuis ſtellæ nomen obtineat,ſed ſolis, ſuprà indicatum eſt. Huic ſtellæ,quæ Meſsias eſt,Seruator mundi, electos ex tenebrarum Draconis & Antichriſti regno ereptos colluſtranti, & per hanc Deo patri,in Spiritu ſacro,ſit gloria & honor, in omnem æternitatem: Amen. Numer. 24.

EXPLICATIONIS M. BORRHAI IN APOCALYPSIM IOANNIS FINIS.

ERRATA INTER EXCVDENDVM COMmissa sic emendabis: priore numero paginam, posteriore uersum significante.

1. In præfatione uersu 10 qua Deus ratione ab ipso præscripta.
2. 14 eas. 30 committebantur reprehensionem.
4. 14 pro regno leg. regali sacerdotio 23 mundi proposita tenet 25 qui
9. 8 autoritates 20 Euangelij patefactione
4. 21 aduersus
8.1 diuini
10.1 Minhá
17. 32 spiritum, lege proscriptũ
24. 32 ab ipsa noxa
25. 13 offudit 22 pro elaborabunt, lege hortabuntur
32. 10 Euangelio
21 persuasium
22 dele in Christo
24 dele ס, lege furoris
25 interficiet
49 Messias.
33.39 dele eos. Et sequẽti uersu lege præditos
44.31. illa est
47.9 pro ipsis, lege ijs
41 dele omnino
50.20 morte
30 uincitur
50 item post ἀναθεμάτισε lex adijcito
52.1 מסרש 16 fulgore dele to quo ס lecto in sequẽti uersu dispellens
52.33 suum
59.19 צמיר
60. 39 consecutus
62. 4 שׁאול
63. 11 צרקיא
25 עכות
64. 16 uis
68. 34 hominibus Deum
35 σαφῶς
48 את
75. 13. ardore amoris diuini
77.6 pro qui, lege At qui
52 patris Messiam
86. 55 Deuolare, pro deuorare
82. 23 Mitte me
84. 8 חמשין
37 caruerunt
91. 8 phacá
93. 27 Iehoua ס deinceps similiter
94. 17 dele eum
97. 8 insessuros
16 יצעיצים.
49 Israelitice
101. 11 imperatiuis
105. 36 ירדים
113. 39 יחשוח
121. 7 Messias
122. 16 retinentes
123. 11 Ministri
19 deprauantem
124. 49 יתאבכו
127. 10 dele uos
129. 25 similitudinis 45 tacent 47 audet
130. 4 nimirum ס uiuunt
135. 24 At. 29 ut autem
50 del. quidem
136. 2 dele unde, ס uncta pro unctus lege. 8 quem
138. 7 princeps
140. 3 Satanæ
141. 43 feræ 49 Iudæis
142. 17 Domini
143. 38 Gentium
151. 14 בס item סמא
152. 23 quo item Ecclesiam seruatorem
154. 16 uerbi
156. 13 gnauitati
162. 39 eosq; in
168. 36 consurgant
169. 14 pro illum lege se
172. 26 בנוחי
175. 15 exaresçunt
176. 40 Moabitæ 49 תחורה item עכורה
181. 26 filium Salomonis
188. 13 Direpti
190. 41 Habet
193. 11 angulum
200. 1 Chanaan
204. 18 deleto ס, lege ut
205. 18 dele quando ס
208. 31 dies pro filij
213. 44 dele cõtra cõparati sunt
219. 6 iuri
224. 28 deprehenduntur
226. 6 prior. 22 ex his
230. 14 dele sunt, item dele diuites qui ueras diuitias aspernantes se pauperes non agnoscunt
240. 50 pro cum, lege cuius
241. 47 dele hæc, lege huic
244. 43 לישראל
248. 1 per 42 ס pro ex, ס post mundi, lege ignotum
242. 44 splendoris, itẽ significati
256. 31 post Ionathan lege Rabi Salomonis sententia
267. 33 infernus
269. 26 שסר
272. 17 expiatur
23 usu 33 נחש
277. 26 dele ס
288. 26 dele dei
293. 14 dele ס, lecto ei
292. 28 probitatem
294. 18 dele ס
300. 1 Naamane
301. 3 Metonymiam
305. 13 dele uau. in ולנא item lege in עתידין
310. 29 חרמי
315. 49 claudi
322. 14 Lobna
323. 3 auctum pro uictum
350. 1 רסיע
10 parata, pro separata
351. 26 earum
352. 37 quem 38 necessarium
42 iam
375. 10 auertat 36 reuelationis 49 pro extincte, consumptæ
382. 6 dele non
47 sequentibus uerbis
383. 11 pro hominem, uitam
59 pro diligimus, lege accipimus
384. 11 fieri, si Deus uult omnes homines simpliciter sine conditione seruare, deleta interrogatione post restitit
384. 27 liber est si 28 dele cũ
390. 33, lege hoc Dei, deleto quo sequenti
408. 25 perfringat 46 spoliat
411. 26 ferũtur 26 præcipites est
416. 18 delectum
417. 42 ferũtur 44 סריסים
410. 3 Cherubin ס Seraphim
421. 40 populus
423. 33 ueneant
425. 12 כמר
427. 52 hypothesi ad
458. 35 בורשי
51 חנם

459.27 dele narrat
465.42 exhibendum
471.23 patientiam
473.9 המחיר
474.29 uoluni
476.4 excitatam 18 iuſticiam
481.11 dele & 42 fidei &
482.40 præſtare
484.6.explicanda 14 pro hic, lege ſic 23 pro ea, lege hæ,præſtantiores 27 pro &, lege ut 30 dele omnia uſq; ad 34 hoc eſt ab aduerſario, uſq; ad quid ergo
489.27 aurora 28 meridiano 35 dele abolebitur
491.23 fiat
495.46 plenam
498.24 ad iudicandum 27 reprobarit & reprobet
503.33 circumiacta
505.36 annos ab ijs 37 dele,ſe 40 hunc
507.21 quibus pro quo
509.14 dele per
510.32 בריח
512.14 fungitur 23 יחגלה
513.52 attractus
516.9 habituri
520.17 ponitur 44 glorificatio
522.6 ſuum
526.8 terram
528.30 lege hic unde præſtandi legem iuſteq; agendi uim
530.40 Chriſti facti
532.2 במיקומו
533.40 dele cum 47 antea
534.38 חוזים
535.9 ſequitur
536.4 חסר 26 indicium
539.4 dele & 6 חלד וחשרי
540.8 unam quia 50 ita eos
547.18 hoc
554.13 dele unde ſuam bonis ope operibus dignitas conſtat 44 ſint
556.21 רשיעיא
559.3 pro in qua lege a
565.8 uobis 37 mortuos
566.32 סרח
568.27 ſumendæ 48 חבוא
569.15 סנסחי
573.16 pro ad,in 29 lege ארמן 45 ברב חעם
574.8 חמון 16 gnauitatem
585.2 dele merito ſanguinis Ieſu Chriſti
586.44 indicans 47 adacti
588.16 Chriſti
589.40 pro mali,lege boni 47 exiccat
590.21 conformanda
597.8 explicatione non oſtenditur quid poſsit Dominus facere neque
599.34 quidem panis
601.28 pro enim lege quidem
620.32 præſentiam
603.2 dele primo 14 animam 28 præſentati Chriſti 35 religionis & analogiæ fidei
605.29 uera iuſticia
606.24 piacularis
607.27 etiam hæc
609.3 ſuſcepti 7 fœderis quod
614.34 ſanato 42 huic pro hinc
619.12 ſciſcitandum
626.24 huic
627.19 ſummo bono
628.22 alijs
630.33 inclamamus
633.38 Epicuros
635.7 pro neq; lege At
636.36 משביר
637.24 magis propter quem ponit laborem 38 dele uini fico Euangelio
642.1. ignis 8 pro beneficia benefacta
642.23 uis
646.28 halitum
654.5 ſuis item dele ex & lege o
673.51 ferunt de
674.26 exilium 32 de eo ne
686.30 Sol Meſsias
689.10 annos anni
696.5 confundens
697.12 tacti
702.21 dele his
703.3 pro miſeræ lege Babylonis
706.34 punitæ 37 dele uim
711.11 quæ 34 uanam
712.15 dimidium
736.51 lunari

LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ IN COMMENTARIIS BORRHAI AD ESAIAM ET APOCALYPSIM OBITER EXPLICATORVM INDEX.

Genes.1, Dixit Dominus Fiat lux: & facta est. Pagina 46. uersu 34
Protulit terra herbas, frutices stirpes 388,43
Faciamus hominem 114,49 337 49
Crescite & multiplic. 309,11
Dominamini piscibus maris. 24 6
Septimo die quieuit 136,13
Et benedixit Deus diei septimo 559,28
Et inspirauit in nares eius halitum uitalem 32.30
In animam uiuentem 543,38
Hortus Eden 452,26
Eua ex Adæ latere deprompta 263 43
Hoc os ex ossibus meis 41,51
Erat serpens omnium terrestriũ bestiarũ. 65,27.247,44
Maledictus es, & super terrã gradieris 165,49 690,9 422 7
Ponam inimicitiã inter te & mulierem 380,23.688,2
Ipsum conteret caput tuum. 96,21 239,20 383,17
De terra es & in terram reuerteris 49,22 333,45 587,29 624,12 655,2
Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 57 49 246,40
Maior est iniquitas mea, quã ut ueniam merear 342,38 519,10 541,49
Animo indoluit 123,34
8. Non erant ultra aquæ super terram 135,19
Benedictus Dominus Deus Sem 198,35
Filius Cham Chus 203,5
Et apparuit iris 680,29.51,43
Habitabit Iaphetus in tabernaculis Semi 145,10 203,4 516,43
Nimrodus Babylonem condidit 168,47
Assur exiuit, & ædificauit. 222 46
Cham fœdè in Ægypto regnauit 190,41
Principiũ regni Nimrodiorũ fuit Babylon 202,52 153,7
Egredieris è terra tua 354, 26 451,24
Adorabunt te omnes fines terræ 414,50
In semine tuo benedicentur omnes gentes ibid.
Ego sum merces tua 95,19
Abraham credidit Deo, & imput. 91,47. 451,13. 529,37
Aspice in cœlum 352,43
Multiplicabo semen tuum stellis cœli 442,46
Statuam pactum meum inter me & te 357,28
Vt sim Deus seminis tui post te 358,35.269,35
In semine tuo benedicentur omnes gentes 568,39
Vtinam uiuat Ismael 206,53 574 42
Abraham angelos excepit hospitio 177,27
Puluis sum & cinis 80,6
19. Lothus prosecutus misericordia 553,3 285,49
Pluit igni & sulphure de cœlo 160,26
Per memetipsum iuraui. 169,33 415,13
In semine tuo benedicentur omnes gentes 119,5 145,11 499,19
Cedar & Habaioth filios Ismahelis 574,44
Duma inter filios Ismahelis numeratus 205,10
Epha filius Madiã fuit 574,30
Ego sum primogenitus tuus Esau 429,1
Et fleuit 332,17
Et accepit lapidem 95,11
Vidi Deum à facie ad faciem. 72 13
Catulus leonis Iuda 149 40 668,31.681,11
Non recedet sceptrum à Iuda. 119,18 134,7
Et ipse erit expectatio Gentium 453,9
¶ Exo.3. Introducam uos in terram fluctem lacte. 97,38
Ero tecum 358,24
Mitte quem missurus es. 82,27
Induratio Pharaonis 383,44
Qui fit ut cesset exactor 163,26
In hoc ipsum excitaui te, ut narretur nomen 390,27
Transiuit angelus domus signatas 285,44
Vsque primogenitum ancillæ qui est ad molam 422,25
Cùm leuasset Moses manum super mare 149,41
Exo.14. Rubrum mare exiccatur 447,37
Absorptus Pharao cum exercitu 150,1 707,34
Interdicens sanguinem uituli 570 39
Lex ad mõtem Sinam cum fragrore, fulmine, tonitruis. 448,22 452,38
Ne facito tibi simulachrum. 27 46
Ego Dominus Deus tuus. 404 19
Nec accipies munera, quia excçcant prudentes 13,50
Singulis annis ter solitus est templum 51,24
Habitabo in medio filiorum Israel 52,5
Duo Cherubim 78,37
Non uidebit me homo 79.38
Dominus Deus misericors & clemens 123,41.259,15. 298,1. 360,27. 423,45. 433,6. 523 24
¶ Odoratus est Dominus odorem suauit. 509,43
Ad expurgandam lepram. 12,9 57,24
Ne quis agrum diuersis seminibus conserat 66,16
19. Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ 67,43
Sancti estote, ut ego sanctus sum 59,44
Non pernoctet opus mercenarij 591,19
In co pore tempore luctus incisuræ fiebant 174,20
Annus edictus iubil. 587,44
Et ego recordabor fœderis mei 146,38
Terræ quoque memor ero.

594 45
Et confitebuntur iniquitatem ſuam 566,4
Cœlum ueſtrum inſtar ferri. 4 10
Immittam in uos beſtias agri. 141 1
Fugietis nemine percutiente 274 24
Tunc orabunt pro iniquitatibus ſuis 251,9
¶ Num.1. Ferentur ſacra uaſa à Leuitis 463,12
Tubarum uſus 677,21
Serpens in Arabum ſolitudine euectus 172,2
In quem intuentes ſanati ſunt à ueneno ſerpentis 148,3
Non eſt Deus quaſi homo. 525 9
Quis uiuet, cùm poſuerit ſe. 424 36
¶ Deut.4. Teſtor in uos hodie cœlum & terram 4,15
Et ſubuexit eum in excelſa terra 5,27
Nouiſsimo tempore reuerteris ad Dominum 454,25 556 42
Quæ Dominus omnibus populis qui ſub cœlo ſunt, partitus eſt 352,23
Dominum Deum tuũ ne tentato 92,35
Audi Iſrael, ut facias quæ præcepit tibi Dom. 82,51.283,20 67,30 515,19
Ama Dominum Deum tuum ex toto corde tuo 9.51
Non in ſolo pane uiuit homo 48,36
Munera ne accipito 67,42
Lex manibus alligata 303,43
Ama Dominum Deum tuum præ omnibus 663,14
Coram Domino comedetis. 603 39
Néue auri, néue argenti magnam uim 26.29
Qui repudiauerit uxorem, det illi libellum 446,9
Fructum terræ tuæ omnes latrones tuos 179,25
Afficit dementia & cæcitate. 61,43 565,16
Adducet Dominus ſuper te gẽtes de longinquo 69,36 70,10 666,45
Dabo uobis cœlum æneum. 56 8
Erit terra ueſtra deſerta 292 24 7,41 249,50
Circuncidet Dominus deus cor tuum 396,4.556,46
Egò noui rebellionem tuam, & ceruicem tuam 431,26
Congregabit te de cunctis populis 373,9
Conuertet Dominus captiuitatem tuam 461,49
Audite cœli quę loquor. 4,7
Fluat ut ros eloquium meum 410 25
Concreſcat in pluuiam doctrina mea 56,13 276,38
Sicut aquila prouocãs 690,47
Increaſſatus eſt, recalcitrauit. 291 47
Gens abſq; conſilio eſt 250,25
In gente ſtulta irritabo eos. 617 32
Deum qui te genuit, dereliquiſti 184,17
Et reſpexerunt pomam ſalutis ſuæ 6,47
Inuenit eum in terra deſerta. 5 18
Lætatus eſt Dominus de uobis benefaciens 55,22
Portauit eũ in humeris 607,51
Qui ignis ſuccenſus eſt in ira mea 587,15
In dextra eius lex ignea. 75,18 245,35
Cùm dederit tibi Dominus requiem 142,47
¶ Ioſuæ 10. Dolus Iacobi, & Gabaonitarum 429,32
Trans fluuium habitauerunt maiores ueſtri 269.39
¶ Iudic.8. Arrogãtia & ſuperbia Ephraim 122,14
Angelus in cœlum aſcendit. 75 28
Moriemur, nam Dominum uidimus 79,41
Beniamitarum calamitates, hoſpitalitas. 177,22
¶ 1.Reg.2. Qui mortuis uitam tribuit 336,34
Arcus fortium ſuperatus eſt. 70,29 439,2
Et impij in tenebris conticeſcent 553,28
Is iraſcitur, ut miſereatur. 127 44
Et egrediebatur exercitus. 574 19
Saulus parcens contra mandata dei Amalechitis 128,14
Clypeus Sauli quaſi non eſſet unctus 303.46
Reg. 7. Cùm Dominus dediſſet requiẽ undiq; 142,48
Cum peruerſis peruerteris. 608 41
Reg. 8. Inclinet corda noſtra ad ſe per ſpiritum 342,29
Impleuerat enim gloria Domini templum 74,42
Iſtud à te extructum templum conſecraui 255,36
Sareptana uidua ab Elia affecta beneficijs 553,11
Præcepi coruis ut paſcant te. 431 49
Achazus Benhado indulgens 128 15
Indixit Leui uinum 549,49
Spiritus mendax in ore falſorum uatum 678,30 273 23
Reg. 1. Elias zona pellicea accinctus fuit 200,25
Et Dominus inter eos 638,31
Deus Syriæ regem & decem tribus aduerſus illum armauit 88.10 98,25
Fecerunt malum coram domino 459,47
Et in Domino deſperauit. 131 17
Aſcẽdit Sennacherib rex Aſſyriorum 300,18
Viuite hoc anno ſegete reſtibili 276,14
Qui eſt ex omnibus dijs terrarum 298,50 253,1
Per angelum una nocte centum octoginta quinq; millia 130,25 200,7
Extendam funiculum ſuper Hieruſalem 186,45
Quod erit ſignum, me à Domino ſanandum 333,16
Refoſſa oſſa in ara Baal cremata 218,28
¶ Iobi 1. Sathã ante thronum Dei aſsiſtit 456,7
Dominus dedit, dominus abſtulit 455.52
Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi 338 34
Vita hominis, perpetua militia in terris 452,3
Baltheum Regum diſſoluit. 222 52
Scio quòd redemptor meus uiuit 243,39
Exultatio impiorũ breuis eſt 359 35
Probat me quaſi aurum. 663 24
Quiſq; carnem brachij ſui norat 126,7
Halitus uiuificabit me 102,24
Et ſpargunt nubes pluuiam. 187 46
¶ Pſal.1. Impij ſimiles ſunt paleis 68,17 279,24
Aſtiterunt reges terræ, & principes 653,48

Qui habitat in cœlo irridebit eos 101,13,187,23.405,28. 527 2
Conteres eos in uirga ferrea. 361,50.359,38. 688,14
Ego constitui regē super Sion sanctitatis meæ 540.48
Filius meus es tu 112,20
Deus est, qui improbitate non delectatur 389,45
In inferno quis celebrabit te. 282 47
Deus iustus iudex 62,32 389 45
Quid est homo, quòd memor es eius 523,30
Omnia subiecisti pedibus eius 309,3.540,29.585,17.681,5
Increpasti gentes, & periit impius 185,27
Dixit in corde suo, oblitus est Deus 38,48.593,26
Non mouebor 169,44
Parauit in iudicium thronum suum 38,52
Desiderium pauperum exaudiuit Dominus 360,29
Eloquia Domini, eloquia pura 548,3
Pluit super impios ignis & sulphur 703,38
Dominus in regia sua sancta. 74 30
In memoria æterna erit iustus 168,16
Labia nostra penes nos sunt. 546 9
Dixit insipiens in corde suo. 63,48. 266,38. 290,6.393,40
Dominus de cœlo filios hominum despexit 470,12
Pedes eorum ueloces ad effundendum sanguinem 10,39
Nō relinques animam meam in inferno 586,51
Sub umbra alarum tuarū protege 77,17
Diligo te Domine fortitudo mea 274,5.529,42. 201 18
Dolores mortis circundederunt me 467,6
Ascendit fumus in ira eius. 78,17 709,12
Misit sagittas suas, & dissipauit eos 219,44
Ego comminuo eos quasi puluerem in auras 68,18
In omnem terrā exiuit sonus eorum 77,45 194,15.345,25
Dominus Deus omnipotens templum le. 338,26
Deus Deus cur dereliquisti me 278,37.353,8.470,36. 587,21 661,13
In te Domine speraui 271,50
Ego sum uermis & non homo 359,12.170,18.466,26
Foderūt manus meas 470,40
Omnes uidentes me, subsana bunt 466,33
Conuertētur ad omnes fines terræ 119,7
Si ambulauero in medio umbræ 101,27
Leuate portæ capita uestra. 8 43
Respice me, & miserere mei. 230 34
Omnes uiæ Domini bonitas & ueritas 90,3.195,36.520,50
Non confundentur qui in te sperant 174,2.267,34
Timētibus Dominum patefit arcanum 443,8
Vnum petij à Domino 334,10
Obmutescant labia mendacis 291 6
Beati, quorum tecta sunt peccata 425,14.377,39.663,40
Verbo Domini cœli firmati sunt 667,29
Dominus dissipat cōsilia gentium 301,42.396,42.645,34
Dominus humiles spiritu saluabit 252,30
Fallax equus ad salutem, neq; liberabit quenquam robore suo 27,32
Fallax equus ad salutem 19,2
Deus iustus iudex 283,43
Ne ueniat mihi pes superbiæ. 648 37
In lumine tuo uidebimus lumen 48,52.67,9
Vidi impium fortem, & instar frondentis lauri 353,35
Semen impiorum peribit. 168,10 424,40 540,32
Mansueti hæreditabūt terram. 168,38 579,49
Mons Sion, latera Aquilonis. 166 47
Quoniam mea delicta supergressa sunt caput 6,14 551 39
Beatus qui egeni rationē habet 553,2
Mouebor in posteros annos præ lætitia 336,8
Propter te tradimur tota die morti 311.4
Astitit regina à dextris tuis. 4, 13, 25. 457, 39 517, 29. 592 19 594, 32. 654, 48. 660, 35 686 41
Speciosus forma præ filijs hominum 305,15.595,3
Diffusa est gratia in labijs tuis 503 41
Vnxit eum oleo lætitiæ 94,29 115,33.36,41.454,35.494,28. 527 9
Lingua mea uelut stilus notarij uelocis 448,16
Vnicus & pauper sum ego. 662 30
Vacillant ac titubant more ebrij 193,46
Percussit primitias omnis laboris 192,32
Impio dixit Deus, quare tu narras instituta mea 35,34
Sacrificiū laudis honorat me 152 26
Inuoca me tempore afflictionis 324,18
Miserere mei Deus pro clementia 387,34.521,51.541,51
In iniquitate genitus sum. 614 23
Lauabis me, & niuem candore superabo 12,13
Spiritus principalis, qui regio more nos munerib. 289,28 646 10
Cor contritum & concussum Deus non desp. 9,37.521,45
Cor mūdum in me crea Deus 38,44 633,3
Videbunt iusti, & super eum ridebunt 165,26
Libera me de sanguinibus. 303 33
Quum conuerterit Deus captiuitatem plebis suæ. 462 15
Quia apud Dominum misericordia 342.40
Lingua eorum gladius acutus 555,18
Omnis homo mendax 284,2
Diuitiæ si affluxerint, nolite cor apponere 26,37
Dextera tua suscepit me. 650 19
Transiuimus per ignem & aquam 691,20.707,26
Intrauerunt aquæ usque ad animam meam 371,29
Sicut deficit fumus 124,45
Ascendit in altum 92,13 120,4 294 16
Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum 254,20
Neque absorbent me in profundum 282,45
Spes mea Dominus à iuuentute mea 418,5
Vouete & reddite 197,23
Redemisti brachio tuo populum tuum 280,20

Adiuua nos Deus seruator noster 321,26
Dixi, Vos dij estis 116,10 338 14
Audiam quid loquatur in me Deus 85,5 529,41
Liberasti me ex inferno inferiore 281,44 338,34
Non est similis tibi in dijs. 352 13
Manè oratio mea perueniet. 59 25
Et brachium meum confirmabit eum 298,13
Thronus eius est sicut sol apud me 72,47
Tu contriuisti Rahab 454,19
Ego primogenitũ dabo eum altissimum 112,20
Ostende nobis faciem tuam. 543 23
Populum tuum Domine opprimunt 266,10
Intelligite insipientes in populo 266,29
Dominus scit cogitatiões hominum 524,39
Non intelligit Deus Iacob. 321 39
Quia ipse est Deus noster. 510 27
Da uictum esuriẽtibus. 551,42
Omnes dij gentium idola. 320 29
Nubes & caligo in circuitu eius 76,5
Lux orta est iusto 110,6
Initio tu terram fundasti. 348 46
Qui sanat omnes morbos tuos 308,20
Dominus in excelso habitat, & humilia respicit 542.11
Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua 353.47
Facit angelos suos spiritus. 75 24
Quoniam ipse nouit figmentum nostrum 542.9
Vinum lætificat cor hominis. 59 47
In lumine tuo uidebimus lumen 465,33
Increpauit Dominus mare rubrum 185,29
Mitte uerbum tuum, & sanabit eos 105,3
Qui bonis replet famelicos. 551 43
Dixit Dominꝰ Domino meo, Sede à dextris meis 119,40 268 20
Sede à dextris meis 82,22 367,16 464,23
Donec ponam inimicos meos 238,26
Iurauit Dominus, Tu es sacerdos in æternum 415,15
In memoria æterna erit iustus 242 18
Quid est tibi mare quod fugisti 185.37
Deus noster in cœlo, omnia. 401 4
Nisi Dominus custodierit ciuitatem 209,42
Lapis quem reprobauerunt. 169 10
Circundederunt me sicut apes 96,51
Ne auferas de ore meo uerbũ ueritatis 279,40
Lucerna pedibus meis 1,32
Non dormitabit neq; dormiet 301,22 454,14
Propter fratres meos & propinquos loquebar pacem. 117 31
Germinare ac crescere faciam. 367 48
Et elegit Dominus Sionem in habitationem sibi 187,24
Super flumina Babylonis sedimus 406,1
Quò ibo à spiritu tuo 310,25
Dirigatur oratio mea 10,4
Dominus pupillos & uiduas subleuet 11,40
Qui numerat stellarum numerum 352, 27
Velociter currit sermo eius. 439 18
¶ Prouer. 1. Initium sapientiæ timor Domini, 136,39.461,2
Ne fis sapiens in oculis tuis. 65 2
Et uia iustorũ quasi lux splendet 544,33
Et labores tui in domum alieni 549,40
Sex odio habet Dominus. 325,22 566,43
Nomen eius sapientia. 245,49
Deus possedit me in initio uiarum 425,22
Per me reges regnant 128,41 645 30
Quando præparabat cœlos. 114,37 350,47
Filius sapiẽs lætificat patrem. 270 1
Iustus fundamentum cœli. 686 2
Non proderunt diuitiæ in die ultionis 175.29
Lex sapientis fons uitæ 67,22 566 30
Diuinatio seu oraculum in labijs regis est 34,27
In multitudine populi maiestas 118,38
Qui miseretur pauperum beatus est 291,35
Via proborum, uia plana. 341 41
Absque consilio iritæ sunt cogitationes 34.41
Longe est Dominus ab impijs 10 32
Lux oculorum lætificat animam 579,41
In omni loco oculi Dei. 566,6
Cor sapiens prudenter regit os suum 290,17
Qui impium iustificat, &c. 490 37
Spiritus tristis exsiccat ossa. 589 74
Gloriam afflictio præcedit, 433 22
Turris fortissima nomen Domini 30,49.304,8
Quis possidet cor 690,26
Consilia ineũtur ab homine, sed omnes dirigit Dominus 396.36
Bonitas & fides seruant Regem 177,50
Scurram reddit uinum 60,2
Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis 554,30
Qui sequitur iustitiam & bonitatem 291,11
Non est sapientia 65,15
Pauperem ne diripe, ne'ue inopem deprime 291,16
Cùm corruerit inimicus tuus ne gaudeto 171,41
Si esurierit inimicus tuus. 551 46
Stultum etiamsi in pila pistillo, &c. 240,20
Qui festinat ditari, superueniet ei egestas 175,30
Fouea sepulchralis, insatiabilis est 62,6
Eorum lingua sanitas 555,17
¶ Eccles. 1. Omnia uana in hoc mundo 160,18
Nam in multa sapientia multum est tædium 64,42
Didici, quòd omnia opera quæ Deus fecit 393,13
Omnia tempus habent 336,16
Væ terræ, cuius rex puer est. 35 26
Qui amat periculum, in eo peribit 452,11
Dixiꝯ in corde meo, iustum & impium 322,44
Melior est sapientia cum diuitijs 58,28

Non est iustus in terra 50.1
Nescit homo amoréue an odio dignus sit 523.6
Væ terræ, cuius Princeps manè comedit 59.26
¶ Cantic. Osculo oris sui oscu labitur me 115 9
Quàm pulchra es & decora. 517.30 503.17
Oculi tui, oculi columbarum. 575 9
Fasciculus myrrhæ dilectus meus 151,43
Trahe me post te 510.4
Botrus copher dilectus meus mihi in uineis 54.41
Vineam meam non custodiui. 56 46
Nolite cogitare, quod fusca sum 186 38
Nigra sum, sed formosa 52.30
Pulcher es dilecte mi 305.21
Lectum Salomonis sexaginta milites circũspiciant 507.32
Conclusus hortus soror mea sponsa 555.38
Turris omni armatura fortiũ munita 458.37
Hortus meus cõclusus. 423,36
Quàm pulchra es amica mea. 305 21
Puellæ odore unguentorum eius current 138.48
Fauo manant labia tua. 97 42
Fauum stillat labia tua 546.3
Bibi uinum meum cum lacte meo 577.35
Quàm pulchra est amica mea. 595 2
Bibite & inebriamini 509.26
Amicus meus candidus & rubicundus 234.11
Quæsiui & non inueni eum. 457 7
Comedite & bibite, & inebriamini 456.15
Duo ubera tua 509.36
Venter tuus aceruus tritici rosis circundatus 509.39
Leua eius sub capite meo. 151.8
¶ Sap. 2. Diaboli inuidia mors intrauit in mundum. 259.28
¶ Eccles. 21. Consilium sapientis est quidam quasi fons uitæ 426.22
¶ Esdr. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus 354.52
Restituta sacra, quæ Nabuchodonosor diripuerat uasa. 406 16
Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus 407.28
Tertia aquila 679.30
¶ Esa. Filios educaui 27.14
Et erit in nouissimis diebus. 2,27 345,12 464,36 516,46 648,44
Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion 87.15
Vinea fuit dilecto meo 423.24
Quæ degenerans non bonas uuas, sed labruscas tulit. 184 34
Vidi sedentem in solio excelso 166.41
Excęca cor populi huius 440.5
Ecce uirgo concipiet 382.44
Mandabo nubibus ne pluant. 520 15 410.18
Propterea quòd abiecit populus iste aquas Siloe 318.18
Filius datus est nobis, & appellatur consiliarius 34.46
Succensa est quasi ignis. 301.43
In die illa radix Isai 187.12 195.24 569.16
Et iusticia cingulum lumborũ eius 214.4 409.38
Et requies eius in gloria est. 560 17
Spiritus Dei requiescet super eum 382.47
Spiritu oris sui interficiet impium 52.43 172.2 185.42 246.25
Haurietis aquas cum gaudio ex fonte 100,4
In cœlum ascendam, & supra astra cœli 62.28
Dominus est eis addicturus. 279 17
Afferent munus Deo exercituum 346.16
In die illa erit Iehouæ exercituum corona 346.14
Et erit quasi phytonis uox tua 414 10
Et cadet Assyrius 329.83
Et tabescet omnis militia eorum 633.28
Assyrius in Ægyptum ingressus 96.51
Remissa est culpa eius 425.18
Et posuit os meum quasi gladium acutum 649.21
Super montẽ excelsum ascende tu, qui Euangelium nuncias 675,8
Ego primus, & nouissimus. 693 21
Excitabo ab Aquilone, ueniet ab ortu Solis 710.29
Gloriam meam alteri non dabo 667.31
Cantate Domino cãticum nouum 699.32
Qui dico profundo, desolare. 421.4 702.21
Effundam aquam super sitientes 508.31
Leuabo ad gentes manum meam 25,5
Dedit mihi linguam eruditam ut sciam tempestiuè. 649.29
Bibisti de manu Domini calicem iræ eius 456.4
Gaudium & lætitia inuenietur in te 579.40
Vox speculatorum tuorum. 534 30
Quàm speciosi sunt pedes annunciantium pacem 11.16 236 27
Eo quòd crimen non fecerit. 647 43
Propter iniquitates nostras uulneratus est 7,38. 9,35
In scientia sua iustificabit seruus meus multos 216,38 286,46 303.52
Quoniam Dominus exercituum nomen eius 703.21
Relinquat impius uiam suam. 37 12
Adueniet ex Sion ille, qui liberat 45.20
Cùm uenerit sicut fluuius hostis 52.37
Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me 382.47 598 28
Quæ auris non audiuit, & oculus 114.43
¶ Hierem. Ecce ego, mitte me 82 20
Audite montes iudicium Domini 11.53
Castigabit te improbitas tua. 446 28
Duo mala facit populus meus 100 19
Foderunt sibi cisternas dissipatas 13.38
Cisternas humanarum doctrinarum fecerunt 360,18
Quoniam uerterunt mihi tergum 6.50
Frustra percussi filios uestros. 7 5
Mœchatus est ligno & lapide. 538 45
Si dimiserit uir uxorem suam. 447.28 498.14
Frons meretricis facta est tibi. 36,33 431.38
Si dimiserit uir uxorem suam. 498 14
Hierosolyma solium Domini 45.33
Laua à malicià cor tuum, &c. 11 10
Vaticinabantur mendacium.

& ſacerdotes applaudebãt. 562 41
Percuſſit eos ter de ſylua. 159.3
Perluſtrate Hieroſolymæ uicos 224.34
Prophetæ uaticinantur falſa. 254 11
Nolite cõfidere ſermoni mendaci 255.50
Miluus, turtur & ciconia obſeruat tempus 5.50
In illo die, ait Dominus, requirent oſſa Iudæ regum 218.50
Ne glorietur fortis in fortitudine ſua 129.17
Quis dabit capiti meo aquam 207 46
Simulachrorum pudebit fictores omnes 204.17
Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces 550.8
Extendam manum meam ſuper te 154.28
Fuit uir prophetans in nomine Domini 98.34
Maledictus qui fidit homini. 201 22
Maledictus qui ſpem habet in homine 284.3
Væ qui domum ſuam iniuſtè. 58 36
Regnabit & Rex, & proſperè aget 80 35
Et hoc nomen eius, quod uocabunt 16.16
Vocabitur Iehoua iuſtitia noſtra 346,13. 593,32. 663,31
Non mittebam prophetas. 213,43 343,45
Aſcendet gens contra eam ab aquilone 202.40
Cùm cœperint impleri in Babylone 223.13
Sanitatem tibi pariam 278.23
Conuerte me Domine, & conuertar 85.42
Conturbata ſunt uiſcera mea. 609 42
Qui dat Solem ad lumen diei. 591 1
Quoniam conuertam captiuitatem eorum 462.16
Ecce dies uenient, dicit Dominus 501.28
Poſt dies illos dabo legem meam 387.39
Omnes cognoſcent me, à minimo uſque ad maximum. 142 9
Percutiam cum illis nouũ fœdus 396.8
Hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael 366.5
Et ego congregabo eos de uniuerſis terris 146.45
Et dabo eis cor unum, & ani. 148 14
Scribam legem meam in pectoribus ueſtris 556.48
Verterunt mihi terga 510.8
Nouum fœdus 376.8
Date pennas Moabitæ, ut uolans egrediatur 176.34
Tuis operibus & theſauris cõfiſa es 173.30
Maledictus qui prohibet gladium 174.45
Vnuſquiſq; ad populum ſuum conuertetur 159.6
Suſcitauit Dominus ſpiritum regum Medorum 159.37
Egredimini de medio eius populus meus 159.14
Ceſſauerunt fortes Babylonis â prælio 156.16
Tempus Babylonis quaſi &c. 204 21
Cecidit, cecidit Babylon, &c. 703 2
Et reddam Babyloni & cunctis habitatoribus 155.36
Cùm compleueris legere librum iſtum 169.3
¶ Thren. Quomodo ſedet ſola ciuitas 207.21
Non eſt qui conſoletur eam. 402 22
Sedunt humi 207.34
Aperuerunt os ſuum inimici tui 208.10
Nos iniquè egimus, & rebelles fuimus 561.10
Oppoſuiſti nubem ne tranſiret oratio 403.47
Maior eſt effecta iniquitas populi mei 9.10
Velociores fuerunt perſecutores aquilis cœli 70.11.
Patres noſtri peccauerunt &c 340 25
Mulieres in Sione, uirgines in urbibus 159.35
¶ Ezech. Leo, bos, aquila & homo 77.3 285.5
Ecce uidi ſpiritum tempeſtuoſum 76.1
Nubes magna cum igne, &c. 78 39
Et à lumbis eius uſque deorſum uidi quaſi ſpeciem, &c. 500 40
Et totum corpus plenum oculis erat 76.44
Volucres aquilæ ſpecie erant. 77 3
Et ſuper fundamentum quod erat ſuper 75.5
Qui à mandatis Diuinis nuſquam deflectunt 76.29
Et manus Domini ſuper me ualida 101.33
Speculatorem te dedi domui Iſrael 204.2
Ezechiel iuſſus comedere panem ex ſtercore coctum. 200 20
Vt in præceptis meis ambuletis 255.7
Heu mihi Domine, delebis ne reliquias Iſrael 207.47
Cùm dixerint, Pax, pax, &c. 437 31
Quaſi uulpes in deſertis, &c. 56 49
Radix tua & generatio tua de terra Chanaan 537.26.
Pater tus Amorreus eſt 6.22 9 13
Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. 6, 7 122,3. 259,27. 522,47. 663,1
Et ſuſcitabit Dauid germen iuſtum 178,5
Quorum carnes ſunt, ut carnes aſinorum 201,2
Tharſus fuit negociatrix tua. 220 27
Fili hominis dic principi Tyro 222.9
Perdidiſti ſapientiam in dicere tuo 165.41
Et auferam cor lapideum de carne 255.5
Et erunt mihi populus, & ero ei Deus 329 31
Pharao rex, draco appellatur. 247 26
Et auferam cor lapideum de carne ueſtra 54.31. 387,43 431,20 431,31
Dabo uobis cor meum. 366.11 699 36
Dabo uobis ſpiritum nouum 383,4 438.50 501,43 & 556 49
Effundam ſuper uos aquam mundam 45,52 645,47
Tollam uos de gentibus 147.5
Terrâ inculta reddita eſt, ut hortus Eden 452,24
Ecce ego mittam ſpiritum, & uiuetis 383.3
Et paſtor unus erit omnium eorum 148.15
Et mittam in nos ſpiritum & uiuetis 293.30
Sepulchra in quibus Iſraelitæ iam multis ſeculis iacuerũt ſepulti 147.42
Ego tibi minitor Sidon, &c. 222 43
Et nomen ciuitatis à die, &c.

116.10 594.15
Visum de statua interpretatur. 170 44
Tempore regnorum suscitabit Deus cœli regnum 120.43
Qui transfert regna, & dat quibus uult 90.49
Ipse mutat tempora & ætates. 129.20 324.7
Tu rex regum es 153.48 355 5
Et regnum quartum erit uelut ferreum 693.31
Et regnum eius alteri populo non tradetur 311.49
Lapis Dei sine manibus humanis de mõte abscisus 256.28 578.29 685.37
Vt auream statuam adorarent impellere studuit 421.29
Ostentans sciptsum esse Deum 166 28
Et per me propositum est decretum 425.4
Mutatus est color regis. 203.11
Ea nocte Babylon capta à Dario 160.28
Interfectus est Balthasar rex. 159 39
Multa milia administrabant. 75 33
Tempus, & tempora, & dimidium temporis 223,25
Vana sapientia, quæ in cœlum &c. 425.7
Et iudicium sedebit, ut auferatur potentia 38.43
Aspiciebam donec throni positi sint 72.35
Ex abysso ac mari ascendunt. 455 21
Solium eius flammæ ignis. 111 52
Thronus eius flamma ignis. 75 19
Sermonẽ loquatur contra excelsum 323.15 507.42 546.11
Sine manu conteretur 140.15
Roborabitur fortitudo eius, & supra quam 163.43
Et finis eius uastitas 456.36
Et post hebdomadas sexaginta duas occidatur 475.7
Dimidia hebdomada 683.28
Ad finem profanationis, &c. 144 32
Tu quoq; filius eius Balthasar 157 40
Confirmabit pactum multis una hebdomada 225.32
Ciuitatem & sanctuarium dissipabit 78.18
Et ueniet tempus, quale non fuit 44.8
Omnis quicunq; inuentus fuerit scriptus in libro 45.9
Et ueniet tempus, quando ab eo, &c. 569.3
Et qui ad iusticiam eruditunt multos 166.19 649.14
Et multi ex his qui dormiunt in puluere 243.42
¶ Ose. Oseas iussus ut ex meretrice tollat prolem 200.19
Et domui Iudæ miserebor. 116 40
Et congregabuntur filij Iuda, & filij 148.16 117.47
Et saluabo eos in Deo, &c. 105 6
Et erit in die illa, dicit Dominus 498.36
Dicam non populo meo, &c. 560 15
Auferent de oue illorum nomina Baalim 462.43
Viuificat nos post biduum. 243 37
Percutiam cum eis fœdus in die illa 141.7
Et sponsabo te mihi fide, &c. 462 51
Sequar amatores meos, qui mihi panem 568.32
Meretricata est mater eorum. 498 3
Et quærent Dominum Deum suum 89.2
Quia dies multos sedebũt sine rege filij Israel 456.31
Post hæc reuertentur filij Israelis 143.21
Empta quindecim argentis. 499 50
Fornicatione, uinó, ebrietate. 60 3
Non est ueritas, non est misericordia 225.16
Misericordiam uolo, non sacrificium 9,24.262,12
Fracti sunt arcus 566.36
Omnes sunt adulteri, tãquam ardentes 537.36
Israelitæ facti sunt apud Gentes, quasi uas quod nemo expetat 463.18
Ipsi regnauerunt 121.50
Ephraim in Ægyptum reuersus 148.46
Confringat aras earum. 71.32
In gutture tuo sit tuba. 547.50
Aboletur Samariæ rex, ut spuma 81.23
Vitio inanis Israel, factum æquat sibi 56.39
Ex Ægypto uocaui filium meum 467.43
Non conuertar ut desperam Ephraim 149.20
Oleum in Ægyptum ferebant 539 7
Ventum pascere 402.47
Deus meus es tu 500.16
Ero mors tua, ô mors 172.4 492 19
Ero quasi uos Israeli. 187.32 244.45 410.27
¶ Ioel. Scindet corda uestra. 210 21
Qui dedit uobis doctorem iusticiæ 276.26
Et filios Iudæ & Hierosolymæ Græcis uendidistis 222.17
¶ Amos. Super tribus sceleribus Moab 175.42
Ob tria quatuorq; peccata nõ conuertam eam 182.32
Non faciet Dominus Iehoua. 644 602
Non est arcanum, quod Deus non patefaciat 321.21
Non faciet Dominus quicquã nisi patefecerit arcana, &c. 1 30
Percutiam domos 59.12
Nescierunt rectum facere, &c. 567 18
Quasquadrato lapide domos ædificatis 124.48
Iudicium conuertitis in absynthium 11.29
Qui suscitat uastitatem super robustum 129.21
Neque Iosephi 108.8
Mittam famem in terram, &c. 290 39
Ecce dies uenient 360.29
Ponã oculos meos super eum 36 24
Ego ponam oculos meos super eos in metu 10.26
¶ Ionæ. Ab interitu uindicati Niniuitæ 550.14
¶ Micheæ. Ascendet pandens iter ante eos 119,52 181,6
Antecedet dissipator eos, dissipabunt 237.1
Ascendit ante eos perruptos. 496 49
Qui Sionem sanguinibus & Hierosolymã iniquitate extruitis 506.11
¶ Naum. Montes commoti sunt 153.37
¶ Abac. Terrenæ diuitiq; quasi dorsum tuum 27.18
Quia tu spoliasti gentes multas 297.9
Iustus ex fide sua uiuet 590.2 705 8
Super custodia mea stabo, &c.

452 6
¶ Sopho. Tum conuertam ad populum labium 545.41
Viuo ego Dominus exercituum 177.5
Audiui opprobrium Moabitarum 178.26
¶ Aggei. Maior erit domus istius posterioris gloria. 575 32
¶ Zachar. Contritum non sanat 545.3
Quatuor fabri 507.10
Isti sunt quos misit Dominus, ut perambulent terram. 164 3
Absque muro habitabitur Hierusalem 531.48
Lauda & lætare filia Sion, &c. 135.37 145.15 162.44
Quoniam tetigit uos, tanget pupillam oculi mei 535.44 361 16
Pupillam oculi mei læsit 177 16 17
Ego ero ei murus igneus per circuitum 443.51
Lapis septem oculis ornatus. 139 9
Increpet Dominus te, qui elegit Hierusalem 185.28
Omnia in cœlo & in terra perlustrat 278.16
Gratia, gratia 503.40
Mons magnus resistit Zorobabeli 153.39
In quibus furis & falso iurantis antea uersatus fuerat. 571 33
Improbitatem super talentum plumbi sedere 6.13
Volauit & cœlum petijt, &c. 158 10
Inter feras & dracones domus ædificatur 158.24
Qui tetigit uos, tangat pupillum oculi mei 325.15
Hæc est maledictio 624.27
In cuius terra impietas mulier domum suam extruit 576 48 49
Ecce uir, oriens nomen eius. 42 42
Zelo magno prosequor Hierosolymam 182.28
Iubila filia Hierusalem, Ecce rex tuus 491.11
Ecce Rex tuus ueniet tibi iustus 238,28.364,25.466,28
Conuertam eos, quia miserebor illorum 611.12
Tu quoq; in sanguine Testamenti tui, emisisti uinctos. 511,2 586.16
Et Deus in tuba canet. 471.40
Coronæ lapides 503.48
Pastor stultus 402.1.683.10
Ex ipso angulus, ex eo clauus 507 28
Et humiliabitur superbia Assur 148.40 578.27
Ex ipso Iuda exiebatur angulus 219.38
Cornua agni, & os draconis. 11 3
Ego suscitabo peccatorem in uia 535.1
Et dispersum non quærit 347 21 22
Gladius super brachium eius, & super oculum eius dextrum 402.5
Et accepi uirgam meam, quæ uocatur iucunditas 225.28
Mi populus quid tibi feci. 12.2
Ecce ego pono Hierusalem. 231 9
Spiritus precum 140 6
In nouissimis diebus patebit fons Iacob 142.16
Et aquæ ex eo fluentes sanè spiritus sunt 437.41
In die illa confundentur Prophetæ 200.28
Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ. 146. 27 28
Mons Oliueti, super quo Dominus statutus est nouissimis, &c. 582.18
Et Dominus rex super omnẽ terram 30.25
In die illa erit Dominus unus. 462 41
Et anathema non erit amplius 506.19
¶ Malach. Si ego sum Pater, ubi est honor meus 5.10
Si ego Pater uester sum, ubi est honor 418.20
Offertis super animam meam panem pollutum 509.50
Ecce ego mitto angelum meum 340.47
Et angelus faciei eius 607.31
Accedam ad uos in iudicio, & ero testis uelox 512.6
Et angelus testamenti, quem uos expetistis 234.32
Ipse quasi ignis expleueris. 257 1
Ipse tanquam ignis conflans, & quasi herba fullonum. 706 25
Purgabit quoq; eos sicut aurum 15.15
Vobis timentibus nomen meum, &c. 553.31
Oriatur sol iusticiæ 553.30
Filios cum parentibus, per spiritum concordiæ consociat 564 18
Liberorum animos parẽtibus reconciliabit 148.29
Oritur uobis sol iusticiæ. 67.15 106 9
Vobis credentibus in Dominum 185.49
Sol iusticiæ 686.24.
Ecce ego mittam uobis Eliam 541 2
¶ Matth. Paries filium & uocabis nomen 150.37
Et uocabis nomen eius Iesum 94 17
Is saluum faciet populum suum 467.29
Nam quod in illa conceptum est 93.38
Quod in ea conceptum est, ex spiritu sancto est 581.2
Deprehensa est grauida è spiritu sancto 364.5
Natus in Bethlehem 134.23
In diebus illis accedit Iohannes Baptista 341.17
Zona pellicea 200.25
Pœnitentiam agite uitæ prioris 295.10
Progenies uiperarum 510.5
Edite fructus qui doceant pœnitentiam 342.22
Ipse baptizabit uos spiritu & igni 47.6 75.22
Cuius uentilabrum in manu eius 47.20
Et paleas comburet igni 172 14 204.25
Securis iam posita est ad radicem 63.32
Omnis arbor quæ non facit fructum 167.46
Is est filius meus dilectus, in quo 53.14 89.3
Ipsum audite 271.21
Et accessit tentator diabolus. 319 15
Iterum assumpsit illum diabolus in montem 693.10
Si adoraueris me, omnia regna 319.51
Sequimini me, faciam uos piscatores hominum 109,14
Audiens Iesum captum esse Iohannem 109.6
Beati pauperes spiritus. 139.30 230 18
Beati Ingentes 132.23
Beati mites 168.38
Vos estis lux mundi 649.32 687 2
Et ponit lucernam sub modio

dió 651.8
Non ueni ad dissoluendum legem 119.29
Sed luceat lux uestra corã hominibus 211.6 484 50
Diligite inimicos uestros, &c. 551 51
Ne reponatis uobis thesauros in terra 27.7
Sed recondite uobis thesauros 214.54
Orantes, ne garrite ut extranei 10.35
Precantes, ne sitis multiloqui. 353 6
Fiat uoluntas tua, quemadmodum 456.10
Remitte nobis debita nostra, 49 48
Quærite primùm regnum dei & iusticiam 199.3
Qua mensura metimini, &c. 297 6
Vt bona arbor bonos fructus 483 44
Cauete uerò uobis à pseudoprophetis 39.38
Stricta & angusta uia ad cœlum 236.23
Lata uia, ad exitium ducens. 281 46
Non noui uos 674.16
Qui ædificat domum supra petram 257.47
Qualis est hic, ut ei mare & uenti obediant 185.33
Multi uenient ab Oriente & Occidente 442.36
Fili Dei, uenisti ne ante tempus ad nos uexandos. 268 35 36
Quid rei nobis est tecum, fili Dei Iesu 466.14
Omnes malè habentes sanauit 467.23
Non ueni propter iustos. 397 30 31
Veni ad uocandos peccatores 527 25
Non ueni in mundum ad uocandos diuites 664.1
In uiam Gentium ne abieritis 109 45
Estote simplices sicut columbæ 575.9
Non uos estis illi loquentes, sed spiritus 4.48
Nolite curare quod loquimini 439.5
Ne metuatis uobis ab eis, qui occidunt corpus 32.5
Ne terreamini ab eis qui occidnnt corpus 102.4
Eritis odio habiti ab omnibus 634.30
Violenti rapient illud 497.8
Cæci uisum recipiunt 267.15
Et si uultis recipere, ipse est Elias 390.49
Et tu Capernaum 165.42
Gratias ago tibi Domine, Pater cœli & terræ 141.41
Nemo nouit Filium, nisi Pater 76 35
Patrem nemo nouit, nisi filius. 699 51
Venite ad me omnes, &c. 110 15
Discite à me, quòd mitis sum. 21 6
Iugum meum leue est, & onus meum 111.18
Non potest arbor bona malos fructus 395.42
Non dabitur ei signum, nisi. 92 17
Ex abundantia cordis os loquitur 36.5
Fulgebunt iusti sicut sol 278.11 579 46
Et spinæ concreuerunt cum illis 55.48
Semen autem est uerbum Dei, quod 260.47
Vobis datum est cognoscere mysteria regni 104.26
Fructum attulit centuplum. 526 36
Ad oues perditas 24.45 43 39 109.43
Omnis plantatio, quam non plant. 184.45
Caro & sanguis non reuelauit 485 504.9
Super hanc petram ædificabo Ecclesiam 184.24
Dabo tibi claues regni cœlorum 217.7
Et portæ inferi non præualebunt 236.26
Angeli, qui uident faciem Patris 607.41
Gaudent angeli super uno peccatore pœnitentiam agen. 519 19
Qui offenderit unum de pusillis istis 219,34
Sunt Eunuchi, qui se castraut propter regnum 531.1
Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia 27.5
Facilius est camelum per foramen 27.23
Amice, non facio tibi iniuriam 387 47
Multi uocati, pauci uerò electi 236.41
Dabo ei sedere mecum in solio meo 664.38
Benedictus qui uenit in nomine Domini 396.17
At agricolæ comprehensis eius seruis 82.14
Nouissimè autem misit filium suum 53.15
Nolite uocare Rabbi, &c. 195 42 43
Væ uobis scribæ & pharisæi. 37 42
Qui intus estis pleni rapina & intemperantia 550.51
Reliquistis quæ grauiora sunt Legis 57.34
Et uos implete mensuram patrum uestrorum 38.36
Ecce mitto ad uos propheras & sapientes 10.45
Quoties uolui congregare filios tuos 5.48
Sanguis iustus ueniet super nos 619 47 621.9
Relinquetur domus uestra deserta 55.33
Benedictus qui uenit in nomine Domini 674.38
Consurget gens contra gentem 673.13
Sol obtenebrabitur 157.21
Et erit afflictio magna in terra 38.25
Erit tanta afflictio, quãta non fuit ab initio 17.23 225 46
Multi pseudo prophetæ surgent 34.15
Et tunc offendentur multi. 126 5
Et abbreuiabuntur dies illi, propter electos 30.4
Cùm uideritis abominationẽ desolationis 29.10
Et frigescet charitas multorum 225.19
Prædicabitur hoc euangelium omnibus Gentibus 309,18 511 50
Quot tu es lucratus talenta. 224 a
Venite benedicti Patris mei. 291 30
Ad gloriam ab æterno electis paratam 327.43
Hospes eram, & collegistis me 177.30
Ite uos maledicti 15,37
In ignem æternum 47.27
Qui paratus est diabol. 667.39
Donec bibam uobiscum nouum in regno 456.14
Hic est sanguis noui testamenti 511,2

Hoc facite in mei commemorationem 601.44
Pater mi, si non potest transire calix iste 468.29
Pater, si fieri potest 333.12
An non putas, quòd possum rogare patrem meum, &c. 246 10
Sputo faciem eius dehonestantium 448.52
Descende de cruce, si filius Dei es 278 35
Recordati sumus, quòd impostor ille dixit 319.37
Mihi data est omnis potestas. 8 47
Euntes in mundum uniuersum prædicantes 120.33
Prædicate hoc Euangelium uniuersæ creaturæ 542.31
Qui crediderit & baptizatus fuerit 236.31 342.15 103.29 517.37
Ero uobiscum usque ad consummationem seculi 215.18 250 50
¶ Marci Pœnitentiam agite, & credite Euangelio, &c. 518 42
Ipse autem dormiebat, &c. 274 42
Qua mensura uos metimini. 202 20
Qua mensura fueritis 155.49
Oportet Christum pati & occidi 492.40
O natio incredula 440.3
Moses legislator, & Elias, uates 98.32
Vbi uermis illorum non extinguitur 165.7 450.12 587.9
Magister bone 367.30
Prætereuntes in eum conuitia iaciebant, mouentes capita. 466 34
Ite in mundum uniuersum. 650 51
¶ Lucæ. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris. 119 32
Et ipse præcedet ante illum spiritu & uirtute 340.51
Diuites dimisit inanes 173 17
Gloria in altissimis Deo, &c. 118 21
Ecce hic positus est in ruinam 102 29
Viderunt oculi mei salutare tuum 461.36
Lumen ad reuelationem gentium 366.24
Et Iesus proficiebat sapientia & ætate 139.1
Et uenit Nazareth, ubi erat nutritus 583.25
Ex eo quòd unxerit me Dominus 109.17
Non noui propter iustos, &c. 364 41
Væ uobis qui uidetis nunc, quia lugebitis 588.46
Et excitatus increpuit uētum. 512 37
Quisquis habet dabitur ei. 408 36
Nil est tectum, quod non sit detegendum 422.39
Messis copiosa est, operarij pauci 111.1
Do uobis potestatem calcandi serpentes 141.15
Nolite gaudere quòd spiritus uobis subijciuntur 356.45
Gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis 45.16 315 47
Cùm fortis armatus custodit atrium suum 307.46
Putatis quòd pacem uenerim mittere in mundum; &c. 189 26
Estote lumbis uestris cincti. 70.24 408.3
Benedictus qui uenit in nomine Domini 42.36 79.25 85.46
Ibi erit fletus & stridor dentium 332 18
Et ipse faciem suam obfirmauit, ut iret Hierosolymam. 449 18
Facite uobis amicos de Mammona 58.30
Non uenit regnum Dei cum obseruatione 197.20
Serui inutiles sumus 346.48
Qui se exaltat, humiliabitur. 421 52
Deus propitius esto mihi peccatori 364.38
Gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri 331.33 548 46
Fides tua te saluam fecit, &c. 364 48
Cùm uenerit filius hominis, reperturus ne est fidem. 145 39
Putas ne, cùm uenerit filius hominis 203.43
Homo is qui reliquerit aut parentes 12.43
Domus mea, domus orationis 532.52
Filius hominis uenit, ut seruet quod perierat 364.28
Non uidebitis me, donec dicatis, Benedictus 145 34
Super quē ceciderit lapis iste. 103 25
Erit domus uestra deserta, &c. 38 38
Dabo uobis os & sapientiam. 507 38
Cauete uobis, ne grauentur corda uestra crapula. 60 50
In patientia uestra possidebitis animas uestras 320.51
Et calcabitur Hierusalē à gentibus 583.5
Et cadent acie gladij 61.23
Filius hominis, ut decretū est, uadit 468.25
Quoniam adhuc oportet perfici in me 493.27
Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi Pater 664.27
Hoc poculum nouum Testamentum est 570.45
Qui dominantur, benefici appellantur 289.26
Sedebitis & uos super sedes duodecim 39.10
Domine, memento mei, cùm ueneris in regnum tuum. 479 51
Hodie mecum eris in paradiso 334.46
¶ Ioannis. In principio erat sermo 105.9
In quo omnia condita sunt. 115 27
Erat lux illa, lux uera 465.42
Et lux in tenebris lucet 110.5
Gloriam uelut unigeniti uidimus 43.20
Plenus gratia & ueritate, &c. 240 32
De plenitudine eius omnes nos accepimus 74.43
Qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis 114.2
In sua uenit, & sui eum non receperunt 440.3
Lex per Mosen data est 583.10
Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt 12.8
Ex Deo nati sunt 48.29
Ecce agnus Dei qui tollit peccata 471.30
Vidi spiritum descendentem quasi columbam 136.6
Aquæ in uinum conuertit. 509 27
Nisi qui natus fuerit ex aqua & spiritu 46.4
Super sedes duodecim 39.19
Ipse enarrauit nobis 114.3 4 5
Baptizātes eos in nomine Patris 517.37

Qui è terra profectus est, terrenus est 93.7
Sic Deus dilexit mundum, ut. 112 50
Vt habeat uitam æternam, &c. 627 8
Omnem copiam sine mensura accepit 581.21
Hæc est uestra condemnatio. 450 42
Omnis qui mala agit, odit lucem 65,50
Veniet hora quando ueri cultores adorabunt Patrem. 198 7
Et adorabunt in spiritu & ueritate 131.27
Aquam quam ego dedero ei, fiet in eo fons 360.39
Qui bibent ex hac aqua, quam ego dabo 152.2
Ego misi uos ad metendum, 111 3
Piscinæ aquç per angelum moueri solitæ sunt 46.26
Pater meus usque nunc operatur, & ego operor 435.43
Ego uenι in nomine Patris mei 55.42
Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me. 510 18
Opera quæ ego facio nomine Patris 449.35
Potestatem Pater dedit ei iudicandi 62.35
Est qui accusat uos Moses. 387.21 566,13
Is scripsit de me 449 39
Hæc est uoluntas Patris, qui misit me 406.28
Qui credit in me, habet uitam æternam 172.31
Spiritus est qui uiuificat. 243 12 293.31 596.36
Pater quos dedisti mihi. 104.51
Ego sum panis uitæ 10.2 261.17 510.12
Nemo uenit ad me, nisi Pater traxerit 137.15 404 3
Ad quem ibimus 486.14
Verba uitæ æternæ habes, &c. 105 52
Ego sum lux mundi 352.514.1
Qui credit in me 152.15
De uentre eius fluent aquæ. 296 37
Nondum erat Spiritus sanctus 45.1
Qui misit me uerax est. 582.34
Ego sum lux mundi 10.10 25.12 47.10 67.11 125 19 486.20 651.5 593.36
Ego quæ audiui ab eo, ea loquor 643.11
Vbi est pater tuus 152.43
Tunc cognoscetis, quòd ego sum 448.38
Si uos filius liberarit, uerè liberi estis 146,26.351,34 397 13
Non reliquit me pater 366.1
Quis me arguet de peccato. 449 43
Vos ex patre diabolo estis. 449 28
Homicida ab initio 423.43 687 33
Et in ueritate non stetit. 385.4
Qui facit peccatum, seruus est peccati 585.35
Qui ex Deo est, uerba Dei audit 509.52
Vos non auditis, quia ex Deo non estis 380.25
Neque hic peccauit, neque illius parentes 390.43
Neque cæcus, neque illius parentes 446.37
Si cæci essetis, non haberetis peccatum 110.19
Ex luto & saliua sua macerato oblenierat oculos 99.50
Nos Mosæ discipuli sumus. 267 45
Venit nox quando nemo potest operari 615.25
Ego sum ille bonus pastor. 347 10
Animam ponit pro ouibus. 492 52
Ego sum ostium 603.48
Bonus pastor est qui animam suam ponit 347.34
Oues meas nemo rapiat de manu 659.15
Fur est & latro 158.7
Oues meæ uocem meam audiunt 172.31
Mercenarius uidens lupum fugit 534,31 533.5
Si non facio opera patris mei nolite credere 449.40
Et alias oues habet qnæ non sunt de hoc ouili 109.43
Erit unum ouile 145.13 251.24 452.20
Scio quos elegerim 380.18
Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei 481.20
Potestatem habeo ponendi eam 346.31
Ego sum resurrectio & uita. 243 22
Omnis qui credit in me, non morietur 503.19
Sermo meus quem loquutus sum 210.49
Ego lux ueni in hunc mundum 553,30
Princeps mundi iam iudicatus est 451.51
Qui lotus est, nõn habet opus nisi ut pedes 460.45
Præceptum nouum do uobis. 478 45
Ego sum uia, ueritas & uita. 38 17 114.6 103.39 317.1 470.21 45.25 531,19 537,40 659.34 703.18
Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. 503 14
Pacem relinquo uobis, pacem 119.11 241.38
Venit enim princeps huius mundi 202.28 472 45
In domo Patris mei mansiones multæ sunt 296,13
Mansionem faciemus 633.14
Ego rogabo patrem, & alium consolatorem 462.26
Pater meus agricola est, &c. 199 40
Ego sum uitis noua 320.21 54.24 294.40
Quicquid nomine meo petieritis 525.20
Vt in me habeatis pacem, &c. 237 35
Non uos me elegistis 380.12
Vt quisquis interficiet uos, uideatur cultum Deo præstare 445.25
Cùm uenerit paracletus 120.15 139 39
In mundo afflictionem habebitis 585.22 51.9
Spiritus de meo accipiet & dabit nobis 195.50 571.9
Cùm uenerit spiritus arguet mundum 46.42
Bono esto animo, ego uici mũdum 345.43
Gaudebit cor uestrum 454.33
Pater sancte, serua eos per nomen tuum 472.9
Sanctifica eos per ueritatem tuam 517.2
Pater glorifica me 367.12
Nemo uenit ad me, nisi pater. 342 31
Si non abiero, consolator ille non ueniet ad uos 588.34
Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum 196.34
Et eum quem misit, Iesum Christum dominum, &c. 588 26

Vt unum ómnes sint 517.13
Sanctificabitur Deus 62.51
Et tua, mea sunt 582.38
Oro ut sint unum, sicut & nos unum sumus 324.44 357 42
Regnũ meum non est de mundo 113,2
Dominus meus & Deus meus 346.19
Sicut misit me Pater 234.33
Accipite Spiritum sanctum. 21 29,33, 46.86,8. 211,14. 217,9
Quorumcunq; remiseritis peccata 287.51 345.38
Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum 243.35
¶ Act. In nube à discipulorum conspectu subductus. 705 24
Eritis mihi testes 345.21 374 17
Visæ sunt illic dissectæ linguæ 75,23 81.20
Baptizatur unusquisque in nomine Domini 99,47.517,50
Quẽ Deus suscitat solutis doloribus mortis 471,45
Non est aliud nomen sub sole. 116,30. 152,41.298,17. 450,36
Deus qui fecit mundum. 351.4
Philippus Eunuchum baptizans 186,16
Saul Saul quid me persequeris 335,46 561.48
Ablue peccata tua 599.47
Re ipsa comperio, quòd non sit respectus personarum. 136 31
Et obstupuerunt ij, qui ex circuncisione 109.51
Viri fratres & filij Abraham. 136 25
Crediderunt quotquot ordinati erant ad uitam 315.38
Vos oportebit primùm loqui sermonem Dei 24.48
Per multas afflictiones oportet ingredi 110.41
Quid tentatis Deum 111.15
Crediderunt quotquot ordinati erant ad uitam 136,46 380.16 386.2
In quo uiuimus, sumus & mouemur 321.29 130.5
Pendebat uipera de manu beati Pauli 141.12
Cremati libri exitiales doctrinas continentes 219.12
Ego noui hoc, quòd ingressuri sunt lupi rapaces 57.1
¶ Rom. Euangelium potentia Dei est omni credenti. 343 23
Cùm se crederent esse sapientes 402.28
Propterea quòd de Deo cognosci potest 196.22
Iusticia patefit per Euãgelium ex fide 528.24
Qui genitus fuit ex semine Dauid 43.32
Sermo uerus, iuxta quem omnes uiui & mortui iudicabuntur 466.16
Ex Euangelio meo iudicabit arcana hominum 139.34
Reddet cuique pro factis suis. 621 3
Etenim quod lex præstare nõ potuit, ea parte quæ imbecillis 387.11
Ex operibus legis non iustificabitur ulla caro 483.41
Abraham pater omnium credentium 452.21
Mortuus est propter peccata nostra 663.17
Iustificati ex fide pacem habemus 23.1
Commendat charitatem suam erga nos 292.48
Cùm inimici essemus, reconciliati sumus 199.14
Quia Dominus loquutus est. 232 48
Qui traditus est propter peccata nostra 94.25
In afflictionibus apparet patientia 239,34
Siquidem cum eo patimur, & cũ eo glorificemur 451.43
Per unum hominem peccatũ in mundum 231.20
Et sic mors in omnes homines permansit 231 48
Obedientia unius iusti efficimur multi 448.43
Quemadmodũ per unius obedientiam, unius peccatores constituti fuimus 471.9 490 45
Vbi exuberauit peccatum, &c. 340 35
An ignoratis quòd quicunq; baptizati sumus 197.3
Stipendium peccati, mors est. 585 37
Itaque fratres mei, uos quoq; estis mortificati 496.24
Reperio legem uolenti mihi facere bonum 49.32
At ego carnalis sum, uenditus sub peccatum 585.32
Lex cognitio peccati 519.1
Peccatum non cognoui, nisi per legem 584.2
Execrationi est obnoxius omnis qui lege, &c. 397.27
Lex spiritus uitæ liberum me reddidit 95.45
Quòd si spiritus eius qui excitauit Iesum 49.26
Siquidem simul cum eo patimur, ut unà cum eo glorificemur 296.29
Sed & nos ipsi spiritus primitias habentes 49.5
Quos prædestinat, eos uocat. 315 31
Idem spiritus testatur 512.3
Non accepistis spiritum serui tutis 701.35
Etenim quod lex præstare nõ poterat 20.45 482.30
Habenas à iure peccati 501.42
Affectus carnis mors est, affectus spiritus uita 49.20 248 28
Ipse spiritus testimonium dat nobis 45.13
Qui non aguntur Christi spiritu, Christi non sunt 480 48 514.5
Spiritus intercedit pro nobis. 630.30 494.16
Spiritus adoptionis 531.4
Nam lex spiritus una per Iesum 50.32
Clamamus Abba pater 398.20
Quis intentabit crimina aduersus electos 327.5
Non est uolentis, neque currentis 162.6
Vasa iræ 155.43
Non omnes qui sunt ex Israel. 357 32
Ex quibus est Christus secundum carnem 346.20
Tu homo quis es, qui ex aduerso respondes Deo. 411.9
Corde creditur ad iusticiam, ore autem ad salutẽ. 316.19
Christus perfectio est Legis omni credenti 476,47 483 2
Testimonium perhibeo, quòd studium Dei habent 84.45
Quomodo credent ei de quo non audierunt 80.19
Quomodo inuocabuntur in quem non credunt 521.8
Dico igitur, Num Deus repulit populum suum 8.18
Secundum dilectionem electi 83 30
Secundum electionem gratiæ reliquiæ 87.4
Quę erit assumptio, nisi è mortuis uita 147.46
Sed & nos ipsi spiritus primitias habentes 49.5

Spiritus compunctionis.83,17
Vt eorum illum non pœniteat 609,4
Quòd si diminutio illorum diuitiæ gentium sunt 62,19 143,32 460,33
Dico igitur,Num ita impigerant,ut concidérent? absit. 93 48
Alioquin & tu occideris.79,3
Omnes concludi sub peccato ut omnium misereretur. 85 37
Reliquiæ secundum electionem 45,51
Nam si naturalibus ramis nõ pepercit Deus 249,12
Olea & oleaster 141,49
Tu cùm esses oleaster,insitus fuisti illis 516,18
Reliqui excæcati sunt 370,33
Excæcatio ex parte Israeli accidit 575,34
Aduenier ex Sion,qui liberat & auertat impietatem Iacob 674,30
Mysterium uobis dico,donec plenitudo Gentium.147,33
Cùm iudicabit Dominus occulta hominum 34,2
Plenitudo Gentium & salus Israelis 407,15 676,2
O profunditatem diuitiarum 392 3
Spe gaudentes 613,45
Ne accommodetis ad figuram huius seculi 533,8
Potestates à Deo ordinatæ sunt 297,32
Estote subditi potestatibus mundi 585,24
Nemini quicquam debeatis, nisi ut uos inuicem diligatis 481,44
Qui diligit proximum,legem expleuit 131,45.implet 532,25
Regnum Dei pax & gaudium 110 39
Minister circuncisionis 439,39
Iuxta patefactionem mysterij. 104 4
¶ 1 Corin.Quòd neminẽ baptizaui 601.33
Quæ stulta erant secundum mũdum elegit Deus 65.37
Nónne Deus infatuauit sapientiam huius mundi 191,33
Perdam sapientiam sapiẽtum. 305 36
Nam sermo crucis,ijs quidem qui pereunt, stultitia est. 454 4
Nos prædicamus Christũ crucifixum 192,48
Qui factus est nobis sapientia à Deo 137.30
Postquàm sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum 265.29
Animalis homo non percipit ea quæ sunt sp. 12.48
Nam si cognouissent,nequaquam Dominum crucifixissent 84.44
Spiritus omnia scrutatur. 264 50 659,4 666.11
Spiritualis homo omnia dijudicat 543.47
Neque auris audiuit 613.23
Quis hominum nouit ea quæ sunt hominis 47.50
Nos ad eãdem imaginẽ transformamur 515.9
Lactis potu uos alui 509.35
Quasi sapiens architectus fundamentum 34.50
Nam fundamentum nemo aliud potest 235.5
Omnia uestra sunt 605.12
Nos Christi , Christus uerò Dei 364.11
Dei ædificatio estis 590.13
Vos estis templum Dei.661.9
Quid habes quod non accepisti 509,17
Sic nos æstimet homo,ut ministros Christi 81.26
In omnibus premimur,at non anxij reddimur 354.2
Tradatur ad interitum carnis, 217 12
Precio empti estis 15.50
Transit mundi huius figura. 462 25
Hæc eratis quidem,sed abluti estis 527.29
Precio estis empti 509.16
Nobis unus est Deus 398.16
Idolum suum hominis opes, potentia, sapientia humana 361.19
Cauete ab idolis 277.28
Petra erat Christus 184.25
Hæc omnia figuræ contigerũt illis 33.10
Fidelis Deus est 354.7
Et uir gloria Dei 52.21
Fœmina uelamine contecta. 76 22
Contrà mulieri,si comata fuerit,gloriæ sit 41.11
Si nos dijudicassemus,hoc est uita nostra 295.7
Quotiescunq; comederetis panem hunc 595.52
Alios posuit Deus in Ecclesia apostolos,alios prophetas. 644 10
Etsi sumam in alimoniam omnes facultates meas 552.30
Nunc manet fides,spes,charitas 486.34
Per speciẽ in ænigmate.72.17
Qui prophetat hominibus loquitur 1.48
Edamus & bibamus 210.34
Stellis similes 166.20
Sed Deo gratia,qui dabit nobis uictoriam 493.4
Seminatur corpus animale. 282 22
Primus homo factus est in animam uiuentem 382.19
Secundus homo de cœlo cœlestis 91.12
Absorpta est mors in uictoriam 340.8
Nónne Christus resurrexit ex mortuis 645.20
Potentia peccati lex 586.4
Cùm subiecta fuerint illi omnia 367.34
¶ 2 Cor.Cingulũ fides 140.45
Quotquot sunt promissiones 95.28 441.40
Non coronantur,nisi qui legitimè certauerint 492.46
Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti.583.6
Sed cæcati sunt sensus illorum 263 52
Quòd si adhuc uelatum est nostrum Euangelium , in ijs. 402 37
Cur non potius administratio spiritus erit in gloria478.15
Vbi spiritus,ibi libertas.111.29
Num usque ad diem hodiernum 104.13
Idem uelamen in lectione ueteris testamenti 231.29
Sed externusnoster homo corrumpitur 48.22
Non reputo esse pares afflictiones 245.5
Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ 43.23
Deus est qui iussit è tenebris lucem 278.7
Eum qui non nouit peccatum 453 6
Si tamen uestiti non modò reperiamur 663.37
Vos templum Dei estis.273.33
Ecce nunc tempus acceptum, ecce nũc dies salutis.587.39
Templum Dei uos estis 52.4 317 52
Arma militiæ nostræ non carnalia sunt 345.28
Despondi uos uni marito. 325 7

In ange-

In angelum lucis 678,44
¶ Gal.1. Si angelus de cœlo aliud Euangelium prædicauerit 524,13
Nam si per legem est iustitia. 197 40
Quotquot in operibus legis sunt, maledictiõi sunt, &c. 483 42
Non amplius ego uiuo, sed uiuit 130,17
Christum induistis 521,43. 591 51
Hoc solùm cupio discere à uobis ex operibus legis 583,13
Vt fide acciperemus promissionem spiritus 21,6
ad inferni tenebris detrudit, ut in cœlum reuocet 390,14
Lex pædagogus ad Christum 387,35 70,23
Lex obnoxios reddit trãsgressores 584,6
Maledictus qui non manserit in omnibus 364,45
In semine tuo benedicẽtur omnes gentes 595,35
Concluſi in eam fidem, quæ erat reuelanda 389,21.520,3
Si lex data fuisset, quæ posset uiuificare 477,24. 487,27
Plenitudo temporis 309,13 377 7
Cùm essemus pueri, sub elemẽtis mundi eramus 496,6 584 46
Clamantẽ Abba pater 478,21
Illa quæ sursum est Hierosolyma 88,49 496,32
Filioli, uos iterum parturio. 531 6
Posteaquàm cognouistis Deũ quomodo cõuertimini denuò 585,5
¶ Epheſ.1. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu 198,44 591,39
Ante iacta fundamenta mũdi 209,48 336,38
Pignoris & arrabonis uicem præstat 95,26
Cuius ui fiunt uniuersa 170,26
Obsignati estis spiritu promissionis 545,26
Per quẽ habemus redemptionem per sanguinem 377,40
Vt essent sancti per charitatẽ 659 13
Sedere facit eum ad dexteram in cœlestibus 464,24
Cuius testimonium nõ fallit, neque fallitur 385,36
Ipsum dedit caput super omne ipsi ecclesiæ 117,46
Clamant Abba pater 532,45
Gratia estis seruati per fidem. 509 12
Ipse est, qui fecit ex utrique unum 530,29
Eratis quondam sine Christo 530 11
Ad modũ donationis 504,45
Vos non sic didicistis Christũ 22 44
Qui ascendit super omnes cœlos 74,13
Vnicuiq; data est gratia iuxta mensuram 234,44
Ne contristetis spiritũ 608,24
Quis enim oderit carnẽ & os suum? 457,16
Vt eã sanctificaret mundatam 47 33
Non est nobis lucta aduersus carnẽ & sanguinem 154,40
Galeam salutaris accipite, & gladium spiritus 438,40
Calceati ad Euangelium pacis 460 43
Super omnia assumite scutum fidei 439,21
State calceatis pedib. 200,48
¶ Philip.1. Magis necessarium est me in carne manere. 334 39
Mihi uita Christus est, & mors lucrum 554,25
Cupio dissolui, & esse cum Christo 536,51.673,2
Humilem prębuit semetipsum 296 26
Serui formam & habitum induit 439,41
Deus illum in summam extulit sublimitatem 441,38
Et donauit illi nomẽ, quod est supra omne 31,21
Cuius nomine genua flectantur 230,16
Deus est, qui agit in nobis. 12 25
Quorum deus uenter est. 454,41 534,46
¶ Coloſ. 1. Omnia per ipsum & in ipso facta 114,32
Primogenitus uniuersæ creaturæ 661,50
Placuit patri per eum reconciliari cuncta 295,40.118,4
Expoliatos principatus & potestates ostentauit 408,4
Pacificauit omnia, quæ cũ cœlis tum quæ in terris sunt. 493 1
Qui in mundum uenit, ut repararet pacem 594,13
Hæc sunt umbra rerum futurarum 2,37.9,29
Si mortui estis ab elementis mundi, quid quasi 549,17
Superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei. 539 23
Itaque si surrexistis unà cum Christo 19,31 271,24
Quandocunque Christus manifestatus fuerit uita nostra 240 44
Viscera misericordiæ 123,43
¶ 1. Theſ. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete. 137 42
2. Thes. 1. Adeò ut nos ipsi de uobis gloriemur 458,27
Adeò ut in templo Dei sedeat 166,26 422,2
Et patefactus fuerit homo ille scelerosus 29,19
Propterea mittet Deus efficaciam illusionis 542,44 678,4 6,37
Dilectionem ueritatis nõ receperunt 128,3
Se efferens supra omne quod est numen dei 62,24
Tunc patefiet iniquus ille. 140 16
Filius perditus 683,10.258,7
Violatio Euangelij 436,34
Quoniam non aduenier Dominus 8,30
Quem Dominus conficiet spiritu oris sui 408,16
Cuius aduentus est secundum operationem 695,22
Charitas ex corde puro, & fide non ficta nasci 486,18
Finis legis charitas 532,24
Vnus Deus, unus etiam sequester Dei & hominũ 494,49
Deus uult omnes homines saluos fieri 384,18
Et Adã non fuit deceptus, sed mulier seducta 40,9
De uirtutib. muliebribus 39,51
Volo mulieres esse uestitu modesto 40,30
Ecclesia Dei uiuentis columna & stabilimentum 219,27
Quomodo oporteat in domo Dei uersari 661,10
Pietas ad omnia utilis est 12,42
Spiritus certò loquitur, quòd in posterioribus temporib. 426 13
Illud scito, quòd in extremis diebus 125,29
Deum profitentur se scire, factis autem negant 255,47
Postquàm bonitas quæ erga homines apparuit, amor seruatoris 387,5

Quem

Quem cónstituit hæredem uniuersorum 492,42
Nónne omnes sunt administratorij spiritus 80,49
Hæc sunt umbra rerum futurarum 20,33
Non habemus pontificem, qui nõ possit affici sensu 467,9
Pertingens usque ad animi & spiritus diuisionem 48,10
Nam qui ingressus est requiẽ illius 10,14
Fieri non potest, ut ij qui semel fuerint illuminati 524,1
Christus per ascensum translationis suæ ab humili statu ad gloriam 74,11
Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis iuuencæ 464 46
Lex tenens umbram futurorũ 437 17
Qui conscripti sunt in cœlis. 172 22
Alij insuper lapidati, alij dissecti sunt 3,47
Accessistis ad Zion montem 88,19 251,36
Heb. 12. Vera primogenitura in Christo primogenito. 429 40
Sed accessistis ad concionem primogenitorum 700,35
Sacra ara 183,44
Qui est heri & hodie 96,17
Renati non ex semine mortali 104 49
Renati ex semine, nõ morientur 345,3
Vos estis consortes diuinæ naturæ 357,45 661,19
¶ 1. Pet. 1. Per aspersionem sanguinis Christi 464,45
Gens sancta, regale sacerdotium 700,26
Ipsi quoq; ueluti uiui lapides ædificamini 502,51
Regale sacerdotium 376,24
Vos estis gens sancta, regale sacerdotium 429,47
Vos estis regale sacerdotium. 494,22 531,52
Cùm apparabatur arca, in qua paucæ 47,34
Sed uiuificatus spiritu, in quo etiam abijt 586,46
Sicut leo rugiens 284,45
Tanquam leo rugiens obambulat 317,13
Salutat uos ea, quæ in Babylone est 160,52
¶ 2. Pet. 1. Non uoluntate hominis allata est olim prophetia 643,39
A spiritu sancto impulsi sancti prophetæ 1,37
Omnem curam in illum conjectam 219,22
Accelerantes aduentũ diei dei per quẽ cœli incensi 453,30
Cœlos nouos, & terram nouam expectamus 540,39
¶ Iacobi 1. Fidem factis perfici 484 10
Quemadmodũ corpus absque spiritu imperfectum est. 487 16
Dæmones credunt 465,32
¶ 1. Ioan. 1. Qui diligit, in lumine manet 486,11
Si dixerimus, peccatum nõ habemus 49,47
Si quis peccauerit, aduocatum habemus 495,27 494,13
Ne peccetis, & si quis peccauerit, aduocatum 523,50
Filioli mei nouissimum tempus 506 22
Qui diligit fratrem, in lumine manet 479,29
Qui diligit fratrem suũ 552,36
Qui dicit se in luce esse, fratrẽ suum odit 256,9
Vnctio docebit uos omnia. 198 22
Sicut ipsa unctio docebit uos de omnibus 288,47. 663,47
Qui oues mactat 214,14
Omnis qui natus est ex Deo 49 50
Omnis qui natus est ex deo, peccatum non committit. 392,50 524.8
Qui facit peccatum, ex diabolo est. 259,42 389,46
Qui ex illo malo erat, qui est diabolus 385,3
Qui odit, homicida est. 10,41
Charissimi nũ filij dei sumus 72 26
Scimus quòd si apparuerit, similes ei erimus 510,45
Smiles erimus ei 240,42
Exierunt ex nobis 629,40
Deus amor est 357,44. 424,24 479,12. 513,49. 6,18. 636,46 51,50 289,35
Et hoc cognoscimus in eo nos manere 45,14. 504,11
Cognoscimus nos in eo amare 517,19
In hoc cognoscimus, quoniã in eo manemus 523,11
Ex hoc cognoscimus, in eo nos, &c. 571,26
Deus charitas est 57,43 206 15
In hoc est charitas dei 292,49
Hæc est charitas Dei 356,37 380 34
In hoc apparuit charitas dei 433,10 439,48
In hoc est charitas, non quòd non dilexímus deum 525,3
In hoc apparuit charitas Dei in nobis 377,37
Omnis qui diligit, ex deo natus est 482,51
Qui sentiunt se propitium patrem habere in filio 159,24
Deum nemo uidit unquã 72,2
Qui credit in filium dei 510,22
Hæc est uictoria nostra, quæ uicit mundum 150,48 319 46
Ipse est propitiatio nostra, pro peccatis nostris 472,16
Ipsa unctio docet uos de omnibus 504,3
¶ Apoc. 1. Et lauit nos à peccatis nostris 11,5
Et fecisti nos deo nostro reges 87,31 140,24
Oculi eius ut ignis flamma. 75,17 278,52
Et uidi thronum magnum & candidum 72,36
Qui uicerit, dabo ei potestatẽ in gentes 359,39
Et scribam super eum nomen dei mei 594,18
Dignus es Domine accipere gloriam 76,42
Liber septem sigillis signatus 104 3
Vicit Leo de tribu Iuda 149,39 264,46. 284,46. 359,13
Sedens super equum album. 363 32
Stellis de cœlo cadentib. 166,5
Agnus qui in medio throni est 555,31
Et audiui numerum signatorum centum 143,38
Benedictus qui uenit in nomine Domini 249,32
Angelus abyssi 540,49
Et habebãt supra se angelum abyssi 282,52
Solue quatuor angelos 149.13
Et corpora eorum iacebunt in plateis 190,36
In cuius plateis sanctorum cadauera iacent 194,21
Ciuitatem sanctam calcabunt quadraginta duobus 223,23
Vigintiquatuor senatores sedent in conspectu dei 39,13
In cœlo facta est salus 457,23
Qui uocatur diabolus & sathã 533 31
Et eiecit serpens ex ore suo

post mulierem 149,6
Et proiectus est draco ille magnus 316,45
Et datæ sunt mulieri alæ duæ 595, 24 223,21
Et eo percutiet gentes 246,28
Mille ducentos & sexaginta dies 577,12
Agnus ab origine mundi occisus est 22,13
Et uidi bestiam ascendẽtem de terra 421,3
Et datum est ei os loquens magna 507,44
Et facit omnes, pusillos & magnos 162,26 457,43
Et data est illi potestas in omnem tribum 166,32
Ascendit ex abysso 581,19
Cecidit, cecidit Babylon magna 153,14
Et cùm accepissent librũ 368,6
Et uidi alium angelum uolantem per medium 251,39
Phialæ plenæ ira diuina ab angelo effunduntur 227,36
Magna & admirabilia sunt opera tua 229,33
Ciuitas magna Babylon 101,1
Beatus qui uigilat 240,1
Iustus es Domine 246,42
Et manducauerunt linguas suas præ dolore 36,6
Et exĩtalius equus rufus 310,1
Et uidi aliam bestiam ascẽdentem 507,50
Et uidi mulierẽ ebriã 423,46
Ascendit ex terra 422,5
Habens poculum aureum in manu sua 509,31
Decem cornibus 444,32
Et decem cornua quę uidisti in bestia 573,12
Babylon, magna meretrix. 424 2
Hi cum agno pugnabunt 35,6
Bellum aduersus agnum facere audent 325,44
Ideo in una die uenient plagæ eius 279,9 225,44
Exulta super eũ cœlum 155,10
Et sustulit unus angelus lapidem 169,7 279,4
Et flebunt illam, & plangent super 226,24
Exite ex illa populus meus, ne participes sitis 462,46
Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis 154,21
Post hęc audiui uocem magnã turbæ multæ 422,47
Væ, uæ, ciuitas illa magna. 165, 4 263,15
Cecidit Babylõ magna 312,49 421 47
Omnibus diuitijs affluens. 422 23
Et facta est habitatio dæmoniorum 160,37
Vox cytharœdorum & musicorum, & tibia canentium. 160 40
Et uidi cœlum apertum, & ecce equus albus 245,13
Cecidit Babylon ciuitas magna 572,46
Et uocatur nomen eius sermo dei 517,7
Exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis 155,27
Alleluia salus & honor 159,29
Gaudeamus & exultemus. 226 39
Rex regum, & dominus dominantium 62,22 74,35
Et apprehẽsa est bestia 421,48 158 31
Vidi bestiam & Reges terræ. 246 31
Viui coniecti sunt in stagnum 164 49
Sempiternus ignis paratus Babyloni 433,29
Ignis ardens sulphure 228,26
Et hæc est resurrectio prima 231 41
Vidi angelum descendentem de cœlo 247,8
Et iudicati sunt mortui 45, 21
Apprehendit draconem serpentem antiquum 158,33
Vidi sanctam ciuitatem 233, 46
Neque in eam intrabit quicquam immundum 258,12
Nisi qui scripti sunt in libro uitæ agni 45,10
Et sitiẽti dabo de fonte, 360,26
Nam claritas dei illuminauit eum 503,28
Ego Iohannes uidi sanctam ciuitatem 228,47
Et sustulit me spiritus in montem magnum 572,48
Et lucerna eius est agnus. 573,9 157,7
Ex utraque parte fluminis uuæ arbor 544,48
Templum illius est & agnus 195 13
Et ostendit mihi primum fluuium aquæ uiuæ 296,33

FINIS.

RERVM ET VER-
BORVM IN M. BORRHAI IN IESA-
IAM ET APOCALYPSIM IOANNIS COMMMENTARIIS MEMORABI-
LIVM INDEX.

A Κὰι ω Deus. Pagina 398 uersu 48
Abelis sanguis clamat 57 49 & 325.35 & 399 48 & 481.16
abietum allegoria 164.22
Abimelechus Gerarorum rex. 354.47 conuersus 406.21
Abiron à terra absorptus 4.30
abluendi uerbum 257.4
in Ablutione uitiorum quæ notentur 45.41
abominatio desolationis 613.5
Abraham diues & pauper 230. 26 & 192.22 & 137.46
Abraham credentium pater 452 21. ab Oriente excitatus 354 25 legem obseruauit 22.6 374.50 mendacio liberatur 430.3 integer corã Deo 480 30. nunc beatus 529.37
Abrahami iustificatio 481.16 488.22 amicitia cum Deo 357.39 semen duplex 357 30 & 322.28
Abrahami fides 557.26 hospitalitas 177.27 exemplum 451 15
Abrahami nomẽ mutatum 574 9 sapientia 425.37 fortitudo 117.7 humiliatio 80.5 peccatum 378.34 religio 399.49 sinus 442.37
Abrahamo quæ promißio facta. 229.39 304.50
ex Abrahamo cur sobolem nasci uoluerit Deus 400.22
abscondendi uerbum 265.50
absoluendi potestas quæ 214.30
in Absynthium quando uertatur iudicium 11.29
ex Abundantia nasci amorem 424 18
abyssus 228.26
abyßi angelus 679.19
accusantis legis minister Moses 387 19
accusare quõ soleat Deus 542.22
Achab rex 86.49 sepultura priuatus 67.34
Achab pœnitentia 210.20 uxor 657.13 tyrannis 273 23
Achan sacrilegus 621.39 & 181 49
Achor uallis 621.37
actionum bonarum fons 124.4
actionibus quæ salutis pars tribuatur 490.4
Adamus 473.34
Adam secundus unde genitus 382 40
Adam semper à Deo dilectus 543.3 96.20 22.8
Adami pœnitentia 342.36 sopor 263.43 casus 318 26 fuga 28.46 iustificatio 481.16 & 399.48
Adami utriusq; collatio 469.11
Adamo promißio quæ facta 229 36
Adami duo 236.8
adducendi uerbum 420.5
ἀδιάφορα 277.26
adhortationes legis 387.3
admonitionum legalium usus 389 34
adolescentia 418.7
adoptio perfecta 49.4 eius spiritus 478.16 & 483.24 477, 34. 300, 6. 389, 22. 462, 28 571,1 gratia 504,33 ius 592,31
adorare deum quid 702.10
adorari uult Babylon spiritualis 166 35
aduena 530.8
aduentus Christi 145,26. 227, 24. 232, 7. 569, 46. 674, 28 30,14
aduersarij armatura 568.14
aduersarum rerum signa 371.28
aduersariorum falsam doctrinam quis euertat 140.4 quid in eis damnetur 498.20
adulandi gestus 687.29
adulationis locus in regno Antichristi 289.17
adulatoris morsus 272.41
adulatio prophetarum falsorum 123 24
adulteria 506.6
adulterio nati 537.22
adulterij pudor 497.47
aduocati munus solius Christi 494.38 conditiones ibid.
in Ædificatione quæ considerandа 502.40
ædificium ecclesiæ 590.18
ædificia Babylonis 153.42
Ægyptus 148.7 à Deo percussa 197.42 à suis dijs nõ defensa 190.17 cur tot cladibus affecta 177.21 & 200 2
Ægyptus quomodo fœcundetur 97.5 baculus arundineus 318.45 & 412.50
Ægypti onus 188.21 & inde. periculum 173.33 superbia 454.18 quot reguli olim 189.42
Ægypto comparata ciuitas Antichristi 194.22
Ægyptum qui uexarint 191.3
Ægyptum frumento abundare 221 3
in Ægyptum qui descendant cum Iudæis 271.32
Ægyptij libidine infames 201.1 2.25, 186.6 & 206.52
Ægyptij & Israelitæ 248.49
Ægyptij Geometriæ inuentores 220.45 insectis abundant 96 59
Ægyptij dij 351.45
Ægyptiorum conuersio 406.21 deuastatio 172. 52 & 65.8 ciuilis discordia 189.18 interitus 132, 31. 372, 6 sapientia 192.18 contentio cum Scythis 192.29
Ægyptiorum regio cur umbrosa alis 186.21 Magorum patientia 405.14
Ægyptia captiuitas 459.18

ebrietas 252.13
Ægyptium auxilium 284.1
præsidium 270.47
æmulatio decem tribuum quando orta 148.10
æquandi uerbum 418.49
æquitas Dei quorsum exponenda 83.20 unde æstimanda 126.28 eius uis 220.10
æquitas iudicij 258.3
æquitatis fides 590.51
æris usus in ecclesia 578.21
æstus afflictionum 51.26 & 239 47 & inde
ætatis pœnitentia diuersa 519, 50, & inde
æternitatis pater Messias 117,22
Æthiopia quando incœpit Deum agnoscere 412.50 ab Assyrio uexata 200.2
Æthiopiæ situs 148.7
Æthiopes Ægyptum uexarunt 191.3
Æthiopum interitus 372.6 regio 186.6 cur umbrosa alis ibid.
affectiones quas mortem uocat Apostolus 385.16
affectus in pedibus notantur 76. 27 & 316.27
affectus Christi in ecclesiã 648, 35 afflicti qui 139,44. qui 291.9 & 632.34
afflictio nostra cur æquo animo ferenda 470.46 in quo considerandæ 263.3
afflictio Christi quàm latè pateat 470 34
afflictiones piorum quales 336, 43.239,24 & 456,8 quomodo Deo & satanæ tribuantur 654.30 & 331,8 cuius rei signa 327,37.15,34 afflictionis finis 261.8 gradus 123.8 breuitas 245.4 causæ 377.50 diuersitas 248.44 fornax 433 19
afflictiones unde & cur ueniant 274.49 non fortuitò 241,9. 456 3
afflictionum æstus 51.26 angustia 369.25 ignis 709.45 322, 26 aquæ 152,9. 371,38 tempus 572,21 usus 433,21. 614,13 & inde
afflictionum anathema 139.47 exitus duplex 132.21 finis 275,5.354,11. uarietas 589,21. 443,5. 637 28
Africa Hammonem colit 184.2
Afri 206.52
Agar 206.19 cuius typus 496 1
agendi uis cui ascribenda 404.5
ager diuersis semimibus non conserendus 66.16
ager ecclesiæ appellatio 410.43
agro comparatus Assyrius 130. 48
agrorum uastatio 86.24
Agesilaus 68.9
Aggæus propheta 456.29
aggregatio gentium 413.20
agnoscendi uerbum 241.56
agnus cur Pesah dictus 597.43
agnus qualis lucerna 579.9
agnus ab origine mundi occisus 694.15 fundamentum dictus 234.51 cur stans 699 17
agnus, electorum innocentia. 659 3
agni principatus 678.40 regnum 140.23 spiritus 678.25 natura, 534.47 uitia, 633.33
agni uictoria 368,46.492,34
Agni uictoris laudes 707,22. & inde.
agni ex lupis futuri 230.9. tributarij 176.18
agnorum metaphora 310.50
agnos quos uocet Isaias 63.3
agricolæ boni qui 620.21
agricolarum astrologia 426.36
agriculturæ laus 261.2. parabola 260.30
Ai urbs 132.50
Aioth urbs 132.49
alarum significatio 666.46 usus in legatis Messiæ 76,17 77 16
alas quoq; aciebus apponi 100 26
albor iustitiæ typus 245.28
Alcoranus 55,45. 563,30. 712,48 pars Antichristi 101 3
Aleph significatio 434,10 440 27
Alexander Macedo qualis aquila 666,44. 221,12. 160,42. 592,13 693,14
Alexandri magni gloria 579.24 eius munera à Phocione spreta 303 21
Alexandrinorum synagoga Hierosolymis 26,5
aliena sacra quæ 401.38
alieni uox 260,1
alienigena quis dicendus 516 24
allegoriæ 163,15
altitudo Hierosolymæ appellatio 326 11
in Alumno quid requiratur. 444 36
Amalechitæ 54,7. à Saulo uicti 128,14. à Mose,151,21 574 21
amandi Deum uim unde accipiamus 383.36
amare Christum, cuius rei opus. 481 41
Amasias & Amos reges fratres. 2 5
ambitio rerum publicarum euersionis fons 14,6 cuius hominis fructus 49.12
ambitiosi 273,8.454,43
amen uox quid significet 625.3
amici quatenus res uanæ 563,9
amicitia Dei cum Abrahamo. 357 39 & cum pijs, ibid.
amictus electorum 686.25
Ammon rex 86.49
Ammonitæ 2.25. tributarij Iudæis 5, 33. 54,7. 148,34. 574,22. à Nabuchodonosore expugnati 179.46
Ammonitarum deuastatio 172 52
amor à fide iustificante non separandus 479.7
amor Dei, nostri causa 607.43 præueniens 383,34.380,36 112,49. in fide contentus 324 45
amor Dei & proximi 302,42 & inde. noui hominis fructus 49.15 eius amplitudo 486.40 origo 486.5
amor piorum erga Ecclesiam. 636.45 ramis comparatus 590 4
amor sui, ueteris hominis fructus 49 12
amoris causa 595.4 clamor 479 50
amoris Dei magnitudo 443,40
forceps 81,38. laus 433,12

natus

natura 289 36 opera 652 30
amoris spiritus necessarius ad iustificationem 480,6. 517,17 594, 8. 614. 11. 641, 12. 482 42
amorem ex inopia nasci 424 9
amore Deum nõ carere 424.20
in Amore cerni probitatem 6.16
Amorrhæi 38.36
Amorrhæorum regnum inuadere iussus Moses 179.42
Amos propheta 2,3.91.14 121,26.171,21 contemporaneus Iesaiæ 3.41
Amos & Amasias reges fratres. 5
amplitudo Messiæ iudicis 73.8
amussis fabrilis 186.43
Anabaptistæ Monasterienses. 218.18 nobis falsò obijciuntur à Papistis 629.37
Ananias 599 43
ἀναβαπτισμός 389 14
anceps gladius cur uerbum Dei. 649 41
angelus Messias 133.33
angelus qua parte sit homo 338. 13 Iesaiæ interpres apud Matthæum 94 19
angeli boni 259.44 quomodo 392.49 Messiæ exercitus 246 9
angeli satanæ 281.33
angeli muri Ecclesiæ 95.16 cur gaudeant peccatore conuerso 519.20 quando ascendere aut descendere dicantur 612.5 cur non sedeant 664 32
angeli ministri Christi 75.32 igni comparati ibid. ad quid destinati 330.24 ubi Dei nubes fuerint 183.37 607.34 quatenus non sunt. 403.1 regnorum custodes. 297 36
angeli mensura 234.29
angeli septem 649.7
angelorum ministerium 80.45 mentes in homine 243.47 imperiũ 330.20 opera qualia 361.22 legiones 329.38 principatus & ministerium. 689 24
angelus Dei nomen quale tribuatur 116.13 elementa mundi eius subiecta 330.12
Anglia 576.18 eius martyres 325 34
angularis lapis 257.21
anima hominis 48.11
animæ facta comparat Iacob. 487.14 488.39
animam esurientium qui exhauriant 290 38
animal quomodo unum 414 27
animalium quatuor descriptio. 666 17
animalis homo quid 387.14
animantia terrestria 368.23 eorum sensus ubi in homine. 243.47 spiritus 284.28
animus prauus cæcitatis causa. 402 36
animus an celebret Deum post corporis obitum 337.45 eius aures quomodo grauẽtur 85.3 oculi. ibid.
animi in Christo afflictiones. 470 34
animi iudicium duplex 397.3 morbi sanati 467.35 uirtutes 10 30
animi, corporis, & spiritus sancti coniunctio in Christo 598.50
in animo quæ mala cernantur. 150 26
animi quando mortui dicantur. 585.47 argento comparati 15 21
animi piorum cur in cœlum euocentur 352.28 an trunci 404 6
animorum morbi unde 86.11 sordes abluendæ 11.18 renouatio 476.32 animos superbia corrumpi. 122, 28 6,29
animus placabilis Messiæ qui. 587. 34 uindicationis 311.23
Antichristus 396.47.613,5 qualis fur 604.2.447,5 hostis Ecclesiæ 83,24.263,8 bellorum author 23,15. bestia 171,4.247.31.694,18 cur mulier 712.16 cur abominatio desolationis 683.9
Antichristus fœmina dicitur. 422,18.423 50 in loco sancto sedens 29.15.330,38 cur rasum caput habeat 424 3
Antichristus Assur spiritualis. 329.1 à quo interficiendus 507,17 qualis pastor 535.4 igni perdendus 130,40. 506.21 hostis electorum Dei 368.40 tyrannus 214.12 mundi seruus 464.16
Antichristi Babylon 248.51 ichristi cum Assyrio & Babylonio collatio 317.43
Antichristi nomina 140.37. 05, 695.28 ecclesia 185.5 principes 288 4 destructio 140,16.224,15 & inde. potentia fracta à Christo. 229.28 eius regnum monti comparatum 359.45
Antichristi regnum 163.30 eius umbræ ibid. euersio 355 10
Antichristi superbia 158,11 178,31 ius in Ecclesiam 445.24 lingua 36.17 iudicium 705,20.38,41 ingenium 347.35 sedes 161, 13 655,17 eius regni tempus 684 39 369,18 plantatio 184.45 ortus & sapientia 65.24
Antichristi grassationis excrdiũ 8.22 incantatores 426.8 regnum triplex 101.1 cur Babylon dictum 421.18 eius cum ea collatio 702.15
ex Antichristi regno quomodo emigremus 462.48
Antichristi regni confusio 153 15 tyrannis 561.32 triplex corona 323.37
Antichristi arrogantia 129.36 ciuitas magna quæ 194.19
Antichristi regnum in syluam mutandum 294.43
Antichristi regni delicta 157.50
Antichristi deuastatio 156,50 203,38 297,12
Antichristi legati quales 70.32 sapientes 305.37 tempus 604,29 500,2
Antichristi aquæ turbidæ 100.16
Antichristo prædicitur interitus. 301 23
sub antichristo quæ hominum studia 2649 non omnes damnati 84.35
Antichristianæ religionis antiquitas refellitur 399.52
Antiochus 96.46
Antiochus Epiphanes 305.49
Antiochus Magnus Antichristi typus 163 40 uexat Hierosolymam 446.26 eius inte-

ritus 352.10
antiquitatis religionis testimonia 400 10
Apidis bouis templum in Ægypto 193 6
apum cibus 48,43. examina 96 49
apibus cur comparati Assyrij. 96 48
Apollonius Tyaneus 192,27
apophthegmata 163,16
Apostoli 137,47.273,25 639,44. iudices constituti 15 46
Apostoli paruuli dicti 141,44. trituratores 204,30. Seraphim 81,22. ter sanctum Messiam prædicant 77,34 quales præfecti 578,44. principes 287,43. Christi testes 374.17.683,17. quo usi in docendo ordine 386,3. quo usi pane & poculo sacro. 596,48. ad quos mittantur 334,31 muri Ecclesiæ 595,17 fundamenta 234,51 alienigenæ 575,29 ex Israelitis delecti 131,37.516,14 quales iudices 33,50
Apostoli xii stellis comparati. 686 50
Apostolorum fortitudo 117.8 prædicatio ubi cœperit 345. 16 mos in docendo 42,30. os 439,10 religio 399,51
Apostolorum corpora insepulta quid notent 684.32
Apostolis datus spiritus 293,32
aqua munda 147,14.645.49 tepida 662,13. aduersarum rerum signum 371,29
aquæ lustralis aspersio 464,38
aquæ uiuæ fluuius 235,39.152, 2,14. Euangelicæ 508,39. 316,37. cœlestes 73,40 salutares 100,5.437,38
aquæ diuini spiritus 11,6.296,35
aquæ in sanguinem uersæ 684.18
aquarum translatio 19.1 duo genera 236.12
aquis maritimis scientia Domini comparata 142.1
aquis impuris delectantur impij. 379 41
aquis gentes notari 648.44
aquilæ significatio 666,40.285,5
aquilæ comparata hostium celeritas 70.9
aquilæ tria capita 679,30.161,21
aquilæ comparatus Romanus dux aduersus Iudæos 77,4
aquilæ diuina cura comparata. 690 47
Aquilarum senectus 353.45
Ar Moabitarũ metropolis 173,36
ara igni conspicua in templo 81.32
ara suffitoria 676.45
de Ara quis ignis exeat 706.21
Arabia Petræa 368.27
Arabiæ onus 205.39
Arabes Æthiopibus uicini 186,6 206,52. Messiam agnituri 574 20
Arabum regio cur umbrosa alis. 186,20. solitudines 206.5
Aram filius Sem 181.34
aranearum telæ 563.36
Aratus à Paulo citatus 66.50
arbitri conditiones 494.38
arbitrium seruum peccati 256.39
arbor ciuitatis cœlestis 235.51
arbor uitalis Christus 653.15
arboris simile 274 31
arbori comparati Israelitæ 87.33 pij 16,37.68,21.167,48
arborum ætas longa 626.45 figura 576.34 fructus unde laudentur 179.32
arborum fructiferarum duo genera 236.13
arborum simile 328.29
arborum procerarum comparatio 133.28
arborariorũ astrologia 426.36
arca Testamenti 686.8
arcanum nihil celat Ecclesiã Christus 79.31
arcanorum Dei patefactio 1.30
in Arcanis Dei patefaciendis qui ordo seruetur 643.33
Archangeli buccina 340.6
architecti Ecclesiæ qui 34.49
arcus cœlestis 500.39
arcus bellicus Messias 219,41
arcus nomine reliqua arma intellecta 70.26 similitudo 566.38
arcus fœderis 51.40
areæ metaphora 204.22
super Arenam qui ædificẽt 258.10
Aretes Arabiæ Petrææ rex 176.26
Argentum quomodo purificetur 15 24
argentum & aurum ponderari solita 305.28
argenti non unum genus 236.14
arguere mundum de peccato, Legis munus 451.43
aridis locis comparati electi. 379 42
Ariel quid 261.43
arietum metaphora 310.51
arioli qui 34,25.425,3. eorũ prædictiones uanæ 405.15
Aristotelica schola 26.11
Arithmeticæ notitia clari Sidonij 220 44
arma Euangelij 238.40
armorum diuersitas 506.45
armorum domus Hierosolymis. 209 26
armis quibus propagetur Euangelium 140.27
armatorum luctus 174.23
Arnon fluuius 176.22
Aroer urbs 173,37.181,52
arrabonis spiritus testimonium. 501 4
arrogantiæ sedes 129.15
articuli cum Symbolo Apostolico pugnantes 216.43
artes Antichristi 129.49
artium inuentio Deo adscribenda 261,4. perfectio 484.39
arundo quassata 364.40
aruspices Babylonij 157,44 426 3
aruum simile 304.3
ascendere quæ dicantur 611.48
ascendere, pro crescere 293.24 pro euanescere 68.39
ascendendi uerbum 19,43 90,34.311,13 317,45
Asiæ Christiani 161,3. idololatria 401,52. milites sub Vespasiano 69.22
Asianorum synagoga Hierosolymis 26.5
Asiaticæ Ecclesiæ 651.16
asinus quale animal 3.42
asini & bouis significatio 296.42
aspectus sensus 288,36
aspis perniciosior serpẽte 171.48
aspidum oua 563.27
aspergendi uerbum 464.37
ascensus Christi in cœlum 120.3
assimulandi uerbum 418.48
Assur Antichristus dictus 148.48
Assur condidit Niniuem 221.46 hostis Israelitarum 127.27 uirga iræ diuinæ 456.6
Assuris libido in populum Dei. 459 44
Assyria Babylonia dicta 154.2
Assyria captiuitas 454.18

Assyrius 80,10.248,50 279,27. uastator 297.17 ab angelo percussus 173.2 cur Hierosolymam oppugnarit 318,16.396,45.262,27 183 12
Assyrij deletio 279.15 profligatio ante Hierosolymã 262.47 uitia 325.25
Assyrij & Babylonij cum Antichristo collatio 8,4.317,48
Assyrij 54,8.206,51.2,25 idololatræ 121.13 propria sapientia euersi 65.11 noctu ab angelo percußi 173.33 apibus comparati 96.48 191.3 sub iugum Euangelij mittendi 148.38
Assyrij Antichristi typus 3.5
Assyriorum cædes ad Hierosolymam 185,45.284,41 330,4.3,39. monarchiæ interitus 238.32
Assyriorum regum sedes Babylonem translata 170.34
astare Seraphim angelorum est. 76 10
Astarotis idolum 540.1
astrorum scientia quæ laudata. 426 34
ex Astris futura prædicentes. 399 20
astrologia Babyloniorum 425.2 quæ eius pars damnata 426.18
astrologi Babylonij 157.44 426 24
Astronomiæ dediti Sidonij 220 44
Athenienses cur Protagoræ librũ cremarint 219.16
Athletarum mos 462.36
atrij templi figura 682.37
Atropos una Parcarum 335.16
auaritia 26.31 rerumpublicarum euersionis fons 146 scelerum fons 125.39
auaritiæ crimen 68.7 labrusca 58.16 descriptio 302.51 malum 543.51
auarum non sanari pecunia, sed irritari 27.27
auari aliorum animam exhaurire ut dicantur 290.20
auarorum arma 290.41 ingenium 273,3.454,39
aucupum metaphora 355.13
audire & surdescere, ubi non pugnent 267.21
auditus 288.37
Auentinus mons Romæ 691.46
augures Babyloniorum 426.1
Augustinus 398.11 mendacio liberat Rebeccam, Iacobum & Abrahamum 430.3
Augustini locus 429.12
Augustus Cæsar 312.2 sub eo qualis pax 23.9
auicularum stridor 129.33
auis ab Oriente, Cyrus 420.1
aues immundæ quæ 311.36
auium cibus 48.43
aures animi quomodo grauentur 85.3 quæ commendentur 303 30
aures surdas Meßias sanat 316.24
aurum quomodo purificetur. 15 24
auri duo genera 236.14 puritas quid notet 235,35. 663 12
auro sancti comparati 263,23 158 43
Auster 201.48
Austri regina 186.12
Azabel 182.34
Azarus rex Iudæ 3.26
Azotum Palæstinæ urbs 200.9
azymalia Iudæorum festa 9.48

B

Baal idolum 218,25.498,40 540,1 655,38
Babylon ciuitas 96.42 magna 684 49
Babylon Ægypti 161.7
Babylon cur destruenda 164.19 173.33 577.46
Babylon stellæ Veneris comparata 165,30 & inde. cur fœmina dicta 423.50 mare 201.33 triturata palea 204.25 cur mons & profundum 405,42.153,27 abyssus 421,4.406,6. scortum 657.42 mater idololatriæ 402.1 confusionis 408 38
Babylon spiritualis 2.40
Babylonis supplicij causæ 423.12 delicta 157.50 interitus 159.18 utriusque collatio 421,5. et inde. bona 408.40
Babylonis nomen Roma 161.11 sæuum imperium 202.43 ortus ex terra 362.2 euersio 356,27 372,9
Babylonis cuius ecclesiam dicat Petrus 160 25.
Babylonis superbia 166.12 uaria improbitas 157.34 idololatria 354 42 onus 153.12 201.20 seruitus 422.24 situs 405.50 diuitiæ 408.30 potentia 375.37 crimina 160,11 & inde per totum. 424,42.410,47.455,33. 238 10
in Babylonem cur furor diuinus peruenerit 158.38
Babylone utrum Darius an Cyrus regnarit 160.5
Babylonius 60,26.279,17 396 45
Babylonij 2,25.54,8.3,5 Ægyptum uexarunt 191.3 euersi 65,11.206,51
Babyloniorum magorum sapientia 405.14 deorum infirmitas 414 43
Babylonium imperium 170.48 exilium 86.28
Babylonij regni origo 455.21 splendor 153,52.120,45
Babyloniæ captiuitatis umbra. 459 30
Bachus 698.20
baculus arundineus 318.45 panis 33.20
Balach rex Moabitarum 180.33
balantum natura 347.42
balborum lingua 289.12
balenæ marinæ 247.25
Balthasar Nabuchodonosoris F. 163.22 interfectus 160,2. 352.10 eius superbia 157.40 interitus 203.9
balthei militaris signum 70,22 408 1
baptismus cur lauacrum regenerationis dictus 397,44 341,24
baptismi uotum 197.2 usus 601 51
barbæ allegoria 97.22
Barcosba 55.50
Basanis locus 301.6
Basanitidis regionis situs 30.38
basiliscus pernicioßior serpente. 171 48
beatitudo nostra quæ 515.7 fidei & operib. promissa 490.4
beati qui 704.30 eorum status 281 41
Belæ mors 311.8
Beelzebub appellatus Christus. 466 49

bellum Agni aduersus Antichristum 35.7
belli autor 410,14.318,16
bella mouentium crudelitas 24.35
bellorũ discrimen 608,50.604,39
bellicosus, Meßiæ epitheton. 368 52
Belus à Babylonijs cultus 157,35 402.2 417.5
benedicere pro maledicere 620.12
benedictio 198.41 duplex 623.3 cœlestis 591,37 quæ in ea considerandaibid. 42,380,9
benedictionis uerbum 328.10
benefacere, proprium Dei opus. 14.41 259.16
beneficia Dei quæ 521,12 259 23
beneficorum reliquiæ 556.4
benefacta ad quid salutaria. 179,29.483,35. cur uocẽtur iusticia 553,49.485,12
benefici 289.27
bencmerendi studiũ de omnibus. 179 24
Bẽhadus Syriæ rex captus 128.15
Beniamensis tribus reprehensio. 253.51 2.21
Berosus citatur 157,35.330,11
bestia qualis Antichristus 694.18 698.31 à Meßia uincenda 246 29
bestia quæ nocentißimum habeat morsum 272.40 quibus 141,1 376
bestiæ carmen 368.30 doctrina 701.9
bestiam adorare qui dicantur. 696 23
bestiarum duarũ collatio 696.36 698 11
Bethlehemæ natus Meßias 134.23
Bileam propheta 174.38 405.17 an uera prædixerit 362,24 424.35
bibere sanguinem Christi qui dicantur 596.38
binarius numerus 434.11
blandiendi ars in sapiente 687.39
blasphemia Romanorum 692.7
blasphemantium Deum exitus. 330 29
Bonifacius III Pontifex Romanus 694.31
Bonifacij VIII res gestæ 694.50
boni quomodo boni 380.46 291 10
bonorum et malorum unum principium 259.47 utroq; ferri uoluntarie 389.3
bonis delectatur Deus 595.13
bonum qui dicant malum 64.3
bonum quomodo amplexatur uoluntas nostra 395.14
in Bonum quibus cedant omnia 391 3
bona cœlestia quomodo percipiantur 12.39
bona duplicia 489.49 expetenda quæ 616.43
bonitas diuina 84,8.89,30 169,45.351,33. causa mũdi conditi 259,31.391,39 542,12. in quo rata 511.30 331.1 eius laus 522.6 præstantia 523,42.511,45
bonitas, noui hominis fructus. 49.15 uerè quæ 344.11 eius gloria patri filioq; tributa 367.26
bonitatis paternæ gloria 439.48
de M. Borrhai scriptis quibus iudicare permissum 430.21
botri suaues Ecclesiæ 54.37
bos 285.6 quale animal 5.42
boui syluestri comparata Ecclesia 457.1
boum cibus 48.43
Bozræ situs 311,1. & inde.
brachiũ Domini Meßias 465.39 463.26 pijs salutare, impijs letale 280,19.346,28
bruchorum simile 298.42
brutum quomodo sit homo 338 13
bubalis qui similes 327.26
bubones 311.36
buccimæ Moseæ 547.50
buxeæ tabulæ 272.23

C

Cabala uera 236,18.526,38 406 34
Cabalistica doctrina 515.39
cadauera unde Hebraicè dicta. 330 30
cadauera hæreticorum quomodo tractanda 218.23
Cæsares Romani 78.9 à Papa dementati 167,2.691,48
Cæsarea Philippi 108,38. ibid.
Cain 80,10.248,49.385,3 185.3 eius familia diluuio deleta 8,14.375,5.396,45 fuga 28.46 idololatria 401.50 interitus 168.12 luctus 210,20 pœnitentia 342,34.541,46 tremor 633 5
Cairus Ægypti urbs olim Babylon dicta 161.9
calamus quassatus quid 364.30
calami Nilotici 191.12
calamitates futuræ à Deo prædictæ 374,35.121,31.673,17
calamitates per se non probari Deo 436.36
per Calamitates cum pijs Deus est 372,45 374,47
de Calamitatibus expostulant impij cum Deo 410,52.451,35
calculus cãdidus Christus 656.28
Caleb quomodo integer coram Deo 480.31
caliginis ratio 107.38
Caligula 372.14
calix furoris 231.9 aureus 193 18
callis nomine lex dicta 239.7
calores æstiui 187.29
calcis simile 301.50
caluitium probro datum 41.7
Candace regina Æthiopiæ 186.25
candelabrum Christus 139.10
candelabra duo 683.48. septẽ 649.9 651.2
candor, iustitiæ typus 245.28
canendi ars à Deo profecta 60.18
canes muti qui 534.33
canum adulatio 687.49 metaphora 123,24 natura 534.47 uitia 633.33
canibus uenaticis comparati tyranni 457.3
canticum nouum 368,1.699 32
Capernaum 165.42
caph litera 129.29
capilli capitis numerati 393.16
capillorum detonsio 210.16 ornamentum 41.18
Capitolinus mons Romæ 691.46
captiuorũ numerus sub Tito 61.24 miseria 422.36 liberatio sub Meßia 584.13
captiuitatis Babyloniæ causa. 436 32
captiuitatum autor 410.15 terminus & finis 223.20
caput mentis sedes 40,24. 454 37
caput ecclesiæ Christus 115,36. 117,46 215,48
caput Israelitarum percussum. 7 17

capitis allegoria 97,22. 648,4
capitis rasi in Antichristo causa 424 3
caput mouere, quorum gestus. 325 9
capite tonderi quale signum 174 12
carbo ardens quid 81.14
carbunculi gemmæ natura 503.32
carcer 228.27 duplex 587 26. 586,13
carceris et inferni discrimẽ 587.6
carcinomata terræ qui dicendi 13 49
cardinales 39.29
Carethus fluuius 328.13
Carmelus mons Galileæ 130, 50. 266,41 326,9
carmina Israelitarum 150.2
caro Christi quomodo cibus noster 508,36. 596,33. 268 16
carnis nomine quid intelligatur. 388 39
carnis ortus & uanitas 284.25 propinquitas 552,43.418, 33 sapientia 137.36 eius uiam deserere quid 521.41
carnis & spiritus bellũ 49,41. 50 21
Carolus Magnus Francorum rex 693 49
carpentarij simile 391.48
Carthago Tyri colonia 221.28 à Vandalis occupata 693,46
casæ & tugurij similitudo 8.10
castigatio ecclesiæ Dei 129 4.123,2. 182,38. non perpetua 15,3.149,24 propriè quid 469,33. 239 24
casu nihil fieri 393.27
casuum similiũ recordatio 25,24
καταχθόνιοι dij 401.40
catenæ 442.10
καθέδρα 44.36
καθηγήτης quid 195.43
catuli 71.7
caudæ figura 687.39
caudis metaphora 133.45
causæ errorum 567.5
causarum secundariarum incertitudo 393,8.375,13
Cedar Ismaelis F. 205,41. 574 44
Cedarenorum fuga 206.3
cedri Libani 326,5. 313,39. 164 22
cedris qui comparati 266,40. 133 32
κίλινδμα 180.9
Centurionis de Christo confessio 449 45
ceræ simile 327.48
ceremoniæ Mosaicæ 20.31 un de petentur 3.20 earum nucleus 9.23 cultus 591.11 finis 21.31
Cerinthus hæreticus 651.51
ceruorum simile 315.52 natura 316.3
ceruicis neruus ferreus 431.50
Cethuræ filij 574.29
ceti marini 247.25
Chaldæi astrologi 25.44 diuinatores 157,45.426,3
Chaldæorum idololatria 157.36 269.38 regnum diuisum 159.48 à quo conditum 222.48 caput, Babylon 153 52
Cham 279.16 eius Ecclesia 185.4 fœdum Ægypti regnum 190,42.192,30 idololatria 401,51
Chamos Moabitarum deus 173 44 178.23
Chanaan Cham filius 194.35 200,1.222,39 279,27
Chananæa 323.42
Chananæa cœlestis regni imago. 190.47 deleta 184.8 146.37 cur Domini terra appellata 162.47
Chananeæ postrema deuastatio. 7.44 292.23
Chananeæ gentes quando maledictioni destinatæ 382.32 situs 206,49 560,16
Chananeæ terræ typus 147.36
Chananæi 54,7.210,11 248,49 grandine oppressi 259.6 263.7
Chananæorũ extirpatio 53.47 352 9
Chananæa mulier 136.34
charitas prima quæ 652.9
charitas, bonarum actionum fons 225.20 finis legis 532.24 quomodo maior fide 486.35
charitatis intermissio 483.31 diuersa munera 553.13
charitatis origo 486.4 uis 478 42
charitatis humanæ & diuinæ discrimen 552,23
Cherubim Mosæi 77.18 324.2 188.34
Cherubim & Seraphim cur alati 420 3
Cherubim nomine quid intelligatur 75.39
Chiliastæ 228,13.675,18
Christus cur missus 189.29 216,36 439.40
Christus cur præcipuè in mũdum uenerit 467,26.551,47 596 3
Christus quomodo nobis natus intelligatur 112.23 illuminet omnem hominẽ 466.5 intercedit pro Ecclesia 494,6 495.38 in quibus utuat 510.25 amet electos 497.26
Christus quomodo habeat spiritũ sanctũ 504.43 liberè probus 392.46 unde conceptus 364.3 cognoscatur 137.22 386,3.473,31. quando & ubi passus 685,12. & inde 468.30 cur senserit afflictiones 470.44 quomodo deglutiuerit mortem. 231.35 exaltetur 298.34 præsens in Ecclesia 651.29
Christus ubi uelatus 20.34
Christus cœlestis Adam 383 15 aduocatus 494.42
Christus qualis agnus 471.29 altare 533.13 ara 676. 46 bonum 515.22 calculus candidus 656.28 candelabrum 139.10 caput Ecclesiæ 215,48 632,14 cœlestis Cyrus 710.20 cœlestis Dauid 268.21 Deus 314,18 95.5 Mosæ & prophetarum finis 3,23.17,35 fœdus 366.17 fons 296.37 frater noster 117.29 fundamentum salutis 388.7 nouus homo 198,10.647,36 Iehoua dictus 116.30 Messias 409.24 impostor dictus 319.37 electorum iustitia 344,20.453,4 476,40 & inde. 593.49 605 28
Christus quomodo iustus 491 10. angularis lapis 219.39 502.43 531.43
Christus bifariàm legis impletio. 483.7 476.50

manna occultum 656.10 medicus 278,20.583,47 mensura 348.23 murus igneus 31.3 nobis omnia 130.18 pastor 63.7 petra 184,16.280,10 præceptor & imperator 512.29 presbyter 172.12 primitiæ dormientium 645.18 primogenitus creaturæ 661.50 ex mortuis 645.18 princeps pacis 118.1 regum 645.29 promißionum scopus 95.28 rex & sacerdos 494.29 ros 410.28 sanctus Israelis 183.38 sapientia Dei 397.31 137.31 seruator credẽtium 195.45 signum 93.43 sol iustitiæ 278.13 spoliator fortis 408.36 stultitia. 265.40.264, 38 surculus 466,20 testis Dei patris 511.47 uerbum 544.40 uictima 472.40

Christi non esse, quid 331,43 497 33

Christi nomine qui censeantur. 398 10

Christi aducẽtus 227,24.674,28 mos in docendo 42.30 autoritas 438.50 caro 268.16 eadem frui ad uitam æternam quid 664,21. conceptio 43,28.268,6. conditio in mundo 370.16 cor perfectum 331.39 diuinitas 115, 24. 143.6. 196,36. 346,20. doctrinæ & Papæ collatio 695.30

Christi doctor Pater 448.35 Ecclesia 185.4 functio 209.40 imperium in omnia 492.8 innocentia 473.19 & inde. iudicium 38.16 labor 377.18 lætitia 110.37 lex 366.6 mors uoluntaria 468.26 quibus salutaris 472.12 munus 189.29 94.48 duæ naturæ 94.11 cum Ecclesia necessitudo 151 47.241,31. cum Esaia comparatio 286.27 duplicia nomina 112,15.230,15. 230,51.422,50 ortus 93,34 133,44. patientia 471.9 potentia 245.12 prædicationis exordiũ 109.1 præsentia 250,51.598,40 an ubique eadem 602.26 pulchritudo 595,5. regnum 118.43 æternum 312.22 differt à mundanis 24.19 à multis contemnitur 99.46 369.18 sacerdotium 216,10 cum Aaronis collatum 493, 35 & inde. sedes 655.22 sepulchrum 473.11 soboles 475.22 solium 119.21

Christi species 403.18 spiritus 387.49 splendor solaris 650.2 status duplex 142,51.463,44 tempora 403.38 thronus 73.4 119.36 uictoriæ 408,10 471,45.493,2 uocationis amplitudo 438.11 usus 94,20 & inde.

Christo cur iudicandi potestas commissa 648,10.415,28 quæ Dommo, conuiciatores ademerint 466.42

Christum quomodo nobis proponant sacræ literæ 271,27 535 45

Christum induere 458,1.592,1 658 51

Christum ignorantes mortui. 84 47

Christum quomodo uiderint discipuli, Act. 1. & Stephanus. 74 20

ad Christum qui ueniant 588.42 extra eum an electio 385.29

Christo impios non uesci 596.13

à Christo proficisci fidem 558 37

in Christo quæ duo consideranda 101 22

in Christo quæ tria 81.51 598.16 in eo resideat spiritus 136.7 quàm latè pateat afflictio 470.34

Christianorum per Asiam dispersio 161,3.5,& inde.

Christianæ & Israelitæ Ecclesiæ differentia 217.16

chrystalli lapidis claritas 503.29

Chus Chami F. 199.52

ciborum discrimen 96.15

cibus cicadarum 48.43

ciconiarum cibus ibid.

Cilices mercatores Tyri 220.26

Cilicum mare 220.22 synagoga Hierosolymis 26.5

cinctus iustitiæ & fidei 140.42

cinctus significatio 214.3

cinerem pascere quid 402.45

cingulum Meßiæ fides 140.45 647 44

cingulum pro robore 41.3

circumcisio cordis 373.11

circumcisio fœdus Domini dicta. 597.42 ubi abrogata 531 26

circumcisionis minister 439.39 typus 209.22

circumcisi corde 140,34 144 11

Cithim Iauan F. 31,8.220,33

Cithim urbs Cypri 220.30

cithara ludẽtium simile 280.48

citharæ sonus 180.15

cinis Euangelicus 465.2

ciues regni Meßiæ 22.29

ciuium Ecclesiæ infirmitas 300.33 potentia 113.6 prudentia 288.26 tranquillitatis laus 288 7

ciuium proborũ & improborum collatio 302.23

ciuitas aduersarij 506.7 Dei quæ 412,35.661,28. 458 8

ciuitas Ecclesiæ quomodo instauranda 502.36 electorum 149.28 uanitatis 225.51 Meßiæ 233.41

ciuitates à Deo constitui 691.36

ciuitates mundi quatuor 194.10 quinta Antichristi ibid.

ciuilis discordiæ mala 125.48 gubernationis miseria 41.20 societatis conseruatio 551.17

ciuilem potestatem non abrogat Euangelium 217.49

clamor oppressorum 58.8

Claria oracula 362.17

claui typus 219.21

claui tabernaculorum 306.33

clauis Dauid quæ 659.37

claues Euangelij 236,28. inferni & mortis 650,47.678,7

clauium potestas 216.26 typus 214 22

clementia Dei 259,38.297,50 quando sentiatur 298.2

clementiæ Dei opera 162.13 bonũ 206,12. magnitudo 523.27

cocci ruboſi cõparata uitia 12.6

cæcantes causæ 402.35

cæcationis Iudæorũ tẽpus 264.8

cæcitas pœna Israelitarũ 61.44

cæcus à natiuitate 99.50

cæci qui 366.28

Cœlius mons Romæ 691.46
cœlum æneum 56.9
cœlum cur apertum 245.21 clauſum 684 7 cur conditũ 351.27 diuinitatis ſedes 453,40. 532,4. Dei ſolium 631.10 Meßiæ 73.23 ubi rectorem ſuum audiat. 4 25
cœlum cur reſpiciant arbores. 328 35
cœlum & terra cur in teſtimoniũ uocentur 4,4. & inde
cœli Chriſti latitudo 19,35. firmitas 453,33. naturalis & diuini collatio 73,31. mutatio 23,38. ros 410,21 ſignificationes 166.3
cœlo infernus oppoſitus 167,12
in Cœlum non niſi per crucem intrari 451.37
in Cœlo qualis ignis Deus 427.3 Chriſti poteſtas 512.38 præſentia 602.46
cœli nutu Dei conditi 435,5 noui 625.46
cœli & terræ comparatio 525 42
cœlorum complicatio 309.34 nomen 71.30
cœna Dominica qui optimè utantur 601.23
cœna ſpiritualis 664,20 595 49
de Cœna Domini diſſidium quale 627 45
cœtus quos ferat Deus 10.16
cognitio Dei 504.6
cognitio Dei triplex 196.19 Meßiæ 476.15
cogitandi uis cui aſcribenda. 404 5
cogitationes Deum celare uolunt ſtulti 266,28
cogitationum diuinarum & humanarum diſcrimen 524.38
colles qui 369.38
colles mundi ſapientiæ comparati 18 33
colligere pro auferre 42.10 554 17
collum Eccleſiæ 458.37
collyrium 663.45
columborum ſimile 575.5 ſimplicitas 429,33. uox 335 27
columella 260.39
columna nubis 51.48
columna qualis Eccleſiæ 661.9
columnæ ſimile 680.42
commiſcendi uerbum 122.43
communicatio corporis & ſanguinis Chriſti 596.21
communio omnium inter Chriſtũ & Eccleſiam 241.31
conceptus Chriſti 93,36.115,29
conciones unde incipiendæ 385 49
concionatorum munus 705.48
concordia fidelium cum Deo. 118 27
concludere ſub peccatum 390.31
concupiſcendi uerbum 633.46 362 41
condemnare munus Euangelij. 310,39 542,22
condemnatio impiorum 450.41
condemnationis Chriſti author. 449 27
condemnantis legis miniſter Moſes 387.19
condendi ratio 348.41
Conditoris omnium uis an in idolis 401.21
condialia Iudæorum feſta 9.48
confeßio libera 566,2. uera 564,48 398,9
confluendi uerbum 18.47
confundendi uerbum 122,43 189 46
congregatio Iſraelitarum 373.10
coniugium Chriſti & Eccleſiæ. 592 23
conſcientia gentilium 350.16
conſcientiæ neruus 641.40
conſecrationis uerba 597.29 uotum 197.2
conſeruandi uerbum 441.7
conſilij boni utilitas 34.40
conſilij ſpiritus 645,10.138,1
cõſilio Dei omnia euenire 393,25
conſilia auarorum 290.43 Dei inſcrutabilia 392,1. irreluctabilia 375.12
conſilia quæ diſſipet Dominus. 283.39 266.5
conſiliorum occultorum materia 318,25. honeſtorum laus 290 48
conſiliariorum mundi & Meßiæ differentia 115.11
conſiliarius Meßiæ appellatio. 114 45
conſolatio Hieroſolymæ 297.4
conſolationes mundi & ſacri ſpiritus 462,22
conſolator ſpiritus ſanctus 343.20
conſolatorij loci 650.18
conſopiendi uerbum 336.31
Conſtantinopolis 170,41. eius regnum 679.31
Conſtantinus Imperator 576.5 455 27
conſtringendi uerbum 422.30
conſummationis uox 131.39
conſules Romani 691.48
contemptio Dei cuius fructus. 49,12 210,24
contemplationis gloria 240.41
conterendi uerbum 474.4
de Contingentia rerum, quæſtio ſoluitur 393.4
contundendi uerbum 474.4
conturbandi uerbum 455.17
conuentus tubarum clangore conuocari ſoliti 10.16
conuerſio Sienis 461.38
conuerſionis ad Deum ratio 518.8
conuicia quæ in Chriſtum iacta. 466 35
in Conuiuijs Domini opera celebranda 59.31
cor ſedes arrogantiæ 129.15
cor carneum 453,52.387,43 contritum quod 541.44
cor Iſraelitarum percuſſum 7,17
cor lapideum 54,32.255,6 nouum 699,37 perfectum 331,36. præcipuè 84,20 ſapiens 290.16
cordis circunciſio 144,15 palpatio 203,23
in Corde contrito quæ ſpectentur 521 46
Cornelius centurio 136,34
cornu metaphora 53.28
corona pro regno 251,50
coronæ lapides 503.49
coronæ piorum 667.22
corporis, animi, & ſpiritus ſancti coniunctio in Chriſto 598,50
corporis Chriſti afflictiones 470 36. cum pane ſimilitudo 599 8
corporis humani præſtantia. 338 15
corpori fides comparata 487,13 488 39
in Corpore quæ mala cernantur. 150 27
corpora impiorum qualia futura 282,20. ſanctorum reſurrectio 243.30
corporum morbi unde 816,1 qualis

qualis post reuiuificationē ſtatus 244.10 & inde
corporata corporatè intelligenda 2 44
corrigendi uerbum 22.42
corroborandi uerbum 303.38
cortices duo nucis 261.20
corui 311.36
à Crapula cauendum 225.50
craſſa Minerua, prouerb. 84.19
creationis opus 380,6
creaturæ rationales an liberæ. 396,32. Dei participes. 504 22
creaturarum officia 130.3
credentium requies 143.11
in Credentibus quomodo præſens Chriſtus 602.34
crimen iniquorum iudicū duplex. 126 34
crimina quorum expientur 211.51
critici dies 426.37
Crœſi opes 408.30
crudelitas Babyloniorum 157 46
crux Chriſti cuius opus 472.30 eius cauſa duplex 492.35 forma contempta 466.26 uſus 467.17 ſtatus 142.51 uis 265.43 uſus præcipuus 468 19
crux cur caſtigatio pacis 469.26 cur inuenta 493.8 quid electis 261.30
crucis formæ 377.25 ignominia quatenus probetur Deo. 390.11 lignum cur fœlix dictum 475.25 mors 472.4 myſterium 443.6 opprobrium 469.10 commendatio 469.18 torcular 492.25 uſus 242.42 372,43. 614,13. 632,44
crucis & gloriæ uires 359.29
in Cruce quæ cogitanda 451.35
ex cryſtallo diuimantes 158.3
Cteſiphon Parthorum regio. 160 46
cubili comparata Eccleſia 507.35
cultus millenarius 274.2
culpæ autor 389.44
cultus Dei ſub Meßia 306.17 uerus 179,23. 349,2. 350,38. 437,31 ubi cernatur 6,33. 195,26. in quib. conſiſtat 367,6. eius pars præcipua 152.25
cultus Dei qui idololatricus 65.21 externus quando prohibetur. 9 21
crimimum quomodo uerberatur. 260 36
Curius Dentatus 63,10
currendi uerbum 516.45
currus ignei 638.30
curruum rotæ 70.38
curuandi uerbum 415.24
Cydareni Iſraelitæ 205.40
Cyprus inſula 220.30
Cyrene 181.45
Cyrenenſium ſynagoga Hieroſolymis 26.5
Cyrbareſa urbs 179.2
Cyrus Perſarum rex Meßiæ nomine appellatus 93,23,27,12 155,22. 361,50. 375,34 406,49. aquila dictus. 666,43. paſtor 406.24 φιλανθρωπότατος 407,47. unde excitatus 354,27. eius excitati cauſæ 408.50 159 42
Cyri confeßio de nutu diuino. 407,26. felicitas 407,21 figura 575,26. uictoria & gratitudo in Deum 354,51 de eius morte diſſenſio ſcriptorum 407,47. narratio Ioſephi 406.13

D

Dacia 576,18
dæmones 281,33. 312,47
Dæmones ne an mortui reſpondeant 106.33
dæmones qua poteſtate noceant homimib. 362,27. execrantur nomen Dei 338,32. genua flexuri Meßiæ 417.10 qualia prædixerint 362.17
dæmonum fides 112,35. 479,26 doctrinæ 426.11
dæmonum reſponſis dediti Iſraelitæ 25,37. tremor 633,6 uox ſubmiſſa 414.9
Damaſcum Iudæi abducti 88.13
Damaſci urbis antiquitas 181.30
Damaſcenorum deuaſtatio 173.1
damnationis miniſterio cur fungatur Lex 387.20
damulis comparati Babyloniſ. 159 1
Daniel 456,28. ſpeculator 203 50
Danielis humiliatio 80,6. uaticinium 78,17. quid ei uiſo angelo acciderit 650,16.1,14 à Daniele confuſi Babyloniſ. 405 15
Darius Medus 160,2. 155,22 Perſa 160,3. ſocer Cyri 159 47
Dathan abſorptus à terra 429
Dauid 137,47. 261,51. 543,5 eius clauis quæ 659,38. 329,32 cur beatus 329,40. integer coram Deo 480.31
Dauid nouus ſiue tertius refutatur 268,2. 106,22. 214,46
Dauidis caſus 318.26 fides 557.30 fortitudo 117.8 ieiunium 550.13 iuſtificatio 481,19 perſecutio 322.29 pœnitentia 342.36 oratio 522,21. pſalmi 150,7 regnum 151,31 quando ludæi aſpernati ſint 99,24 ſolium occupat Meßias 119,16 ſtirps 668.32
Dauides tres ſtatuere quantus error 314.30
Dauidicos falſò nobis obijci à Papiſtis 629.37
debita exigere an prohibitū 551.12 cum Debitoribus quomodo agendum 555.7
Deboræ hymnus 150.5
Decalogi doctrina 20.36. duo munera 21.37
decem tribuum regnum 121, 43 & inde.
decemuiri Romani 691.48
decor Dei 313.44
decorandi uerbū 408.18. 517,27
decreta Dei 131,4. de ærumnis ſuorum 374,44. inductabilia 375.12
decreta Pontificum 55.45
decretorum æquitas unde eſtimanda 126.28
decretorum Dei liber magnus. 98,3 neceßitas 170.23
Dedan nepos Chus 205.44
defectionis perfidia 100,9 eam deplorat Eccleſia 371.4
deficiendi uerbum 566.19
defuncti euocati è ſepulchro num reſponſa reddant 106.33
degeneres liberi 272.32
Delia oracula 362.17
delictorum onus 6.14 remißio 337 23
Delphica oracula 362.17
delubra 183.51
Democritus 192.26

Demetrius Cynicus 68.9
denarius numerus 274,28. 127,23. 274,28. 666,19
finis numerorum 137,45. 654 37
deſcendendi uerbum 270,46. 311,11 in malam partem. 421 45
deſcenſus Dei 278,39. 310,22
deſcenſus Meßiæ qualis 247.16
deſertum Eccleſiæ 360.41 Ior danis 341.15
deſertum mare Babylon 201.41
deſiderandi uerbum 313.9
deſolatio Iudææ 86.21
Deus α & ω 398.48
Deus primus & nouiſſimus. 355,26. 374,23. 644,44
biſariàm uidetur 72.2 à ſe ipſo qualis 434.9 quomodo uerus cognoſcatur 625.7 nomine Meßiæ inuocandus. 152.32 in nulla imagine 349,40. 361,22. 351.2
Deus pater quomodo nobis Immanuel 102.12 qualis doctor 443.35 amore non caret 424.20 quos amet 446.32 quomodo appellandus 371.21 cur uiuens dicatur 321.28 uiuorum deus 335.6 quomodo dicatur procul uenire 278,29 & unde. ſurgere 301.9 matri comparatus 417,43. bonorum & malorum author. 259.48 regnorum author. 297.29 excæcationis cauſa 83,23.402,35 non author peccati 389.50 an errorũ cauſa 510.35 interitus impiorum autor 383,49
Deus ſcelerum uindex 122,32
Deus bonus, ſed etiam iuſtus 174,46. 392,44 cur ignis 73.51 qualis ignis in orco & cœlo 427.3 iuſtificator noſter 476.6 iuſtus iudex 283.43 electorum etiam erratium Deus 293.7 merces piorum 510.41 non mutabilis 331.12 parens Iſraelitarum 5.8 piorum uita 529,35.329,8 ipſa ueritas 566 50
Deus quomodo unus 424.22 ubiq; & nuſquam 612.2 nobis præſens 323,25 an habeat rationem perſonarum 332.21 quot modis glorificetur in electis 373.34
Deus quando iuret 169,32 415.10 caſtiget 197,43. 127.37 liberè agere dicatur 396.28 cum ſuis ſemper 372,35.682,3 unde locutus in promulgatione legis. 431 quomodo planè laudetur 338.23 quantum permittat ſatanæ 327.32 quàm graue onus gerat 418 23. Sioni iratus 457.14
Dei æquitas 83.20 amor erga nos 112,49.302.42 cuius cauſa 607.43 amicus paternus in Iſraelitas 83.33 beneficia quæ 521.12. bonitas 169,45.391,35 clementia 14.39 cogitationum differentia ab humanis. 524.37 cognitio triplex 196,19 523,4
Dei conſilio & propoſito omnia fieri 392.30
Dei cultus in quibus conſiſtet. 195.26 cura 353.17 deſcriptio 399,6.541,19
Dei faciem uidere qui dicti 9.49
Dei cum prophetis familiaritas 321.20 fauore electos anteuerti 409.19 filij qui 104.46. fœdus cum Iſraelitis 323.41 gaudium & triſtitia 123.33 gloria 332.9 gradus in manifeſtandis conſilijs ſuis 428.26 habitatio in afflictis 632 34 hæreditas 423.19 iuſtitia quæ 295,20.412,23 irati manus graues 241.24 natura 523.21 tria nomina 14.33 etiam filio tributa 116.4 notitia uera 394.27 eius nutu omnia teneri 185.32
Dei obliuio quantum ſcelus. 184.14. Dei opificis laus 348.34. opus proprium & alienum 259,10. 310,45. 391,30. ordo in quibus operibus ſuis parãdis ſeruat 390.6
Dei patris clementia 586.39 diuinitas 374 18 potentia 332,47. 348,5. 375.2. 411,14 351,46
Dei prænotione omnia fieri 170.5 proceſſus in iuſtificatione hominis 386,23 prouidentia 326.26 ſententiæ aut minæ non omnes immutabiles 331.11
Dei ſermo quis dictus 605.36 ſimilitudo 418.46 ſtudium in conſeruandis electis 637.20
Dei iram fides cohibet 248.24
Dei quomodo dicamur eſſe 199.6
Dei & parentum collatio 5.11
Deo acceptæ referendæ calamitates 455.51 tributi oculi 324.22 afflictiones 654.30 honor detractus 430.31
Deo quomodo ſuũ detur 540.13 neminem placere ſine fide. 292.51 quæ probetur fides 480.41 cor contritum 521 45
Deo quandiu careant electi 293.3
Deum latere qui putent facta ſua 266 5
Deum ſeruatorem agnoſcere unde naſcatur 374,32.196,20
Deum noſtrum Deum eſſe fide accipiendum 457,13
Deum quomodo referant principes 128.17 quatenus noſcant gentes 350.25
Deum in creaturis inuocare, idololatriam 401.31
Deum qui tentent 92.36 quando amplectamur 183.26 ex mundo pellere 424.50 uidere quid 334,7.608,40
Deum ſpiritu coli 349.2
ad Deum per quem aſcendamus 286 4
in Deum an cadat ſimulatio 384 25. perfidi auari 303.4
per Deum qui iurent 415.40 quomodo peccent impij. 392 26
à Deo docti qui 503.45
à Deo quomodo percuſſus Chriſtus 468.30
à Deo omnem ſalutem proficiſci. 432 13
à Deo uocari 213.45 quando & quomodo amemur 383.14 cur fiant omnia 328,25 208 40
cum Deo quomodo unum reddamur 514.4
de Deo gentium doctrina 513.9
de Deo confeßio piorum 409.41
ex Deo qui ſint 315,37 491 18
in Deo iurare 624.35

dij qui 115.41 quomodo nos simus 515.23
dij alieni quatenus dij 419.16 non ueri 625.12 in mortuis numerati 105,49 simulachra dicti 401,46
dij gentiũ uani 349,33.320,27 quando ueraces 373,51 pondere suo grauant iumenta. 417.30 Romæ culti 698.18
dij tenebrarum 31.48
deorum alienorum cultus diuersi. 538.49 fiducia uana 89.17 ruina 361.40 appellatio 338.14 imbecillitas 351.43 uanitas 355.32 tituli 402.48
deos alienos qui colant 67.31
dextera potentiæ diuinæ 19.32
dextræ Meßiæ significatio 648. 49
dextera patris 119,38.598,10
ad Dextram qui declinant à uia Euangelij 276.46
diabolus primus homicida 13,13 draco & serpens dictus 687, 16 eius potentia ibid. quando præuaricari cœperit. 259,44.22.9 quibus uictus 451 51
diaboli sapientia 65.27
diademata multa in capite Meßiæ 245 36
διασπορά 441.8
Dibon urbs 173.43
dictatores Romani 691.48
diducendi uerbum 404.50
diei Domini spacia 32.44
diei opera 615.20
dies creationis sex 136.12
dies Ezechiæ prolongati 332,26
dies nouißimi qui 134.37 patefacti filij hominis, qui 365. 27 ultionis 156.4
dierum nomen 223.27
dierum MCCLX tempus. 688.38 interpretatio 683.26
dierum numero quid indicetur. 654 40
diffidentiæ fiais 390.35
sub Diffidentia Deus concludit. 390 31
digitum extendere quid 555.5
digiti ad quid in manu collocati. 28 28
digitis imprimentium notas memorabiles, mores 443.45
dignitas quomodo Deo tribuatur 667 5
dilectio Dei præueniens 356.34
diluuium 4.25
Dimnon aqua 175.41
Diocletianus Antichristi typus. 163,40.247,33.372,14. 396,46. 647,2. 654,1. 502 27
Diodori Siculi locus 153.43
διοτρεφεῖς reges 128.26
direptio Babylonis 408.29 duplex 370.42
discalceatio 200.44
discipulorum reprehensio 562.31
discordia tẽporibus Meßiæ quanta 189.25
dispensatio Euangelij 573.42
dispensatores Dei Apostoli 18.27 corũ officiũ 386,30.444,37
disponendi uerbũ 349.19
dissecandi uerbum 553.22
dissensionũ quomodo autor Christus 189.32
dißidijs secta membra Ecclesiæ. 126 13
diuinitas Dei patris 374.18 Meßiæ 276.28 quando manifestata 499,8, & inde
diuinitatis notitia propria 361.6 testimonia 399.15
diuina natura in Christo 94.12
diuina uis an in idolis aliqua 401 18
diuinæ naturæ an totius reddamur participes 504.38
diui quatenus non sint 403.1 cur sancti dicantur 708.28
diuorum opera qualia 361.22 signa uana 405.10 diuitiæ unde dictæ 175.20 luto comparatæ 27.18 sapientũ 68.35
diuitiarum mala 175.26
diuites 230.14 quos amet Christus ibidem & inde
diuites spiritu infelices 139.31 573 20
diuitum reprehensio 662.26
diuinandi artes 425.2 superstitio 537.20 copia in Babylone 157.43
diuinatiõib. dediti Israelitæ 25.37
diuinatores in Papatu 158.1
docendi authoritas in Christo. 438,50. 493,43 ordo qui Apostolis usitatus 386.3
doctrina Dei duplex 183.27 collata cũ Antichristo 695.30
doctrina Euangelij 310.35
doctrina falsa laqueis & reti comparata 457.4. uera 105.50 qua armatus Christus 649.31
doctrinæ cœlestis diuisio 106.11 falsæ incommoda 106.7 ebrietas 252.12 reprehensio 562.34 pernicies 414.14 euersio 140.4
doctrinæ nostræ Euangelicæ concordia 627,50. & inde
doctrinæ & pluuiæ similitudo. 276 36
doctrinæ sacræ usus 505.35 corruptus ab impijs 6.29
in Doctrina fidei errantes quomodo tractandi 216.32
doctrinam non personam docentem esse respiciendam 210.46
doctrinarum antiquitas collata. 628.8 humanarum aquæ. 508 46
doctor Ecclesiæ Meßias 276.24
doctores cæci 534.1
doctores Ecclesiæ 195.48 Euangelij 131.37 quales præfecti 578.44
doctores falsi 105,49.269,6 uitio originis depraui 378, 41 qui uitia reprehendere posßint 80.12
doctores trituratores 204.30
doctorum Antichristi sapientia. 425.7 silentium 129.46 auaritia 290.33 defectio ab Antichristo 330.40 confusio 405.18 doctrina perniciosa 414.15
doctorum legis officium 339.20 improborum reprehensio. 211.2 562.31
doctorum nomine qui indigni. 38.3 studia 14.27
dormire quando dicatur Deus. 454 13
Dodanim Iauan F. 31.8
Dodonæa responsa 105.30
dolor & labor, impiorum exitus. 451 1
dolores qui à Christo sanati. 468 7
doli duplices, boni & mali. 429 29
Dominus exercituum quis 8.41 102.9 quomodo castiget. 123.1. sæuus dictus 156.34 quomodo extollatur 275.28 stare aut sedere dictus 668.43 per quos locutus iustitiam.

414,28. ubiq; prædicandum 368,15. suorũ salus 298,18.
Domini amplificatio 527,32
Domini os locutum esse qui uideant 343,26
Dominum qui tentent 92,42
dominatus Dei 14,33. Messiæ 113 11
Dominicus dies 647,17
Dominicus monachus 398,11
Domitianus 247,33,396,46. 654,1,693,14. Antichristi typus 163,40. 502,26
domus Dei 531,40. Ecclesia 52 3
domus splendidæ 305,30
domus syluæ Hierosolymis 209,27
domorum ædificandarum luxus 58,36 59
domuum uastatio 86,23
domesticæ gubernationis miseria 41 19
donaria gentilium 350,9
draco 710,31. seductor 316,42. eius mendax lingua 507 40. odium in Christũ 638,3 regnum 158,13. sermo 455 39. 695 20
draconis in terrã proiectio 690 10 eius ira, inde. dracones marini 247,5 & inde
ducis officio Messias fungitur 512 11
Duma Ismaelis F. 205,10
Dumæ onus 204,43
duodenarius munerus 235,4 675 42
duplicia accipere 340,23
duricies cordis 430,50,431,23

E

EBrietas 67,35 eius labrusca 59,22. uitium 252,3. causa ibid. mala 60,4 & inde
ebrijs comparati sapientes Aegyptiorum 193,20
ebriosi gentium idolis comparati 60 12
ecce uocis uis 70,12
Ecclesia sanctorum 707,2. proba 392,49. uera 400,19. deserta à Christo 500,22. cur ex multis membris constanda 19,27. inexpugnabilis 173 19. quibus medijs ad salutem pertingat 340,41
Ecclesia defectionem suam deplorat 371,4. unde constet 519 83. meretrix facta 13,30
Ecclesia gentium, benedictionis Semi particeps 198,38. in quanto precio corã Deo 372 23. 453,46. per quem profanata 78,50. nouo nomine dicta 594,16. 79,7
Ecclesia ædificiorum 590,15 ager 410,43. ciuitas 502 36. ciuitas Dei 661,30. Christi corpus 647,27. cubile 507 35 gloria Christi 52,19 columna ueritatis 661,10. mõs Dei 141,6. 485,16. scortũ 473,48. sponsa 592,18. tẽplum Dei 532,38. & 632 21. urbs iusticiæ 16,11
Ecclesia argento comparata 15 28 mulieri 686,21 tentorijs 497,12 uiro 457,1
Ecclesiæ amplitudo 491,22 angustia 321,12. calamitas 203,19. triplex captiuitas 459,20. caput 215,48. castigatio 249,1. casus 272 16. cogitatio in cruce 353,13. cum Messia commutio 325 12. confessio 470,1. consolatio 339,40. 353,1. 423,37 custodia 595,16 & inde. de generatio 56,30 desertum 360,41. d. gutas 235,22. dilatatio 248,38. duritiæ 654 14. doctores 195,48. exiliũ 292,6. extructio 235,1. duplex fames 33,30. forma 186, 37. fundamẽtum 256,34. gladius in quos stringẽdus 217,2. hæreditas 452,31 hostes 88 21. interni & externi 182 20. iugum 457,40 & inde. labores 162,22. liberatio 568 35 maritus 325,5. nati. 444 39. ouibus comparati 470,3 nutritij 577,46. partus 636 5 pedes 648,38. pulchritudo 595,5 querela 443,16. cum Deo reditus in gratiam 250, 2 reparatio 314,2. 407,12 625,45. reuerentia 444,50 salus 328,45. & 444,13 securitas 296,21. sol. 686, 29. stabilitas 640,30. duplex status 495,51. 253,5 stultitia sub Antichristo 250, 27 tempestas 502,23. tentatio 445,10. uestitus 663,29 74, 42. 646, 29. locatio 451 27
Ecclesiam quomodo excoluerit Deus 54,17. non possunt expugnare hostes 88,50. an sine causa uexet Antichristus 460 2. amat Christus 497,26. à quibus purget eam 277,16. regat 258,7
extra Ecclesiã nulla remissio peccatorum 340,15. noster in eam ingressus 603,50. cum Christo communio 241,31
Ecclesia an potuerit carere Christus 473,33. in ea quæ quærenda 570,23
Ecclesiastici tyranni 39,34
Ecclesiasticorum iudicum crimina 126,45
Ecclesiasticæ gubernationis calamitas 41,20
Echo quid & cur à Pythagoreis culta 398.50
Eden hortus 452,24
educationis diuinæ cura 5,16
efficientium causarum excellentia 484,18
effrons quis dicatur 431,34
effundendi uerbum 493,21
Elamitæ Persæ 148,7. 202,34
Eleazar Abrahami seruus Damascenus 181,33
electio 45,9. 659,8. sanctitate 380,29 extra Christum nulla 385,29. eius donum spiritus 327,10. gratia 292,43 locus 356,36. usus, ibidem
electionis gratia qui sint Dei 199 8. 386 6
electionem nihil reddit irritum 358 1
de Electione extra Christũ non loquendum 385,38
electores 696,37
electus Dei quomodo Messias 363 38
electum an se quis reddat 380,28
electi 140,34. 476,27. 569,2 579,51. 373,29. Christi nomine censendi 398,10. recti dicti 379,30 cur uexentur calamitatibus 436,40
electi finis & fundamentum omnium 442,49. oues 348,2 per quem iurent 415,39 spolijs comparati 403,45 uasis 463,14. stellis 166,18. 442 45. quibus armis oppugnentur 320,10. quibus bonis ornentur 613,25. Dei nomine di-

cti 373,26. Deo placeat 293,1. in infernum descendent 338,33. 385,33.381 25. quo sole uestiantur 686,25. quomodo deserantur 328,22. unde habeant spiritum 364,8. labantur 391,8. castigentur 423,18. in reges ungantur 494,20. amentur à Christo 497,25. ut iudices sedent 664,33

electorum bono liberationem differri 369,31. carcer 587 13. casus 318,23. conscientijs quomodo sedeat Antichristus 422,2. conseruatio 673,49. 328,15. dignitas 400,28. excæcatio 84,11. amplitudo 491 22

Electorum Ecclesia hæreditas Dei 423,19. error 136 50. gloria 310,17. odia inter se 634,49

electorũ pauci an plures 236,41

electorum pax 547,20. principatus 585,20. probatio 433,27. redemptio 370,4. reliquiæ 44,11. salus 429,49. quàm firma 500,50. studia 376 sapientia 137,29. testimonium de religionis ueritate 400,10. timor qualis 300 4. dignitas 571,24. uictoria in tentationibus 612, 37. uox quæ 357,6. uulnera quis sanet 278,21

electis quantum nocere posit satan 327,32. Christi mors salutaris 472,12

electos à Deo gestari 417,51

electos sine Deo esse, electos nunquam sine Deo esse 199,9 & inde. fauore Dei anteuerti 409,19

electos numerari cuius rei signum 674,17. nunquam deseri à Deo 595,26. diligi semper 384,39

electos & seruitutis & redemptionis tempus habere 606, 15. quis seruet in tentationibus 336.3

propter electos omnia fieri 409, 5 (36

in electis quid agat Christus 558,

elementa mundi 371,27. ceremoniarum materia 3,20. angelis subiecta 330,12. 584,52. eorum ratio habita in uouendo olim 197, 30

elementis mundi quæ annumerentur 376,50

Eliacimus dispensator 212,22

Elias 58,1. 121,26. Messiæ testis 98,32. irridet falsos prophetas 165,28. uerbo sustentatus 328,13

Eliæ spiritus 344,27. qui eo præditi 341,7

Eliæ uirtute præditus Ioannes 340 50

Eliæ zona pellicea 200,24

Elisæus 121,26. quomodo sustentatus 328,13. eius clamor 58,1

Elissa Iauan F. 31,8

Elohim 371,47

eloquentia 35,12

eloquentiæ Messiæ uis 448,12

eluuionum autor 410,14

ellychnium quid 364.37

emptionis ius 700.21

Empireum cœlum 73.50

Enochi iustificatio 481.16. religio 399.48

Epaminundas 68.9

ephodi sacerdotalis usus 271.14

Ephraim 252,1. destructio 91 22

Ephraim Ioseph F. 373,23. prælatus Manasse 428,28. uentum pascite 402.46

Ephraimenses idololatræ 121, 13

Ephraimensium securitas 122. 5. superbia ibidem

Epicurus 454.41

Epicurei 253.11

Epicureorum ulnum 457.10

Episcopi 39,29. cæci 534 1. muti sub Antichristo 129 46

episcoporum auaritia 290,33. defectio ab Antichristo 330, 40. eorum nomine qui indigni 38,3. studia 14,27. in Episcopis quid damnetur 498 22

Epistolæ Iacobi status 488.2

equus 678,35. militare animal 70,36. 164,11. 245,26

equis abundat Ægyptus 283,17

equis augendis duo reprehenduntur 27.28

equitis simile 384.7

errantes in religione quomodo tractandi 216.26

error maximus qui 290.6

errores qui & quomodo expetãt 273 19

errorum autor quomodo Deus 610,40. machinator 677,48. mater 64,27. uolumus uolans 158 9

Esaias an serra dissectus 3.45

Esdræ uisum 1.16

Esau Edom dictus 604,22. à Iacobo supplantatus 238,51.270 5.356 32

Esau fletus 332,17. 210,26. odium in Iacobum 310,7. cũ eodem collatio 428.4

Esaum cur & quãdo oderit Deus 381 6

Esquilinus mons Romæ 691.46

Essenorum secta 460.9

essentia Dei 1435

Eua 473,34. eius cõditio 163.43

euacuandi uerbum 493.21

Euãgelium unde prodierit in mũdũ 345,17. ad quid 384,22. eius amplexandi alacritas in gentibus 19.4

Euangelium qualis doctrina 34, 16. unde oriatur ibid. 38,16. unde promulgatum 18,20

Euangelium cùm æternum sit, cur à Sione ortum 22.4

Euangelium gentibus annunciandum 364,15. quando 109 46. quibus ad salutem 583,31 quomodo seruetur 660.18

Euangelium beneficium Dei 521 13. gladius oris Messiæ 649, 21. lex regni cœlestis 120 25. sagitta 439.16

Euangelium annunciantium munus 460.39

Euangelij administratio qualis 219.478, 16. aquæ 326,37.360 16. arma 238, 40. claritas 226 45.329,47.414,3. citharæ 281,12. consummatio 132 42. dignitas 22,16. eius doctrina ibid. 106,14.383,30.469 31.583,45.640,16.387 51. doctorũ pericula sub Antichristo 627,40. efficacia 458 37. firmitas 344,47. fœdus 502,17. fructus 22 50.526 45.527

45.527,4. gloria 77.42 hostes 450.2 iudicium 33 52. iudices 33.44 laus 509 34 lex 20,23.452,36 lux 29.24 ministri 80.28 ministerium 294.24 munus proprium 310.34 norma 239.14 officium 542.28 patefacti tempora 461.45 prædicatio 314,44.582,50 & inde 503,3.476,21 promulgatio 365,20.475,31 propagatio 140.27 sceptrū 359,41.512,17. semita 239.5 sepes 248,17.556,9 sermo 255.1 tempestiuus 447,46.457,26. signum 148,3.187,10.569,15 splendor 458.32 spiritus est 147,20.365,5.438,32 684.3 statua & titulus 195.20 testimonium 511.50 tuba 665,11.676,42 uerbum 276.40.415,20. ueritas 517.4 uiolatio 436.34 uirga 225,30 uis 343,30.462,37. uox 298 28.340,42.364,21.461,22 quorum sit ibid. usus 460.39 675.10 utilitas 493.46
Euangelio credentes cur seruentur 390.2 quando pauci crediderint 465.22
Euangelica buccina 548.2
Euangelicum ieiunium 550.23
euentus prophetarum interpres. 681 21
euersionis rerum publicarum origo 14.21
Euimerodach Nabuchodonosoris F. 163.21
Eunuchus Æthiops uisitat Hierosolymam 186.15
de Eunuchis quid tradiderit Moses 530.52
Euphrates fluuius 97,23 148,48.149,13.153,43 201,34.422,33.679,34
Euripidis locus 68,35.69,20 222 6
Europa 703.4
Eurus uentus 249.18
Eusebij locus 403.8
exactores duri qui 578.31
exaltatio filij 464.22 eius usus ibidem 35
excæcare pectora quomodo dicatur Deus 84,22
excæcari animos quid 125.6
excæcatio Iudæorum 83.46 370.32 eius causæ 83.24 & inde. malum 107.7
excelsorum nomen 173.46
exclusionis uox 446.51
excitandi uerbum 454.12
exercitus Messiæ quales 246.6 stellarum 352.38
excommunicationis papisticæ potestas 698.43 fulmen brutum 167.6
exilium non probari Deo 436.36
exilium Iudæorum 292.4
exiliorum autor 410.14
exulum miseria 161.42
eximaniendi uerbum 493.21
exitium ex Israele, non ex Deo. 391 25
exitus impiorum 451.1
expectare Dominū quid 274.45
expiādi uerbum 211,47.258,35
expiatio peccati 249.22
expostulatio impiorum cum Deo 410 52
extendendi uerbum 351.32 404 49
extollendi uerbum 229.17
Ezechias Achaz F. 3.34 rex 86.49 afflixit Palæstinos 171.49 integer coram Deo 480.31 cur fleuerit 332.1 reuocat Israelitas ad pœnitentiam 180.48. quandiu regnauerit 3.41
Ezechiæ dignitas 302.17 fides 331.3 fortitudo 117.8 iustificatio 481.16 luctus & pœnitētia 320.43 oleum 132.36 precatio 276.6 321,23.323,34 peccatum 273 37
Ezechiæ principium fides tentata 300.30 probatio 322.31 regnum 286.32 quomodo ipse iustus ibid. 304.30 res gestæ 253.42 scriptum seu carmen 333.30 tempora 211.35 uictoria qualis 111 41 signum datum 332.42
Ezechiæ & Christi comparatio. 286 27
Ezechiel 456.28
Ezechielis humiliatio 80.7 uisio 1,14.76,40 75,5

F

FAbri quatuor 507.11
Fabrorum metaphora 186.41 402.16 simile 435,3 311 38
C. Fabricius 68.10
Fabricius Romanus 303.44
faces flammarum 156.26 legatorum Messiæ 76.19
facies qualis Messiæ 543.22
faciem Dei uidere qui dicti 9.49
facinorosi qui 124.1 cadauera 69 11
facinorosos plectēdi ius 217.12
facinorosis annumeratus Christus 472 27
facta sua latere putantium reprehensio 266 5
factis an quisquam iustificetur. 483.47 quid apud Iacobum 488 30
factis emigrandum è regno Antichristi 463.5
facultates hæreticorum mortuorum quomodo tractandæ. 218.23 219.10
falci comparatum Euangelium. 55 37
fames 207.37 duplex 623.12 Hierosolymæ in obsidione Titi 33.25 61.48
famis autor 410.14 pœna 107,1.172,33. eius tempore quomodo sustententur pij. 328 15
fascinatores Antichristi 426 8
festinandi uerbum 257.43
fastus Babylonis 157.37
fastus in oculis sedes 29,44 325 19
fatum 170.21
fatalia 190.13
fatui descriptio 289.40
fauor Messiæ in Ecclesiā 594.40
felicitas secundū philosophos quæ 513 11
felicitatis ueræ nanciscendæ uia. 275 43
felices cæci qui 366.36
felix quis dicendus 529,33 275 45
fenestræ cœli 227.35
feræ 376.18
feræ Israelitarum 52.25
feræ sanctis non nocent sub Messia 140.50
fermentum 11.32
feroces 420.25
ferrum quale metallum 679.8
ferri usus in Ecclesia 578.21
fertilitas terræ sanctæ 53.32

fibulæ unde dictæ 417.35
ficus præmaturi fructus 253.35
fictile opus 237,29
fides 91,2.299,18 quid uerè 371,25 ad iustificationem necessaria 478,10 ad salutem 91.43
fides amoris Dei & proximi causa 486,23. quæ impetret 532.26 quæ uana 256.1 uera quæ ibid. salutaris 478 39
fides ex timore qualis 299.51 oculos aperit 264,42 etiam infirma Deo grata 558.6 480 41
fides quæ & qualis uis 90.15 an præcedat aut comitetur spiritum 558.28
fides omnia uincit 238.6
fides Meßiæ 363,30. noui hominis fructus 491.15 reuelata quæ 520.2
fides in Lapidem Meßiam 257 39 40
fides piorum qualis 394 30
fides quæ aboleri dicta à Paulo. 489.15 ad quid patefaciat Meßiam 487.6 quæ tria spectet in iustificatione 480.4
fides, duplex, uiua & mortua. 479,22 490,14.
fides, ceremoniarum nucleus 9.24 Dei donum 275.1 salutis caput 319.44 Meßiæ cingulum 140.45 diuini spiritus uis 704.15
fidei ancora 39.3
fidei beatitudo quomodo promittatur 490.4 bona peculiaria 489.49 doctrina 416.36 fructus 436.48
fidei fulcrum 131,19.
fides, sanctorum fundamentum. 515.52 uitia & incrementa in pœnitentia 518.35 iugum 111.21 iusticia 540 8
fidei iusticia cur rectitudo dicta. 379,33. lumen 552.37 eius usus 465.33 lux 486 28 motus 481.36 natura 388.10 oculi 183.33
fidei opus 420.9 opera an iustificent 483.43 origo 380,33 385,51
fidei potentia 453.16 præsidium 320,48 probatio 209,13. 322,25. 568,7 proprium 201.17
fidei regula 430.19 spiritus 641 12
fidei spiritus effectus 315.28 91.46 victoria 477.1
fidei & perfidiæ distantia 7.51
ad Fidei complementum quid faciant opera 485.50
in Fidei doctrina errantes quomodo tractandi 216.32
fidem confirmandi ratio 298.10 cur eripere tentet satan 319 52 320,1. & inde.
fidem excitat crux 242.43
fidem factis perfici, quomodo metelligatur 484.35 per eam nos generari 481.23
fide deuinciri Ecclesiam Christo. 473 50
fide an maior charitas 486.35 omnes hostes nostros uinci. 101 43
fide sola iustificari 627.31
à Fide iustificante non separandus amor 479.7
à Fide incipiendæ conciones. 385 49
in fide quomodo contineatur amor Dei 324.45
sine Fide nemo se electum esse nouit 385.47
sine Fide neminem Deo placere. 292 51
fidelis quis 363.32
fiducia in Deum, quale uinculum 274 16
figuli similitudo 266.27 273.48 412.10
figuræ res respondere debent. 145 2
figurandi uerbum 346.19
Filius quomodo à patre iustificetur 449.31 creator 116.4
Filius quomodo excelsus 541.14
Iehoua 367.18 quomodo exaudiatur à patre 441 48 sanctificetur 102.10
Filij exaltatio 464.22 iustitia 295.23 opus 33. spiritus 324 52
Filium à gloria Patris non excludi 367.10
per Filium quæ agat Pater 435 37 38
filij perditi superbia 421.13
filij Dei qui 104,46. 115,41 323,29. 514,6 cur portentur à Deo 418,1. dij 116 23
filij Dei de terra in cœlum tollun tur 166.2 quo amore eum ament 424.23 quo spiritu ducendi 270.28 cur non pereant 359.1 aquilis comparati 353.50
filij regni 232.29
filiorum Dei appellatio 338.14 calamitates 500.28 lapsus 390.49 nomen 532.12 propagatio 580.14 pudor 413,49. 299,43. 701, 25
filios quomodo puniet Deus 8.13
inter Filios Dei & Meßiam quod discrimen 504 29
filijs Dei ubi profit satan cum suis 327 40
fili abrupti simile 335.14
finis mundi qui 368.25
finis omnium rerum 17.35
fines bonorum & malorum 63.51
flatus uitalis 365.38
flammarum facies 156,26
flammei oculi Meßiæ cur 245.31
flectendi genua uerbum 417.7
fletus piorum 331.51
floris mundani conditio 252.25
flori comparata uetus natura. 343 52
fluendi uerbum 573.48. translatio 18.52
fluuius aquæ uiuæ 235,39.42
fluminis similitudo 307,2.307 4. 186 50
flumina Meßiæ 360.36
fodiendi uerbum 407.44
fœdus duplex 570.38
fœdus Dei cum hominibus 266,5 531,30. nouum quale 505.16 noui Testamenti 510.30
fœdus uetus non iustificat 501.37
fœderis arcus 51.40
fœderis noui administratio 641 5. spiritus 366.15 ministerium 287,13. & inde. cum ueteri collatio 511,11 532 33
fœderis uiolati pœna 8,1.225,12
fœmina cur uelamine contegenda 76 22
fœminarum timiditas 193.36
fœnerari, idem quòd homines occidere 290.23
fœnoris appellatio 303.3
fœneratores regno Christi carituri 289.31

folia Euangelij 236.6
fons aquarum uiuentium 360.43
fons uitæ Meßias 110,9. ſalutaris 152.14
fontis ſimile 555.37
fontes duodecim 235.15
fontes ueræ religionis 409.48
ad Fontes uiuos quis ſolus electos ducat 142.12
forcipis uſus & metaphora. 81 36
forenſis contentio 445.36
fornax afflictionum 433.19
fornicari eſt negociari 223.39
fornicationis unum 703.15
fortitudo Meßiæ 116.52
fortitudo noſtra Deus 274.16
fortitudinis ſpiritus 365.51 645 10
fortunæ mala 150.28
fortuitò quæ res non fiant 393.12
fortuitarum rerum caſus 59.8
forum curant mulieres apud Ægyptios 193.37
fouea inferni nomen 281.46
fracti qui 364.32
Franciſcus monachus 398.11
frater cur Chriſtus 117.29
fratres falſi hoſtes Eccleſiæ 88.26
freni uſus & ſimile 279.31
Fridericus Barbaroſſa 697.28
frons ænea 431,33. ærea cur tributa Iſraelitis 7.10
in Frontibus cur ſignentur Dei ſeruí 674.4
fructus gentes curans quis 236.1
fructus pœnitentiæ 342.52
fuga impiorum irrita 28.44
fuga ex regno Antichriſti 159.8
fugiendi uerbum 437.23
fulgurum ſignificatio 677.11
fumus impietatis ſuperbia 124 41 42
fumus templi 86,26.709,11
fumi aſcendentis cauſa 703.48 ſignificationes 78.36
fumos uendere, prouerbium. 90 22
fundamentum Eccleſiæ qui 34.51 173,8. 256,34. 51,16
fundamenta duodecim 234.48
fundatio terræ 350.43
funiculus menſorius 258.1
funiculi tabernaculorum 306.33
funiculorum nauis ſimilitudo. 307 36
furis ſpiritus, Antichriſti ſpiritus. 158 16
Furiæ Plutonis 303.15
furor mundi 358.44
furta iuſticiæ contraria 506.6
futura cur præſignificentur 431.5 quomodo futura 393.52
futurorum conſeruatio 432.7 prædictio 399,18. prænotio Dei opus 361.39

G

Gabea urbs 133.10
Gabaonia uallis 259.4
Gabaonitæ 136.33
Gabaonitarum dolus qualis 429 32 33
Gad Martem ſonat 622.10
Gades extra orbem conditæ 221 29 30
Gadina tribus 179.38
Gallim urbs 133.14
Gallus 212.43
Galliæ martyres 325.34.205 52 368,43
Galli milites ſub Veſpaſiano 69.22
Gallorum ſitis 360.23 defectio à Romanis 23.12
gallinæ ſe comparat Chriſtus. 295 30
Galilæa gentium unde dicta. 103.37 109.31
Gamaliel auditor Simeonis 366.25
gaudium angelorum ob electos. 280,43. de peccatore converſo 519.20
gaudium piorum 613,43. ſub Meßia 110.35 152.10
Gedeon ſeruator dictus 196.16 ſignum petens, num tentarit Deum 92.39
Gedeonis fortitudo 117.7 victoria 111.35
gehenna 281,20.228,27 305,4. duplex 164.36. inferni nomen 283.1
gemmæ precioſæ 503.9
gemmarum ſignificatio 235,8,29 duo genera 236.14
generandi facultas 284.29
Genezarethanus lacus 108.32
gentes quæ à Cyro victæ 408.9
gentes quantum debeant Iſraelitis 25.26 quid de Deo cognoſcant 196.21 guttulæ comparatæ 349.10
gentes non omnes ad Meßiam confugiſſe 134.46
gentes miſericordiam conſecutæ 84.6. quæ uirga ferrea regendæ 155,30
gentium aggregatio ad Meßiam 134.25 ciuitates 711.41 concurſus ſub Euangelio 198.3 excæcatio 79.1 extenuatio 349.20 fauor in Iudæos 24 51 & 25. & inde.
Galilea 108,37.109,31. gloria 637,9. gymnaſium Hieroſolymis 26,1. lux Meßias 441 10
gentium nominibus quando Iſraelitæ nominati 9.11
gentium nomine qui intelligãtur 309.21 cum Iſraelitis coniunctio 162,37.143.38 plenitudo 144.43.407,15 reliquiæ ſub Antichriſto ſeruatæ 8.25 uocatio 109.24 1946.304,44.438.9.516 17. & inde. 617,10.676,1
pro Gentibus an afflictus Iſrael. 474,30. & inde.
gentibus quando locus datus in regno Dei 530,7. ubi ſtultitiæ Chriſtus 264.38
genu omne Deo curuandũ 415.24
Gẽſerichus Gothorũ dux 693.46
genus humanum nihil 349.13
Geometriæ inuentores 220.45
Georgius diuus 698.24
Germania 576.18
Germani 206,52.297,11
Germaniæ martyres 325.34 363,44.325,34. milites ſub Veſpaſiano 69.32
Germanorum rebellio & res geſtæ contra Romanos 23.13 ſitis 360.23 imperium 696 43
germinandi uerbum 367.47
germinis metaphora 42.41 133 45
germinationis mentio in regeneratione 380.9
geſtatio electorum 417.51
Gibeonitarum ſedes 300.1
gigantum opprobrium 244 46
Gith quomodo uerberetur 260.36
globi metaphora 193.43
globo terræ quomodo inſideat Deus 351.2
gladius Dei 438,36. devorat. impios 12,50. Eccleſiæ in quos ſtringendus 217.1 qualis ibid. Meßiæ 246.24 quo inebriandus 309.45
gladius oris Meßiæ Euangelium. 649 21

gladij significatio 638.39
gladio ciuili qui puniendi 217 43
gloria Dei 667.4 quando periclitetur 409.12
gloria Dei summa quæ 332.9 duplex 579,18. gentium quanta 637.9 à pondere dicta apud Hebræos 43.21
gloria regni cœlestis 240,29.& inde. redemptionis electorum finis 609.16
gloriæ & crucis uices 359.29 143 1
gloriæ formæ 377.25
per Gloriæ lumen Deus uideri. 72 20
gloriæ seruatoris celebratio 316 17 eam quo iure possideat Christus 492,41. & inde.
ad gloriam Dei bifariàm creati electi 373.29
gloriã Messiæ qui uiderint 465.15
gloriam suam non dat alteri Deus 433 46
gloriam patris communicari cum filio 367.11
glorificatio 357.25
glorificatio nostri finis iustificationis 476,30,32
Gomorrhæ flagitia in regno Antichristi 685,6.210,9.375,64,28. luctus 588.50
Gomorrhæ populus qui 9.6
Gothi 297.11 uastant Romam 693 46
Græcia 639.41
Græci 2,26.54,8.206,52 Ægyptum uexarunt 191.3 396,46. propria sapientia euersi 65.11 à Romanis profligati 297.10
Græcorum angelus 330.18 euersio 372,9. imperium 120,46.170,43. eius interitus 238.33 origo 455 22 163.41
Græcorum theologorum uitium. 66 22
gramen animalis homo 388.30 343 50
gramini comparata hostium potentia 369.42
grando 253,24.258,21 calamitatum 296.16
gratia Dei 644,35. ubi & quando opus 432,46 509 11
gratia electionis antecedens 380 39
gratitudo leonum 284.50
gratiæ gloria 240,31. 50,& inde. lumen 72,16.20 tempus 519.42
gratiarum actionis munus 188.8
gratiarum actio pars diuini cultus præcipua 152.26
greges 182.8
grauis uox 335.25
guttæ aquæ simile 500.30
guttulæ comparatæ gentes 349 10
gurges dicta Babylon cur 406.3
gymnasium gentium Hierosolymis 26.1

H

HAbitatores terræ locustis comparati 351.20
Hadrianus Imperator 61.27
hæreditas cœlestis 560,23. 199,41 423,19
hæreditas noui Testamenti quæ 510.39 regni Dei finis iustificationis 476.30
hæreditas cur dicatur Israel. 146 20
hæreditas duplex 236.10
hæreditatum diuisio 313.17
hæredes regni cœlestis qui 510.46
hæreditario iure quæ possideat Christus 492.41
hæreticorum inquisitores 711.16
hæreticæ prauitatis inquisitores, uenatores Ecclesiæ 457 3
Hæsebon urbs 179.35
halitus duplex 543.44
Hammonis idolum, & eius templum 184,2. responsa 105 30
Hane urbs 271.46
Hannæ matris Samuelis hymnus. 150 7
Hariolæ filij 537.22
Harpyiæ Plutonis 303.16
he litera 237.44
hebdomadarum Danielis exitus. 134 28
Hebion hæreticus 651.51
Hebræi interpretes refutantur. 474 27
Hebræam linguam quæ gentes discant libenter 194.39
Hebraicæ linguæ cognitio 562.22
Hebronis Phœniciæ antiquitas. 191 28
Hecuba 41,15
Heliæ tempore clausum cœlum. 56 11
Hemathiæ situs 148.8
Henrici Bullingeri laus 694 42
Henricus IIII Imperator 697.27
herbarum ros 244.38
Herodotus 160,14.26.167.30 193,39.200,10.407,22. 153 29
Herodes Idumæus 205.35
Heros Messiæ epitheton 368.52
Heroes qui dicantur à Zacharia 507,31. sub Messia qui 154 43
Heroum penuria in Ecclesia & republica 33,33.& inde.
Hieremiæ afflictiones 58.2 remissio 82.27
Hieronymus 161.11
Hierusalem cœlestis 228.48 248,50. ab æterno fuit 209 51
Hierosolyma ab Æthiopibus uisitari solita 186,14. argento comparata 15,28. an ab Assyrio obsessa 262,33. de cœlo illustrata à spiritu sancto 18 14
Hierosolyma diruta & instaurata 306,19
Hierosolyma duplex 135.43 duplicia à Domino acceperit 340 23
Hierosolyma Euangelicatrix. 345.15 quo nomine scoriæ & argenti redarguta 13.20
Hierosolyma mystica 2,29 407,42 572,47
Hierosolyma noua 661.29
Hierosolyma Orientis urbium clarissima 207.31 solium Domini 45.36 summitas & altitudo 326.11 uallis uisionis 207,3. uicto hoste lætatur 281 7
Hierosolymæ calamitates 635.40 casus 318.17
Hierosolymæ cœlestis ciuium copia 496,39. descriptio 233 46. perpetuitas 306.23
Hierosolymæ commendatio 13.8 à cõdito mundo electio 327.16 conditor Deus 209,46. consolatio 339.43
Hierosolymæ duplicis collatio. 236,9.430,35. quæ ei denunciet Iesaias 2.13
Hierosolymæ nomina 16,17. 116,10

116.10 muri ignei 443.52
Hierosolymæ rebellis uiæ 539.35
Hierosolymæ situs 183,16. 19, 40.317,41. status 578.49 typus Ecclesiæ 3.3 uastatio 683 5
Hierosolymæ uoluntas an libera 396 11
Hierosolymæ cum templo instauratio Meßiæ tempore 135.33
Hierosolymã cur defenderit Deus sub Achaz 88.39 à Romanis uastanta, Sibylla prædicit 70.2
Hierosolymis quoties comparere soliti Iudæi 9.46 schola gentium 26.1
Hinnon uallis 209.5 281 17
hircorum metaphora 310.50
hirundinis stridor 335.25
Hispaniæ martyres 325,34.639 37.368 45
Hispani milites sub Vespasiano 69 22
Hispanorum defectio à Romanis 23.12 sitis 360.23
historicorum à sacris literis discrimen 399.30
Holda uates 536.33
holocaustum principalis uictima 9,44349,1. 376.39
Homerus cur in Ægyptum profectus 192.26
homo 285,5 admirandum opus Dei 50,41.61,4. animalis quid 387.14
Homo bulla, prouerbium 252.35
homo ad quid conditus 59.37 cur 25.40. unde constet 337 47 48
homo duplex 46,47. 265,7. 284.8 homo cur inermis conditus 27.40 minor mundus 519 29
homo nouus 43.14 eius origo ibidem 27
homo primus ad qualem uitam factus 383.14. uetus 47.50 eius origo 48.25 quid 388, 40. gramini comparatus 343 50
hominis ætatis 418.8
hominis animalis & spiritualis 510 14
hominis crudelitas 537.50 duplicis differentia 47.50 & inde. infirmitas 650,20. mentis 213 34
humiles spiritu 342.4
Hur nepos Sem 181.34
Hydaspes 160.3
hymni Israelitarum 149.52
hypocrisis 125,35.127,48. Antichristi 695.6 eius natura 289.43 pœna ibid. oppositum 430.30. ueteris hominis fructus 49.13
hypocriseos probatio 209.13
Hypocritæ qui 123.45 quibus bonis careant 127.49 cur caput curuent 550.40. idololatræ 28.24. eorum carmen 568 32
hypocritarum superbia 213.10 iactantia 331.32 perfidia 302.29 reprehensio 266.17 uaria genera 124.5 uitia quatuor quæ 548.39

I

Iacobus 137,47.374,50. supplãtat Esaum 238.51. unde nomen sortitus 427.24. an mẽritus sit, se pro Esau primo genito asserendo 427,45. & inde.
Iacob patriarcha 270.2 uidit Deum 72.5 ubi à Deo adiutus 379.19. qua fide Deum uicerit 486.32 (10
Iacobi locus de fide & factis 484
Iacobi 162.17 typus 428.45 uictoria 356.12
Iacobi & Esai collatio 428.4
Iacobi epistola qualis 487.50 eius dispositio 488.2
Iacobo promißio de uocatione gentium facta 305.1. religio 399 49
Iacobum quid à mendacio liberet 429.34. cur & quando oderit Deus 381.8
Iacobæi qui 121.38 dispersos quis congregat 463.38
Iaphetus 350.41. Medorum propagator 203.1 eius habitatio in tabernaculis Semi qualis 198 36
Iaspis gemma 665.31
Iasub Iesaiæ filius 89.33
Iauan Iaphat F. 31,7.220,33. Græciæ autor 639.41. multorum opus 402.10 quid & eius uanitas 361.18
idola 183.51 lignea & inaurata 350,3.277,19

idolorum uanitas 400.36 ſapiẽs appellatio in ſacris 413.40 cultores perſtringuntur 418 40
de idolorũ cultu tractatio 401.12
idolis animi tributi 417.36
ad idola qui ſe conuertant 355.41
Idololatræ qui 249,47.401,21
idololatria maxima 27.52.ſerpentis opus 361.31
idololatria Babyloniorũ 157.34 cauſa deuaſtationis Moabitarũ 74.3 cuius fructus 56.42
idololatria Iudæorum noſtro ſeculo quanta 249.27 cui ſapientiæ humanæ aſcribenda 65 20 21
idololatriæ cur incenſo furno cõparatæ 537.36
ad idololatriam relinquendã quare opus 419.22
Idumæi 2,25.574,21.Iſraelitis infeſti 310.6.eorum deſtructio 205 2
Iehoachimus rex 86,49.86,50
Iehoſua ſeruator dictus 196.16
Iehoua 371,46 372.3
Iehoua filius Dei 196,41.346, 12 116.5
Iehouæ nomen quomodo patri et Filio tribuatur 367,18.105.4
ieiunium corporis caſtigatio 549 13. eius uſus 550.18 genus duplex ibidem
ieiunia ſanctorum 550.10
ieiuniorum publicorũ ritus apud Iſraelitas 549.48
Ieroboam rex Iſraelitarum 99, 33.252,1.eius regnum 91.16 idololatria 401.35 oſſa 218 28
Ieſaias nudus & diſcalceatus obambulat 200.41.uidit Dominum 72.5 cur interfectus 8.50 ſerrâ diſſectus 58,2.34 11 12
Ieſaias quãdo & quãdiu propheta uerit 3.37 an de regia ſtirpe 2 6
Ieſaiæ oraculum de Sennacheribi interitu 169.25 carmen in perſona Eccleſiæ 150.11.liber Cyro oblatus 406.13.uiſum 1.16.miſsio 82.28
Ieſus Chriſtus panis uitæ 509.47 iuſticia noſtra 476.11 & inde. uictor pro nobis ſtat 451.50 fortior heros 445.30 ſolus ſeruator mundi 606.21.Eccleſiæ 150.37 imago Dei patris 349 43
Ieſus Chriſtus uerus Dauid 215, 8.314,37. quanta afficiatur contumelia à Dauide nouo 268.3.cur unctus ſacerdotij regij ſpiritu 139.41
Ieſus Chriſtus Eccleſiæ fundamentum 256.34.menſura ciuitatis cœleſtis 234.40.quem uſum unctus ſacro ſpiritu 382, 49.uerè Iehoua dictus 116.24 rex Hieroſolymæ 182.26
Ieſu nomẽ 94.16 unde iudicium Meſſiæ 113.38 gloria 240, 29 & inde. os 140.8 plura uide in Chriſto & Meſſia.
Iethro Madianita conuerſus 406.22 ſocer Moſæ 136, 32.eius fides 300.1
Iezabel ſepultura caret 167.33 eius improbitas 657.12.tyrãnus 549.49
Iezraelis dies magnus 148.18
ignauiæ contrarium 156.13
ignis duplex 236.13
ignis aduerſarum rerum ſignum 371.29 426.43
ignis appellatio quomodo Deo conueniat 73,51.302,36. 130 35
ignis & angelorum collatio 75 25 26
ignis in lapide Meſſia 256,52. 450 49
ignis Dei quos conſumat 15.36
ignis in Sion 286.15
ignis Moſaici typus 47.13
ignis zeli 241.28 iræ Dei 281.51
ignis diuinus ſpiritus ſancti 47.6
ignis flãmæ cõparata lingua 68.23
ignis in Sodomam ab angelo, &c. 330. 13
ignis de altari exiens quid 706.21
ignis ſimilitudo 124.40
ignis inferni qualis 282.18
ignem an de cœlo deuoret Antichriſtus 697.25
in igne quæ tria conſiderentur 638 4
igniculi in pijs quales 385.16
igniculi ſpiritus timoris 136,38. in pijs 385, 16 365,1
ad ignominiam quoſdam apparari 411.15
ignorantia Dei, ueteris hominis fructus 49.12
ignorantiæ Dei inuolucrũ 231.24
ilices ad idolorum cultum delectæ 16 32
illudẽdi formula in tyrannos 167. 18 19
illuminare, pro cremare 250.11
illuminari omnẽ hominem à Chriſto 465.44
illuminationis Iudæorum tempus 264 10
illuſionis efficaciam quis immittat 697 43
illuſores 255.16
in imagine cur non adorandus Deus 349.40
imbris tempeſtuoſi ſimile 230.43
Immanuel mundo offendiculo eſt 103,5.93,111.95,12.in eo quæ duo conſideranda 101.18
immiſericordia quantum uitium 423 44
immodeſtos odit Deus 252.8
immundos eſſe omnes homines natura 614.24
immunda non attingenda 453.6
imperandi poteſtas Chriſti 512.31
Imperatorum decreta in puniendis hæreticis ſequenda 218,3. 219 10
imperatiuis cur potius citatur ſcriptura quàm indicatiuis 83.6 eorum uehementia 420.47
Imperium Chriſti 118.35
imperium quod non diuturnum 202 23
Imperium nouum cur imago prioris Romani Imp. 698.11
Imperium Romanum beſtia marina 247.32. eius translatio 170 41
imperij iure quomodo Dei dicamur eſſe 199.7
imperia à Deo 691.36.eorũ mutationes 120.40
impius quomodo relinquat uiam ſuam 521.27
impij an terram poſſideant 540, 30.tentẽtur igni 426.50.omnia corrumpunt 6.25.quibus rebus conferantur 63. 13. an & quomodo à Deo moueri dicantur 384.2.gigantes cur dicti 244.50
impij quo igni cruciandi 282.18.ſatanæ angeli 281.34.quercui ſimiles 16.40.horto ibid. baptiſati ab Apoſtolis 600.45.illuminentur à Chriſto 4 66.6 impiorum

impiorum peccatum 390.49 perſona 332.20 depreßio 286 8. ſtatus 281.42 clamor in ueram religionem 58.11 ſuppli cia 375.4 dolor & labor 451 1. afflictiones 327.41 fides 465.30 nomen 532.18 luctus 588,45. 280,2. odium in pios 634.32 nomen pijs execrabile 623.28 ad pœnitentiam reuocatio 260.13 uia 239.9
impiorum ruina 353,35.310, 27. fletus 332.12 pœnitentia 210.19 tremor 633.6 eorum ſanguine Meßiæ ueſtitus tinctus 246.17 interitus 268,10.160,28. ſpiritus 322.6 conſilia 563.37
impiorum & piorum ſtatus collatus 632.2 & inde
de impiorum interitu gratulantur triſti 165.16
impiorum ſecuritas 232.35. ſagittæ & arma 439.20
impijs cur non ſit pax 546,48. 437,42. objciatur improbitas 382.3
impijs exoſum nomen Dei 338, 31. cur tribuatur miſericordia 240.11
cum impijs pugnat Chriſtus 310.3
in impijs quid efficiat lex & admonitiones eius 389.54
impios inter pios eſſe ſed non ex pijs 199.32 Chriſto non ueſci 596.31 affici ab igne Dei 282.3 uoluntate Dei indurari 381.49 iudicari 240.9
impietas igni comparata 124.32 Antichriſti 158.26
impœnitentiæ pœna 210.6
improbi an inuiti improbi 392, 40. quando ſpiritu Dei deſtituãtur 381.3. an neceßitate prænotionis diuinæ mali 392.13
improborũ linguæ damnum 555 18. de iudicio Dei ſecuritas 255,22.224,43. interitus 6.7 tegumenta 209.16 iniuria ſcabiei comparata 57.36
improbitas quãtum malum 292, 27.627,18. ponderi cõparata 227.41 à probitate diſtantia 7.50 natura 392.15
improbitatis an autor Deus 383 49
improbitatem cur objiciat impijs Deus 382.3
imprudentia Iſraelitarũ 250.24
impudentiæ amplificatio 36.34
impuri quatenus dicamur 50.9
imputatio iuſtitiæ Chriſti 482.35 eius beneficium 476.44. efficacia 331.41
incantatores unde dicti 426.4
incendium Sennacheribi 130.36
incendiorum autor 410.14
incenſa 677.3. ſacrificij pars 376 40
inclementia in miſeros quantum malum 206.11 125.36
incredulitas cæcitatis cauſa 264, 41. eius malum 103.37
increpandi uerbum 185.26
increpatio 553.39
indolentia piorum exitus 451.2
indicẽdi uerbũ 457,50.543,14
indulgẽtiæ papiſticæ 167,4.509, 7. 277,6. earum diplomata 539 30
induratio qua uoluntate Dei fiat 390.24 381.49
infantes 37.20 ad petram alliden di 159,28
infantum ſimile 254.35
infantuatio ſapiẽtiæ mũdi 191.36
infelix quis dicendum 529.33
infelices uidentes qui 366,36. 275 45
infernus bipartitus 236,15.587, 25.281,20.281,43. quatenus probetur Deo 390,11.228, 27. qualis locus 532.7 tyrannorum ſedes poſt hanc uitam 164 30
inferni anima & os 62.3 ſitus ibidem. clauis 678, 7.650,39. deſcriptio 703.38 dolor à Chriſto portatus 468.7 ignis 281.51 nomina 282.43 onus 551.39 portæ 236,24. 333.43. oſtium 660.4
inferni & carceris diſcrimen 587 6
in inferno nõ laudari Deũ 338.30
in inferos Papæ imperium quale 167.3 Chriſti poteſtas 512.31
infirmi 308.15
infirmorum conſolatio 364.50
infirmitatis Chriſti uſus 474.3
ingratitudo Iſraelitarum 5.47
inhoſpitalitas odio eſt Deo 177
inhumanitas 177.3 (24
iniquitas legum unde cernatur 126 30
innocentia 449.43
innocentiæ exemplum Chriſtus 473.19. ueſtis 663.40
innocentum ſanguis 246.39
innouandi uerbum 626.7
innouatio uitæ fructus pœnitentiæ 342.23
inobedientiæ malum 471.14
inopes qui 230.21
inopum iudex Meßias 139.28 ultor 126.38
ex inopia quomodo naſcatur amor 424.10
inquiſitores hæreticæ prauitatis 457 3
inſectis abundant Ægyptij 96 57
inſitio gentium 516.16
inſtrumenta Dei qualia ſint principes 128.38
inſulæ maris 148,8.220,37. per Meßiã redimendæ 453.8
inſularum cõmotio 348.47 ſtultitia 355.40
integri qui 480.29
intelligentia hominis 289.5
intelligentiæ ſpiritus 645.10
intentio bona 416.20
interim 300 38
intercedendi functio in Chriſto perpetua 494 6
intercedendi uerbum 567.50
interitus inferni nomen 282.52
inuidi 273.9
inuidia, iuſtitiæ contraria 506.6 cuius fructus 49.13
inuocare Patrem nomine Meßiæ quid 152.36
inuocatio 195.29
inuocationis finis 520.43 quæ in ea conſideranda 520.21
inuolucrum generis humani duplex 231.19
Ioachaz rex 86.49 (34
Ioachim ſepultura priuatus 167,
Ioannes Baptiſta 167,46. quomodo Elias 429.8 cuius rei prædicator 47.19. eius uox 340.45. habitus 200.25
Ioannes cur ploraſſe legatur 668 23. quando Apocalypſin expoſuerit 691.50
Ioannes Capnion Phorcenſis 624 1. eius laus 113.42
Ioannis uita 341.15 & inde
Iob quomodo integer coram Deo 480,31.374,51. eiuſdẽ cõfeſſio 410.7 calamitates 455.51 locus de reſurrectione 243.38 iod lite-

Iod litera 237.45
Ioel cõtemporaneus Iesaiæ 3.40
Ionathan Chaldæus interpres 380 3.152,5 464.10
Ionæ prophetæ signum 92.15 *sopor* 263.44
Iordanis origo 133.17
Ioseph docet Ægyptios sapientiam 192.22
Iosephus 137,47. 374,51. 330,11. *eius narratio de Cyri conuersione* 406.13
Iosephi fortitudo 117,7. *religio* 399 50
Iosias mortuorum sacerdotum ossa cremauit 218,24. 86, 49. *pius rex* 536 32
Iosuæ fortitudo 117.7
Iothamus rex 86.48
ira ubi cos fortitudinis 154,50. *oneri comparata* 279.2
ira Dei in electos 423,14. *quomodo cohibeatur* 248,23. 457 14
ira quomodo sedetur 249.21
iræ Patris testis Christus 512.5
iræ ardor ubi micet 620.17
iræ uasa qui dicantur 155.44
iræ diuinæ descriptio 280,31. *signa* 212.9. *descriptio* 68.46
irati species Deo afficta 278.48
iridis figura 680,32
irrisio idolorum 402.17
Isaaci comparatio 496.33
Isai stirps 133.49
Ismaelis typus 496.2
iratorum habitus quomodo Deo affectus 68.51
irasci alienum Dei opus 14.41
Israelis nomen & uirtutes 356.11 427.29. *unde* 486,32. *exitum unde* 391.25
Israelitæ ueri qui 43,37. 121, 38. 398,27. *filij Dei* 5,8. *oleæ comparati* 144, 44. *quando in Medos abducti* 91.20
Israelitæ & Chananæi 248,49
Israelitæ profugi Deo curæ 177 18. *in Aegypto seruati* 285 51. *in deserto uerbo sustentati* 328.12
Israelitæ quando gentium nominibus appellati 911
Israelitæ an sine causa uexati 459 46
Israelitæ per Christũ seruati 96.32
Israelitarum casus 318,27. *sepulchra apud Ezechielem* 147 42. *mala* 456,17. *reconciliatio* 143,29. 232, 15. 249,34. 248,36. 250,38. 675,3. *prærogatiuæ* 198,27. *an libera uoluntas* 395,51. *salus cum gentium coniuncta* 366,4. *pœnitentia* 371, 2. *seruatorum exemplum* 371,44. *hymnus* 149, 52. *ieiunia* 550,12. *oppressorum clamor* 57,50. *uitia* 427.16
Israelitarum repudiationis causæ 25,36. *insscitia* 61,36. *fœdus cum Deo* 323,41. *reliquiæ* 182,49. *excellentia* 5,22. *fuga* 206.4
Israelitarum auaritia 58,17. *annui conuentus ad montem Sion dispersio* 242.30 *duo genera* 236.11 *reconciliatio cum Deo* 293.37. *obiectio* 445.48 *idololatria* 401.34 *collectio* 373.10 *hostes* 128.5
Israelitis quomodo inserantur gẽtes 441.11 *concionati prophetæ* 82.43 *promissa salus adhuc expectanda* 144.24
Israelitis quantum debeant gentes 25.26
Israelitas qui deuastarint 187.4
Israelitici uulgi incõstantia 99.30
Israeliticæ & Christianæ Ecclesiæ differentia 217.16
Israeliticæ religionis perturbatio 460 10
Israeliticæ gentis hostes 171.19 *duo tempora* 440.13 *dignitas* 400.26
Israeliticarum tribuum figura 235 12
Israeliticis legibus alia imperia non subiecta 218.34
Italia 220.31 *eius horreũ Ægyptus* 221.4 *martyres* 325 34. 358.45
Italorũ origo 639.37 *sitis* 360.23
Ithona ara 93.28
iubilæus à Bonifacio VIII institutus 694.51
iubilæus annus 587.43
iubilæi papistici 539.30
iubilatio redemptorum 226.38
iubilatio reuiuificationis 244.8
iucunditatis uirga 225.30
Iudas quid sumpserit in cœna Domini 600.47
Iudæ episcopatus 213.24. *pœnitentia* 210, 20. 342,34. 541 46. *tremor* 633.6
Iudæ sceptrum sublatum 134.15
Iudæ tribus in quãta apud Deum gratia olim 57.9
Iudææ reprehensio 253.51 *laus* 190 50
Iudæi ab Apostolorũ temporibus non omnes damnandi 84.36 *extremis his temporibus liberandi* 454.28 *quatenus amici Dei* 14.504 *à Deo puniti* 259 18. *gens direpta & conuulsa* 186.33 *idololatræ* 249.48 *Messiã adhuc fide culturi* 232 43 *qui satanæ cœtus* 654.24
Iudæi repudiati per quem reconciliandi 83.37 *& inde.* 711.33
Iudæi typus Ecclesiæ 3.3
Iudæorum cæcationis & illuminationis tempus 264,8.79, 14. *calamitatum causæ* 475,5. 123,13. *defectio à Romanis* 23.12. *directio duplex* 370.42
Iudæorum error de templi instauratione 631.38 *exilium* 32 51. *expectatio de Messia* 233 9. *ingratitudo erga deũ* 60.30 *liberi in philosophia instituti* 26.2. *miseriæ causa* 36.43 *offensio* 103,12. 264,38. *potentia sub Ozia* 5.33 *prærogatiua præ gentibus* 24.40 *reconciliatio* 674,20. 143,25
Iudæorum religio Antichristiana 101,3. 370,7. *uastitas* 55.31
Iudæorũ & papistarum collatio 561 50
Iudæis an restituẽdum regnum & sacerdotium 570.8 *sepultura negata* 69.12
Iudæis quæ denũciarit Iesaias 2.13
Iudæos non omnes in spiritũ sanctum deliquisse 84.43
Iudaicus pharisaismus 573.34
iudex sæuus iudicandus 156.36
iudex iustus quomodo Deus 283. 43. *Messias stipatus angelis* 72 39
iudicis Messiæ oculi 75.15
iudices auari 13.49 *peruersi* 33.42
iudices restituti qui intelligantur 15.42 *fallantur* 139,3,14
iudicũ officiũ 68.4 *religio* 399.50 *iniquorũ crimẽ duplex* 126.33 *iudices reij-*

iudices reijciunt Israelitæ 99.31
iudicibus Dei nomen commune 116 13
iudicandi uerbum 22.34
iudicare quatenus soleat Euangelium 310.39
iudicandi munus Meßiæ 246.2 46,38 648,10
iudicium animi duplex 397.3
iudicium Dei cur in ignem futurum 638,4. duplex 239,27
iudicium pro condemnatione 471 48
iudicium facere cuius opus 294, 49
iudicium quando seruetur 11. 26
iudicium Meßiæ 38, 16 & inde. duplex 639,3. eius descriptio 667.42
iudicium & iustitia Christi 120 13
iudicij diuini æquitas 155, 47. contemptus 210, 24. 255 28
iudicij nomine quid intelligetur 239,24 57,36
iudicij de rebus peruersi fons 64 26
de iudicio cur mundus reprehendendus 46.50
iudicia Dei 353,25. Meßiæ qualia 309.47
iudicia deprauata reprehenduntur 67.38
iudicia quò dirigenda 258.2
iudicialis legis abolitio 21,20. officium 20.28
iudiciarius spiritus 139, 39. 238 42
iudiciariæ claues 21429
iugerum quid 59.20
iugum Ecclesiæ in quibus cernatur 457.40
iugum legis & Euangelij 111,17 376,37. à Meßia sublatum 163 9
iugi tributarij onus 111.11
iugi boum metaphora 132.33
Iulianus 372,15 654,1
C. Iulius Cæsar 692.42
iumenta onere idolorum grauata 417 30
iunci Nilotici 191.12
iuncorum metaphora 123.20
Iuno 698.20
Iuppiter Iehoua 170,17. cultus agentibus 401.33
iuramentum Dei cuius rei indicium 415.8
iuramentum magnum & solenne quod 169.38
iurisprudentiæ regula 384.50
ius quid 528.2
ius naturæ 218.47
ius naturale & hæreditariũ Christi 492.41
ius promißionis 591.16
iusiurandum Dei 169,30. 595,40
iurare per aliquem quid 415,44. in Deo 624.35
in iurãdo quæ cõsiderãda 625,26
iurantis falsò spiritus Antichristi spiritus 158.19
iustificare uerbum 67, 43. pro damnare 620.13
iustificari à Deo impium quando rectem dicatur 481.11
iustificari pro declarari apud Hebræos 488.51
cur iustificentur à Deo 484.42
iustificandi uerbi ambiguitas 490 24 & inde. apud Iacobum quid 498.22
iustificatus quomodo à Patre filius 449.31
iustificati per nomen Iesu 477.28
iustificatio an à regeneratione differat 294,22. 357,22. 465 7. quid 476,1. ad omnes pertineat legatur 491.36
iustificationis doctrina unde incipienda 386.16. cur ei aduersarij tam infesti 416.36
iustificationis finis 476,29. locus 475,50 & inde. ad iustificationem an faciant opera 483,35. quæ tria necessaria 480,4 388,10
inter iustificationem & regenerationem an aliquid interſit 481 1
iustificatione prædestinatio prior 380 30
in iustificatione impij quæ considerandæ 477.40
iustè agendi uis, unde 528.30
Iustinianus Imperator 576.6
iustitia Meßiæ qualis 286.37
iustitia nostra solus Christus 479 42. 476,40. 453,4. 593,31
iustitia Dei in tradendo filio 468 38. cui comes addita 354,35. 38,30. 174,46. 37,1. 303 50. 560,11. 479,11. 552 3. qua fulciantur pij 358.38
iustitia & iudiciũ Christi 120.13
iustitia quarum rerum fons 302,39
iustitia sua quib. opprobrio 271,39
iustitia Christi in conseruandis pauperibus 139,24. Ecclesiæ 372.26
iustitia electorũ Christus 344,20. 295,14. fidei 540,8. 553,43 614,9. legis munda 614,43. originis 614,26. sanctorum 593,41. aliena & propria ibid. imputata quatenus intra & extra nos 482.18
iustitia unde comparatur 617,27. qua simus iusti 476.10
iustitia indui quid 568.20
iustitiæ consideratio bipartita 237 15. donum 477, 13. diuinæ exẽpla duo 213,32. imago apud ueteres 68,3
iustitiæ Dei laus 522,6,10. stabilitas 453,37. uis in electis 506 3
iustitiæ munus 412,25. 528,7. oppositiũ 430,31. raritas 562 43. significationes 57,33. uestimentum 592.5
iustitiam quomodo loquatur Christus 605,28. in duabus rebus cerni 412,22. quid afferat 137 21
iustitiã suã extollunt impij 416.28
de iustitia patris quid testetur Christus 511.46
à iustitia Dei qui remoti 420.23
de iustitia cur mundus reprehendendus 46.42
iustus in quos sit Deus 384.35
iustitiarij 267.46
iusti nomen æternum 242.18
iusti qui 227,5. 536,5. quomodo reddemur 50, 35. 379, 3. 295 26
iustorum callis 239 12. fulgor 579 46
iustorum gratulatio 165,26. meritus 535,27. raritas sub impijs 240,6. uia 341.40
iustißimos mundi commoueri prædicatione Euangelij 78.5

L

Labij puri officiũ 545 41. fructus inde
labia polluta 79.45
labiorum reprehensio 562.24
laborandi uerbum 163.6
labor Christi quantus 377.27
labor in Ecclesia commendandus 651 40

labores Ecclesiæ 162,22
laborum distinctiones 627,25
labruscæ unde dictæ 55,10
lac Euangelij 509,34 gentium quid 577,30 spiritus consolatorij 637,1
lactis & mellis abundantia in terra sacra 97,38
lachryma quid 332,13
lachrymæ pœnitentiæ signũ 210 16
Lachesis una Parcarum 335,15
Lachris urbs 322,15
lacus 228,26
lætitia Dei in puniendo qualis. 14 45
lætitia electorum fructus Euangelij 527,7. hostium cõuertitur in luctum 172,40
lætitia sub Messia 110,35. 454 36
lætitiæ & luctus piorum & impiorum discrimen 280,2 589 40
Laisa urbs 133,15
lambendi uis igni tributa 68,24
lamia 312,50
lanæ comparati hostes Ecclesiæ 454 7
Laodienſi Ecclesiæ quæ scribat Ioannes 661,50
lapis Dei qui 256,28. Messias 231,13. super quem cadat 103,26 169,12
lapis septem oculis ornatus, Messiæ appellatio 139,9
lapides preciosi Ecclesiæ qui 502 49 & inde
lapidum aceruus quomodo unum 434,26 metaphora 193,13
lapidum natura unde cognoscẽda 256 48
lapidum trium, Iacobi figura 95 10
laqueus cõdemnationis 103,19
laqueus quomodo fit Messias 103 40
laqueus quibus sermo diuinus 255 12
laquei simile 227,21. 254,21 457 4
latebra qualis Messias 288,17
Latinorum theologorum uitium 66 22
latro in cruce 543, 6. calamus quassatus 364,35. eius beatitudo 267,1 fides. 479,51. de presio 342,6
latronibus annumeratus Christus 493 23
laudis Patris communicatio cum filio 367,14
Lazarus uitæ restitutus 177,34
lecti breuis figura 258,50
legati Assyrij oratio 318,28
legati Christi 700,47
legati Dei 235,23. angeli 607 34. quibus instructi 82,31 uolucribus comparati 420,1 qui tutores Ecclesiæ 77,20
legati Ezechiæ ad Assyrium 300 13. Mosis in Chananæam missi 300 44
legatorum Agni descriptio 666. 18 & inde. Antichristi studiũ 319 47
legatorum Dei ministerium 75, 44 alæ & pedes 76,13. falsorum nota 343,42
legatorum Dei ad puniendum officium 128,17
Lex ab æterno fuit 209. 52. quî in monte Sina promulgata 22 4
lex arma satanæ 307,51. bipartita 68,40. callis & semita 239,7. causa pœnitentiæ 518 52
lex Christi iudicis 120,32 Dei an mutari posit 21,46. quomodo pertineat 388,22
lex Euangelio quomodo cesserit 21 19
lex flammea 245,35. quæ imperet 532,26. quæ iustificet impium 477.22
lex maritus 496. 21. ministra mortis 196,26. pædagogus ad Christum 387,35. 389, 14. quomodo perficiatur 387 45. an præstari posit 387,17 cur à Deo posita 387,2. 24 & inde (41.
lex spiritus uitæ 453,52. 387,
legis diuinæ reiectio 68,40. uiolatio 436.33. doctrina 106 14. 183,28 583,43
legis duplicis officia 542.26. efficacia in impijs 389.34. impletio Christus bifariàm 483 7. 111,23. iugũ 111.17 minister 387.19
legis Mosææ maceries 530.31 repagulum 18. 50. munus 452 41
legis naturalis testimonium de diuinitate 374.19
legis obedientia perfecta opponenda 476.48. obseruatio & iugum 376.37. officium in pœnitentia 342.44. onus 15 26. opera an iustificent 483. 40. promulgatio 452 35
legis & prophetarum finis 17 45. seruitus 376.47
legis Sioniæ doctrinæ, & effectus 20 39. & inde.
legis spiritus sancti testimonium de diuinitate patris 374 20
legis summa 556. 30. tuba 665 9. usus in Ecclesia 578.21
legem extra Christum non præstari 578.38. qui impleant 482.43. obsignare 103.48 an præstemus 50.10. qui seruent 529.26. eorum bona 437 10
ex lege neminẽ iustificari 617.40
ad leges forenses Mosis alia imperia non obstricta 218.34
legum officium seu usus 53.38
legiones angelorum in cœlo 329 38
legislator qualis Messias 307.20
leonis satanæ imperium 317.14
leonis significatio 666.28
leoni quatenus Christus similis 668.29. quod regnum comparatum 297.20
leonum natura 70.40 & inde. uitia & uirtutes 284, 44 285 5
Leo Imperator diademate percussus 403.26
leuandi uerbum 321.42
leuiathan cur serpens tortuosus 247 42
Leuitarum hæreditas 560,24
Leptis Tyri colonia 221.27
Libanus mons 30.42
Libani arbores 576.32. consusio 30 4. gloria 313.39 326 5
liber quibus aperiatur 265.6
liber damnatorum 45.20
liber decretorum Dei 98,3
liber deuorandus quis 682.9
liber oraculorum quibus clausus 264.40. Domino cur tribuatur 667.48
libri appellatio 313.4
in libro uitæ scripti qui 659.11 45 9

librum sa-

librum salutis aperit Meßias. 104 29
libellus repudij 446.3
libera uoluntas 392,23 395,2. 386,41. 393,42. 397 18
liberorum afflictio grauißima. 456,40 558,12
liberis quæ doctrina trahenda. 338 50
liberum arbitrium 326,36 386,14. 170,10. 514,49.
liberè agere quomodo conueniat Deo 396.28
libertas Christiana 197.12 584,13,26. 111,29 366 40
libertas uoluntatis humanæ unde 375 18
libertatis spiritus 496.13
liberationem electorum bono differri 369,31. unde habeamus 337.37
liberalium hominum natura. 291 20
libertinorum schola 26.5
libidinosi 273.9
librandi uerbum 239.12
ligandi potestas quæ 214.30
lignariorum astrologia 426.36
lingua, ignis flammæ comparata 68 24
lingua maris 148.35
lingua Meßiæ 254.49
lingua mendax 325,30. 290,45 507 40
lingua proborum 303.30
linguæ igneæ 75.22
linguæ iuramentum 415.37 officium 545,40. puritas 11,13. uis 555,14. usus 36 3
linguam mutam à Meßia sanari. 316 24
linguarum confusio 421.16
linguarum Meßiæ & Mosis collatio 448.18
linguas præ dolore mandere, qui dicantur 710.8
linium obscurum quid 364.30
literæ sacræ quam fidem doceant 480 46
literarum sacrarum ab historicis discrimen 399.30
literarum honestarum doctores fouendi 444.43
literarum inuētio & laus 647.23 earum monumenta edētes quid testentur 398.24
in Literis sacris quæ duo cernenda 3.7
litigatio 542.46
locustarum simile 298.42 species 578.35
locustis qui comparati 351.20
locus quomodo accipiatur 532.1
Loth 248,50. 318,26. 553,8
lucos prohibuit Moses 16.35
lumen Dei 48,52. 528,25
lumen duplex 267,23. 366,31
lumen fidei quale 479, 10. 25.12
lumen quo Deus uidetur, triplex 72 20
lumen gratiæ 72.16. 110,10 66.38 350.29
luminis Christi beneficia 125.12
luminis fidei usus 465.33
luminum uaria genera 534.14
Luna 157,15. 401,33. 67,13 696,34. 352,46. 228,38
lupi qui 533,44. 141,22
Lutherani 635.11
luti similitudo 266,27,458,19 327,48. 362,1. 27,18
lux Dei illustrātis prophetas 1,31
lux duplex 236.13
lux gentium Meßias 441,10 352,35 130,29
lux sempiterna 579,12 uera 157.5 465.42
lucis amabilis natura in Deo. 130,35. 315,5. 383,46
lucis nomine res prosperæ significari 278,4,107,40
lucis & tenebrarum comparatio. 410 2
luci consiti 183.50
lucem qui dicant tenebras esse. 64 3
in luce qui sint 256.4
lucifer fidus 165.31
luxus uitiorum parens 220.6
Lydia 639.36

M

Macedonis dictum 283.20 Macedones 221.13
maceria diruta 18,52. 198,13
Madianitæ 111,35. 574.21
Madianitis scortum 178.34
magorum responsa 105,20. sapientia 405,14. copia in Babylone 157.43
magister noster Christus 196.1
magistratus non facilè mutandus. 99 37
magistratus sapientia quando culpanda 65.3
magistratum non sustulit Christus 217 34
magistratuum defectio apud Iudæos 34.33
magnatum ruina 213.25
Mahumetani seducti 711.33
idololatræ 249,48. Agareni non Saraceni 205.36
Mahumetanorum Alcoranus pars Antichristi 101,3. 103,12 quorundam conuersio & confessio 576,22. idola 370.6 seductio 679.28
Mahumetanum caput 161.25 eius capitis causa 703.6
Mahumetus 307,26. 398,12 Asianus & Africanus 506.34
Mahumeticus Pharisaismus 573 34 35
Mahumeticum Imperium 372.13
Mahumetica doctrina 106.21
Malachiæ locus 381.32
malum qui dicant bonum 64 3
mali nauis simile 274.31
malorum arx auaritia 303.11
maledictio terræ 179.14
maledictioni qui destinati 382.30
Manaßis dimidia tribus in exiliū abducta 108.14
mandandi uerbum 431.45
Manoa uidet angelum 79,41 quid ei acciderit 650.16
mansio cœlestis 296.14
mansueti 583,31. 139,46 terræ possessores 168.37
manus Domini 154,28. proborum 10,38. 303,30. 325,22
manus Dei grauis in puniendo. 241 22
mare uitreum 666,9. 707,22 magnum 108,40. desertum cur Babylon dicta 201.41
maris figura in Apocalypsi Ioannis 677.25
maris Rubri appellatio 191.13 330 14
Margaritæ cultus Romæ 698.22
Margaritarum significatio 235.30
Maria uirgo ubi prophetissa 98 47. unde conceperit 364.3
Mariæ uirginis hymnus 150.8
mariti nomen uxori datur 594.30
Mars 622,10. 698,19
matris comparatio cū amore Dei 443,31. chara pro infante 417 43
matrimoniorum direptorum ex-

cidium 446.51
Matthæi locus ex Iesaia 109.5
mathematici 637.14
matutinum tempus quibus rebus aptum 59.24
Maximinus 372.14
medicinam non negligit Deus. 339 17
medici 637.14
medicorum astrologia 426.37
Medus Assyrij imperij euersor. 159 40
Medi 154,16,52. 86,30 206,52. uasa iræ quomodo 155 43
Medorum beneuolētia in Iudæos 162,39. interitus 238.33 origo & genus 203,1. regnum in dotem datur Cyro. 159,48. situs 202,35
Melchizedechus, Meßiæ typus. 93 21
mellis & lactis abundantia in terra sacra 97.38
mendacium quid 430,5.562.28
mendacia draconis 507,40
mendaciorum uolumen uolans. 158 9
mens diuina 348.9
mens ubi spiritus hominis dicta. 47,50. cur nobis data 290.51 malitiosa 325,37. quibus malis auferatur homini 60.4
mentis sedes 454.37
menstruatæ mulieris similes 277.30 614 45
mercedis uox 346,40. usus ibid. 48
mercium usus 223.48
mercenarius Antichristus 535.4
mercenarij proprium 347.11
mercenariorum anni 180.48
meretrix purpurata 202,44 Babylon dicta 423.51
meretricis frons tributa Israelitis 7.11 13.3
meretricis Antichristi descriptio 712,15. simile 223.31
meretricem cur ducere iussus Oseas 473,45.500,10
meridie impingere quid 565.23 491,32. 346,43. 412,46
meritorum Christi usus præcipuus 468 19
Meßias cur in mundum uenerit. 125,14. 127,4. 110,16. propter quos 288,49.316,11 436,5 522.48
Meßias quando reuelatus 528.44 cur uenerit 553,5.582,32 librum salutis aperit 104,29 hostes prosternit 111.40 à quibus quæratur 142.36 à Iudæis expectatur 233.10 cur in mortem traditus 259.39 quales ferat in regno suo 288 46. quomodo à mundo exceptus 273,26. à satana tentatus 319,50. non obscurus & fractus 365,11. quantis contumelijs affectus 370.27
Meßias 374,52. euersurus Babylonem spiritualem 375.34 399 50
Meßias ad quid unctus à Deo. 407,3.94,35. nos suis humeris gestat 418.27
Meßias ubi locum inuenerit apud Iudæos 460,12. se derelictū à Deo queratur 469,3. in sanctis habitet 541.36
Meßias agnus 555,30. altare 533,13. angelus 133.33 247,24. ara diuina & eius carbones 81,34. ara in mundo posita 194,51. arbiter salutis 195,39. sanctitatis 517,1. arbor uitalis 544.46 627,5.653,15. arcus bellicus 219,41. basiliscus 172,1. brachium Domini 465,39. Christus 367.22 consolator 462.32. corpus umbrarum 349,6. Dauid 329,32.511,36. Deus 115, 24233,1.345,51. qualis & quòd noster Deus ibid. & 346, & inde 18. dilectus sponsæ 151,44. doctor 276 24. Dominus exercituum 102,10. 188,10. 286,48 eius imperium ibid. & inde. dux 245,12. electus Dei 363,38. exemplar Mosaici tabernaculi 20,9. faber 507 17. facies Dei 607,32.543 22. filius Dei 504,31.93,28 finis omnium 237,46
Meßiæ pes 238,26. iudiciaria potestas 62,33. potentia 185,34. 359,43.417,17 prælium aduersus hostes Ecclesiæ 368,42. 111,48 præsentia 329,50. propitiatorium 271,20. pulchritudo 305,14. querela 353.7 regni descriptio 22,25.113.8 287,31. an æternum 312,15 304,34.407,36. requies 142,43. sanguis 510.91 nostra sapientia 545.28. seruus Dei 363.15
Meßiæ species irata quando, & quibus 278.50 spiritus 239,15.293,30. unde eum habeat 364,4.543,12 spiritus 630,32.645,1 sponsus 592.16. thronus 73.4 uestitus 74.32 uictoriæ 439.34 uinum 509.24 uocatio à quo & ad quid facta 438.16
Meßiæ uox terribilis quibus 298 26. usus 51.4 zelus pro Ecclesia 121,11. 328,52
Meßiæ cur faueat Pater 363.46
Meßiam uidens, Deum uidet. 114 4
Meßiam quomodo extollant pij. 229 17
inter Meßiam & filios Dei quod discrimen 504.29
quid de eo crediturus impij ante extremum diem 466,16
in Meßia solo inuocandus Deus 401,24 520.40
in Meßia solo fides & spes ponenda 131.19 spiritum requiescere, quid 136.1 quomodo considerentur peccata. 275 14
Meßias tegit peccata 425.15
meßis Euangelij 111,1
meßis simile 183,6.111,1
messorum lætitia 110.48
metalla impura in aurum & argentum mutari 578.18
metallorum expurgatores 15.13
metus 90.11
metus Domini quid 136.19
diuini spiritus 138,51 90 12
Mezraimus Cham F. Ægypti author 190.41
Michael princeps angelorum. 689 23
Micheas contemporaneus Iesaiæ 3.41 121.26
millenarius cubus 274.28
militandi uerbum 285.20
militia sanctorum 246,13 339 45
militantium sub Christo bellum & hostes 142.24

militaria signa 69.24
millenarius cubus 523.26
Minerua 698.19
minæ diuimæ non omnes immutabiles 331.11
ministerium Euangelij ad quid ordinatum 294,24 686,50
ministri Euangelij 313,48 215,38 345,27
ministerium Euangelij 686.50
ministris Ecclesiæ necessaria præbenda 444.43
ministri Messiæ flammei 245.35 eorum munus 668,6. 339,2 80.28 beneficium Dei 521,13.649,10. quibus instructi debeant esse 82.31 architecti 590,12. qui legitimi 213.38
ministrorum uerbi pericula sub Antichristo 627.40
Mirabilis, nomen Messiæ 113.26
mirabilia Messiæ 229.22
miracula Dei & Papæ 696.49
miscendi uerbum 189.46
misereri uerbum apud Hebræos 275.30 575.47
misereſcere, proprium Dei opus. 14 41
miseria humani generis 331.51
misericors in quos sit Deus. 384 34
misericordia Dei ubi & quando opus 432,46.38,31
misericordia præueniens 342.41
misericordia cur impijs tributa. 240 11
misericordia Dei ubi cernatur. 377, 34. 468, 42. 251, 2 eius laus 433.8 thronus 561.13 Dei donum 162.6
misericordiæ uiscera 123.43 443.33. amplitudo 523.30
missa idolum 370.8
missæ pro mortuis uēditæ 167.4
Mizraim Chami F. 200.1
Moabitæ 2,25. 54,7. 148,33 574,22. paleis comparati 233,21. uitibus 179.50 expugnati à Nabuchodonosore 179.46
Moabitarum deuastatio 172.52 petulantia 175,9. de eorum calamitate, oraculum. 173,23.178,18. cognatio cum Israelitis 181.13
moderandi omnia ratio 348.41
modestos Deus amat 252.8
modestia noui hominis fructus. 49 15
mœroris uarietas 58.291
mœroris & lætitiæ appositio. 589 40
molā tollere seruilis cōditio 422.40
Molochi idolum 540,1. ei liberi cremati 281.25
monachi hypocritæ 124.10 martyres satanæ 533,20 pueris & mulieribus comparati 37.45
monachorum ordinum authores 26.14 superbia 341.51 uestitus uilis 200.30 in Monachis quid damnetur. 498 23
monarchiæ Romanæ ruina 312.7
monarchiarum mundi interitus 238 32
Monasterienses anabaptistas falsō nobis obijci à Papistis 218,18 629 36
monetarū adulteratio Iudæis obiecta 13.26
monopolium exercentes in regno Christi non muentū iri 289.31
mons Dei Ecclesia 141.6. eius eleuatio 134.44
mons oliuarum 582.20
mons cur Babylon dicta 153.27
montes qui 369.38
montes septem Romæ 691.45 155 27
montes Christo resistentes 30.30 conturbati impij 69.3
montium nomine quæ intelligantur 613,14.153,36
montium figura in Ioannis Apocalypsi 677,25.309,31
montibus comparati probi 68.21 super Montes cur ascendendum ministris Euangelij 460.40
monumentis literarum quid confiteantur electi 398.24
morbus à Messia sublatus quis. 308 24
morbi cur sub noctem graviores 335 23
morborum duo genera 86.10
morbos uarios cur curauerit Christus 467.30
mores corrumpunt impij 6.29
morientes in Domino qui 704 22
mors quatenus probetur Deo. 390,10. 372,52
mors duplex 231,40. 623,40 à Christo absorpta 231.35
mors Christus appellatus 172.3
mors cur sopori comparetur. 336 32
mors Christi præuisa ante secula 114,13 468,23
mors secunda quæ 654,50. prima 655.2
mors quando horribilis 334.48
mortis uiæ 442,17. ius in homines 585.28
mortis & inferni claues 650.39
mortis sanctorum causa 378.3
mortis arbor 653,18. onus 551,39. dolor à Christo portatus 468,7. inuolucrum 231 20
mortem quibus minetur Deus 211 43. quas afflictiones uocet Apostolus 387.16
mortui uicturi 243,10. & inde.
mortui uerè qui sint 565.38 585,41. an celebrent Deum 338 21
mortui hæretici quomodo tractandi 218.19
mortuorum responsa 105.31 pro dæmonum ludibrijs habenda 106,34. & inde. inuocatio in regno Antichristi 158.2
de Mortuis Christum inuocantibus quæstio 84.47
mortificatio carnis 54,30.236,32
Moses 137,47.543,5. prophetarum fons 358.6.462,12 quomodo missus 82,26. ad quid 583,18. Messiæ testis 98 32
Mosis cōsolationes quales 462.30 quomodo Deus 116,8. cur tantùm posteriora uiderit. 543,24 qualis præceptor 512,49. legis minister 387.19 ab Israelitis cōtemptus 272.50
Mosis administratio quàm gloriosa 43,16.364,42. beneficia in populum suum 151.18 consolationes 462,30. casus 318,26. doctrina de felicitate 514,9. fortitudo 117.7 iustificatio. 481.16 lingua 448.18. locus de impletione legis 483.18. mos in docendo 42.26. pedes quales 461.8. peccatum 378.38 pœnitentia 342.36. religio 399.50 scientia. 138.23 spiritus 344.27. ad leges so-

venſes alia imperia non obſtricta 218.34
Moſe apparuit Dominus 96.23
Moſen quomodo diſcant Iudæi. 562 10
à Moſe confuſi magi Ægyptiorũ 405 15
Moſea uox qualis 364,22. nota 197.14
Moſeæ legis fœdus irritum 501.34.
Moſæum ieiunium 550.23
mulieris menſtrualis & idolorum comparatio 277,30. parturientis ſimile 242,51.369,21
mulieri Eccleſia cõparata 686.21
mundus duplex 117,25.236.11 519,25. hoſtis Eccleſiæ 88.23
munera 303.19. non accipienda 13,50. 68,1. 287,39
munerum oblatio 188.3
muneribus diuinis ſuperbientium finis 213.8
murmurandi uerbum 105.35
muri Eccleſiæ qui 595.16. Babylonis 153.42. ſacræ ciuitatis 234,48.443,50
muſcis abundant Ægyptij 96.47 97 7
muſicæ uſus & abuſus 60.16
mußitandi uerbum 105.35
mutandi uerbum 201,52.353,41
myſteria regni cœlorum quis patefaciat 191.41.
myſteriorum diſpenſatores Apoſtoli 214,28.503,5
myſticas ſcripturas interpretandi ratio 108.26

N

NAaman Syrus 136.33. conuerſus 406.22. eius fides 300.1
Nabathæi 176,24.574,21
Naboth quando occiſus 549.49
Nabuchodonoſor 163,21,39 uaſtat Moabitas & Ammonitas 179.46. quandiu regnarit cum filijs 223,8.396,45 leo 666,29.693,18. ignis 75.51. interitus 168.13 ſuperbia 154.13
Nachoris peccatum 378.35
naſcendi cauſa 391.17
Nathan propheta 34.11
natura noua 349.14
naturæ ius 218.47. lumen 72.20
naturæ ueteris facultas 387.27 cæcitas 388.26. uitioſitas 316.25 432.41
natatorum mos 233.24.
nauis Eccleſiæ 307.13
nauis mali ſimile 274.31
nauium uolatus 186.23
Nazaræorum ſecta 651.50
Nazareatus Moſæus 424.4
neceßitas 170,21.375,22
neceſſariò quatenus res fiãt 393.12
negociatores 427.8
Nephthalienſis terra 107.50 108 14
Nero 161,18.247,33.372,14 654.1.693,14. Antichriſti typus 163,40.502,26
Nicolaitarum facta 652.47
Nicolaiſmus 655.38
nodi ſimilitudo 129.28
nigellæ ſemen 260 39
Nilus fluuius 186.26. fertilem reddit Ægyptum 191.5
Nili inundatio 97.3
Nimrodus Babylonis conditor. 168,48. 157,35. 421,7 eius regnum 203,5.279,26 conſilia diſſipata 352.9
Niniue Aſſyriorum caput 170.32 à quo condita 222.46. à Medis expugnata 297.46 330 26
Niniuitæ 136.34
Niniuitarum afflictio 331.10 ieiunium 550.13
Ninus Chaldæorum rex 269.38 quantus idololatra 401.51
nitendi uerbum 131.18
Noa 350.41. per Chriſtum ſeruatus 96.21. iuſtificationes 481.16. uinitor 248.2
Noæ caſus 318.26. religio 399 48. ſeruati exemplum 371.42 285,49 500.34
Nob ciuitas ſacerdotalis 133.23
nomen filiorum Dei quale 532.12
nominis Dei amplificatio 476.29
nomine ſuo quos uocet Deus. 371 20
nomina Dei triplicia 14.33
nomina diuinitatem Chriſti declarantia 237,40. 119,34
notitia Dei uera quæ 394.27
nouacula ſpiritus ſacri 462.8
nouaculæ allegoria 97.22
Nouembris menſis nomen 157.10
nouilunij feſtũ quod Deo gratum 10 9
nouiſſima tempora quæ 17.34
nox terribilis 173.32
nubes candida 705.19
nubes naturalis, & nubes Chriſti 51.34. et inde. præſentis Domini ſignum 680.27. prophetis & Apoſtolis comparatæ 56.3
nubis uſus 52.27
nubi peccatum comparatum. 403 43
nubium celer diſcurſus 188.32 eius ſimile 574.52
nubium ſignificatio 410.39
nubibus carituri Iſraelitæ 56.3
nucleus 261.22
nudatio 200.44
nuditas obſcœna 663.34
numerus in ſe multus 434.42
numerorum ſeriem difficulter pueri aſſequuntur 131.9. ſignificatio 127.25
numinis diuini potentia 375.2
nutantium metaphora 456.43
nutricis ethopœia 607.50
nutritij Eccleſiæ quando principes 577.46
de Nucum horto parabola 261.18

O

OBedientiæ Chriſti beneficium 448.43. bonum 471.14
obiectiones, Chriſtum nõ uenisſe, diluuntur 134.36. & inde.
obliuiſci Dei quantum crimen. 184 14
oblinendi uerbum 402,37.425,22
obtrectatio 241.16
obtrectatoris morſus 272.41
Occidentis ſeductio 679.25
occiſorum numerus in obſidione Titi 61.26
de Occultis naturæ differentes ferendi 6443
occurrendi uerbum 567.50
Octauianus Auguſtus 692.51
octonarij ſignificatio 332.32
oculi animi uelati 85.11. piorũ 303 36
oculi Chriſti quales 139,8.36,22
oculi cur Deo tributi 324.22
oculi indices arrogantiæ 129.16
oculos aperit Euangelium 315.2
oculos cæcos à Meßia ſanari. 316.24. ſublimes odit 325.20
in Oculis quæ uitia appareant. 29 44
odia iuſticiæ contraria 506.6
odiorum quatenus cauſa Chriſtus 189 36
offendiculum 255.12
offenſionis petra Chriſtus 102.42

offerendi munus Christi 493.40
Og rex 301.7
oleum benedictum 571.15. regium Ezechiæ & Meßiæ 132 36. sacri spiritus 516.32. regiæ unctionis 581, 40. 646 11
oleum in Ægyptum portare, quid 539 8
olei natura & significatio 589. 31. uis 132.40
oleæ Israelitæ cõparati 144.44
olearum decußionis simile 183.6
oleastri simile 516.16
oleastro gentes comparatæ 144, 44 198.30
olfacere quid 138.41
oliua Israelitarum 198.30
oliuæ duæ 683.46
olliueti mons 582.18
onera cur dicta idola 417.27
Onias pontifex templum in Ægypto extruit 195 3
opes uanæ 563.9. insolentes reddunt 68.33
opibus imperandum, non seruiendum 27.26
opera Dei 61.1. mirabilia 114, 26 27
opera an iustificent 483.35
operiendi uerbum 543.14
opificis Dei laus 348.34
oportet uerbum 665,23.643, 29 30
oppignerandi uerbum 335.35
optandi uerba 436.47
oracula clausa 104.2. non negligenda 105.22
oracula dura respuentium mos 272.46. gentilium qualia 362 16
orationes nostræ quales esse debeant 333.6
orbis terrarum anguli 673.39
orbitatis autor 410.14
orci ignis qualis 281.48
ordinati ad uitam quid 136.45
origo nostra 260.16
origmis uitium 378,19.432, 41.560,12 594,2
origmis uitio omnes immundos esse 614.22
orientalis uentus 249.16. seductio 629.28
ornandi uerbum 408,18.517, 27 28
Orphei theologia 112.40
os Christi 140,8.594,26
ossa mortuorum uiuificanda. 294 8
os sacrum 571.29. salutare 438 33 34
Oseas 121.26. contemporaneus Iesaiæ 3.41. cur iussus meretricem ducere 473.45
ostium apertum quod 660,1. Meßias 236,21.575.49. sanctorum Christus 665.5
ouatio gratulabunda 422.46
ouatio reuiuificationis 244.8
oues Christi 328.23. quales 471 31 32
ouium natura 347.42. uirtutes & laudes 471.23
ouibus comparati electi 470.3
ouile unum 145.14
ouorum similitudo 129.30
Ozias 98,29.171,25
Oziæ tempore potentes Iudæi 5 33

P

Pactum Dei 146.2
pædagogus ad Christum lex. 387 35
pædagogorum simile 101.36
paleæ impij comparati 279,24 68,15. Assyrius 263,21. Moabitæ 233.21
Palæstini 2,25.143,33. à Iudæis afflicti 5.34. à Dauide dißipati 259.4
Palæstinorum clades 171.7. deuastatio 172.52
palmæ descriptio 676.10
palmites 187.48
panis 551,42.261,6
panis uitæ Christus 261,16. 304 26
panis Christi et Antichristi 509, 47 48
panis baculus 33.20
panis & uestitus nomine quæ intelligantur 41.44
panes duodecim 235.13
papauer 260.39
paracletus spiritus sancti appellatio 545.20
paradisus iustorum 536.46. quo modo ab æterno fuerit 209.31
paradisi duo 236.13
parabolæ 163,15.261,12
paradoxa quæ uera 230.36
parare uiam Domini, quomodo fiat 341.36
Parcæ tres 335.15
pardo quod regnum comparatum 297 22
parentis affectu ubi induat Deus 11 50
parentum & Dei collatio 5,11. 338.51 607.4
parentum numerosa prole auctorum consolatio 42.4
parentum dolor in castigandis liberis 14,53.15,1
Parthorum regnum 160.47
pascendi munus 534.50
passerum casus 393.15
pastor stultus 502,12
pastor qualis Antichristus 535.4
pastoris appellatio 347,15. boni munus 347.27
pastori comparatus Christus. 470 4
pastorum simile 335.8
pastorum contra Iconem simile 285.13. auaritia 290.33. studia 14.27. uigilantia 658, 39 40
pastorum titulo qui indigni 38.3
pastorum fidelium labor 627.30
patefactionis Euangelij tempora 403.38 461,45
patefactionis Meßiæ spacia 135.3
pater quomodo bonus 515.22 an semper exoretur 630,38. excelsus 541.15. quos trahat 342.31. cur Meßiæ filio faueat 363,46
Pater cur Dominus exercituum dicatur & quomodo sanctificetur 102.9. quomodo iustificet filium 449.30. nobis reconciliatus 478.2
Pater origo omnis sanctitatis. 436 23
Patris nomen unde habeat Messias 117.18
Patris affectum in castigando sequitur Deus 275.6
Patris opus 517.33. nox iucunda 214.6
patris irati simile 293.10
patris decreta 313.14. uoluntas quæ 406.28
Patris cœlestis amor erga suos 443.37 112.49
Patri quomodo tribuatur Iehouæ nomen 367.17
ad Patrem qui ueniant 416.23
patres qui alienorum liberorum nota aspergendi 26.18.
in patrum lectione quid obseruandum 66.26

patientia sanctorum ubi 704.8
patientia in aduersis noui hominis fructus 49.16
patientia in Ecclesia commendanda 651.41
patientiæ exemplum Christus 471.9. imago ouis 347.45
pauendi uerbum 291.50
pauimentum unde dictum 404.52 53
Saulus de lupo agnus factus 141, 27. auditor Gamalielis 366, 26. in tertium cœlum raptus 238.25. quomodo uocatus ad Apostoli officium 81.30 magistratum ciuilem confirmat 218 1
Paulus qua luce illustratus 388, 50. cur primùm Iudæis concionatus 24.46
Pauli patria 639.29.31.9
pauor idololatrarum 402.12
pauperis oppressio 291.13. persona indutus quando Messias 238 27
pauperes 140,33. 172, 27. 173 15
pauperes spiritu 267,36. 360, 16 364.32
pauperes quomodo iustè iudicet Christus 139.22
pauperes an sine discrimine recipiendi 552.18
pauperes quos sint aliquando depressuri 238.38. quos Christus suscipiat 230.18
pauperum oppressio 39.24 clamor 58.9
pax Dei 644.35. Messiæ 241, 38. conscientiæ 410.12. Christi 237.34
pax mundi & Christi 461.3
pax animorum, fructus Euangelij 527.16
pax nulla impijs 437.42
pax Christi ubi cernatur 118.4. duplex ibidem
pax qualis, iustitiæ diuinæ usus 295 35
pax, duplex euangelij fructus 22 50 51
pax piorum in quibus consistat 505.42. quæ à Christo nobis parta 469.20. & inde
pax inter corpus & spiritum 244 17
pax inter carnem & spiritũ resurrectionis opus 50,29
pacis princeps Christus 118.1 turbatio 5644
in pace quæ significentur 546.15
peccator quomodo sanetur 544, 44 45
peccatum factus Christus 582, 46 172.4
peccatum quomodo diuina clementia deleatur 377.38
peccatum in spiritum sanctum 391 12
peccatum cur nubi comparatum 403,43. arma satanæ 307.51
peccatum citra Dei uoluntatem non committi, quomodo intelligendum 390.20
peccatum iræ diuinæ causa. 543 50 51
peccatum ad mortem quod 495 38 39
peccatum quomodo à nobis leuetur 308.26
peccatum originale 614.22
peccatum quomodo nobis dominetur 585.30
peccati inuolucrum 231.20. onus 15,26. 551,39. expiatio quomodo fiat 249.22. causæ quomodo explicandæ 85.57
peccati an autor Deus 383.48
peccati fœditas 523.34
ob peccatum uendi homines 446 14 15
sub peccatum quomodo dicatur Deus concludere 390.31
sub peccatum omnes concluſi 617 44 45
peccata tegere quomodo soleat Deus 425.13. quatenus condonentur 211.48
peccatorum bipartita consideratio 275.10
peccatorum ueniæ qui participes 308 30
peccatorum expiatio 469.48, 462,4. ad iustificationem necessaria 477.45.480.5
à peccatis quomodo abluamur 646 2
à peccando quæ tria nos auocent 260 16
pectoris puritas 11.11. durities 431 22
pectore emigrari ex regno Antichristi 462.49
pectora excæcare quomodo dicatur Deus 84.22
pedes proborum 303,29
pedes Seraphim seu legatorum Messiæ 76.19
pedes claudos à Messia sanari 316 24
pedes annunciantium Euangelii quales 460.42
pedum puritas 11,15. significatio 680 42
pedibus affectus notari 648.37
in pedibus quæ notentur 76.28
Pelusium urbs Ægypti 322,13
pensa & domos curant uiri apud Ægyptios 195.38
peregrini an sine discrimine recipiendi 552.18
pereuntium meritum 389.51
pereundi causa 391.17
perdendi quæ uis in aqua & igni 371 36
perditionis uox 337.12
perfecti qui 480.19
perfectio 478.7
perfectio legis dominus Christus bifariàm 483.7
perfectionis Messiæ causa 557, 43 44
perfectionis summæ opus 492.50
perfidia Hierosolymæ 13.22
perfidiæ & fidei distantia 7.51
Pergamensibus quid scribat Ioannes 655.15
Peripatetici 66,29. 637,14
perpendiculum 258.18
perrumpendi uerbum 496.50
Persarum regni præses angelus 330 17
Persiæ situs 354.28. imperium 120.45 170.48
Persici regni origo 455.22
persecutionis tempestas 502.24 52 33
persona non, sed doctrina spectanda 210.46
personæ Christi quæ tribuantur 598 39
personarum non habendus respectus 287.39
personarum inter homines discrimen 332.26
pertinaces in errore quomodo tractandi 216.40
pesah festum quando celebratum 279 42
peste deletus Assyriorum exercitus ante Hierosolymã 330.11
petra cur dictus Abraham 451, 18 19
petræ uariæ 29.30

Petrus 543.6. ipse non petra 235 4
Petri pœnitentia 342.36
Pharao 80, 10. 210, 10. 247, 26. 279, 27. 390, 27. 396, 45 46
philosophi quid de Deo nouerint 513 11
Phocæ imperium 563.32. tempus 688.48. idololatria 403, 25 26
Phocion respuit munera Alexandri 303.21
Phœnices 108.38
physici 637.14
Phytonis spiritus 262.45
pictoris & Dei simile 17.41
pietatis studium sequitur crux 317 27
pietatis simulatio 430.39
piger uox 330.32
pignus salutis 95.37
Pilatus innocentem pronunciat Christum 449.45
pilorum allegoria 97.22
pij mortui uicturi 243.21. quomodo afficiantur iudicio Dei 240 18
pij cur electi 356.49
piorum consolatio 385.10
pijs an salus possit eripi 501.6
pijs cur fiant admonitiones. 389 11
pijs an etiam ignominiosum care re sepultura 167.40
pijs proprie pertinere possessionem terræ 309.2
eum pijs quomodo Deus semper sit 372.35. & inde
pios solos bibere sanguinem Christi 596.38
pios quomodo afficiat ignis Dei 282.3. cur odio prosequantur impij 634.32
pingues qui 130.25
piscatorum negociatio 191. 18
piscium cibus 48.43. uaria genera 368.22
placationis Dei tempus 587.45
planta quomodo homo sit 338, 12 13
plantare 184.27
plateæ ciuitatis cœlestis 235.34
Plato 192,27 424.18
Platonici 66,29. 637,14
Platonicorum Theologia 112 40 41
Platonica schola 26,11
plenitudo terræ quæ dicatur 309 6
plenitudo gentium 407.15
plenitudinis tempora quæ dicta 17 37
Plinij locus de Babylonis splendore 153.52
pluuiæ similitudo 276,35. 277, 43. 56,16 520.14
pœnæ Iudæorum ob interfectum Messiam 134.30
pœnitentia uera quæ 210.17
pœnitentia duplex 342.43
pœnitentia simulata quæ 519.7
poëtarum dicta illustria citanda 66 44
ponderi comparata iniquitas 227 41
pontificis Romani discipuli 267, 50 51
pontificis noui arrogantia 216.9 tyrannis in Ecclesia 218.6
pontifices 39.39
pontifices Iudæorum pueri 37, 38 78.9
in pontificibus quid damnetur 498 22
pontificum auaritia 290. 33. studia 14,27. regnum 679.31
populus Dei qui 292.35
populus & sacerdotes quando pariter in uitijs 224.31
populi contumacia in prophetas 82 13
populi Dei afflictio 39.42
populi sacri casus qualis 160.33. habitatio 296.10. præcipuũ insigne 559.11
populi Iudaici reprehensio 254.8
populo Dei non casu euenire mala 121.29
portæ cœlestis ciuitatis 235.16
portæ inferni 333.43
possidendi uerbum 146.22
posteri quatenus maiorum crimina luant 621.3
potentia insolentes reddit 68.33
potentia Dei 14.36
potentia diuina 348,5,44
præcepta Dei 255.8
præceptorum officium 339.1
præcipiendi uerbum 431.45
prædestinatio 45,10. 357,20. 380,30 327.2
prædicationis ministerium 80.22
prædictiones quæ uanæ 405.10
prænotio Dei 170.5
præscientia Dei 326,31. 357,19
præsentia Dei 323,25. 351,4
precum exauditio, beneficentiæ fructus 554.27
precum spiritus 140.6
in precibus quæ ponderanda 333 3
precationis domus Ecclesia 532, 42. præsidiũ 320.48. uerba nõ numerat Deus 10.33. uis 324,40 677,8
precationem exprimit afflictio 242 42
precatione an opus 630.15
precationes sanctorum 321.25
precationum oblatio 676.47
precium quo redimitur Ecclesia quale 459.9
precium redempti mũdi 468.45
precio ubi nullus locus relictus 509 20
pretiosum pro raro 158.38
primitiæ resurrectionis Christus 645 19
primitiæ spiritus 50,38. 138,28
primitiarum uis 700.25
primogenitorum dignitas 172.19
princeps mundi quibus uictus 451 51
princeps pacis Messias 118.1
princeps regum 645.29
principes abietibus comparati 164.22. bubalis similes 327, 26. Ecclesiæ nutritij 577.46 organa imperij diuini 222.37 à papa dementati 167.2
principes quàm seuerè exagitati ab Iesaiâ 8.48
principes in regno Messiæ qui 287 42
principes quomodo Deum referre debeant 128.17
principes stulti, mulieribus comparati 37.22
principum appellatio unde 289, 25 26
principum defectio ab Antichristo 330.40. sub eodem metus 129 45
principum mores 577.33. reprehensio 263.37. auaricia 58.17
proborum tegumenta 209.15
probaticæ piscinæ aqua cur mota ab angelo 46.27
proconsules decem 692.3
profundum inferni appellatio 282 44. Babylonis 405.42
promissio, ad salutem necessaria 91 43

promissio-

promißiones diuinæ quo referendæ 95.25
promißionum Dei certitudo 453, 10.298, 22. donum 389.22 fides 229.35. locus 595.32 ordo 268.28. partitio 556.38. ſpes 298.7. ius 591 16
promißione qua electi Iudæi 255 36
promißione an caruerint gentes 530 14
promiſſum patris quod 478.24
promiſſa Dei de præſtanda ſalute cur ſæpe repetantur 202.14 à quibus falſò oſtententur 255 48
promiſſorum impletio 367.42
de promißis Dei quid 336.2
prophetiæ munus 34.9
prophetiæ uox quid ſignificet 1 46
prophetæ 137.48. Iſraelitis portento fuerunt 104.40. ad quos mittantur 334.31
prophetæ unde ſuorum oraculorum fluenta hauſerint 462.13 muri Eccleſiæ 595.17. nubibus comparati 56.3. os Dei 412.15. ſpeculatores dicti 204.1. trituratores 204.30 qua uidēdi ui præditi 1.33. uidentes dicti 207.13. quomodo uiderint dominum 72.11
prophetæ Seraphim in terra 81.22. uitio originis depranati 378 41
prophetæ & Domini ſermo idem 4 46
prophetæ falſi 105,49.534.1. uulpibus collati 56.49. currūt non miſſi 436.7
prophetarum defectus ſub Antichriſto 34.12
prophetarum ut ſeruorum Dei dignitas 644,3.321,22
prophetarum diſcipuli, filij dicti 89 36
prophetarum dolor ob calamitates communes 174.34
prophetarum fortitudo 117.8. fundamentum 235.2. optimus interpres 681.21. iuſtificatio 481 17
in prophetarum lectione quæ conſideranda 121.34. in oraculis quæ perpendenda 228.16
prophetarum mos in reprehendendo 9.10. in docendo 42, 16.560,40. mos perpetuus 17.26. munus 89,27.339,1 548,15. religio 399.50. raritas 82.12. ronchi & naſi 165.21. ſanguinis 10.44. teſtimonia de perfectione legis 483 19
prophetarum et legis finis 17.45
prophetarum falſorum adulatio 123 24
in prophetis explicandis quid adhibendum 3.16
prophetica buccina 548.2
propheticæ libertatis & ſeueritatis exemplum 8.52
propheticum munus quid præſtet 3.37. quandiu durarit 593.8
propheticorum uiſorum mos. 676 40
propitiatorium 271.17
propoſitum bonum aut malum 395 4
propoſito Dei omnia euenire 393 25
propugnaculum 257.6
Protagoræ liber crematus 219.16
prouerbia 163.15
prouidentia diuina 59.7
prouidentia diuina omnia accidere 241, 45.326, 26.351, 33 631.16
prouidentiæ diuinæ operū finis 408 51
prudentia mundi quando latere dicatur 265.52
prudentia in ciuibus commendata 288.25. quatenus res uana 563 10
prudentia ſerpentum imitanda 429 33
Prußia 576.18
Pſalmi Dauidis 150,7.707,36
Pſammetichus Ægypti rex 189, 43 200.9
pſeudoprophetæ 269,6. 272, 43. uenatores Eccleſiæ 457.2 quales hoſtes 506.21
pſeudo prophetarum adulatio 123.26. doctrina 563.38. interitus 246.29
pſeudoprophetis non credendum 105.24. cur eis permittantur electi 444.3
Ptolemæus Philometor 195.5
publicanus linum obſcurum 364 36 37
publicani depreſſio 342.7
pudenda Ægyptiorum detecta quid notarint 201.1
pudor quid 358.43
pueri difficulter numeros aſſequuntur 131.9
pueri uarij 35.26
puerorum ſiniſtra inſtitutio apud Iudæos 25.47
puerorum timor 299.48
puericia 418.7
in pugnando quid nobis cogitandum 452.2
pulchritudo amoris cauſa 595.4
pulueris ſignificatio 458.19
pulueri comparati impij 68.15
pulueri terræ qui comparati 453 43 44
punctum 237.48
puniri à Deo quæ dicantur. 389 42
punire, alienum Dei opus 14.41
purgandi uerbum 257.4
purgandi quæ uis in aqua & igni 371 36
purgandi uis in igne 638.9
purè quatenus dicamur 50.7
puſillanimes 314.11
puteus inferni nomen 282.44
putei fumus 678.12
putredinis uox 337.12
Pythagoras 192.26
Pythagoricorū theologia 112.40
Pythagorica ſchola 26.11
Pythonum reſponſa 105.20.30

Q

Quadrata figura 234.18
quadriga Salomoni exhibita 77 10
quadriga Ezechielis 285.4
quadrigæ igneæ 638.30
quadrigarum rotæ 70.38
quærere Dominum quid 517.46
quærendi uerbum 142.40
quaternarius numerus 127.22 175,51 666.17
quieſcendi uerbum 89.50
quietis ſpiritus 643.10
quies in cœlo 162.31
quies regni cœleſtis 142.43
quinarius numerus 237.49
quirinalis mons Romæ 691,64

R

Raab Chananæ 136.33.40. uerſa 406.22
Raab meretrix 488.18
Raabæ fides 300.1
Rabbi quis ſit 195.43
Rabſaces 89,43.318.2 Rabſacis le-

Rabſacis legatus 318.1
radicis metaphora 133,45.65, 21 22
radici fides comparata 486.44 Chriſtus 466.20
radicum ſimile 328.29
Rama uicus 133.13
ramorum metaphora 123.29
ramis comparata charitas 486 44 45
ranarum deſcriptio 710.44
rara, precioſa 158.38
Raſin rex Syriæ 91.8
raſi capitis in Antichriſto cauſa 424 3
raſorum mollities 712.23
ratio in legatis Dei tecta cur 76 26 27
rationis lumen innatum quale 350.29.proprium 131.11 tenebræ 366.46
Razin rex Syriæ 182.13
Rebecca typus Eccleſiæ 428.39
Rebeccam quid mendacijs liberet 427 48
rebellium contumacia 7.4 perfidia 302.29.pœnæ 107.21 & inde. ſacrificio quot modis Deo diſpliceant 9.38.ſecuritas 122.4
rebellionis ſcelus & pœna 447.3
reconciliatio Iſraelitarum cum Deo 293,37.569,46.674, 20 21
reconciliationis annus 587.43 dies 149.49 fructus uiolatum 225 25
reconciliationis Iudæorum tempus 264.10.ſtatus 440.16 tempora 248,30. 416 42. 452.25.teſtamentum 511.34
recti qui & unde dicantur 379 28 29
rectiones tres à Deo inſtitutæ 41 17
redemptor 422,44,52
redemptor noſter Meßias 116.36
redemptionis beneficium & ius 404 15
redeptio Iudæorũ altera 145.49
redemptionis fructus 398.9.gratia cui tribuenda 376.29.honor 372, 24.miniſterium 17 20. effectus 363.15
redemptionis nouæ beneficia. 376.12 opus 368.1. precium 476 41
regenerator ſpiritus 388.35.un-de 294 13
regeneratorum uita 243.13.hæreditas 560.25
regeneratio 236,32.233,48. 661.20.quibus conſtet rebus 46,6, 25. an à iuſtificatione differat 294 22.quod nomen indat 594.21
regenerationis author 77.38
regenerationis author trinitas 499.31 beneficium 349,27. 504,38.lumen 125,18.opus 517.32.ſemen 104 48.ſpiritus 379.44.unio 434.36
inter regenerationem & iuſtificationem an aliquid interſit 481 1
regenerationem qui tollant 386 47 48
de regeneratione quomodo loquendum 404.9
regeniti quomodo ſancti dicantur 44 40
regis iuſti officium 287 25
regis Meßiæ mateſtas 80.39
regis boni munus 178.10
regem ſtatuunt Iſraelitæ 99.31
reges 140,36 cur beluarum marinarum nomine appellentur 247.23. cedris comparati 164 22
reges ad quid creentur 334.33 Eccleſiæ nutritij 444.30
in reges quis ungat electos, &c. 494 20
reges organa imperij diuini 222. 37. à Papa dementati 167. 2. pauperes qui 230.27
reges Romani 691.48
reges per quam ſapientiam regant 115.21
regum ſub Antichriſto uerus. 129.45 mores 577.33 nomẽ in Hebræa lingua eiuſq; ratio 34.43.officiũ 444.41
regum princeps Chriſtus quomodo 645.29
regum ſanctorum religio 399.50
regina Auſtri uenit ad Salomonẽ 186 12
reginæ cœli cultus 540.2
reginæ honor 413.24
reginæ functio in quibus uerſetur 178 3
regnum Antichriſti abolendum. 140 1
regnum in æternum inchoarit Meßias 312.15
regnum Chriſti 118.43
regnum qui fideliter adminiſtrent 177 47
regnum an Iudæis reſtituendum 570 8
regnum Meßiæ quale 22.25 120 47
regni Chriſti differentia à regnis mundi 24.19
regni Iudaici finis 21.23 cõmotio 78.13
in regnõ Meßiæ qui non inueniãtur 289.31
regna diuinitus inſtituta quomodo regenda 189.3
regna duo 236.10
regna mundi à Deo non caſu tradi 407.32.cur euerſa 297.7
regna cõtra regna excitantur ab angelis 330.16
regnorum mundi caſus 178.48 conuerſiones 160.47.deſtructio Apoſtolorũ tempore 312 5.mundi euerſio 372.8 reiectionis ſtatus 440.13
religio quæ conſiſtat 184.40
religio uera ad quos fontes reuocanda 409.48.124,3. cur ab initio ſtatim diuiſa 401.49
religio unde uera eſſe probetur 322 40
religionem corrũpunt impij 6.29
in religione errantes quomodo tractandi 216.16
reliquiæ Eccleſiæ 131.28
reliquiæ electæ gentis ſeruatæ 8 16
reliquiæ electorum Deo gratæ 226 18
reliquiæ Iſraelis 621,13.43,50. quomodo pro munere offerantur 188.15
remißio culpæ nulla extra Eccleſiam 340.15
renouatio noſtri, pœnitẽtiæ pars 522 12
Rephaim uallis 183,11.209.5
reprehendendi mos apud prophetas 9.11
repudij libellus 446.3
repudiatum an ſe quis reddat 380 27
repudiatos quomodo oderit Deus 384 40
requies Chriſti 142.43
requies piorum 704.37
res aduerſæ cauſa inuocationis 520 27

res prosperæ quæ 313.33
res quæ & cur per prophetas patefiant 1.39
res uanæ quæ 563.9
rerum omnium finis 17.35. ortus constans & firmus 393.18
ex Rebus aduersis qui habeant felicem exitum 337.3
respublica quomodo seruetur, aut perdetur 126,27.14,9
reipublicæ corpus unde confitetur 125,46. status quomodo conseruentur 176.45
reipub. mutandæ studium in uulgo periculosum 99.36
rerumpublicarum euersionis fons 14,6.123,17. status quis bonus 563.3
rerum sacrarum imperitia in Iudæis 254.41
respipiscentiæ locus ubi 570.22
resoluendi uerbum 615.38
respondendi uerbum 276.10
responsa unde petenda 105.48 quomodo perquisita 271.14
resurrectio animantium & stirpium qualis 243,46. & inde.
resurrectio duplex 29,40.231, 40.626,18 & inde.
resurrectio Christi ad iustificationem necessaria 477.46
resurrectio prima 228,43. 457 49
resurrectiõis duplicis uita 243.10 tempus 613.36
resurrectionis utriusque gloria. 240,36 244.33
resurrectionis memoriæ quis dicatus dies 647.18
resurrectionis primitiæ, Christus 645 19
retibus falsa doctrina comparata 457 4
de Reis, regula iuris prudentiæ. 384 50
reuiuificationis gloria quanta. 244 8
Rezinis Assyriæ regis interitus. 122 38
robur 299.21
robur Dei 14.36
Rochus diuus 698.25
Roma Ægypto imperat 134.17 Babylonis nomine accepta. 161,11. ad quid destinata 161,18. quandiu duratura 693 43
Romanus Antichristus 506.34
Romanus Episcopus quãdo principatũ sibi arripuerit 688.48
Romanum imperium 170.38 bestia marina 247,32. quali bestiæ comparatum 297,22 ruinam minatur 238.34
Romani 2,26.206,52.297,11 Ægyptum uexarunt 191.4
Romani Cæsares 78.9
Romani feris comparati 55.25
Romani Imperij amplitudo Messiæ tempore 312,1. imminutio & ruina 372, 10. septem capita 691,44. translatio 170,41. uis 70.47
Romani milites sub Vespasiano. 69 32
Rom. Pontificis discipuli 267.50
Romani regni origo 455.22
Romani propria sapientia euersi 65 11
Romani tyranni 396,46. eorundem interitus 352.11
ex Romanis capitales ecclesiæ hostes orti 311.31
Romana captiuitas 459.18
Romanæ Ecclesiæ errores 628 3 & inde.
ronchis prophetæ instructi 165.21
rorandi uerbum 410.20
roris beneficium 187,29. figura 410,24. similitudo 244.34
rotarum figura 77.11
Rubenensis tribus 179.38
Rubenis tribus in exilium abducta 108.14
Rubrum mare exiccatũ 447.37
rubor ex pudore 156.28
rubori cocci cur comparata uitia 12 6
ruina letalis quomodo Messias dici posßit 103.41

S

SAba Æthiopiæ metropolis 186 12. quando Deum agnoscere cœperit 412.51
sabbatum 138.32
sabbatum seruare quid 529.13 uiolare quid ibid. quis uere sanctificet 560.2
sabbatum ex sabbato quando futurum 641.14
sabbati præposteri reprehensio. 559 5
Sabææ nomen unde 574.33
saccus, pœnitentiæ index 200,23 210 17
sacerdos noster, Christus 94,48
sacerdotis Mosæi munus 651.32
sacerdotes 140.36
sacerdotes Iudæi 78.9
sacerdotes uitio originis deprauati 378,46
sacerdotes Domini 590.32
sacerdotum hæreditas 560.24
sacerdotum mortuorum ossa à lotia cremata 218.24
sacerdotium Christi 216.10
sacerdotium spirituale 640.22
sacerdotij Iudaici cõmotio 78.13
sacerdotia duo 236.10
sacerdotalis dignitas 531,51 533 2
sacra gentium uana 348.51
sacrificium præcipuum 437.31
sacrificia quando probentur 9.21
sacrificia reijcit Deus 633.18
sacrificia Christianorum 195.10 cur sancta dicta 44.43
sacrificiorum partes 376.39
in Sacrificijs quid damnetur. 498 23
sacrilegorum panis 552.15
Saducæorum secta 460.9
sæuities Babyloniorum 157.45
sagittæ iræ 219.43
sagittæ puræ comparatus Messias 439 14
sal sapientiæ Messias 211.11
saliendi uerbum 453.19
salis natura 211,16.453,28
Salmanassar Assyriorũ rex 108.17
Salomon 543.5
Salomonis pœnitentia 342.36 regnum 151.32
saluator Ecclesiæ Messias 150.36 491,13. quomodo ueniat 604 6
salus unde constet 331,50. ubi cernatur 299,24.328,45
salus Ecclesiæ qua ui paretur. 644,50. quatenus nemini affulgeat 267.33
salus per Messiã quàm late pateat 364 19
salus Messiæ appellatio 234.36 453 4
salus quibus detur 370.22 unde contingat 617.26
salus suorum quomodo dicatur Deus 293.18
salus quomodo patefiat 80.18
salus promissa Israelitis adhuc expetenda 144,24, & inde.
salus electorum firma 356,41. cuius finis 408.53

ſalutis abſoluēdæ ratio in quibus conſiſtat 357.20
ſalutis caput 319.44 fons Meßias 152.14 fundamentum 582, 6. origo 432.13. petra 6.47 præſentia 444.11. promißio conditionalis in lege 557,12. reparatio 441.28. reuelatio 528.17. ueſtimentum Meßias 591 50
ſalutem quæ doctrina afferat 450 27
ſalutem uiribus noſtris tribuentium error 388.6
ſalutem an quid poßit auferre pijs 501 6
ſalutem perficiendi ratio 460.35
ſalutem promittere per prædictionem quid 432.18
ad ſalutem quibus medijs Eccleſia pertingat 340.41. duo neceſſaria 91.41
in ſalute præſtanda qui ordo ſeruetur 613.50
in ſalute cōficienda, quæ duo præcipua 335.51
ſaluos fieri quomodo uelit omnes Deus 384.11
ſalui qui futuri ſint 373.22
ſalui quomodo ſimus 387.10
Samaria ab Aſſyrijs uaſtata 177 10. capta 108.18. flori deciduo comparata 252.32
Samariæ mons 252 40
Samſon 41.11. molere coactus 422 27
Samuel propheta 34.11. à Saule euocatus 619.13
Samuelis ſpecie dæmon euocatus 362,24 106.46
Sanctus ter uocatus Meßias cur 77 27
ſanctus Iſraelis quis 6,39.371,48
ſancti quale opus in Chriſto 284 11 12
Sancti ſanctuarium Dei 576.42 qui in Chriſto reddantur 385 24. quomodo uiderint Dominum 72.11
ſancti cur uitam expetant in terra 334. 36. cur morti obnoxij 378.3. quomodo habeāt ſpiritum ſanctum 504.45
ſancti uiuis lapidibus comparati 502.50. arboribus 328.36 collati 627.3
ſancti quomodo ſancti, cùm peccatis non careant 47.45. quatenus 50.7
Sanctorum lætitia 110.48. ſpes 104.33. uictoria quibus conſtet 272.8. mentes uerbo nutriri 48.44. corpora reſurrectura 243.30
Sanctorum afflictiones 51.8. militia 246.13. uita 704 51. habitatio 316.50. clamor 58.10 interitus 536.8. conuerſatio 235.34. ſcientia 138,18. ieiunia 550.10. exultatio in Meſſiæ gloria 155.9. precatio pro aliorum ſalute 495.4
ſanctorum inſtificans fides qualis 479.20. exercitus 155.29
ſanctorum uitia quomodo explicanda 430 13
ſanctis non uocent feræ ſub Meſſia 140.50
in ſanctis quomodo habitet Chriſtus 541.36
in ſanctis quid poßit ſpiritus adoptionis 554 44
ſanctis quomodo Dei nomen inſcribatur 661.21
ſanctos ſtellis comparat Paulus 166 20
ſanctuarium 52.1
ſanctuarium Dei 576.43
ſanctuarium in templo Salomonis 406.35
ſanctuarij principes 378 46
ſanctuaria duo 236.10
ſanctum quid 283.27
ſanctum eſſe, quid 44.34
ſancta quæ dicantur 44.38
ſanctificare pro deuouere 620 8
ſanctificatio nominis diuini cuius rei finis 408.52
ſanctificationis arbiter quis 517.1
in ſanctificatione Dei patris quæ duo notanda 62.41
ſanctificati 154.34
ſanctißimus 708,17,30
ſanctitas 708.27
ſanctitas noſtra Chriſtus 102.36
ſanctitas fidei & amoris Dei cuius opus 385.27
ſanctitatis uox 44.47
ſanctitatis Chriſti uſus 474.2. origo 380.33
ſanguis noui Teſtamenti 510.51
ſanguinis Chriſti aſperſio 464 45. beneficium 391.38. meritum 469.24. neceſſarium ad iuſtificationem 480.5
ſanguine Chriſti abluimur à peccatis 45 50
ſanguinis Meßiæ meritum 147.2
ſanguine Meßiæ deberi iniquitates 377.31
ſanguis uaccæ 147.3
ſanguinis effuſio 561.32. innocentis uindex 246.41. uox 303 32
ſanguinem Chriſti qui bibere dicantur 596 38
ſanguine impiorum Meßiæ ueſtitus tinctus 246.17
ſanguinarij 10.38
ſanitas corporalis & ſpiritualis 553.36. quam affert Meßias 308 21
ſapientis Hebræi præclara dicta 150
ſapientis cuiuſdam de Deo reſpōſum 129.13
ſapientes Ægyptiorum ebrijs comparati 193.20. Babylonioriū 425.3. huius mundi 124.25
ſapientum confuſio 405.22
ſapientum mundi lumen 315,17. 366,34 uita 290.15
ſapientia cœleſtis 299.27. diuina 336.13 348.9
ſapientia Dei Meßias 114,36. 245.46 397.31
ſapientia carnis terrena 486. huius mūdi 64 28. quomodo inſatuetur 191.36. 192.38 quale uelum 288.30 perſtringitur 305.35. 454.43
ſapientia ſua quibus opprobrio 271.39. non defendit à caſu 165.46. quæ laude ſua non ſtranda 192.2
ſapientiæ mūdi interitus 265.19
ſapientiæ diuinæ nihil aßimilari in natura 351.38
ſapientiæ humanæ & diuinæ diſcrimen elegans 65,40. 425, 20 21
ſapientiæ humanæ, tenebræ 366 48
ſapientiæ ſpiritus 137.10
ſapphyri gemmæ natura 75.9
Saræ nomen mutatum 574.11
Saræ cōparata Eccleſia 496.34
Saraceni Ægyptiū uexarūt 191.4
ſardius lapis 665.31
Sardenſi Eccleſiæ quæ ſcribat Ioannes 658.31
Sareptana uidua 136. 33. cuius conuerſio 406.22. fides 300.1
ſatan qualis ſerpens 247.37. hoſtis Eccle-

ſtis Eccleſiæ 83.23. electorũ 368.39. culpæ autor 389.44 parens beſtiæ 697. 5. quantũ nocere poſſit electis 327.32 cur leoni comparatus 284.45
ſatan hoſtis uictus 307.49. eius arma ibid. qualis ſerpens 464. 16. excæcationis cauſa 83.23. accuſator in iudicio uictus 457.21, cõdemnationis Chriſti author 449.27. diſcordiarum 564.4. execratur nomen Dei 338. 32. cæcitatis cauſa 402.36. autor errorum 610 37. adorari uult 166.35. an inuitus malus 392.41
ſatan quomodo mali author 259 50. cum ſuis uolũtati Dei ſubiectus 396.40
ſatanæ caſus 165,44. 391.6. execratio cum ſuis 84.13. hoſtilia conſilia in hominem 388 17. à quo euertantur 140.3. conatus 693.7. arma aduerſus electos 320.10
ſatanæ quatenus ſubiecta regna mundi 297.24
ſatanæ caput à Meſſia contritum 239 20
à ſatanis regno quomodo emigremus 462.48
ſatanæ dominatus deſtruendus 154 39
ſatanæ proprium opus 259.26. diſſidium ab electis 635.16. tentatio 319.50
ſatanæ quomodo tribuantur afflictiones 654.30
ſatanæ mos in citandis Scripturis 319. 15. ſedes 655.17
ſatanam in ueritate non ſtetiſſe quid 385.7
ſetanam uincendi uia 420.10
ſatisfactio Chriſti 586.36
ſaturandi uerbum 475.41
ſatyri 312.46
Saulus 80.10
Saulis tremor 633.6
Saulus ubi plus æquo clemens 128 14
Sauli clypeus 203.46. pœnitentia 210,20.342,34.541,46
ſcabiei ſimilitudo 57.35
ſcelera ponderi comparata 6.11
ſcelera trahentes 63.24
ſcelerum omnium fons 123.6. finis 390.34
ſcelerati duplices 37.10
ſcelerati ſine ſepultura 137.51
ſceptrum Euangelij 139.51
ſceptrum ferreum quod 246,26. 359 37
ſceptrum Iudæ ſublatum 134.15
ſcientia Domini aquis maritimis comparata 142.1
ſcientiæ claues 214.22
ſcientiæ ſpiritus 138,16.645.10
ſciuri 71.7
ſchola cœleſtis 26.26
ſcholæ filij perditi quid docuerint 26 9
ſcholaſtici theologi perſtringunguntur 66.10
in ſcholaſticis quid damnetur 498 23
ſcommatis quos exagitent prophetæ 165.23
ſcoria repurgamentum argenti 13 19
ſcorijs qui comparati 433.16
ſcorpionis cor, aſtrum 157.8
ſcorpiones calcandi poteſtas 141 16 17
ſcorpionum ſimile 678.17
ſcorto quatenus ſimilis Eccleſiæ 473 48
Scotia 576.18
Scotiſtæ 20.13
ſcribæ Iudæorum pueri 37.38
ſcriptorum in libro uitæ uocatio 374 16
ſcriptura ſacra 436.13
ſcripturum philoſophorum doctrina illuſtrantes taxantur. 66 3
ſcripturas myſticas interpretandi ratio 108.26
ſcriptionis teſtes 98 23
ſcripti qui declarent ſe Iehouæ eſſe 398.22
ex ſcriptis noſtrorum doctorum quatenus occaſio data erroribus quorundam hæreticorum 629 42
Scytharum & Ægyptiorum contentio 192.29
Sebaſtiani cultus 698.24
ſectorum confuſio in regno Antichriſti 421.19
ſectis ſciſſa membra Eccleſiæ 126 13 14
ſeculum præſens futuri neſtibulũ 537 6
ſeculi præſentis neglectio, nouiſſimi hominis fructus 49.16
ſeculi futuri gloria 554.5
ſeculorum nouiſſimorum interualla 17.46
ſecuris ſimilitudo 130.1
ſecuritas 258.41
ſecuritatis deſcriptio 210.24
ſedandi uerbum 455.17
Sedechiæ tempora 211.1
ſedendi uerbum 664.30
ſedere iudicum 76.10
ſedere in puluere terræ cur iubeatur Babylon 422.1
ſedes Antichriſti 161.32
ſedes quæ aquas ſacri ſpiritus fundat 235.49
ſeditionis origo 35.43
ſeductiones hominum in papatu 697 37
Seleuci Nicanoris regnum 160.43
Seleucia cur condita 160.44
ſemen unde conſtet 430.23
ſemen duplex Abrahami 357.30
ſemen electum qui 380.16
ſemen immortale quis 379.49
ſeminis parabola 260.49
ſemina diuerſa in agrum non ſerenda 66.16
ſemina ſpiritus timoris 136.38
ſementi comparati hoſtes 187.40
ſemita Euangelij recta à Domino 239 9
ſemitæ à bonis inſtaurandæ 556 16 17
Semireligio 399.49. Eccleſia 185 4
ſenarij numeri perfectio 434.11
ſenatores 24. qui 39.13
ſenatoris Romani dictum 290.13
ſenectus 418.7
ſenes uarij 35.14
Sennaar terra 158.24
Sennacheribus Aſſyriorum rex 96 38
de Sennacheribi regis Aſſyriorum interitu oraculum Eſaiæ 169 25 26
ſenſus communis 394.3
ſenſuum ſedes 454.37
ſententiæ 163.16. unde perquiſitæ 271.14
ſentiendi facultas 284.29
Seon rex 179.40
ſepes euangelij 54.36
ſepes uineæ Chriſti 53.36
ſeptemuiri 696.37
ſeptenarij numeri ſignificatio 136 12 332.32
ſeptimanalia Iudæorũ feſta 9.48
ſepulchrũ, inferni nomẽ 282.46

Sepulchrum Christi quale 473.2
Sepulchra Israelitarum apud Ezechielem 147.42
Sepulchra refossa 167.29
Sepultura priuari, graue supplicium 167.32
Sepultura prohiberi, opprobrium 309 27
Sepultura iustorum 536.40
Sepulturæ negatæ maledictio. 69 12
Sepulturæ dignitas 167.39. bene dictio 69.15
Seraphim ministri iudicis Messiæ 75 12
Seraphim doctrina qualis 80.2. manus 81.7
Sermo barbarus sub Antichristo 306 5
Sermo Christi quibus constet 605 31
Sermonis Christi efficacia 439.3
Sermo crucis 64.50. quibus stultitia sit 454.4
Sermo Dei Christus 408.12. caro factus 647.33
Sermo Dei, quale nomen Messiæ 245 46
Sermonis diuini attemperatio ad nostrum 1.24
Sermo diuinus quibus offendiculum 255.10
Sermonis diuini fructus 526.43
Sermone Dei nihil suauius 254.50
Sermo Euangelij tempestiuus. 447 46
Sermo interpres arrogantiæ 129 16 17
Sermo falsus auarorum 290.45
Serpens æneus quomodo figura Christi 172.2
Serpentis Satanæ descriptio 247 37 38
Serpentis superbi exitus 422.8 idololatria 361.31
Serpentes 148.4
Serpentes calcandi potestas 141 16 17
Serpentum prudentia 429.33. cum seruis perpetuum bellum 316.5. uictus 48.41
Serræ similitudo 130.2
Seruandi studium in Deo 593.28
Seruator Deus 371.49
Seruatoris appellatio 196.14. conceptio 382.44. nomen amabile 650.33. infinita bonitas 197 47
Seruatoris Dei cognitio quàm utilis 374.30
Seruus Christus 439.39
Seruus Messias qualis 464.15
Serui appellatio 357.1
Serui Dei qui 643.16
Serui nomen quatenus Messiæ conuenerit 363.15
Seruorum manumissio 551.21
Seruiendi uerbum 376.47
Seruire in peccatis quid 377.3
Seruitus legis 376.47
Seruituti addici iræ signum 382 27 28
Seruilis Christi conditio 377.6
Sessio Messiæ qualis 73.6
Sethi religio 399.48. Ecclesia 185 3
Sextarius 59.18
Sibyllini uersus 70,4.94,6.159, 40.161, 16. 141, 36. 168, 20. 189, 20. 190, 50. 193, 8. 267, 17. 316, 31. 341, 28. 348, 38. 350, 10. 363, 6. 399, 8. 400, 44. 405, 46. 422, 16. 426, 31. 435, 7, 46. 466, 30. 475, 26. 539, 41. 566, 8. 620, 37. 624, 3. 626, 2. 637, 43. 644, 46. 697, 18. 692, 32. 693, 17, 24. 134, 16
Sidera maiora & minora 157. 4
Siderum rubor & pudor sub aduentum Messiæ 228.38
Sidon 108.38
Sidon Canaan F. 220.40
Sidonis urbis onus 220.40
Sidoniorum studia 220.42
Sidoniarum mulierum opera 221 20 21
Sigillis septem ligatus liber 104.3
Signum quod Ezechiæ datum 332 41
Signum prædicationis Euangelij 639 24
Signi eleuatio 187.11
Signi militaris similitudo 142.23
Signorum bestiæ & Agni discrimen 697.41
Signorum effectus 332.50
Signorum militarium usus 69.24
Silendi uerbum 89.50
Silentium, inferni nomen 282.49
Siloæ fons & aqua 99.48
Simon magus 599.28
Simeon unde suum psalmum composuerit 366.23
Simonis gratulatio 461,35. hymnus 150.8
Simplicitas columbarum imitanda 429.33
Simulatio an in Deum cadat 384 24 25
Simulationis oppositum 430.30
Sina mons 19.49
ad sinistram qui declinent à uia Messiæ 276.46
Sinitæ populi ubi habitarint. 442 40
Si non, iurandi formula usitata 58.52 & inde
Sinus Abrahæ 452.21
Sion an à Domino deserta 443, 47. Euangelicatrix 345.15
Sion mons à Dauide & Salomone illustratus 16, 1.699, 16. cur mons Testamenti dictus 166 43
Sion à regnis mundi infestata 455 20. ubi 19.20
Sionis ciuitas primùm à Dauide expugnata 261.51. conuersio 461.38. dignitas 285.21. montis eleuatio 134.41
Sionis montis excellentia 18.11. sublimitas 105.13
Sioni quomodo iratus Dominus 457 14
Sionia lex 20.39. eius natura 21 32
Siccitatis pœna 175.15
Siticulosis locis comparati electi 379 42
Sitire qui dicantur 508.29
Smegma quomodo conficiatur. 465 2
Sobna urbs 322.13
Sobnæ insolentia 212.19
Socrates 68.8
Sodomæ interitus 168, 13. 169, 17. 210, 9. 311, 26. 375, 6. 160, 24. flagitia in regno Antichristi 685, 6. impudentia 36, 34. interitus 428
Sodomorum principes qui dicti 9 4
Sodomitarum luctus 588.50
Sol 157.15
Sol qualis Christus 649, 50. 278, 13 686.23
Sol, Messiæ symbolum 67.14
Sol an regressus fit ad precationē Ezechiæ 333.20
Solis leges cur à pijs considerandæ 352.46
Solis lutum indurantis, ceram mollientis simile 282.7. splendor 312.18

312. 18. uis in cera & luto 389 6
Soli cur comparatus Christus 441 22 23
Solem inspiciunt aquilæ 353.49 in sole adorarunt gentes Deum 401 33
Solitudo 201.50
Solium Christi quale 73.8
Solium Dauidis occupat Messias 119 16
Solium Dei sublime 72.42
Solium quod firmum sit 177.49
Solij iudiciarij usus 665.48
Solij Messiæ nomen cur non integrum positum in Exodo 151.13
Solon 192.26
Soluendi claues 214.38
Somnia 271.14
Somnus grauis 263.42
Sophistæ theologi cur non tolerandi 514.42
Sophistica doctrina 106.21
Sophoclis locus 620.40
Sopori cur mors comparata 336 32 33
Sordidorum natura 291.21
Spectandi uis in Deo 187.20
Speculatores prophetæ dicti. 204. 1. cæci qui 534.1
Speculatorũ cæcorũ uox 461.26 ex speculis diuinantes 158.3
Spelta 260.52
Spes futuri seculi, noui hominis fructus 49 16
Spes sanctorũ 104.33. uerbo non naturæ adscribenda 336.29 trunco comparata 486.44
Spei fulcrum 131,19. probatio 322.25. usus 275.32
Spei falsæ & ueræ discrimen. 563 21
Spem excitat crux 242.43
Spiritus sanctus 211.14 causa pœnitentiæ 518.28. quibus pauperibus detur 238.48 quomodo 511.6. qualis lex 387. 41. quomodo iudicium facere dicatur 295.1
Spiritus diuinus quæ doceat pios 505 19
Spiritus sanctus quàm necessarius ad iustificationem 481.50 cur datus Apostolis 287.50. quale oleum 589.33. in quibus uersetur 190.11
Spiritus sanctus quid agat in fidelibus 377.43. igni comparatus 15.25. in quibus immobilem locum teneat 385.31
Spiritus quatenus carnem uincat 50 22
Spiritus sacri affluẽtia uictus Messias 94.27 & inde
Spiritus dona secundum mensurã dari 234.46
Spiritus sancti effusio 294.10 lex 366.6. mentio frequens in prophetis 581.43. munera 95 33
de Spiritus muneribus, locus 136 9.487,38.545,11.558.31
Spiritus sancti opus 517.34. primitiæ 138.28. uis 81,42.345, 26. 380.50
Spiritus sancti uis bipartita 518 30 31
Spiritus & carnis bellum 49.41
Spiritui diuino & agendi & cogitandi uis tribuenda 404.5
Spiritum promissum quomodo accipiamus 21.5
Spiritum suum cur non omnibus det Deus 84, 26. 384,45
Spiritum sanctum an Christus habeat ut electi 504.43
Spiritum sanctum Christus Iesus dat, non nouus Dauid 215. 41
Spiritum in Messia requiescere quid 136 1
in Spiritum sanctũ quomodo peccetur 466. 10. qui delinquant 391.12. non omnes Iudæos peccasse 84.43
Spiritu sacro cur unctus Iesus 382 49
Spiritus qualis Assyrio datus. 322 4
Spiritus interpres arcanorum Dei 643.38. qui lex uitæ 501.41 duplex 236.13
Spiritu diuites Dauidici 267.52
Spiritu pauperes et diuites 139.30
Spiritu & uere qui inuocent 521.2
e Spiritu sancto conceptus Christus 93.39
in Spiritu nobis esse accessum ad Deum 265.4
Spiritus adoptionis 477.34 qualis 478.18. ubi uigeat 554, 34. 571,1. 591,36. agni 666 5. 678,25. amore 593,37. 594,8. 514,11. amoris & fidei 641.12
Spiritus carnis in animãtibus qualis 284.27. quotuplex ibidem
Spiritus consilij 137, 52. 138,1 consolator 689.7
Spiritus, consolatoris beneficium 462 22
Spiritus Dei uehemens 344.26. qui eo ducantur 270.28
Spiritus diuinæ potentiæ uis 348 28 29
Spiritus Domini 580.51 & inde. electionis donum 327.10. Euangelij 147,20.676,26. 684,3. expurgator 145.20. fortitudinis 138.10.365. hominis 48.12. humilis 542.1. interpellans 324.48. iudiciarius 21,29.139,39.238,41 labiorum Messiæ 140.3. libertatis 366.42. Messiæ 105 42. eius profunditas 142.2
Spiritus uehemens Messiæ 149, 43. eius promissio 389,28. 543.12. qualis 645.1
Spiritus nouus quis dicatur á prophetis 478.48
Spiritus noui fœderis 376.8. pre cum 140.6
Spiritus precatoris officium 324 42. in nobis 494,14.630,27
Spiritus septem 264.47
Spirituũ uarietas 580.41 et inde.
Spiritualia spiritualiter intelligenda 2.44
Splendor Messiæ 572.12
Spolia Christi uictoris 307,45. 308 1
Spolia à Christo Babyloni erepta quæ 408.45
Spoliandi ratio duplex 99.4
Sponsa agni 140.36
Sponsa Ecclesia 592.18
Stagnum ignis 228.26
Stanno scelerati comparantur 15 40
Statua Euangelij 195.20 hæmorrhoissæ 403.8
Status rectus 564.26
Stellæ duodecim quid significent 686 50
Stellæ de cœlo cadentes 166.1
Stellarũ septem significatio 649.7
Stellis comparati electi 166.18 442 45
Stephanus quomodo uiderit Christum 74.20
Stipulæ simile 426,43. 185, 39. comparatæ cum impijs 68 15
Stolonum similitudo 167.43

Stoici 66.29
Stoica schola 26.12
Strabo 160.45
striges quæ 312.50
stultitia quæ 240.21
stultitia gentilis 349.49
stultitia mundanæ sapiētiæ 265.20
stultitia pœna Israelitarum 61.39
stultitia quorum malorum causa. 250 14
stultitia quomodo sit gētibus Christus 265.37
stultitiæ sapientia 192.44
stulti 317,10. in lingua qui 124 22
stultorum cordis intelligentia. 289 12
stultorum appellatio in sacra lingua 289.20
stuppæ comparata hostium consilia 301.38
stuppæ comparata idola 17.3
stuppæ extinctæ simile 375.49
stylus humanus 98.3
subiectio Filij qualis 367.38
successus Christi felix 475.30
Suenkfeldiani 635.11
sufficientia Dei 102.20
suffitione qua delecletur Deus. 10 5
suillus sanguis lege prohibitus. 633 35
summitas Hierosolyma cur dicta 326 11
superbia Babylonis 157.37
superbia fumo comparata 124.41
calamitatum causa 178.18
duplex 577.19
superbiæ pœna 122,22. in oculis sedes 29,44. uindex 222.3
superbia & securitas Babylonis 424 6
superbi 252.26
superbi à Deo deprimūtur 213.33
cur 275,24.266,40
supercilium elatum sedes fastus. 325 19
superliminarium postes commoti 78 5
supplantatio Esaiæ 379.20
supplantationis Esai mysterium. 238 51
surculi mētaphora 133.45
surdi qui sint 315.29
surdorum aures aperiendæ 315.34
surditas 370.21.373,41
surditatem abstulit Messias 267.13
sycomorum arbor 122,17
syluæ domus Hierosolymis 209 27
syluæ cōparatus Assyrius 130.48
syluæ succisæ simile 184.6
Syriæ Damascenæ uastatio 96.38
Syri 108,38. astrologi 25.44
idololatræ 121.13
Syrorum reliquiæ 182,48. sermo 306,2. translatio Cyrenensis 96,28. uictoria de Iudæis 88.18

T

TAbernaculum quomodo sanctum 44.42
tabernaculorū translatio 306.33
tabes pro sœtore 40,47.227,8
tabularum buxearum usus 272.23
in Tabulas cur ferantur leges & edicta 98.10
talentorum significatio 224.2
Tarthan legatus 318.2
tegendi uerbum 425.12
telarum araneæ simile 563.36
temerè nihil fieri 170,6.393,27
temperantia noui hominis fructus 49 15
tempestas Ecclesiæ 502,23. persecutionis 52.33
tempestatis descriptio 280.27
templum Dei 20,1.531,34.686,3
templum quomodo ab æterno fuerit 209.51
templum ex uiuis lapidibus, qui. 407 42
templum quódnā habitabit Deus 631 35
templum cœleste 706,12. Messiæ 146,14. Salomonium 313 39
templum Hierosolymitano simile extruitur in Ægypto 195.6
templum duplex 74.40
tempus acceptum 441,43. reuocationis & reconciliationis Iudæorum 146.42
tempora nouissima quæ dicantur 17,34 134.37
temulentiæ comes 254.14
tendicula quomodo uocetur Messias 103.40
tenebræ 450.43
tenebræ quatenus probētur Deo 390 10
tenebrarum pœna 71.24
tenebras qui dicant lumen esse. 64 3
tentari à quibus dicatur Deus. 92 36
tētatio grauissima 322,21.445,12
tentationis onus 658.10
in Tentationibus aliter affecti pij quàm impij 335.38
tentoriorum figura 496.36
tepidi Christiani qui 662.21
tergum uertere Deo 6.49
ternarius numerus 77,28 175,49 434,11
terra cur condita 156,41. quando ad habitandum parata 404,48. bipartita 236.12
in testimoniū abducta 398.51
terra pro incolis sceleratis 227.46
quid pariat 4.12
terra noua quando creari dicatur 625 46
terra uiuentium 334.13
terræ generalis afflictio Messiæ tēpore 308,37.224,23
terræ cōparatio 594,46. & inde
terræ sacræ fertilitas 53,32
lac & mel 97.38
fundamentum quis posuerit. 350,43. globo insidere Deus dicitur 351,2. hæreditas pijs tributa 540.25
terræ Israeliticæ uastatio 7.40
terræ luctus 224,51.300.51
mentio 32[illegible],43. motus 673 10. mutatio tempore reconciliationis 23,38. officium 365,36. plenitudo quæ 368 22. quies 164,1. & inde
tremor in promulgatiōe legis 4.32
uastitas 311.40
terræ & cœli comparatio 525.42
terram suam quomodo perdant tyranni 167.50
terrena sapere 262.39
in terrestria quanta Christi potestas 512.34
Testamenti noui doctrina, Mosæ & prophetarū interpres 3.13
fœdus 510.30
Testamenti ueteris fœdus 511.11
Testamenti utriusque doctrina. 505 20
in Testamentis quæ soleāt expendi 510.35
testis officio Christū fungi 512.11
testes diuinitatis qui 374.14
testificari de patre quid 644.18
testimonium cœli & terræ 4.10
testimonium ligare 103.48
testimonia sacra 325.48
textoris simile 335.12
Thalmudica doctrina 106,21

Thamaris filij 497.4
Thamyris Scytharum regma. 407 43
Thaneos urbis Ægypti situs. 191 19
Thanin monstrum 247.5
Tharacha Æthiopũ rex 186.10
Tharæ peccatum 378.35
Tharses Iapheti F. Cilicum autor 639 29
Tharsis Iauan F. 31.8
Tharsis metropolis Ciliciæ 220.22
Tharsi urbis Ciliciæ nomen unde 31 9
Thau signum 674.7
Theglatphalassar Assyriorum rex 108,15.96,31. 181.49
Thema Ismaelis F. 205.52
Theodosius Imp. 576.5
theologorum quorundam uitium 66 22
in Theologis aduersariorum quid damnetur 498.23
thesauri cœlestis 27,4,10.299.21
thesauri in cœlo quales reponẽdi 73 44
thesaurorum dispensatio qualis cura 214.20
Thimni uox 247,6.25
Thomæ testimonium de diuinitate Christi 346.20
Thomas monachus 398.11
Thomistæ 26.13
Thophet qualis locus 281.16 619 36
thronus Dei 72,35. & inde
thronus in quo Messias sedet, qualis 73,4. 119,36. igneus 245,34 648.30
throni ignei splendor 305.10
Thubal Iapheti F. quarum gentium autor 639.38
Thurim 270,26.271,14
Thyatirensi Ecclesiæ quæ scribat Ioannes 657.5
Tiberiadis lacus 108.32
Tiberius 372.14
tibiæ comparati Israelitæ 97.9
timor Dei 101,51. cur sapientiæ initium 136,39.450,15 572 43
timor seruilis 701.25
timoris Dei fructus 701.46
gradus 299.38
timoris spiritus 645.10
Titanes Vestæ filij 191.27
titionibus cõparati hostes 90.19
Titus Imperator 61,24.
Titus Vespasianus 613,2.683,7
tonitruum significatio 677.11
tonsoris allegoria 97.22
torcular afflictionum 54,13
torpor 156.13
Totilas Gothorum rex 693.50
tractio Dei qualis 19.14
trahæ similitudo 359.37
trahere quos dicatur pater 342.31
trahi, ut uenias ad Messiam, cuius opus 510.6
Traianus Imperator 61.27
tranquillitas beata quæ 295,52 & inde. Euangelij fructus 22,50 452.49
tranquillitas ciuiũ in regno Christi 288.11
tranquillitas piorum exitus 451.2
trãsitus angeli in Ægypto 285.44
translationes 56.20
tremendi uerbum 291.50
tremoris piorum & impiorum discrimen 633.5
Triadis mysterium 499,26. sacramentum 436.15
tribulæ similitudo 359.37
tribus Israel duodecim 235.11
tribuum decem calamitates 121.22
Trinitatis mysterium 517.31
Trismegisti theologia 112.40
tritico comparati pij 167.48
triturandi uerbum 359 47
triturę metaphora 204 22
triumphus Messiæ 277.49
Triumuiri Romani 691.48
tuba ex Messiæ cornibus facta. 471 40
tuba Euangelij 251,25.676.42
legis 665.9
tubarum usus 547 47
tuguri & reliquiarum in Israel similitudo 8.10
turbini comparati currus 70 38
Turcæ 297,11.368,46. Ægyptum uexarunt 191.4
Turcæ tyrannis in confessores Messiæ 576.24
Turcarum Imperatoris falsa gloriatio de religione 322.50
interitus 370.6
turpitudinis detectio 422.35
turris Babyloniæ altitudo 421.8
turris uineæ Christi 54.4
turrim Babyloniam ædificantium confusio 153.18
turres duplices 30.47
turrium mysterium 278.1
Typographia diuina prouidentia in quem usum excitata 414.8
tyranni quomodo puniant 128.18
hostes Ecclesiæ 88,23. in pulueremredigendi 238.21
tyranni huius mundi 396.45
cur belluarum marinarum nomine appellentur 247.21
bubalis similes 327.26 canibus uenaticis comparati. 457,3. leonibus 284.45
paleis 279.25
tyranni Ecclesiastici quomodo cõparati 39.34
tyranni stipula reputandi 263.8
in quo inferno uersentur post hanc uitam 164.33
tyrannorum carmen 368.34
tyrannorum supplicium 242.10
interitus 311,11.352,4
tyrannos ad confessionem etiam uenturos 230.11
tyrãnis termini præscripti 297.41
Tyrus 165,41.108,38
meretrix dicta 223.39
Tyri onus 220,2. à Sydone distantia 221.20
Tyriorum naues 575.20

V

VAcca rufa, figura Christi 472 38 39
uaccæ sanguis 247.8
uaccæ contumaci comparati Israelitæ 13.44
uæ interiectio cur crebrò usurpata ab Iesaia 64.23
uallis uisionis Hierosolyma dicta 207 3
uallis metaphora 342.8
uallis opimæ figura 252.38
Vandali 297.11
uannus uanitatis 279.24
uana iudicat omnia Salomon. 160 17
uanitas 400,40.563,11
uanitatis ciuitas 225.51
uapor ex aquis excitatus 51.36
uasa ad gloriam qui dicantur. 373 33
uasa munda & immunda 463.18
uasa sua mimora curat Messias. 219 33
uasa iræ quæ dicantur 155.44
uasa iræ quatenus toleret Deus. 391,33 390,17
uastatrix uirga 225.35
uates ueri 273.25
uates falsi quales hypocritæ. 124 8

uates Iudæorum cur nobis quoq; dati 28.17
uates idolorum falsi 362.17
uates oraculorum Dei officina. 4 51
uates diuinos præparàdi ratio duplex 79.33
uatum falsorũ reprehensio 263.37
uatum munus 89.27
uatum Antichristi sapientia uana 425 7
uatum existimatio quanta 1.26
uatum falsorum doctrina pernicioſa 414.15
uatum uerorum irrisio 255.26
ubique an sit corpus Domini. 597 51
uectes 405.20
uectium translatio 375.37
uelamen oculis animi oppansum 85 16
uelamen duplex 231.19
uelamen sub oculis Iudæorum. 263 51
uelandi uerbum 402.37
uelum, subiectionis symbolũ 76.21
uelum in templo scissum 332.40
uenalia habent omnia Papistæ. 14,28 509.3
uenatores Ecclesiæ 457.2
uenatorum metaphora 255.13
uenditio generalis 458.48
uenditionis uis ob peccatum. 446 20
uenire procul quomodo dicatur Dominus 278.29
uentilatio 279.20
uentris causa uaticinantes 105.33
uentus impeditus quid notet. 673 41
uentus Orientalis 2 .16
uenti metaphora 243.3
uenti uehementiores unde ueniãt 201 50
uentos paſcere 362,44.402,46
Venus 698.20
Veneris stella 165.33
ueprium similitudo 124.40
uepribus hostes comparati cur. 263 20
uepres & spinæ, uineæ Israeliticæ 55 41
uerbum Dei quod maneat in æternum 344,50. liberit à parentibus tradendũ 338.47
uerbum Dei, regula fidei 430.19
aurum ignitum 663,21. Messias 5,38,113,52,114,10 328 14
uerbum Dei pluuia simile 56,16.
uerbum Meßiæ seu Euangelij. 276 40
Verbi incarnati mysterium 338.7
appellatio, ros 410.24
uerbi contemptum quæ uitia sequantur 26.30
uerbi Dei seminatio 260,41
testimonium de antiquitate religionis 400.11
uerbo Dei omnia condita 114.28
uerbo generatur & nutritur nouus homo 43,38. omnia sustentantur 328.10
uerbo Dei adhærendum 105.25
ex uerbo probatur Meßiã Deum esse 115.26
uerendorum detectio 201,3. 422 35
Vergilij locus 70.42
ueritas 131.25
ueritatis gloria 240,31,51. oppositum 430,30. spiritus 545, 12. templũ 406.32
ueritate spoliari, quantum malum 264 27
in Veritate satanam non petijsse, quid 385.7
uermis conscientiæ 450.12
uermes impiorum 282,30. 165,7. conscientiæ 641. 40 & inde
uermibus comparatus ecclesiæ status 359.7
uertigimis spiritus 193.16
uerum quid 566,49.659,36
Vespasianus 61.23
Vesper, stella Veneris 165.37
uespera sanctorum 6 .24
uesperæ tempus 185.44
Vesta uxor Noæ 191.27
uestimentum pro præsidio & opibus 35.50
uestitus significatio 214.2
uestitus & panis nomine quæ intelligantur 41.44
uestitus Meßiæ 74,32. quorũ sanguine tinctus 246.17
uestis salutis Meßias 591.50
uestes captiuorum cur præcidantur 422.36
uestibus comparati hostes 450. 10 454,7
ueteratoris serpentis uersutia. 247 44
ueteris hominis fructus 49.11
uexatio nostri quale opus 127.41
uexationes à Deo esse 263.3
uia qualis Meßias 276.43
uia recta quæ, & quotuplex 7.14
uia lata ad exitium 281,46. 470 20
uiæ Domini 83,29.633,50
uiam suam corrumpunt improbi 6,26 239.9
uiam suam quomodo relinquat impius 521.27
uiæ iustæ & uerè 708,2. iustitiæ 369,47. peruersæ 564,25. parandæ salutis 20,15. uitæ 442,17. ueteris hominis 528.11
uibicis Meßiæ usus 469.42
uictima impiorum, pij 311.3
uictimæ piacularis mysterium. 518 19
uictimæ piaculares 376,40
reiectæ 633.28
uictimam quã probat Deus 9.35
uictimarum legaliũ figuræ 474.7
uictimis gratis Deo quomodo litetur 533.10
uictoria Christi, nostra 449.52 231,38 248.24
uictoria magna agni 368.47
uictoria sanctorum quibus rebus constet 272.8
uictoris iure quæ peperierit Christus 493.2
uidere & cæcum esse, ubi non pugnent 267.22
uidentis nomen 254.10
uidentes Pharisæi cur cæci dicti 110 19
uiduæ hospitalitas 177.33
uiduæ & terræ comparatio. 594 48
uiduarum clamor 58,9. miseria 11,26. sanguis 10.44
uiduas pensi non habere quid. 14 5
uiduitas Ecclesiæ 498.6
uigilia mundi 209,43.239,52
uigilantia 658.39
uiginti quatuor seniores quomodo uenerantur Meßiam sedentem 76.40
Viminalis mons Romæ 691.46
in Vinendo quid nobis cogitandũ 452 2
uindemiæ simile 183,6
uineæ nomine qui intelligantur. 39 16
uineæ & Ecclesiæ descriptio. 247 50

uinum Epicureorum 457.10
uineæ Meßiæ 53.14
uini efficacia 54.44 59.46
abuſus ibid.
uipera non lædit Paulũ 141.12
uir gloria Dei 52.20
uiri prudentis parabola 257.46
uiri nomine, quo ad fœminas quæ conſiderentur 41.47
uiri trarũ. quæ paraphraſis 156.27
uiri apud Ægyptios muliebria opera ſubeunt 193.37
uirorum clarorũ caſus 677.28
uirga Euangelij 225.30 Moſæa 132,30. uaſtatoria 520.3
uirgo dictus Antichriſtus 422.10
uirginitas 700.8
uiridarij ſimile 555.36
uirtutum abſolutio 484.38
uis qualis libera uoluntas 396 18
uiſcera miſericordiæ 443.33
uiſio Dei bipartita 72.3
uiſionis uallis cur Hieroſolyma dicta 207 3
uiſum, qualis uox 1 26
uiſum Ieſaiæ auguſtum 74 50
uiſorum genera uaria 1.12
uita noſtra qualis militia 452.3
uitæ noſtræ cum paſtoribus comparatio 335.10
uita quomodo conſtet 336.21
uita æterna quib. offeratur 508.26
unde comparatur 617.27
uitæ æternæ donum 477.19
oſtium 334.2
uita animæ 510.9
uita noua pœnitentiæ finis 519.17
uitæ mnouatio, fructus pœnitentiæ 342.23
uita per Euangelium quæ detur. 243 12
uita impiorum corrupta 6.29
uitæ arbor in paradiſo 236.4
Meßias 627.5 653,15
uitæ liber 45,11,23.659,11
uitæ ſpiritus 381.1
uitam æternã qui intra ſe habeãt 510 20
uitam quid afferat 137.21
ad Vitam qui ordinati 136.45
uitis inutilis fructus 56.41
uitis ſimilitudo 621.16
uites generoſæ quæ 54.1
uitibus cõparati Moabitæ 179 50
uitia ſcoriæ comparata 15.29
à quibus reprehendenda 80.12
uitia non perſonas dãnari 498.22
uitiorũ puluis & lutum 458.19
reprehenſio 224, 30 uelum 85.18 uia 341.43
uitioſitas naturæ ueteris 316.25
uitulæ trimæ ſimilitudo 175.8
uitulus aureus 121,51
uituli ſignificatio 666.32
in Vitulo aureo Deum coluerunt Iſraelitæ 401.34
in Vituperationibus quæ reprehendantur 40.48
uiuentium munus præcipuum. 338 43
uiuentiũ terra 334,13.540,43
uiuificandi uerbum 336.40
ultionis dies 1564
ultionis duplicis tempus 587,52
umbræ reuocatæ ſignum Ezechiæ datum 333.20
umbræ ſignificatio 438.45
umbrarum ratio quatenus habenda 147.24 (26
unctio ſacerdotalis 640,25.646.
unctio Chriſti 94 27
unctionis ſacræ ſpiritus 581.29
unctus cur ſit Ieſus 382.43
unguibus imprimi notas interdum 443 45
unitas 237,48.74 26.409,31
unum quomodo reddamur cum Deo 517.14
unicornis 311.11
uocandi uerbum 355.15
uocatio 213,37.357,21. quid & eius uis 435,26.681,48
uocatio gentium 304.44
uocationes uariæ 627.17
uociferandi uerbum 369 5
uolendi uis natiua in quo ſita eſt 12 30
uolucribus cur comparati legati 420 1
uolumen uolans quid 158.8
uoluntas Dei tolerans 390.22
in puniendis hominib. 208.42
quæ in diuinis literis patefacta 531 14
uoluntas in legatis Dei cur tecta 76 26
uoluntas patris quæ 406.28
uoluntas humana, excæcationis cauſa 83.23
uoluntas praua, errorum cauſa. 610 36
uoluntates duæ in renatis 395.44
uomitus figura 254.17
uota ſub Meßia quæ 197.1
uouendum quomodo 197.24
uox terrifica 280.14
Vr Chaldæorum 269.33
urbani cultus Romæ 698.23
urbs nulla à Cyro oppugnata quæ nõ etiam ſit expugnata 408.8
urbes munitæ quando 307.3
urcei fictilis ſimile 273.48
urgendi uerbum 231.38
Vrim 270,26.271,14
Vrias ſummus ſacerdos 98.24
urſo comparata Eccleſia 457.1
urſo quod regnum comparatum. 297 21
Vtica Tyri colonia 221.28
uulgi ingenium 99,29. mobile 319 25
uulgi Iſraelitici fides 300.1
uulgi metus ſub Antichriſto 119 47 48
uulnera electorum quis ſanet. 278 21
uulnerum nomine quid comprehendat Eſaias 7.25
uulneribus curãdis quæ adhibeantur 7.34
uulturnus 249.19
uultus, animi ſedes 36.26
uultus Chriſti 467.14
uxor, gloria mariti 52.20

X

Xenophon 407.22

Z

Zabulonia terra 207.50 108 14
Zacharias propheta 98.25 456 28
Zachariæ hymnus 150.8
Zachariæ interitus 58,3. uiſio 1 25
Zedechias rex 86,50.207,33
zelus quid 121.9.609.30
zelus Meßiæ pro Eccleſia. 328.52 568.29
zelotypia 241,26.664,23
Zoar Moabitarum urbs 175.1
Zorobabel 153.39. figura Chriſti 135,49.456,27

FINIS.